
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
ROMA
8
44 . C
9



SCHOLA ÆGIDIANA

THEOLOGIA EXANTIQUATA

JUXTA ORTHODOXAM
BEATISSIMI ECCLESIÆ MAGISTRI

AUGUSTINI

DOCTRINAM
A FUNDATISSIMO DOCTORE

B. ÆGIDIO COLUMNA

Ord. Erem. ejusdem S.P; S.R.E. Card; Aquitaniæ Primate,
& Archiepiscopo Bituricensi expositam.

Additis Quæstionibus polemicis contra omnes hæreticos veteres, & recentes,
ac Recentiorum ordine congruentiùs disposito.

AUCTORE

F. FRIDERICO NICOLAO GAVARDI
MEDIOLANENSI
Ejusdem Ordinis Sac. Theol. Doctore, & in Archigymnasio Almæ Urbis
Sacræ Scripturæ Interprete.

LIBER IV. SENTENTIARUM.

TOMUS VI.





ROMÆ

In Officina Typographica Io: Francisci de Buagnis. MDCXCVI.

SUPERIORUM PERMISSU.

INNOCENTIO XII.
SVMMO PONTIFICI
OPTIMO, MAXIMO.

ECclesiam, BEATISSIME PATER, quæ REGNVM COELORVM inscribitur; quoniam licèt fundamentum capiat ex terris, Cœli tamen illi imponunt fastigium, sacramentis ædificari Diuina docent Oracula; homines enim à terrenis sordibus virtute sacramentorum purgatos, ceu lapides viuos Hierusalem Cœlestis ædificio compaginat. Nullus maior Inferorum conatus, nulla fraudulentior iniqui- Matth. 13. & 25.

tas,

tas, quàm Hæreticorum turbas ciere, vt sacramenta euertendo Ecclesiam sacrilega impietate discerpant. Sed ne præualeant, PETRO, eiusque Successoribus datæ sunt claues; potestas scilicet Ecclesiam claudendi, ne in illam irrumpant errores; & potestas referandi, Magisterium nempe, quo verum Scripturarum sensum aperiant; vt sine macula erroris fides in sæculum illibata permaneat. Hæc itaque, BEATISSIME, & CLEMENTISSIME PATER, quæ de sacramentis disserui, vt dolosa Hæreticorum sophismata fulminea quidem, sed fumea; acuta, sed vitrea validissimis Diuinarum
S. P. Aug. in supl. Scripturarum testimonijs, Conciliorum sanctionibus, Sacrorum Canonum decretis, ac SS. Patrum doctrinis concussa, & euersa retunderem: SANCTITATI TVÆ non offerre non poteram; vt ad supremam fidei Regulam comprobanda referrem. Nec Summa, ne denuo redirem, prohibuit Maiestas; Magnitudini etenim TVÆ talis clementia associatur, vt ne quidem importunis fatigeris obsequijs. Hæc non infima Supremi Principis laus est animum ita componere; vt quò altior est Dignitas, eò sit beneficentior humanitas, quæ Maiestati superaddat, non detrahat. Horum namque est ornamentum non minus se hominem esse, quàm hominibus se præsidere meminisse. At quis hoc elogium magis, quàm TVA SANCTITAS meruit? Magna quidem enituit in Prædecessoribus, magna in Successoribus beneficentia enitebit; sed in TE maxima refulgere conspicitur. Prædecessores namque pauperes excipere, necessaria exhibere, intercedere casibus, fortunæ occurrere, fo-

uere visi sunt; & Successores eadem præstare non desinent. Sed TV & Antecessores anteire visus es; & Successoribus maximum, arduumque exemplum relinquere: dum omni adniteris ope, vt inopum necessitatibus obuies; & TIBI parum, quod Alijs multùm, visum fuisset; nisi & lares eorum angustos Augusto tectò excepisses. Summæ Dignitatis fastigio summam animi celsitudinem iungis ita, vt sicut potestate alios Principes; ita Magnificentia alios Pontifices; ac beneficentia & Pontifices, & Principes superes. Loquentur posteris non homines tantùm, sed lapides, quot, & quæ ædificia, & qua mente construxeris. Nam quòd Imperatorias Ædes, & Regales Moles extuleris; hoc & alij, quanuis pauci, fecerunt tamen. At quòd non ad Maiestatem dignè excipiendam, sed ad subleuandam egestatem pauperum impotentium potentiam ostenderis; non ad TVI, vel Tuorum commodum, sed ad publicum omnium beneficium; non ad Tribunitia fori Rostra amplianda, sed ad coarctandas, resecandasque Tribunalium laxitates tantùm impenderis; singulare, & perenne TVÆ PIETATIS, & ÆQVITATIS est monumentum. Omnes respicis, neminem accipis; æquè bonus cuilibet; & omnibus melior. Paternus amor, quo erga omnes communiter flagras, commune bonum continuò promouere Te cogit. Hoc Tuum studium, cui vigilas; votum, quo angeris; onus, quo premeris; opus, quod vrges, publica quies. Ex quo enim in omnium Patrem assumptus non TIBI, sed nobis viuere incepisti, TE securum nostra tantùm securitas, tranquillum nostra solùm reddit tranquillitas; sic alienam quietem

pro-

propria neglecta procuras sollicitus magis otium dare, quàm capere. Cùm præmia meritorum distribuis, agis, ne gaudium vllius alterius mestitia diminuat; alij namque lætantur, quia quod meruerunt, iam obtinent; alij, quoniam tempus magis merendi impetrarunt. Illis gratulandum, quia dignitate honorantur; istis, quia meritorum incremento onerantur. Sic meritorum diuitias augens in terris, & præmiorum insignia præparans Cœlo & Cœlos, & Terras Tuis laudibus imples. Nec ita potuit
S. P. Aug. in nostri Orbis confinibus TVÆ BENEFICENTIÆ
ps. 104 amplitudo concludi, quinetiam extenderetur ad gentes hemisphério diremptas; vt illas ingenti pretio non in seruos emptitios, sed in filios baptismi beneficio regeneres; & cùm primùm TE nouerint, PATREM MVNIFICENTISSIMVM sciant. Ideo centum millia nummorum profudisti vna die, vt extra anni, Solisque vias fidem propagando diffundas multiplicatis operarijs, qui millies, idest in sæculum, fructum ferant centesimum. Vnum superest, quod concordibus animis rogamus, expetimus; Deus Orbi diu TE seruet; sic enim diu seruabitur Orbis fęlicitas. Vale.

SANCTITATIS TVÆ

Ad Pedes

Fr. Fridericus Nicolaus Gauardi Augustinianus.

CENSVRA.



Extum Tomum *Theologiæ Exantiquatæ*, in quo Theologia moralis continetur, *Auctore R. A. P. F. Friderico Nicolao Gauardi Mediolanensi in Archigymnasio Almæ Vrbis Diuinarum Scripturarum Interprete*, ex commissione P. Tuæ Reuerendissimæ euolui. Articulis fidei, & Regulis morum nihil aduersum prorsus reperij; sed omnia ita conformia, vt hæreticos quoscunque à fide rebelles mira perspicuitate confundat, & Recentiorum laxitates salutifera correctione præstringat. Opus sanè aureum, Christiano Orbi proficuum summopere, & summis laudibus vbique terrarum à veræ sapientiæ amatoribus celebrandum ad æternam Auctoris memoriam, famam, & gloriam, iudico, & censeo, vt prodeat in publicam lucem. Datum in nostro Conuentu S. P. Augustini de Vrbe idibus Augusti 1696.

Ego F. Carolus Riccius Augustinianus Sacræ Theologiæ Magister, & Bibliothecæ Angelicæ Præfectus.

CENSVRA.



X mandato P. T. Reuerendissimæ vidi sextum tomum *Theologiæ Exantiquatæ* à *R. P. Magistro Friderico Nicolao Gauardi Mediolanensi in Archiuniuersitate Almæ Vrbis Sacræ Scripturæ Interprete &c*; vidi, & gauisus sum, quia exultabam, vt uiderem perfectam in libros sententiarios Ægidianam, seu Augustinianam expositionem. Hanc, quantùm potui colligere, tam solidè, & eruditè in his sex libris tradidit Auctor, quòd apprimè versiculus ille, quo iam ipsemet B. Ægidius secum alloquentem Vniuersitatem Sorbonicam introduxit, concinnè queat aptari: *Est, qui me nutrit, & qui nutritur, alumnus*. Nec absque sacramento tam altum opus hoc sexto Tomo perficitur; nam quia senarius numerus est vndequaque perfectus, vt *Auctor in præfatione* ingeniosissimè ostendit; ideo sex libris Vniuersæ Theologiæ mysteria sapientissimè voluit comprehendere; & sicut sexta die opus creationis fuit completum; ita in hoc sexto Tomo omnia sacramenta, quæ sunt opera recreationis, concludere. Qui proinde tanta instructione, & doctrina perfectus resplendet, tanto, ac tam subtili elaboratus ingenio, & ab omni erroris vmbra alienus, vt nihil, quod non redoleat fidem Catholicam, quod humanos mores in Deum non ordinet, occurrat. Quapropter non solùm opus celeberrimo dignum Auctore, sed & vtile censeo, vt typis communi commodo mandetur. Dat. S. Augustini de Vrbe pridie idus Augusti 1696.

Ita censeo ego Fr. Ildephonsus Dominquez Augustinianus Sacræ Theologiæ Magister Procurator Prouinciæ Castellæ.

Magister Fr. Antonius Pacinus Rauennas totius Ordinis Fratrum Eremitarum S. P. AVGVSTINI Prior Generalis.



CVm Tomus sextus Theologiæ Exantiquatæ iuxta doctrinam Beatissimi Patris Nostri Augustini, & Doctoris Fundatissimi B. Ægidij Columnæ à *R. P. Mag. Friderico Nicolao Gauardi Mediolanensi in Archigymnasio Almæ Vrbis Sacræ Scripturæ Interprete* elucubratus per Viros à nobis ad id deputatos recognitus, probatus, publicaque luce dignus habitus sit, præsentium tenore, nostrique muneris auctoritate facultatem, quantum ad Nos spectat, ipsum imprimendi concedimus, & impertimur. Dat. in nostro Conuentu S. P. Augustini de Vrbe die 14. Augusti 1696.

Fr. Antonius Pacinus Generalis Ordinis, &c.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendissimo Patri Sacri Apostolici Palatij Magistro.

Sperellus Episcopus Interamnen. Vicesgerens.

APPROBATIO

Patris Magistri Francisci de Latenay Doctoris Theologi Parisiensis Ordinis Carmelitarum.



EX Commissione Reuerendissimi P. Magistri Sacri Palatij Apostolici legi & attentè examinaui librum, seu Tomum VI. in IV. sententiarum, cui Titulus est: *Theologia Exantiquata &c;* in quo nihil deprehendi aut fidei Catholicæ noxium, aut morum Sanctimoniæ contrarium, aut sacramentorum dignitati, & excellentiæ repugnans. Hinc cùm omnia, quæ ab illius erudito Auctore dicuntur, planè congruant SS. Patrum præsertim Augustini, & Antiquorum Theologorum sanæ, tutæque doctrinæ, multùmque illustrent Ecclesiæ disciplinam in tractandis, suscipiendisue, qua par est reuerentia, sacramentis; eum prælo, luce, & laude publica dignissimum Censeo. In Conuentu Sanctæ Mariæ Transpontinæ de Vrbe Ordinis Carmelitarum 9. Augusti 1696.


Fr. Franciscus de Latenay Doctor Theologus Parisiensis Ordinis Carmelitarum.

Imprimatur.

Fr. Paulinus Bernardinius Ordinis Prędicatorum Sacri Apostolici Palatij Magister.

INDEX

INDEX QVÆSTIONVM ET ARTICVLORVM.



De Sacramentis communiter.

QVÆST. I.

QVÆST. II.

QVÆST. III.

De Confirmatione.

De Eucharistia.

§.1.

QVÆST. IV.

QVÆST. V.

De Pœnitentia.

QVÆST. I.

De Extrema Vnctione.

De Ordine.

De Matrimonio.

QVÆST. III.

QVÆST. IV.

De Beatitudine, & Gratia Angelorum in via,

ART. I.

PRÆ-

PRÆFATIO.



NIVERSVM Theologici Operis cursum senario Voluminum numero Deo adiuuante concludimus, vt singularum partium defectum quomodocumque suppleat totius perfectio, & vbi deest doctrinæ pondus, ibi suppetant mensura saltem, & numerus. Senario dierum spiritalium circulo, vel potiùs senaria diei vnius repetitione, vt loquitur *Sanctiss. P. ac Magister Augustinus*, totius Orbis structuram descripsit *Moyses Gen.1*; sapientissimi enim Chronologi est nedum seruare rerum exordia; sed etiam modum, seu finem, à quo sumitur earum perfectio, enarrare; vt nihil desiderandum remaneat, quod ad ipsarum intelligentiam pertineat. Solus autem senarius numerus perfectionem significat, quoniam solus ex suis partibus quotis perficitur, vt docet *idem S.P. lib.11. de Ciu. Dei à c.13*. Vt igitur ostenderetur perfecta Dei opera esse, quæ vnico Verbo, *per quod facta sunt omnia Io.1*; efformauit, senario numero à paucis sapientibus cognito, pluribusque rudibus abscondito describenda fuit creatio, quam Diuino Spiritu afflante factam fuisse firmissimè profitemur. Ne itaque hoc nostrum opus, quod nostrum est, quia nostra mente conceptum, manuque conscriptum; & Dei est, quia nonnisi Deo præueniente inspirante, & simul operante efformatum, imperfectum vndequaque omnium oculis appareret; numero erat consummandū senario, ad quem septennarius consequitur; vt quemadmodum Deus septima die requieuit ab opere, quod patrarat; sic nos à Theologicis rebus, quas pro modulo nostro tractauimus, post sextum volumen quiescamus, transeuntes ad alia ministranda, donec huius vitæ finem assequamur, & otio sempiterno per Dei miserentis gratiam fruamur. At nedum Orbis initium, verumetiam finis senario numero nobis exponitur; sicuti enim sex diebus omnia formata esse feruntur; ità sex ætatibus omnia consummāda fore narratur. Prima ætas *ab Adam* vsque *ad Noe* durauit; secunda *à Noe* vsque *ad Abraham*; tertia *ab Abraham ad Dauid*; quarta *à Dauid* ad transmigrationem populi Hebraici *in Babylonem*; quinta à transmigratione *Babylonica* ad Christum Saluatorem; sexta à Christo vsque ad Mundi finem protenditur; & post sextam septima succedet dies, qua requies significatur æterna, quæ reuolutioni non subditur; quia nullus est illic rerum defectus; tempore non variatur, quoniam immobiliter æternitate statuitur. Sexta die formatus est homo, & sexta reformatus ætate; nonnisi enim per numerum senarium perduci potuit ad illam septimam diem, quæ nescit occasum, quia sempiterno manet in ortu. Rectè igitur huius operis, quod ad inquirendam, consequendamque æternam vitam Sanctorum nos instruit, initium, & finem senario numero concludi fas erat; ne suis absonum numeris, nulla sibi ex parte congrueret. Quinque libris tantummodò res Diuinas, humanasque descripsit *Moyses*; nec mirum; quoniam sextus, qui sextæ seruabatur ætati, inuolutus erat mysterijs; nobis tamen apertus, declaratusque per Christum, qui impleuit mysteria, soluit figuras, & explicuit, quæ de ipso erant, scripturas; *Dignus enim es Domine*, inquit *Io. Apoc.5*; *accipere librum, & aperire signacula eius, quoniam occisus es*; quem tamen neque *Moyses*, *neque quisquam in Cælo, aut in terra, aut subtus terram* potuit aperire, apertumque respicere. A nobis autem, qui ad sextam pertinemus ætatem, sextus liber à Christo Domino apertus omittendus non est, sed proferendus; & matura vestigatione, ac contemplatione tractandus.

Quinimo res ipsæ, de quibus in hoc libro sermo est, id persuadent. E latere *Adæ* dormientis, qui fuit sexta die formatus, exiuit *Eua*, quæ fuit ei ædificata in Vxorem, de qua dicitur *Gen.2. Relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Adam*, inquit *Apost. Rom.5; qui est forma futuri; & Ephes.5. Sacramentum hoc magnum est: Ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*; Sic enim è latere Christi morientis, qui in sexta ætate fuit occisus, Ecclesiæ Sacramenta fluxerunt, quibus ipsa ædificatur Ecclesia. Super

hoc *S. P. Aug. lib. 12. cont. Faust. c. 8.* inquit: *Quis enim non agnoscat Christum eo modo reliquisse patrem, qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens; reliquisse etiam matrem Synagogam Iudæorum veteri testamento carnaliter inhærentem; & adhæsisse vxori suæ Sanctæ Ecclesiæ, vt pace noui testamenti essent duo in carne vna; quia cùm sit Deus apud Patrem, per quem facti sumus, factus est per carnem particeps nostri, vt illius Capitis corpus esse possemus.* Rectè igitur in hoc sexto, & vltimo tomo, veluti in sexta ætate, de Sacramentis agendum est; ita enim postulat dignitas, & ordo materiæ; quæ si inexplicata maneret, magna Euangelicæ fidei nos laterent mysteria; & si nimis præproperè id actum fuisset, posteriora prioribus fuissent inordinatè præposita.

Ferè innumeræ Sacramentorum figuræ in veteri testamento, rudibus quidem signis, quia rudi populo, delineatæ fuerunt; maxima namque Redemptionis mysteria plurimis symbolis insignienda erant; tum quia cùm in expiationem peccati *Adæ* instituta fuerint *ad iustitiam omni credenti*; quoniam *per ipsa omnis vera iustitia vel incipit, vel cepta augetur, vel reparatur amissa*, vt statuit *Conc. Trid. sess. 7. in decreto*; omnes illius posteri etiam veteris legis, vtpotè peccato originali constricti, sicut nonnisi in fide Christi venturi præsignificata quidem, non promulgata, ante illius aduentum salutem assequi potuerunt; ita in figuris tantummodò Sacramentorum, quibus gratia Saluatoris, qua à peccatorum captiuitate redimimur, nobis misericorditer donata applicatur, potuerunt etiam antiqui à culpis absolui, atque ad libertatem filiorum Dei vocari. Septem plagis, quæ sempiternam intulerunt omni tempore homini mortem, septem pharmaca humani generis Saluator exhibuit, vt omnis anima, quæ mortem incurrit peccando, fiat septemplici medicina immortalis. Sed in veteri testamento velata, in nouo explicata; in illo vacua, & egena, quia gratiam, quam significabant, non conferebant; in isto plena, & locupletia, quoniam gratiam, quam significant, conferunt, vt docet *Trid. sess. 7. can. 6.*

Cain, & Abel filij *Adæ* natu maiores prima symbola Sacramentorum posuere; ille quidem frugibus terræ Sacramenta veteris legis ostendit; iste ouibus, earumque adipe noui testamenti Sacramenta indicauit. Etenim *Cain* figura fuit veteris legis, in qua tantummodò promittebantur terrena; *Abel* verò typus fuit nouæ, in qua promittuntur, & conferuntur æterna; quoniam *Cain* fratricida figura fuit populi Iudaici, qui Christum fratrem ex Iudaico semine natum occidit; *Abel* verò symbolum Christi, qui à *Iudæis* occisus in expiationem peccatorum immaculatum Agnum se se obtulit Patri. Hinc sicuti *Cain* sacrificium ex terræ fructibus à Deo fuit reprobatum; *Abel* autem ex ouibus, & earum adipe fuit susceptum; ita Sacramenta vetera, quanuis ante Christi aduentum fuerint ad salutem proficua; attamen promulgato Euangelio, quoniam à Deo reprobata, euaserunt mortifera; Sacramenta autem noui testamenti ex gratia Christi Agni innocentis occisi, quoniam à Deo accepta, non reprobata, manebunt perenniter, quia Christi Sacerdotium durabit in sæcula. *Iudæis* itaque sub lege, tanquam sub pedagogo, viuentibus promittebantur terrena, in quorum spe præcepta legis implebant; quanuis & in istis terrenis, tanquam in vmbris, figurisque occultarentur æterna ita, vt transitoriam hanc vitam ministrarent in mysterio, æternamque assequerentur in præmio; illis namq; Sacramentis, tanquam mysticis signis, indicabantur Sacramenta Euangelica, quibus æternam salutem consequimur. At in Saluatoris aduentu manifestata Dei sapientia, quæ docuit hominem veterem, rudem, carnalem, terrenum terrena despicere, & cælestia sperare, dimisso pedagogo, sublatis vmbris lucem Euangelicam fudit, qua clarè cognosceret quisque Sacramenta in mysterijs abscondita à sæculo, quibus ad vitam perueniret æternam.

At celebrior, vberior, laudatiorque præ omnibus, qui Diuinis inseruntur Scripturis, vt plures alios mittamus, typus Sacramentorum nouæ legis ab arca desumitur, quam in secunda ætate *Noe* construxit. Iusserat ei Deus *Gen. 6*; vt fabrefaceret arcam, in quam ingressus cum vxore, cum filijs, & nuribus, ac animalibus omnium generum, & specierum à di-


luuij

luuii liberaretur naufragio; ne totum genus humanum morti obnoxium peccatis, quibus obrutum erat, periret, sed aliqui submersis plurimis saluarentur per ipsum. Figura procul dubio fuit hoc, inquit *S. P. Aug. lib. 15. de Ciu. Dei c. 20*; peregrinantis in hoc sæculo Ecclesiæ, quæ saluatur per lignum, in quo Christus Iesus mediator Dei, & hominum solus inter peccatores iustus inuentus, & sine peccato pependit, pereuntibus cæteris extra arcam, idest extra Ecclesiam manentibus. Etenim mensura longitudinis, altitudinis, & latitudinis ipsius arcæ, vt mirè exponit *idem S. Pater*, designat corpus humanum, quod Liberator generis humani à peccatorum diluuio debuit, vt prænunciatum erat, assumere. Humani quippè corporis longitudo à vertice vsque ad pedum vestigia sexies latitudinem superat, quæ ab vno latere ad alterum ducitur; & decies altitudinem, quæ à dorso ad summitatem ventris desumitur. Si namque corpus hominis iacentis metiamur supinum, vel pronum; sexies longum est à capite ad pedes, quàm sit ad latus sinistrum à dextro; & decies, quàm sit altum ad ventrem à terra. Sic fabrefacta fuit arca longitudinis trecentorum cubitorum; adeoque sexies longior latitudine, quæ fuit quinquaginta cubitorum, & decies altitudine, quæ fuit cubitorum triginta. *Et quod* (ait *S. Pater*) *ostium in latere accepit, profectò illud est vulnus, quandò latus Crucifixi perforatum est; hac quippè ad Christum venientes ingrediuntur; quia inde Sacramenta manarunt, quibus initiantur credentes.* Quòd de lignis quadratis arcam fieri iussus fuerit *Noe*, vndique stabilem æternam Sanctorum vitam monstrauit; quadratum enim, quocumque vertatur, semper stabile manet; quapropter *Ciuitas* illa Cęlestis beata Sanctorum patria *in quadro posita à Io.* describitur *Apoc. 21.* Quòd centum annorum spatio arcæ structura durauerit; *Noe* enim quingentorum erat annorum, cùm Dominus ei imperauit, vt arcam construeret; & sexcentos ducebat annos, cùm in arcam fuit ingressus; *Quid aliud* (subijcit *idem S. P. Aug. lib. 12. cont. Faust. c. 18.*) *quid aliud videntur centum anni significare, nisi ætates singulas sæculi*; anni namque, qui præcesserunt sexcentesimum annum, qui significabat sextam ætatem, in qua completa fuit Christi Incarnatio, per quam à culparum diluuio per Christum Liberatorem saluatum fuit genus humanum, quinque ætates significant, quæ Christi præcesserunt aduentum, & quibus Christus erat promissus venturus Sacramentis perfectis in plenitudine temporum. Quid septenna animalia munda, & bina immunda in arcam ingressa, vt saluarentur ab aquarum diluuio; quid aliud innuunt, quàm per septem Sacramenta homines ad Christum venientes mundari: & istos ex natione bina, gentili scilicet, & Iudæa; vel vt loquitur *Apost. Rom. 15. Iudæa, & Græca*; seu quia boni cum malis pro statu præsenti in Sacramentorum communione versantur? Post dies septem, ex quo ingressus *Noe* fuit in arcam, factum est diluuium, & eleuatæ sunt aquæ; quoniam septem Sacramentorum sumptione baptizamur à culpis, & spe futuræ quietis, quæ per septimam diem significatur, erigimur. Post dies quadraginta emittitur Coruus, & non reuertitur aut aquarum exundantium fluctibus interceptus, aut aliquo cadauere supernatante pellectus: ecquid ostendit, nisi aliquos peccatores per Sacramenta adductos ad Christum iterum ad peccata redeuntes, & per eadem Sacramenta non reuertentes perire? Post Coruum Columba emittitur, quæ non inuenta requie regreditur; quoniam anima effecta innocens per Sacramenta lutosis huius vitæ temporalis rebus non capitur. Sed post septem alios dies denuò dimissa frondosum oliuæ surculum retulit; quoniam anima Sacramentis munita sempiternæ vitæ continuò virescentis spem refert. Tertiò tandem post alios septem dies emissa non redit; quoniam tandem anima egrediens è corpore in requiem Sanctorum ingreditur ad mala vitæ præsentis non reditura, non ampliùs in Sactamento spei, sed in possessione salutis æternæ. Vigesima septima die secundi mensis imminutæ sunt aquæ, & terra siccata est; quoniam post huius sęculi finem cessabit baptismi, & aliorum Sacramentorum necessitas. Postremò viros, & fœminas, qui seorsim in arcam intrauerant, coniunctim exijsse narratur; quia gentes diuersarum nationum, dissidentium Regnorum, & morum vi Sacramentorum Diuinæ charitatis vinculo

vniuntur; vt ex illis sub vno Pastore vnum fiat ouile; & sub vno Rege Christo vnum Regnum perpetuæ pacis stabilitate firmatum.

Acturi igitur in hoc tomo de omnibus Ecclesiæ Sacramentis communiter, & speciatim de singulis, etiam de Sacramentis veteris legis, quæ istorum signa fuerunt, aliqualem notitiam tradere satagemus exactiori, qua poterimus, diligentia, & studio. Quoniam autem hæretici, vt Ecclesiam diabolica impietate discerperent, illius Sacramenta impugnare, & euertere ausi sunt; idcirco Diuinis Scripturis, Summorum Pontificum definitionibus, Sanctorum Conciliorum sanctionibus, Sacrorum Canonum statutis, & SS. Patrum sententijs indiuulsè inhærentes conabimur eorum deliramenta retundere. Et quamquam in toto hoc opere id præstare studuerimus pluris facientes Sanctorum librorum auctoritatem, quàm totius humani perspicacitatem ingenij; attamen nunc strictiùs, quàm antea, adhærebimus; vbi enim tota ratio facti est voluntas, & potentia facientis, ibi sola auctoritas prævalet, & ratio infirma est, nisi auctoritate firmetur. *S.P. Aug.* præ alijs Ecclesiæ *PP.* plurima scripsit, quia plurimùm certauit, laborauitque *contra Donatistas, Manichæos*, aliosque Sacramenta inficiantes, vel explicantes incongruè; hinc sicuti ab eius doctrina *in tot Concilijs* approbata, & *in V. Synodo* consecrata nunquam in superioribus libris elongari studuimus; ita in præsenti fortiùs inhærere curabimus, vt firmior sit sententia, quam propugnandam amplectemur.

Nec remorari nos debet ab instituto initio huius operis cœpto, & vsque nunc ducto resoluendi quæstiones iuxta *Beatiss. P. Aug.* doctrinam *à Fundatissimo Doctore B. Ægidio Columna* explicatam. Non, inquam, remorari nos debet quartum librum sententiarum, in quo Sacramentorum examinantur rationes, *eiusdem Fundatissimi Doctoris* deesse temporum vel iniuria præreptum, vel celatum inuidia; suppetunt enim tot illius opuscula, quæ huius libri locum possunt abundè replere. Ex istis, & ex sparsim dictis in alijs sententiarum libris resarciemus defectum huiusmodi; quod præstare tantummodò multis ab hinc annis erat in votis. Sed quoniam aspirante Dei gratia nobis nedum hoc efficere, sed & totum reficere fuit donatum, vt Theologicus hic cursus iuxta illius sententiam integer, & perfectus ex omnibus suis partibus vndequaque tandem post tot annorum decursus appareat; nihilque valeat desiderari, quod inueniri non possit, gratias Deo Patri luminum referimus, qui nobis dignatus est elargiri, vt *Schola Aegidiana* fundatissimis suffulta doctrinis non mutila, aut manca, sed omnibus numeris absoluta videatur.



DE SACRAMENTIS COMMVNITER.



NCARNATIONIS, & Sacramentorum doctrina ita immediatè connectitur; vt rectissimè D.Th. in vno *Tertiæ partis* volumine illam recluserit; Sacramenta enim è latere Christi morientis,veluti septem fluenta, quibus baptizamur à culpis, fluxerunt; vt docet S.P.*Aug.lib.12. cont.Faust.c.8.,& lib.15. de Ciu. Dei c.26., ac sæpè alibi;& ex illo Fund.Doct.B.Æg. in opusc.super Salutat. Angelic.fol. 14.col. 2.,& de Arca Noe* propè finem inquiens Sacramenta à latere Christi Domini exijsse,quoniam ab eius passione omnem suam efficaciam acceperunt; & *S. Thomas* asserit Sacramenta esse quasdam Incarnationis reliquias; cùmque effectuum cognitio plurimùm conferat causarum notitiæ; hinc rectissimo doctrinæ ordine de Incarnatione,& Sacramentis, quorum Auctor fuit Verbum Dei incarnatum,simul tractatur. Sed quoniam incarnationis materia ad speculationem,Sacramentorum verò doctrina spectat ad mores, propter quod materia Sacramentorum *Moralis* appellari consueuit;theoria autem,& praxis diuersis separantur rationibus; idcirco *Mag.Sent.,& plures illius expositores*,imò *& D.Tho.in lib. sent.* distinctis in libris de illis scripsere. Verùm quia materia huius libri adeo excreuit, vt vix etiam ingenti possit concludi volumine,breuiter explicatis ijs, quæ parum difficultatis præseferunt, exactè discutiemus, quæ grauiores patiuntur controuersias.

Vt autem morem omni scientiæ solemnem procedendi à communibus ad specialia seruemus, priùs communiter, deinde specialiter agemus de singulis. Duplex autem Sacramentorum communitas est. Vna generalissima, in qua Sacramenta veteris, & nouæ legis conueniunt; altera magis restricta, in qua sola Sacramenta nouæ legis vniuntur. Communiter vtroque modo de ipsis tractabimus; nisi enim secundùm omnes rationes vniuersales, in quibus ab alijs non discrepant; & secundùm particulares, quibus secernuntur ad inuicem, explicarentur, adæquata illorum non haberetur notitia.

QVÆST. I.

De nomine, & existentia Sacramentorum.

FErè *omnes Theologi* quæstionem de quiditate,& essentia quæstioni de existentia, & institutione Sacramentorum præponunt contra ordinem *in alijs tractatibus* præscriptum,& seruatum iuxta monumentum *Philosophi*, qui docet quæstionem *an est* præmittendam esse quæstioni *quid est*. Ea autem ducuntur ratione,quia censent Sacramentorum existentiam explicari non posse,nisi præcognoscatur eorum essentia. Sed re maturè perpensa hanc necessitatem inuertendi ordinem vsque nunc seruatum non videmus, cùm ad inquirendam eorum existentiam sufficiat præmittere, quid nomine Sacramentorum significetur.

ART. I.

Quid nomine Sacramenti significetur?

1 ANtequam existentia, & essentia cuiuslibet rei inquiratur, præcognoscendum esse, quid nomine illius rei significetur, cùm eius ethimologia nos latet, vel multiplicis significationis ambiguitate velatur; est *apud omnes* certissimum; magna enim insipientia esset existētiam,aut essentiam inquirere,& ignorare id, cuius essentiam, & existentiam inquirimus.Explicāda igitur est huius vocis *Sacramenti* significatio,antequam de existentia,aut essentia illius agamus.

2 Si materialis significatio inspiciatur, Sacramentum dicitur *Sacrans mentem*,aut quasi *Sacrum mentis secretum* eo, quòd alicuius rei sacræ intelligentia mentem imbuat.Si verò sensus formalis inquiratur, aliter *apud prophanos*, & aliter *in Diuinis Scripturis* vsurpatur:

3 Dupliciter *apud Gentiles* accipitur. 1. Ad significandam pecuniam,vt refert *Varro lib.4.de ling.lat*; à duobus litigantibus coram Summo Pontifice depositam ea lege, vt qui litem vinceret,sua ei restitueretur pecunia; qui verò vinceretur, pecunia priuaretur, & ærario sacro traderetur; vnde litigare coram Pontifice *Sacramento contendere* dicebatur. 2. Ad significandum iuramentum,cuius interpositione aliqua res gerebatur,vt inquit *Festus apud nostrum Calep*; hinc *Sacramentum militare* dicebatur iuramentum, quo milites obligabantur ad parendum in omnibus, quæ Imperator iussisset, & ad non deserendam militiam, nisi completis stipendijs;vt habet *Veget.de re milit.lib.2*.In hoc sensu vsurpata fuit hæc vox *in Iure Ciu;vt l.2.Cod.si aduersus*vbi dicitur: *Sacramenta puberum spontè facta inuiolabiliter custodiantur*; & etiam *in Iure Canon*; vt colligitur *ex 22.q.4.c. Si Sacramenta; & q. 9.c.paruulis* vbi

pro

pro iureiurando communiter sumpto vsurpatur.

4 In Scripturis autem Diuinis quadrupliciter sumitur. 1. Pro aliquo secreto; vt *Iob.12. Sacramentum Regis abscondere bonum est*; & ad *Ephes.1. Vt notum faceres Sacramentum voluntatis suæ*; & *S.P.Aug.in ps.150. Quamuis ordo psalmorum, qui mihi magni Sacramenti videtur continere secretum.* 2. Pro aliquo mysterio arcano, & latente; mysterium autem significat aliquod ad religionem pertinens; deriuatur enim à verbo *Græco mysto*, quod significat *Sacris initiari*, ideoque sacris initiati *Mystæ* dicuntur. Hoc autem pertinens ad religionem spectare debet ad vitam æternam, quæ est mysteriorum mysterium; vt docet *idem S.P.Aug.lib.7.de Ciu.Dei c.32.* inquiens: *Hoc mysterium vitæ æternæ iam inde ab exordio generis humani per quædam signa, & Sacramenta temporibus congrua, quibus oportuit, per Angelos prædicatum est.* Hæc Sacramenti acceptio latissima est; significat enim omnia mysteria supernaturalia, vt Incarnationem Verbi Diuini, vocationem gentium ad fidem, & alia, quæ in æternis Dei decretis erant abscondita, donec Deus ipse dignatus est ea reuelare. Sic dicitur *Ephes.3. Secundùm reuelationem notum mihi factum est Sacramentum*; & mox: *Data est mihi gratia illuminare omnes, quæ sit dispensatio Sacramenti absconditi à sæculis in Deo*; & *1. ad Tim.3. Magnum est pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in Mundo, assumptum est in gloria*; quæ de Incarnationis mysterio, & vocatione gentium ad fidem Christi dicuntur; vnde Sacramentum in hoc sensu dicitur de omni re, actione, vel facto ad Christi fidem spectante. 3. Sumitur minùs latè pro signo alicuius mysterij latentis; siue illud mysterium sit Sacramentum propriè dictum; vt circuncisio, quæ significabat baptismum, qui est verum Sacramentum propriè acceptum; esus Agni Paschalis, panis propositionis, & manna, quæ fuerunt signa Sacramenti Eucharistiæ, purificationes ab immunditijs, & expiationes pro peccatis, quæ indicabant Sacramentum pœnitentiæ; & consecratio Sacerdotum in lege veteri, quæ fuit symbolum Sacramenti ordinis; siue illud mysterium non sit propriè Sacramentum; vt *Ephes.5. Sacramentum hoc magnum est: Ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*; & *Apoc. 17. Ego dicam tibi Sacramentum mulieris*; matrimonium nanque *Adæ cum Eua* fuit signum coniunctionis Christi cum Ecclesia; & mulier fornicaria fuit signum conuersionis *Romæ* ob idololatriam fornicantis à Deo; conuersio autem *Romæ* ad fidem, & coniunctio Christi cum Ecclesia non sunt ex numero septem Sacramentorum, vt constat; sed sunt tantùm mysteria occulta, & latentia. In hoc sensu omne illud, quod spectat ad celebrationem Sacramenti, Sacramentũ vocatur eo, quòd Sacramentum significet, inquit *S.P.Aug.ep.23.ad Bonif.* imò & res ipsa per Sacramentum significata, cùm aliud significat, Sacramenti nomen accepit: *Si enim Sacramenta quandam similitudinem earum rerum, quarum sunt Sacramenta, non haberent, omnino Sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerumq; etiam ipsarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo secundùm quendam modum Sacramentum Corporis Christi Corpus Christi est; Sacramentum Sanguinis Christi Sanguis Christi est; ita Sacramentum fidei fides est.* Fides itaque, quoniam significat baptismum, qui non celebratur, nisi per actum credendi, qui est actus fidei elicitus vel ab ipso suscipiente baptismum, si sit adultus; vel à parentibus, si paruulus sit, Sacramentum vocatur, & corpus Christi in Sacramento Altaris (inquit *Fund.Doct. Aeg. de Sum.Trin. fol.4.col.2.*) quia significat corpus mysticum Christi, quod est congregatio fidelium; *nam sicut corpus Christi verum conficitur ex pane, qui fit ex multis granis; sic corpus Christi mysticum, quod est congregatio Christianorum, constituitur ex multis fidelibus*; Sacramentum nuncupatur. Sacramentum igitur hoc modo acceptum significat nedũ omnia Sacramenta nouæ, & veteris legis, sed etiam sacrificia, quæ non erant propriè Sacramenta; & ceremonias antiqui testamenti, quæ, quia significabant res Diuinas latentes, Sacramenta dicebantur; vt docet *S. P. Aug. epist. 5. ad Marcellin.* asserens: *Signa, cùm ad res Diuinas pertinent, Sacramenta vocantur*; & *lib.10.de Ciuit.Dei c.5. Sacrificium visibile inuisibilis sacrificij Sacramentum, idest sacrum signum est.* Ita etiam loquitur *D.Dion.lib.de Eccl.Hier.c.1*; quem secuti sunt *PP.Græci, & Latini*, inter quos *Tertull. lib.1.cont. Marcion*; *D.Hier*; & *D. Ambros. lib. de Sacram*; & *alij*. Sacramentum sic acceptum videtur explicari per illam definitionem, quam tradit *Mag. Sent.dist.1*; & *ex illo Fund.Doct.Aeg.de celeb. Missarum fol. 12.col. 2*; nec non *omnes alij Theologi*, cùm asserunt: *Sacramentum est signum rei sacræ*; si tamen nomine *rei sacræ* intelligatur communiter omnis res Diuina ad fidem pertinẽs; quòd si restringatur ad significandam tantummodò gratiam, vel iustitiam, tunc conuenit solummodò Sacramentis strictè sumptis nouæ, & veteris legis, vt *inf.* dicemus. 4. Sumitur Sacramentum propriissimè, prout est signum gratiæ sanctificantis hominem; & hoc dupliciter iuxta duplicem *Theologorum* sententiam. 1. Vel sanctificantis tantùm legaliter, vt volunt *Aliqui* præstitisse Sacramenta veteris legis, de quo *inf.* Vel sanctificantis simpliciter, & omnia remittentis peccata; vt præstant Sacramenta nouæ legis in non ponentibus obicem, & ritè præparatis ad illa recipienda. 2. Sanctificantis quidem simpliciter; sed vel tantùm ex opere operantis ita, vt illud Sacramentum gratiam, quam significat, non contineat, nec efficiat, vt Sacramenta veteris legis; vel ex opere operato ita, vt gratiam, quam significat, contineat, & efficiat, vt Sacramenta nouæ legis. In hoc sensu tantum loquemur in toto hoc

libro;

libro. Sic loquuntur *Concilia Nic. can.* 14; *Lat. sub Innoc. III; Flor. in decr. super vnionem Iacobinorum, & Armenorum; Trid. sess. 7. can. 6; & sess. 13. c. 3; & omnia alia siue Generalia, siue Prouincialia*. Sic etiam vsurpant nomen Sacramenti *SS. PP*; inter quos *S.P. Aug. ep.* 118; *& omnes DD.* secundùm propriam, ac rigorosam significationē loquentes.

5 Nomine itaq; Sacramenti in præsenti intelligimus tantùm *Signum sensibile inuisibilem gratiam significans*; quod non conuenit, nisi Sacramentis propriè dictis.

Cùm tamen dicimus Sacramenta esse signa gratiæ, non est ita exclusiuè accipiendum, vt nihil aliud præter gratiam significent; plura namq; alia consignificare *ex Scripturis, & SS. PP.* colligitur; vt Christi passionem, à qua traxerunt originem iuxta *S.P. Aug. tract.* 15. *in Io; & alibi*; vitam æternam, ad cuius consecutionem ordinantur; & futuram corporis resurrectionem, ad quā referuntur, vt ad vltimum beatitudinis complementum; vt docet *idem S.P. Aug. lib. 7. de Ciu. Dei c.* 32. Significant autem Christi passionem, tanquam effectus suam causam, à qua dimanarunt; vitam æternam, & resurrectionem corporis, tanquam media ad finem, ad quem diriguntur; & gratiam, tanquam causæ illius eo modo, quo dictum est, productiuæ. Etiam *ex Apost. Rom.* 6. hoc manifestè colligitur; vbi docet Sacramentum baptismi significare Christi mortem, à qua manauit; nouitatem vitæ, quæ habetur per gratiam; vitam æternam, & resurrectionem corporis, quā nobis Christus moriendo promeruit. Hoc tamen non obstante Sacramenta nobis sufficienter notificantur ex eo, quòd sint signa gratiæ; quoniam hæc pertinet ad rationem essentialem Sacramenti strictè sumpti, vt *inf.* ostendemus; sed passio Christi, vita æterna, & corporis resurrectio sunt tantùm extrinsecæ, definitio autem, quæ datur per principia intrinseca essentialia, satis explicat essentiam rei definitæ absque eo, quòd recurratur ad principia extrinseca definiti; vt constat de definitione, qua homo definitur *animal rationale*. Sed de hoc *in seq. q.* Sufficiat hæc innuisse ad explicandum, *quid nomine Sacramenti significetur*?

A R T. II.

An in statu innocentiæ fuerint, vel si durasset, fuissent Sacramenta?

1 VArietate temporum, & ingeniorum multiplicem sensum sortita est hęc difficultas *apud Theologos*. 1. Quæritur, an de facto fuerint aliqua Sacramenta in statu innocentiæ? 2. An supposito, quòd ob illius status breuitatem nulla fuerint, saltem futura fuissent, si durasset diutiùs? 3. An licèt nulla fuissent, si nullum fuisset peccatum *in Adam*, neque in eius posteris; attamen aliqua fuissent futura, si *Adam* non peccasset, peccassent tamen posteri ipsius? 4. An quamuis nulla fuissent Sacramenta, si Verbum Diuinum incarnatum non fuisset; attamen contrarium sit dicendum, si fuisset incarnatum, adhuc non peccante *Adam*, nec eius posteris, vel non peccante *Adam*, peccantibus tamen illius posteris? Iuxta varios hos sensus diuersæ sunt exortæ sententiæ:

2 Prima vult de facto fuisse à Deo instituta aliqua Sacramenta in statu innocentiæ pro illo breuissimo tempore, quo durauit, non quidem per modum medicinæ sanantis à peccatorum vulneribus, quia tunc peccata non erant; sed per modum eruditionis ostendentis, quomodò potuissent homines se seruare à peccatis, & custodire innocentiam, cum qua fuerunt à Deo creati. *Ita Dur. in 4. dist. 1. q. 2*; quod probabile censet *Alen. 3. p. q. 1. memb. 2. art. 2; Val. hic disp. 3. quæst. 2. punct. 2; & Alan. c. 7.*

3 Secunda asserit nulla fuisse de facto; aliqua tamen futura fuisse, si diutiùs ille status durasset. Sed diuisa est; nam *aliqui* volunt futura fuisse etiam ex vi præsentis decreti; dummodò Verbum incarnatum fuisset; negant tamen in hipothesi opposita. *Ita Sua; Coninch, Lug; Nugnez, Baldius, Aretin; Rada, Card. Laurea; & ex nostris Basil. apud Gibb.* asserentes tunc futurum fuisse Sacramentum Eucharistiæ, quo exhibetur præcipuè debitus cultus Deo; & per consequens Sacramentum ordinis, quo initiantur ministri Eucharistiæ; non tamen futura fuisse Sacramenta illa, quę dicunt ordinem ad peccatum, vt baptismus, & pœnitentia. Addunt Sacramenta, quæ fuissent, instituenda fuisse post Christi aduentum, à quo suam efficaciam sumpsissent. *Alij* verò putant fuisse futura, etiamsi Verbum incarnatum non fuisset. *Ita Centin. de Sacram. disp. 1. c. 21 Morand; & alij.*

4 Tertia censet, quòd non peccante *Adam*, peccantibus tamen eius posteris, fuissent futura Sacramenta, quibus iustitiam per peccatum amissam posteri recuperassent. *Ita Nugnez, Serra hic q. 61. art. 2; Philipp. à SS. Trin. disp. 3. dub. 1.*

5 Nostra tandem docet nullum de facto in eo statu Sacramentum fuisse, aut futurum fuisse in hipothesi allata, siue Verbum incarnatum fuisset, siue non. Colligitur ex *Fund. Doct. Aeg. in Hexam. p. 2. cap. 41.* docente Sacramenta inchoasse in lege naturæ, quæ fuit post statum innocentiæ; & quòd homines indiguerunt Sacramentis solùm, quando filij iræ nasci inceperunt; nullus autem in statu innocentiæ nasci potuit filius iræ, quoniam sic nasci est contrahere peccatum originale, vt constat, quod nullo modo ad statum innocentiæ potest spectare. Idem docet *de Sum. Trin. fol. 2. col. 4.* inquiens: *Per Sacramenta, quasi per quadam medicamenta, spiritalem sanitatem recipimus*: in statu autem innocentiæ non erat priuatio sanitatis, quia summa sanitas vigebat; ideo non erant Sacramenta, quibus sanitatem reciperemus; ineptè enim dicitur recipi

quod

quod iam possidetur. *Et de Renunc. Papa c.10. p.6.* docet matrimonium, prout est in officium naturæ, fuisse in statu innocentiæ, non prout habet rationem Sacramenti. Idem docet *noster Argent. hic dist.1.q.1.art.2.concl.2; Gibb.disp.3.dub.2.* Ex exteris verò *Caiet. cum Thomistis ferè communiter*, quibus recenter accessit *Gonet; & ex PP. Soc. Vasq; Bec; Amic; & alij; ex Scotistis Hiquens, Ponc; Fab; & Mastr. hic disp.1.q.8.art.2; & alij ferè omnes communiter.*

6 Ad decisionem huius difficultatis dicendum, quòd status innocentiæ non potuit ex vi præsentis ordinationis Diuinæ durare, nisi *Adamo* tentationem vincente, & adimplente præceptum, cuius transgressio illum, & posteros ex innocentiæ statu deiecit; vt habetur *Gen.* 2; vbi comminatus est Deus *Ada* mortem, aliasq; huius vitæ miserias, si præceptum violare ausus esset, adeoque priuationem illius fęlicissimi status, cui repngnabant huiusmodi ærumnæ. Verùm si stetisset, post tentationis victoriam illud gratiæ augmentum, tanquam pręmium suæ permansionis, accepisset, vt nunquam peccasset vlteriùs; & in illa integritate mansisset, donec completo filiorum à Deo prædestinandorum numero æternæ beatitudinis gloriam à Deo consecutus fuisset. *Ita S.P.Aug. lib.de corr; & grat.c.* 10; vbi loquens *de Adam*, ait: *In quo statu recto, & sine vitio si per ipsum liberum arbitrium manere voluisset, profectò sine vllo mortis, & infælicitatis experimento acciperet illam merito huiusmodi permansionis beatitudinis plenitudinem, qua & Sancti Angeli sunt beati; idest vt cadere non posset vlteriùs.* Idem repetit *c.11.seq. Sed quia noluit permanere, profectò eius culpa est, cuius meritum fuisset, si permanere voluisset, sicut fecerunt Angeli sancti, qui cadentibus alijs per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi; & huius mansionis debitam mercedem recipere meruerunt, tantam scilicet beatitudinis plenitudinem, qua eis certissimum sit se semper in illa esse mansuros.* Idem habet *lib. de dono persen. c.7.* dicens: *Quæ tamen libertas voluntatis in illius primæ conditionis præstantia, quantùm valuerit, apparuit in Angelis, qui Diabolo cum suis cadente in veritate steterunt, & ad securitatem perpetuam non cadendi, in qua nunc eos esse certissimi sumus, peruenire meruerunt.* Tandem *lib.12. de Ciu. Dei c.21.* inquit: *Hominem verò, cuius naturam quodammodò mediam inter Angelos, bestiasque condebat, vt si Creatori suo, tanquam vero Domino, subditus præceptum eius pia obedientia custodiebat, in consortium transiret Angelorum sine morte media beatam immortalitatem sine vllo termino consecutus.* Si igitur status innocentiæ durasset, *Adam* tentationem vicisset; & si tentationem vicisset, nunquam peccasset vlteriùs; vel quia nulla alia tentatio superanda manebat, cùm nullum aliud præceptum transgrediendum extaret; præcepta enim naturæ seruatu facillima erant naturæ innocenti; vel quia merito talis victoriæ fuisset magis firmatus in gratia, qua tentationem quamlibet superasset; sicut magis roborati fuerunt Angeli sancti; de quibus ait *S.P.Aug. in eadem lib. de Ciu. Dei c.9. Istis mala voluntate cadentibus, illi ampliùs adiuti ad eam beatitudinis plenitudinem, vnde se nunquam casuros certissimi fierent, peruenerunt.* Non ergo eguisset *Adam* Sacramentis, vt sanaretur à peccatis, quia peccata non commisisset, si status ille durasset. Nec valet paritas de Apostolis, alijsq; confirmatis in gratia per abundantiam charitatis diffusæ per Spirirum Sanctum, qui tamen Sacramentis eguerunt, dum fuerunr in hac vita; non valet, iuquam; isti namque in statu culpæ peccato originali obnoxij potuerunt peccare, imò peccauerunt venialiter; dicitur enim *1.Io.1. Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Atque adeo, vt ab istis liberarentur, eis necessaria erant Sacramenta; at in statu innocentiæ post tentationem deuictam nec mortaliter, nec venialiter peccassent; quia venialiter peccare supponit peccatum originale, tanquam radicem, à qua dimanant venialia. *Vid.to.4.de pecc.q.3.art.1.§.2.*

7 Sicut autem *Adam* peccando amisit originalem iustitiam sibi, & posteris suis, qui continebantur in illo, vt statuit *Trid. sess. 5. de pecc. orig. in decr*; & ipsimet posteri, quoniam seminaliter erant *in Adam*, & erant vnus homo *cum Adam*, adeoque in illo peccante *omnes peccauerunt*; vt docet *Apost. Rom.5*; ideo ipsi etiam iustitiam sibi perdiderunt in illo, & à statu innocentiæ peccando exciderunt. Ita si *Adam* tentatione superata stetisset in ea integritate, & rectitudine, in qua conditus fuerat, & sibi, & posteris meruisset, vt nec ipse, nec posteri peccassent vlteriùs; quinimò ipsimet posteri non peccando *in Adam* sibi meruissent, vt non peccassent de cętero; eadem namque ratione, qua potuerunt demereri adhuc existentes in lumbis *Ada*, potuissent mereri; vt *ex eodem Apost. Hebr. 7.* ostendit *S.P. Aug. in suppl. cont. Iul. lib.4.c.103. de Leui*, qui adhuc existens iu lumbis *Abrahæ* decimas dedit *Melchisedech*, quo translationem Sacerdotij promeruit; nimis enim grauosum fuisset naturæ, si solùm demereri potuisset peccando, & non potuisset innocentiam seruando mereri; nimiumq; prouidentissimæ Dei Creatoris iustitiæ fuisset incongruum, si statuisset peccantibus pœnas, & non decreuisset non peccantibus prœmia; ęquus nanque retributor pœnarum delinquentibus, & distributor pręmiorum iustitiam seruantibus est Deus. Posteri itaq; *ex Adam* innocente nascentes innocentiam hæreditario iure accepissent, quam viucendo tentationem *in Adam* sibi à Deo seruari meruissent, ne vlteriùs peccarent; sic enim solùm status innocentiæ durare potuisset; nam peccantes ex illo statu ad statum peccati statim deciderent; quapropter suppositio, in qua quæritur, an non peccante *Adam*, peccan-

tibus

tibus tamen eius posteris, est de subiecto non supponente.

8 Et quanuis *Adam* non fuisset immediatè post tentationis victoriam translatus ad gloriam Beatorum, vt putarunt *aliqui*; debuisset enim numerum filiorum prædestinandorum à Deo secundùm ordinem alterius prouidentiæ multiplicatis generationibus complere; quod etiam de eius posteris dicendum est; vt docet *S. P. Aug. de Ciu. Dei lib. 14. c. 10.* inquiens: *Fœlix vniuersa societas esset humana, si nec illi malum, quod etiam in posteros traijcerent, nec quisquam ex eorum stirpe iniquitatem committeret, quæ damnationem reciperet: atque ita permanente fœlicitate, donec per illam benedictionem, qua dictum est: Crescite, & multiplicamini: prædestinatorum Sanctorum numerus compleretur, alia maior* (supple fęlicitas) *daretur, quæ beatissimis Angelis data est; vbi iam esset certa securitas peccaturum neminem, moriturumque neminem*: Quod repetit etiam *in suppl. cont. Iul. lib. 3. c. 199.* Quanuis, inquam, *Adam*, & eius posteri non fuissent immediatè translati; ille quidem post tentationis victoriam; isti verò post instans natiuitatis ex vtero; diu enim viuere debuissent in via ob generandos filios ad replendas sedes Angelorum desertorum in patria; & licèt quandiu fuissent in via, semper potuissent peccare, attamen per gratiam receptam factum fuisset, vt non peccassent vlteriùs; quemadmodum Apostoli post diem Pentecostes remanserunt in via vsque ad eorum martyrium, & tamen Diuinæ charitatis incendio, quo per Spiritum Sanctum inflammata fuit eorum voluntas, factum est, vt mortaliter non peccauerint ampliùs.

9 Posteri igitur omnes descendentes *ab Adam* innocente ita geniti fuissent, inquit *S. P. Aug. in suppl. vbi sup.* vt cùm tempus generationis eorum institisset, imperio Dei patres eorum coiuissent absque vllo prorsus libidinis æstu, cum Dei benedictione concepti fuissent; & in primo instanti natiuitatis ex vtero perfectum rationis vsum habuissent, omnium sensuum exercitio, ac membrorum ministerio statim potiti, scientiarum omnium naturalium, & donorum supernaturalium possessione donati, loquelæ vsu præditi, sine vlla corporis infirmitate, aut inertia, absque dolore, aut labore, sine afflictione, aut læsione, à morbis, vulneribus, bestijs, venenis, ac Dæmonum insidijs, alijsque infantiæ, & pueritiæ necessitatibus, defectibus, & calamitatibus, quæ ortæ sunt ex peccato originali, & pugnant cum fęlicitate illius innocentissimi status, prorsus immunes perfectam virilitatem duxissent sine vllo senectutis experimento; ista enim mala, & alia omnia, priuationes, & defectus miseram constituunt hominis vitam, qualis nonuisi in statu peccati esse potest, & ideo effectus peccati dicuntur. Tales denique omnino (excepta corporis sui quantitate propter incapaces vteros matrum) nati essent posteri *Adæ*, si status innocentiæ durasset, qualis ipsemet *Adam* à Deo fuit creatus; & deinde completo filiorum gignendorum numero ad æternam vitam Sanctorum translati fuissent. Sic loquitur de statu innocentiæ *S. P. Aug. vbi sup.* dicens: *Nasceretur etiam natura humana in Paradiso ex Dei benedictione fœcunda, etiamsi nemo peccasset, donec Deo præcognitus Sanctorum numerus compleretur. Sed illi paruuli nec flerent in paradiso, nec muti essent, nec aliquando vti ratione non possent; nec sine vsu membrorum infirmi, & inertes iacerent, nec morbis affligerentur, nec à bestijs læderentur, nec venenis necarentur, nec aliquo casu vulnerarentur, nec vllo sensu, vel vlla corporis parte priuarentur, nec à Dæmonibus vexarentur, nec surgentes in pueritiam domarentur verberibus, aut erudirentur laboribus, nec vni eorum tam vano, & obtuso nascerentur ingenio, vt nec labore, nec dolore vllo emendarentur; sed excepta propter incapaces vteros matrum sui corporis quantitate, tales omnino, qualis Adam factus est, gignerentur. Hæc S. Aug.*

10 Vnica concl. In statu innocentiæ non fuerunt Sacramenta propriè dicta; nec si durasset, fuissent ex vi præsentis ordinationis Diuinę.

Prob. 1. Nulla remedia, quibus homines sanarentur à morbis, & vulneribus peccatorum, fuerunt de facto in statu innocentiæ; nec fuissent, si diutiùs ille status durasset; sed Sacramenta ex vi præsentis ordinationis Diuinæ sunt remedia, quibus homines sanantur à morbis, & vulneribus peccatorum; ergo nulla Sacramenta fuerunt de facto in statu innocentiæ; nec fuissent, si diutiùs ille status durasset. Prob. ma. Vbi nulli sunt morbi, aut vulnera peccatorum, ibi nulla sunt remedia, quibus homines ab illis sanentur; ait enim Christus Dominus *Matth. 9. Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus; & Luc. 5. Non egent, qui sani sunt, medico*; super quod *S. P. Aug. serm. 9. de Verbis Apostoli* inquit: *Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla causa est medicinæ*; quanuis namque possint dari remedia præseruantia à morbis; vbi nullus de facto est morbus, quando natura ob sui infectionem est prona, & facilis ad morbos; attamen certum est nullum dari remedium sanans à morbis, & vulneribus iam contractis, & quando natura est perfectè sana, nec potest de facili morbos contrahere; sed in statu innocentiæ nullus de facto fuit morbus, aut vulnus à peccato relictum; quia nullum fuit peccatum; nec fuisset, si durasset, quia peccatum incompossibile est cũ innocẽtia, cuius est priuatio: tũ quia si ille status durasset, *Adam* tentationem vicisset, quo sibi, & posteris meruisset gratiæ augmentum, qua factum fuisset, vt nec ipse, nec posteri peccassent vlteriùs, vt diximus; & natura erat perfectè sana potens per Dei gratiam, qua erat adiuta, vitare omnia peccata; ergo in statu innocentiæ de facto nulla fuerunt remedia, quibus homines sanarẽtur à morbis, & vulneribus peccatorum; nec fuissent, si diu-

diutiùs ille status durasset. Prob. mi. Sanguis Christi effusus est in remedium, & remissionem peccatorum; vt habetur *Matth. 26. Hic est enim Sanguis meus noui testamenti, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum*; sed Sacramenta fuerunt ex vi præsentis ordinationis instituta vi Sanguinis Christi; vt statuit *Trid. sess. 5. in decr. de pecc. orig.* quia fluxerunt de latere Christi; vt colligit *S. P. Aug. tract. 15. in Io.* ex illo *Ephes. 5.* vbi *Apost.* ex illis verbis *Gen. 2. Hoc nunc os de ossibus meis*, inquit: *Sacramentum hoc magnum est; Ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*; ait autem *S. P. de Adam*: *Dormiens meruit accipere vxorem, & de costa eius facta est ei vxor; quoniam de Christo in cruce dormiente futura erat Ecclesia de latere eius; de latere scilicet dormientis, quia de latere in cruce pendentis lancea percusso Sacramenta Ecclesiæ profluxerunt.* Tum quia *Apost. Rom. 6.* ait: *Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus; consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem*; quibus verbis expressè docet baptismum, qui est primus Sacramentorum, vim habuisse à morte Christi, quod à fortiori dicendum est de cæteris Sacramentis, quorum baptismus est ianua; ergo Sacramenta ex vi præsentis ordinationis sunt remedia, quibus homines sanantur à morbis, & vulneribus peccatorum. Tum quia Christus Dominus *Luc. 10.* Sacramentorum institutionem descripsit in eo peregrino, qui descendēs *ab Hierusalem in Hierico incidit in latrones, qui eum despoliauerunt, & plagis impositis abierunt semiuiuo relicto.* Transijt autem *Samaritanus*, qui est Christus; *ipse enim* (inquit *S. P. tract. 43. in Io.*) *Est custos noster, ipse accessit ad saucium*; ipsum curauit; quia *per baptismum* (inquit *idem S. P. serm. 2. de Verb. Domini*) *ei tribuit remissionem peccatorum. Sed nunquid quia deleta est iniquitas, finita est infirmitas? Hoc est, quod est infusum in via oleum, & vinum. Iam vtique errori eius indultum fuit, & tamen sanatur languor in stabulo; Stabulum, si agnoscitis, Ecclesia est.* Igitur nomine curationis significatur baptismus, quo sanantur homines à morbis; nomine autem olei, & vini figurantur cætera Sacramenta, quibus sanantur languores, & vulnera peccatorum; hæc tamen non applicantur, nisi in remedium generis humani per peccatum sauciati; ergo Sacramenta ex vi præsentis ordinationis sunt tantùm instituta in remedium peccatorum.

11 Conf. discurrendo per singula Sacramenta. Baptismus institutus est in remissionem peccati originalis, vt habetur *ex Trid. sess. 5. in decr. de pecc. orig.*; & peccatorum personalium, si baptizandus sit adultus; dicitur enim *Act. 2. Baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum*, & habetur expressè *Act. 2. & 21.* Confirmatio censetur instituta *Io. 20*; vbi Christus dixit: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*; & eius effectus est dare robur gratiæ ad confitendum audacter Christi nomen, vt statuit *Conc. Flor. in decr. vnionis Iacobinorum, & Armen*; roborare autem ad profitendam Christi fidem in baptismo susceptam est remedium infirmitatis naturæ, quæ debilitata fuit per originale peccatum, vt docet *Trid. sess. 6. c. 1*; quapropter confirmatio dicitur *perfectio baptismi in Conc. Eliberit*; non quòd baptismus sine confirmatione peccata non tollat; sed quia baptismus tollit morbos peccatorum, & confirmatio medetur debilitati per peccata relictæ. Eucharistia instituta est in cœna, cùm Christus dixit *Matth. 26. Hoc est Corpus meum*; & iterum: *Hic est Sanguis meus noui testamenti, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum*; & *Trid. sess. 13. c. 2.* hoc Sacramentum vocat *antidotum, quo liberamur à culpis quotidianis*; quoniam per hoc Sacramentum absoluimur à venialibus, & mortalibus oblitis; vt docet *Fund. Doct. in tract. de Corp. Christi*; & roboramur contra mortalia; ex quo infertur Sacramenta non esse remedia purè præseruantia, sed sanantia simul, & præseruantia. Pœnitentia instituta fuit *Io. 20. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*; quibus verbis apertè monstratur esse remedium peccatorum personalium iam commissorum. Extrema vnctio traditur *Marc. 6. & Iac. 5. Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei*; super quod *Trid. sess. 14. c. 2.* ait: *Vnctio delicta, siqua sint adhuc expianda, & peccati reliquias abstergit, & ægroti animam alleuiat, atque confirmat.* Vnguntur autem oculi, aures, nares, os, manus, pedes, & renes, vt sanetur anima à peccatorum reliquijs commissorum his membris, & roborentur hæc membra, ne illis anima vlteriùs peccet. Ordo duplicem potestatem importat, scilicet conficiendi Corpus, & Sanguinem Christi; & hanc Christus instituit in cœna; qua potestate muniuntur homines contra vulnus ignorantiæ, recipiunt enim *clauem scientiæ*, ut possint fidem docere; & importat potestatem absoluendi à peccatis, quæ instituta fuit *Io. 20.* Tandem matrimonium *Marc. 10.* institutum fuit contra concupiscentiam carnis, quæ est vulnus peccati. Sic Sacramenta veteris legis scriptæ fuerunt instituta in remedium peccatorum; vt circumcisio, quæ erat loco baptismi, in remedium originalis peccati; phase, quod fuit figura Eucharistiæ, in remedium peccatorum personalium; dicitur enim *Num. 9. Si quis autem mundus est, & in itinere non fuit, & tamen non fecit phase, exterminabitur anima illa de populo suo, quia sacrificium non obtulit Domino tempore suo, peccatum suum ipse portabit.* Ita purificationes ab immunditijs, & expiationes pro peccatis, quæ fuerunt loco pœnitentiæ, ad delenda peccata ordinatæ fuerunt; & ordinatio Sacerdotum, quæ symbolum ordinis fuit, contra vulnus ignorantiæ, fuit con-

constituta. Idem omnino dicendum de Sacramẽtis legis naturæ; cùm enim fuerint figuræ Sacramentorum Euangelicæ legis, & figura similis esse debeat figurato; ideo sicut ista fuerũt instituta in remedium morborum, & vulnerum peccatorum iam cõmissorum; ita illa, quæcumque fuerint, ad sanandos homines à morbis, & vulneribus peccatorum fuerunt à Deo ordinata; ergo Sacramenta, vt de illis *hic* loquimur, secundùm rationem formalem suæ institutionis sunt remedia, quibus homines sanantur à morbis, & vulneribus iam per peccata contractis.

12 Accedit *Trid. sess. 14. in doctrina extremæ Vnctionis*, vbi loquens de Sacramentis generaliter *declarat, & docet, quòd clementissimus Redemptor noster, qui seruis suis quouis tempore voluit de salutaribus remedijs aduersus omnia omnium hostium tela esse prospectum*; illa autem verba *quouis tempore* non sunt amplianda etiam ad tempus innocentiæ; *Concilium* enim loquitur de tempore redemptionis tantùm, pro quo solùm fuit Redemptor, qui voluit esse hæc remedia; naturæ quippe in statu innocentiæ sana erat, adeoque non egebat remedijs, vt sanitatem acquireret, nec vt illam seruaret, quia munita erat adiutorio, quo illam seruare potuisset, si voluisset. Consentiunt *SS. PP. communiter. S. P. Aug. in ps. 73.* post initium: *Sacramenta nouæ legis dant salutem; Sacramenta veteris legis promiserunt Saluatorem.* Salus autem sicuti confertur, ita per Saluatorem conferenda promittitur solis infirmis; dicitur enim *Matth. 1. Et vocabis nomen eius Iesum* (idèst Saluatorem) *ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum*; ex quibus infertur salutem conferri, & Saluatorem promitti solis infirmis propter peccata; *& lib. 4. de bapt. cont. Donatist. c. 23.* inquit; quòd *Sacramentum saluti hominis perficiendæ adhibetur, & lib. 1. de nupt. & concup. c. 1.* Sacramentum vocat *medicinam*. Idem docet *S. Ambr. lib. 4. de Sacram. c. 4; S. Prosp. in ep. ad Demetriad; Nic. I. in rescripto ad ep. Bulgar; & omnes alij communiter*, quibus adduntur *Mag. sent. hic dist. 1.* asserens: *Contra originalis, & actualis peccati vulnera Sacramentorum remedia Deus instituit*; *S. Tho; Fund. Doct. Aegy. & alij omnes DD. communissimè.*

13 Ex his sic arguitur. Sacramenta ex vi præsentis ordinationis Diuinæ, quæ nobis innotescit *ex Diuinis Scripturis, Concilys, PP. & DD*; vel remittunt peccata iam commissa; vel confirmant, roborantque naturam iam per peccatum sauciatam; vel enim significant gratiam nobis conferendam per Christum, vt Sacramenta vetera; vel illam in nobis efficiũt, quia per illa *omnis vera iustitia incipit, vel cępta augetur, aut amissa reparatur*; vt docet *Trid. sess. 7. in decr. de Sacram*; & vt *ex testimonijs allatis* colligitur, hæc est notio, & ratio formalis Sacramenti; sed in statu innocentiæ nullum fuit, nec fuisset, si durasset, peccatum, & nulla infirmitas orta ex peccato; nam si durasset, & peccassent aliqui, illi non remansissent ampliùs in statu innocentiæ, quam perdidissent peccando, sed cecidissent ad statum peccati eo prorsus modo, quo *Adam* in statu innocentię existens peccando illam amisit, & transijt ad statum peccati; ergo in statu innocentiæ nullum fuit, & nullum fuisset Sacramentum, si durasset diutiùs, ex vi præsentis ordinationis Diuinæ.

14 Prob. 2. ex alijs motiuis, seu finibus, propter quos de facto ex vi ordinationis præsentis Sacramenta sunt instituta. *Hug. de S. Vict. lib. 1. de Sacram. p. 9. c. 3; & Mag. sent.* hic docent tribus de causis instituta fuisse Sacramenta. 1. Propter humiliationem, vt superbia hominis, qui peccando noluit Deo subiacere, edometur; dum rebus sensibilibus ex Dei pręcepto homo submittitur. 2. Vt per res corporales, tanquam per signa externa, ad intelligentiam rerum spiritalium, & ad amorem rerum inuisibilium per eas significatarum nos Deus induceret; vt tradit *S. Dion. lib. de Eccl. Hier.* in principio; *& S. Chrysost. hom. 83. in Matth. & hom. 60. ad Populum Antiochenum.* 3. Propter exercitationem, ne homo vanis, & otiosis occupationibus detineatur. 4. Additur. Vt ad ea, quæ nobis proponuntur credenda, vehementiùs moueremur, dum non solùm per rationem, sed etiam per sensum ad illa manuducimur. 5. Vt Sacramenta sint quædam signacula, quibus Christifidelium societas secernitur ab hominibus falsæ religionis; vt docet *S. P. Aug. lib. 4. cont. Donatist. à c. 21.* Tandem vt per Sacramenta, tanquam per voces quasdam visibiles fidem confiteamur externè iuxta *Rom. 10. Confessio autem fit ore ad salutem. Ita idem S. P. Aug. lib. 19. cont. Faust. c. 16; & tract. 8. in Io.* Sed in statu innocentiæ non fuissent hæc motiua. Non 1; quia in illo statu homo esset Deo humiliter subditus. Non 2; quia habuisset scientias infusas rerum spiritualium, & dona, quibus spiritalia cognosceret eo perfectiori modo, quo cognosci possunt in via. Non 3; quia in illo statu nulla esset segnities, quæ orta est ex peccato originali, adeoque nullum otium, quod ex segnitie deriuat; mens enim fuisset semper occupata pijs, Diuinisque contemplationibus. Non 4; quia sensus essent perfectè subiecti rationi, adeoque ratio manuduceret sensus, non sensus rationem. Non 5; nam esset tantùm vna religio, & vna societas hominum tendentium in Deum; homines enim diuisi non sunt, nisi per rebellionem irascibilis ex peccato originali exortam. Non 6; quia actiones externæ perfectè regularentur internis, quibus obtemperarent perfectè; ergo ex vi præsentis ordinationis in finem nulla fuerunt in statu innocentiæ Sacramenta, nec fuissent, si durasset.

15 Prob. 3. Admissa etiam suppositione, quòd aliqui peccassent. Sacramenta ex vi præsentis ordinationis Diuinę efficaciam traxerunt à morte Christi, è cuius latere fluxerunt; vt docet

cet *Fund. Doct. Aeg. vbi sup. cum D.P. Aug. ex Ap. Rom. 6.* dicente: *Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus; & ad Coloss. 2. Consepulti ei in baptismo, in quo & resurrexistis per fidem*; si autem baptismus, qui Sacramentum primum est, ortum duxit à morte Christi, etiam alia Sacramenta, quæ supponunt, & consequuntur ad baptismum, à morte Christi trahunt originem. Præterea Sacramenta instituta sunt pro omnibus hominibus, quia *Christus mortuus est pro omnibus*, vt docet *Apost. 2. Cor. 5. & Rom. 5. Sicut per vnius delictū in omnes homines in condemnationem; sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ*; cùm igitur iustificatio habeatur per Sacramenta, quæ conferunt gratiam iustificantem; & Christus sua morte meruit omnibus hominibus iustificationem, ideo pro omnibus instituit Sacramenta ex vi præsentis ordinationis Diuinæ, quæ nequit nobis constare, nisi ex eo, quod de facto fuisse colligitur *ex Scripturis*; sed in statu innocentiæ mors Christi non erat decreta, cùm fuerit ordinata solùm in remedium peccati *Adæ*, quo deperditus est status innocentiæ; vel enim *Adam* non peccante Christus non venisset, vt diximus *to. 1*; vel si venisset, non venisset in carne passibili, sed impassibili, vt asserit *Scot*; atque adeo ab eius morte non fluxissent Sacramenta. Si autem peccassent aliqui ex posteris *Adæ*, non omnes, tunc Sacramenta non essent instituta pro omnibus, sed tantùm pro aliquibus; non enim omnes eguissent remedijs pro peccatis, quia non omnes peccassent; ergo ex vi præsentis ordinationis Diuinæ in statu innocentiæ non fuerunt Sacramenta, nec fuissent, si durasset, etiamsi Christus venisset, & aliqui *ex Adæ* posteris peccassent.

16. Prob. 4. *ex Fund. Doct. in Hexam. vbi sup.* Sacramenta ex vi præsentis ordinationis Diuinæ fuerunt instituta, vt Mundus ijsdem mediantibus reconciliaretur Deo per Christum; sic enim docet *Apost. 2. Cor. 5.* inquiens: *Si qua ergo in Christo noua creatura, vetera transierunt; ecce sunt noua omnia. Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliauit sibi per Christum, & dedit nobis ministerium reconciliationis, quoniam quidem Deus erat in Christum reconcilians sibi non reputans illis delicta ipsorum, & posuit in nobis verbum reconciliationis.* Idèst creatura nonnisi per Sacramenta renouatur in Christo, qui veteribus Sacramentis impletis noua instituit, quibus mediantibus Deus Mundum reconciliauit sibi per Christum, & eorumdem Sacramentorum ministerium Apostolis tradidit; quoniam Deus reconciliauit quidem Mundum sibi per Christum Sacramenta instituendo, quibus à peccatis absoluimur; attamen Apostolis iniunxit, vt Sacramenta ministrarent, & prædicarent; sed in statu innocentiæ, etiamsi Christus venisset, & peccassent aliqui, non fuisset huiusmodi reconciliatio; quia reconciliatio, quæ de facto facta fuit per Christum, est ab ira, in qua nascimur, propter originale peccatum; inquit enim *Apost. Ephes. 2. Eramus omnes filij iræ, sicut & cæteri. Deus autem, qui diues est in misericordia propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos; & cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo*; in statu autem innocentiæ non nasceremur filij iræ, quia non fuisset peccatum originale, etiamsi aliqui peccassent; nam peccatum originale *ab Adam* dumtaxat potuit effluere; adeoque quanuis essent aliqui peccatores Deo reconciliandi, attamen sicut essent peccata diuersæ rationis, ita diuersa media reconciliantia essent adhibenda; ac propterea diuersa à Sacramentis, quæ reconciliant ab ira, in qua nascimur per originale peccatum. Nec tunc reconciliaretur totus Mundus, sicut de facto, idèst totum genus humanum; non enim omnes peccassent, & ideo non essent remedia reconciliantia instituta pro omnibus, ac per consequens non essent Sacramenta, quæ ex vi præsentis ordinationis sunt instituta, quæ pro omnibus, non pro aliquibus tantùm, instituta fuerunt; ergo in statu innocentiæ, etiamsi Christus venisset, & peccassent aliqui, & diu ille status durasset, non fuissent Sacramenta ex vi præsentis ordinationis Diuinæ; quanuis supposito, quòd Deus vellet saluare eos, qui peccassent, ex vi alterius ordinationis debuisset alia, vel similia remedia instituere; ex quo tamen non sequitur, quòd ex vi præsentis ordinationis Sacramenta pro statu culpæ instituta instituerit.

17 Tandem Sacramenta de facto instituta, vel conferunt primam gratiam, vt baptismus; vel reparant gratiam amissam, vt pœnitentia; vel augent gratiam ad roborandam naturam contra tentationes; vt docet *Trid. vbi sup.* sed in statu innocentiæ non conferrent primam gratiam, vnusquisque enim conciperetur cum originali iustitia; neque repararent gratiam amissam, quia iustitia originalis per peccatum amissa non redit per gratiam collatam per Sacramenta, vt constat in statu culpæ; quanuis enim restituatur nobis iustitia, quia tollitur peccatum, quod est iniustitia; attamen nobis non restituitur innocentia, cui opponitur reatus, vt docet *S.P. Aug. in suppl. cont. Iul. lib. 6. c. 19*; nec augerent gratiam ad roborandam naturam infirmam, quia natura infirmata est solùm per peccatum originale, quod infecit naturam; ergo in statu innocentiæ non fuerunt Sacramenta, nec fuissent, si durasset. Sic quanuis venisset Christus, attamen non venisset ex vi præsentis, sed alterius ordinationis Diuinæ; vt ostendimus *to. 5*; ergo quanuis veniente Christo instituta fuissent Sacramenta, attamen non ex vi præsentis, sed alterius ordinationis, de qua disputare est merè diuinari, & scrutari decreta inscrutabilia volũtatis Diuinæ.

18 Obijc. 1. In statu innocentiæ fuit matrimonium *Adæ cum Eua*, de quo Christus *Matth. 19.* dixit: *Quod Deus coniunxit, homo non separet*;

sed

ſed matrimonium eſt verum Sacramentum; numeratur enim inter ſeptem Sacramenta *à Trid*; ergo in ſtatu innocentiæ fuit verum Sacramentum. 2. Status gratiæ perfectior perfectiora exigit media ad ſalutem conſequendam; ſed ſtatus innocentiæ eſt perfectior ſtatu culpæ; & Sacramenta ſunt media perfectiora ad ſalutem conſequendam; ergo in ſtatu innocentiæ fuerunt Sacramenta. 3. Quamuis in ſtatu innocentiæ non fuerint Sacramenta ſanantia à peccatis; attamen debuerunt eſſe præſeruantia; ergo idem. 4. *S. P. Aug. lib. 8. de Gen. ad lit. c. 4.* de ligno vitæ ait: *Erat in cæteris lignis alimentum; in iſto Sacramentum.*

Reſp. ad 1. *cum noſtro Argent.* diſt. ma. Erat matrimonium inſtitutum in officium naturę propagandæ, conc; inſtitutum in remedium naturæ per peccatum corruptæ, & pronæ ad concupiſcentiam, neg. Sic diſt. mi. Matrimonium, vt remedium naturæ corruptæ, eſt Sacramentum, conc; vt inſtitutum in officium naturæ propagandę, neg. Matrimonium *Adæ* vocatur *ab Apoſt. Sacramentum*; non quia fuerit verum Sacramentum, prout ſumitur in præſenti, & vt figura Sacramenti nouę legis à Chriſto inſtituti; ſed prout figurabat coniunctionem Chriſti cum Eccleſia; cùm autem hæc non ſit Sacramentum, vt de Sacramento *hic* loquimur; ideo nec illud fuit Sacramentum, niſi tantùm latè dictum, vt diximus *in ſup. art. S. P. Aug; tract. 9. in Io.* poſt medium de matrimonio *Adæ* inquit: *Sacramentum hoc magnum eſt. Et ne quis iſtam magnitudinem Sacramenti in ſingulis quibuſque hominibus vxores habentibus intelligeret: Ego autem, inquit, dico in Chriſto, & in Eccleſia*: Quibus verbis clarè docet *Adæ* matrimonium non fuiſſe verum Sacramentum, aliter ſignificaſſet Sacramentum matrimonij legis Euangelicæ; quia Sacramenta vetera fuerunt ſymbola Sacramentorum nouæ legis; vt docet *in pſ. 77; & ſæpe alibi*. Quamuis enim Matrimonium *Adæ* ſit ſimile matrimonijs, quæ aguntur etiam in ſtatu culpæ, in ratione coniugij; attamen non eſt ſimile in ratione ſanantis, ideo nec in ratione Sacramenti. Ad 2. diſt. ma. Perfectiora exigit media proportionata illi ſtatui, conc; & in hoc ſenſu neg. 2. pars mi; nam Sacramenta, vtpotè remedia naturæ infirmæ, ſunt improportionata illi ſtatui, in quo natura ſana erat. Exigit media improportionata, neg. Ad 3. neg. ant; ſufficiebat enim pro illo ſtatu gratia originalis, & ſanitas naturæ, qua poterant omnes morbi vitari. Ad 4. dicitur *S. P. Aug.* loqui de Sacramento latè ſumpto pro myſterio, vt diximus ad 1.

19 Inſt. 1. Prouidi Medici eſt nedum præſtare medicamenta ægrotantibus, ſed etiam præparare antidota ſanis, ne infirmentur; ergo dicere Deum non inſtituiſſe Sacramenta in ſtatu innocentiæ maximè derogat eius prouidentiæ. Imò ſicut prouidit de fructu ligni vitæ, quo auerti poſſent omnes ægritudines corporis; à fortiori dicendum eſt de remedijs animæ, quæ corpore eſt longè præſtantior.

Reſp. neg. conſ; nam dicere Deum non inſtituiſſe Sacramenta in ſtatu innocentiæ non eſt dicere non prouidiſſe de neceſſarijs præſeruatiuis ad ſe ſeruandum in illa integritate animi, & corporis; quia media, quibus potuiſſet *Adam* ſe ſeruare, ſunt adiutorium gratiæ, quo potuit ſtare, & cætera dona ſupernaturalia, quibus potuit vincere tentationem, & vitam æternam mereri; ideo Deus non minùs ſollicitus Prouiſor fuit vitæ corporis, quàm animæ. Sacramenta autem ſecundùm ſuam propriam notionem nedum ſunt præſeruantia, ſed etiam ſanantia; vnde ſi tollatur ab eis ratio ſanantis, tollitur ratio formalis Sacramenti. Conſequentia igitur laborat in falſo ſuppoſito; ſupponit enim Sacramenta eſſe purè præſeruantia, non ſanantia, quod eſt falſum; eſt enim contra rationem Sacramenti.

20 Inſt. 2. In ſtatu innocentię homines nō fuiſſent deterioris, ſed altioris cōditionis, quàm ſint in ſtatu culpæ; ille namque erat longè perfectior iſto; atqui in ſtatu culpę homines poſsūt ſibi gratiam augere nedum per internos actus virtutū, ſed etiam per externas actiones, quibus exercentur Sacramenta; ergo & in ſtatu innocentiæ.

Reſp. *S. P. Aug. lib. 11. de Ciu. Dei c. 12.* ſtatum innocentię fuiſſe altioris conditionis quantùm ad delectationem boni præſentis, quia nullum in eo erat malum ferendum; ſtatum verò culpæ eſſe maioris conditionis quantùm ad ſpem futuri boni; quia gratia Chriſti excellentior eſt, quàm gratia primitus *Adæ* collata; vt docet *Apoſt. Rom. 5. Vbi abundauit delictum, ibi ſuperabundauit & gratia*; *& idem S. P. Aug. lib. de corr; & grat. c. 11.* inquit: *Hæc eſt prima gratia, quæ data eſt primo Adam, ſed hac potentior eſt in ſecundo Adam.* Diſt. igitur ma. Status innocentiæ erat altioris conditionis quantùm ad bona præſentis vitæ, conc; tunc enim nulla mala erant, quia nullum erat peccatum; quantùm ad gratiam, & ſpem vitæ æternæ futuræ, neg.

21 Obijc. 2. Vnum ex motiuis, ob quæ inſtituta ſunt Sacramenta in ſtatu culpæ, eſt, quia homo conſtat ex anima, & corpore, ideo manuduci debet ad Deum etiam per res corporales, vt ſunt Sacramenta; vt diximus n. 4; ſed etiam in ſtatu innocentiæ *Adam* conſtabat ex anima, & corpore; ergo etiam in ſtatu innocentiæ Sacramenta eſſe debuerunt. 2. Etiam in illo ſtatu indiguiſſent homines erudiri de rebus Diuinis, & myſterijs ſupernaturalibus; ſed hæc eruditio fit per res corporales *iuxta Apoſt. Inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*; non enim hoc eſſet contra perfectionem illius ſtatus, quia eſſet iuxta exigentiam naturæ humanæ, quæ pro ſtatu viæ cognoſcit dependenter à ſenſibus; ergo & in illo ſtatu eſſent Sacramenta, quæ ſunt res corporales, & ſunt ſigna ducentia nos in cognitionem rerum ſpiritualium.

Reſp. ad 1. diſt. ma. Quia homo conſtat ex anima, & corpore, & per peccatum priuatus fuit

donis

donis gratuitis, atque scientijs infusis, quibus cognoscebat Deum, & Diuina eo modo perfecto, quo cognosci possunt à viatore; quapropter *Adam*, inquit *S. P. Aug. lib. 9. de Gen. ad lit. c. 19*; à Deo fuit soporatus, *vt ipsius mens per extasim particeps fieret tanquam Angelica curia, & intrans in sanctuarium Dei intelligeret nouissima*; conc; secus, neg. *Adam* ergo, quanuis constaret anima, & corpore; quia tamen creatus fuerat ornatus à Deo scientijs naturalibus, & supernaturalibus, quibus cognoscebat Deum, vt Auctorem, & finem supernaturalem; & quia in illo sopore fuit factus conscius mysteriorum Christi, non quatenus futurus erat Redemptor, sed quatenus Liberator, & translator, vt *alibi* diximus; cognouit enim *teste Apost. Ephes. 5.* mysterium coniunctionis Christi cum Ecclesia; ideo non egebat manuduci ad Deum per signa corporalia, vt sunt Sacramenta; si autem stetisset, transfudisset naturam cum innocentia, & cum ijsdem donis, & dotibus naturalibus, & supernaturalibus; atq; adeo nec eius posteri Sacramentis indiguissent, quæ sunt remedia etiam ignorantiæ, quæ est vulnus peccati. Ad 2. neg. ma. ob eandem rationem; & dist. mi. Eruditio fit per res corporales, vel per infusionem scientiarum, conc; tantùm per res corporales, neg. Eruditio autem per res corporales est contra perfectionem status innocentis, quia supponit ignorantiam ortam ex peccato, quod illi statui repugnat; & ignorantia est magna miseria opposita illi felicitati; & quanuis natura exigat cognoscere dependenter à sensibus; attamen quia non fuit creata in puris naturalibus, sed ornata donis supernaturalibus, ideo congruum fuit illi statui, in quo nullus labor, & dolor, & miseria esse potuit, vt scientias infusas haberet.

22 Obijc. 3. Si status innocentiæ durasset, fuissent sacrificia, quibus homines colerent Deum, tanquam Dominum, & Auctorem vitæ, & mortis; consentaneum enim fuisset dari cultum Dei nedum internum, sed etiam externum; nedum priuatum, sed etiam publicum auctoritate publica indictum; quia tunc homines ordinati fuissent in vnam societatem, in qua oporteret professionem veræ fidei emittere; ergo fuissent Sacramenta. 2. Sacramentum Eucharistiæ est secundùm se maximè expetibile; & non ordinatur principaliter ad tollendum peccatum, sed ad augendam, & seruãdam gratiam; nam motiuum principale instituendi hoc Sacramentum fuit singularis amor, quo Christus dilexit homines; habetur enim *Io. 13. Cùm dilexisset suos, qui erant in Mundo, in finem dilexit eos*; maneret autem idem amor, etiamsi non esset peccatum; & ideo maneret principale motiuum; ergo fuisset institutum Sacramentum Eucharistiæ. Atqui dari debuisset Eucharistiæ minister, qui non constituitur, nisi per sacramentum ordinis; ergo fuisset etiam sacramentũ ordinis. Sic discurrit *Sua.*

Resp. ad 1. dist. ma. Fuissent sacrificia, vt sunt expiationes pro peccatis, sic enim habent rationem sacramenti, neg; vt sunt meræ protestationes religionis, humiliationis, & cultus debiti Deo, transeat. Ad 2. dist. eodem modo conf. Sacramentum Eucharistiæ est secundùm se expetibile independenter à peccatis, vt est sacramentum, neg; vt est cibus spiritualis Angelorum, conc. Ad prob. insert. dist. Motiuum principale est amor compassiuus, quo Christus dilexit homines peccatores, vt eos liberaret à miserijs peccatorum, & roboraret, conc; aliter, neg. Sic etiam dicitur, quòd hoc sacramentum ordinatur ad augendam gratiam medicinalem remittentem peccata venialia, & roborantem naturam infirmam, ne tentationibus succumbat; vt diximus *ex Conc. Flor*; non autem augentem gratiam originalem.

23 Obijc. 4. Ordo gratiæ præcedit ordinem naturæ; ergo Deus priùs intendit instituere sacramenta, quàm creare naturam creatam; sed natura humana priùs à Deo fuit præuisa, quàm peccatum, quod est quid consequens ad naturam; ergo Deus priùs intendit institutionem sacramentorum, quàm præuiderit peccatum; adeoque illa instituit independenter à peccatis; ac propterea etiamsi in statu innocentiæ non fuissent peccata, adhuc fuissent sacramenta, si diu durasset.

Resp. dist. ant. Ordo gratiæ præcedit ordinem naturæ dignitate, conc; causalitate, neg; cùm enim gratia sit accidens, quod consequitur ad substantiam, cui accidit; ideo ordine causalitatis est posterior, quanuis ordine dignitatis sit prior.

24 Obijc. 5. Non videtur credibile, quòd desponsatio *B. Virginis Mariæ cum S. Ioseph* non fuerit verum sacramentum Matrimonij conferens illi gratiam sacramentalem; sicut non est credibile, quòd B. Virgo baptizata non fuerit. 2. Non est credibile, quòd B. Virgo, imò & Christus in cęna Eucharistiam non sumpserit; sed B. Virgo & Christus non habuerunt peccatum; ergo sacramenta dantur independenter à peccato. 2. Christus sumpsit Eucharistiam; vt docet *D. Tho. q. 83. art. 1*; ergo idem.

Respondetur neg. ma. nam matrimonium fuit eleuatum ad esse sacramenti à Christo Domino; ideo desponsatio Beatæ Virginis, quæ fuit ante Christum, non habuit rationem sacramenti. Præterea dicitur sacramenta fuisse per se instituta in remedium peccati; per accidens tamen non mederi peccato, quia illud non supponunt in subiecto recipiente sacramenta; vt *inf. q. 3. art. 2*; vt baptismus *Ioanni* collatus, vel alteri sanctificato in vtero matris. Ad 2. dicitur Christum assumpsisse personam peccatoris, & ideo in se ipso deleuisse aliorum peccata, quæ tanquam sua in se ipso assumpserat, vt fusè ostendit *S. P. Aug. ep. 120. & 121. Sed de his*, cùm de sacramentis

in

in particulari agemus. Vel dicitur, ficut ad 1; quòd facramenta per fe fuerunt inftituta in remedium peccati; per accidens tamen illa non remittere, quia recipiuntur in fubiecto, in quo peccata non funt. Vbi autem non reperitur per fe, ibi non reperitur per accidens; quia per accidens dicitur per ordinem ad efse per fe; in ftatu autem innocentiæ facramenta per fe non remitterent peccata in vllo fubiecto; ideo in illo ftatu facramenta nec efsent per accidens.

25 Obic.6. Si durafset ille ftatus, & peccafsent aliqui, debuifset dari aliquod remedium pro peccatis, & illud efset duraturum, recuperaret gratiam deperditam, fanctificaret, roboraretque naturam per peccatum debilitatam, & fenfui fubiectatam; ergo illud verè efset facramentum.

Refp. dift. ant. Daretur aliquod remedium ex vi præfentis ordinationis Diuinæ, quæ ftatuit, vt facramenta fluxerint è latere Chrifti morientis, vt fint remedia pro omnibus, vt applicentur ijs, qui nafcuntur filij iræ, & cętera, quæ diximus, conc; ex vi alterius ordinationis Diuinæ, quæ nobis non innotefcit *ex Scriptura, & SS.PP.* & quam tantummodò coniecturaliter afferere poffumus, tranfeat; de hoc enim non eft quæftio in præfenti; quia non inquirimus, quid Deus in hac hipothefi ordinare debuiffet.

ART. III.

An, & quæ facramenta fuerint in ftatu legis naturæ?

1 Qvadruplex ftatus hominis in hac vita diftinguitur; fcilicet ftatus innocentiæ, qui incepit ab inftanti creationis *Adæ*, & durauit vfque ad inftans, quo peccauit, & innocentiam amifit. Tunc ftatus legis naturæ fucceffit, qui durauit vfque ad tempus, quo *Moyfes* dedit *populo Hebraico* legem fcriptam in tabulis lapideis *in Monte Sina*. Ex hoc tempore incepit lex fcripta, quæ durauit vfque ad Chrifti mortem, poft quam incepit lex gratiæ, feu Euangelica, quæ continuabitur vfque ad Mundi finem. Hoc tamen intelligendum eft, fi defcendamus *ab Adam per Abraham, & per populum Hebraicum*, cui foli data fuit lex fcripta *per Moyfem*; nam fi defcendamus *ab Adam per populum Gentilem* ad Chriftum, triplex tantùm ftatus hominis fuit; fcilicet innocentiæ, quia *tam Hebræi, quàm Gentiles* fuerunt *in Adam*, tanquam in primo omnium hominum parente; & ftatus naturæ, qui *in Gentilibus* durauit *ab Adam* lapfo vfq; ad Chrifti mortem; tempore enim legis fcriptæ datæ *populo Hebraico* viuentes *Gentiles* iuxta legem naturæ, & credentes, ac fperantes faluabantur in fide Chrifti venturi; nam lex fcripta vniuerfalis non erat; non enim fuit communiter data omnibus hominibus; ficuti modò lex Chrifti, extra quam nemo poteft faluari; fed erat particularis tantùm *populo Hebraico* à Deo per Moyfen præfcripta.

2 Nomine autem ftatus legis naturæ fignificatur illud tempus, quo fola præcepta moralia fcripta in cordibus hominum ab Auctore naturæ vigebant; de quibus loquitur *Apoft. Rom.2. Gentes, quæ legem non habent* (idêft Gentiles, quibus non fuit data lex fcripta) *naturaliter, quæ legis funt, faciunt* (idêft dictante natura adimplent præcepta moralia, feu ad mores fpectantia) *eiufmodi legem non habentes ipfi fibi funt lex, qui oftendunt opus legis fcriptum in frontibus fuis* (idêft non habentes legem fcriptam, ficut habebant *Hebræi*, habent legem naturæ fcriptam in cordibus fuis, feu inditam ab Auctore naturę) In hoc autem differt lex fcripta à lege naturæ; quòd lex fcripta continebat præcepta moralia, ceremonialia, & iudicialia; *populo* enim *Hebraico* præfcriptæ erant determinatæ ceremoniæ, determinata facrificia, & pœnæ determinatæ peccantibus contra legem; lex autem naturæ continebat fola præcepta moralia; facrificia autem, & ritus, quibus Deus colebatur, & pœnæ, quibus delinquentes plectebantur, relicta erant determinanda in hominum arbitrio. Tandem nomine *naturæ* non excluditur gratia, quę femper fuit pro omni ftatu homini neceffaria ad opus ad falutem proficuum; vt fusè oftendit *S.P.Aug.lib.de Spir; & lit.c.26;27; & 28*; vnde non intelligitur, quòd homines in ftatu naturæ per folas naturæ vires pofsent benè viuendo vitam æternam mereri; fed quòd in illo ftatu opitulante Dei gratia pofsent præcepta moralia à natura dictata, vel vt ait *idem S.P. ibid.* à natura fanata per gratiam feruare. *Vid.to.4.de legib.q.2; & de grat.q.2. art. 3. n.11.* Quæritur ergo in præfenti, an *Iudæi* ante legem fcriptam, & *Gentiles* ante legem Chrifti habuerint aliqua vera facramenta, quibus fanarentur à peccatis, & vulneribus peccatorum? Quæ facramenta vera fuerint, quanuis non ita perfecta, ficut funt facramenta legis Euangelicæ.

3 Sed quoniam tranfitus de ftatu legis naturæ ad ftatum legis fcriptæ, & tranfitus de ftatu legis fcriptæ ad ftatum legis Chrifti non fuit factus, nifi mediantibus quibufdam rudimentis antecedenter promulgatis; quia populus ille rudis propter vulnus ignorantiæ inflictum per *Adæ* peccatum non potuifset difficiliorem legem fufficienter percipere, nifi priufquàm daretur illa lex, monimentis quibufdam, inftructus fuifset in illa; quapropter *Apoft. ad Gal. 3.* ait, quòd lex fcripta fuit pedagogus, à quo *Hebræi* inftructi fuerunt in lege, quæ reuelanda erat per Chriftum; *Priùs autem, quàm veniret fides, fub lege cuftodiebamur conclufi in ea lege, quæ reuelanda erat. Itaque lex pedagogus nofter fuit in Chrifto*; ideo quadringentis triginta annis, antequam *per Moyfen* daretur lex fcripta, inquit *idem Apoft.* data fuit *Abrahæ* circuncifio; qua fegregatus eft popu-

populus Dei electus ad legem scriptam *à Gentilibus* remanentibus in statu legis naturæ; sicuti antequam Christi fides reuelaretur per Christum, reuelatus fuit baptismus *Ioannis*, quo *Iudæi* instructi fuerunt ad Christi baptismum. At transitus de statu innocentiæ ad statum legis naturæ per peccatum corruptæ sine instructione præuia fieri debuit; quoniam in tali transitu homines ignorantiam incurrerunt, quæ est vulnus peccati, per quod ab illo statu exciderunt; instructio autem non datur, nisi per ordinem ad sapientiam acquirendam. Tum quia lex naturæ, vtpotè facillima, quia scripta in cordibus omnium, præuijs explicationibus, tanquam prolegomenis præmittendis, non eguit. Tempus autem, quod fluxit inter legem scriptam, & circumcisionem, & inter Ioannis, ac Christi baptismum, confinium legis appellatum est eo, quia per legem Christi terminauit lex scripta, & per legem scriptam cessauit status legis naturæ. At cum hoc discrimine, quòd lex scripta adueniente lege Christi cessauit omnino; quia præcepta ceremonialia, & iudicialia cessarunt; adueniente enim Christo cessare debuerunt figuræ illum prænunciantes venturum; aliter si non cessassent, etiam nunc Christus prænunciaretur venturus, adeoq; non venisset; quia quod futurum est, præsens, aut præteritum non est; & per consequens lex scripta, si nunc duraret, verax esse desijsset; verum enim non est, quòd Christus sit venturus ad moriendum in carne; repugnat autem legi Dei veracem non esse. At verò lex naturæ quoad præcepta moralia, quæ durarunt in lege scripta, & semper durabunt in lege Euangelica, quamuis magis perfecta, nunquam cessauit. Sicut ergo lex scripta quantùm ad ceremonialia, & iudicialia adueniente lege Euangelica cessauit, ita lex naturæ adueniente lege scripta in *Iudæis*, & lege Euangelica *in Gentilibus* cessauit quantùm ad ceremonias, & ritus, quibus homines colebant Deum, & quantùm ad sacramenta, quibus mundabantur à peccatis; non autem quantùm ad præcepta moralia, quibus ad bene viuendum instruebantur.

4 Quamuis tamen circumcisio fuerit præcepta *Abrahæ* in lege naturæ *Gen.* 17; attamen spectat ad legem scriptam, tanquam eruditio ad illam præambula; & quia per legem scriptam abrogata non fuit, sed in illa scripta, & formata, sicut abrogatus fuit baptismus *Ioannis*; ideo quærentes de sacramentis legis naturæ, circumcisionem excipimus, de qua sermo erit inferiùs.

5 Prima sententia negat in lege naturæ fuisse vera sacramēta instituta pro paruulis; & adultis, quamuis non defuerint remedia pro his, & pro illis, vt sunt actus interni contritionis, & fidei proprij in adultis, & parentum in paruulis. Referuntur *Dur. in 4. dist. 1. q. 8; Sot; Ledesma, Prado; & ex nostris Basil; & Bernardin. apud Gibb. inf.*

6 Secunda docet vera sacramenta fuisse; sed diuisa est; *aliqui* enim volunt institutum fuisse sacramentum ad delendum peccatum originale; non autem ad delenda peccata personalia. Tribuitur *Scot. in 4. dist. 1. q. 3; & 7; Palud. q. 5; & alijs antiquis*, quos referunt, & sequuntur *Suar; Vasq; Lug; noster Gibb. disp. 3. dub. 3. n. 6. 16; & alij Recentes. Alij* verò docent instituta fuisse vera sacramēta in remedium peccati originalis in paruulis, & peccatorum personalium in adultis iam mundatis à peccato originali; nempe fidem externam, seu externè protestatam à parentibus pro originali; & oblationem, v.g. panis, & vini factam à *Melchisedech* pro personalibus. *Ita Gonet, à SS. Trinit; & alij*; quorum *aliqui* censent verisimile, quòd fuerit etiam institutum aliquod sacramentum ad augendam, & conseruandam gratiam ad instar Eucharistiæ; vt panis, & vinum *Melchisedech*; *alij* deniq; volunt fuisse etiam consecrationem Sacerdotum, quæ respondet sacramento ordinis in noua lege.

7 Ferè communiter autem tenent omnes *cum D. Tho. 1. 2. q. 102. art. 3. ad 3.* nullum fuisse sacramentum respondens confirmationi; quia hoc est sacramentum plenitudinis gratiæ, quæ non est, nisi in lege Euangelica; nec sacramentum respondens extremæ vnctioni, quia hæc est quædam præparatio immediata ad gloriam, cuius aditus non fuit apertus, nisi pretio per Christum soluto; adeoque iusti antiqui in sinu *Abrahæ* requieuisse dicuntur, vsquedum Christus illis Cœli portas aperuit; nec sacramentum respondens matrimonio; *Matrimonium enim* (inquit *Angelicus Doct.*) *fuit in lege naturæ, quatenus erat in officium naturæ, non prout est signum coniunctionis Christi cum Ecclesia, quæ nondum erat facta, & in lege veteri dabatur libellus repudij, quod est contra sacramenti rationem*. Hanc sententiam probat *Fund. Doct. Æg. in Defens. D. Tho. in 1. 2. art. 12.* asserens *D. Thomam* clarè se explicuisse *in 4. sent. dist. 26. q. 12*; vbi ait: *Matrimonium, secundùm quod ordinatur ad procreationem prolis, quæ erat necessaria, etiam peccato non existente institutum fuit ante peccatum; secundùm autem quòd remedium præbet contra vulnus peccati, institutum fuit post peccatum tempore legis naturæ. Secundùm autem determinationem personarum institutum fuit post peccatum tempore legis Moysi; sed secundùm quòd repræsentat mysterium coniunctionis Christi, & Ecclesiæ, institutionem habuit in lege noua; & secundùm hoc est sacramentum nouæ legis.* Ex quibus verbis colligit *Fund. Doct. S. Thomam* asseruisse matrimonium in lege naturæ fuisse quidem in remedium peccati; non tamen fuisse verum sacramentum; quod quomodò verum sit, *inf.* dicemus. Eandem sententiam tradit *Becc. in Man. de sacram. in comm.*

8 Vnica concl. In statu legis naturæ fuerunt vera sacramenta tam pro paruulis contra peccatum originale, quàm pro adultis ad delenda peccata personalia. Hæc autem sacramenta fue-

fuerunt professio fidei in Christum venturum externè facta per aliquam actionem sensibilem, vt paruuli per eam mundarentur ab originali peccato in fide Christi venturi, & hæc fuit loco baptismi; oblatio sacrificiorum pro adultis, vt absoluerentur à peccatis personalibus loco pœnitentiæ. *Ita Fund.Doct.in Hexam.p.2.c.41;& in ep.ad Rom.c.3.lect.12.dub.vlt.* Præterea fuit sacramentum correspondens Eucharistiæ oblatio panis, & vini *Melchisedech Gen.* 14. Esus Agni Paschalis *Exod.*12; & Manna *Exod.*16; quæ fuerunt ante legem scriptam datam à *Moyse in Monte Sina*. Item consecratio sacerdotum correspondens sacramento ordinis. *Ita idē Fund.Doct. in tract.de Corp. Christi*. Matrimonium autem, quamuis fuerit in lege naturæ, prout est remedium peccati, & prout est in officium naturæ, & quatenus habet rationem contractus, non tamen fuit verum sacramentum. Tandem confirmationi, & extremæ vnctioni nullo modo fuerunt in lege naturæ sacramenta correspondentia.

9 Prob.1. pars concl; quòd scilicet in statu legis naturæ fuerint vera sacramenta, sed imperfecta, & perficienda per Christum. *In Trid. sess.14. in doctrina de Sacramento extremæ vnctionis* habetur: *Declarat, & docet S.Synodus, quòd clementissimus Redemptor noster, qui seruis suis quouis tempore de salutaribus remedijs aduersus omnia omnium hostium tela voluit esse prospectum*; nomine autem *salutaris remedij* intelligit sacramenta, de quibus tractat; & quibus ait semper, & quouis tempore fuisse munitos homines; quibus verbis apertè statuit etiam tempore status naturæ fuisse; nam qui dicit omne tempus, nullum tempus excludit; *& sess.7.can.2. Si quis dixerit ea ipsa nouæ legis sacramenta à sacramētis antiquæ legis nō differre, nisi quia ceremoniæ sunt aliæ, & alij ritus externi, anathema sit; & Flor.in decr.vnionis Armen.* loquens de sacramentis nouæ legis inquit: *Quæ multùm à sacramentis differunt antiquæ legis; illa enim non causabant gratiam, sed eam solùm per passionem Christi dandam figurabant; hæc verò nostra & continent gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferunt*. Vetus autem lex complectitur legem naturæ, & legem scriptam; ergo ex *Concilijs* fuerunt plura sacramenta in lege naturæ, loquuntur enim in plurali. Item *c. Maiores de baptismo* habetur: *Absit enim, vt vniuersi paruuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, quin & ipsis misericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procurauerit ad salutem*. Sed hæc ratio militat etiam de statu legis naturæ; ergo idem. Ita etiam *S.P.Aug.lib.5. cont. Iul. c.9.* asserens: *Nec ideo tamen credendum est & ante datam circumcisionem famulos Dei, quandoquidem eis inerat Mediatoris fides, nullo sacramento eius opitulatos fuisse paruulis suis, quamuis quid illud esset, aliqua necessaria causa Scriptura tacuerit. Nam & sacrificia eorum legimus, quibus vtique sanguis ille figurabatur, qui solus tollit peccata Mundi, & lib.2.de Nupt.& concup.c.12.* ait, quòd ante circumcisionē *omnimodo latuit sacramentum iustificationis ex fide; eadem tamen fides mediatoris saluos iustos faciebat &c. Nam & Abraham, cùm esset in præputio, ex fide iustificatus est*. Sic *D.Greg.lib.4. Mor.c.3;* & habetur *in Glos. Quod facit apud nos aqua baptismi, hoc egit apud veteres sola fides*, (supple externè manifestata) *& pro maioribus virtus sacrificij*; idest pro adultis absoluendis à peccatis personalibus sacrificia loco pœnitentiæ. Idem docet *D. Bern.ep.77; & omnes alij SS. PP. communiter.* Formatur autem sic ratio. Signa sensibilia gratiæ remittentis peccata sunt sacramenta; sed in statu legis naturæ fuerunt signa sensibilia gratiæ remittentis peccata, ergo in statu legis naturæ fuerunt sacramenta. Ma. liquet; sic enim definiuntur sacramenta propriè sumpta, vt diximus *art.1; & inf.* magis explicabitur; à definitione autem ad definitum est optima argumentandi ratio. Mi. etiam constat ex *testimonijs allatis*; & prob.1. Remedia, quæ Christus nobis sua morte promeruit, vt liberemur à morte peccati, sunt signa sensibilia gratiæ remittentis peccata; fluxerunt enim è latere Christi, & ex illis ædificata est Ecclesia visibilis, visibile autem ædificium non fit, nisi ex visibilibus, atq; adeo sensibilibus rebus; sed in statu legis naturæ fuerunt huiusmodi remedia; vt docent allegata *Concilia, & SS. PP*; Christus enim mortuus est pro omnibus hominibus viuentibus nedum in lege Euangelica, sed etiam in lege scripta, & naturæ; cùm sit *secundus Adam de Cælo cælestis*; in quo viuificantur omnes filij *Adam*, qui mortui sunt in primo *Adam*; vt docet *Ap.st. Rom.* 5; in primo autem *Adam* mortui sunt nedum, qui viuunt in lege Euangelica, sed etiam qui vixerunt in lege scripta, & naturæ; aliter non omnes mortui fuissent, vel non omnes essent filij *Adam*; ideo omnes homines nedum pertinentes ad legem Euangelicam, sed etiam ad scriptam, & naturæ per mortem Christi viuificati sunt; mors autem Christi viuificauit mediantibus remedijs, quibus significatur gratia, qua remittuntur peccata; ergo in statu legis naturæ fuerunt signa sensibilia gratiæ remittentis peccata. 2. In statu legis Euangelicæ sunt signa sensibilia gratiæ remittentis peccata; ergo multò magis in statu legis naturæ fuerunt signa sensibilia gratiæ remittentis peccata; nam in tantùm in statu Euangelico fuerunt signa sensibilia gratiæ, in quantum homo, qui in intelligendo dependet à sensibus, debuit in isto statu per signa sensibilia erudiri ad Christi fidem, sine qua nemo vnquam potuit saluari, vt dicitur *Act.4. Nec enim aliud est nomen sub Cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri*; sed in statu legis naturæ homines potuerunt saluari; & debuerunt erudiri ad Christi fidem, sine qua saluari non poterant; ergo in statu legis naturæ fuerunt signa sensibilia gratiæ remittentis peccata. Tum quia quo magis rudis

est homo, eo magis indiget sensibilibus signis, quibus ad fidei doctrinam instruatur; tantùm enim per sensibilia edoceri potest spiritualia; vt docet *Apost.Inuisibilia Dei &c*; sed in statu legis naturæ homo erat rudior in fide Christi, versabatur enim in vmbris, & figuris obscuritatis velo inuolutis; quia nondum aduenerat Christus increata Dei Patris sapientia ad illum clarè instruendum; ergo multò magis in statu legis naturæ fuerunt signa sensibilia gratiæ remittentis peccata.

10 Conf.1.Lex vetus complectitur legem naturæ,& legem scriptam;ex vtraque enim vnicum Testamentum vetus,quod lex vetus appellatur,conficitur; sed *ex Concilijs,& SS.PP.* sacramenta semper fuerunt in lege veteri, secus non fuisset semper prouisum de remedijs contra peccata;ergo sacramenta fuerunt etiam in statu legis naturæ. 2. Eadem ratione,qua sacramenta dicuntur fuisse necessaria in lege scripta, fuerunt quoq; necessaria in lege naturæ: hæc enim necessitas fuit ob tollendum peccatum, quod fuit in vtraque lege;sed *ex Scripturis,Concilijs,& SS. PP.* euidenter deducitur sacramenta fuisse saltem in lege scripta; ergo *ex Scripturis, Concilijs,& SS. PP.* euidenter deducitur sacramenta fuisse etiam in statu legis naturæ.

11 Prob.2. pars concl; quòd scilicet in statu legis naturæ fuerit sacramentum correspondens baptismo ad tollendum peccatum originale; & sacramentum correspondens pœnitentię ad tollenda peccata personalia. Prolatio alicuius nominis substantiui in plurali nequit de vno tantùm verificari;repugnat enim,quòd numerus de vnitate dicatur; sed *Scriptura,Concilia, & SS.PP.* proferunt in plurali sacramenta, quibus remittuntur peccata, semper fuisse in lege veteri, & per consequens etiam in lege naturæ; ergo *iuxta Scripturas,Concilia,& SS.PP.* nequit verificari, quòd in lege naturæ fuerit vnum tantùm sacramentum loco baptismi remittens originale peccatum;adeoque necessariò concluditur in lege naturæ fuisse sacramenta correspondentia baptismo, & pœnitentiæ; nam in lege naturæ fuerunt sacramenta,quę tollunt peccata impedientia salutem; atqui nedum peccatum originale, sed etiam personale mortale impedit salutem; veniale enim illam solùm retardat; ergo fuerunt sacramenta, quæ tollunt peccatum originale, & personale mortale. Atqui sacramentum tollens originale correspondet baptismo,& tollens personale correspondet pœnitentiæ; ergo in statu legis naturæ fuerunt sacramenta correspondentia baptismo,& pœnitentiæ. 2. Sacramenta in lege veteri nedum instituta fuerunt pro aliquibus solùm determinatis personis,vt circumcisio,quę fuit data solùm pro masculis, fœminæ enim circuncidi non possunt, sed etiam pro omnibus vniuersaliter siue masculis, siue fœminis; & non solùm pro paruulis, sed etiam pro adultis, nedum *Hebræis*, qui peccant post expiationem ab originali peccato; sed etiam *Gentilibus*, quibus data non fuit lex scripta; imò etiam pro ipsis paruulis expirantibus ante octauum diem, quo solùm circuncisio dari poterat iuxta Dei præceptum; aliter Christus non esset omnium Iesus, seu Saluator, nec ab omnibus peccatis saluaret; ergo *iuxta Scripturas, Concilia, & SS. PP.* vltra circuncisionem, quæ erat Sacramentum solùm pro masculis, admittenda sunt sacramenta vniuersaliter instituta pro omnibus ad delendum peccatum originale, & personale; sed hęc spectant ad legem naturę; non enim leguntur in lege scripta, in qua tantùm sermo est de circuncisione,loquendo de sacramento expiante ab originali peccato; ergo in lege naturę fuerunt sacramenta vniuersaliter instituta pro omnibus ad tollendum peccatum originale, & personale mortale, & ideo correspondentia baptismo, & pœnitentiæ. 3. Sacramenta vetera *ex Apost. ad Coloss.2. sunt vmbra futurorum*; quoniam, vt explicat S. P. *Aug. ep.19*; *erant prænunciantes gratiam,qua iustificamur; & erat.aduersus Iudæos c.2. Ea* (scilicet sacramenta) *significabant suo tempore reuelanda, quæ nos reuelata suscipimus, vt remota vmbra Iudæorum luce frueremur*; sacramenta igitur veteris legis erant vmbræ, & figurę sacramentorum nouę legis, adeoque significabant tantùm gratiam dandam per Euangelica sacramenta, & vi illius gratiæ iustificabant; non autem illam se ipsis efficiebant,aut conferebant, vt docet *Conc.Flor. vbi sup*; propter quod Apostolus *ad Gal.4.*vocat ea *infirma, & egena elementa* sed sacramenta nouę legis iustificant à peccato originali in baptismo,& à personalibus in pęnitentia; ergo sacramenta veteris legis significabant gratiam iustificantem ab originali, & personali peccato dandam à Christo per sacramenta Euangelica;& per consequens in veteri lege, adeoque etiam in lege naturæ fuerunt sacramenta correspondentia baptismo, & pęnitentię.

12 Prob.insuper eadem pars concl euertendo fundamenta *Aduersariorum* asserentium fuisse remedium sufficiens pro paruulis fidem internam parentum, & actum contritionis internum pro adultis: 1. Illa, quibus iustificabantur paruuli in lege naturę ab originali peccato, & adulti à peccatis personalibus, erant vmbrę, figurę, & signa prænunciantia sacramenta Euangelicę legis, quorum gratiam dandam illis per Christum significabant, & vi huius significationis iustificabant; vt mox diximus *ex Apost. & S.P.Aug.* sed nullus actus internus,vtpotè insensibilis,& spiritualis, potest esse vmbra,figura, & signum rerum corporalium, vt sunt sacramenta Euangelica;quia vmbra,figura, & signum debet repręsentare, & notificare rem significatam, adeoq; debet esse notius re significata; cùm per illud res significata agnoscatur; & illud, per quod aliud cognoscitur, debet esse notius eo,

quod

quod per illud cognoſcitur, iuxta illam regulã: *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis*; res autem ſpirituales, & inſenſibilis nequit eſse magis nota, quàm res corporalis, cùm per corporalia cognoſcamus ſpiritualia, non è contra, vt docet *Apoſt*; vnde licèt res corporales poſſint eſſe ſigna rei ſpiritualis, vt ſacramenta, quę ſunt corporalia, ſunt ſigna gratię, quę eſt ſpiritualis; non tamen res ſpiritualis poteſt eſſe ſignum rei corporalis; ergo nullus actus internus in lege naturæ potuit iuſtificare paruulos à peccato originali, & adultos à peccatis perſonalibus; & per conſequens ne omnes perirent in illo ſtatu, admittenda ſunt ſigna ſenſibilia gratiæ dandæ per Chriſtum, adeoque ſacramenta correſpondentia baptiſmo, & pœnitentiæ. 2. Si actus fidei internus parentum fuiſſet ſufficiens pro paruulis; & actus contritionis internus pro adultis in ſtatu legis naturæ; melioris conditionis, & abundantioris gratiæ fuiſſet ſtatus naturæ, quàm ſtatus gratiæ; quia parentes in illo potuiſſent applicare remedium, quandocunque voluiſſent, in iſto autem aliquando fit, quod ſatagentibus parentibus & feſtinantibus miniſtris defectu materiæ puer inexpiatus expirat; & ſic aliquando fit, vt peniteus propter ruborem peccati non confiteatur, vel ſaltem non quomodò debet; imò grauius iugum eſset lex gratiæ, quàm lex naturæ; quoniam grauius eſt confiteri alteri repugnante erubeſcentia, quàm ipſum peccatum intra ſe deteſtari, ſic oneroſius eſt procurare actionem internam, & externam, quàm ſolam internam, quod tamen eſt contra illud Chriſti Domini *Matth.11. Iugum mei m ſuaue eſt, & onus meum leue*; & contra *Petri* dictum *Act.15*; vbi ait, quod *iugum veteris legis neque patres noſtri, neq; nos portare potuimus*; ergo requirebatur in ſtatu legis naturæ cum actu fidei interno externa proteſtatio pro paruulis; & cum actu contritionis interno actio externa pro adultis, in quibus conſiſtebant ſacramenta legis naturæ. 3. Actus fidei, & contritionis merè internus non ſunt minoris, ſed maioris efficaciæ in ſtatu gratiæ, quàm fuerint in ſtatu naturæ; atqui in ſtatu gratiæ non ſufficiunt ſine rebus externis ad ſalutem ſaltem in voto; ergo neque in ſtatu naturæ.

13 Prob. 3. pars de ſacramento correſpondente Euchariſtiæ *ex Apoſt. 1. Cor. 10.* docente: *Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes per Moyſen baptizati ſunt in nube, & in mari, & omnes eandem eſcam ſpiritalem manducauerunt; & omnes eundem potum ſpiritalem biberunt*. Super quæ *S.P.Aug.tract.26. in Io.* inquit: *Hunc panem ſignificauit manna, hunc panem ſignificauit altare Dei: Sacramenta illa fuerunt in ſignis diuerſa ſunt, ſed in re, quæ ſignificatur, paria*. Et paulò poſt: *Spiritalem vtique eandem, nam corporalem alteram, quia illi manna, nos aliud; ſpiritalem verò, quam nos*. Et deinde: *Aliud illi, aliud nos, ſed ſpecie viſibili quidem, tamen hoc idem ſignificante virtute ſpiritali*. Ex quibus ſic arguitur. 1. Illud ſenſibile, quod ſignificat gratiam roborantem animam, tollentem languores peccatorum, qui ſunt peccata venialia, & nutrientem per ordinem ad vitam ſpiritalem ſupernaturalem, eſt ſacramentum loco Euchariſtiæ; ſed in lege naturæ fuit aliquod ſenſibile ſignificans gratiam roborantem, tollentem languores peccatorum, & nutrientem per ordinem ad vitam ſpiritalem ſupernaturalem; mãna enim eandem virtutem præbuit *Hebræis* ſpiritalem, quam præbet Euchariſtia, quatenus figurabat gratiam dandam per Euchariſtiam, vt docet *Ap; & ex Apoſt. S.P.Aug.* quod pariter dicendum eſt *de Phaſe* ſeu *Agno Paſchali*, de quo dicitur *Num. 9*; quòd mundabat à peccatis; & de pane, & vino *Melchiſedech Abrahæ* oblato, quo *Abraham* Dei gratia, & benedictione fuit repletus; ergo in lege naturæ fuit aliquod ſacramentum loco Euchariſtiæ. 2. Chriſtus meruit omnibus hominibus etiam ante eius aduentum quouis tempore viuentibus remedium omnium peccatorũ mortalium, & venialium & remiſſionem peccatorum oblitorum, nutrimentum animæ per ordinem ad vitam ſpiritualem, & roborationem infirmitatis naturæ relictę ex peccato originali; meruit enim omnibus vitam æternam, & ideo hęc omnia, quę ſunt media ad illam conſequendam; & aliunde hoc remedium non pugnat cum illo ſtatu, ſicut pugnant ſacramenta confirmationis, & extremæ vnctionis, vt mox dicemus; ergo etiam in ſtatu legis naturę fuit aliquod ſacramentum loco Euchariſtię, licèt imperfectum, & egenum eo modo, quo dictum eſt, dimittens peccata venialia, & oblita, roborans infirmitatem naturæ, & nutriens animam per ordinem ad vitam ęternã.

14 Prob. 4. pars de conſecratione Sacerdorum. Illud, quod ſignificat gratiam ſanãtem aliquod vulnus peccati, eſt ſacramentum loco ordinis; ſed conſecratio Sacerdorum in lege naturæ fuit huiuſmodi; ſignum enim fuit poteſtatis ſpiritalis, per quam cõficiebatur ſacrificium pro peccatis; & ſanabat vulnus ignorantię, quia Sacerdotes debebant populum de rebus Diuinis inſtruere; ergo conſecratio Sacerdorum in lege naturæ fuit ſacramentum loco ordinis. Quod autem hęc conſecratio fuerit in lege naturę, patet *ex 14. Gen*; vbi dicitur *de Melchiſedech: Erat enim Sacerdos Dei Altiſſimi*; quãuis taceatur, quomodò, & quando conſecratus fuerit in Sacerdotem ob aliquam latẽtem cauſam, vt ait *S.P.Aug. cont. Iul. vbi ſup.* Nec obſtat, quod opponit *Iug.* ſacerdorium in lege naturę non fuiſſe ex inſtitutione Diuina, ſed ordinatione humana; vt docet *Anaclet. ep. 2. decretali, & Conc. Aquiſgran. 1. c. t.* Non obſtat: quia licèt ceremonia externa, qua conſecrati ſunt Sacerdotes in lege naturę, ex inſtitutione Dei inceperit *in Aaron*; attamen non ſequitur, quòd non fuerit verum ſacramentum; ſicut licèt ceremonia externa proteſtatiua fidei fue-

fuerit ex institutione humana; attamen fuit verum sacramentum; *sed de hoc in seq. §.*

15 Prob. 5. pars concl. Matrimonium tria importat, scilicet officium naturæ propagandę, fidem inter coniuges seruandam, seu rationem contractus, qui importat fidem contrahentium; & rationem sacramenti, quę est inseparatio; vt docet *S. P. Aug. lib. de bono coniugali c. 24.* dicens: *Generationis itaque causa fieri nuptias Apostolus ita testis est 1. Tim. 5. Volo,* inquit, *iuniores nubere &c. Ad fidem autem castitatis illud pertinet 1. Cor. 7. Uxor non habet potestatem corporis sui, sed vir &c. Ad sacramenti sanctitatem illud ibid. Uxorem à viro non discedere.* Quod repetit *lib. 2. de pecc. orig. cont. Pelag. c. 34;* vbi postquam dixit de officio generandi prolem, & de fide pudicitię seruanda, inquit: *Propter connubij sacramentum dicitur Matth. 19. Quod Deus coniunxit, homo non separet; & lib. 9. de Gen. ad lit. c. 7.* docet matrimonium primitus institutum fuisse à Deo in officium generationis filiorum; sed post peccatum *vtriusq; sexus infirmitas propendens in ruinam multitudinis rectè excipitur honestate nuptiarum, vt quod sanis potuit esse officium, sit ægrotis remedium;* quibus verbis clarè asserit matrimonium in lege naturæ corruptę institutum fuisse in remedium libidinis. Tandem *ibid.* concludit: *Hoc autem tripertitum est, fides, proles, sacramentum. In fide attenditur, ne præter vinculum coniugale cum altera, vel cum altero concumbatur. In prole, vt amanter suscipiatur, benignè nutriatur, religiosè educetur. In sacramento autem, vt coniugium non separetur, & dimissus, aut dimissa nec causa prolis alteri coniungatur.* Hoc totum habet *Conc. Flor. in decr. vnionis Armenor. de Matrimonio.* Matrimonium itaque, prout est in officium naturę, & prout importat fidem castitatis coniugalis seruādam inter coniuges ratione contractus, & prout est remedium purè pręseruans à peccatis futuris, non prout sanans infirmitatem naturę sanciatę à peccatis pręteritis, fuit in statu naturę; sed secundùm has rationes non est sacramētum, vt docet *idem S. P.* distinguens rationem sacramenti à ratione fidei castitatis coniugalis, & officij naturę propagandę; constituitur enim in ratione sacramenti per inseparationem, vt claret ex verbis Christi Domini *Matth. 19;* cùm illud eleuauit ad esse sacramenti: *Quod Deus coniunxit, homo non separet;* ad significandam indissolubilem coniunctionem Christi cum Ecclesia, vt habet *Flor. vbi sup.* Matrimonium autem in statu legis naturę non erat inseparabile, dissoluebatur enim per libellum repudij, vt refertur *ibid;* ergo matrimonium in statu legis naturę non erat sacramentum.

16. Dices. 1. *Innoc. III. de diuortijs c. quantò,* ait solum baptismum efficere, vt matrimonium perduret; ergo secundùm se non est indissolubile. 2. In statu legis naturæ fuit remedium contra concupiscētiam, quę est vulnus peccati originalis; & contra peccata personalia, fecit enim, vt illi actus concubitus non essent peccata, qui sine matrimonio peccata fuissent; sed remedium contra vulnus peccati originalis, & contra peccata personalia est sacramētum; ergo matrimonium in statu legis naturæ fuit sacramentum. 3. In statu innocentiæ significabat coniunctionem Christi cum Ecclesia, quæ coniunctio est insolubilis; ergo ratio coniunctionis insolubilis non est constitutiua matrimonij in ratione sacramenti.

Resp. ad 1. baptismum efficere, vt matrimonium perduret præsuppositiuè eo, quia baptismus, cùm sit omnium sacramentorum ianua, efficit, vt matrimonium post baptismum contractū sit verum sacramentum; quod non esset, si contractum fuisset ante baptismum, cùm non possit dari secundum sine primo. Non autem efficit formaliter, vt perduret, quoniam duratio formalis habetur ab ipso sacramento matrimonij, vt ex verbis allaris Christi colligitur. Ad 2. dist. ma. Fuit remedium sanans, & roborans infirmitatem naturæ per gratiam, quam conferebat, vel quam significabat conferendam per Christum, neg; & ideo non fuit verum sacramentum, de cuius ratione est significare practicè gratiam, vt *inf.* dicemus. Fuit remedium purè præseruans à peccatis, non tamen gratiam practicè significans, eo prorsus modo, quo si quis furanti ob inopiam subministraret nummos, quibus mederetur illius inopiæ, & efficeret, ne furando peccaret, non tamen ei gratiam conferret, quæ concupiscentiam frænaret; conc; & in hoc sensu neg. mi; sacramenta namq; practicè gratiam significant. Ad 3. dist. cons. Præcisè conc; etiam, neg; matrimonium enim constituitur in ratione sacramenti ex eo, quòd sit remedium indissolubile sanans per gratiam morbum contractum, vt dictum est.

17 Tandem prob. vlt. pars. Confirmatio, seu chrisma spectat tantummodò ad legem gratiæ, importat enim donum gratiæ, quod, vt loquitur *S. P. Aug. lib. 15. de Trin. c. 26; visibili significatur vnguento, quo baptizatos vngit Ecclesia;* per quod significatur plenitudo gratiæ, quæ conuenire nō potest veteri legi; tum quia confirmatio est perfectio baptismi; importat enim vltimam perfectionem gratię baptismalis; quia roborat ad fortiter confitendam fidem coram tyrannis; vltima autem perfectio gratiæ non habetur nisi in lege Euangelica; nam in lege veteri sacramenta erant imperfecta, & perficienda per Christum; ergo in lege naturę non fuit sacramētum correspondens confirmationi. Similiter extrema vnctio fuit instituta, vt anima è corpore egrediens ablutis peccatorum reliquijs, vt loquitur *Trid. sess. 14. c. 2;* euolet ad gloriam in Cęlos: quos nullus homo potuit ante Christum conscendere, cùm ipsi primùm, tanquam Regi gloriæ, portæ Cęli fuerint patefactę iuxta *ps. 23. Attollite portas, Principes, vestras, & eleuamini portę æternales, & introi-*

bis Rex gloria. Tum quia per extremam vnctionem complentur omnia, quæ ad salutem animæ spectant in via; nam post omnia sacramenta cōfertur; sed in lege naturæ sacramenta erant incompleta, erant enim complenda per Christum; & incompletum, vt incompletum, nequit esse figura completi, cùm non sit simile, sed dissimile; ergo in statu naturæ nullum fuit sacramētum extremæ vnctioni respondens.

18 Obijc. 1. De sacramentis, quia sunt supernaturalia, nihil est definiendum, nisi reperiatur *in scriptura*; sed de sacramentis legis naturæ nihil habetur *in scriptura*, vt testatur *S. P. Aug. vbi*; ergo nihil est definiēdum circa eorum existentiam in statu legis naturæ. 2. *Idem S. P. Aug. de dono perseu. c. 12.* asserit quosdam paruulos prouisos à Deo non fuisse de remedio contra originale peccatum; quod repetit etiam *de nat. & grat; & cont. Iul. sæpissimè*; sed hoc nequit intelligi, nisi de statu legis naturæ; cùm in statu legis scriptæ fuerit circumcisio, & in statu gratiæ baptismus; ergo *ex S.P. Aug.* non fuerunt sacramenta in statu legis naturæ.

Resp. ad 1. dist. ma. Nisi reperiatur explicitè, vel implicitè, conc; tantùm explicitè, neg. ma;& mi; quanuis enim explicitè nō habeantur descripta omnia sacramenta, habentur tamen aliqua; vt panis, & vinum *Melchisedech*; manna, esus Agni Paschalis; & hoc sufficit, vt inferantur alia necessaria contra peccatum originale, & personale, & contra vulnera peccati, & hoc est implicitè contineri. Ad 2. dicitur *S. Patrem* loqui de paruulis in statu gratiæ, quos ait aliquando expirare non baptizatos etiam festinantibus parentibus, paratis ministris, iudicio quidem occulto, sed iusto. Loquitur ergo de actuali applicatione, non de institutione baptismi; quanuis enim baptismus in lege gratiæ sit institutus pro omnibus, attamen non omnibus applicatur, vt constat de morientibus in vteris matrum, & de statim natis, & mortuis.

19 Obijc. 2. In lege naturæ sacramenta non habuerunt efficaciam, vt docent *Concilia*, erant enim *vacua, & egena*; quia non continebant gratiam, quam figurabant; & ideo erant merè figuræ, quia figurabant solùm gratiam dandam per Christum; ergo non erant vera sacramenta, de quorum ratione est conferre gratiam, per quam dignè suscipientes à peccatis mundentur. 2. In illo statu rudi non debuit poni à Deo occasio idololatrādi; populus enim facilis, & pronus ad idololatriā idololatrasset; sed sacramēta sunt occasiones idololatriæ; quia ex eo, quòd rebus corporalibus mundaretur à peccatis, potuisset ille populus putare, quòd in illis rebus esset aliquid numinis, vel Deitatis, & sic eas tanquam Deos adorare; ergo in statu naturæ nulla debuit Deus sacramenta instituere.

Resp. ad 1. neg. cons; & ad prob. infert. dicitur de ratione sacramenti esse, quòd actu conferatur gratia dignè, & ritè illud suscipientibus, siue ex vi ipsius sacramenti, siue ex vi alterius, quod significat, scilicet gratiæ conferendæ per Christum. Quanuis ergo sacramenta vetera non conferrent ex vi sua gratiam, attamen dignè illa suscipientes gratiam actu recipiebant, per quam à peccatis mundabantur. Aliud est ergo, quòd illa sacramenta gratiam non efficerent, nec continerent; & aliud, quòd suscipientes illa sacramenta gratiam actu non reciperent. Primum docent *Concilia*, non secundum; quia licèt gratiam non efficerent, ad susceptionem tamen illorum Deus gratiam conferebat ex vi meritorū Christi. Ad 2. neg. mi; nam populus sacramenta suscipiendo potuisset clarè cognoscere illas res esse tantùm remedia, quibus Deus eos sanabat à peccatis; & ideo potiùs occasionem habuit adorādi verū Deū, quàm idololatrandi Deos falsos.

20 Obijc. 3. Illud, quod non dictat ratio naturalis, non est ponendum in statu legis naturæ; sed ratio naturalis non dictat sacramenta; quia ratio naturalis dictat sola naturalia, sacramenta autem sunt supernaturalia, quia sunt signa gratiæ, quæ est supernaturalis; ergo sacramenta non fuerunt in statu naturæ. 2. Illud, quod est naturale, est immutatum, quia debuit semper apud omnes durare; sed sacramenta legis naturæ non durarunt; ergo nulla fuerunt in lege naturæ.

Resp. ad 1. neg. ma; cùm enim natura sauciata à peccatis non potuerit in statu legis naturæ per aliquod naturale sanari; ideo in illo statu ponendum fuit aliquod supernaturale, per quod sanaretur, & quod non potuit ipsa dictare. Ad 2. neg. suppositum mi; nam quanuis sacramenta fuerint in statu naturæ, non tamen fuerūt quid naturale, sed supernaturale.

21 Obijc. 4. *D. Greg. lib. 4. mor. c. 3; & D. Bern. ep. 77.* docent paruulis suffecisse fidem parentū, vt mundarentur ab originali peccato; *& D. Tho. in 4. d. st. 1. q. 2. art. 6. quæstion. c. 2.* ait, quòd magis consonum est verbis *D. Gregorij* dicere, quòd sola fides iustificabat sine omni exteriori signo. Idē docet *in 4. ad Annibald. dist. 1. q. 2. art. 2*; ergo in lege naturæ non fuit sacramentum contra originale peccatum.

Resp. *DD. Greg. & Bern.* intelligendos esse de fide externè manifestata; dicitur autem solam fidem suffecisse, vt excludantur sacrificia, quæ dixerant esse necessaria pro adultis; non autem, vt excludatur externa manifestatio ipsius fidei facta vel precibus vocalibus, vel quibusdam alijs actionibus externis; fides enim adhuc sic manifestata est sola fides. Hæc autem actio externa, qua manifestabatur fides, *à scriptura* tacetur; fuit autem publicata in circumcisione, quam accepit *Abraham*, tanquam *signaculum iustitiæ fidei*, vt inquit *Apost. Rom. 4*; super quod *vid. Fund. Doct. Æg. lect. 13. dub. 6.* Hanc esse mentem *vtriusq; S. Doctoris* colligitur ex eorum verbis *ibid*; ille quidem immediatè subiūgens, quo-

mo-



modò Iob gentilis, qui erat vir iustus, potuit desiderare se mortuum fuisse invtero matris; *si à reatu illum originalis culpa nequaquam Diuina cognitionis sacramenta liberassent?* Iste verò apertè fatetur *contra originale peccatum remedia antiquis non defuisse temporibus*; remedia autem, & sacramenta sensibilia esse debuerunt. Ad *D. Thomam* respondent *Thomistæ*, inter quos *Gonet, loco cit.* magis inclinasse in oppositam sententiam, sed *in summa illam docuisse.*

22 Sed petes; an hæc fides parentum fuerit actus fidei saltem informis vel naturalis, vel supernaturalis, explicitus, vel inexplicitus in Christum mediatorem venturum?

Resp. fuisse actum fidei explicitum supernaturalem, vt diximus *to. 4. de fide q. 2. art. 3*; & satis fuisse, etiamsi esset informis; vt *inf.* dicemus *in seq. q. art. 1. §. 6; & 7.*

23 Collig. ex dictis sacramenta vetera eo modo fuisse necessaria necessitate medij, vel præcepti hominibus in lege veteri viuentibus, quo sacramenta Euangelica sunt necessaria viuentibus in lege gratiæ; sicut enim ista instituta sunt ad salutem horum, ita illa ad illorum salutem; nunquam enim illi clausa fuit ianua salutis; & sicut sine istis non possumus nos salutem acquirere; ita nec illi sine illis.

§. 1.

An actiones externæ sacramentorum legis naturæ fuerint à Deo determinatæ, vel in hominum arbitrio relictæ?

24 Quæritur; an sicuti per circuncisionem determinata est actio, qua applicabatur paruulis remedium pro peccato originali, ita in lege naturæ determinata fuerit actio externa in specie, qua tanquam signo gratiæ conferendæ per Christum liberarentur paruuli ab originali peccato? Et sic de expiatione à peccatis personalibus, alijsque sacramentis proprijs illius status.

25 Sententia asserens remedium pro paruulis fuisse à Deo determinatum in particulari, & in specie tribuitur *Ricardo, & Scot*; quem sequuntur plures *Scotistæ*. *Mastr.* tamen *hic disp. 1. q. 2. art. 1. à n. 50.* asserit *Scotum* docere fuisse determinatum solùm in genere, quantùm sufficit ad veram rationem sacramenti, vt certa esset Ecclesia, quodnam esset remedium pro paruulis; non autem fuisse determinatum in specie; nam hoc sacramentum debuit esse determinatè protestatiuum fidei; quòd autem hæc protestatio fieret per sacrificia, vel per oblationem ipsius paruuli Deo, vel per quodcumq; aliud signum, non fuisse determinatum; sicuti dicimus de matrimonio, quòd fuit in lege noua determinatum in genere, prout est contractus legitimus; non in specie, quatenus confici potest signis, nutibus, vel verbis. Sic protestatio fidei ex eo, quòd potuit fieri verbo, vel scripto, vel aliquo Dei cultu, non debet dici signum indeterminatum, sed determinatum; quia Deus decreuit esse actum exteriorem fidei, non alterius virtutis à fide distinctæ; propter quod censet *Mastr.* hanc esse litem de nomine.

26 Nostra tamen sententia est actiones externas sacramentorum in statu legis naturę fuisse indeterminatas in specie, & in hominum arbitrio relictas: *Ita Fund. Dict. Ægan Hexam. p. 2. c. 41; & in ep. ad Rom. c. 4. lect. 13. dub. 5; noster Gibb. hic disp. 3. dub. 3. concl. 3; apud quem D. Tho. hic art. 3. ad 2; omnes Thomistæ, & alij communiter.*

27 Non aliud esse dicere determinatam esse illam virtutem, ad quam spectat illud sacramentum; v. g. virtutem fidei, ad quam spectat sacramentum emundationis à peccato originali; & virtutem pęnitentiæ, ad quam spectat sacramentum emundationis à peccatis personalibus; & virtutem Religionis, ad quam pertinet sacramentum correspondens Eucharistiæ &c; & aliud dicere determinatas fuisse illas actiones externas, quibus exerceri debuit illud sacramentum, & protestari illam virtutem. Quando dicimus sacramenta legis naturæ fuisse indeterminata, & indistincta, non loquimur primo modo; *omnes* enim *DD.* asserunt paruulos iustificatos fuisse per fidei protestationem, & adultos per pęnitentiam. Itaq; solùm in secundo sensu intelligenda est nostra sententia.

28 Vnica concl. Sacramenta legis naturæ quoad actiones externas, quibus exerceri debuerunt, fuerunt indeterminata, & indistincta; & eorum determinatio relicta erat in hominum arbitrio, qui vel sacrificijs, vel orationibus, oblationibus, vel aliqua alia actione, prout inspirabantur à Deo, poterant illa sacramēta exercere cum intentione tamen exercendi illa sacramenta.

29 Prob. 1. *ex Apost. ad Gal. 3. Priùs autem, quàm veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in ea fide, quæ reuelanda erat. Itaq; lex noster pedagogus fuit in Christo, vt ex fide iustificetur. At vbi venit fides, iam nō sumus sub pedagogo.* Super quod *S. P. Aug. ep. 120; & lib. 83. qq. q. 42; 43; & 44.* inquit: *Quicumque singuli ad veram sapientiam peruenerunt, non nisi ab earum veritate suarum singillatim atatum opportunitate illustrati sunt; à qua veritate vt populus fieret sapiens, ipsius generis humani opportuna ætate homo susceptus est.* Ex quibus sic arguitur. Disciplina totius generis humani per ordinem ad discenda Diuina Mysteria, quæ per Christi fidem in fine temporum sunt promulgata, assimilatur *ab Apostolo* disciplinę cuiuslibet hominis in particulari, qua pro diuersis ætatibus inquirit sapientiam; sicut enim homo in infantia est sub pedagogo, antequam ad sapientiam perueniat, & in iuuentute, postquam acquisiuit sapientiam, pedagogum dimittit; ita genus humanum, antequam veniret Christus, qui

qui est increata Dei sapientia, erat sub lege veteri, tanquam sub pedagogo; postquam autem Christus aduenit, pedagogũ, idest legem veterem, dimisit; sed puero in infantiam non nisi indeterminatè, & indistinctè traduntur à pedagogo documenta sapientiæ, docetur enim prius legere absque eo, quòd distinctè apprehendat, quæ legit; & postea in pueritia distinctè tradũtur præcepta; demum in iuuentute post acquisitam sapientiam pedagogum dimittit; ergo generi humano in statu legis naturę, tanquam in infantia, tradenda fuerunt sacramenta indistinctè, & indeterminatè; & in statu legis scriptæ, tanquam in pueritia, distinctè, & determinatè; tandè post Christi aduentum in lege gratię acquisita sapiẽtia debuit pedagogũ, scilicet veterẽ legẽ, dimittere, & cessare esse sub veteris legis pedagogia.

30 Conf. 1. Tempore magis propiuquo aduentui Christi magis clarè reuelata sunt sacramenta, tempore enim *Ioannis* reuelatus est baptismus, qui fuit figura expressior baptismi Christi; sed tempus naturæ fuit magis remotum ad aduentu Christi, quàm tempus legis scriptæ, quod mediauit inter tempus legis naturæ, & tempus legis Christi; ergo temppre legis naturę minùs clarè reuelata sunt sacramenta, quàm tẽpore legis scriptæ. Atqui determinate actiones externas, quibus fiunt sacramenta, est magis clarè reuelare sacramenta, quàm illas indeterminatas relinquere, quia determinatio est distinctio, & claritas, sicut indeterminatio, & indistinctio est obscuritas; ergo tempore legis scriptæ fuerunt determinatæ actiones externæ, & tempore legis naturæ fuerunt indeterminatæ, & indistinctæ, relictæ in hominum arbitrio.

31 Conf. 2. Tempore legis naturę magis rudis fuit populus, quàm tempore legis scriptæ, quia *per scripturam* fuit edoctus; sicut tempore infantiæ homo rudior est, quàm tempore pueritię; tum quia sub lege naturę magis conclusus erat sub lege, quàm tẽpore legis scriptę, adeoq; magis distabat à reuelatione sacramentorum fidei; sed per actiones externas magis clarè edoctus fuit sacramẽta fidei, cùm illę, vt potè signa, sacramenta fidei indicarent; ergo sacramenta in lege naturę non fuerunt determinata quantùm ad actiones externas. Tum quia tunc actiones externę nòn erant determinandę, quando erat maius periculum irritandi sacramenta, Deus enim fuisset aliquo modo causa, vel occasio peccati, quod Deo repugnat, sed in lege naturę sũmũ erat periculũ irritandi sacramenta, si actiones externæ determinatę fuissent; quia tunc est maius periculum irritandi sacramenta, quando est maius periculum errandi circa determinatam materiam; & tunc est maius periculum errandi, quando est maior ruditas, & facilior obliuio; at in lege naturę populus erat rudior, & facilior erat obliuio, quia illę actiones non erant scriptę, faciliùs enim obliuiscimur ea, quæ non sunt scripta, quàm ea, quæ scripta sunt; ergo tempore legis naturæ actiones externæ sacramentorũ non erant determinatæ. Tum quia in qualibet eruditione semper itur de imperfecto ad perfectum, ac propterea de vniuersalibus ad particularia; sed cognitio indeterminata, & indistincta est imperfectior, quàm determinata, & distincta; ergo priùs cognosci debuerunt sacramẽta per actiones indeterminatas, & indistinctas, & postea per actiones determinatas, & distinctas. Atqui status naturæ fuit prior, quàm status legis scriptæ; ergo idem.

32 Prob. 2. *ex Fund. Doct. Ægid. in Hexam. vbi.* Ita loqui debemus de operibus restaurationis, quibus ordinati sumus ad vitam supernaturalem; sicut de operibus creationis, quibus ordinati sumus ad vitam naturalem; ex his enim corporalibus, quæ videntur, *teste Apost.* ad notitiam rerum supernaturalium, quę non videntur, possumus peruenire; sed opera creationis ita se habent, vt primò creata fuerint omnia indistincta, & indiuisa; secundò, vt omnia fuerint diuisa, & distincta; priùs enim creauit Deus Cœlum, & terram, & postea diuisit lucem à tenebris; tertiò perfecit, & ornauit omnia; quartò ea propagauit per rationes seminales inditas ipsis rebus, quintò propagationem continuauit vsque ad mundi finem, sextò omnia terminabit, & consummabit in fine mundi; ergo similiter in operibus restaurationis post *Adæ* peccatum à Deo primò instituta, & inchoata sunt sacramẽta indeterminata, & indistincta quantùm ad earum actiones externas; secundò fuerunt determinata, & distincta; tertiò fuerunt perfecta; quartò propagata; quintò eorum propagatio fuit continuata; & sextò erit in fine mundi ab huiusmodi continuatione cessatio; atqui sacramentorum inchoatio fuit in statu legis naturæ; inceperunt enim immediatè post *Adæ* peccatum, vt diximus *in sup. art.*; post quod pariter incepit status naturæ; ergo sacramenta in statu legis naturæ fuerũt indeterminata quantùm ad actiones externas, quibus celebrari debebant; & postea determinata in lege scripta; deinde perfecta in statu gratiæ per Christum; & post Christi mortem propagata per Apostolos; & eorum propagatio continuata per Doctores vsq; ad mundi finem, & consummanda in fine mundi, quia tunc non erit sacramentorum necessitas.

33 Prѩterea si sacramentorum materia determinata fuisset, non licuisset illam pro arbitrio variare; sed ex *scriptura* colligitur illã fuisse variatam; *Cain* enim obtulit Deo fructus terræ, & *Abel* oues, & earũ adipes *Gen.* 4; *Noe* pecudes, & volucres mundas *Gen.* 8; *Melchisedech* panem, & vinum *Gen.* 14; *Iacob* altari erecto decimas omnium offerre voluntaria exhibitione promittit *Gen.* 28; *&c.* & quamuis aliquando legatur materiã offerendã fuisse à Deo determinatã; vt *Gen.* 15. Deus præcepit *Abrahæ*, vt offerret vaccam

ttien-

triennem, capram trinam, arietem annotum trium, turturem, & columbam, ad innuendum aliquod mysterium,& ad probandam obedientiæ virtutem; vel ad indicandum, quòd materia sacramentorum erat à Deo determinanda; attamen hoc probat solùm pro illa actione materiã determinatam fuisse,& pro alijs temporibus, & actionibus in arbitrio relictam, cùm legatur variata absque Dei præcepto de illa varianda; ergo tempore legis naturæ actiones externæ sacramentorum fuerunt indeterminatæ, indistinctæ, & in hominum arbitrio relictæ. Tum quia si materia sacrificij *Cain* fuisset à Deo determinata, sicut materia sacrificij *Abel*, eodem modo à Deo fuisset accepta,quia in vtroq; virtus obedientiæ reluxisset; & tamen Deus *ad munera Cain non respexit*; cui dixit: Quare concidit facies tua? *Nonne si rectè offeras, rectè autem non diuidas, peccasti?* Rectè autem offerre est offerre Deo,cui soli sacrificium debetur; rectè verò non diuidere (inquit *S.P.Aug.lib.15.de Ciu.Dei c.7.*) est, *dum non discernuntur rectè vel loca, vel tempora, vel res ipsa, quæ offeruntur, vel qui offert, vel cui offertur, vel hi, quibus ad vescendum distribuitur, quod oblatum est.* Quoniam ergo *Cain* determinauit materiam offerendam in sacrificio, quæ vilis erat, & despectibilis, ideo sacrificium eius non fuit acceptum; atq; adeo illius determinatio fuit in illius arbitrio relicta. Nec refert, quòd ratio sacrificij sit diuersa à ratione sacramenti; non refert, quia eadem est ratio de vtrisq; tum quia sacrificia oblata pro peccatis in lege naturæ erant sacramenta, quia mundabant à peccatis; sicut sacrificium *Melchisedech* fuit sacramentum Eucharistiam figurans; ergo ex eo, quòd determinata non fuerit materia sacrificiorum, rectè probatur determinatam pariter non fuisse sacramentorum materiam.

34 Obijc. 1. Solius Dei est determinare iustificationem hominũ à peccatis personalibus,& à peccato originali per gratiã; ergo solus Deus determinauit sacramenta etiam in statu naturæ, per quorum applicationem gratia iustificans erat conferenda. Ant. patet; quia gratia iustificans est à Deo,non à nobis. Conf. prob; quoniam tam in statu legis naturæ, quàm in statu legis scriptæ, vel gratiæ non fuit collata gratia, nisi per sacramenta. 2. Etiam in statu legis naturæ sacramenta erant remedia, seu medicinæ spirituales ordinatæ à Deo ad sanandos homines per peccatum infirmos; sed solius medici est præparare,& determinare remedia pro infirmis; in quorum arbitrio non relinquitur determinare sibi remedia, & medicinas; ergo solius Dei, qui est medicus, fuit determinare sacramenta etiam in statu legis naturæ.

Resp. ad 1. neg. conf; aliud est enim gratia iustificans, quam significat sacramentum; & aliud sacramentum, quod est signum gratiæ; signum enim differt à re significata. Ad prob. dist. Non fuit collata gratia, nisi per sacramenta, tanquam per signa, con; tanquam per causam principalem, neg. Ad 2. dist. ma. Sacramenta erant remedia, seu medicinę spirituales ratione significati, idèst gratię, quę sanat à peccatis, conc, ratione significantis erant medicinę formaliter, neg; nam ratione sui sunt vasa medicinarum; quapropter sacramenta veteris legis, quia non continebant, quod significabant, dicuntur *vasa egena, & vacua*; sacramenta verò nouę legis, quia continent gratiam, quam significant & efficiunt, dicuntur vasa *plena, & locupleta*. Sicut ergo solius medici est præparare, & determinare medicinas quantùm ad formalitatem virtutis sanatiuę, non autem quantùm ad materialitatem vasis, in quo medicina sumi debet; potest enim relinquere in arbitrio ipsius infirmi, vt medicinam sumat in hoc, vel illo vase vitreo, vel aureo, vel argenteo, vel ligneo; sic solius Dei est pręparare, & determinare gratiam sanãtem; vasa autem ipsius gratię sanantis, quę sunt sacramenta, determinanda relinquere in hominum ęgrotantium arbitrio.

35 Obijc. 2. Si Deus reliquisset hominum arbitrio determinationem sacramentorum, magna fuisset inter ipsos contentio, an istud, vel illud signum esset idoneum ad delendum originale peccatum; sed contentio est vitanda; ergo determinatio sacramentorum non fuit relicta hominum arbitrio. 2. Incredibile est Deum reuelasse peccatum originale esse delendum per signum externum paruulis à parentibus applicandum, & non reuelasse, quale signum esset applicandum; nam cùm ferè infinita sint signa, homines remansissent suspensi, vel saltem dubitare potuissent, an hoc, vel illud signum applicare debuissent; sed Deus reuelauit Prophetis, & viris sanctis signa, seu sacramenta; ergo illa reuelauit distinctè, seu hęc signa, non illa, esse sacramenta.

Resp. ad 1. neg. ma; cùm enim nullum esset determinatum signum externum, sed quodcunque elegissent protestatiuum fidei, siue offerendo paruulum Deo, siue preces fundendo, siue quodcunque aliud in Dei obsequium, certi essent per illud remitti originale peccatum, nulla potuisset oriri contentio. E' contra tamen si determinatum fuisset signum, & non scriptum, potuisset ob obliuionem dubium magnum, & dissidium enasci, an illud esset signum determinatum, vel non. Ad 2. neg. ma; quamuis enim plura sint signa protestatiua fidei; attamen quia certi fuerunt, quòd per quodlibet illorum ab ipsis assumptum ex Dei inspiratione remittebatur peccatum, nulla suspensio, fluctuatio, vel dubitatio potuit insurgere.

36 Obijc. 3. Determinatio sacramentorum non est, sicut applicatio eorumdem; applicatio enim pertinet ad ministros, determinatio verò ad causam institutiuam ipsorum; sed solus Deus est

est causa instituens sacramenta; ergo solus Deus determinauit actiones externas sacramentorũ.

2. Figura determinatur ab eo, à quo determinatur figuratum; sed sacramenta legis naturæ fuerunt figuræ sacramentorum legis Euangelicæ; ergo sacramenta legis naturæ ab eo determinata fuerunt, à quo sunt determinata sacramenta legis Euangelicæ; atqui hæc determinata sunt à Deo; ergo & illa.

Resp. ad 1. dist. mi. Solus Deus est causa instituens sacramenta quantùm ad rationem formalem sacramenti, quatenus scilicèt est signum gratiæ conferendæ per Christum, conc; quia solus Deus potest esse causa gratiæ; quantùm ad actionem externam, qua exerceatur sacramentum, neg; volunt enim *plures DD*; quòd Christus etiam in lege noua reliquerit *D. Petro* materiam determinandam pro aliquibus sacramentis, vt *inf.* Ad 2. eodem modo dist. ma. Figura formaliter sumpta determinatur ab eo, à quo determinatum est figuratum, conc; factor enim figurati determinauit, vt figura fiat similis, non dissimilis figurato; quantùm autem ad materiam, neg. vniuersaliter ma; nam quòd fiat figura in hac, vel illa materia, non tollit rationem figuræ, vt constat.

37 Obijc. 4. Si sacramenta pro illo statu fuissent indeterminata quoad actiones externas, facilior fuisset via salutis in lege naturæ, quàm in lege gratiæ; quia illorum remedium fuisset communius ita, vt si defuisset vnum, alterum suppetijsset; at in lege noua deficiente aqua baptismus non fit; sed hoc non est dicendum; ergo neque primum.

Resp. neg. ma; quanuis enim actio externa esset communior; attamen quia illa debebat determinari ad protestandam fidem in Christum venturum, quæ protestatio erat difficillima, quia nimis à Christo remota, ideo difficilior erat tunc via ad salutem pro paruulis. Modò autem aqua iam determinata est, & reperitur vbiq; & Christus clarè cognitus est ab omnibus; ideo facilior est nunc transitus paruulorum ad salutem.

38 Quæres, an saltem determinatus fuerit minister sacramentorum?

Resp. quoad sacrificia fuisse Sacerdotes; quoad remedium paruulorum fuisse parentes, aut gerentes curam paruulorum; asserunt enim *SS. PP.* in fide parentum esse saluatos. An autem si applicatum fuisset illud remedium ab alijs inuitis parentibus; eodem modo est respondendum, quo de paruulis baptizatis inuitis parentibus in noua lege *inf.* dicemus.

ART. IV.

An, & quæ fuerint sacramenta in lege scripta?

1 Conueniunt *DD.* circuncisionem fuisse verum sacramentum; quia fuit signum sensibile gratiæ iustificantis; dicitur enim *Rom. 4: signaculum iustitiæ fidei*; idèst signum gratiæ iustificantis per fidem in Christum; de quo loquens *S. P. Aug. ep. 203. ad Maximin. Donatist.* inquit: *Hoc sacramentum ipse Dominus, quanuis cum non egeret, crucifixus, tamen natus accepit.* An autem circuncisio gratiam contulerit ex opere operato, alia quæstio est, de qua *inf.* erit sermo. Quæritur ergo in præsenti, an in lege scripta præter circuncisionem fuerint alia sacramenta, & an fuerint plura, quàm sacramenta in statu legis naturæ, & in statu gratiæ?

2 *Aliqui*, inter quos refertur *Bassol. in 4. dist. 1. q. 3. art. 3.* censent in lege scripta nullum aliud fuisse sacramentum præter circuncisionem. Sed hæc sententia, vt diximus *in sup. art*; conformiter ad modum loquendi *Conciliorum, & SS. PP.* loquentium de sacramentis veteris legis in plurali sustineri non potest. Ratio etiam hoc suadet; quia in illo statu erant plures morbi sanandi, adeoque plures medicinæ, & plura remedia illis depellendis proportionata fuerunt. *Alij* asserunt fuisse tantùm circuncisionem, & esum Agni Paschalis. Tribuitur *Sot. in 4. d. 1. q. 1. ar. 1.* Sed hoc etiam reijcitur *textibus*, & rationibus adductis *in sup. art. à n. 16.* Constat igitur sacramenta, quæ diximus fuisse in lege naturæ, concedenda esse etiam in lege scripta propter rationes allatas.

3 Communior sententia docet in lege scripta, seu *Mosaica* fuisse plura sacramenta, quàm in lege naturæ, & gratiæ. Colligitur *ex Fund. Doct. Ægid. in ep. ad Rom. c. 9. lect. 30.* super ea verba: *Verbum enim consummans, & abbreuians in æquitate, quia verbum abbreuiatum faciet Dominus super terram* asserente: *Dominus, antequam fieret homo, dedit verbum prolixum, vt legem Mosaicam*; & superiùs: *In Euangelio resecantur omnes illæ prolixitates, & omnes illæ ceremoniæ, quæ erant onera grauia, & importabilia.* Ideo lex scripta fuit difficilior, & onus importabile, nedum quia fuit lex timoris; sed etiam propter multitudinem sacramentorum. Hanc sententiam sequitur *Noster Gibb. hic dis. 3. dub. 4.* asserens communiter ab omnibus doceri exceptis *paucis citatis*.

4 Vnica concl. In lege scripta fuerunt plura sacramenta, quàm in lege naturæ, & gratiæ.

Prob. 1. *ex Act. 15*; vbi *Petrus* inquit: *Quid tentatis Deum imponere iugum super ceruices Discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus.* Super quod *S. P. Aug. in ps. 142.* ait: *Nostis multis sacramentis visibilibus, & corporalibus oneratum esse populum, primùm circuncisione, negociosis illo quodam Sacerdotio, & templo figuris pleno, multiplicibus holocaustorum, sacrificiorumque generibus; & ep. 108. ad Ianuarium* loquens de lege gratiæ ait: *Iesum Christum, sicut ipse in Euangelio loquitur, leui iugo suo nos subdidisse, & sarcina leui; vnde sacramentis numero paucissimis, obseruatu facillimis, significatione præstantissimis societatem noui populi colligauit.* Ex quibus fit: 1. Iugum non minus redditur absolutè graue, & importabile ex ma-

magnitudine, quàm ex pluralitate rerũ, ex quibus componitur; non minùs enim graue est deferre vnam rem, cuius pondus est centum librarum; quàm deferre decem res, quæ simul sumptę ponderent centum; sed lex scripta fuit iugum absolutè graue, & importabile, vt testatur *Scriptura*; lex autem naturæ fuit mitior, & lex gratiæ suauior, & leuior, vt docet Christus Dominus; ergo lex scripta habuit plura sacramenta, quàm lex naturæ, & lex gratiæ.

5 Prob. 2. Vbi sunt plures ceremoniæ, plura holocausta, plura sacrificia specie diuersa, plures figuræ significantes gratiam mundantem à peccatis, ibi sunt plura sacramenta, quæ secundùm suam rationem formalem sunt signa, seu figuræ gratiæ à peccato mundantis; sed in lege scripta fuerunt plures ceremoniæ, plura holocausta, plura sacrificia specie, imò genere diuersa & plures figuræ significantes gratiam à peccatis mundantem; vt patet *ex Leuit; Exod; & Deut*; ergo fuerunt plura sacramenta, quàm in lege naturæ, & gratiæ.

6 Conf. In lege scripta fuit circumcisio pro solis masculis, & ne perirent fœminæ sine remedio, debuit esse aliud remedium pro illis; in lege autem naturæ, & in lege gratię vnum fuit remedium pro omnibus. Insuper fuerunt tot purificationes, mundationes à peccatis, quæ non erant in lege naturæ, & in lege gratiæ cessarunt; quia adueniente figurato cessare debuerunt figuræ; ergo in lege scripta fuerunt plura sacramenta, quàm in lege naturæ, & gratiæ.

7 Præterea in lege naturę populus erat rudior, vt diximus, quàm in lege scripta, in qua fuit *per scripturam* edoctus; ergo paucioribus documentis erat erudiendus ad Christi fidem; minùs capax est enim homo rudis plura apprehendendi, quàm homo doctus; atqui sacramenta vetera fuerunt documenta, quibus erudiebatur ad Christi fidem; fuerunt enim figuræ, & signa sacramentorum, quæ erant instituenda per Christum in lege Euangelica; ergo in lege naturæ sacramenta fuerunt pauciora, quàm in lege scripta. In lege autem gratiæ homo perfectam sapientiam edidicit à Christo; ergo paucioribus eguit documentis; *Sapienti enim pauca* ad intelligendum sunt necessaria.

8 Tandem vbi plures sunt morbi peccatorum, & remedia non sunt perfectissima, & excellentissima; ibi plures instituendæ sunt medicinę, vt valeant à quibusuis morbis sanare; sed in statu legis scriptæ fuerunt plura peccata, quàm in statu legis naturæ, nondum enim in tot vitia declinauerant homines, vt patet *ex Scripturarum* lectione; & in statu legis scriptæ sacramenta non erant adhuc perfectissima, & excellentissima, quoniam erant perficienda per Christum; significabant enim tantummodò, nõ autem causabant gratiam à peccatis sanantem, Christus autem ea eleuauit, vt etiam gratiam causarent; vt docent *Flor. & Trid*; ergo in statu legis scriptæ plura fuerunt sacramenta, quàm in statu legis naturæ, & gratiæ.

9 Ex his deducitur in statu gratiæ pauciora esse sacramenta nedum, quàm in statu legis scriptæ, sed etiam quàm in statu legis naturæ eo, quia sunt efficaciora, vniuersaliora, & præstantiora sacramentis legis naturæ, & scriptæ, vt dictum est; tum quia figuratum excellentissimum pluribus figuris debuit significari; tum quia in lege naturæ loco Eucharistiæ fuit panis, & vinum *Melchisedech*, esus Agni Paschalis, & manna, vt diximus; in lege autem gratiæ est sola Eucharistia, quæ his tribus correspondet; & sic de reliquis; etiam ergo in lege gratiæ fuerunt pauciora sacramenta, quàm in statu legis naturæ.

10 Numerus autem sacramentorum legis scriptæ ad tria genera redactus fuit *à D. Tho. 1. 2. q. 102. art. 2*; nam vel sacramenta ordinabantur ad constituendos homines in statu colendi Deum; & hoc dupliciter; scilicet vniuersaliter ad omnes homines *populi Hebraici*; & sic erat circumcisio, qua homines vniebantur populo Dei electo, & reddebantur capaces suscipiendi alia sacramenta legis scriptæ, & concurrendi ad sacrificia; & specialiter ad quosdam homines tantùm, tanquam ad idoneos ministros sacramentorum, & sacrificiorum; & sic erat consecratio summi Sacerdotis, & Sacerdotum minorum. Vel ordinabantur ad vsum rerum pertinentium ad cultum Diuinum; & hoc pariter dupliciter, scilicet vniuersaliter pro toto populo; vt erat esus Agni Paschalis; & particulariter pro solis Sacerdotibus, vt comestio panum propositionis. Vel ordinabantur ad tollendas quasdam immunditias legales, tanquam impedimenta ad exercendum cultum Diuinum; & hoc dupliciter. 1. Ad tollendas immunditias à toto populo; vt erant expiationes à peccatis, quæ fiebant per sacrificia pro tota communitate. 2. Specialiter, & singulariter pro singulis, vt sacrificia pro vno tantùm oblata. 3. Ad tollendas immunditias Sacerdotum; vt erant purificationes propriæ solis Sacerdotibus; v.g. ablutio manuum, & pedum, & rasio pilorum. Hæc autem omnia non fuerunt in lege naturæ; aliter in lege scripta non fuissent nouiter instituta, sed continuata; & in lege gratiæ cessarunt; ergo in lege scripta plura sacramenta fuerunt, quàm in statu legis naturæ, & gratiæ.

11 Obijc. Non omnia sacrificia, aut ceremoniæ fuerunt sacramenta; ergo ex pluralitate sacrificiorum, & ceremoniarum non arguitur pluralitas sacramentorum.

Resp. dist. ant. Non omnia sacrificia, aut ceremoniæ purgatiuæ, mundatiuæ ab immunditijs peccatorum, aut in quibus fiebat oblatio pro peccatis, fuerunt sacramenta, neg; non omnia sacrificia, aut ceremoniæ non purgatiuæ, &c; transeat. Cùm igitur sacrificia, in quibus fiebant obla-

oblationes pro peccatis, & quibus purgabantur, & purificabantur ab immunditijs, fuerint plura in lege scripta, quàm in lege naturæ, & gratiæ; ideo plura etiam fuisse sacramenta rectè colligitur.

ARTIC. V.

An, & quot sint sacramenta in statu legis Euangelicæ?

1 ETsi *haeretici* concedant in lege Euangelica fuisse instituta sacramenta, quibus à peccatis mundamur,& roboramur,ne in vlteriora peccata relabamur; attamen circa eorum numerum turpiter errant ita, vt nedum à Catholicis discrepent, sed etiam inter se non conueniant.

2 *Montanus* Eucharistiam,& Matrimonium negauit. *Massilianus* baptismum. *Lutherus* verò *lib. de captiuit. Babilon.* modò vnum, modò duo, modò tria sacramenta tantùm admittit; inquit enim: *Principio neganda sunt mihi septem sacramenta, & tantùm tria pro temporo ponenda, baptismus,pænitentia,& panis. Quanquam si vsu scripturæ loqui velim, nonnisi vnum sacramentum habeam, & tria signa sacramentalia; nam Eucharistia, & absolutio sunt rememoratiua promissionis,& adoptionis baptismi.* In fine verò libri habet: *Si rigidè loqui volumus, tantùm duo sunt in Ecclesia sacramenta, baptismus, & panis.* Hæc duo tantùm admittunt *Melancton,Illiricus in Confess. Antuerpien; & Kemnit.in 2.p. exam. Alij* his duobus addunt pœnitentiam; vt *plerique Lutheranorum in suis cathechismis. Alij* baptismum, cęnam,& matrimonium, vt *Zuingl. lib.de vera, & falsa relig. Caluin.* etiam inconstans modò tantùm duo admittit,baptismum,& cœnam,vt *lib.4.instit. c.19. §.18; & 20;* modò addit ordinationem, vt *ibid. c.19.§.31.* monens, quòd cùm dixit esse tantùm duo sacramenta, locutus est de sacramentis toti Ecclesiæ communibus. Hanc sententiam sequuntur *Caluinistæ* excludentes pœnitentiam, quia in illa nullum est signum visibile,sed audibile tantùm; quanuis *aliqui ex ipsis* modò quatuor, modò quinque admiserint ordinationem, & consignationem addentes. Tandem *Vuicleff* pœnitentiam,& contritionem negauit. *Vid. Bellarm.lib.2.de Sacram. c.25.*

3 Vnica concl. Dogma fidei est dari in statu legis Euangelicæ, seu in Ecclesia Catholica vera sacramenta,eaque non esse plura, aut pauciora,quàm septem. Ita definitum fuit *in Conc.Constanti* in quo damnatus est articulus *Io. Hus asserentis Sacerdotes Catholicos infideliter sentire de septem Ecclesiæ Sacramentis; Mogunt. can.4; Flor. in decr. vnionis Armenor; & Trid. sess.7. can. 1;* vbi statuitur: *Si quis dixerit sacramenta noua legis non esse omnia à Christo Domino instituta, aut esse plura,vel pauciora, quàm septem, videlicet baptismum, confirmationem, eucharistiam, pœnitentiam, extremam vnctionem, ordinem, & matrimonium, aut etiam aliquod horum septem non esse verè, & propriè sacramentum, anathema sit.*

4 Prob. *à Fund. Doct. Aeg. tract. super Salut. Angelic.fol.14.col.2. ex Diuinis Scripturis*, in quibus quanuis non exprimatur tantùm septem esse sacramenta in lege gratiæ, clarè tamen colligitur esse septem mysteria, quibus annexa fuit à Christo gratiæ collatio,quod idem est, ac dicere septem esse sacramenta. Formatur sic ratio. Signa sensibilia collatiua gratiæ sunt sacramenta propriè loquendo; hæc enim est sacramentorum nouæ legis definitio; sed in statu legis Euangelicæ septem sunt signa collatiua gratiæ; nempe baptismus, de quo dicitur *Io.3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua,& Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*;renasci autem non habetur,nisi per gratiam,per quam liberamur à morte peccati, & vitam spiritualem acquirimus; cōfirmatio *Act.8;& 19;*vbi de Apostolis dicitur: *Imponebant manus super eos, qui baptizati erant in nomine Domini Iesu, & accipiebant Spiritum Sanctum*; per quem diffunditur gratia in cordibus nostris; Eucharistia, de qua *Io.6.* dicitur: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*; vita autem æterna gratia est, & non acquiritur, nisi per gratiam;pœnitentia,de qua *Io.20.Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c;* remissio autem peccatorum fit per gratiam;extrema vnctio,de qua *Marc.6.Vngebant multos ægrotos, & sanabantur*, quod intelligitur præcipuè de animę salute, quæ est per gratiam; *& ep. Iac.5. Infirmatur quis in vobis &c; & si in peccatis fuerit, remittentur ei*; ordo,de quo *2. Tim.1. Vt resuscites gratiam, quæ in te est per impositionem manuum meurum*;& matrimonium *Matth. 19. Quod Deus coniunxit, homo non separet*; super quod *Apost.1. Cor.7. Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi, & iterum reuertimini in idipsum,ne tentet vos Sathanas propter incontinentiam vestram*;quibus verbis indicatur gratia, quæ per matrimonium confertur ad superandam tentationem. Idem habet *inferiùs*; *Si non se continent, nubant; meliùs est enim nubere, quàm vri*; & tandem:*Cui vult, nubat tantùm in Domino*, idèst in Dei gratia; ergo in statu legis Euangelicæ septem sunt sacramenta Euangelica *iuxta Diuinas Scripturas.*

5 Prob.2. ex perpetua traditione vniuersalis Ecclesiæ, de qua *S.P.Aug. ep. 118. ad Ianuar.* ait: *Vnde sacramentis numero paucissimis, obseruatione facillimis, significatione præstantissimis societatem noui populi colligauit, sicut est baptismus Trinitatis nomine consecratus, communicatio corporis, & sanguinis ipsius,& si quid aliud in scripturis Canonicis commendatur, exceptis ijs, quæ securitatem populi veteris pro congruentia cordis illorum,& prophetici temporis onerabant, quæ & in quinque libris Moysi leguntur. Illa autem, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum Orbe* ob-

obseruantur, dantur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenarijs Concilijs, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata, atq; statuta retineri; ex quo sic. Quod obseruatur in tota Ecclesia per totum Orbem diffusa, est ab Apostolis traditum, vel *à Concilijs plenarijs* statutum, & est de fide seruandum; sed septem esse sacramenta legis Euangelicę obseruatur in tota Ecclesia per totum Orbem diffusa; Ecclesia enim Orientalis *in Concilio Florētino* nullum habuit dubium circa numerum sacramentorum, quem perpetuò tenuit Ecclesia Occidentalis; & quem etiam seruat *Æthiopica Ecclesia*, vt refert *Damianus Goez*; ergo septem esse nouæ legis sacramenta traditum est ab Apostolis, vel *à Concilijs plenarijs* statutum, adeoq; est de fide seruandum.

6 Præterea iste numerus colligitur *ex antiquis PP*; & præsertim *ex S. P. Aug. qui omnium instar est* (inquit *Becc. in man. de Sacram. n.* 40.) Quamuis enim collectiuè nō asserat esse septem, attamen sparsim id asserit. Nam *in ps.* 103. *conc.* 1. *Respice ad munera ipsius Ecclesiæ: Munus sacramētorum in baptismo, in Eucharistia, in cęteris sanctis sacramentis, quale munus est?* Quibus verbis enumerat baptismum, & Eucharistiam. *l ib.* 2. *cont. lit. Petiliani c.* 204. de confirmatione habet; *In hoc vnguento sacramentum Chrismatis vult interpretari, quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse baptismus*; quod repetit *tract.* 3. *in ep.* 1o; *& in ps.* 30. *Non sine causa signum suum Christus in fronte nobis figi voluit tanquam in sede pudoris, ne Christi opprobrio Christianus erubescat.* De pęnitentia loquitur *lib.* 1. *de adulterinis coniugijs c.* 26; *&* 28. *Eadem est causa baptismi, & reconciliationis, sine quibus sacramentis homines credunt se non debere exire de corpore.* De vnctione extrema *serm.* 215. *de temp. Quoties aliqua infirmitas superuenerit, corpus, & sanguinem Christi ille, qui ęgrotat, accipiat; & deinde corpusculum suum vngat, vt illud, quod scriptum est, impleatur in eo: Infirmatur aliquis &c.* De ordine *lib.* 2. *cont. ep. Parmeniani c.* 13. *Vtrunq; sacramentum est, & quidem consecratione vtrunq; homini datur; illud, cùm baptizatur; istud, cùm ordinatur; adeoq; in Ecclesia Catholica vtrunq; non licet iterare.* De matrimonio *lib.* 1. *de nupt; & concup. c.* 10. *Huius sacramenti res est, vt mas, & femina connubio copulati, quandiù viuunt, inseparabiliter perseuerent.* Quod repetit *locis allegatis superiùs art.* 3. *n.* 15; *& sępe alibi. Vid. Becc.* vbi; qui affert *alios textus eiusdem S. P. Aug.*

7 Numerus iste septennarius sacramentorum nouę legis præfiguratur in multis *scriptura* locis; vt in septem lucernis ardentibus in candelabro *Exod.* 25. *&* 40; in septem lotionibus 2. *Reg.* 2; in septem spicis plenis *Gen.* 41; in septem columnis sustinentibus templum, idêst Ecclesiam, quæ sacramentis firmatur. *Prou.* 9. *Vid. Petrum Bungo, & Antonium Brixian. in Commentarijs*, vbi plura de hac re inueniuntur. Plures autem rationes congruentiales afferuntur *à DD.*

8 Prima ratio sumitur *ex Conc. Flor. in decr. vnionis Armen*; & eam docuit *D. Tho. hic q.* 61. *art.* 1. Ex ordine, quem tenet vita naturalis hominis, possumus arguere ordinem, quem tenet vita spiritualis ipsius; ex ijs enim, quæ videmus, possumus assurgere ad intelligenda ea, quæ non videmus, vt docet *Apost*; sed naturalis hominis vita ita ordinatur, vt primò generetur. 2. Augetur, & roboratur. 3. Alitur, & nutritur. 4. Eius corpus infirmum curatur. 5. Reficiuntur vires ex ægritudine debilitatæ, & tollitur languor corporis. 6. Accipit potestatem politicam gubernandi Rempublicam, cuius est membrum. 7. Ordinatur ad propagandam, & conseruandam speciem; ergo in vita spirituali ita se habet, vt priùs regeneretur per baptismum, per quē transit à morte peccati ad vitam gratiæ. 2. Per confirmationem roboratur, & eius vires augentur. 3. Per Eucharistiam alitur, & nutritur eius vita spiritualis. 4. Per pęnitentiam à morbis peccatorum curatur. 5. Per extremam vnctionem tolluntur peccatorum reliquiæ, & animæ languores. 6. Per ordinem accipit potestatem administrandi alijs vitam spiritualem per sacramenta. 7 Per matrimonium habet officium propagandæ naturæ. Sicut autem prima quinque habet homo in vita naturali per ordinem ad se, & duo postrema per ordinem ad alios; ita in vita spirituali prima quinque sacramenta ei competunt per ordinem ad se ipsum, reliqua duo per ordinem ad alios homines.

9 Secunda sumi potest *ex Fund. Doct. Æg. in Hexam p.* 2. *c.* 41. sic. Regeneratio hominis correspondere debet creationi Vniuersi; dicitur enim homo mundus paruus eo, quia mūdo magno assimilatur, quia continet in se aliquid omnium rerum, quæ sunt in mundo, cùm sit compositus ex corpore, & spiritu, sicut componitur mundus. Cùm igitur Deus sit vniformis in agendo, ideo recreatio hominis assimilari debuit mūdi creationi; sed mundus creatus fuit septenno dierum numero; ergo homo recreatus fuit à Christo septenno sacramentorum numero.

10 Tertia affertur *à nostro Argentin. hic dist.* 2. *q.* 1. *art.* 3. Mala, quæ peccatum intulit homini, sunt septem; sed tot sunt sacramenta, quot sunt mala, quæ peccatum intulit homini; ergo sacramenta sunt septem. Prob. ma. Mala illata homini per peccatum sunt malum culpæ, & malum pęnæ; malum autem culpæ triplex est, scilicet peccatum originale, peccatum mortale personale, & peccatum veniale; malum verò pęnæ quadruplex, scilicet ignorantia in intellectu, malitia in voluntate, infirmitas in irascibili, & concupiscentia in concupiscibili; tria autem, & quatuor faciunt septem; ergo mala, quæ peccatum intulit homini, sunt septem. Prob. mi. Sacramenta sunt medicinæ, quibus curamur à morbis, & vulneribus peccatorum, vt *sup.* diximus;

mus; ergo, cùm vnicuiq; morbo, & vulneri appropriata est medicina, tot esse debent medicinæ, quot sunt mala per peccatum illata. Atqui sacramenta sunt medicinæ appropriatæ his malis; quia per baptismum tollitur peccatum originale; per pœnitentiam peccatum personale; per extremam vnctionem peccata venialia; per ordinem tollitur ignorantia in intellectu, dicitur enim *Malach. 2. Labia sacerdotis custodiunt scientiam;* debent enim sacerdotes legem populo explicare, distinguere lepram à lepra, eiq; remedium congruum applicare; per Eucharistiam tollitur malitia in voluntate, quia communicatur maius bonum bonorum; per confirmationem tollitur infirmitas in irascibili, roboratur enim, & fortificatur homo contra inimicos fidei; & per matrimonium frænatur concupiscentia; ergo septem tantùm nouæ legis sunt sacramenta.

11 Quarta sumitur per ordinem ad virtutes; cùm enim sacramenta instituta sint in remedium, quo tolluntur peccata, esse debent etiam in exercitium virtutum, quæ opponuntur peccatis; *vnumquodque* enim *tollitur per suum oppositum*; sed virtutes principales sunt septem, tres scilicet Theologales, & quatuor Cardinales, ergo septem sunt sacramenta. Igitur baptismus, qui dicitur *sacramentũ fidei*, ordinatur ad exercendum actum fidei; extrema vnctio, quæ nos fortificat ad superandos hostes in fine vitæ in spe vitę æternę, ordinatur ad actum spei; Eucharistia, quæ est pignus summæ dilectionis, qua Deus dilexit homines, ordinatur ad actus charitatis; confirmatio, quæ roborat animam per ordinem ad tuendam fidem, ordinatur ad actum fortitudinis; pœnitentia, quæ satisfacit Deo per peccatum offenso, ordinatur ad actum iustitiæ; ordo, qui perficit intellectum, ad actum prudentiæ; & matrimonium, quod frēnat concupiscentiam, ad actum temperantiæ.

12 Dices. Istę rationes æquè probant in statu legis naturæ, & in statu legis scriptæ, ac in statu nouæ legis; nam in quolibet ex his statibus debuit homo regenerari per fidem Christi ad vitam spiritualem, & recreari; & fuit septuplex malum, ad quod depellendum ordinatæ sunt septem virtutes; sed in statu legis naturæ, & legis scriptæ non fuerunt septem sacramenta, vt diximus; ergo neque in statu nouæ legis.

Resp. neg. ma; nam in statu legis naturæ, & legis scriptæ non fuit perfecta hominis sanatio, quia in illo statu nullus consequi potuit salutem ęternam; nam vt habet *Fund. Doct. Æg. in Hexam. vbi s.* sacramenta veteris legis erant imperfecta, quia perficienda per Christum; non enim erant tantæ virtutis, & efficaciæ, vt possent immediatè, & statim hominem transferre ad vitam æternam, poterant enim solùm transferre homines iustos decedentes ad *Abrahæ* sinum, vt ibi quiescerent, vsquedum Christus aperiret portas Cęlorum. At sacramenta nouæ legis fuerunt ita perfecta per Christum, è cuius latere profluxerunt, & tantam efficaciam sumpserunt, vt si homo decedat statim post baptismum, & post alia sacramenta, si nullum adsit impedimentum, recta via euolet ad æternam vitam sanctorũ; quapropter docet *S. P. Aug. in ps. 73. sacramenta nouæ legis dant salutem, sacramenta veteris legis promiserunt Saluatorem*; quia sacramenta vetera efficiebant solùm, vt homines decedentes cum illis consecuturi essent salutem per Christum, & post Christi aduentum. Propter hoc non debuerunt dari tria sacramenta in illis duobus statibus, vt diximus *art. 3. à n. 15.*

13 Obijc. 1. *Kemnit. Scriptura* nusquam asserit septem esse sacramenta; sed in re tanti momenti non debemus asserere nisi id, quod habet *Scriptura*; ergo non debemus asserere septem esse sacramenta 2. *Apoc. 17.* Angelus vocat sacramentum *bestiam*, quæ septem capita habebat; ergo septennarius numerus pertinet ad Antichristum, qui per illam bestiam figuratur.

Resp. ad 1. *scripturam* neque asserere sacramenta esse duo, vel tria, vt ipsi hæretici asserunt. Quamuis autem id non afferat expresse, habetur tamen expresse ex traditione, & deductiuè *ex scriptura*, vt monstratum est; nec non *ex plenarijs, & generalibus Concilijs*, quorum fides ineluctabilis est, cùm legitima sunt. Ad 2. dicitur sacramentum *loc. cit.* sumi latè, prout idem est, ac mysterium, vt diximus *art. 1. n. 4*; non strictè, & propriè, vt sumitur in præsenti. Præterea *ipsemet Io.* declarat nomine septem capitum se intelligere *septem Reges, & septem montes*, super quos sedebat mulier fornicaria, cuius nomine significatur *Roma* idololatra, quæ plena erat *nominibus blasphemiæ*, idèst numinibus falsis, & cũ suis tyrannis *pugnauit cum Agno* occidẽdo Christianos, & victa est *ab Agno*, quia conuersa fuit ad fidem.

14 Obijciunt 2. *alij. D. Dion. lib. Hier. Eccl.* enumerat solùm quinq; sacramenta omissa extrema vnctione, & matrimonio, nisi quòd vnctionis loco describit quandam mortuorum vnctionem. Idem habet *S. Cypr. serm. de ablut. pedũ, & serm. de vnctione chrismatis. S. Ambr.* verò tria dumtaxat, scilicèt baptismum, confirmationem, & Eucharistiam agnoscit; & asserit se plenam sacramentorum omnium notionem dedisse. *Ita lib. 6. de Sacram. c. 2. S. P. Aug. lib. 19. cont. Faust. c. 13; lib. 3. de doctr. Christ. c. 9; & ep. 118;* tantùm duo, vel tria enumerat. *S. Cyrill. Hierosolimit. in catechesibus mystagogicis* affert tãtùm baptismum, chrisma, & Eucharistiam. *Sic Iustin. in 2. Apologia; Irenaus, & Tertull. lib. 1; & 4. cont. Marcion, & lib. de corona militis* non plura, quàm duo, vel tria sacramenta recensent. Tandem *Greg. Magn.* vt refertur *1. q. 1. c. multi* enumerat solum baptismum, chrisma, & corpus, & sanguinem Christi.

Resp. *D. Dion.* in illo loco agere solùm de officijs, & functionibus Episcoporum, & sacerdotum

dotum cum quadã consecratione; propter quod non debuit agere de matrimonio, & extrema vnctione, in quibus nulla consecratio interuenit. Ad *D.Cypr.* dicitur illos sermones falsò illi attribui; sed cuiuscunq; sint; dicitur non esse institutũ illius *ibid.* agere de omnibus Ecclesiæ sacramentis, sed tantùm de aliquibus, vt patet *ex titulis sermonum cit.* Ad *D.Ambr.* dicitur egisse tantùm de ijs sacramentis, quibus initiabantur recenter baptizati, vt testatur *lib.3.c.2*; atq; de istis ait se plenariè tractasse. Idem dicitur *ad D. Cyrill; & ad D. Greg.* Ad *D.P.Aug.* dicitur eius intentum *in illis locis* non esse enumerare omnia sacramẽta nominatim, sed solùm in communi; ac propterea exempli gratia aliquos nominare, & cętera subticere; vt patet *ex ps. 103. conc. 1. Munus sacramentorum in baptismo, Eucharistia, in cæteris sanctis sacramentis*; quæ tamen enumerat sparsim, vt vidimus; & ratio huius est; quia nulla fuerat eo tempore quæstio, vel hæresis circa numerum sacramentorum; sed communiter concedebantur ab omnibus, quia habebantur ex traditione, & *ex Concilys*, vt asserit ipse *in ep. 118*; ergo nulla erat necessitas omnia singillatim referendi. Hac de causa etiam *Iustin; Iren; & Tertull.* non omnia retulerunt, quamuis *alys in locis* de alijs etiam sacramentis præter *hic* recensita sermonem habuerint; vt *Tertull.* de confirmatione, & vnctione *lib.1.cont. Marcion; & lib. de resurrect. carnis.* Sic dicitur *ad D.Greg.* cuius intentum non erat illo loco afferendi numerum sacramentorum.

15 Obijc. 3. Sacramenta fluxerunt è latere Christi, vt docent *SS. PP;* sed è latere Christi exiuit solùm sanguis, qui significat Eucharistiã; & aqua, quæ significat baptismum, vt exponunt *Chrys; Dam; Cyrill; & aly*; ergo duo tantùm sunt sacramenta. 2. Tres sunt baptismi, scilicet fluminis, flaminis, & sanguinis; ergo sacramenta sunt plusquam septem.

Resp. ad 1. dist. mi. Sanguis significat Eucharistiam, & aqua baptismum secundùm aliquam rationem particularem, & secundum rationem generalem ambo significant omnia sacramenta, conc; secus, neg; nam sanguis, prout significat immolationem Christi Agni immaculati, significat Eucharistiam; sed prout significat generaliter, quòd omnia sacramenta suam efficaciam deriuarunt à sanguine effuso pro nobis à Christo Domino, significat omnia sacramenta, quia omnia à sanguine Christi efficaciam traxerunt. Sic aqua, prout significat materiam, qua fit sacramentum ablutionis ab originali peccato, significat tantùm baptismum; prout verò generaliter significat mundationem ab omni peccato, & à vulneribus peccatorum, significat omnia sacramenta. Vel dicitur baptismum, & Eucharistiam ordinari, tanquam extrema, ad alia sacramenta, tanquam ad media; ideo non possunt ista significari sine illis; quia relatiua sunt simul etiam significatione. Ad 2. dist. ant. Sunt tres baptismi, & tria sacramenta, neg; tres baptismi, & vnum sacramentum, conc; de ratione enim sacramẽti baptismi est aqua naturalis, verba: *Ego te baptizo &c*; & intentio ministri; quæ tria deficiunt in sacramentis flaminis, & sanguinis, ideo non sunt sacramenta distincta à sacramento fluminis; sed ad summum dicuntur sacramenta per analogiam ad istud.

16 Obijc. 4. Cibus sanctificatus, qui dabatur catechumenis, appellatur sacramentum *à S. P. Aug. lib.2. de pecc. mer; & remiss. c. 26*; & lotio pedum facta à Christo in cęna dicta est sacramentum *à D. Ambr. lib. 3. de sacram. c. 1; & D. Bern. serm. de cæna Domini*; & illa lotio habuit annexam promissionem gratiæ, vt colligitur ex illis verbis *Io. 13. Si non lauero te, non habebis partem mecum*; ergo sacramenta sunt plusquam septem. 2. Septem ordines sunt septem sacramẽta; quod saltem de ordinibus sacris nequit negari, habent enim annexam gratiam, & imprimunt caracterem; ergo idem. 3. Eucharistia datur sub speciebus panis, & vini; & tam sub speciebus panis, quàm sub speciebus vini est verum sacramentum; ergo idem. 4. Episcopatus imprimit caracterem; ergo idem.

Resp. ad 1. cibum illum, & lotionem dici sacramentum latè, prout idem est, ac mysteriũ; nec colligitur ex illis verbis *Io.* lotionem illam ex vi sua conferre gratiam, sed solùm significasse, quòd sumptio corporis, & sanguinis Christi requirit animam ablutam à peccatis. Ad 2. dist. ant. Sunt septem sacramenta, quæ constituunt vnum sacramentum ordinis, conc; secus, neg. Ad 3. dist. 2. pars ant. Est verum sacramentum partiale ordinatum ad vnum sacramentum totale, conc; secus, neg; nam sicut sanguis est pars corporis, quæ integrat vnum totum cum illo; ita species vini significant tantùm sanguinem formaliter ex vi verborum existentem in illis, quãuis totus Christus per concomitantiam existat in illis. Ad 4. dicitur Episcopatum imprimere magnitudinem caracteris sacerdotij; quapropter Episcopus dicitur sacerdos magnus. *Sed de his suis locis* dicemus.

17 Quæres, quem ordinem teneant hæc sacramenta inter se?

Resp. ordinem triplicem esse, scilicet causalitatis, seu dependentiæ; dignitatis, seu excellentiæ, aut maioritatis; & necessitatis. Si loquamur de ordine causalitatis, seu dependentiæ, aut prioritatis, qua vnum aliud præcedit, eiq; præsupponitur, ita se habent, vt baptismus præcedat confirmationem, confirmatio Eucharistiã, hæc pęnitentiam, hæc extremam vnctionem, hæc ordinem, & hic matrimonium eodem prorsus ordine, quo disposita fuerunt *per Conc. Flor; & Trid.* Ratio ducitur ex dictis; nam prior est generatio, & ideo baptismus, per quem regeneratur homo; deinde augmentatio, & roboratio,

& ideo

& ideo confirmatio; deinde nutritio, & sic Eucharistia; deinde euratio à morbis, & sic est pœnitentia; deinde conualescentia, seu sanatio à reliquijs morborum, & sic est extrema vnctio; deinde administratio vitæ spiritualis per ordinem ad alios, & sic est ordo; tandem propagatio naturæ, & sic est matrimonium.

18 Si loquamur de ordine dignitatis, & excellentiæ, dignissimum, & excellentissimum omnium est Eucharistia, quia continet substantialiter ipsum Christum fontem sanctitatis omnium sacramentorum; Ita *Trid. sess.* 13. c. 3; & habetur *in decretali Alex. V. c. nihil*; *vbi Glos. & de consecr. c. multi.* Tum quia dicit esse permanens; alia verò sacramenta consistunt in ipsa actione, fieri, & vsu, quæ transeunt. Tum quia cętera sacramenta ordinantur ad Eucharistiam, vel ad effectum ipsius; nam baptismus, & pęnitentia ordinantur ad receptionem; confirmatio ad illam suscipiendam magna cum fide; extrema vnctio ad immediatam vnionem cum Christo, quæ vnio est effectus eucharistiæ; ordo ad illam conficiendam; & matrimonium medendo concupiscentiæ, quæ illam impedit.

19 Notat tamen *Fund. Doct. Æg. lib. cont. exemptos c.* 24; quòd aliquod sacramentum potest dici magnum quadrupliciter. 1. Quantùm ad id, quod continet; & sic magnum sacramentum est Eucharistia, quæ continet Christum Deum, & hominem. 2. Quantùm ad efficaciam, & sic magnum sacramentum est baptismus, quo absoluimur ab omnibus peccatis siue originali, siue personalibus. 3. Quantùm ad ministeriū, & sic confirmatio est magnum sacramentum, quia de lege ordinaria non confertur, nisi per Episcopum. 4. Quantùm ad significationem; & sic matrimonium *ab Apost.* dicitur magnum sacramentum, quia significat coniunctionem Christi cum Ecclesia. Ex quo apparet, quòd secundùm alias, & alias rationes vnum sacramentum potest dici maius, & non maius alio; quo soluuntur aliquæ instantiæ, quæ possent fieri contra ordinem dignitatis sacramentorum.

20 Tandem si loquamur de ordine necessitatis, tria sacramenta, nempe baptismus, pęnitentia, & ordo sunt necessaria simpliciter necessitate medij ita, vt baptismus sit necessarius respectu omnium, quia nullus sine ipso vel in re, vel in voto saluatur; pęnitentia respectu adultorum, qui peccauerunt post baptismum; ordo licèt non sit necessarius in omnibus, est tamen necessarius in aliquibus, quia sine ipso nequeūt administrari pęnitentia, confirmatio, Eucharistia, & extrema vnctio. Eucharistia verò non est necessaria pro paruulis, nec pro adultis in re, quanuis possit dici necessaria omnibus adultis in voto, vt vult *noster Gibb.* Confirmatio, & extrema vnctio sunt tantùm ad melius esse; potest enim quis saluari sine illis, dummodò ea non negligat ex contemptu. Tandem matrimonium non est necessarium singulis hominibus, vt *Apost. & Trid. sess.* 24. *can.* 10. statuunt; quanuis sit necessarium pro tota communitate.

21 Dices. Io. 6. habetur: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis*; ergo Eucharistia est omnibus necessaria.

Resp. *S. Tho. ex D. P. Aug. hic art.* 4. *ad* 2. intelligendum esse *hunc textum* de manducatione spirituali per fidem, non de corporali per sacramentū. Sed de his omnibus fusiùs agemus, cùm de singulis sacramētis in particulari sermo erit.

§. 1.

An Christus immediatè instituerit omnia sacramenta nouę legis; & an potestas instituendi sacramenta fuerit communicabilis puræ creaturæ?

22 DVo quæruntur *in titulo*, quorum vnum adiuuat explicationem alterius, ideo simul iunguntur, vt clarior sit vtriusq; decisio.

23 Duplex potestas sequens duplicem naturam fuit in Christo; alia principalitatis, & auctoritatis independentis primariæ, quæ est propria naturæ Diuinæ, adeoq; simpliciter incommunicabilis purę creaturæ, quæ est homo tantùm, non Deus. Per hanc potestatem confertur efficienter sacramentis virtus productiua gratiæ sanctificantis, & causatur simpliciter gratia sanctificans, quæ à solo Deo principaliter potest causari. Non quærimus in præsenti, an Christus, vt homo, per hanc potestatem instituerit sacramenta, & an hæc potestas sit communicabilis puræ creaturæ; certum enim est *apud omnes* neque Christum, vt homo erat, neque aliquam puram creaturam posse habere potestatem primariam, indepēdentem causatiuam gratiæ, cùm omnia, quæ sunt propria hominis siue hipostaticè vniti, siue non vniti, sint à Deo creata, atq; adeò à Deo dependentia. Igitur in hoc sensu solus Deus est causa institutiua sacramentorum. Alia potestas fuit in Christo ministerialis excellentię à Deo illi communicata, & ideo dependens, per quam potuit eligere aliquas res sensibiles, ad quarum applicationem gratia conferatur à Deo. Hæc potestas, vt docet *Fund. Doct. Æg. lib. cont. exempt. c.* 14, importat. 1. Quòd suis actibus meruerit gratiam conferendam hominibus per sacramenta. 2. Quòd hæc signa sensibilia habuerint ex meritis ipsius efficaciam significandi, & causandi gratiam. 3. Quòd in nomine habentis talem potestatem sanctificentur, & ministrentur sacramenta. 4. Quòd habens talem potestatem possit gratiam conferre etiam extra sacramenta. De hac potestate loquimur in præsenti, & de institutione facta secundùm hanc potestatem.

24 *Aliqui ante Concilium Trid.* voluerunt Christum non instituisse immediatè per se ipsū, sed tantùm mediatè, scilicèt per Apostolos ex-

extremam vnctionem; & idem à fortiori dicunt de ordinibus subdiaconatus, & diaconatus, vt notat *Æstius*. Sic videntur sentire *Hug. de S. Vict. lib. 2. de sacram. p. 15. c. 2; & Mag. hìc dist. 23; alij* verò volunt confirmationem institutam fuisse *in Conc. Meldensi; vt Alen. 4. p. q. 24. membr.* 1. His accedit *noster Farnacques de sacram. in com. c. 2. q. 2; & 3;* vbi ait *Trid.* statuisse tantùm omnia sacramenta fuisse à Christo instituta; non autem immediatè tantùm per se ipsũ; nã aliqua instituit per Apostolos post ascẽsionẽ in Cęlũ; & hoc probat *ex Iodoco Rauesteyn Tilitano, & Ruardo Tappero*, qui interfuerunt *eidem Conc;* & postea scripserunt sic declarantes *Concilium*. Addit, quòd licèt Christus aliqua sacramenta instituerit per Apostolos, attamen illa instituit immediatè, sicut quanuis Deus simul agat cum creatura; attamen agit immediatè.

25 *Omnes* tamen *alij* tenent omnia sacramenta fuisse à Christo, vt homine, immediatè instituta; & post allatum *canonem Tridentini in sup. art.* substinent esse de fide; vt volunt *Vasq; Lug; & noster Gibb;* nam *Concilium sess. 14. can. 1.* asserit extremam vnctionem fuisse à Christo institutam, & *à D. Iacobo* promulgatam; *& sess. 21. c. 2.* in Ecclesia semper fuisse potestatem instituendi, & mutandi ceremonias sacramentorum *salua illorum substantia;* nempe materia, & forma, quæ sunt de essentia sacramentorum. Quibus verbis expresè docet potestatem instituendi materiam, & formam sacramentorum nunquam fuisse in Ecclesia, idèst in nullo membro Ecclesiæ, sed solùm in Capite Christo Domino; Apostoli autem procul dubio fuerunt in Ecclesia, & membra Ecclesiæ; ergo in ipsis non fuit potestas instituendi, sed solùm promulgandi sacramenta à Christo Domino immediatè instituta. *Vid. Fund. Doct. Æg. in prolog. 3. Sent; & in Opusc. super salut. Ang. fol. 14. col. 2; & in c. Cùm Martha de celebr. miss. à fol. 9.*

26 Quoad 2. *aliqui* putant potestatem ministerialis excellentię à Deo delegatam, & ex commissione ita propriam esse Dei hominis, vt solus Christus, in quantùm homo, potuerit esse, & dici institutor sacramentorum eo, quia nedum habet, vt homo, designare res sensibiles, scilicèt materiam, & formam, quibus est annexa gratiæ causatio, & collatio, sed etiam habet, vt Deus, potestatem auctoritatis, & principalitatis, per quam potest simpliciter causare gratiam, eamq; conferre ita, vt quanuis puro homini communicaretur potestas designandi res sensibiles, non diceretur simpliciter institutor sacramentorum. *Ita Mastr. hìc disp. 1. q. 6; Card. Laurea, & alij Scotistæ,* quorum tamen *aliqui* asserunt esse quæstionem de puro nomine, vt *Ponc; alij* etiam de re, vt *Laurea*.

27 *Cæteri omnes DD.* docent potestatem ministerialem hanc communicabilem esse puro homini, qui rectè diceretur institutor sacramentorum. Collig. *ex Fund. Doct. in 3. dist. 1. p. 2. q. 1. art. 3;* vbi docet, quòd Deus potuit mundum redimere per purum hominem; quòd si munus, & nomen Redemptoris potuit puro homini cõmunicare, non videtur, quòd non potuerit ei cõmunicare potestatẽ instituendi, & nomen institutoris sacramentorum. Hanc sententiam tradit *noster Gibb. hìc disp. 6. dub. 1; omnes Thomistæ, & Neoterici cõmuniter;* nec non *plures ex Scotistis.*

28 Vnica concl. Omnia sacramenta nouæ legis fuerunt à Christo, vt homine, immediatè instituta ante ascensionem in Cęlum; & quanuis potuerit Deus communicare puro homini potestatem ministerialis excellentiæ delegatam, ex commissione, & dependentem, per quam rectè diceretur talis homo institutor sacramentorum; attamen de facto non iniunxit homini, nisi puram illorum promulgationem, & potestatem instituendi, ac mutandi ceremonias, quæ potestas semper fuit in Ecclesia Dei.

Prob. 1. concl. 1. *ex Apost. 1. Cor. 4. Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei;* sed minister Christi, vt hominis, non habet potestatem excellentiæ super omnes homines, quia est inferior Christo, vt homine, & eius potestas subditur potestati Christi, tanquam inferior superiori; & dispensator mysteriorum est simplex promulgator, non institutor, sicut tubicen promulgans decretum aliquod Regis non dicitur institutor illius decreti; ergo nulla sacramenta nouæ legis fuerunt ab Apostolis instituta, sed à Christo ante ascensionem in Cęlum. 2. Ex verbis *Luc. Act. 1.* asserentis, quòd *Christus præbuit se ipsum viuum post passionem suam in multis argumentis apparens eis, & loquens de Regno Dei;* idèst de Ecclesia ædificanda, & ministranda; & hoc certum est fuisse ante ascẽsionem in Cęlum; ex quo clarè deducitur tunc reuelasse eis materias, & formas sacramentorum; cùm enim Ecclesia ex sacramentis sit ædificata, quæ illam formant, non potuit eis loqui de Ecclesiæ ædificio, nisi specialiter locutus fuisset de sacramẽtis ab ipsis promulgandis. Atqui non potuisset loqui de sacramentis specialiter, nisi illa determinasset, & instituisset in sua specie, seu essentia; ergo Christus ante ascẽsionem in Cęlum instituit omnia sacramenta nouæ legis, quorum promulgationem solùm iniunxit Apostolis. 3. Euidenter deducitur ex Euangelijs; vt diximus *in sup. art. n. 45 & art. 2;* nam confirmatio, & extrema vnctio, de quibus est dubium, habentur expresè *Io. 20; & Marc. 6;* sed omnia, quæ narrantur instituta in Euangelijs, fuerunt à Christo immediatè instituta ante ascensionem in Cęlum, Euangelia namq; sunt historiæ eorum, quæ fecit, & passus est Christus; & quorum promulgationem demandauit Apostolis *Marc. vlt. Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ; & Matth. vlt. Docentes eos seruare omnia, quæcunque mandaui* vo-

vobis; ex quibus manifestè colligitur omnia sacramenta fuisse à Christo instituta; & Apostolis communicata, vt ea omnibus prædicarent, & docerent ea esse ab omnibus seruanda; aliter eis non dixisset omnia, quæ prædicare, & promulgare debuerant, sed aliqua in eorum potestate determinanda reliquisset; ergo Christus ante ascensionem instituit omnia sacramenta nouæ legis. Hinc. S. P. *Aug. lib. 3. de doctr. Christ. c. 9.* inquit: *Sacramenta nouæ legis Dominus ipse, & Apostolica nobis tradidit disciplina*; constat autem, quòd potestas institutiua est potestas magisterij, quod fuit in Christo, qui edocuit Apostolos, & disciplina est in Discipulis, qui ea recitant, quæ audierunt, & didicerunt à magistro; ergo ex Euangelijs apertè colligitur omnia sacramenta fuisse à Christo, vt homine, immediatè instituta. 4. 1. *Cor. 1.* habetur: *Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis?* Quibus verbis volens Apostolus schismata *Corinthiorum* sedare asserentium: *Ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego autem Cephæ*; docet, quòd licèt ab Apostolis sacramenta didicerint, atq; susceperint; attamē Apostoli nec mortui sūt pro illis, nec in nomine Apostolorum sacramenta receperunt; sed solus Christus mortuus est pro omnibus, & solùm in nomine ipsius sacramenta traduntur; ergo ipse solus sacramenta instituit; res enim institutæ solius Institutoris nomine traduntur, vt constat; & solus ille instituit sacramenta, qui moriendo pro omnibus meruit omnibus, vt gratiam per sacramenta reciperent. Ex quibus sic. Ille solus instituit sacramēta, qui meruit omnibus gratiā, quæ per sacramenta cōfertur, & in cuius nomine sacramēta tradūtur, & qui potest etiā extra sacramēta gratiā conferre; quoniā illā absolutè meruit omnibus, & ideo illā potest omnibus, quomodocunque voluerit, cōferre; & qui potestatē excellētiæ ministerialis supra omnes homines habet, cùm enim sacramēta instituta sint pro omnibus hominibus, qui *in Adam* mortui sunt, vt viuificentur per gratiam; ideo institutor sacramentorum potestatem super omnium vitam habere necesse est; sed solus Christus est huiusmodi, non Apostoli, vt claret; ergo solus Christus instituit sacramenta, idèst determinauit materiam, & formam sacramentorum. 5. Plures etiam conuenientiæ id probant; nam maior reuerentia sacramentis præstatur ex eo, quòd fuerint à Christo instituta, quàm ab Apostolis. Item magis commendatur excellentia sacramentorum ex eo, quòd per potestatem excellentissimam Christi sint instituta, quàm per potestatem puro homini delegatám à Christo. Tum quia Christus ædificauit Ecclesiam, cuius fundamenta præcipua sunt sacramenta; ædificium autem non fit, nisi determinando materiā, ex qua debet constare. Tum quia Christus per se ipsum sacramenta instituendo, & relinquendo Ecclesiæ potestatem instituendi sacramentalia clariùs distinxit sacramenta à sacramentalibus; & circa ipsa minùs potest error contingere. Tum quia magis probatur vnitas fidelium in Christo per sacramenta, vt arguit Apostolus *contra Corinthios*. Tandem vt homines sacramenta recipientes spem solùm ponant in Christo, vt mox dicemus *cum S. P. Aug*; ergo etiam congruum fuit Christum per seipsum sacramenta immediatè instituere.

29 Prob. 2. pars concl. *ex S. P. Aug. tract. 5. in Io.* vbi quærens, quomodò *Ioannes* poterat asserere se Christum nescire, cùm dixit: *Et ego nesciebam eum*; cùm ei priùs dixerit Spiritus Sanctus: *Super quem videris Spiritum S. descendentem, & manentem super eum; hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto; & ego vidi*; tum quia antea videns Iesum venientem ad se dixerat: *Ecce Agnus Dei, ecce, qui qui tollit peccatum Mundi. Hic est, de quo dixi: Post me venit vir, qui ante me factus est*. Respondet autem S. P. *Ioannē* non ignorasse Christi personam, quam optimè nouerat, sed pro tunc solùm ignorasse, an Christus potestatem baptismi sibimetipsi soli retenturus esset; an verò alijs communicaturus? *Potuit* enim, inquit S. P; *Dominus noster Iesus Christus dare potestatem alicui seruo suo, vt daret baptismum suum vice sua, & transferret à se baptizandi potestatem, & constitueret in aliquo seruo suo, & tantam vim daret baptismo translato in seruum, quantam vim haberet baptismus datus à Domino. Hoc noluit ideo, quia in illo esset spes baptizatorum, à quo se baptizatos agnoscerent. Noluit ergo seruum ponere spem in seruo. Ideoque clamabat Apostolus, cùm videret homines volentes ponere spem in seipso: Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis? Baptizauit ergo Paulus, tanquam minister, non tanquam ipsa potestas. Intendite, & potuit hanc potestatem seruis dare, sed noluit*. Arguitur autem sic. Omnia, quæ competunt Christo ratione humanæ naturæ, possunt competere ei, cui competit humana natura, cum hoc tamen discrimine, quòd Christo etiam dona supernaturalia competunt naturaliter ratione personalitatis Diuinæ, cui naturaliter competunt omnia dona supernaturalia; vt ostendimus *to. 5. q. 7. art. 2. §. 1*; at puro homini quæcunque dona supernaturalia competunt ex mera gratia Dei; sed potestas ministerialis excellentiæ dependens à Deo competit Christo ratione humanæ naturæ; ergo potestas ministerialis excellentiæ dependens à Deo potest competere ei, cui conuenit humana natura. Sed hæc competit puro homini; ergo & illa huic potest competere. Ma. patet discurrendo per singula dona naturalia, & supernaturalia, quæ sunt in Christo, vt gratia habitualis, charitas &c; & ratio est; quia cui potest competere esse, possunt etiam competere ea, quæ consequuntur ad illud esse, siue ex natura, siue ex gratia. Mi. etiam est euidens; quia potestas ministerialis excellentiæ delegata, commissionalis, & dependens non

competit Christo ratione naturæ Diuinę, quæ est independens, & principalis, adeoque omnia, quæ ei competunt ratione naturæ Diuinæ, independentia sunt, sicut ipsa natura, & independenter ei conueniunt; ergo potestas ministerialis excellentiæ competit Christo tantùm ratione humanę naturæ. 2. *Cùm Fund. Doct. Aeg. in 3. vbi sup.* Munus redemptionis humanæ potuit competere puro homini; quoniam Deus potuit Mundum, seu totum genus humanum per hominem liberare à captiuitate peccati, & à potestate Diaboli; potuit enim dare puro homini tantam gratiam, vt constitueret eum Caput morale omnium hominum, sicut constituit *Adam* caput naturale simul, & morale; & merita illius hominis puri in gratia constituti acceptare pro satisfactione omnium peccatorum omnium hominum; & sic omnes homines à peccatis redimere; sed potestas miuisterialis excellentię cõpetit Christo ratione muneris Redemptionis; quia Redemptio facta est per Christi mortem; & à latere Christi morientis sacramenra fluxerunt; quoniam sua morte nos redemit, & redemptio in actu non ponitur nisi per sacramenta; vnde sicuti Auctor est vitę totius generis humani; ita est Auctor sacramentorum, quibus totum genus humanum potest vitam acquirere; ergo potestas ministerialis excellentię potest competere puro homini. 3. Mereri gratiam omnibus hominibus conferendam per signa sensibilia; & mereri, quòd talia signa sensibilia habeant efficaciam significandi, & causandi gratiam à Deo creandam; & mereri, quòd in nomine proprio sanctificentur, & conferantur illa signa; & tandem mereri, quòd possit illam gratiam etiam extra sacramenta à Deo impetrare aliquibus hominibus, non repugnat homini puro, quia ei non repugnat talis plenitudo gratiæ, quæ sit principium horum meritorum; sed potestas ministerialis excellentiæ importat hæc quatuor, vt *sup.* diximus; ergo potestas ministerialis excellentiæ puro homini non repugnat, & ideo potest homini puro à Deo communicari. 4. Sola ea, quæ extrahũt creaturam à statu creaturæ, & quæ destruunt eius essentiam, omnipotentiæ Dei sunt deneganda; sed potestas ministerialis excellentiæ non extrahit creaturam à statu creaturæ; quia hæc potestas est inferior, & subordinata potestati Dei, eique subditur, tanquam causa instrumentalis causæ principali; potestas autem inferior, & subordinata potestati Dei conuenit creaturæ, vt constat, adeòque illam non eleuat supra sphęram creaturæ, neq; essentiam creaturæ destruit, sed perficit; ergo potestas ministerialis excellentiæ puro homini potest competere.

30 Obijc. 1. cont. 1. part. concl. *S. Cypr. serm. de ablut. pedum* ait: *Summus Sacerdos* (idèst Christus) *sui* (idèst Eucharistiæ) *est sacramenti institutor; in cæteris homines Spiritum Sanctum habuere Doctorem*. 2. S.P. *Aug. ep.* 118. ait baptismum, & Eucharistiam fuisse à Christo institutore; cetera verò *vel ab ipsis Apostolis, vel plenarijs Concilijs, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata, atque statuta retineri*; ergo idem. 3. Christus communicauit *Petro* claues, quibus significatur potestas ministerialis institutiua sacramentorum. Præterea nedum *Petrus*, sed etiam omnes alij Apostoli conferebant baptismum in nomine Christi sine forma consueta baptismi; & confirmationem sine Chrismate, quod est materia confirmationis per solam manuum impositionem: & sic probabile est contulisse alia sacramenta sine debita materia, & forma; ergo habuerunt potestatem designandi alias res sensibiles, quibus conferebatur gratia; & per consequens potestatem instituendi sacramenta.

Resp. ad 1; quòd vt diximus *in sup. art. n.* 14; communis sententia est *illos sermones* falsò adscribi S. *Cypr*; vt notant *Aestius, Gonet, Gibb. & alij*. Præterea dicitur nomine *sui sacramenti* significari nedum sacramentum Eucharistiæ, sed etiam omnia alia sacramenta, quæ vnum sacramentum dicuntur propter gratiam, quam significant; sicut omnia Christi præcepta propter charitatem, quæ per illa seruatur, vnum præceptum sunt; vt inquit *S. Greg.* super illud *Io. 5. Hoc est præceptum meum*; asserens: *Quia omne mandatum de sola dilectione est; & omnia vnum præceptum sunt*. Sic quia omnia sacramenta ordinantur ad gratiam conferendam hominibus; vnum quodammodò sacramentum dicuntur. Nomine autem *cæterorum* intelligit sacramentalia, quæ per Ecclesiam instructam à Spiritu Sancto instituta fuerunt. Ad 2. dicitur S. *Patrem Aug.* apertissimè docere omnia sacramenta fuisse à Christo, vt homine, immediatè instituta. Nec obstat, quòd nominet solum baptismum, & Eucharistiam *in illa ep*; nam cętera sacramenta indicat illis verbis: *Et si quid aliud in scripturis canonicis commendatur*. Cùm autem subdit illa, quæ non sunt scripta, sed tradita, *ab Apostolis, vel plenarijs Concilijs commendata, atque statuta retineri*, loquitur de solemnitatibus, festiuitatibus, ieiunijs, alijsque ritibus, consuetudinibus, & ceremonialibus; affert enim exemplum passionis, Paschatis, Ascensionis &c. Ad 3. dicitur, quòd Christus communicauit *Petro* potestatem ministerialem tantùm, non autem excellentiæ eo modò, quo diximus *to. 4. de fide q. 4. art. 1. n.* 11 *& art. 5. per totum*; non enim communicauit *Petro* potestatem conferendi gratiam extra sacramenta, quam habuit ipse Christus; & ideo nec communicauit potestatem instituendi sacramenta; cùm eadem potestas, quæ potest instituere res sensibiles, vt conferant gratiam, possit etiam gratiam tribuere sine his sensibilibus. Dedit ergo potestatem quantùm ad ministerium sacramentorum, quantũ ad ceremonialia, ad definiendas causas fidei, & morum, ad censuras ferendas &c. Ad aliud resp. *Fund. Doct. Aeg. in ep. ad Rom. c. 6. lect. 19.*

dub. 1

dub. 1; & in c. firmiter de Summa Trin. fol. 4. col. 2. in primitiua Ecclesia baptismum collatum fuisse in nomine Christi ex speciali Dei dispensatione, vt nomini Christi reuerentia exhiberetur; in quo nomine tamen implicitè Trinitas dabatur intelligi; nam Christus idem est, ac vnctus; quo significatur Pater vngens, Filius vnctus, & Spiritus Sanctus, qui est vnctio. Similiter dicitur de confirmatione; cùm enim materia huius sacramenti præparata non esset, in illa fuit pro illo tempore à Deo dispensatum specialiter. *Sed de hoc q. 2. de bapt. art. 6, & de confirm. q. 1. art. 4.*

31 Obijc. 2. In lege naturę fuit in hominibus potestas designandi actiones externas sacramentorum, vt diximus *art. 3. §. 1*; & in lege scripta *Moyses* determinauit materiam, & formam; ergo in puro homine fuit potestas excellentiæ ministerialis, cui derogare non debuit Christus, qui auxit dona, non subtraxit.

Resp. sacramenta in lege naturæ, & scripta à solo Deo fuisse instituta; *Moyses* enim promulgauit materiam à Deo constitutam; & quauuis determinatio actionum externarum in lege naturæ fuerit à Deo in hominũ arbitrio relicta; attamen homines non fuerunt institutores illorum sacramentorũ, sed Deus eo, quia ad hoc, vt quis sit institutor sacramentorum, requiritur nedum, vt determinet res sensibiles, sed etiam, vt illis conferat efficaciam significãdi, vel etiam conferendi gratiam; in hoc enim formaliter sacramenta consistunt. Quauuis autem homines in statu naturæ potuissent determinare actiones externas, attamen quia illis non dederunt efficaciã significandi gratiam, nõ enim meruerunt salutem ijs, quibus illa sacramenta conferebantur; nec ea sacramenta conferebantur in nomine ipsorũ; nec poterant gratiam conferre etiam extra illa sacramenta; ideo illorum non fuerunt institutores.

32 Obijc. 3. cont. 2. part. concl. 1. *Scot. apud Mastr. n. 234.* Illius propriè est sacramenta instituere, cuius nedum est determinare signum sensibile gratiæ, sed etiam conferre gratiam significatam per illud signum; sed solus Deus potest conferre gratiam, quia solus Deus est Auctor gratiæ; ergo soliusDei est sacramenta instituere; & per consequens potestas institutiua sacramentorum non est communicabilis puro homini. Prob ma. De ratione essentiali sacramenti nouæ legis est nedum significare gratiam, sed etiam illam causare; ergo illius tantùm est sacramenta instituere, cuius proprium est gratiam causare. 2. *Vasq.* Potestas instituendi sacramenta illi tantummodò conuenit, à quo oritur primum decretum circa substantiam sacramentorum; quia instituere nihil aliud est, quàm rem ab initio statuere, & decernere, sed primum decretum circa substantiam sacramentorum à solo Deo potuit oriri; ergo solus Deus habet potestatem instituendi sacramenta. 3. Deus non potest tribuere creaturæ potestatem creandi; ergo neque instituendi sacramenta; quia hæc est potestas iustificandi, cùm sacramenta habeant vim iustificandi; iustificatio autem est maior, quàm creatio Cœli, & terræ; vt docet *S. P. Aug.*

Resp. hæc nimis probare; probant enim neque Christo, vt homini, communicatam fuisse potestatem instituendi sacramenta; quia Christus, vt homo, non habuit virtutem producendi gratiam, nec primò decernendi sacramenta, nec virtutem creandi, hæc enim tria habuit, vt Deus, non vt homo, vt constat. Attamen certum est *apud omnes* à Christo, vt homine, instituta fuisse sacramenta, fluxerunt enim è latere ipsius morientis; latus autem, & mors non conueniunt, Christo, nisi quatenus homo, nõ quatenus Deus. Tum quia Christo, vt homini, *data est omnis potestas in Cœlo, & in terra*, vt habetur *Matth. vlt.* Ad 1. igitur dist. ma. Cuius est conferre gratiam vel principaliter, vel ministerialiter excellenter, conc; tantùm principaliter, auctoritatiuè, neg; & sic distincta mi. neg. cons; Christus enim fuit causa ministerialis physica gratię, vt diximus *to. 5. q. 19. art. 4*; & meritoria; vt diximus *ibid. q. 8. art. 1. §. 2*; hoc autem sufficit, vt verè dicatur institutor sacramentorum; sicut enim quãuis creatura causet, vt instrumentum Dei per potestatem à Deo receptam, attamen dicitur verè causa; ita quanuis Christus, vt homo, instituerit sacramenta per potestatem ministerialem, attamen verè dicitur institutor eorum: ita à pari de puro homine. Ad 2. eodem modo dist. ma. Potestas principalis, auctoritatiuè, irrecepta, conc; potestas ministerialis, delegata, & dependens, neg. Idem argumentum potest fieri de potentia causandi, vt patet. Ad 3. eodem modo dist. ant. Deus nequit tribuere creaturæ potestatem creandi principaliter, auctoritatiuè, conc; ministerialiter indirectè, vt diximus *to. 5. q. 10. vbi sup; & hic infra* dicemus *q. 3*: cùm de causalitate sacramentorum agemus, neg.

33 Inst. Illius est instituere sacramenta, cuius est illis tribuere virtutem causandi gratiam; sed sola causa principalis gratiæ, vt est Deus, potest tribuere virtutem sacramẽtis causandi gratiam; quia sacramenta sunt instrumenta gratiæ, causa autem tribuens instrumentis virtutem causandi est principalis, non instrumentalis, instrumenta enim recipiunt virtutem, & agunt in virtute causæ principalis; ergo sola causa principalis potest instituere sacramenta.

Resp. eodem modo dist. ma. Cuius est tribuere virtutem vel principaliter, auctoritatiuè; vel ministerialiter, & meritoriè, conc; tantùm principaliter, auctoritatiuè, neg. Sic dist. mi. Sola causa principalis potest tribuere virtutem instrumentis principaliter, auctoritatiuè, conc; ministerialiter, & meritoriè, neg; vnum enim instrumentum potest tribuere virtutem alteri subordinato, receptam tamen principaliter à causa principali, vt cùm quis duplici malleo, quorum vnus

vnus sit fixus supra clauum, & ab altero immediatè percutiatur, scindit clauum.

34 Obijc.4.cont.eandem. Potestas ministerialis excellentiæ conuenit Christo ratione vnionis hipostaticæ, sed hæc non est in puro homine; ergo neque illa

Resp. dist. ma. Conuenit Christo naturaliter, conc; ex gratia, neg; vt supra diximus; homini autem puro conueniret merè ex gratia Dei, non naturaliter.

An autem Christus determinauerit materiam, & formam, *in seq.q.2.art.3.vid.*

ART. VI.

Quomodò sacramenta veteris, & noua legis differant inter se?

1 SAcramenta veteris legis differre à sacramentis nouæ legis nedum in ceremonijs, & ritibus, sed etiam in aliquo alio definitum est esse de fide *à Trid.sess.7. can.2.* statuente: *Si quis dixerit noua legis sacramenta à sacramentis veteris legis non differre, nisi quia ceremonia sunt alia, & alij ritus, anathema sit.* Sic enim sentiebant *Recentiores haretici*, quos *hoc Canone* damnat *Concilium*. Illud autem aliud, in quo differunt, iam declarauerat *Conc. Florentinum in decr. vnionis Armenor;* vbi loquens de sacramentis nouæ legis ait: *Quæ multùm à sacramentis differunt antiquæ legis; illa enim non causabant gratiam, sed eam solùm per passionem Christi dandam figurabant; hæc verò nostra & continent gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferunt.* Et colligitur *ex Ap. Hebr. 10;* vbi asserit sacramenta vetera vmbram fuisse sacramentorum futurorum nouæ legis; & nunquam potuisse *accedentes perfectos facere*; & mox: *Impossibile enim est sanguine taurorum, aut hircorum auferri peccata*; & *sup. c.9.* dixerat, quòd Christus non *per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta aterna redemptione inuenta*; quibus verbis clarè ostenditur gratiam redemptionis datam non fuisse per sanguinem hostiarum, quæ offerebātur in sacramentis veteribus, sed quatenus erant vmbræ, & figuræ sanguinis Christi, quo instituta fuerunt sacramenta nouæ legis. Deducitur pariter ex ijs *Scriptura* locis, in quibus dicitur, quòd lex non iustificabat, quod tamen præstat fides Christi; idēst lex vetus per sua sacramenta gratiam iustificantem non conferebat, sicuti illam confert per sua lex noua. Tandem *idem Apost. ad Gal. 4.* vocat sacramenta vetera *infirma, & egena elementa*; quia vim iustificandi non habebant; sacramenta verò nouæ legis efficaciam traxerunt à Sanguine Christi, cùm ex eius latere fluxerunt. Idem discrimen tradit *S.P. Aug. in ps.73.* docens: *Sacramenta noua legis dant salutem; sacramenta veteris legis promittebant Saluatorem;* quod repetit *lib. 22. cont. Faust. c.69; & in ep.19. ad Hier.* ait sacramenta vetera esse non bona, quia illis homines non iustificabantur; *& serm. 13. de Verbis Apost. c.6.* illa vocat *carnalia.* Similia habet *innumeris alijs in locis.* Idem docent *communiter omnes alij SS. PP. & DD.* asserentes sacramenta veteris legis non iustificasse, nisi in fide Christi venturi. Idem tradit *Fund. Doct. in Hex.p.2.c.41.* Quæ iustificatio quomodò facta fuerit, declarabitur *inf.q.3;* vbi de effectu sacramentorum, qui est gratia, discurremus.

QVÆST. II.

De natura, & essentia Sacramenti?

EXplicata sacramenti notione, existentia, institutione, & numero rectà panditur via ad inquirendam eorum essentiam, & definitionem, per quam essentia explicatur. Quoniam autem duplex est rei definitio, scilicèt metaphysica, quæ datur per genus, & differentiam; & physica, quæ datur per materiam, & formam, quæ sunt partes physicæ componentes rem corporalem; ideo priùs agemus de definitione metaphysica sacramenti; & posteà explicabimus eorum materiam, & formam, sine quibus sacramenta non fiunt; vt eorum essentia per principia metaphysica, & physica explicetur.

ART. I.

Asseritur, & explicatur definitio sacramenti.

1 AGitur de definitione sacramenti communissimè, prout hoc nomen *sacramentum* conuenit sacramentis nouæ, & veteris legis; dicturi posteà, quomodò definitio asserenda applicanda sit solis sacramentis nouæ legis?

2 Tot definitiones, quot *Doctores*, qui de sacramentis scripserunt, propemodum sunt. Imò nedum inter *DD. Catholicos*, sed etiam inter hæreticos est summum diffidium; quia isti nedum diffident à Catholicis, sed etiam inter se discrepare videntur. Antequam tamen examinemus *DD. Catholicorum* placita, quæ in idem confluunt, & solùm secundùm modum explicandi differre videntur; recentiorum hæreticorum nugas censemus refellere.

§. 1.

Quid haretici asserant?

3 HÆretici sæculi elapsi conformiter ad eorum peruersas doctrinas sacramenti defi-

definitionem laborarunt inuertere. Omnes tamen conueniunt in negando sacramenta nouæ legis esse signa gratiæ interioris, & illam causare. Discrepant autem mirabiliter in assignando, quid significent?

4 *Luther. de captiuit. Babyl. c. vlt.* ait: *Sacramentum est promissio signo externo annexa*; & vt explicat *Herbrandus in Epitome*: *Est promissio Euangelica certa externa promissione vestita*. Sed contra 1. Hæc definitio non continet differentiam, per quam sacramenta distinguuntur ab alijs promissionibus externis, quæ non sunt sacramenta; vt fuit promissio facta *Noe Gen. 9.* de non inducendis ampliùs aquis diluuij super terram; quæ promissio fuit firmata signo externo, nempe iride, seu arcu cęlesti; & promissio *Rebecca* in spōsam *Isaac* accepto signo potationis serui, & camelorum *Abraha Gen. 74*; ergo allata definitio non explicat sacramenti naturam. 2. Sacramento est annexa promissio; vt baptismo salutis æternę annexa promissio est; dicitur enim *Marc. 16. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit*; quæ promissio annectitur etiam pœnitentiæ *Rom. 10. Ore autē cōfessio fit ad salutē*; Eucharistiæ annexa est promissio vitæ æternæ. *Io. 6. Qui mãducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*; & extremæ vnctioni annectitur remissio peccatorum *Iac. 5. Et si in peccatis fuerit, remittentur ei*: ergo sacramentum nequit esse promissio formaliter; aliter esset promissio promissionis, vel promissioni annecteretur promissio. 3. Sacramenta sunt instituta in remediū peccatorum, vel vulnerum per peccata inflictorum; vt docent *scriptura* allatæ *in sup. q. art. 2. n. 11; & art. 5. n. 4*; ergo non sunt puræ promissiones, quæ non sunt in remedium peccatorum, & vulnerum, vt constat; sunt enim in pręmium alicuius boni operis; vt in pręmium fidei *Abraha* promisit Deus illum facere in gentem magnam. Tum quia remedium peccatorum, vel vulnerū per peccata inflictorum essentialiter importat virtutem supernaturalem à peccatis, & à vulneribus peccatorum sanantem; constat enim nullã rem naturalem hanc virtutem habere, aliter naturaliter per vires naturales posset homo à peccatis resurgere, quod fides *in Pelagio* damnauit; sed nomine virtutis supernaturalis sanantis à peccatis, & à vulneribus peccatorum significatur gratia; ergo sacramenta sunt signa gratiæ, & non puræ promissiones.

5 *Melancton in Apologia Confess. Augustana* inquit: *Sacramentum est ritus, qui habet mandatum Dei, & cui addita est promissio gratię*; quibus verbis manifestè reijcit definitionem *Lutheri*; si enim sacramento addita est promissio, iam non est promissio; aliter idem sibimetipsi adderetur, quod est ineptum. Nomine autem *gratię* non intelligit gratiam interiorem sanctificantem, per quam tolluntur peccata, sed gratuitam remissionem peccatorum, per quam teguntur, & non imputantur peccata.

Sed hanc sententiam damnauit *Trid. sess. 7. can. 2.* Tum quia institutio rituum est in potestate Ecclesiæ, quæ potest eos instituere, & mutare pro temporum opportunitate, vt *omnes* fatentur *communiter*; potestas autem instituendi, & mutandi sacramenta non est in Ecclesia, vt est etiam indubium; ergo sacramentum non est ritus secundùm suam substantiam, quanuis aliquibus ritibus, & ceremonijs ab Ecclesia institutis, quæ illi accidunt, nec mutant illius substantiam, celebretur. Tum quia sacramenta viuorum, vt Eucharistia, non remittunt semper peccata mortalia, sumens enim Eucharistiam in peccato mortali *iudicium sibi manducat, & bibit*; vt ait *Ap. st*; ergo sacramentum non est ritus, cui est annexa remissio peccatorum, generaliter loquendo de omni sacramento; quanuis enim Eucharistia remittat venialia, & oblita; non tamen remittit ea, quorum memoria tenetur. Tum quia sacramentum est in remedium peccati, vt diximus *cont. Lutherum*; ergo idem. De tegumento autem peccatorum diximus *to. 4. q. 4. de Iustific. art. 1. §. 1.*

6 *Herbrandus in epitome* sic definit: *Sacramētū est ceremonia, vel sacra actio in Euangelio Diuinitus instituta constans verbo Dei, & elemento, qua tanquam sigillo promissio Euangelij propria de gratia, & reconciliatione cum Deo applicatur, confirmatur, & obsignatur*. Hæc sententia destruit definitionem *Melanctonis*, sigillum enim annectitur ceræ, quia illi aduenit, non cera sigillo; sic sacramentum, quod se habet, tanquam sigillum Diuinæ promissionis, annectitur Diuinæ promissioni, non è contra, vt ait *Melancton*.

Sed contra est. 1. Vsus sacramenti non est essentia sacramenti; vt sumptio Eucharistiæ non est sacramenti essentia, supponit enim sacramētum Eucharistiæ, antequam sumatur; sed applicatio, confirmatio, & obsignatio importat vsum sacramenti; sicut sigillatio, seu applicatio sigilli importat vsum sigilli, non substantiam sigilli, quam præsupponit; ergo applicatio, confirmatio, & obsignatio non est essentia sacramenti; atq; adeo hæc definitio non explicat essentiam definiti. 2. Vt dicebamus *contra Luther*; sunt multa signa, seu symbola confirmantia, & obsignantia Diuinas promissiones; vt arcus cęlestis, qui fuit signum externum fœderis inter Deum, & *Noe*; ros, & vellus, quo sigillata, confirmata, & obsignata fuit promissio victoriæ *Gedeonis cōtra Madianitas Iudic. 6*; retrogressio vmbræ horologij ad decem gradus fuit sigillatio, & obsignatio externa promissionis salutis recuperandæ à Rege *Ezechia 4. Reg. 10. &c*; quæ sine dubio non fuerunt sacramenta veteris legis; sic in noua lege linguæ flammeæ, quę visibiliter descēderunt super capita Discipulorum die Pentecostes, fuerunt signum, seu sigillum promissionis, qua Christus eis promiserat Spiritum Sanctum; eiectio Dæmonum à corporibus, pluralitas linguarum, fuga-

fugatio serpentum, curatio infirmorum, & cętera huiusmodi fuerunt sigillationes promissionis, qua Christus promiserat Apostolis credentibus in ipsum talem virtutem *Marc. 16*; & tamen nullus dixit, aut dicit hæc esse sacramẽta, de quibus agimus; ergo idem. 3. Impugnatur hæc sententia alijs rationibus, quibus impugnatæ sunt præcedentes, quantùm ad promissionem, & tectionem peccatorum, de qua *vid. to. 4. vbi s.*

7 *Caluin. lib. 4. Inst. c. 15. §. 1.* inquit: *Sacramentum est symbolum externum, quo beneuolentiæ erga nos promissionem conscientijs nostris Dominus obsignat ad sustinendã fidei nostræ imbecillitatem, & quo nos vicissim pietatem erga eum nostram testamur.* Ex his deducitur *Caluinum, & Herbrandum* conuenire in eo, quòd sacramentum sit sigillum, seu obsignatio Diuinæ promissionis; differunt tamen in eo, quòd *Caluinus* loquitur de promissione facta *Abrahæ*, & eius semini *Gen. 17*; *Herbrandus* verò de promissione nobis facta remissionis peccatorum; ille de promissione Diuinæ beneuolentiæ; iste de promissione misericordiæ; ille inquit hanc promissionem non applicari, sed tantùm obsignari; quapropter vult promissionem per fidem applicari in vteris matrum, per baptismum verò externè obsignari; iste autem vult per baptismum applicari, & obsignari; vnde ille ait infantem posse saluari sine baptismo, quia in vtero matris ei potest applicari Diuina promissio; iste verò negat asserens Diuinam promissionem non applicari, nisi per baptismum. Quantùm ad Diuinam promissionem, applicationem, & sigillationem reijcitur hæc sententia ijsdem rationibus, quibus fuit reiecta præcedens. Quantùm ad applicationem baptismi in vtero matris suo loco dicemus. Sed quòd sola fides non iustificet, iam diximus *to. 4. vbi s. n. 9*; & *loc. ibid. cit.* Quanuis igitur *Caluinistæ, & Lutherani* consentiant hominem per fidem iustificari; attamen discrepant, quòd primi asserunt hominem per fidem iustificari ante sumptionem sacramenti, & per sacramentum tantùm obsignari, vt veluti sigillo appenso diplomati declaretur iam talem hominem esse antea iustificatum per fidem. Isti verò dicunt hominem non iustificari per fidem ante vsum sacramenti, sed sacramento fidem excitari, & sic excitatam iustificare in vsu sacramenti.

8 Damnantur *Caluinistæ à Trid. sess. 7. can. 6*; quo anathema dicit asserentibus sacramenta nouę legis esse tãtùm signa externa iustitiæ iam per fidem acceptæ; sequeretur enim nulla sacramẽta esse necessaria ad salutem, quia non essent necessaria ad iustificationem, quæ sufficit ad salutem, cùm sine illis per solam fidem iustificatio habeatur; sed cons. est contra Euangelium; habetur enim *Io. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non introibit in Regnum Dei*: ergo homo per solam fidem non iustificatur ante sumptionem sacramenti. Et quanuis aliquando per fidem perfectâ charitate formatam iustificetur homo etiam ante actualem susceptionem sacramenti, vt docet idem *Conc*; attamen non iustificatur vi solius fidei, sed in sacramenti voto vi gratiæ sanctificantis, quæ cum perfecta charitate coniungitur. Tum quia fides se sola est impetratiua salutis; Christus enim respiciens ad fidem Paralytici, & illorum, qui eũ Christo obtulerant, remisit ei peccata *Mat. 9. Et videns Iesus fidem illorum dixit paralytico: confide fili, remittũtur tibi peccata tua*; tũ quia in oratione Dominica petimus remissionem peccatorum: *Dimitte nobis debita nostra*; oratio autẽ supponit fidem; vt docet *Apost. Rom. 10. Quomodo ergo inuocabunt, in quem non crediderunt*; inuocatio autem fit per orationem; ergo fides non est formaliter iustificatiua, sed solùm præcisè præparatiua ad iustificationem.

9 *Lutherani* quoq; damnantur *à Trid. vbi s. can. 8*; & confunduntur faciliter ex suis dictis; si enim fides, qua dicunt homines iustificari in sacramento, appenso scilicèt promissionis sigillo, est ea fides, qua credunt peccata sibi esse à Christo remissa; & per hanc fidem iustificantur: cùm sine hac fide præuia nemo debeat accedere ad sacramentum, consequens est, vt iustificentur ante sumptionem sacramenti; quod est contra Euangelium. Tum quia si sola excitatio fidei sufficeret ad salutem, sequeretur sacramenta non esse ad salutem necessaria, quia etiam sine sacramentis fides excitari potest. 2. Sequeretur paruulis, & amentibus sacramenta frustra applicari eo, quia in illis fides excitari non posit; quibus tamen fuisse fructuosè applicatã testantur *S. P. lib. 4. Confess. c. 4*; & *S. Leo ep. 91. ad Theodor.*

10 Fides ergo, spes, oratio, & attritio sunt dispositiones præuię ad salutem; quia per fidem medicina cognoscitur, per spem salus desideratur, per orationem ad eam appropinquatur, per attritionem à morbo receditur; & tandem per sacramentum salus acquiritur. *Vid. to. 4. vbi s.*

11 *Alij* dixerunt eundem esse vsum sacramentorum per ordinem ad iustificationem hominis, ac prædicationis Euangelij; quia non minùs sacramentum, quàm Euangelium *virtus Dei est in salutem omni credenti Rom. 1.*

Sed contra est. 1. Euangelium prædicandum est omni creaturæ iuxta Christi præceptum *Matth. vlt*; ergo nedum prædicandum est creaturæ credenti, vt confirmetur in fide, sed etiam non credenti, vt credat. Atqui sacramentum non est ministrandum omni creaturæ; & nulli adulto est concedendum, nisi credat; ergo non est eadem ratio de sacramento, & prædicatione Euangelij. 2. Ex promissione Dei certus est effectus sacramenti, v.g. baptismi remissio peccatorum: *Qui baptizatus fuerit, saluus erit*; dummodò administretur ei, cui est conferendum ex institutione Christi: At effectus prædicationis

Euan-

Euangelicæ non est certus, etiamsi administretur eis, quibus Deus prædicari iussit; effectus enim prædicationis est credere; & tamen non omnis audiens credit; ergo idem. 3. Prædicatio euangelij præcedit fidem; & fides præcedit iustificationem, quæ habetur in sacramento, & vi sacramenti, vt diximus; ergo non eodem modo se habet, ac sacramentum per ordinem ad iustificationem; quia dispositio ad iustificationem non instificat; forma autem, ad quam disponit, iustificat. 4. *Ex scripturis Diuinis* apertè colligitur sacramentis esse annexam remissionem peccatorum mortalium, vel venialium, vel sanationem à vulneribus peccatorum; vt diximus *in sup. q. art. 2. n. 11; & art. 5. n. 4*; prædicationi autem euangelicæ non est annexa *in scripturis* hæc remissio, & sanatio; ergo non est eadem vtriusque ratio.

12 Tandem *alij* putantes sacramenta non iustificare definierunt esse *notas Christianæ professionis, quibus Christi fideles ab infidelibus apud homines discernuntur, sicut Romani toga discernebantur à Græcis.*

Sed contra est. 1. Quanuis Christiani sacramentorum visibilium consortio colligentur, vt docet *S. P. Aug. lib. 19. contra Faust. c. 11*; attamen eorum vsus salutem operatur, vt subdit *idē S. P. ibid*; & compertissime id docent allatæ *scripturæ, Marc. 16. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit; Io. 20. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Act. 8. Tunc imponebant manus super eos, & accipiebant Spiritum Sanctum*; & sic de alijs sacramentis, vt diximus *in sup. q. art. 5*; ex quibus clarè monstratur per sacramenta nobis gratiam conferri, vt à peccatis, & vulneribus peccatorum sanemur; ergo non sunt meræ notæ distinctiuæ religionis. 2. Impugnātur alijs rationibus, quibus reiectæ sunt præcedentes sententiæ. Tandem *Conc. Trid. vbi sup. can. 6.* hanc quoque damnat sententiam.

13 Obijc. *Caluinistæ. 1. Gen. 15. Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam*; quod repetit *Apost. Rom. 4*; vbi ait, quòd *Abraham* recipiens sacramentum circumcisionis recepit *signaculum iustitiæ fidei*; ergo sacramenta sunt sigilla iustitiæ priùs per fidem acceptæ. Idem habetur *Rom. 3. Iustitia Dei per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes, qui credunt in illum; & c. 10. Corde creditur ad iustitiam.* 2. Ex illo *Rom. 1. Iustus ex fide viuit*; nusquam autem dicit *scriptura* iustum viuere ex sacramentis; *& Act. 15. Fide purificans corda eorum*; & iterum *Rom. 1. saluos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum*; ergo in baptismo, non sacramentum, sed fides mundat. 3. *Ex S. P. Aug. tract. 80. in Io. Iam vos mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis*; docente: *Quare non ait: Mundi estis propter baptismum, quo loti estis; sed ait propter verbum, quod locutus sum vobis, nisi quia & in aqua verbum mundat. Detrahe verbum, & quid est aqua, nisi aqua?* Nomine autem verbi intelligit *Aug.* verbum fidei; ergo sola fides iustificat in sacramento.

Resp. ad 1. *cum S. P. Aug. ep. 105.* per fidem inchoari iustificationem, ideo esse dispositionem ad illam; inquit enim: *Per fidem inchoatur iustitia nostra simul, & impetratur tota sequens iustitia*; & hoc expressè declarauit Christus docens ad salutem non sufficere fidem, sed requiri sacramentum; dixit enim: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit*; ergo sola fides ex verbis Christi non sufficit ad salutem. Sic dicitur *ad omnes alios textus scripturæ*, qui nostram iustificationem tribuunt fidei, tanquam fundamento, & initio totius nostræ iustificationis, non quòd non requirantur etiam sacramenta, quæ virtutē habent iustificandi, vt constat ex allatis, & *inf. afferendis rationibus*. Ad *S. P. Aug.* dicitur aquam ex fide Christi virtutem accipere, tanquam ex aliquo necessariò prærequisito; vel potiùs dicendum, quòd nomine *verbi* intelligit verba prolata: *Ego te baptizo*, quæ accedentia ad elementum, scilicèt aquam, faciunt sacramentum; vt *ibid.* inquit *idem S. P.* Hanc esse germanam solutionem patet *ex textibus* adductis *contra Caluinistas ex Diuinis scripturis, & ex D. P. Aug. lib. 19. cont. Faust. c. 11; & alibi.*

§. 2.

Resoluitur Articulus.

14 DOctores Catholici, quanuis concorditer teneant contra hæreticos sacramenta significare gratiam, qua à peccatis mundamur, & roboramur contra peccata; & si loquamur de sacramentis nouæ legis, gratiam continere, & conferre, vt statuit *Trid*; attamen mirabiliter discrepant in assignanda eorum definitione; quę discrepantia est solùm verborum eo, quòd vnusquisq; magis clarè, & adæquatè putat se explicare, quàm alter, hanc definitionem.

15 *Mag. sent. dist. 1.* tres affert *ex SS. PP.* definitiones, quarum prima traditur *à Fund. Doct. Æg. de celeb. missar. fol. 12. col. 2*; & est alijs communior, scilicèt: *Sacramentum est signum rei sacrę.* Secunda: *Sacramentum est inuisibilis gratiæ visibilis forma*; & vtraque sumpta est *ex S. P. Aug. lib. 10. de Ciu. Dei c. 15; & alibi.* Vtramque pariter tradit *Trid. sess. 13. in decr. de SS. Euch. Sacram. c. 3.* dicens: *Commune hoc quidem est SS. Eucharistiæ cum cęteris sacramentis symbolum esse rei sacræ, & inuisibilis gratiæ visibilem formam*; & habetur etiam *de consecr. d. 2. c. sacrificium.* Tertia: *Sacramentum est, quod ita est signum gratię Dei, & inuisibilis gratię forma, vt illius imaginem gerat, & causa existat.* Pręter has tres definitiones traditur alia *ex D. Greg.* vt habetur *1. q. 1. c. multi secularium: Sacramenta dicuntur, quia sub tegumento corporalium rerum Diuina virtus secretius salutem eorumdem sacramentorū operatur.* Afferit

Hug.

Hug. de S. Vict. has definitiones, nisi aliud addatur, esse diminutas; multa enim sunt signa gratiæ, vt sacrificia, martyrium, contritio, aspersio aquæ benedictæ, consecratio altaris, Abbatis, & cętera sacramentalia, quæ sacramenta non sunt; ideo tradit, seu ex illis potiùs formauit hãc aliam definitionem: *Sacramentum est corporale, vel materiale elementum extrinsecùs oculis suppositum, ex institutione significans, & ex similitudine repræsentans, & ex sanctificatione inuisibilem gratiam continens.* Sed sicuti Hugoni primæ quatuor definitiones visæ sunt diminutæ; ita hæc *Hugonis* visa est *alijs DD.* superflua, ex eo enim, quòd dicatur *signum gratię*, sufficienter explicatur, quòd sit signum corporale, & sensibile; quia signum debet esse notius, eùm per ipsum notificetur, re significata; sensibile autem est notius gratia, quæ est insensibilis; tum quia ex eo, quòd sacramentum sit signum datum homini in statu viæ, in quo homo solùm per corporalia intelligit spiritualia, ex eo, quòd præcisè dicatur sacramentum signum gratiæ, apertè indicatur esse corporale, & sensibile. Præterea ex eo, quòd nullum corporale sit essentialiter ex natura sua connexum cum re supernaturali, vt est gratia, clarè monstratur, quòd sacramentum non est signum naturale, sed ad placitum, & ex institutione Diuina. Item quia signum debet aliquo modo repræsentare rem significatam, sufficienter habetur, debere esse ex aliqua similitudine repræsentans Tandem quia sacramenta veteræ erant vera, quanuis imperfecta, sacramenta; & tamen non continebant gratiam, quam solùm significabant, vt ait *Conc. Flor.* ideo definitio *Hugonis* non conuenit communiter omnibus sacramentis nouæ, & veteris legis.

16 *Scotus etiam in 4. dist. 5. q. 2. art. 2. apud Mastr. hic disp. 5. q. 5. art. 5. n. 2.* definit sacramentum *signum sensibile gratiam Dei, vel effectum eius gratuitum ex Diuina institutione efficaciter significans ordinatum ad salutem hominis*; putauit namq; definitiones allatas à *Mag.* esse incompletas, ideo ex illis se completam formasse. Addit *sensibile* ad excludenda signa spiritualia, quæ non sunt sacramenta. Addit *vel effectum eius gratuitum* propter eucharistiam, per quam communicatur substantia corporis, & sanguinis Christi. Dixit *ex institutione Diuina* ad excludenda signa naturalia. Addit *efficaciter significans* ad excludenda signa cognoscendi, quæ sunt speculatiua, non practica, vt sunt sacramenta. Tandem addit *ordinatum ad salutem hominis viatoris* ad innuendum sacramentum institutum fuisse pro omnibus hominibus communiter, non tantùm pro aliquibus; quapropter verba Christi *ad Magdal. Luc. 7. Remittuntur tibi peccata tua*; & insufflatio in Apostolos *Io. 20.* non fuerunt sacramenta, quia non fuerunt instituta pro omnibus, sed pro determinatis personis.

Sed in hac quoq; definitione volunt *alij* esse multa superflua. 1. Illud adiectiuum *sensibile*, vt dictum est ad definitionem *Hugonis*. 2. Illud *vel effectum eius gratuitum*; quia nomine *gratiæ* significatur nedum sanctitas habitualis accidentalis, sed etiam substantialis, quæ est Christus, qui est fons omnis gratię. 3. Illud *ex institutione Diuina*, vt dictum est *ad Hugonem*. 4. Ex eo, quòd dicatur *gratia*, sufficienter colligitur sacramentum fuisse ordinatum ad hominis salutem vniuersaliter, quia gratia, quæ per sacramenta confertur, est ex morte Christi, qui *mortuus est pro omnibus*, non pro aliquibus; adeoq; vt per illam omnes ordinarentur ad salutem.

17 *Noster Gibb. ex D. Tho. hic art. 1.* putat, quòd melior definitio sit hæc: *Sacramentum est signum rei sacræ, vt nos sanctificantis*; quia inquit, ad definitionem sacramenti tria essentialiter requiruntur. 1. Vt sit *signum* loco generis. 2. Vt sit *sensibile* ad innuendum sacramenta instituta fuisse pro solis hominibus. 3. Vt *sit rei sacræ, vt sanctificantis nos* loco differentiæ essentialis; quia per hoc distinguuntur sacramenta ab alijs signis rerum sacrarum, quæ signa non sunt sacramenta; vt consecratio altaris &c.

Sed cùm res sacra habeat consecrare subiectum, cui applicatur, & in quo recipitur; & cùm consecratio principaliùs dicatur de consecratione interiori, quæ fit per gratiam sanctificantem consecrantem animam Deo, quàm de consecratione exteriori, quæ fit per sacramentalia; ideo etiam hoc sufficienter exprimitur per definitionem *Magistri*. Similiter dicitur de alijs definitionibus *ab alijs* allatis.

18 Ex his deducitur omnes istas, & omnes alias definitiones non esse diuersas à definitionibus *Magistri* sumptis *ex D. P. Aug*; & quibus vsum est *Concilium Trid*; adeoq; non esse, nisi puras explicationes illarum, non verò definitiones. Imò tertia definitio *ipsiusmet Mag.* non est, nisi prima, & secunda simul coniuncta. Definitio autem sumpta *ex D. Greg.* idem sonat, ac secunda; nam forma idem est, ac principium, seu virtus operandi; & cùm per gratiam habeatur salus hominus; ideo si sacramentum est forma operans gratiam, operatur hominum salutem. Remanet igitur tantùm duas propriè loquendo esse sacramenti definitiones; nempe *signum rei sacræ; & inuisibilis gratiæ visibilis forma.* Prima quidem videtur conuenire sacramentis veteris, & nouæ legis; vtraque enim habent significare gratiam cum hoc tamen discrimine, quòd illa significabant gratiam conferendam per Christum, & illis iustis in exercitio illorum sacramentorum applicatam in fide Christi venturi; ista verò significant, & conferunt gratiam ex meritis Christi, qui iam venit. Igitur

19 Vnica concl. Sacramentum secundùm rationem genericam, secundùm quam est commune sacramentis nouæ, & veteris legis optimè, & adequatè definitur *signum rei sacræ*; secundù

autem

autem rationem genericam magis contractam, secundùm quam significat sola sacramenta nouę legis, optimè, & adæquatè definitur *inuisibilis gratiæ visibilis forma*, & hoc conformiter *ad Conciliorum* doctrinam.

Prob. *Conc. Flor.* statuens discrimen, quod est inter sacramenta veteris, & nouæ legis docet, quòd illa significabant tantùm gratiam, non efficiebant; hæc verò illam significant, & efficiunt; ergo sacramenta veteris, & nouæ legis conueniunt in eo, quòd sint signa gratiæ; & differunt in eo, quòd illa gratiam non continebant, nec efficiebant; ista verò illam cōtinent, & efficiunt; sed prima definitio importat solùm significare gratiam, quod *ex Conc.* conuenit sacramentis veteris, & nouæ legis; ergo prima definitio conuenit sacramento secundùm rationē genericam, secundùm quam est commune sacramentis veteris, & nouæ legis. Præterea de ratione formæ est esse virtutē, & rationem agendi remotam, vel proximam; sed agens secundùm virtutem dicitur continere effectum, & illum efficere; agens enim dicitur agere per formam, tanquam per principium, quo agendi, & quo assimilat sibi passum; ergo de ratione formæ est continere, & producere effectum. Atqui sola sacramenta nouæ legis *ex Conc. Flor. & Trid. sess. 7. can. 6.* continent gratiam, quam efficiunt, & conferunt; ergo solis sacramentis nouæ legis conformiter *ad Conciliorum* doctrinam conuenit secunda definitio, qua sacramentum dicitur forma gratiæ.

20 Conf. Si allatæ definitiones adæquatè non explicatent sacramenti essentiam, sequeretur, quòd *Concilia, & SS. PP.* adæquatè non explicassent sacramenti notionem, & quiditatem, & sic mutila esset, & deficiens eorum doctrina; sicuti qui volens explicare naturam hominis diceret esse *Ens viuum sensitiuum*, adæquatè non explicaret naturam hominis, quia differentiam specificam, per quam constituitur in specie hominis, non attingeret; solùm enim per verba generalia, & prædicata communia discurreret; ita si *Concilia, & SS. PP.* adæquatè non explicassent essentiam sacramenti, solùm generaliter, & confusè locuti fuissent; sed hoc non est dicendum, nimis enim iniuriosum esset Magistris doctissimis, & sanctissimis, imò ipsi Ecclesiæ, cui nunquam defuit magisterium perfectè, & adæquatè explicandi, & docendi ea, quæ spectant ad fidem; ergo allatæ definitiones perfectè, & adæquatè explicant essentiam sacramenti. Atqui prima explicat tantùm rationem signi, in qua conueniunt sacramenta veteris, & nouæ legis, secunda verò explicat continentiam, & efficientiam, quæ conuenit solùm sacramentis nouæ legis; nam de ratione signi est vtique repræsentare aliquo modo rem significatam, non autem est illam continere in virtute, qua illam efficiat; ramus enim ante tabernam repræsentat quidem vinum vendibile, non tamen illud continet in virtute, qua illud possit producere; at verò de ratione formæ est continere effectum in virtute, qua potest illum producere; v.g. forma ignis dicitur continere ignem producendum in ligno, quia continet virtutem caloris, qua potest producere ignem; ergo prima definitio adæquatè explicat sacramentum communiter sumptum secundùm rationem genericam communem sacramentis nouæ, & veteris legis; secunda verò adæquatè explicat sacramentum nouæ legis, conformitèr *ad Concilia*.

21 Dices *Concilia, & SS. PP.* non fuisse sollicitos in examinandis, & afferendis definitionibus rerum spectantium ad fidem, sed hanc curam reliquisse Scholasticis; ideo nulla fit eis iniuria dicendo, quòd allatæ definitiones non sint adæquatæ.

Resp. *Concilia, & SS. PP.* sollicitudinem maximam posuisse in explicandis adæquatè fidei mysterijs ad hoc, vt nulla circa eorum rationes posset suboriri contentio, quæ fidem euerteret, & Ecclesiæ pacem turbaret; & licèt aliquando hoc præstiterint afferendo descriptiones, non definitiones, explicando pluribus verbis, quod paucioribus definire potuissent ad hoc, vt magis eorum doctrina claresceret; & hoc non est illis iniuriosum, sed decentissimum, quia sic magis in doctrina abundarunt; attamen explicationes eorum nunquam fuerunt mutilæ, & deficientes, sic enim doctrinæ eorum detraheretur non modicum; quia à sufficientia decideret. At allatæ definitiones non possunt dici descriptiones, quia duobus tantùm, vel tribus vocibus constant; descriptiones autèm debent pluribus verbis, quàm definitiones constare; ergo vel dicendæ sunt definitiones insufficiēter explicantes essentiam sacramenti, quod redarguit *Conciliorum, & SS. PP.* doctrinam; insufficienter enim explicatur essentia, quando inadæquatè, & incompletè explicatur; vel amplectenda est nostra conclusio, & dicendum alias definitiones sacramenti allatas à *Scholasticis* esse potiùs explicationes, & declarationes definitionum, quæ dictarunt *Concilia, & SS. PP.* quàm proprias, & rigorosas definitiones.

22 Tandem si essent definitiones inadæquatę, & diminutæ, maximè, quia non constarent ex genere proximo, quia signum diuiditur in spirituale, & sensibile; & ideo signum, *vt sic*, præscindendo à spirituali, & sensibili est genus remotum respectu signi sensibilis; nec constarent ex differentia vltima; nam res sacra conuenit etiam alijs rebus à gratia; & gratia habitualis non est res significata per Eucharistiam, quæ significat Corpus, & Sanguinem Christi; sed constant ex genere proximo, & differentia vltima adæquata; ergo sunt definitiones completæ, & adæquatæ. Ma. est ratio *Aduersariorum*. Prob. mi. Ex eo, quòd signum dicatur de sacramento, quod est res corporalis, significatur formaliter, quòd sit signum sensibile, non spirituale; sicuti si quis defini-

finiret ramum ante tabernam dicens: *Est signum vini vendibilis*, nomine *signi* significaret formaliter signum sensibile, quia dicitur de ramo, qui est res corporalis; & sic poneretur superfluè *signum sensibile*; nam res corporalis, de qua dicitur *signum*, nequit esse signum spirituale; vnde sicuti in hac definitione *signum* est genus proximum, ita in definitione sacramenti. Praeterea *res sacra* principaliter dicitur de gratia, quae consecrat animam Deo, aliae autem consecrationes dicuntur per attributionem ad istam; & sicuti qui definiret medicinam dicendo: *Est potio inductiua sanitatis*, optima esset definitio; quamuis enim sanitas dicatur nedum de animali, sed etiam de cibo, aere &c; quia tamen principaliter dicitur de sanitate animalis, & de alijs per attributionem ad illam; attamen absolutè loquendo significat id, quod principaliter importat; ità dicendo, quòd sacramentum est *signum rei sacrae* absolutè, significatur gratia, quae res sacra principaliter dicitur; & quia gratia idem est, ac sanctitas, vt diximus; sanctitas autem alia est substantialis, alia habitualis accidentalis; ideo nomine *gratiae* significatur etiam Christus, qui est in Eucharistia, & est sanctitas substantialis; adeoque est differentia adaequata.

23 Quantùm ad secundam definitionem, cùm dicitur *forma* significatur aliquod, quod simul est signum, & causa; quia in forma fit assimilatio, & sic habet rationem signi, quod refert aliquam similitudinem cum re significata; & forma est principium agendi, per quod ratio causae indicatur; quae duo competunt sacramentis nouae legis, vt diximus. Cùm autem dicitur *visibilis*, significatur, quòd actio, qua fiunt sacramenta, visibilis est; quamuis enim sacramenta fiant verbis, attamen actio, qua formantur verba, visibilis est; & hoc diximus propter obiectiones.

24 Obijc. 1. Sacramentum non est per se vnum; ergo nequit definiri; vnum enim per accidés nequit definiri, vt *ex 7. Met. c. 4.* habetur. 2. Ratio signi est ens rationis; ex eo enim, quòd ramus deputetur ad significandum vinum vendibile, nihil reale ponitur in vino; sed sacramentum est quid reale; est enim actio externa, & sensibilis, qua gratia realiter confertur; ergo non bene definitur, quòd sit signum. 3. Plura sunt signa gratię sanctificantis, quę non sunt sacramenta; vt sumptio Eucharistiae, sacrificium Missae, & Martyrium; ergo idem. 4. Nullum sensibile potest esse signum rei spiritualis; quia signum, & res significata debent habere proportionem inter se, quae non est inter ens sensibile, & spirituale.

Resp. ad 1. dist. ant. Non est vnum per se formaliter, neg; materialiter, conc. Sicut enim licèt plures materialiter sint partes integrales hominis, vt caro, sanguis, ossa, humores; attamen est vnus homo, quia est vna forma; sic de ente artificiali, vt domus, cuius partes sunt lapides, calx, & ligna, & tamen vna est ratione formae. Cùm igitur vna sit forma sacramenti, quamuis eius partes materiales sint plures, attamen est vnum sacramentum. Cùm autem *Phil.* ait vnum per accidens definiri non posse, loquitur de vno per merã aggregationem, quod nullã habet vnionẽ, nisi situalem; vt est fasciculus florum. Ad 2. neg. ma; in ramo namq; ponitur vis significatiua, quae realis est, quamuis per intellectum producta; est enim extra intellectum, quia ramus extra intellectum est; ens autem rationis nedum est ab intellectu, sed etiam in intellectu est tantùm obiectiuè. An autem vis significatiua sit sola denominatio extrinseca, sicut esse cognitum, quod est in obiecto reali, vel sit virtus quaedam moraliter saltem productiua alicuius effectus, *inf.* dicemus. In omnibus igitur sacramẽtis ratio signi importat vim significatiuam gratiae, quae realis est, & independens ab omni intellectu creato, dependet enim solùm ab intellectu, & voluntate Diuina, quae ita disposuit; & importat virtutem saltem moraliter instrumentaliter causatiuam gratiae, quae realis est; sicut Sacerdotes ministerialiter moraliter, sed tamen realiter cõsecrant. In sacramentis verò nouae legis importat vim significatiuam, & virtutem instrumentalem effectiuam gratiae, vt docet *Conc. Flor.* & licèt haec virtus sensibiliter non videatur, sicut nec sensibiliter virtus calefactiua, quae est in pipere; attamen realis est. Ad 3. neg. ant; sumptio enim Eucharistiae propriè loquendo directè non est signum, sed indirectè, quia est applicatio signi: sic sacrificium, vt sacrificium, est signum cultus Diuini; & vt sacramentum, est signum gratiae; martyrium verò non est sacramentum, quia non est institutum à Deo, cùm ex parte tyranni peccatum sit, Deus autem nequit esse Auctor peccati, sicuti est Auctor sacramentorum; de quorum ratione est esse à Deo instituta, tanquam signa gratię; & sic dicitur de externis actibus aliarum virtutum, qui aliquo modo significant gratiam vel precedentem ad illos, vel consequentem, vt cùm quis expoliat se omnibus rebus propter Christum, cùm virginitatem seruat tentatus etiam grauissimè &c; non sunt sacramenta, quia à Deo non sunt instituta pro omnibus & praecepta, sed liberae hominum electioni relicta. Vel dicitur, quòd & contritio, & quilibet alius actus virtutis perfecta charitate formatus indicat gratiam sanctificantem ex natura rei, quia charitas habitualis est proprietas gratiae sanctificantis ex sua natura essentialiter connexa cum illa, & disponens vltimatè ad illam. Sacramentum autem est signum gratiae ex libera dispositione Dei. *Vid. de bapt. q. 2. art. 8. §. 1. de mart.* Ad 4. neg. ant; sufficit enim, quòd signũ, & res significata habeant aliquam proportionalitatem, non autem requiritur proportio, quia proportio est inter ea, quae sunt eiusdem speciei, proportionalitas verò inter ea, quae sunt diuersi generis, vt habetur *ex Euclide 5. Geometriae*; non enim ramus est eiusdem

rem speciei cum vino; sed sufficit, quòd habeat aliquam similitudinem proportionalitatis analogicæ, de qua loquitur *S.P.ep.23. ad Bonif.* v.g. sicut ramus viridis exhilarat cor hominis, ita vinum lætificat. Hæc similitudo reperitur in sacramentis; nam sicut ablutio corporis detergit sordes corporeas; ita baptismus detergit sordes animæ; sicut oleum cum balsamo fortificat corpus; ita confirmatio roborat animam; sicut panis, & vinum nutriunt corpus; ita Eucharistia nutrit animam; sicut lingua lingendo tergit plagas; ita pœnitentia, quæ fit ore, sanat vulnera peccatorum; sicut oleo fortificabantur atletæ destinati ad agonem, & soluebantur corporis ægritudines, quæ poterant impedire victoriam; ita extrema vnctio fortificat hominem ad luctandum cum inimicis, & detergit peccatorum reliquias; sicuti calix cū vino, & aqua, & patena cum pane significat potestatem, qua quis potest se ipsum, & alios nutrire; ita ordo importat potestatem conficiendi eucharistiam, qua potest animam suam, & animas aliorum nutrire; tandem sicuti coniugium importat duorum corporum vnionem; ita matrimonium importat coniunctionem animæ cum Christo per gratiam, & coniunctionem Christi cum Ecclesia.

25 Obijc. 2. Sacramentalia, vt consecratio, vel aspersio aquæ benedictæ, signum crucis, tonsio pectoris, benedictio episcopalis, vel sacerdotalis, exorcismus Dæmonum, consecrationes, & benedictiones Ecclesiarum, palmarum, sacrarum vestium, vasorum, agnis cerei, qui vocatur agnus Dei, cerei Paschalis, ciborum, fructuum terræ, & aliorum huiusmodi sunt signa gratiæ, causant enim ex opere operato remissionem venialium, & auxilia gratiæ; & tamen non sunt sacramenta; ergo non est bona prima definitio.

Resp. neg. ant; nam hæc omnia causant solùm gratiam ex fide Ecclesiæ, & ex opere, ac deuotione operantis, & cum orationibus Ecclesiæ sunt collocanda, impetrant enim tantùm, non efficiunt. Sed de his dicemus, cùm de sacramentalibus.

26 Obijc. 3. Forma sacramentorum non est visibilis, sed audibilis; ergo secunda definitio non explicat essentiam sacramenti, quia non explicat formam, à qua sumitur essentia formaliter.

Resp; quòd licèt forma sacramentorum non sit visibilis per se ipsam; verba enim non videntur, sed audiuntur; attamen actio externa, qua proferuntur verba, est visibilis, & hoc sufficit ad indicandam essentiam. Præterea cùm sacramentum sit quid permanens, & verba transeant; ideo explicari debet per materiam, quæ permanet non per verba, quæ transeunt. *Sed de hoc inf. art.*

§. 3.

An potuerit condi à Deo sacramentum purè spirituale?

27 AD pleniorem intelligentiam definitionis sacramentorum, tria inquiruntur *à DD.* 1. An ita sit de essentia sacramenti esse signum sensibile, vt non potuerit condi à Deo sacramentum merè spirituale? 2. An sacramentum ita sit signum, vt etiam aliquo modo sit causa gratiæ? 3. Quænam sit gratia, seu sanctitas, quam significat sacramentum?

28 Quoad 1. leuis est controuersia, & non nisi verborum, si rectè explicetur.

29 *Aliqui* volunt à Deo potuisse institui sacramentum purè spirituale, quod esset signum gratiæ, non solùm pro Angelis, sed etiam pro hominibus, vt contritio, vel actus cuiuscunque alterius virtutis purè internus. *Ita Okam. in 4. dist. 1; Aliacen. ibid. qu. 1. art. 3; Gabr. q. 1. art. 1; Vasq; Henriquez, Aran; Serra, Martinez de Prado, Sot; Gonet, & alij.*

30 *Alij* verò asserunt, quòd licèt pro Angelis potuerit institui sacramentum purè spirituale, dummodò illud spirituale manifestaretur per signa alijs Angelis; attamen repugnat institui pro hominibus, supposito, quòd non eleuentur vltra connaturalem modum cognoscendi, qui pro hoc statu est per phantasmata materialia. *Ita Scot. in 1. dist. 1. q. 1; Caiet. hic q. 60. art. 4; Sua; Bellarm; Cabr; Sayr; Nugn; lo. à S. Tho; & ex nostris Basil; Cornejus, Bernardin; & Gibb. hic disp. 1. dub. 6; Mastr. hic disp. 1. q. 1. art. 1. n. 4; & alij.*

31 Not; quòd vt diximus *in sup. q. art. 2. n. 14;* sacramentis ex vi præsentis institutionis competunt plures rationes. 1. Vt sint signa gratiæ ipsis mediantibus à Deo collatæ. 2. Vt superbia hominis, qui peccando noluit Deo subiacere, edometur, dum rebus sensibilibus ex Dei præcepto submittitur. 3. Vt per res sensibiles ducatur ad cognitionem rerum spiritualium. 4. Vt nedum exercitijs spiritualibus, sed etiam corporalibus occupetur. 5. Vt nedum per rationem, sed etiam per sensum moueatur ad fidem. 6. Vt per sacramenta, tanquam per signacula sensibilia, distinguatur ab infidelibus, fiat membrum visibile Ecclesiæ, quæ est corpus visibile, & visibiliter vniatur in societate visibili. 7. Vt per sacramenta, tanquam per voces sensibiles, confiteatur fidem externè. Quando *Auctores primæ sententiæ* asserunt potuisse condi à Deo sacramentum purè spirituale nedum pro Angelis, sed etiam pro hominibus, loquuntur de sacramento solùm, prout est *signum gratiæ*; hoc enim tantùm videtur ei competere, cùm id solùm per definitionem illius exprimatur. Cetera verò videntur solum accidere, quia scilicèt Deus sic statuit secundùm ordinem prouidentiæ præsentis, cui tamen non defuissent alijs fines, & motiua sacramenta sta-

tuendi, quæ verè essent signa gratiæ, & ideo essēt vera sacramenta secundùm substantiam. In hoc sensu non contradicunt *Auctores secundæ sententiæ*, qui solummodò volunt, quòd attentis alijs rationibus allatis non potuit à Deo condi sacramentum pro hominibus; quod non negant *Auctores primæ sententiæ*; supposito enim, quòd Deus decreuerit per sacramenta hominem subijcere rebus sensibilibus; per sensibilia ipsum ad cognitionem rerum spiritualium eleuare; occupationibus sensibilibus eum exercere; per sensum etiam monere eum ad fidem; sensibiliter eum distinguere ab infidelibus, efficere membrum visibile Ecclesiæ, societati visibili eum aggregare; & per voces sensibiles fidem externè profiteri; consequens innegabile ab omnibus est, vt sacramentum purè spirituale à Deo condi non potuerit; repugnat enim rei spirituali hos effectus corporales formaliter præstare; non enim submitteretur homo rebus sensibilibus, si submitteretur sacramentis spiritualibus; aliter si sacramenta essent res spirituales, non sensibiles, & homo sacramentis submissus esset submissus rebus sensibilibus, non spiritualibus; consequens esset, quòd sacramenta essent sensibilia, & non sensibilia, spiritualia, & non spiritualia; quod repugnat in terminis; & ob hanc repugnantiam negant *Auctores secundæ sententiæ* posse condi à Deo sacramentum purè spirituale; Deus enim contradictoria nequit efficere. Eadem autem contradictio sumitur secundum alias rationes. Igitur nulla prorsus est inter eos controuersia de re, quæ debet esse secundùm eandem rationem, quia secundùm diuersam vtraque veritatem, vt constat, asserit.

32 Igitur certum est secundùm fidem omnia sacramenta de facto instituta siue in veteri, siue in noua lege, esse res sensibiles; vt de sacramentis veteris legis constat ex *Gen. Exod. Leuit. & Num.* de sacramentis verò nouæ legis expressè habetur ex Euangelijs in locis adductis *in sup. q. art. 2. n. 11; & art. 5. n. 4*; & *ex Concilijs Flor. & Trid.* statuentibus pro materia, & forma sacramentorum res sensibiles; *& ex Sacris Canonibus, vt de consecr. d. 2. c. sacrificium; & dist. 4. c. multi; & sæpissimè alibi; & ex S. P. Aug. tract. 8. in Ios. et cont. Faust. alijsque in locis innumeris*; & probatur ex supradictis motiuis collectis *ex SS. PP.* doctrinis.

33 Neque obstat 1; quòd *q. 2. c. sufficiat; et de sponsalibus c. cùm locum* habeatur *solo consensu contrahentium contrahi sacramentum matrimonij*; consensus autem cùm sit actus internus, est insensibilis. 2. Contritio est pars sacramenti pœnitentiæ, & tamen non est sensibilis. 3. Corpus Christi in sacramento Eucharistiæ insensibiliter existit. 4. Character est res, & sacramentum simul, & tamen non est sensibilis, quia subiectatur in anima.

Non obstat primum; quia *Nicolaus Papa* nihil aliud voluit *loc. cit.* quàm solum consensum contrahentium sufficere, & non requiri consensum parentum; consensus tamen contrahentium debet esse externè manifestatus per sensibilia signa, scilicèt per verba, vel nutus; consensus enim purè internus non sufficit, vt habetur *c. cùm apud de Sponsalib. & c. licèt de sponsa duor.* Neque 2; quia quando dicitur esse res sensibiles, non intelligitur, quòd in sacramentis nulla res insensibilis interueniat; patet enim requiri intentionem ministri, & actus internos recipientis, si sit adultus; sed intelligitur, quòd debent esse sensibilibus rebus externè manifestata; per accusationem enim externam peccatorum manifestatur contritio; & per species panis, & vini manifestatur corpus Christi; & per aquæ, & olei ablutionem manifestatur caracter. Præterea dicitur *cum. S. P. Aug. ep. 23.* quòd *ex similitudine*, quam important sacramenta, *plerumque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo secundùm quendam modum sacramentum corporis Christi corpus Christi est &c.* Contritio ergo, corpus Christi, & caracter dicuntur sacramenta denominatiuè, quia vel sunt pars sacramenti, vt contritio; vel sunt in sacramento, vt corpus Christi; vel sunt effectus sacramenti, vt caracter; & aliunde aliquod aliud mysterium significant; vt habet *Fund. Doct. Æg. de summa Trini. & fide cath. fol. 4. col. 1. & 2.* Remanet ergo, quòd sacramenta formaliter sumpta sint signa sensibilia; quæritur autem solùm de possibili.

34 Vnica concl. A Deo potuit institui sacramentum purè spirituale tam pro Angelis, quàm pro hominibus, quatenus sacramentum habet rationem signi rei sacræ; non quatenus habet alias rationes, ob quas de facto fuit institutum.

Prob. 1. pars concl. *ex S. P. Aug. de serm. Domini in monte lib. 2. c. 12*; vbi docet sacramentum aliud visibile, & aliud inuisibile esse; quod repetit etiā *ep. 23; & sæpe alibi* asserens etiā corpus Christi, quod sub speciebus panis tegitur, & est inuisibile, sacramentum esse, quod habet etiam *Fund. Doct. Æg. vbi s.* Nec obficit, quòd vocetur tantùm denominatiuè, vt *sup.* diximus; arguitur enim sic. Non repugnat rei insensibili, & spirituali habere rationem signi; quia ei non repugnat ratio sacramenti; sacramentum autem etiam denominatiuè est signū formaliter, quod repræsentat aliud à se; vt corpus Christi inuisibiliter existens sub speciebus panis repræsentat corpus Christi mysticum; neque repugnat Deū decernere, vt aliquod signum insensibile, & spirituale significet gratiam; maior enim similitudo est inter signum spirituale, & gratiam, quæ pariter spiritualis est, quàm inter rem corporalem, & spiritualem; ex similitudine autem oritur ratio signi, & sacramenti, vt docet *S. P. Aug. ep. 23*; ergo non repugnat Deum condere sacramentū spirituale tam pro hominibus, quàm pro Angelis.

lis. Ant. constat; nam adhoc, vt aliquod sit signũ gratiæ, requiritur solùm, quòd habeat aliquam similitudinem cum ipsa gratia, quia debet illam aliquo modo repræsentare, repræsentatio autem ex similitudine oritur; & quòd gratia sit illi annexa ex decreto voluntatis Diuinæ; sed rei purè spirituali non repugnat esse signum gratiæ, quia magis est similis gratiæ, quæ spiritualis est; nec repugnat, quòd ex decreto Diuinæ voluntatis ei gratia annectatur, quæ, vt potè spiritualis, magis congruit rei spirituali, quam rei corporali; ergo rei purè spirituali non repugnat esse sacramentũ à Deo institutum tam pro Angelis, quàm pro hominibus.

35 Conf. *ex Fund. Doct. Æg. proposit. 24. de sacram. Altaris, & alibi sæpe* docente, quòd vis significatiua, & causatiua gratiæ non est ita alligata sacramentis, vt Deus non potuerit cuilibet alteri rei pro suæ voluntatis beneplacito illam annectere; illamq; rem eleuare, vt significet gratiam, & causet; nam qui potest eleuare inferius, seu infimum ad ordinem supremum, potest à fortiori eleuare, quod est medium; sed Deus potuit eleuare naturam sensibilem, quæ est in ordine infimo rerum creatarum ab ipsomet Deo, ad ordinem supernaturalem, qui est supremus, conferendo illi vim significandi, & causandi gratiam, quæ supernaturalis est, & in ordine supremo; ergo à fortiori potuit eleuare naturam spiritualem, quæ media est inter naturam sensibilem, & rem supernaturalem ad significandam, causandamq; gratiam, quæ in supremo ordine residet. Tum quia caracter, & contritio sunt res spirituales, & tamen sunt signa gratiæ, vt *suis in locis* dicemus; ergo idem.

36 Prob. 2. euertendo *Aduersariorum* rationem. Si repugnaret institui sacramentum merè spirituale pro hominibus, maximè, quia homines pro hoc statu à phantasmatibus in intelligẽdo dependent; & ideo non possunt quidditatiuè cognoscere actus spirituales, in quibus sacramẽta consisterent; vt asserunt *Gibb. n. 16; & alij cum illo*; & si pro Angelis non potuissent institui, maximè, quia repugnaret eos à peccato mundari; sed primum non obstat, & secundum est falsum; ergo est falsa, & inutilis ratio. Prob. mi., nam licèt homines pro hoc statu cognoscant dependenter à phantasmatibus; attamen ex speciebus materialibus acquirũt species intelligibiles spirituales, quibus spiritualia cognoscunt, vt sunt actus proprij interni, Angeli &c; imò sufficit semel acquisiuisse species materiales, vt illis mediantibus excitentur species intelligibiles, quibus spiritualia cognoscunt; nec est de ratione sacramenti, vt per se ipsum immediatè cognoscatur, sed potest mediante alio cognosci; vt mediantibus speciebus panis cognoscitur sacramẽtum corporis Christi sub illis existentis; nec tandem requiritur, quòd sacramentum cognoscatur quidditatiuè intuitiuè, quia rudes sumunt verum sacramentum absque eo, quòd illud quidditatiuè cognoscant. Sic de Angelis nulla potest ratio adduci, cur etiam ipsi non potuerint à peccato iam commisso mundari, si Deus illis tempus decreuisset in via, sicut decreuit hominibus; nulla namq; est necessitas cogens Deum ad illos statim post peccatum damnandos; & ex alia parte, nulla est ratio, cur non potuerit Deus illis statuere aliquem actum virtutis, quo posito reciperent gratiam, qua mundarentur à peccato; sicut instituit res corporales hominibus, quibus positis gratiam acquirunt, qua à peccatis mundantur; ergo idem, quod *supra*.

37 Prob. 2. pars concl. ex dictis; supposito namque, quòd Deus voluerit hominem superbũ rebus corporalibus per sacramenta submittere &c; repugnat velle per sacramenta spiritualia hoc præstare; submitteret enim rebus corporalibus, ex quibus sacramenta constarent, vt supponitur; & non submitteret, quia nihil corporale esset in sacramentis, aliter non essent purè spiritualia; ergo suppositis motiuis, ob quę de facto instituta sunt sacramenta, sacramentum purè spirituale à Deo condi repugnat.

38 Obijc. 1. Finis primarius institutionis sacramentorum est, vt membra Ecclesiæ visibilis coadunentur in vnam religionem, & signaculis visibilibus distinguantur ab infidelibus, & ordinentur ad colendum Deum exteriùs; sed res purè spirituales nequeunt esse huiusmodi, vt est per se notum; ergo sacramentum purè spirituale non potuit condi pro hominibus. Prob. ma. *ex S. P. Aug. lib. 19. cont. Faust. c. 11.* docente: *In nullum religionis nomen homines coadunantur, nisi aliquo signaculorum, aut sacramentorum visibilium consortio*; ergo finis primarius, cuius gratia instituta sunt sacramenta, est, vt homines vniantur in religione ad Deum exteriùs colendum &c. Sed per actus internos spirituales homines ordinarentur ad Deum internè colendum, non externè; ergo non essent vera sacramenta. 2. Actus contritionis in lege naturæ, scripta, & gratię significat, & causat gratiam in homine contrito etiam ante actualem susceptionem sacramenti, vt definit *Conc. Trid. sess. 14. c. 4*; & tamen non est verum sacramentum non ob aliam rationẽ, nisi quia non est signum sensibile; ergo repugnat à Deo condi verum sacramentum pro hominibus, quod non sit sensibile, quamuis gratiam significaret, & causaret. 3. Si ad rationem sacramenti sufficeret esse causam, & signum gratiæ, nulla posset assignari ratio, cur actus amoris Dei super omnia intensus, & perfectus, qui significat, & causat gratiam, non sit sacramentum; ergo idem. 4. Signum debet esse quid notius re significata; sed res purè spiritualis nequit esse notior gratia, quæ pariter est spiritualis; ergo res purè spiritualis nequit esse sacramentum.

Resp. ad 1. totum verum esse suppositis finibus, & motiuis, quæ Deus de facto habuit in insti-

institutione sacramentorum, de quibus loquitur S. P. *Aug*; *& alij SS. PP*. At negari non potest, quòd præscindendo ab his motiuis, & finibus Deus potuerit rem purè spiritualem instituere, vt esset signum, & causa gratiæ disparata omnino à gratia, sicut sunt disparatę res corporales, quas instituit de facto; & tunc nihil ei deficeret, quod spectet ad rationem sacramenti, quia totum haberet, quod per eius definitionem exprimitur; ergo esset verum sacramentum. Dist. igitur ma. Finis primarius &c. secundùm præsentia motiua, quæ Deus habuit, conc; secundùm alia motiua, quæ non defuissent eius sapientiæ infinitæ, neg; & sic dist. mi. neg. conf. Ad *D. P. Aug*. iam dictum est; & concessa mi. subsumpta, dist. conf. Non essent vera sacramenta ordinata ad fines, ad quos sunt ordinata præsentia, conc; ordinata ad alios fines, neg. Vel dicitur, quòd finis primarius sacramentorum est à peccatis mundare, & sanctificare homines, propter hoc enim principaliter sunt instituta; cęteri autem fines sunt consequentes; & ideo neg. ma. Ad 2. iam dictum est *in* §. *sup. n.* 4; contritio namq; est signum connaturale gratiæ, quia est actus charitatis habitualis, quę est proprietas naturalis gratiæ sanctificantis, & sacramentum est signum ad placitum, & ex libera institutione Diuina; ideo contritio non est sacramentum. Tum quia omnia sacramenta de facto secundùm præsentem Dei dispositionem sunt res corporales, vt diximus, & ideo sunt signa sensibilia gratiæ; contritio autem interna est spiritualis, & non fit sensibilis, nisi per externam manifestationem; ideo contritio non est sacramentum, quanuis sit signum spirituale gratiæ. At per hoc non probatur, quòd non potuerit Deus, sicut instituit sacramenta ex rebus corporalibus, illa instituere ex rebus spiritualibus; imò probatur potiùs oppositum hoc argumento; nam si ratio signi gratię conuenit naturaliter rei spirituali, vt est contritio, rectè infertur, quòd ei non repugnet essentia sacramenti, quia ei non repugnat eius definitio. Dist. ergo 2. pars ant. Contritio non est sacramentum non ob aliam rationem, nisi quia non est signum sensibile iuxta præsentem Dei dispositionem, conc; iuxta possibilem Dei dispositionem, qui liberè poterat instituere sacramentū in re spirituali, sicut liberè illud instituit in re corporali, neg. Ad 3. eodem modo neg. ant; ratio enim, ob quam amor Dei super omnia, perfectus, & intensus non est sacramentum, est, quia non est institutus à Deo, vt sit sacramentū de facto, quanuis potuerit de possibili institui; sicuti ratio, ob quam de facto aqua naturalis, & non artificialis, sit materia baptismi, est, quia Deus ita disposuit, quanuis aliter potuerit, si voluisset, disponere; tota enim ratio facti est voluntas, & potentia facientis. Vel dicitur contritionem, & amorem Dei naturaliter, non ad placitum significare gratiam; ideo nequeunt esse sacramenta, quæ sunt signa ad placitum Dei. Ad 4. neg. mi; vna namq; res spiritualis est notior alia re spirituali, quanuis non sit notior re corporali; nam res spiritualis naturalis est notior re spirituali supernaturali, quia res supernaturales magis eleuantur, & elongantur à cognitione hominis; & vna res spiritualis supernaturalis, cui cooperatur homo, vt est actus contritionis, & alterius virtutis charitate formatæ, est notior gratia habituali, cui non cooperatur homo, cùm sit effectus solius Dei; magis autem est notum, quod efficitur à creatura intellectuali, quanuis per vires gratiæ cognoscatur, quàm illud, quod ab ipsa non fit; quanuis habeat easdem gratiæ vires. Sicuti vnusquisq; per vires naturales cognoscit propria cordis secreta, quę ab ipso eliciuntur, non tamen per easdem vires potest secreta alieni cordis cognoscere, quæ ab ipso non sunt elicita, quanuis sint naturalia, eo, quia agens per intellectum cognoscit quidem, quod ab ipso fit, aliter non ageret per intellectum, quia sic agere est agere cognoscēdo, quod agit; non tamen cognoscit, quod fit ab alio agente intellectuali. Ita à pari de agente intellectuali supernaturali; ergo sicuti res spiritualis naturalis est notior alia re spirituali naturali; ita vna res spiritualis supernaturalis est notior alia re spirituali supernaturali. Verum tamen est, qu d, vt diximus §. 2; sensibile est notius spirituali, ideo secundùm præsentem dispositionem magis congruum fuit signum sensibile, quàm spirituale; hoc tamen non impedit, quòd secundùm aliam dispositionem, quam potuisset Deus statuere, magis cōgruum fuisset signum spirituale ob alia motiua, quæ potuisset habere.

§. 4.

An sacramenta habeant rationem signi, & causæ.

39 LOquimur etiam *hîc* de sacramentis veteris, & nouæ legis communiter; & ratio dubitandi est. 1. Quoniam, vt diximus *in sup. q. art.* 6; *Concilium Flor.* assignans differentiā inter sacramenta veteris, & nouę legis asserit; quòd illa non causabant, sed tantùm figurabāt, hęc verò conferunt gratiam; ex quo consequitur sacramenta vetera fuisse tantùm signa gratiæ, non causas. 2. Duo requiruntur ad rationem signi, vt dicitur *in Logica*, scilicet, vt aliud à se repræsentet, vt docet *S. P. Aug. lib. 2. de doctr. Christ. c.* 1; & quòd non sit causa rei significatæ; quapropter Pater non est signum filij, nec Deus est signum creaturæ; ergo videtur, quòd ratio signi excludat rationem causæ, & ideo quòd sacramēta nequeant habere rationem signi simul, & causæ; quod tamen intelligendum est de causa in essendo, non de causa in intelligendo; nam signum est causa, qua res significata cognoscitur, non qua existit. 3. Fumus est signum ignis laten-

latentis in domo, & tamen non est causa ignis: ergo de ratione signi non est, quòd simul sit causa. Propter hæc

41 Prima sententia vult sacramentum communiter sumptum non contineri sub genere signi, sed in genere causæ eo, quia contrahitur per differentias causæ, non signi, vt habet *Conc. Flor.* Referuntur *Ballatius in 4. dist. 1. & Stephan. Bauni tract. 1. q. 4.*

Secunda vult sacramentum communiter sumptum constitui solùm sub genere signi. *Ita Sot. Cabr. Nugn. Arauius, Serra, Io. à S. Thom. noster Gibb. hic disp. 2. dub. 1. n. 6; & aly.*

42 Tertia docet esse simul in genere signis & causæ. *Ita Fund. Doct. Æg. in ep. ad Rom. c. 4. lect. 13.* super illud Apostoli. *Et signum accepit circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei, quæ est in præputio;* asserens: *Not. quòd signum propriè sumptum diuiditur contra causam, quia causa prior est eo, cuius est causa vel tempore, vel natura, signum autem è contrario semper est posterius eo, cuius est signum, vel natura, vel tempore; accipiendo hic signũ pro eo, quòd est signum tantùm, quod est sic signum alicuius, non facit illud, nec est causa illius:* & paulò post: *Notandum etiam, quòd circuncisio respectu iustitiæ Abrahæ non solùm fuit signum, sed etiam expressum signaculum, quia sicut homo in circuncisione expoliatur carne libidinis; sic, vt dicitur in Glosa, per iustitiam expoliatur quis sordibus prioris natiuitatis;* ex quibus colligitur, quòd si sacramenta veteris legis non fuerunt solùm signum, multò magis hoc dicendum de sacramentis nouæ legis. Expressiùs docet hoc *ibid. dubit. 5;* vt *inf.* dicemus. Idem tradit *Argent. dist. 1. art. 2; & 3; & dist. 3. art. 1; & ex alijs Can. relect. de sacram; Martin. à Prado, Lug. Auersi, Gonet, & alij plurimi.*

43 Not. *ex Fund. Doct.* vbi*s*; quòd signum aliud est merè speculatiuum, quod est signum tantùm, & non causa, quia non efficit rem significatam; vt nomina imposita rebus sunt signa tantùm rerum, quas significant, non causa; ducit tamen in cognitionem rei significatæ; & ideo dicitur tantùm causa in cognoscendo, non in essẽdo. Aliud est signum practicum, seu expressum, & institutum per ordinem ad faciendam aliquã rem, & hoc est simul signum, & causa nedum in cognoscendo, sed etiam in essendo; vt malleus, incus, & cętera instrumenta fabrilia sunt signa, & causæ instrumentales operum artificialium. Dicitur autem *expressum, seu institutum;* quia signum debet esse determinatum; nam determinatè debet repręsentare rem significatam; vnde causa principalis, quæ est indeterminata, & quæ est instituta nedum propter effectus producendos, sed etiam propter se ipsam, non est signum; vt est Deus respectu creaturæ, & Pater respectu filij; at malleus, incus &c; quia expressè sunt determinata, & instituta solùm propter opera artificialia, non autem propter se ipsa; nullus enim diceret malleum institutum fuisse propter se ipsum, institutus enim est solùm, & præcisè propter opera fabrilia, ideo determinatè, & præcisè repræsentat opera fabrilia, & est signum illorum. Constat igitur solam causam principalem excludi à ratione signi, causam autem instrumentalem excludi quidem à ratione signi tantùm speculatiui, non autem à ratione signi practici.

44 Vnica concl. Sacramentum generalissimè sumptum, prout dicitur de sacramentis nouæ, & veteris legis, est simul signum practicum, & causæ gratiæ, quam significat.

Prob. 1. pars concl. 1. De sacramentis veteribus, inter quę est circũcisio, habetur expressè *Rom. 4. Signum accepit circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei, quę est in præputio;* & Gen. 17. *Vt sit signum fœderis inter me, & vos;* & de sacramentis nouæ legis *Rom. 15.* postquam dixit *Apostolus Christum fuisse ministrum circumcisionis propter virtutem Dei ad cõfirmandas promissiones patrum;* ait, quòd Christus est, de quo dixit *Isaias. Exurget regere gentes, & in eum gentes sperabunt;* deinde subijcit; quòd ipse est Christi minister, *vt fiat oblatio gentium accepta, & sanctificata in Spiritu Sancto &c. In virtute signorum, & prodigiorum, in virtute Spiritus Sancti;* signa autem, quæ sanctificant gentes in virtute Spiritus Sancti, procul dubio sunt sacramenta. Hinc *Conc. Mogunt. c. 11. Sacramenta sunt sacrosancta signacula, & efficacia signa; Conc. Flor. in decreto vnionis Armenor; & Trid. sess. 7. can. 6. Sacramenta nouę legis significant gratiam, quam continent;* illud autem, quod significat, signum est. Sic *S. P. Aug. lib. 10. de Ciu. Dei c. 15.* docet, quòd sacramentum dicitur *sacrum signum;* quod repetit *ep. 5; & frequentissimè alibi.* Idem habet *D. Ambr. lib. 4. de sacram; & omnes alij SS. PP. communiter;* ergo ex *scripturis, & PP.* expressè habetur, quòd ratio signi competit sacramentis nouæ, & veteris legis. Ratio sumitur *ex Fund. Doct. loc. cit. dubit. 5,* qua vtitur *noster Argent. vbi s.* & traditur *à D. Greg; vt inf.* Remedia sunt signa sanitatis per illa inducendæ; videntes enim in officina pharmacopolæ remedia ab illo composita statim deuenimus in cognitionem illa fuisse composita determinatè ad inducendam sanitatem in homines; illud autem, quod ducit in cognitionem alterius determinatè, est signum, vt dicitur in eius definitione; sed sacramenta nouæ, & veteris legis sunt remedia determinatè instituta ad inducendam gratiam, per quam sanamur à peccatis, & vulneribus peccatorum; vt diximus *in sup. q. art. 2; & 5;* ergo sunt signa gratiæ inducendę. 2. Illud, quod facit deuenire in cognitionem alterius occulti, est signum, quod sic definitur; sed sacramentum communissimè sumptum facit venire in cognitionem veræ religionis, discernit enim fideles ab infidelibus, & facit cognoscere, quòd homines sacramenta sumentes seruant religionem, & cultum debitum

Deo;

Deo; quod erat occultum, & non ostenditur, nisi per sacramenta; ergo sacramentum communissimè sumptum est signum. 3. Voces sensibiles *sunt signa earum, quę sunt in animo, passionum*, vt docet *Phil*; sed sacramenta sunt, quasi voces sensibiles, quibus fidem profitemur externè, vt docet *S.P.Aug*; ergo sunt signa. *Vid. in sup. S. n.* 31. ex quo erui possunt aliæ rationes.

45 Prob. 2. pars concl. *ex 1. Cor. 10. Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes per Moysen baptizati sunt in nube, & in mari, & omnes eundem cibum spiritalem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt; bibebant enim de spiritali, consequente eos petra, petra autem erat Christus*; super quod S.P.Aug. *in ps.77.* inquit: *Idem itaque in mysterio cibus, & potus illorum, qui noster*; & mox: *Cùm essent omnia sacramenta communia, non communis erat omnibus gratia, quę sacramentorū virtus est*. Ex quo sic. Illud, ad cuius esse sequitur aliud, seu generatio alterius, habet veram rationem causæ; hæc est enim causæ definitio, vt dicitur *in Physicis*; sed ad positionem sacramentorum veteris, & nouæ legis consecuta est generatio nouæ creaturæ, quæ est iustificatio hominis peccatoris; ait enim *Apost*; quòd ad sacramenta vetera consequebatur Christus, idèst gratia danda per Christum, sicut ad nostra consequitur gratia iam data per Christum; quia per positionem veterum sacramentorum homines verè emundabantur à peccatis, aliter non fuissent saluati; nec illa sacramenta fuissent in remedium peccati, nec fuissent sufficientia ad salutem peccantium; & sic mors Christi pro illis efficax non fuisset; quod est *contra Apostolum*; ergo sacramēta veteris, & nouæ legis habent veram rationem causæ. 2. *Rom.* 5. habetur *de Abraham: Signum accepit circuncisionis, signaculum iustitię fidei, quæ est in præputio*; idèst accepit signū iustitię, quę per fidem Christi, quæ est in præputio, erat communicanda. Super quod *S. Greg. lib. 4. mor. c. 3.* àit: *Quod apud nos valet aqua baptismi, hoc egit apud veteres pro paruulis sola fides, pro maioribus virtus sacrificij; pro ijs verò, qui de stirpe Abrahę prodierunt, mysterium circuncisionis.* Ex quo sic arguit *Fund. Doct.* Remedia sunt vera causa sanitatis, quam inducunt; sed sacramenta vetera, & noua sunt remedia contra morbos, & vulnera peccatorum inductiua sanitatis animæ; vt diximus *in sup. q. art. 2. & 3*; ergo sunt veræ causæ ipsius gratiæ, qua sanantur homines à morbis, & vulneribus peccatorum. Tum quia agere importat rationē causæ; causa enim specificatur ab actione, & actio ab effectu; sed *ex D.Greg.* sacramentis veteris legis competit agere, quod competit sacramentis nouæ legis; ergo illis competit ratio causę. 3. Signum institutum per ordinem ad aliquam actionem ponendam habet veram rationem causæ saltem moralis; quia moraliter mouet ad ponendam illam actionem; vt ramus ante tabernam institutus ad venditionem vini moraliter inducit, & mouet transeuntes ad emptionem vini; & institutorem illius signi ad venditionem; sed sacramenta veteris legis fuerunt à Deo instituta, vt signa iustificationis à peccatis, quia ad positionem illorum Deus largiebatur gratiam, quam Christus meruit omnibus, quia *pro omnibus mortuus est*; & sacramenta nouæ legis conferunt gratiam illis annexam ex meritis Christi; ergo sacramentis veteris, & nouę legis competit vera ratio causæ, quia causa moralis est vera causa. Quomodò autem differant in ratione causę, *inf.* explicabimus. 4. Illud, quod antecedit, & à quo aliud dependet in fieri, & esse, est vera causa illius; sed sacramentum communissimè sumptum antecedit, & ab ipso dependet in poni, & fieri, & esse gratia iustificans, quæ nō poneretur in homine, nisi poneretur sacramentum, quod est institutum ad hoc, vt ponatur gratia; institutum enim est ad emundandum hominem à peccato, quod non fit, nisi per gratiā, quam Christus omnibus meruit; ergo sacramentum communissimè acceptum habet etiam rationem causæ. 5. Ratio causæ nedum conuenit illi, quod agit per se ipsum, seu per suam virtutem, sed etiam illi, quod agit per aliud, seu per virtutem alterius iuxta illud adagium: *Qui per alium facit, per se ipsum facere censetur*; sed sacramenta vetera causabant gratiam per noua sacramenta, quæ erant instituenda, vt gratiam causarent per virtutem propriam; erant enim vmbræ, symbola, signa, & figuræ sacramentorum nouæ legis, & gratiam conferebant in virtute sacramentorum nouæ legis; ergo sacramenta vetera habebant veram rationem causæ; & ideo ratio causæ, *vt sic*, generaliter conuenit sacramentis veteris, & nouæ legis. Ma. constat; mi. est doctrina *Conciliorum, & SS. PP*; & eruitur ex allatis *scripturis*.

46 Ad 1. rationem dubitandi dicitur *Conc. Flor.* asserere, quòd sacramenta tantùm figurabant gratiam daudam per Christum mediantibus nouis sacramentis, quorum erant figuræ; & ideo secundùm se ipsa præcisè non erant causa gratiæ, bene tamen ratione sacramentorum nouæ legis; vnde non causabant in virtute propria, sed in virtute sacramentorum, quæ figurabant. Vel dicitur, quòd *Conc.* loquitur de efficientia physica, quam ait competere sacramentis nouæ legis, non veteris, quibus competebat tantùm causalitas moralis; quoniam Deum mouebant ad conferendam gratiam dignè illa accipientibus; *sed de hoc inf.* Ad 2. patet ex dictis solam causam principalem excludi à ratione signi eo, quia est ignotior effectu; nec est determinata; at non excluditur causa instrumentalis, quia est determinata, & notior effectu. Ad 3. dicitur eodem modo effectum esse signum causæ, quando ille est notior, & ista est ignota; è contra verò causa est signum effectus, quando illa est notior, &

iste est ignotus; cùm ergo sacramenta sint res corporales, & ideo notiora, quàm gratia, ideo sunt signa, quanuis sint causæ gratiæ.

47 Obijc. 1. cont. 1. part. concl. Nusquam reperitur *in scriptura, nec apud antiquos scriptores*, quòd sacramenta vocentur hoc nomine *signa*; ergo non habent rationem signi.

Resp. hanc obiectionem, quam faciunt hæretici huius temporis, esse manifestè falsam; vt conuincitur ex textibus allatis *Rom. 4; & c. 15; & ex S. P. Aug; D. Ambr. &c.*

48 Obijc. 2. Si sacramenta essent signa gratiæ, sæpe essent falsa, quia sæpe gratia non confertur ex indispositione recipientium; sed cons. est absurdum; ergo & ant. 2. Sacramenta nouæ, & veteris legis differunt in ratione causæ eo, quòd noua causant, vetera non causabant; ergo non conueniunt in ratione generica signi; quia causare, & non causare non sunt propriæ differentiæ contrahentes signum; *vt sic*.

Resp. ad 1. neg. ma; nam de ratione sacramenti est, quòd significet gratiam collatam dignè suscipientibus, non indignè; vnde si indignè suscipiatur, non significat gratiam, sed iudiciũ, vt docet *Apost. 1. Cor. 11*. Ad 2. neg. cons; & ad prob. infert. dicitur causare physicè, & moraliter esse differentias contrahentes causam, *vt sic*; quæ dicitur de sacramento communissimè sumpto. Vel causare per propriam virtutẽ, & per virtutẽ alterius sunt pariter differẽtiæ causæ, *vt sic*.

49 Inst. cont. 2. part. concl. Duo genera primò diuersa nequeunt conuenire eidem rei; sed signum, & causa sunt duo genera primò diuersa; ergo nequeunt conuenire sacramento, *vt sic*.

Resp. dist. mi. Duo genera primò diuersa, & disparata nequeunt conuenire eidem rei, neg; de eadem enim albedine dicitur, quòd sit qualitas, & quòd sit similis; similitudo autem spectat ad prædicamentum relationis, quod est primò diuersum à prædicamento qualitatis. Duo genera primò diuersa, & opposita, conc; sed in hoc sensu neg. mi.

50 Obijc. 3. contra eandem. Non est certũ *apud omnes* sacramentum in communi causare sanctitatem etiam legalem; ergo ratio causæ non competit sacramento, *vt sic*. 2. Causare gratiam physicè, & moraliter; seu per virtutem suam, & alienam sunt differentiæ contrahentes sacramẽtum, *vt sic*; ergo ratio causæ non competit sacramento, *vt sic*. Sicuti quia rationalitas, & irrationalitas sunt differentiæ contrahentes animal, *vt sic*, non dicuntur de animali, *vt sic*, sed tantùm de animali contractè sumpto. *Ita noster G. bb. 3.* Nulla res corporalis potest eleuari ad creandum neque principaliter, nec instrumentaliter; quia nulla res corporalis potest eleuari ad agendum sine vllo præsupposito subiecto; sed sacramenta sunt res corporales, & gratia non producitur, nisi per creationem, vt diximus *in* 4. *de grat. q. 3. art. 3*; ergo sacramenta non sunt causa gratiæ.

Resp. ad 1; quòd licèt *aliqui* aliter opinentur; attamen clarè constat *ex scripturis* sacramenta vetera fuisse purificationes, emundationes, & oblationes pro peccatis; purificare autem, & emundare, seu offerre aliquod pro peccato emundando est causare munditiem, vbi antea erat immunditia peccati; sed hæc munditia idẽ sonat, ac sanctitas; ergo *ex scripturis* habemus fundamentum asserendi, quòd sacramenta aliquo modo concurrant ad productionem sanctitatis, siue sit interior, siue legalis externa; & ideo concurrunt physicè instrumentaliter, siue tantùm moraliter, quatenus ad positionem illorum Deus intuitu meritorum Christi producit gratiam, siue ex pacto, & promissione Diuina, siue impetratoriè. quod est moraliter causare; certissimum enim est antiquos homines ad positionem sacramentorum veterum fuisse iustificatos à peccato originali, adultos verò à peccatis personalibus; vt diximus *in sup. q. art. 3; & 4*. Ad 2. neg. ant, nam sicuti animal, *vt sic*, diuiditur in rationale, & irrationale; ita causa, *vt sic*, diuiditur in moralem, & physicam; & sicuti animal rationale, & animal irrationale important duas species, in quibus animal, *vt sic*, est contractum; non autem important solas differentias; ita causare physicè, & causare moraliter important duas species, in quibus est contracta causa, *vt sic*; non autem important solas, & puras differentias causæ, *vt sic*; quæ sunt physicum, & morale. Ad 3 dist. ma. Nulla res corporalis potest eleuari ad creandum principaliter, vel instrumẽtaliter directè per influxum physicum; siue tanquam causa à qua producitur res creata, conc; ministerialiter indirectè producendo aliquod, cui ex institutione Diuina coniungitur gratię creatio, siue tanquam causa, *ad quam* sequitur creatio, neg; & hoc modo tantùm sacramenta sunt causa gratiæ, vt dicemus *in seq. quæst. 2.*

51 Quæres, an ratio causæ adueniat rationi signi, tanquam differentia generi?

Resp. *Suár.* rationem causæ competere sacramento ratione substrati materialis, quia ratio causæ prior est in sacramento ratione signi; v.g. ablutio corporis in baptismo instituta est ad causandam gratiam, cui postea aduenit ratio signi. Sed ex hoc sequeretur, quòd sacramentum priùs causaret gratiam, quàm esset sacramentum, quia priùs, quàm esset signum, per quod constituitur sacramentum, gratiam causaret. Meliùs ergo dicitur *cum alijs* rationem causæ aduenire signo; nam signum est vniuersalius causa; quia vt diximus *ex Fund. Doct;* signum aliud est, quod est tantùm signum, & non causa loquendo de causa in essendo, de qua *hic* loquimur; vt voces, quæ sunt signa, & non causæ productiuæ rerum, licèt sint causæ in cognoscendo; aliud verò est signum, quod est simul causa, vt diximus;

ximus; ideo signum est vniuersalius causa.

52 Collig. 1. ex dictis sacramentum esse signum practicum gratiæ, non verò purè speculatiuum; nam signum practicum est illud, quod causat rem, quam significat; practicum enim dicitur ab agendo, seu causando; signum verò merè speculatiuum est illud, quod tantùm significat, non causat rem significatam; sed sacramentum significat, & causat, vt diximus, & magis probabitur *in seq.* §, ergo est signum practicum.

53 Colligitur 2. Sacramenta veteris, & nouæ legis dici vniuocè, non analogicè. 1. Quia sacramentum, *vt sic*, est genus ad sacramenta veteris, & nouæ legis, cùm in ratione signi, *vt sic*, ęqualiter participetur. 2. Quia definitio sacramenti conuenit vtrisq; vtraq; enim sunt signa rei sacræ; quòd autem significent, & causent hoc, vel illo modo, sunt differentiæ contrahentes sacramentum, *vt sic*.

54 Dices 1. *ex aliquibus antiquis cum Magi* quibus adhærent *Caspen. disp. 1. sect. 3; & alij pauci;* substinentibus oppositum. Figura, & figuratum non conueniunt vniuocè, sed analogicè, vt patet de homine viuo, & picto; sed sacramenta vetera erant figurę sacramentorum nouæ legis; & sacramenta nouę legis sunt figurata; ergo nō conueniunt vniuocè, sed analogicè.

Resp. dist. ma. Si figuratum habeat etiam rationem figuræ, & sit figura, neg; vt v. g. imago, quę delineata est ex alia imagine, & vulgò dicitur *copia*, est figura imaginis primæuę, & tamen cōuenit cū illa vniuocè in ratione imaginis. Sic quāuis sacramēta fuerint figurę sacramētorum nouorum, attamen quia etiam sacramēta noua sunt figuræ repræsentantes gratiā, Christi passionem &c; quę repræsentabantur etiam à sacramentis veteribus, ideo in ratione figuræ conueniunt. Si figuratum non habeat rationem figuræ, vt homo viuus, conc. Sacramenta igitur vetera, & noua non se habent, vt homo viuus, & pictus, sed vt duo signa, vel figuræ.

55 Dices 2. De ratione sacramenti strictè sumpti est efficere veram gratiam sanctificātem ex opere operato; sic enim definitur; sed sacramenta vetera non efficiebant veram gratiam sanctificantem ex opere operato, causabāt enim solùm sanctitatem legalem, quæ est sanctitas impropria, & imperfecta; ergo non conueniebant vniuocè cum sacramentis nouæ legis. 2. Vetera erant tantùm sacramenta vmbratica, erant enim vmbræ futurorū, vt docet *ex Apost. S. P. Aug;* sed vmbra non dicitur vniuocè cum luce; ergo idem.

Resp. ad 1. vel cum illis, qui volunt sacramenta vetera causasse tantùm sanctitatem legalem, neg. ma, nam sacramentum, *vt sic*, vt præscindit à veteribus, & nouis, definitur tantùm *signum rei sacræ, vt sic*; idest sanctitatis, prout præscindit à sanctitate interiori, & exteriori; quando autem definitur signum sanctitatis interiùs sanctificantis, tunc definitur sacramentum nouæ legis, non sacramentum, *vt sic*. Vel cum illis, qui volunt etiam sacramenta vetera causasse gratiam sanctificantem interiùs, dist. ma. Est efficere gratiam sanctificantem vel in virtute propria, vel in virtute alterius, quod significat; aut physicè, vel moraliter, conc; & in hoc sensu neg. mi. Tantùm in virtute propria, vel physicè, neg. Ad 2. omissa responsione *Mastr hic disp. 1. q. 1. art. 1. n. 22.* asserentis, quòd loquēdo de sacramentis veteribus, quæ conferebant gratiam sanctificantem ex opere operato, vt est circuncisio, vniuocè conueniunt; loquendo tamen de alijs sacramentis, quæ non conferebant gratiam sanctificantem ex opere operato, sed solùm ex opere operantis, non conueniunt vniuocè. Omissa, inquam, hac responsione, quia etiam admissa hac sententia de distinctione sacramentorum veterum inter se, de qua *in seq. q.* adhuc dicitur, quòd conferre gratiam ex opere operato, & ex opere operantis sunt differentiæ sacramenti, *vt sic*; & ideo quanuis differant in istis, & dicantur æquiuocè, non tollitur vniuocatio sacramenti, *vt sic*, quod ab illis pręscindit; sicut enim quanuis rationale, & irrationale sint differentiæ animalis, quæ dicuntur æquiuocè inter se; attamen non tollitur vniuocatio animalis; propter quod dixit *Phil;* quòd *in generibus latent æquiuocationes*; ita à pari. Resp. ergo quòd sacramenta vetera vmbræ erant futurorum, quia significabant gratiam dandam per Christum; quam quia significant etiam sacramenta noua, non quidem, vt dandam, sed vt iam datam; ideo quanuis præcisè, vt vmbræ, haberent rationem analogiæ, attamen vt signa gratiæ, habebant veram vniuocationem. Neg. autem paritas de vmbra corporali; nam vmbra corporalis nullo modo habet esse actum perspicui, vt est lux; sacramenta autem vetera habebant esse signum gratiæ, vt habent sacramenta nouæ legis; ergo quanuis prout vmbrę, non habuerint vniuocationem, attamen illam habuerunt, vt signa gratiæ; quod non tollit, quin absolutè vniuoca dici possint; nam, vt dictum est, in generibus latent æquiuocationes, & per consequens analogiæ, quæ sunt medię inter vniuocationē, & æquiuocationem.

§. 5.

Quam sanctitatem significet, & causet sacramentum?

56 DIximus *in sup.* §. sacramentum communissimè sumptum esse signum, & causam rei sacræ; modò quærendum est, quam sanctitatem, seu gratiam significet, & causet? Tota autem difficultas est circa discrimen sacramentorum veteris, & nouæ legis assignatum *à Conc. Flor.* statuente; quòd sacramenta nouæ legis continent, & conferunt gratiam, quam significant; vetera verò solùm figurabant gratiam dandam per Christum, nō autem illam efficiebant.

Omis-

57 Omiſſo errore *Caluini*, *& Zuinglij*, qui volebant ſacramentum ſignificare Diuinam beneuolentiam, & prædeſtinationem; & excitare fidem, per quam iuſtificamur; qui error manifeſtè reijcitur *Io.3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei; & Act.2. Baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu in remiſſionem peccatorum veſtrorum*; regeneratio autem, & remiſſio peccatorum non fit, niſi per gratiam ſanctificantem; quæ, cùm detur per ſacramenta, vt *ex his textibus* manifeſtè edocemur; conſequens eſt, vt ſacramenta ſaltem noua ſignificent, & cauſent gratiam ſanctificantem. Preterea per omnia opera pia, quæ non ſunt ſacramenta, Diuinam beneuolentiam meremur; & tandem multi præſciti, vt *Iudas*, & alij fideles, qui damnantur, receperunt vera ſacramenta, & tamen non erant prædeſtinati.

58 Prima ſententia vult ſacramentum, *vt ſic*, non ſignificare, & cauſare veram ſanctitatem perfectam, quia ſacramenta veteris legis ſignificabant tantùm ſanctitatem legalem imperfectam. *Ita Bellarm. lib.1. de Sacram. propoſit.2; Canus 1.p. relect. de Sacram. in genere; Caſpen. diſp.1. ſect.3; Auerſ. ſect.2; Maſtr. diſp.1. q.1. n.12; & alij.*

59 Secunda vult ſignificaſſe quidem, ſed non cauſaſſe veram ſanctitatem perfectam; quia illam ſignificare ſimul, & cauſare ſolis ſacramentis nouæ legis conuenit, non ſacramento, *vt ſic*; ideo ſacramenta vetera ſignificaſſe gratiam nonquidem in actuali ſuſceptione ſacramenti collatam, ſed pro aliquo tempore dandam. *Ita Sua. hic diſp.1. ſect.2. concl.2; & 3. Bellarm; & Canus vbi ſup; Vaſq. diſp.128. c.5; Cabr. art.1. diſp.2. concl.5; Lug. diſp.1. ſect.2. n.8; Coninch hic art.4. n.2; quibus iungitur noſter Gibb. diſp.1. dub.4; & alij.*

60 Tertia docet ſacramentum, *vt ſic*, ſignificare, & cauſare veram ſanctitatem internam, & emundantem à peccatis ita, vt ſacramenta vetera illam cauſarent tantùm ex opere operantis, & mediatè; noua verò ex opere operato, & immediatè. *Ita Fund. Doct. in 3. ſent. diſt. 9. q.3. art.3. ad 1; & in 2. diſt.41. dub.6. lit; & in ep. ad Rom. ſæpiſſimè, præcipuè c.4. lect.13. dub.5; vt diximus in ſup. §. docens cum D. Greg;* quòd in ſacramentis veteribus egerunt pro paruulis ſola fides, pro maioribus ſacrificia, & pro filijs *Abrahæ* circuncifio, quod apud nos agit aqua baptiſmi; aquam autem baptiſmi ſignificare, & cauſare veram gratiam ſanctificantem interiùs certum eſt. Idem docuit *Mag. hic diſt.1; D. Bonau. ibid. art.1. q.5; Hug. de S. Vict. de Sacram. p.9. c.1; Guilelm. Eſtius hic diſt.1. §.28;* vbi dicit, quòd *Hugonis, & Mag.* ſententia talis fuit, quòd ſacramenta veteris legis primò, & per ſe inſtituta fuiſſent ad ſignificanda ſacramenta nouæ legis, & emundationem carnis ab immunditia legali, vt docet *Apoſt. Hebr.9*; quia tamen ſignificabant id, quod fides credit, ideo per fidei proteſtationē emundabant etiam ab immunditia mentis, & ſpiritus; atque adeo in eorum ſuſceptione iuſtificabant ſecundariò, & per aliud. Sacramenta verò nouæ legis primò, & per ſe inſtituta ſunt ad conferendam gratiam iuſtificantem. Hoc idem eſt, ac illud, quod docet *Fund. Doct. in 3. vbi ſup*; vt videbimus; & in hoc ſenſu intelligendus eſt *S. Tho. 1.2. q.103. art.2.* docens ſacramenta vetera habuiſſe virtutem emundandi ab immunditia carnis, non ab immunditia mentis, quæ eſt immunditia culpæ; hoc eſt per ſe, primò, & immediatè, quatenus erant ſacramenta illius temporis præcisè, non autem ſecundariò, & per accidens, quatenus ſcilicèt erant vmbræ ſanctitatis Euangelicæ; vt docet *ibid. q.102. art.5*; ideo immediatè ſignificabant, & cauſabant ſanctitatem legalem, & mediante ſanctitate legali ſanctitatem Euangelicam; quia certum eſt in ſententia *D. Tho; & omnium SS. PP*; quòd in fide Chriſti venturi ſanctificabant, & ideo veram gratiam ſanctificantem cauſabant. *Vid. Becc. in man. de Sacram. num.12; & 13.*

61 Sanctitas legalis, quam *Apoſt. vbi ſup.* vocat emundationem carnis, non emundabat animam à peccatis, & ideo illam non iuſtificabat, ſed tantùm ſanctificabat externè; quia per talia ſacramenta illam ſanctitatem conferentia homo deputabatur ad cultum Diuinum; vt per circuncifionem vniebatur populo Dei electo, & fiebat capax intereſſe ſacris, & ſuſcipere alia ſacramenta; ſicut per baptiſmum vnitur Eccleſiæ, & fit capax aliorum ſacramentorum; per conſecrationem fiebat miniſter ſacramentorum, & ſacrificiorum; per quædam alia ſacramenta purificabatur à quibuſdam immunditijs legalibus, ob quas homines per legem prohibebantur à ſacris, & à conſortio aliorum hominum, donec purificarentur; vt ſacerdos caſualiter tangens cadauer fiebat immundus legaliter, & mulier poſt partum maſculi manebat immunda triginta tribus diebus; ſic mulier *Hebræa*, quanuis exiſtens in peccato mortali erat legaliter ſancta, & ideo licebat eam ducere in vxorem; alienigena verò, licèt ſine peccato, non erat ſancta legaliter, & ideò licitè duci non poterat. Sanctitas ergo legalis eſt ſanctitas quædam externa, quæ poteſt ſtare cum peccato mortali, & in lege noua pariter prima tonſura confert ſanctitatem legalem, quia dicat hominem cultui Diuino, & idem dicendum de ſacramentalibus, & de diſpenſationibus, & abſolutionibus ab irregularitate, & excommunicatione, quæ reddunt homines capaces communicandi cum alijs ſanctis, & aſſiſtendi Diuinis officijs, non tamen tollunt peccata.

62 Notat præterea *Fund. Doct. in 3. vbi ſup*; quòd continere gratiam, & illam conferre, vt loquitur *Trid. ſeſſ.7. can.8*; nihil aliud eſt, quàm ſacramenta ex vi ſua, & virtute, quam habent in ſe ipſis, non quidem ex ſua natura, ſed ex inſtitutione Diuina, poſſe gratiam conferre dignè

illa suscipientibus; & ideo comparantur fontibus *Isaia* 12. *Haurietis aquas de fontibus Saluatoris*; non quòd gratia contineatur in sacramentis localiter, vt aqua in fontibus; aut inhæsiuè, vt accidentia in subiecto; sed quia continetur in illis, vt in signis, & causis, à quibus significatur, & exprimitur, sicut aqua significatur, & exprimitur à vasis, quæ illam immediatè continent in seipsis. Sicut autem instrumenta, quæ significant vasa aquam continentia immediatè, nō dicuntur absolutè aquam cōtinere, nec dicitur ex illis aquā hauriri, & expromi, vt sunt formæ instrumentales, quibus vasa formantur; ita sacramenta vetera, quę noua significabant, non dicuntur gratiam continere, aut efficere, vt loquitur *Conc. Flor*; quia secundùm se ipsa non habebant virtutem illam producendi, cùm hæc virtus indita sit solis sacramentis nouæ legis, quæ ex latere Christi fluxerunt, & ex morte Christi suam efficaciam sumpserunt. Sicuti tamen non obstat, quòd instrumenta artificialia, quibus formantur vasa continentia, & depromentia aquam, dici possint mediatè significare, & depromere aquam; quia significant vasa, à quibus aqua immediatè significatur, & depromitur; ita non obstat, quòd sacramenta vetera, quæ secundùm se gratiam non continebant, nec conferebant, dici possint mediatè gratiam significare, & conferre eo, quia significabant noua sacramenta, quæ gratiam immediatè significant, & conferunt. Quoniam autem illud, quod efficit per se, & per suam virtutem, absolutè dicitur efficere; illud autem, quod non agit per se, nec per suam virtutem, absolutè dicitur non efficere; quamuis cum addito, scilicèt mediatè efficere dicatur; quia efficere dicitur à virtute effectiua; ideo quamuis sacramēta vetera mediantibus sacramentis nouæ legis fuerint causa gratiæ sanctificantis; attamen rectè *Conc. Flor.* dixit absolutè figurasse tantùm gratiam, non effecisse eo magis, quòd *Concilium* loquebatur de sacramentis veteribus, prout distinctis à sacramentis nouæ legis, ideo non debebat de illis loqui secundùm illam rationem, quæ illis conuenit ratione istorum, sed tantùm secundùm id, secundùm quod illa distinguuntur ab istis. Ex quo infertur non fuisse mentem *Concilij* excludere à sacramentis veteribus causalitatem mediatam, sed tantùm immediatam. Additur, quòd supposito sacramentis nouæ legis competere causalitatem physicam, vt *inf.* dicemus; rectè intelligitur *Concilium* excludere tantùm causalitatem physicam, non moralem, quæ competit signo præsupposito ad aliquam actionem, vel effectum, vt diximus *in sup.* §. An autem sacramenta veteris lègis fuerint causa gratiæ ex opere operato, vel tantùm ex opere operantis; dicemus *in seq. quæst. art.* 1. *His not.*

63 Vnica concl. De ratione sacramenti, *vt sic*, est significare, & aliquo modo causare nedum sanctitatem legalem, sed etiam ipsam gratiam sanctificantem in actuali susceptione sacramenti conferendam vel mediatè, & per aliud; vel immediatè, & per se.

Prob. 1. pars concl. Quæ competunt speciebus communiter, competunt generi; sed significare, & causare sanctitatem legalem, & gratiam sanctificantem competit speciebus sacramentorum communiter; ergo significare, & causare sanctitatem legalem, & gratiam sanctificantem competit sacramento genericè sumpto. Ma. constat; nam quia rationali, & irrationali competit esse principium sentiendi communiter, ideo esse principium sentiendi competit animali, *vt sic*, quod est genus ad rationale, & irrationale. Prob. 1. pars mi. Significare sanctitatem legalem competit nedum sacramentis nouæ legis, quæ dicant homines cultui Diuino, & illos capaces reddunt æternorum bonorum; sed etiā sacramentis veteribus; vt expresśè docet *Apost. Hebr.* 9. *Sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis*; quæ verba clarè significant sacramenta vetera significasse, & causasse sanctitatem legalem, quæ *ab eodem* vocatur *iustitia carnis*; & *Leuit.* 12. *Mulier, si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus*; & mox: *Triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Sin autem fæminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus &c; & sexaginta sex diebus maneb t in sanguine purificationis suæ. Cùmque expleti fuerint dies purificationis suæ pro filia, seu pro filio, deferet agnum anniculum in holocaustum, & pullum columbæ, siue turturem pro peccato ad ostium tabernaculi testimonij, & tradet Sacerdoti, qui offeret illa, & orabit pro ea, & sic mundabitur à profluuio sanguinis sui*; & c. 5. *Anima, quæ tetigerit aliquod immundum &c; agat pænitentiam pro peccato, & offerat de gregibus agnum, siue capram*; & sic de alijs purificationibus, quæ referuntur c. 15 4; & 17; & *Num.* 45; *et alibi*; ex quibus apertè monstratur, quòd sacramenta vetera habebant vim tollendi immunditias externas, ob quas homines prohibebantur à sacris, & ab aliorum, qui mundi erant, consortio, & per consequens sanctificandi legaliter, idèst remittendi, & absoluendi ab illis immunditijs corporis, quæ vetabantur per legem; ergo significare, & causare sanctitatem legalem competit omnibus speciebus sacramentorum communiter. In hoc nullum est dissidium *inter Theologos.*

64 Prob. 2. pars mi. Si significare, & causare gratiam sanctificantem interiùs non competeret omnibus speciebus sacramentorum communiter, maximè, quia non competeret sacramentis veteribus; est enim de fide sacramenta nouę legis Iustificare à peccatis; vt statuit *Trid. sess.* 7. *can.* 4; 6; 7; & 8; sed cons. est falsum; nam *Num.* 9. habetur: *Homo, qui fuerit immundus super anima, siue in via procul in gente vestra, faciat phase*

Domi-

Domino &c; si quis autem & mundus est, & in itinere non fuit, & tamen non fecit phase, exterminabitur anima illa de populis suis; quia sacrificium Domino non obtulit tempore suo, peccatum suum ipse portabit; & c.15. Quòd si per ignorantiam præterieritis quidquam horum, quæ locutus est Dominus ad Moysen, & mandauit per eum ad vos à die, qua cepit iubere, & vltra; oblitaque fuerit facere multitudo, offeret vitulum de armento &c; & dimittetur eis, quoniam non sponte peccauerunt. Quòd si anima vna nesciens peccauerit, offerat capram anniculam pro peccato suo, & deprecabitur pro ea Sacerdos, quòd inscia peccauerit coram Domino, impetrabitque ei veniam, & dimittetur illi etc. Anima verò, quæ per superbiam aliquid commiserit, siue ciuis sit ille, siue peregrinus, quoniam aduersus Dominum rebellis fuit, peribit de populo suo. Duo autem ex his colliguntur. Primum est; quòd non est *hic* sermo de sola immunditia legali, sed etiam de immunditia mentis; quia sermo est de transgressione omnium præceptorum, quæ de mandato Dei *Moyses* proposuit populo; & per consequens etiam præceptorum naturalium, quorum transgressio est immunditia mentis, siue animæ, non carnis tantùm, vt constat. Secundum est; quòd *hic* sermo est de peccatis commissis per ignorantiam, prout contradistinguuntur à peccatis commissis per superbiam, quæ sola dicuntur non remitti per sacrificia; & ideo debet intelligi de peccatis commissis per ignorantiam vel crassam, vel supinam, vel vincibilem, quæ sola sunt peccata; de quibus inquit *Dauid ps. 24. Delicta iuuentutis meæ, et ignorantias meas ne memineris*; sed remissio horum peccatorum non fit, nisi per gratiam, vt diximus *to. 4. de grat. q. 4. art. 1*; ergo sacramenta vetera, quæ significabant, & causabant remissionem peccatorum, quæ sunt immunditiæ mentis, significabant, & causabant etiam gratiam iustificantem. 2. *Apost. Hebr. 5.* inquit: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in ijs, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, et sacrificia pro peccatis; qui condolere possit ijs, qui ignorant, et errant; quoniam et ipse circumdatus est infirmitate, et propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam et pro semetipso offerre pro peccatis.* Loquitur autem de omni Pontifice legis veteris, statim namque meminit *Aaron*; ex quibus sic arguitur. Illud, ad cuius positionem actualem ex institutione Diuina, remittuntur peccata, quæ sunt animæ, seu mentis immunditiæ, significat, & causat gratiam sanctificantem interiùs; remissio enim peccatorum non fit, nisi per gratiam sanctificantem interiùs, vt diximus *loc. cit*; sed sacramenta vetera erant huiusmodi, vt patet *ex textibus* adductis; ergo significabant, & causabant gratiam sanctificantem interiùs. 3. Si solùm significassent gratiam conferendam post Christi mortem, & illam non contulissent in actuali eorum susceptione, pro eo tunc peccata non fuissent remissa, nec anima munda fuisset, sed solùm illa fuissent remittenda, & anima mundanda; *textus* autem allati asserunt *peccata remitti, et animam mundari* post illorum sacramentorum positionem; aliter nullus iustus actualiter fuisset in lege veteri, sed tantùm potentialiter; imò omnes mortui essẽt in peccatis suis, & solùm post Christi mortem à peccatis iustificati fuissent; mortui tamen in peccatis dicuntur solum ij, quibus non fuerunt remissa peccata; ergo idẽ. Tum quia sacramẽta vetera instituta fuerunt remedia peccatorum; vt diximus *in sup. q. art. 2; et 3*; sed remedium nedum significat, verumetiam causat sanitatem; vt constat; ergo sacramenta vetera nedum significabant, sed etiam causabant animæ sanctitatem, seu gratia interiùs sanctificans. 4. Hoc expresè colligitur *ex Innoc. III. c. Maiores de baptismo* docente: *Et si originalis culpa remittebatur per circumcisionis mysterium, et damnationis periculum vitabatur; non tamen perueniebatur ad Regnum Cælorum, quod vsq; ad Christi mortem fuit omnibus obseratum.* Quibus verbis expresè docet, quòd sacramenta vetera (paulò enim *inf.* loquitur de remedio omnibus paruulis præparato, vt liberarentur ab originali peccato) remiserunt peccata; & nullum aliud quantùm ad hoc erat discrimen, nisi quòd illa remittebant, sed non poterant ingredi Regnũ Cælorum, quod nondum per Christum erat apertum; hæc verò ita remittunt, vt tamen in illud ingredi possit. Clarè etiam id docuit *S. P. Aug. in locis innumeris*, præcipuè *lib. 19. cont. Faust. c. 16*; vbi loquens de sacramentis generaliter inquit: *Quid enim sunt aliud quæque corporalia sacramenta, nisi quædam quasi verba visibilia*; de ratione autem verborum est significare, vt constat; & deinde: *Hæc omnia fiunt, et transeunt; sonant, et transeunt; virtus tamen, quæ per illa operatur, iugiter manet; et donum spirituale, quod per illa insinuatur, æternum est.* Idem docet *in ps. 77*; vbi loquens de sacramentis veteribus ait *cum Apost. 1. Cor. 10*; quòd omnes siue legis veteris, siue legis nouæ *eundem cibum, et potum spiritalem manducauerunt, et biberunt consequente eos petra*, idest in Christo venturo; cibus autem, & potus spiritalis est gratia, quæ conferebatur etiam per illa sacramenta, licèt non omnibus; *quia non in pluribus eorum beneplacitum est Deo*; nam inquit *S. P. Cùm essent omnia communia sacramenta, non communis erat omnibus gratia, quæ est virtus sacramenti.* Quibus nihil clariùs potest haberi. Idem repetit *tract. 26. in Io.* Quibus verbis docet res corporales veterum sacramentorum fuisse quidem mutatas per Christum, virtutem tamen sacramenti mansisse; sed virtus sacramenti, qua operatur sacramentum, est gratia; ergo gratia fuit collata etiam in veteribus sacramentis. Idem tradit *D. Greg. lib. 4. mor. c. 3*; & refertur *c. Quod autem de consecr. dist. 4. Quod apud nos valet aqua baptismi, hoc egit apud veteres vel pro paruulis sola fides, vel pro maioribus sacrificia; vel pro ijs,*

ijs, qui de Abraha stirpe prodierunt; mysterium circumcisionis. Certum est autem, quòd baptismus agit, seu causat gratiam; ergo & sacramenta vetera, quæ egerunt, quod agit baptismus, agunt, seu causant gratiam. Similiter *D.Bern. serm.2. de Assumpt; et omnes alij SS.PP. communiter.* 5. Id, per quod sacramenta vetera distinguebautur à purificationibus, & ceremonijs, quæ non erant sacramenta, erat de ratione essentiali, & specifica veterum sacramentorum; essentiale enim, & specificatiuum est distinctiuum; sed solùm causare gratiam remittentem peccata erat id, per quod sacramenta vetera distinguebantur à purificationibus, & ceremonijs, quæ non erant sacramenta; vt erant lotiones vestium, & aliæ purificationes, de quibus sermo est *Leuit.* 14; istæ enim causabant sanctitatem legalem, & significabant gratiam remittentem peccata; quia sicuti abluebatur corpus à sordibus per illam ceremoniam; ita per gratiam anima à peccatis abluebatur; præterquamquod ipsa sanctitas legalis externa erat signum sanctitatis internæ; ergo causare gratiam remittentem peccata erat de ratione essentiali, & specifica veterum sacramentorum, aliter non fuissent distincta à sacramentalibus nouæ legis, quæ pariter significant, & conferunt sanctitatem legalem; & significant, non tamen causant sanctitatem internam. 6. Si sacramenta vetera significassent, & causassent sanctitatem legalem, gratiam verò sanctificantem significassent tantummodò, non autem causassent, sequeretur, quòd sacramenta vetera non fuissent à Deo instituta, sed ab homine; nam potestas instituendi sacramentalia, quæ dicant hominem Deo; conferunt sanctitatem legalem, & aliquo modo significant consecrationem internam, quę fit per gratiam, est in Ecclesia, vt diximus *in sup. q. art.5. §.1*; sed cons. est falsum; omnia enim sacramenta siue noua, siue vetera instituta fuerunt à Deo, vt diximus *ibid*; ergo & ant. est falsum.

65 Prob. 3. pars concl. 1. *ex 1. Cor.* 10; vt *sup.* diximus; vbi *Apost.* expressè docet, quòd patres antiqui baptizati sunt in nube, & in mari *per Moysen, & omnes eandem escam spiritalem manducauerunt, et eundem potum spiritalem biberunt (bibebant autem de spiritali consequente eos petra, petra autem erat Christus)* super quod S. P. *Aug. in ps.77. Non enim sine ipsa fide fuerunt, quæ eius in Christo futuram reuelationem præuidere, et prænunciare potuerunt; cùm et illa vetera sacramenta significatiua fuerint futurorum; et tract.26. in Io.* rationem reddens, cur *non in pluribus eorum*, qui manducauerunt manna, *beneplacitum est Deo, nam in deserto prostrati sunt;* ait: *Aliud est sacramentum, aliud virtus sacramenti;* nempe gratia. *Quare* ergo *manducauerunt, et mortui sunt? Quia quod videbant, credebant; quod non videbant, non intelligebant*. Quia igitur non habuerunt fidem in Christum, gratiam non receperunt, & ideo sacramenta vetera non immediatè, & per se, sed mediantibus sacramentis nouæ legis tantùm gratiam causabant. 2. *Hebr.9.* habetur: *Ideo noui testamenti mediator est; vt morte intercedente in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hæreditatis.* Igitur per mortem Christi instituta sunt sacramenta noui testamenti, quibus annexa est gratia remissiua peccatorum; sed sacramenta vetera non contulerunt gratiam iustificantem à præuaricationibus, seu peccatis sub veteri testamento commissis, nisi per mortem Christi; quia *Christus mortuus est pro omnibus* in veteri, & nouo testamento viuentibus; ergo sacramenta vetera contulerunt gratiam iustificantem solùm mediantibus sacramentis noui testamenti, quorum erant figuræ. Clariùs docuit *Ap. Rom.3. Quoniam quidem vnus est Deus, qui iustificat circuncisionem ex fide, et præputium per fidem; et c.4. Credenti in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam secundùm propositum gratiæ Dei*; & mox: *Reputata est Abrahæ fides ad iustitiam. Quomodò ergo reputata est? In circuncisione, an in præputio? Non in circuncisione, sed in præputio*; idèst *Abraham* iustificatus fuit per fidem in Christum, antequam circunciderctur, non autem per ipsam circumcisionem; & postea subdit omnes *Abrahæ* posteros esse pariter iustificandos ex fide: *Ideo ex fide, vt secundùm gratiam firma sit promissio omni semini*; & rationem reddit; quia si per sacramenta legis veteris peccata fuissent immediatè remissa, euacuata fuisset promissio Christi, & eius fidei, per quam iustitia promissa fuit *Abrahæ*, & semini eius. Tum quia vetus fuit lex timoris, quæ iram operabatur; at fides, seu lex Christi est lex amoris, quæ gratiam, & iustitiam operatur; ergo sacramenta vetera per se ipsam non conferebant immediatè gratiam, sed tantùm mediatè, & per legem Christi, in qua instituenda erant sacramenta habentia virtutem conferendi gratiam immediatè. Ita exponit *hunc textum S.P. Aug. lib.2. de nupt; et concup. c.11*; inquiens: *Cùm adhuc esset in præputio, ex fide iustificatus est ipse Abraham pater gentium, quæ fidem ipsius fuerunt sectaturæ. Sed superioribus temporibus omnimodè latuit sacramentum iustificationis ex fide, eadem tamen fides mediatoris saluos iustos faciebat antiquos, pusillos cum magnis; non vetus testamentum, quod in seruitutem generat; non lex, quæ non sic est data, quæ posset viuificare; sed gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Quia sicut credimus nos Christum in carne venisse, sic illi venturum; sicut nos mortuum, sic illi moriturum etc.* Quod repetit *ep. 57. ad Dardan*; vbi postquam dixit *Abraham, Isaac, et Iacob* ex fide Christi iustificatos fuisse; quia, vt inquit *Apost. Hebr.11. Sine fide impossibile est placere Deo*; & ita fides fuit eadem apud antiquos, & apud nos; vt docet *idem Apost. 1. Cor.4. Habentes autem eundem spiritum fidei*; & ideo sicut nos recipimus gratiam

per noua ſacramenta in fide Chriſti iam inſtituta;ita illi recipiebant gratiam per ſacramenta in fide Chriſti inſtituenda; aſſignat rationem *ſup.* allatam dicens: *Non eſt enim aliud Dei myſterium,niſi Chriſtus, in quo oportet viuificari mortuos in Adam; quia ſicut in Adam omnes moriuntur; ſic & in Chriſto omnes viuificabuntur.* Hoc idem habetur *c. ex quo de conſecr. diſt.* 4; & docent *omnes SS.PP.communiter* nemine prorſus excepto aſſerentes antiquos iuſtificatos fuiſſe per fidem in Chriſtum; vt fatentur *omnes Theologi*, quorum plures fortè ſatis non capiunt,quid ſit iuſtificari ex fide Chriſti?

66 Iuſtificari igitur per fidem in Chriſtum venturum eſt iuſtificari,non quidem per ſimpliciter, & putè credere Chriſtum eſſe venturum, ſed per credere, & ſperare in Chriſtum venturum,eumque deſiderare, qui inſtituturus erat ſacramenta, quibus conferenda erat hominibus gratia iuſtificans;nam iuſtificatio nedum requirit fidem in intellectu,ſed etiam ſpem, & charitatem in voluntate, quæ ſunt diſpoſitiones ad iuſtificationem,ergo ad hoc,vt antiqui homines iuſtificarentur, nedum debebant credere Chriſtum venturum, ſed debebant credere in Chriſtum venturum, tendendo ſcilicèt in Chriſtum per ſpem, quòd eſſet redempturus omnes homines à peccatis mediantibus ſacramentis ab ipſo inſtituendis;& in hac ſpe,& charitate addita fide iuſtificabantur. Sicut enim aliud eſt credere Deum eſſe, aliud credere in Deum; quia credere Deum eſſe eſt credere Deum exiſtere; & credere in Deum eſt in Deum tendere per fidem,ſpem,& charitatem;vt docet S.P.*Aug*; & ex illo *Fund.Doct.in ep.ad Rom.c.4.lect.13.dub.3; & de Laud.Diuina Sap.c.5*; quia etiam gentiles, & peccatores fideles credunt Deum eſſe, non tamen credunt in Deum, tendendo ſcilicèt in ipſum per ſpem, & charitatem; ita aliud eſt credere Chriſtum venturum eſſe; & aliud eſt credere in Chriſtum venturum, ſcilicèt in Chriſtum tendendo per ſpem, & charitatem, quòd eſſet per ſacramenta ab ipſo inſtituenda remiſſurus peccata. Iuſtificabantur ergo in lege veteri per actum credendi in Chriſtum venturum,vt in ipſum tenderent per charitatem,& ſpem,qua, ſicut illis erat promiſſum, ſperabant firmiter redempturum eſſe omnes homines à peccatis, quod non egit,niſi per noua ſacramenta ab ipſo inſtituta. In hoc ſenſu dicuntur ſacramenta vetera fuiſſe figuras, vmbras, & ſigna ſacramentorum nouæ legis, atque adeo gratiam iuſtificantem contuliſſe.

67 Arguitur modò ſic. Illud, quod confert gratiam mediante alio, quod ſignificat, & per virtutem exiſtentem in alio,quod figurat, non dicitur conferre gratiam iuſtificantem per ſe immediatè, & virtute propria; hæc enim duo inter ſe opponuntur, vt conſtat; ſed ſacramenta vetera conferebant gratiam iuſtificantem mediantibus ſacramentis nouæ legis, quæ ſignificabant; quia illud, quod cauſat in ſpe, & voto alterius, non cauſat per ſe, & per virtutem propriam, ſed in virtute illius, quod habet in ſpe; vt actus deſiderij baptiſmi cauſans gratiam iuſtificantem dicitur illam cauſare in virtute baptiſmi, quem habet in ſpe, & in voto;ſacramenta autem vetera cauſabant gratiam in ſpe nouorum ſacramentorum; vt diximus;ergo non cauſabant gratiam per ſe immediatè, & per virtutem propriam, ſed per virtutem ſacramentorum nouę legis,in quorum ſpe, & voto ſanctificabant.

68 Conf. Illa ſola ſententia, quæ clarè explicat, & rectè concordat *Diuinas ſcripturas, Concilia, & SS.PP*; eſt admittenda; ſicuti enim repugnat contradictionem eſſe *in ſcripturis Diuinis, & Concilijs*, quia ex duabus contradictorijs vna eſt vera, altera falſa; repugnat autem Spiritum Sanctum, qui *ſcripturis Diuinis, & Concilijs* aſtitit, falli, aut fallere; ita *in SS.PP*; quibus Diuina gratia aſtitit, vt ſcriberent, in rebus fidei contradictio non eſt præſumenda; ſed doctrina allata clarè explicat, & concordat *Diuinas ſcripturas, Concilia, & SS. PP*; nam aſſerere, quòd ſacramenta vetera per ſe immediatè,& per propriam virtutem, vt contradiſtincta à ſacramentis nouæ legis, non cauſabant, aut conferebant gratiam, clarè explicat illud *Hebr.10. Impoſsibile eſt ſanguine hircorum, & taurorum auferri peccata*; & mox ait *hoſtias, quæ nunquam poſſunt auferre peccata; & Rom.3. Ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro coram illo; & ad Gal.4. Quomodò iterũ conuertimini ad infirma, & egena elementa; & ad Hebr. 2. Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem, & inutilitatem; & 1. Cor.7. Circumciſio nihil eſt*;& cętera huiuſmodi. Item explicat illud *Flor. in decr. vnionis Armen*; ſacramenta antiquę legis *non cauſabant gratiam, ſed ſolùm per paſſionem Chriſti dandam figurabant*;& explicat SS.*PP*.apertè docentes circunciſionem fuiſſe merum ſignum iuſtitiæ fidei amputans membrum, non verò amputans peccatum; vt *Iuſtin. dialog. cum Triphone; Iren.lib.4.c.30; Epiphan.hær. 30; Ambr. in ep. ad Rom. c.4; & ep. 72; & lib.1.de Abraham c. 4; & lib. 1. de ſacram.c.4; & 6; & lib. de ijs, qui initiantur c. 8; & 9; Chriſoſt. hom.27.in Gen; Tertull. lib. cont. Iudæos; Cypr.lib. 1.cont.Iudæos c. 8; et alij*: Aſſerere autem,quòd ſacramẽta vetera mediãtibus ſacramẽtis nouis,quę ſignificabãt,iuſtificabãt,cõcordat *alias ſcripturas, canones, et SS.PP.ſup.allatos*;docẽtes ſacramenta vetera fuiſſe oblata pro expiatione à peccatis, & remiſiſſe peccata, ſicut remittuntur per ſacramenta nouæ legis; ergo hæc ſola doctrina eſt admittenda.

69 Obijc. 1. cont. 1. part. concl. De ratione ſacramenti eſt ſolùm eſſe ſignum; ſed ſignum non eſt cauſa, vt fumus non eſt cauſa ignis; ergo de ratione ſacramenti eſt tantùm ſignificare,

non

non causare sanctitatem aut legalem; aut sanctificantem.

Resp. dist. ma. Solùm esse signum, ad quod sequitur collatio gratiæ, conc; & in hoc sensu neg. mi; ad quod non sequitur collatio, neg.

70 Obiic. 2. omnes auctoritates mox allatas *sacræ scripturæ, & Flor.* asserens in hoc distingui sacramenta veteris legis, quòd non causabant gratiam; sed illam tantùm figurabant dandam per Christum; *& Trid. sess. 7. can. 2.* statuit sacramenta vetera distingui nō solùm, quia aliæ erant ceremoniæ, sed etiam propter aliud, hoc autem aliud nequit esse, nisi quia illa non causabant, hæc causant gratiam; & *ad Gal. 3. In lege nemo iustificatur apud Deum*; sed per legem præcipiebantur sacramenta vetera; ergo sacramenta vetera non iustificabant, & ideo non causabant gratiam iustificantem. 2. *Abraham* per circuncisionem non fuit iustificatus; accepit enim circuncisionem, tanquam signum iustificationis iam antea factæ per fidem; & tanquam signaculum, quo populus electus, qui ab ipso erat descensurus, distinguendus erat à populo gentili; sicut baptismus est signaculum, quo Christiani distinguuntur ab infidelibus; non tamen conferebat gratiam, sicut illam confert baptismus. Hoc habetur *Rom. 3. Quid ergo ampliùs Iudæo est; aut quæ vtilitas circuncisionis? Multùm per omnem modum. Primùm quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei*; idest per circuncisionem datæ sunt *Iudæis scripturæ*, vaticinia prophetarū, prophetarū, promissiones &c; quibus distinguebātur à gentilibus. Deinde asserit iustificationem non fieri per opera legis, circuncisio autem est opus spectans ad legem, quæ illam præcipit; subdit enim: *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo*. Tandem concludit iustificationem fieri solùm per fidem in Christum: *Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes, qui credunt in illum.* Ergo *ex Apost.* manifestè deducitur sacramenta vetera non causasse gratiam iustificantem; si enim id dicitur de circuncisione, à fortiori dicendum est de alijs sacramentis. Ex his duplex ratio eruitur. Prima est. Circuncisio eodem modo data est *Abrahæ*, & posteris eius; sed *Abrahæ* data est tantùm in signum iustitiæ antea acceptæ, & in signaculum, quo distingueretur à populo gentili, non electo; ergo & posteris eius. Secunda Sacramentum iustificans debuit esse pro omnibus in lege viuentibus, siue masculis, siue fœminis; vt patet de baptismo in lege noua; sed circuncisio data fuit tantùm pro masculis; ergo non fuit iustificans.

Resp. ad 1. omnes *textus* allatos nō posse rectiùs explicari cōformiter *ad Diuinas scripturas, Concilia, & SS.PP*; quā dicēdo sacramenta vetera secundùm se accepta, prout contradistincta à sacramentis nouæ legis, non iustificasse, vt dictū est; propter tamen *alios textus* asserentes oppositum dicendum est iustificasse in vi sacramentorum nouæ legis, quorum erant figuræ; vt magis apparebit *ex Apost.* statim allegando. Ad *Conc. Flor.* iam dictum est ipsum loqui de sacramentis veteribus, prout contradistinguuntur à sacramētis nouæ legis, non prout virtute illorum agebant. Ad *Trid.* dicitur eam differentiam intendere, quæ assignata iam fuerat *à Flor*; & ideò rectè explicari, sicut explicatum est *Flor.* Eodem modo dicitur *ad textum* sumptum *ex Apost. in ep. ad Gal.* intentum enim erat ostendere omnem iustificationem esse per fidem Christi; non per legem, quæ secundùm se non iustificabat, sed tantùm comminabatur; ex hoc tamen non sequitur, quòd viuentes in lege per fidem in Christū non fuerint iustificati; sed potiùs sequitur oppositum, vt mox dicemus. Ad 2. dicitur, quod sicuti aliquis ante susceptionem baptismi potest esse iustificatus eo, quia habuit actum fidei perfecta charitate formatę, vt dicitur *de Centurione*, quem volunt plurimi fuisse iustificatum, antequam descenderet *Petrus* ad eum instruendum in fide, & baptizandum; nam fides perfecta per charitatem habitualem est proprietas coniuncta cum gratia habituali, cuius est iustificare; attamen ex hoc non sequitur, quòd baptismus non habeat virtutem iustificandi, si inueniat iniustum eum, qui baptizatur; ita quamuis circuncisio inuenerit *Abraham* iam iustificatum per fidem in Christum; non sequitur, quod circuncisio non quidem secundùm se, sed per virtutem sacramentorum in fide Christi instituendorum non iustificauerit eos, quos iniustos inuenit. Hoc clarè docet *Apost. loc. cit.* vbi postquam dixit circuncisionem esse signum discernens populum *Iudæorum* à gentilibus ait iustificationem fieri non per legem factorum, sed per legem fidei; & concludit vnum esse Deum, qui circuncisos iustificat per fidem, & gentiles per fidem: *Quoniam vnus est Deus, qui iustificat circuncisionem ex fide, et præputium per fidem*; ergo circuncisio *ex Apost.* per virtutem fidei in Christum iustificabat. Ad 1. rationem dist. ma. Eodē modo data est circucisio *Abrahę*, sicut posteris eius, ex parte suscipientis, neg; sicut ex parte suscipientis non datur eodem modo baptismus iustificatis ante actualem susceptionem illius, & non iustificatis, vt dictum est; ex parte conferentis, conc. Ad 2. dist. ma. Sacramentum vniuersaliter datum debuit esse pro omnibus, conc; particulariter datum tantùm pro aliquibus; vt circuncisio, neg. *Vid. Fund. Doct. in ep. ad Rom. lect. 13. dub. 5, & 6;* vbi docet baptismum esse vniuersaliter datum pro omnibus, quia perfectum sacramentū est, adeoq; vniuersalius; sacramentū autē in lege veteri purgans ab originali eo, quia imperfectum, non fuisse vniuersale pro omnibus; sed pro paruulis fidem parentum, pro adultis sacrificia, & pro masculis posteris *Abrahæ* circuncisionem. Asserit autem circuncisionem datam fuisse *Abrahæ*. 1. Propter meritum obedien-

dientiæ. 2. Vt signum fidei. 3. Vt signaculum distinctionis populi *Hebraici* ab alijs nationibus. 4. In documentum castitatis, quia fit in membro, in quo dominatur libido. 6. In remedium peccati originalis.

271 Obijc. 3. Si sacramenta vetera iustificassent, frustra fuisset aduentus Christi, & nouorum sacramentorum institutio. 2. Sacramenta vetera non aperiebant ianuam Regni Cælorum; ergo nõ conferebant gratiam, per quam Cælorum Regnũ ingredimur. 3. Multi gentiles circuncidebantur, & tamen non iustificabantur, quia sine fide in Christum vtebantur illo signo exteriori; vt refert *Epiphan. hær. 30; Orig. lib. 2. in ep. ad Rom; S. Ambr. ep. 77; & alij.*

Resp. ad 1. neg. seq; nam sacramenta vetera iustificabant tantùm in virtute Christi venturi, & sacramentorum à Christo instituendorum; vnde si Christus non venisset, & sacramenta noua non instituisset, non fuisset virtus, in qua sacramenta vetera iustificabant. Ad 2. neg. cons; gratia enim dat ius ad ingressum Regni Cælorũ, non tamen aperit ianuam. Ad 3. dicitur solùm probare, quòd non conferebant gratiam secundùm se, sed solùm in fide Christi; sicuti minister baptizans in noua lege non intendens facere, quod facit Ecclesia, verè non baptizaret; ex hoc tamen non sequitur baptismum nõ causare gratiam; ita à pari.

72 Obijc. 4. cont. 2. part. concl. S. P. *Aug. lib. 19. cont. Faust. c. 11.* ait, quòd *sacramentorum veterum vis inenarrabiliter plurimùm valet*; quanuis noua sacramenta sint virtute maiora, vt docet *ibid. c. 13; & in ps. 77; & ep. 118*; ergo ex se ipsis habebant vim iustificandi, aliter hæc vis ipsis tribui non posset, sed solùm sacramentis nouæ legis. Tum quia si agerent in virtute nouorum sacramentorum, esset eadem virtus, in qua agerent vetera, & noua sacramenta; adeoq; non esset maior virtus istorum, quàm illorum. 2. *Innoc. c. maiores de baptism.* ait baptismum circuncisioni successisse; & quòd non minùs tollitur peccatum originale per baptismum, quàm per circuncisionem; sed per baptismum tollitur immediatè per propriam virtutem ipsius baptismi; ergo & per circuncisionem. 3. *D. Greg. lib. 4. mor. c. 3.* ait: *Quod apud nos valet aqua baptismi, hoc egit apud veteres vel pro solis paruulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificij, vel pro ijs, qui de stirpe Abraha prodierunt, mysterium circuncisionis*; sed baptismus per se immediatè causat gratiam; ergo & circuncisio.

Resp. ad 1. neg. cons; quanuis enim instrumentum agat per virtutem causæ; attamen virtus vtriq; tribuitur; ita à pari. Sic quanuis eadem virtus caloris sit in igne, & in aqua; attamen non sequitur, quòd non sit maior in igne, quàm in aqua. Ad 2. dicitur, quòd baptismus circuncisioni successit, tanquam lux vmbræ; sicut autem non valet: *Sed lux per se, & propriam virtutem illuminat*; ergo & vmbra; ita à pari. Successit ergo quantùm ad materiale, quod fuit diuersum; non quantùm ad virtutem, quæ fuit eadẽ. Sicut rectè dicitur baptismum succedere voto baptismi; quanuis virtus voti baptismi sit ipsa virtus baptismi. Ad 3. resp. eodem modo, quo ad 1; nam licèt aqua calida calefaciat, sicut calefacit ignis, quanuis non æquè intensè; attamen non sequitur, quòd aqua calefaciat per virtutem sibi propriam, sicut calefacit ignis.

73 Obijc. 5. Sicuti ordinantur noua sacramenta ad sanguinem Christi iam fusum; ita ordinabantur vetera ad sanguinem Christi fundendum; sed noua sacramenta ex eo, quòd ordinentur ad sanguinem Christi iam fusum, habent virtutem propriã causandi gratiam; ergo & sacramenta vetera. 2. Sacramenta vetera absq; bono opere vel suscipientis, vt in paruulis, vel ministrantis conferebant gratiam; docet enim *S. P. Aug. ep. 203. ad Maximin. Donatist; & lib. 1. cont. Cresion. c. 31.* circuncisum *à Samaritano* esse validè circuncisum non minùs, ac baptizatum ab hæretico; ergo conferebant gratiam ex se ipsis, & propria virtute. 3. Si sacramenta vetera contulissent gratiam, non ratione sui, sed ratione alterius, iam contulissent gratiam ratione illius alterius, non ratione ipsorum; sed cons. est falsum; ergo & ant.

Resp. ad 1. dist. ma. Ordinabantur ad sanguinem Christi fundendum, & erant figuræ nouorum sacramentorum, quibus per sanguinem Christi applicanda erat gratia, conc; secus, neg. Sic dist. mi. Noua sacramenta ex eo, quòd ordinantur ad sanguinem Christi, cuius virtus applicata fuit illis, tanquam figurato, conc; aliter, neg. Ad 2. dist. ant. Absque bono opere ministrantis, idèst absq; actu fidei in Christum, neg; absq; alio bono opere, cum actu fidei tamen, conc. *Samaritani* autem credebant in Messiam venturum, vt colligitur *ex Io. 4*; vbi mulier *Samaritana* inquit: *Scio, quia Messias venit*; erant enim diuisi *à Iudæis*. Ait ergo S. P; quòd circuncisus *à Samaritano* non poterat iterum circuncidi, quia non erat locus, vbi circuncidi posset, & aliàs in fide Christi venturi fuisset *à Samaritano* iam circuncisus. Ad 3. dicitur, quòd licèt sacramenta vetera emundarent per virtutem nouorũ sacramentorum, quæ significabant; attamen ipsa dicebantur emundare; sicuti agens per virtutem alterius, rectè dicitur ipsumet agere eo, quia illud, per quod virtus applicatur ad agendum, rectè dicitur agere. Quanuis ergo sacramenta vetera emundarent per virtutem nouis sacramentis applicandam per Christum; attamen quia erant id, per quod talis virtus applicabatur, rectè dicuntur emundasse à peccatis.

§. 6.

An de ratione ſacramenti ſit cauſare gratiam ex opere operato?

74 DE ſacramentis nouæ legis non eſt dubium; definitum enim fuit à *Trid. ſeſſ. 7. can. 8. Si quis dixerit per ipſius nouæ legis ſacramenta ex opere operato non conferri gratiam, ſed ſolam fidem Diuinæ promiſsiónis ad gratiam conſequendam ſufficere, anathema ſit.* Difficultas ergo procedit de ſacramentis veteris legis?

75 Prima ſententia affirmat omnia ſacramenta ſiue legis ſcriptæ, ſiue legis naturæ contuliſſe gratiam ex opere operato ex decreto infallibili, & promiſsione Diuina. Referuntur *Alen; D. Bonau; Marſ; Dur; Maior, Palud; Scot; Gabr; Larin; Val; Sal; & alij apud noſtrum Gibb;* quibus accedit *Eſtius hic diſt. 1. §. 30;* qui refert etiam *S. Tho. in 4. diſt. 2. q. 9;* licèt hanc ſententiam retractauerit *in ſumma.*

76 Secunda id affirmat de ſola circuncisione. *Maſtr. hic q. 2.* vbi refert *Scot; et Scotiſtas, D. Bonau; et Alen.*

77 Noſtra docet nullum ſacramentum veteris legis contuliſſe gratiam ex opere operato, ſed tantùm ex opere operantis; atque adeo conferre gratiam ex opere operato ſolis ſacramentis nouæ legis competere. *Ita Fund. Doct. in 3. diſt. 9. p. 3. q. 3. art. 3. ad 1; & in 2. diſt. 41. dub. 6. lit; noſter Gibb. hic diſp. 15. dub. 3. §. 1;* apud quem *D. Tho. hic q. 62. art. 6. ad 3; & q. 70. art. 4; Capr; Ferrar; Led. ſina, Gonet, & omnes Thomiſtæ communiter; Vaſq; Bellarm; Coninch; et alij.*

78 Quoniam vnum membrum diuidens eſſentialiter excludit aliud; ideo videndum eſt, quale opus excludit *ex opere operato*, quod dicitur ad excluſionem *ex opere operantis;* hinc enim pendet huius difficultatis deciſio. Dupliciter ex opere operato poteſt excludere opus operantis; ſcilicèt vel ex parte ſuſcipientis, vel ex parte miniſtrantis ſacramentum; neutro tamen modo excludit ſimpliciter omne opus operantis, ſed tantùm aliquod opus. Certum enim eſt, quòd non dicitur ſacramentum cauſare gratiam ex opere operato eo, quia nullum motum omnino in ſuſcipiente, & in miniſtrante requirat; vt *Doctoribus Catholicis* falsò affinxerunt hæretici; quos reijcit *Trid. ſeſſ. 14. c. 4.* aſſerens: *Falsò quidem calumniantur ſcriptores catholicos, quaſi tradiderint ſacramentum pænitentiæ abſq; bono ſuſcipientium motu gratiam conferre, quod nunquam Eccleſia Dei docuit, nec ſenſit.* Fatentur enim omnes ex parte ſuſcipientis requiri attritionem in ſacramento pęnitentiæ, & baptiſmi, ſi ſit adultus, & ex parte miniſtrantis intentionem faciendi, quod facit Eccleſia. Igitur ex opere operato dicitur excludere opus ex parte ſuſcipientis, & miniſtrantis, quia ex vi, & virtute, quam habet ex Diuina inſtitutione, confert gratiam, licèt nō ſit in ſuſcipientibus, & miniſtrantibus opus meritorium inductiuum gratiæ eſſentialiter, vt eſt contritio perfecta &c; & quamuis motū in ſuſcipiētibus, & intentionē in miniſtrātibus; requirat; iſte tamen motus, & iſta intentio non ſufficeret ad inducendam gratiam ſine ſacramentis. Dat exemplum *S. P. Aug. lib. 3. cont. Creſcon. c. 8; et lib. 9. de Gen. ad lit. c. 15.* de agris, qui ex virtute recepta à Deo in eorum creatione ferunt fructus adhibito coloni labore, qui tamen ſine agrorum virtute nō produceret fructus. Sic ſacramēta per virtutē acceptā ex inſtitutione Diuina adhibito ſuſcipientium motu, & intentione miniſtri conferunt gratiā, quam non conferret ille motus, & illa intentio miniſtri ſine virtute ſacramentorū.

79 Sed quamuis rectè dicatur, quòd per hoc membrum *ex opere operato* excluditur opus operantis, quod in ſuſcipiente, & miniſtrante habeat vim meritoriam inducendi proximè gratiam etiam ſine ſacramentis; videtur tamen (inquit *Fund. Doct. in 3. vbi ſ.*) hanc diſtinctionem primariò, & principaliter adinuentam fuiſſe ad excludendum opus meritorium ex parte miniſtri; qui quamuis eſſet in peccato, imò quamuis non crederet v. g. baptiſmum conferre gratiam, vel crederet baptiſmum eſſe purum figmentum; ſi tamen baptizaret in forma Eccleſiæ, & intenderet facere, quod facit Eccleſia, puer eſſet verè baptizatus & gratiam baptiſmalem reciperet. Inquit igitur *Fund. Doct;* quòd ſacramenta veteris legis *non exhibebant gratiam ex opere operato, ſed ſolùm ex opere operantis, prout aliquis deuotè, et reuerenter ſe habebat ad illos ritus, et ideo illa ſacramenta dicebantur elementa egena; ſed ſacramenta noſtra dicuntur vaſa gratiæ, quia etiam ex opere operato conferunt gratiam. Nam ſi quis baptizaret aliquem puerū ante rationis vſum, dato, quòd nullam deuotionem habeat in eo, quod facit, dummodò baptizaret in forma Eccleſiæ; dato etiam, quòd non bene, vel plenè crederet, et ſi crederet baptiſmū nihil eſſe; dum tamen baptizaret in forma Eccleſiæ, et intenderet facere illud, quod facit Eccleſia, quamuis credat hoc nihil eſſe; baptizatus eſſet ille puer, et acciperet gratiam baptiſmalem. Ideo dicuntur noſtra ſacramenta vaſa gratiæ, quia non ſolùm ex opere operantis, ſed etiam ex opere operato continent gratiam.* Ex quibus apparet, per illa verba ex opere operato excludi principaliter opus operantis ex parte miniſtri conferentis ſacramentum. Ratio huius eſt; nam hæc diſtinctio videtur adinuenta ad confutandam hæreſim *Donatiſtarum,* qui ſacramenti effectum volebant dependere ex merito miniſtri, vt refert *S. P. Aug. in omnibus libris,* quos ſcripſit *contra Donatiſtas,* quos reijcit docens ſacramenta conferri in nomine Chriſti, non in nomine miniſtri; ideo licèt miniſter ſit malus, & ſine gratia, ac propterea non poſsit gratiam conferre; attamen quia bonus eſt Chriſtus, & fons gratiæ inexhauſtus; idcirco ſacramenta in nomine eius collata, tanquam vaſa gratiæ, gratiam diffundunt. Tum quia hanc diſtinctionem ſic intellexit *Innoc. III. lib. 3. de ſacro*

Al-

Altaris mysterio c. 5. docens: *Non in merito sacerdotis, sed in verbu conficitur Creatoris. Non ergo sacerdotis iniquitas effectum impedit sacramenti, sicut nec infirmitas medici virtutem medicinæ corrumpit. Quamuis igitur opus operans aliquando sit immundum, semper tamen opus operatum est mundum.* Ex quibus claret Summum Pontificem loqui de hac distinctione per ordinem ad ministrum tantùm, non per ordinem ad suscipientem. Tum quia continere gratiam, & illam conferre ex opere operato *Conc. Trid.* tribuit solis sacramentis nouæ legis, hæc enim solùm expresè nominat; sed excludere opus operantis ex parte suscipientis proximè inducens gratiam conuenit omnibus sacramentis nouæ, & veteris legis; non enim contritio perfecta requiritur ad illa recipienda; ergo ista verba *ex opere operato* principaliter excludunt opus operantis ex parte ministri, quod sit meritorium, & proximè inductiuũ gratiæ in suscipientem sacramenta.

80 Sed cùm plura sint opera in ministro, quæ possunt gratiam inducere, v.g. oratio impetratoriè, vel quodlibet aliud opus bonum meritoriũ; videndum maioris claritatis gratia, quodnam sit istud opus ministri operantis, quod excludunt hæc verba *ex opere operato. Fund. Doct.* verbis allatis hoc innuit. Certum enim est, quòd opus, per quod minister operans in sacramentis veteribus inducebat gratiam in suscipientes illa sacramenta, erat actus protestatiuus fidei Christum; vt probant *Scripturæ, & SS. PP.* allati *in sup.* 8; *vt Rom. 3. Vnus est Deus, qui iustificat circuncisionem ex fide, & præputium per fidem; & c.4. Credenti in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam*; & mox: *Ideo ex fide, vt secundùm gratiã firma sit promissio omni semini; & c.5. Iustificati ergo ex fide pacem habemus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem habemus accessum per fidem in gratiam istam; et 1. Cor.4. Non enim est aliud mysterium, nisi Christus, in quo oportet viuificari mortuos in Adam; quia sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes viuificabuntur; et Act.4. Nec enim aliud est nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri; et S. P. Aug. loc. cit. in sup. §. n. 65; et communiter omnes SS. PP.* docent antiquos iustos emundatos fuisse à peccatis in fide Christi venturi; & sine actu protestatiuo fidei in Christũ neminem saluatum fuisse. Insuper certum est, quòd minister nouorum sacramentorum, etiamsi non habeat actum fidei in Christum, v. g. *paganus*, vel *Iudæus* baptizans, quanuis non credat in Christum, imò quanuis credat fidem Christi esse falsam; attamen intendens facere, quod facit Ecclesia, verè baptizat, & baptizatus recipit gratiam baptismalem, per quam à peccato originali verè emundatur non ob aliam rationem, nisi quia sacramenta nouæ legis conferunt gratiam ex opere operato, vt statuit *Trid*; ergo conferre gratiam ex opere operato propriè, & principaliter dicitur ad excludendum actum fidei in Christũ, qui est opus ministri operantis. *His not.*

81 Vnica concl. Causare gratiam ex opere operato simpliciter in eo sensu, in quo locuti sunt *PP. Concily Tridentini, et SS. Patres*, conuenit solis sacramentis nouæ legis, non autem circuncisioni, aut alijs sacramentis veteris legis.

Prob. 1. Illud, quod non excludit actum fidei in Christum ex parte ministri operantis, intuitu cuius ex Diuina institutione conferebatur in lege veteri gratia iustificans, non causabat gratiam ex opere operato simpliciter in eo sensu, in quo locuti sunt *PP. Concily Tridentini, et SS. PP.* antiqui; sed sola sacramenta nouæ legis, non autem circuncisio, aut alia sacramenta veteris legis, excludunt actum fidei in Christũ ex parte ministri operantis, cuius actus fidei intuitu in veteri lege conferebatur gratia iustificans; ergo sola sacramenta nouæ legis, non autem circuncisio, aut alia sacramenta vetera causabãt gratiam ex opere operato simpliciter. Ma. constat ex dictis; nam causare gratiam ex opere operato simpliciter excludit opus ministri operantis, quod est aliud membrum huius diuisionis, intuitu cuius operis aliàs conferebatur gratia; nam si aliquo modo confertur gratia ex opere operantis, iam non confertur ex opere operato simpliciter, sed & ex opere operato, & ex opere operantis; simpliciter enim dicitur illud, quod est per omnem modum; sed actus fidei in Christum est opus ministri operantis, intuitu cuius cõferebatur gratia emundans à peccatis in lege veteri; vt patet *ex textibus* adductis *de Abraham*, qui iustificatus est ex fide &c; ergo illud, quod non excludit actum fidei in Christũ, non causat gratiam ex opere operato simpliciter. Quod autem *PP. Concily* hoc intenderint, sic prob. *PP. Concily Tridentini* statuendo, quòd sacramenta nouæ legis conferunt gratiam ex opere operato, intenderunt, quòd etiamsi minister v. g. baptismi non credat in Christum; imò credat legem Christi esse falsam; attamen vi & virtute ipsius baptismi cõfertur gratia baptizato; & hoc docuerunt *S. P. Aug; Innoc. III; & alij SS. PP; & DD;* qui de hac re scripserunt; sed hoc est excludere actum fidei in ministro operante; ergo causare gratiam ex opere operato simpliciter *iuxta PP. Concily Tridentini, & SS. PP; & DD.* est excludere actum fidei in Christum ex parte ministri operantis. Mi. etiam claret ex allatis *scripturis, & PP*; qui apertè asserunt antiquos iustos iustificatos fuisse ex actu fidei in Christum; vt *iustificat circuncisionem ex fide, & præputium ex fide*, quibus docet *Apostolus* nedum circuncisionem datam in lege veteri iustificasse ex actu, & ratione actus fidei in Christum, sed etiam præputium, seu legem naturæ, in qua erat præputium, iustificasse solum per actum fidei in Christum, & sic *de alijs textibus*.

82 Cùm dicimus tamen ex opere operato ex-

excludere actum fidei in Christum, intelligendum est præcisiuè; non negatiuè ita, vt etiamsi non adsit actus fidei in ministro eo, quia nõ credat; nihilominus sacramentum vi sua causet gratiam in eo, qui illud suscipit; non autẽ, quòd si adsit actus fidei in ministro, sacramentum non causet gratiam; hoc enim est falsum. Sensus igitur est, quòd sacramentum in lege veteri causabat gratiam solùm in virtute fidei in Christum; in lege noua verò illam causat vi sua, etiamsi non adsit fides in Christum.

83 Conf. *Ex SS. PP.* habetur, quòd infideles circuncidentes suos paruulos non ministrabant eis gratiam iustificantem, & ideo paruuli non iustificabantur; vt diximus *in sup. S. n. 71*; ergo circuncisio vi sua non conferebat gratiam circũciso; sed vi solius actus fidei in Christum existentis in ministro; nam quia noua sacramenta conferunt gratiam ex opere operato, ideo si ministrentur etiam à non habente actum fidei, aut fidem, conferunt gratiam; ergo si circuncisio, & alia sacramenta vetera causassent gratiam ex opere operato, etiam ab infidelibus ministrata gratiam causassent.

84 Prob. 2. Si circuncisio, & alia sacramenta veteris legis causassent gratiã ex opere operato, fuissent vasa gratiæ, non egena, & infirma; quia gratiam verè continuissent in se ipsis, quam ex se ipsis potuissent conferre; in tantùm enim aliqua causa dicitur potens aliquem effectum producere, in quantùm illum continet in sua virtute; & in tantùm dicitur infirma ad illum producendum, quia ex se ipsa non habet tantam vim, vt possit illum producere; sed cons. est *contra Apostolum* docentem circuncisionem, & alia sacramenta vetera esse *elementa*; idèst principia productiua, *infirma, et egena*; idèst vacua, & non continentia gratiam, quam propterea non poterant ex se ipsis, sed solùm in virtute actus fidei in Christum à ministro eliciti producere; ergo falsum est ant.

85 Prob. 3. Ratio, cur licèt *omnes Hebræi* baptizati fuerint *à Moyse in nube, & in mari*, & omnes manducauerint manna, quod erat sacramentum correspondens Eucharistiæ, non tamen omnes Deo placuerint, & ideo eorum aliqui prostrati fuerint in deserto; inquit enim *Apost. 1. Cor. 10. Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo, nam in deserto prostrati sunt*; idèst gratiam Dei non receperunt per illa sacramenta; ratio, inquam, fuit; quia *quod videbant, credebant; quod non videbant, non intelligebant*; ait *S. P. Aug. in ps. 77*; ergo virtus proximè inductiua gratiæ in sacramentis veteribus fuit actus fidei in Christum; quia virtus formalis, & proxima est illa, qua posita, & positis omnibus alijs prærequisitis ad agendum ponitur effectus, & qua non posita non ponitur effectus, licèt omnia alia ponantur. *Vid. omnes alias scripturas, et auctoritates* allatas *in sup. S. à n. 65*; probant enim hanc conclusionem; quia causare ex opere operato est causare per virtutem propriam, & ex vi sua; sed sacramenta vetera nõ causabant per virtutem, & vim propriam; vt *ibid.* ostensum est; ergo non causabant gratiam ex opere operato.

86 Tandem prob. *ex 1. Cor. 7. Circuncisio nihil est, præputium nihil est.* Super quod *S. P. Aug. lib. contra Adimant. c. 16.* inquit: *Non enim signa illa, sed ea, quæ his significantur, in salutem introducunt*; sed nomine illorum signorum significantur circuncisio, & cetera sacramenta veteris legis, siue quæ erat in præputio, vt fuit lex naturæ; siue scriptæ, in qua fuit circuncisio; ergo circuncisio, & alia sacramenta vetera non causabant gratiam ex se ipsis, sed solùm in virtute rerum significatarum per ipsa; & ideo non causabant ex opere operato. Expressè etiam hoc habet *lib. 2. de pecc. orig. c. 32*; vbi loquens de Christo ait: *Qui etiam priusquam venisset in carne, antiqua sua membra liberabat suæ incarnationis fide*; quod semper repetit *innumeris alijs in locis*. *Vid. inf. q. 4. art. 2. n. 1.*

87 Obijc. 1. Ipsa circuncisio secundùm se ipsam erat actus protestatiuus externus fidei in Christum; docet namq; *S. P. Aug. lib. 2. de pecc. orig. c. 31; et in Io. tract. 30.* circuncisionem factã fuisse *cultello petrino*, vt significaret Christum, qui dicitur *petra*; sed actus fidei in Christum iustificabat; ergo circuncisio ex se ipsa; & ideo ex opere operato iustificabat.

Resp. dist. ma. Circuncisio erat actus externè protestatiuus fidei imperatus ab actu fidei occulto, vel manifesto, conc. non imperatus, neg; protestatio enim externa supponit illud, quod protestatur; aliter esset protestatio nihili, non fidei, si fidei actus non esset. Quòd autem præter illud signum externum manifestatiuum, & protestatiuum fidei requireretur etiam actus fidei internus in ministro, colligitur ex allatis textibus *Rom. 4. Credenti in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam*; *1. Cor. 4. Habentes autem eundem spiritum fidei*; & iterum *Rom. 3. Iustitia autem per fidem Iesu Christi in omnes, et super omnes, qui credunt in illum*; credere autem importat principaliter actum fidei internũ elicitum ab intellectu, in quo est fides; & spiritus fidei nequit esse, nisi actus internus fidei, qui solùs est spiritualis; externa enim protestatio fidei materialis est, & sensibilis. Item *S. P. Aug. lib. cont. Adimant. vbi s.* distinguit signa externa, idèst protestationem externam, à rebus per illa signa significatis, & ait iustificationem fieri non per illa signa, sed per res significatas; sed actus fidei non poterat tunc esse externus, & manifestus, sicut est in lege noua, quia tunc fides erat occulta, & velata; & ideo etiam eius actus debuit esse occultus, & velatus; ac propterea debuit esse internus, qui solùm est occultus eo, quòd non appareat.

88 Inst. Minister in noua lege eo ipso, quòd in-

intendat facere, quod facit Ecclesia, & ministret sacramenta in forma Ecclesiæ, confert gratiam; ergo & in lege veteri; nulla enim videtur in hoc disparitas; & ideo nec in lege veteri necessarius fuit actus fidei in Christum in ministro; nec verum est, quòd huic actui fuerit in lege veteri annexa gratia. Ant. est certum. Prob. conf. Non minùs conferebantur sacramenta ex fide Christi in lege veteri, quàm in lege noua; vna enim est fides, in quâ omnes saluãtur; sed in lege noua nõ est necessarius actus fidei in ministro; ergo nec in lege veteri. Tum quia, vt inquit *S.P. Aug. lib. 2. de nupt. & concup. c. 2 3. sicut credimus nos Christũ in carne venisse, sic illi venturũ*; ergo quãtùm ad actũ credendi est paritas in vtraque lege; nec aliud extat discrimen, nisi quòd illi credebant Christũ vẽturũ, nos verò credimus iam venisse.

Resp. neg. conf. Ad prob. dist. ma. Non minùs conferebantur sacramenta in lege veteri ex fide Christi in vmbra, in spe, & in voto; & in lege noua in se ipsa iam reuelata, & manifestata, in re, & in actu, conc; ex fide Christi eodem modo, neg; hanc enim differentiam assignat *Apost. ad Gal. 3. Priùs autem, quàm veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in ea fide, quæ reuelanda erat &c.* Sicut ergo quoniam nunc Christi fides est manifestata, & reuelata, non sufficit ad conferendam gratiam in sacramentis fides Ecclesiæ, quæ exprimitur ex eo, quòd minister intendat facere, quod facit Ecclesia, sed vlteriùs requiritur, quòd sacramenta ministrentur in forma Ecclesiæ, qua scilicèt vtitur Ecclesia ex institutione Christi Domini; vnde etiamsi quis v.g. baptizans intenderet facere, quod facit Ecclesia, non tamen proferret formam baptismi, qua vtitur Ecclesia, nempe: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; sed vel non proferret, vel omnino variaret, puer non esset verè baptizatus; quia omitteret actum imperatum à fide Christi manifestatum, & reuelatum in lege noua, per quem formaliter inducitur gratia sacramentalis; ita quamuis in lege veteri quis intendisset facere, quod illa faciebat Ecclesia, & omisisset actum fidei in Christum, non quidem manifestum, & reuelatum, quia non erat adhuc manifestatus, & reuelatus per legem Christi, sed occultum, & velatum, per quem formaliter inducebatur gratia, gratiam non contulisset; actus autem fidei in Christum occultus, & velatus est actus fidei elicitus internus, qui vt potè merè spiritualis, non apparet; ergo in lege veteri necessarius erat actus fidei in Christum elicitus ab ipso ministro, non autem in noua lege, in qua fuit manifestatus externus. *Vid. S.P. Aug. in ps. 77.* qui cũ hoc discrimine intelligẽdus est *lib. de nupt. & concup.* quòd scilicèt antiqui credebant per actum fidei occultum, & ideo internũ, quia fides adhuc erat occulta, & velata; modò autem credimus nedum per actum internum, sed etiam per actum externum, quo manifestatur internus, quia fides iam est manifesta.

89 Obijc. 2. *Mastr. n. 93. ex Sco.* In sacramentis veteribus non infundebatur gratia ex opere ministri operantis; ergo ex opere operato; nam nullus alius assignatur modus dandi gratiam. Prob. ant. Ad hoc, vt detur gratia ex opere operantis, requiritur, quòd operans habeat fidem viuam formatam charitate perfecta; & ideo quòd habeat gratiam iustificantem, sine qua nõ est charitas perfecta; quæ est habitualis; nam dare gratiam alteri ex opere operantis est impetratoriè mereri gratiam illi; gratia autem iustificans est principium meriti; ideo ad hoc, vt in sacramentis veteribus daretur gratia ex opere ministri operantis, debuisset minister esse in gratia iustificante; sed hoc reddidisset valde dubiam salutem Infantis, quia est valde incertum an aliquis sit in gratia iustificante; tum quia minister infidelis validè non circumcidisset, etiamsi intendisset facere, quod faciebat synagoga, quæ erat *Iudæorum* Ecclesia; quod tamen est falsum, vt docet *S.P. Aug. lib. 3. cont. Cresc. c. 31.* Tum quia actus fidei elicitus à ministro erat valde difficilis in illo statu, in quo nonnisi obscura, & velata habebatur Christi notitia; & ideo hæc sententia difficilèm reddit salutem paruulorum pro illo statu; quod repugnat suauissimæ Dei dispositioni, quæ voluit viã salutis omnibus pro quocunq; tempore faciliter patere; ergo in sacramentis veteribus non dabatur gratia ex opere ministri operantis.

Resp. dist. ant. Non dabatur gratia ex ministri operantis opere meritoriè impetratorio ipsius gratiæ iustificantis, conc; ex Diuina institutione inductiuo ipsius gratiæ iustificantis, neg. Ad 1. prob. dist. eodem modo. Vt detur gratia ex opere operantis meritoriè impetratoriè, requiritur, quòd operans habeat viuam fidem formatam charitate perfecta, & ideo quòd habeat gratiam iustificantem, quæ est anima fidei, & essentia, ad quam sequitur charitas habitualis, cõc; vt detur gratia ex opere operantis ex institutione Diuina, qua Deus instituit, vt ad positionem talis signi externi, & actus fidei interni, qualiscunque ille actus esset, siue viuus, & formata charitate, siue mortuus, & sine charitate, daretur gratia, requiritur, quòd operans habeat fidem viuam &c; neg; quamuis enim primo modo dare gratiam alteri sit impetratoriè ei gratiam mereri; non tamen secundo modo, quo datur gratia tantùm ex institutione Diuina. Ad 2. iam dictum est *sup.* quòd *Samaritani*, de quibus loquitur *S.P. Aug. loc. cit.* non erant infideles, expectabant enim etiam ipsi *Messiam* venturum; dicebat namq; mulier *Samaritana Io. 4. Cùm venerit ille, nobis annunciabit omnia.* E contra verò infideles ministrantes circuncisionem non dabant gratiam, vt testantur *S. Epiph. & alij vbi s. n. 83*; vnde in horum sententia neg. assumptum. Vel dicitur etiam infideles non habentes fidem habitualem potuisse habere fidem actualem in

Chri-

Christum, vt patet de catechumenis, qui actualiter credunt in Christum; & hoc satis fuisse. Vel dicitur infidelem posse sumi pro eo, qui non habebat legem scriptam, quæ non erat data omnibus, habebat tamen legem naturæ; in qua quia etiam credebatur, & sperabatur in Christum venturum; multi enim gentiles in lege naturæ viuentes saluati sunt in fide Christi venturi, ideo poterat elicere actum fidei in Christum, & per consequens validè conferre sacramenta. Si autem sumatur infidelis simpliciter, qui nullo modo habebat fidem in Christum, neg. assumptum. Ad 3. neg. ant; nihil enim magis obuium erat in lege veteri, quàm credere, & sperare *in Messiam* venturum ad liberandum mundum à peccatis; tunc enim expectabatur ab omnibus siue in lege scripta, siue in lege naturæ viuentibus; & ideo facillimus erat actus elicitus fidei. Tum quia actus intentionis faciendi, quod facit Ecclesia, erat eodem modo actus internus intellectus, & voluntatis, & tamen non reddebat difficile sacramentum; ergo nec ille actus elicitus fidei. An autem iste actus fidei elicitus ab ipso ministro debuerit esse explicitus, vel sufficiens fuerit confusus, iam diximus *to. 4. de fide q. 2. art. 3.*

90 Obijc. 3. Vel fides ministri esset necessaria, vt mereatur gratiam de congruo, vel de condigno? Non primum; quia ad merendam gratiam alteri de congruo necessaria est gratia habitualis, quæ est principium meriti; & sic requireretur fides viua, quod *sup.* reiecimus. Non secundum; quia solus Christus potuit alteri mereri primam gratiam de condigno absque dispositione recipientis. 2. Vel omnibus circuncisis dabatur gratia æqualis, vel non? Si primum; ergo non conferebatur ex opere operantis; quia actus fidei non erat æqualis in omnibus. Si secundum; ergo per circuncisionem potuit dari maior gratia, quàm nunc in baptismo; quia fides ministri potuit esse maior tunc, quam nunc; sed cons. est falsum; quia, vt docet *S. P. Aug;* sacramenta nouæ legis sunt virtute maiora; ergo falsum est ant.

Resp. ad 1. neg. assumpt; non enim necessarius fuit actus fidei per modum meriti, sed per modum alicuius præsuppositi, cui ex Diuina institutione annexa erat gratia paruulis conferenda; sicut dicimus de verbis prolatis à ministris in noua lege; ille ergo actus fidei internus ministri erat loco verborum, quæ proferuntur à ministro in noua lege. Ad 2. dicitur ex vi ipsius circuncisionis datam fuisse semper æqualem gratiam; & quanuis actus fidei non fuerit æqualis in omnibus; attamen quia non dabatur gratia merito illius actus, sed tantùm motiuo, & titulo illius, ideo æqualis erat gratia. *Vid.* alias obiectiones *in sup. art. à n. 72.* Quærere autem, an sacramenta etiam in voto causent gratiam ex opere operato, insipientia terminorum est; nam sacramentum in voto totum consistit in opere operantis, & in nulla re externè operata sensibili, vt constat; adeoque si non sit opere operato, ex opere operato gratiam nequit causare, aliter causaret per id, vel ex eo, quod non esset, & nihil esset.

§. 7.

Explicantur aliqua circa circuncisionem, & alia vetera sacramenta.

91 Collig. 1. ex dictis actum fidei in Christum necessariò requisitum ad causandam gratiam in circuncisione, alijsque sacramentis veteribus non debuisse esse necessariò formatum charitate perfecta, vt vult *Durandus dist. 1. q. 8;* quia nimis difficilè fuisset remedium institutum pro paruulis, qui vt plurimùm perijssent ex defectu contritionis perfectæ; tum quia ille actus non debuit esse meritorius gratiæ iustificantis, vt diximus. Item collig. actum naturalem fidei naturalis non fuisse sufficientem; vt vult *Lug. disp. 3. sect. 2. n. 53;* hoc enim videtur proscriptum *ab Innoc. XI propos. 23 ex 65;* vt diximus *to. 4. art. 3. n. 4;* nam debuit habere pro obiecto Christum liberatorem à peccatis, Christus autem, vt liberator generis humani à peccatis, spectat ad ordinem supernaturalem, vt claret; & sic ille actus, qui specificatur ab ipso, est supernaturalis, non naturalis. Item fuisse causam instrumentalem moralem per quam passio Christi, seu Christus, vt liberator, præconceptus in voto gratiam operabatur; vt docet *noster Bernardin;* mediante enim illo actu gratia infundebatur, vt diximus. Tandem hunc actum debuisse aliquo signo sensibili externo esse protestatum, vel circuncisione, vt in masculis descendentibus *ex Abraham;* in fœminis verò, & in masculis ante octauum diem morientibus, sicut in omnibus in lege naturæ aliquibus precibus, aut benedictionibus externis, vel oblationibus, quas tamen ob aliquam causam latentè tacuit *Scriptura,* vt docet *S. P. Aug. lib. 5; Iul. cont. c. 9; & lib. 15. de Ciu. Dei c. 16; & de pecc. orig. c. 30;* & sic intelligendos esse *SS. Greg. & Bern.* docentes pro iustificandis paruulis satis fuisse solam fidem parentum; sacramentum enim de sua ratione est signum sensibile secundùm præsentem institutionem, vt diximus §. 1.

92 Collig. 2. circuncisionem obligasse etiam seruos, vernaculos, & colonos *Abrahæ,* vt deducitur *ex c. 17. Gen;* & omnes filios ipsius, & nepotes, quousque fuerunt de corpore ipsius familiæ, quando verò fuerunt eius posteri separati *in Israelitas, & Gentiles,* obligasse solos *Israelitas,* qui descenderunt *per Isaac, & Iacob,* ex quibus Christus erat nasciturus; non autem obligasse gentiles, qui propagati fuerunt *ex Ismaele, & Esau;* nam quanuis *Abraham* circunciderit *Ismaelem & Isaac Esau;* attamen *Ismaelitæ,* qui descenderunt *ab Ismaele, & Idumæi,* qui propagati sunt *ab Esau,* circuncisi non fuerunt; & ratio est, quia

quia Deus præcepit *Abraha*, vt circunciderer omnes mares, qui nati fuissent de sua stirpe; ergo quamuis posteri nasciturí ex suis filijs, qui erant separandi à populo *Israelitico*, non obligarentur ad circuncisionem; attamen omnes filij immediatè descendentes ab ipso, & ad illius familiam spectantes sub circuncisionis præcepto comprehendebantur.

93 Collig. 3. circuncisionem præceptam fuisse octauo die, per quem figurabatur resurrectio facienda per Christum, quæ fuit post septimam diem hebdomadæ, nempe Sabbathum; vt docet *S. P. Aug.* si tamen contigisset infantem mori ante octauam diem, non accelerabatur circuncisio, quæ pro illo tempore non valebat, quia vt docet *S.P.Aug.tract.30.in Io.* non significasset Christi resurrectionem, ad quam significandam erat determinata; ratione cuius significationis iustificabâtur paruuli in circuncisione; quia sicut omnes in morte Christi moriuntur peccatis, quæ delentur per mortem ipsius; ita omnes viuificantur cum Christo, vt docet *Apost. Rom.6.* Attamen ne sine remedio periret paruulus, sacramentum legis naturæ, & fœminarum erat ei à parentibus applicandum; vt docet *Fund.Doct.Æg.in ep.ad Rom.c.4.lect.14.dub.1.*

94 Collig. 4. circuncisionem potuisse applicari nedum filijs *Hebræorum*, sed etiam *Gentilium*, si illam spontè suscipere voluissent, & legem scriptam seruare, & sic ad populum electum transcribi; legitur enim *Gen.17*; quòd peregrini transeuntes *ad Iudæorum* regiones circuncidebantur, & vocabantur *proselyti*, scilicèt *aduenæ*, tum quia *Abraham* circuncidit etiam seruos, qui non erat ex eius stirpe.

95 Collig. 5. circuncisionem die octauo fuisse de præcepto ita, vt qui tali die non circuncidisset suum infantem, peccasset; quanuis postea infans potuisset validè circuncidi.

96 Collig. 6. circuncisionem non impressisse caracterem; fuit enim figura baptismi, & sicuti per figuram sigilli non imprimitur sigillatio; ita nec per figuram baptismi imprimitur caracter. *Vid.inf.q.4.art.6.n.7.* Hoc tamen non obstante circuncisio iterari non potuit; quia pellicula semel ablata iterum auferri non poterat; vt docet *S.P.Aug.ep.203.*

97 Collig. 7. circuncisionem significasse expoliationem veteris hominis, & indutionem nouæ creaturæ per Christum; etenim non sine causa, inquit *S.P.Aug.tract.30.in Io.* iussa fuit fieri in tali membro; nam sicuti per illud membrum propagatur omnis homo descendens *ab Adam*, qui fuit primus homo, per quem omnes homines peccato mortui sunt; & ideo omnes homines nascuntur cum præputio, quia omnis homo cum vitio propaginis, seu cum peccato originali nascitur; ita cultello petrino, idest per Christum, qui *petra* dicitur, euellitur præputium, idêst peccatum originale, & liberatur homo à morte peccati. Prætetea circuncisio significauit expoliationem cordis à carnalibus desiderijs; non enim prodest circuncisio carnis, quæ fit in manifesto, sed circuncisio cordis, quæ fit in occulto, vt docet *Apost.Rom.2; & S.P.Aug.ep.200.ad Asellic.*

98 Collig. 8. circuncisionem durasse vsque ad sufficientem Euangelij promulgationem, & mutari debuisse in baptismum. Primum ostendimus fusè *to.4.de leg.q.2.art.4.§.1*; vbi diximus omnia vetera sacramenta ante Christi passionem fuisse salutifera, quia à peccatis mundabant, post Christi passionem vsque ad sufficientem, & plenam Euangelij promulgationem fuisse mortua, sed non mortifera, quia sine peccato poterant suscipi, non tamen ad salutem ducebant; & tandem post plenam Euangelij promulgationem fuisse mortifera, quia non sine peccato possunt ministrari. *Vid. S.P.Aug.ep.19.ad Hier*; vbi docet, quòd licèt post Christi mortem non debuerint circuncidi illi, qui ex gentilitate ad Christi fidem veniebant, ne visum fuisset, quòd lex vetus nondum mortua fuisset, sed adhuc necessariam, vel saltem vtilem esse ad salutem; atque adeo *Messiam* nondum aduenisse, qui per legem veterem expectabatur, & per sacramenta illius legis significabatur, vt venturus, vt habetur *ad Coloss.1. & Hebr.10*; attamen illi, qui *ex Iudæis* conuertebantur ad Christum, licitè poterant circuncidi, dummodò non putarent eam esse necessariam ad salutem; neque expectarent vlteriùs Saluatorem; sed per Christi fidem omninò esse saluandos; sic mortifera non erat circuncisio, sed mortua pro illo tempore, quod concedebatur, vt cum honore ad sepulturam duceretur lex vetus iam expirata per Christi mortem; quo ostendebatur illam non fuisse antecedenter malam, sed bonam, & à Deo præceptam, tanquam ad legem Christi præambulam; adeoq; sic fuisse honorandam. Secundum traditur *ab eodem S.P.Aug.ep.118.ad Ianuar; lib.19.cont.Faust. c.13; & alibi*, vbi docet Christum instituisse sacramenta *virtute maiora, & vtilitate meliora* eo, quia lex Christi continet plenitudinem gratiæ, vocatur enim *lex amoris*, per quem omnis gratia diffunditur; ergo circuncisio mutanda erat in baptismum, per quem liberamur ab omni pœna æterna, & temporali, quod non præstabat circuncisio. Tum quia baptismus est facilior, & suauior, vniuersalior &c.

99 Dices 1. cont. 1. Vetera sacramenta significabant Christum venturum; ergo ex tunc inceperunt esse mortifera, ex quo Christus venit; inceperunt enim esse falsa. 2. Ex opposito si lex vetus post Christi mortem mortua fuisset, tot infantes eo tempore nati, & circuncisi, si decessissent sine baptismo, perijssent. 3. Per legem scriptam non cessauit lex naturæ; ergo à pari.

Resp. ad 1; quòd quanuis Christus pro eo tempore verè natus, passus, & mortuus fuerit secundùm rem, & secundùm veritatem; attamen non

non secundùm manifestationem, & promulgationem rei, & veritatis illius; vnde tunc figurabant venturam legem Christi quantùm ad publicam manifestationem. Ad 2. dicitur, quòd lex Christi non incepit obligare, nisi post manifestationem, & ideo lex vetus mortua erat pro illis, quibus jam erat manifestata; illis autem, quibus non erat manifestata, vt erant infantes, lex vetus non erat mortua, sed ad salutem proficua, vt docet *B. Bern. ep. 77.* Ad 3. neg. cons. lex enim scripta non fuit vniuersaliter data omnibus; sed particulariter tantùm *populo Iudaico*; ideo non debuit cessare lex data pro alijs; at lex Christi data est pro omnibus; vt habetur *Matth. vlt. Docete omnes gentes*; ideo debuit cessare omnis alia lex. *Vid. alias obiectiones apud nostrum Argent. dist. 1. q. 3. art. 4. & tomo 4. vbi sup.*

ART. II.

An sacramenta constent ex rebus, & verbis, tanquam ex partibus intrinsecè componentibus?

1 CErtum est *apud omnes* sacramenta vetera ex verbis non constitisse, seu verba ad illa conficienda adhibita non fuisse; nusquam enim legitur *in sacris literis* verba fuisse instituta, & præcepta à Deo, vt proferrentur super sacramentorum materiam; sicut legitur de sacramentis nouæ legis, vt *inf.* Ratio esse potest; quia sacramenta vetera erant *umbra futurorum*, vt docet *Apost.*; & sæpè repetit S. *P. Aug.*; sed vmbrarum proprium est silentium, & obscuritas, quæ nequeunt esse cum verbis, quia verba nonnisi locutione proferuntur, quæ silentio opponitur; & clarè explicant conceptum in mente latentem; claritas autem opponitur obscuritati; ergo proprium fuit sacramentorum veterum esse sine verbis. Nec valet ratio *inf.* adducenda de sacramentis nouæ legis; scilicèt ex eo, quòd etiam illæ res sensibiles secundùm se essent indeterminatæ ad significandam gratiam, quæ per talia sacramenta conferri debebat, ex quo videtur inferri necessaria fuisse verba etiam in illis sacramentis, sicut deducitur esse necessaria in nouis. Non valet, inquam; nam vt dicebamus, res sensibiles in sacramentis veteribus sufficienter determinabantur per actum fidei in Christum elicitum à ministris; & hoc congruenter ad naturam illorum sacramentorum; quæ cùm essent obscura, confici non debebant, nisi per actum fidei internè latentem in mente, & obscurè manifestatum per illas actiones sensibiles; sensibilia namque nonnisi obscurè res spirituales, & supernaturales possunt ostendere; ex quo magis probatur intentum.

2 Prima sententia (omisso errore *Petri Suauis lib. 2. pseudohist. Trid.* irridentis Ecclesiam modernam eo, quòd tradat doctrinam sacramentorum per materiam, & formam) vult non omnia sacramenta constare ex rebus, & verbis, vt eucharistia, quæ permanet, etiamsi verba transierint; & matrimonium, quod solis verbis contrahi potest exprimentibus consensum de præsenti; nec non pœnitentia, quæ solis verbis confitentis, & absoluentis perficitur. *Ita Dur. in 4. dist. 1. q. 3.*

3 Secunda vult omnia sacramenta, quæ consistunt in vsu, seu in actione, quę transit, componi ex rebus, & verbis, tanquam ex materia, & forma; sacramentum verò eucharistiæ, quod habet modum permanentis, non componi ex verbis, tanquam ex forma intrinseca, aut aliquo pertinente ad illius essentiam; quamuis verba dicantur forma eucharistiæ, quatenus sunt forma consecrationis. *Ita Scot. in 4. dist. 8. q. 1. ad 3. & q. 2. lit. A. apud. Mastr. hic disp. 1. q. 3. n. 98*; vbi refert *Fabr; Rad; Aretin; Hiq; Centin; Lauream; Gauat; & præter Scotistas Bellarm; Vasq; Coninch; Merat; Becc; Amic; & alios.*

4 Tertia fatetur quidem omnia sacramenta componi ex rebus, & verbis; sed solas res vult esse partem intrinsecam sacramentis, verba verò solùm extrinsecè connotari. *Ita Sot. in 4. dist. 3. q. 1. art. 1; Cabr. q. 60. art. 6. disp. 2. §. 33 & ex nostris Basil. apud nostrum Gibb.* *Alij* verò volunt tunc res, & verba esse partes intrinsecas; cùm significatio gratiæ est in toto composito, scilicèt in rebus, & verbis; vt in baptismo, & confirmatione; aliquando verò sola verba esse partem intrinsecam, non res, vt in pœnitentia, in qua sola verba significant remissionem peccatorum; aliquando verò solam materiam; vt in eucharistia; in qua solæ species significant gratiam reficientem animam. Tribuitur *Scot.* vt refert *noster Gibb.* Vult enim *Scot*; vt aduertit *Mastr. vbi sup. n. 96*; quòd forma sacramenti propriè loquendo est relatio signi; totum autem fundamentum illius relationis est materia ipsius; quoniam tamen fundamentum componitur ex pluribus, quorum aliquod habet rationem determinabilis, & potentialis; alterum verò habet rationem determinantis, & actualis; ideo illud habet rationem materiæ, hoc verò formæ. At hæc doctrina, quam magnificat *Mastr*; rectè reijcitur *à nostro Gibb. hic disp. 2. dub. 1. n. 16*; nam ratio signi gratiæ, seu significatio gratiæ est differentia Metaphysica sacramentorum; ratio verò signi sensibilis est genus, vt fatetur etiam *Mastr. q. 1. art. 1.* in explicatione definitiouis sacramentorum, quæ constat ex genere, & differentia. *Hic* autem loquimur de partibus componentibus physicis, seu quasi physicis; non de partibus metaphysicis; quas *omnes* concedunt esse rationem signi sensibilis, & siguificationis gratiæ. Sicut qnanuis rationalitas sit differentia, & forma metaphysica partialis constitutiua hominis, & animalitas sit ratio generica, & materialis; attamen ineptè negaretur hominem propriè non componi ex anima, & corpore, tanquam ex partibus physicis intrinsecè illum componentibus; ita à pari.

5 No-

5 Nostra tandem docet omnia sacramenta nouæ legis constare ex rebus,& verbis formalibus,vel virtualibus,tanquam ex partibus intrinsecè cõponentibus. *Ita Fund.Doct. de Caract.q.2.* docens,quòd ad hoc,vt fiat sacramentũ, requiritur,ut sit aliquod corporale,*quod se habet,vt elementum, vt puta in baptismo aqua; in confirmatione chrisma; & sic de alijs; & quòd semper dicantur ibi aliqua verba; quia ex his duobus fit sacramentum iuxta illud* 8.*P.Aug. tract.* 80. *in Io. Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum*. Sequitur *noster Argent; hic dist.*1.*q.*2.*art.*3;*Gibb.disp.*2.*dub.*1;*&* 2;*apud quem Cornejus, & Bernardin.* Ita etiã docet *D.Tho.in* 4.*dist.*1.*q.*1. *art.*3. *ad* 2; *&* 3.*p.q.*60.*art.*6.*ad* 2;*& q.*90. *art.*2. *in corp.* docens: *Sacramenta distingui in materiam, & formam, sicut in partes essentiæ*; implicat autem essentiam, quæ est ipsa res, esse extra rem etiam secundùm partem. Sequuntur *omnes Thomistæ* communiter; præter quos *Sua.hic disp.*2.*sect.*2;*Val. disp.*1. *q.* 1. *punct.* 2; *& ex Scotistis Ferch. epit. dist.* 8; *& Ponc. disp.*44.*q.*1;*& ferè omnes alij*.

6 Vnica concl. Omnia sacramenta nouæ legis essentialiter constant ex rebus, & verbis formalibus, vel virtualibus tanquam ex partibus intrinsecè ea componentibus per modum materiæ, & formæ.

Prob.1. Ex perpetua traditione Ecclesiæ habetur omnia sacramenta nouæ legis perfici rebus, & verbis; quanuis enim *Scriptura* non contineat explicitè, nisi materiam, & formam baptismi,eucharistiæ; & materiam solam extremæ vnctionis; attamen ex continua traditione habetur materia, & forma omnium sacramentorum determinatè, & expresè; ratio autem,quare non fuerit expressa *in scripturis*, allata fuit à Christo Domino *Matth.* 7. *Nolite dare sanctum canibus,neq; mittatis margaritas vestras ante porcos,ne fortè conculcent eas*;scilicèt non fuit scripta, sed tradita materia,& forma omnium sacramentorum expresè, ne principalia nostræ fidei mysteria literis mandata traherentur per infidelium manus, à quibus contemnerentur, & deriderentur. Hinc *S.Dion. de Hier. Eccl. c.* 1. monet *Timotheum*, ne sancta enunciet,nisi viris sanctis, & perfectis;quod repetit *c.vlt;& Innoc.I. ep. decretali c.* 3; *&* 8. ait fas non esse scribi; sic enim maior veneratio seruatur; ergo omnia sacramenta essentialiter constant ex rebus, & verbis; ex illis namque essentialiter constant,ex quibus fiunt, & sine quibus fieri non possunt; sed ex rebus,& verbis fiunt sacramenta nouæ legis, & sine ipsis fieri uon possunt; ut docet *S. P. Aug. lib.* 19.*cont.Faust.c.*16. inquiens: *Illæ syllaba celeriter sonantes,& transeuntes nisi dicantur, non consecratur*; idèst non fit sacramentum; ubi loquitur de sacramento generaliter sumpto; de sacramento autem specialiter sumpto, ut est baptismus, loquitur *ep.*23.*ad Bonif.* ubi ait, quòd sine verbis, quæ sunt forma baptismi, puer non consecratur; ergo ex rebus,& verbis essentialiter constant sacramenta. Traditio autem perpetua, & constans in Ecclesia est,quòd baptismus perficiatur ablutione, & verbis Sacerdotis: *Ego te baptizo &c*; confirmatio impositione manus, & verbo Episcopi: *Signo te &c*; eucharistia pane, & vino, & verbis:*Hoc est Corpus meum: Hic est Calix sanguinis mei &c*; extrema unctio oleo, & verbis: *Indulgeat tibi Deus &c*;pœnitentia contritione, accusatione,satisfactione, & verbis. *Ego te absoluo &c*;ordo impositione manus, & verbis Episcopi: *Accipe &c*; & matrimonium traditione corporũ ad inuicem, & verbis ad id destinatis, ut suo loco dicemus. Ita definiuit *Conc. Flor.in decr.vnionis Armenor.*statuens: *Hæc omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicèt rebus, tanquam materia; verbis, tanquam forma; & persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia; quorum si aliquid desit,non perficitur sacramẽtum;& in Conc.Colonien.*dicitur *sacramenta constare elemento, vt signo visibili, & etiam verbis;& in Enchir.eiusdem Concilij: Firmiter credendum est sacramenta constare rebus, & verbis*; quod desumptum est *ex S.P.Aug. tract.*80. *in Io. Accedit verbum ad elementum,& fit sacramentum*; & mox:*Vnde ista tanta virtus aquæ,vt corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo &c; & in ipso verbo aliud est sonus transiens,aliud virtus manens.* Ex quibus sic. 1. Illa, quæ habent in aliquo toto rationem materiæ, & rationem formæ,se habent per modum partium intrinsecè componentium; sed res sensibiles in omni sacramento nouæ legis se habent per modum materiæ; & verba per modum formæ,ergo res sẽsibiles,& verba in omni sacramento se habent per modum partium intrinsecè componentium ipsa sacramenta. Prob. ma. Materia, & forma in compositione physica substantiali sunt partes intrinsecè componenres compositum physicum, vt constat *ex* 1. *Phys.* subiectum, quod se habet per modum materiæ;& accidens, quod se habet per modum formæ in compositione accidentali, sunt partes intriusecè pariter componentes totum accidentale; nam si accidens non esset de intrinseca ratione compositi accidentalis, compositum accidentale esset compositum sine accidente, & sic esset compositum,& non esset compositum,quia esse compositum essentialirer dicit esse positum simul cũ alio, & ideo intrinsecè imporrat subiectum,& accidens, quæ enim essentialiter vniuntur, importantur intrinsecè, cùm nihil sit magis intrinsecum rei,quàm ipsius essentia; tum quia si compositum accidentale, v.g. album, non importaret essentialiter accidens, v.g. albedinem, posset dici album sine albedine, quod euidenter repugnat; sic figura, quæ se habet per modum formæ;& substantia materialis,quæ se habet per modum materiæ, sunt partes intrinsecè componentes rem artefactam; aliter lignum sine figura esset statua; quod est ridiculum; & tandem ge-

genus, quod se habet per modum materiæ, & differentia, quæ se habet per modum formæ, sunt partes intrinsecę componentes totum metaphysicum; ergo in omni genere siue physico, siue metaphysico, quæ se habent per modum materiæ, & per modum formæ, sunt partes intrinsecæ componentes illud totum, quod ex illis resultat. Prob. mi. 1. Traditur in terminis *à Conc. Flor*; quod assignans causas sacramentorum dixit finalem esse propter inducendam gratiam, instrumentalem extrinsecam esse intentionem ministri, materialem res sensibiles, & formalem ipsa verba; ergo iuxta *Concilij* doctrinam nequit negari res sensibiles in omni sacramento se habere per modum materiæ; & verba per modum formæ. 2. Illud se habet per modum materiæ, quod se habet per modum determinabilis ad illud totum; & illud per modum formæ, quod se habet per modum determinantis; materia enim secundùm se est indeterminata, & indifferens; forma verò est ipsa determinatio ad talem speciem; nam *ex Phil. actus est, qui determinat*; forma autem est actus, sicut materia est potentia; sed res sensibiles secundùm se sunt determinabiles ad speciem sacramenti; quia secundùm se præcisis verbis aqua non est, nisi aqua; inquit enim *S. P. Aug. vbi sup. Detrahe verbum, & quid aqua, nisi aqua*? Verba autem determinant ipsam aquã ad significandam ablutionem, & mundationem cordis à sordibus peccatorum, ad quam significandã aqua priùs erat indifferens; poterat enim significare refrigerationem, humectationem &c; propterea inquit *S. P. ibid*; quòd Christus Dominus *Io. 15.* dixit: *Iam vos mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis*; non autem dixit: *Mundi estis propter baptismum, quo loti estis*; quia nempe verba dant aquæ virtutem ad mundandum cor à peccatis abluendo corpus; sicut forma dat virtutem materiæ, quæ secundùm se nullius est actiuitatis, ad præstandum effectum, quem significat illa forma; ergo res sensibiles in omni sacramento se habent, tanquam materia; & verba, tanquam forma. 2. *Cum nostro Argent.* Omne sacramentum nedum habet essentialiter significare gratiam, sed etiam habet repræsentare personam Christi Domini, à quo omne sacramentum nouę legis fuit institutum, & è cuius latere fluxit, & à sanguine ipsius efficaciam accepit; sed Christus essentialiter intrinsecè componitur ex natura humana, tanquam materia, quæ ante vnionem hipostaticam erat indifferens ad hoc, vt terminaretur ad personam Diuinam, vel humanam; & Verbo Diuino, quod est, tanquam forma, purè terminans naturam humanam, eamque determinans ad personalitatem Diuinam eo modo, quo diximus *to. 5. q. 5. art. 5. §. 2*; ergo sacramentum intrinsecè constat ex rebus sensibilibus, tanquam materia, & verbis, tanquam forma. 3. Id, per quod res sensibilis formaliter fit signum rei sacræ, est de intrinseca ratione sacramenti; spectat enim, tanquam forma, ad essentiam sacramenti, quæ formaliter consistit in esse signum rei sacræ, quia sic definitur; sicut illud, per quod animal fit formaliter rationale, est de intrinseca ratione hominis, spectat enim, tanquam forma, ad essentiam hominis, quæ formaliter cõsistit in esse animal rationale; sed verba sunt id, per quod res sensibilis fit formaliter signum rei sacræ; quia per illud res fit formaliter talis, sine quo talis nec esse, nec intelligi potest; sic enim definitur constitutiuum formale; res autem sensibilis sine verbis nec esse signum rei sacræ, nec intelligi potest; ergo verba sunt de intrinsecâ ratione sacramenti, tanquam forma ipsius constitutiua.

7 Prob. specialiter de eucharistia. Si verba consecratoria non essent de ratione intrinseca sacramenti eucharistiæ, tanquam forma ipsius, maximè, quia eucharistia est permanens, & verba non manent, sed transeunt; de ratione enim constitutiui formalis intrinseci est manere intra rem constitutam, donec res illa permaneat; aliter res constituta aliquando esset sine suo constitutiuo formali, ut homo sine rationalitate, quod apertè repugnat; sed hæc ratio nulla est; quanuis enim verba non maneant secundùm sonum externum sensibilem, qui ex sua natura transiens est, manent tamen secundùm virtutem illis syllabis sonantibus, & transeuntibus à Christo applicatam, quæ est gratiam significare; sine qua virtute species panis, & vini, nec essent sacramenta, nec intelligi possent; vt arguit *S. P. Aug. vbi sup; & lib. 19. cont. Faust. c. 16*; sicuti quanuis elementa non maneant secundùm formam in mixto, quia tamen manent secundùm virtutem, dicuntur intrinsecè constituere mixtum, quod mixtum non esset, sed simplex, si ex elementis non constaret; ergo verba sunt de intrinseca ratione eucharistiæ. Tum quia forma, per quam fit aliquod compositum, in fieri illius cõpositi necessariò importat motum, quo fit tale compositum; & esse specificum, quod illud constituit; quanuis autem ille motus, quo fit compositum, transeat, & non maneat in composito; attamen quia manet esse specificum, quod illud constituit, forma dicitur de ratione intrinseca ipsius compositi, quod sine illa nec esse, nec intelligi potest; sed verba sacramenti eucharistiæ necessariò important sonum sensibilem, quo fit sacramentum, qui transit, & non manet in composito; & importat virtutem alligatam illis verbis, quæ manet in sacramento etiam transeunte, & desinente illo sono sensibili; manet enim in speciebus panis, & vini vis significatiua gratiæ, quæ, antequam illa verba sonarent, in illis non erat; ergo verba sunt forma intrinseca sacramenti eucharistiæ. Quanuis igitur verba quoad sonum sensibilem sint de essentia consecrationis, quæ est ipsum fieri, seu actio, qua fit sacramentum, vt dicit *Scot*; & quoad sonum non maneant

in

in sacramento; attamen secundùm virtutem manent etiam in facto esse, vt docet S. P. *Aug*, & ideo sunt de intrinseca ratione cõstitutiua illius.

8 Prob. de pœnitentia, & matrimonio. Sola verba non sufficiunt ad constituendum sacramẽtum pœnitentiæ, & matrimonij; ergo etiam hæc duo sacramenta constant ex rebus, & verbis. Prob. ant. Sine actibus contritionis, confessionis, & satisfactionis non fit sacramentum pœnitentiæ, vt *suo loco* dicemus; & sine consensu contrahentium, vel mutua traditione corporum nõ fit sacramentum matrimonij; sed isti actus sunt res, & non verba; quanuis enim non manifestentur externè, nisi per verba, vel per nutus, & signa sensibilia; attamen non fit, quòd non sint res secundùm suam entitatem; vnde quando dicitur, quòd ad rationem sacramenti requiruntur res sensibiles, non est intelligendum, quod in omnibus sacramentis requirantur res, quæ secundùm suam entitatem sint sensibiles; sed quòd vel sint secundùm suam entitatem sensibiles, vt in aliquibus sacramentis, v.g. baptismo, confirmatione &c; vel sint spirituales secundùm entitatem, fiant tamen sensibiles per aliquam actionem externam sensibilem; vt in pœnitentia, & matrimonio; in quibus actus, qui sunt materia, sunt spirituales, fiunt tamen sensibiles, seu sensibiliter manifestantur per signa sensibilia; & cũ dicitur, quòd fiunt sensibiles per actionem externam sensibilem, non est sensus, quòd entitas spiritualis illorum euadat sensibilis; sicut Angelus, qui est spiritualis, ex eo, quòd voce sensibili manifestetur, non fit secundùm suam substantiam sensibilis, sic enim desineret esse Angelus; sed dicitur sensibiliter externè manifestari ita, vt illa manifestatio externa sit sensibilis, & per illam sensibiliter manifestetur res insensibilis; & quanuis totum id, quod in hac manifestatione est sensibile, sint verba; attamen non sequitur, quòd materia horum sacramentorum sint verba; est enim res ipsa manifestata per verba; licèt ad hoc, vt res ipsa sit materia sacramẽti, debeat esse externè manifestata per verba; sicuti quanuis ad hoc, vt materia formam recipiat, debeat esse affecta qualitatibus sẽsibilibus disponentibus ad illam formam; nullus tamen diceret qualitates sensibiles esse materiam, ex qua fit compositum physicum, vel esse de substantia compositi physici; ita quanuis illi actus spirituales ad hoc, vt recipiant formam sacramenti, debeant esse externè manifestati; attamen non sequitur, quòd illa externa manifestatio, siue verba externè manifestantia sint materia sacramenti; aliter sine illis actibus posset fieri sacramentum; habita enim materia debita, & forma fit compositum; quod tamen nullus asseretet; ergo sola verba non sufficiunt ad constituendum sacramentum pœnitentiæ, & matrimonij. Tum quia materia sacramentorum fuit à Christo determinata, vt videbimus *in seq. art*; sed ad sacramentum pœnitentiæ, & matrimonij non requiruutur verba determinatè, sed indeterminatè verba, vel nutus, & signa; sicut enim quia aqua est materia determinata baptismi, ideo non adhibita aqua non fit sacramentum; ita si verba essent materia determinata sacramẽti pœnitentiæ, & matrimonij, adhibitis nutibus, & signis, non verbis, non fieret sacramentum; adhibitis autem actibus pœnitentis, & contrahentium determinatè manifestatis indeterminatè per verba, vel nutus, fiunt hæc sacramenta; ergo isti actus, non verba, vel nutus, quibus illi actus manifestantur, sunt sacramentorum materia.

9 Tãdẽ diximus formã sacramẽtorũ esse verba vel formalia, vel virtualia, quod non est intelligẽdũ collectiuè de omnibus sacramẽtis, sed tãtum distributiuè de aliquo; cõstat enim, quòd si quis per nutus, & signa manifestaret se merè internè proferentem: *Hoc est corpus meum*; sacramentum non fieret; quia forma huius sacramenti debet esse externè prolata per eadem verba, quibus Christus solùm alligauit virtutem consecrandi; & si quis per alia verba æquiualentia id efficeret, pariter non consecraret, vt *suo loco* dicemus. Dicitur ergo tantùm de aliquo sacramento in particulari, nempe de matrimonio; quod, vt communiùs dicitur, fit per verba de præsenti: *Accipio te in meam &c*; vel per nutus, & signa, vt per iunctionem manus, motum capitis &c; nam matrimonium habet rationem contractus ciuilis, qui celebrari potest per verba, nutus, & signa. Sed etiam de hoc *suo loco*.

10 Obijc. *Dur*. 1. Pœnitentia perficitur cõfessione vocali tanquam materia, & absolutione, tanquam forma; sic matrimonium perficitur aliquando solis verbis contrahentium; ergo non omnia sacramenta constant rebus, & verbis.

Resp; quòd pœnitentia, & matrimonium perficiuntur verbis, non tanquam materia, sed tanquam aliquo manifestante materiam, vt diximus, & reddente illam aptam, vt recipiat formam sensibilem, & fiat cum illa sacramentum; vnde confessio vocalis, & verba exprimentia consensum possunt dici materia, *vt quo*, scilicèt quo materia redditur apta, & proximè disposita, vt fiat sacramentum accedente forma; & in hoc sensu dicitur *à Theologis* materia proxima; non autem est materia, *vt quod*; non enim est id, quod exprimitur. Igitur dist. ma. Confessio vocalis, & verba contrahentium perficiunt &c, tãquam materia, *vt quo*, conc; tanquam materia, *vt quod*, neg.

11 Inst. *Trid. sess.* 14. *c.*3. ait tres actus pœnitentis esse *quasi materiam*; ergo non sunt propriè materia.

Resp. dici quasi materiam comparatiuè ad materiam physicam, non enim sunt propriè materia; sed se habent, veluti materia.

12 Obijc. 2. *Scotistæ*. Significatio gratiæ est for-

forma sacramentorum; per illam enim determinatur res sensibilis ad esse sacramenti; ergo verba non se habent, tanquam forma.

Resp. dist. ant. Est forma metaphysica, seu differentia essentialis, conc; physica, vel quasi physica, neg.

13 Obijc. 3. *Auctores tertiæ sent.* Res permanens non componitur ex partibus transeuntibus; sed sacramentum eucharistiæ est res permanens; ergo non componitur ex verbis; quæ sunt transeuntia. 2. *Ex Conc. Flor. vbis.* habetur de eucharistia: *Forma huius sacramenti sunt verba, quibus conficitur sacramentum*; sed conficere dicit habitudinem causæ efficientis; ergo eucharistia est potiùs effectus verborum, quàm constitutum ex verbis. Tum quia *Conc. ibid.* asserit panem azymum esse materiam eucharistiæ, & tamen substantia panis nō manet intrinsecè in eucharistia, sed excluditur; ergo à pari. 3. Illud se habet, vt forma, in aliquo toto, quod vnitur illi, quod se habet, vt materia, & cum illo simul manet in toto; vt patet de forma physica; sed verba non vniuntur, neque manent in sacramento; quia sacramentum incipit esse post prolationem verborum; & tunc desinunt esse verba; ergo non sunt forma sacramenti eucharistiæ.

Resp. ad 1. dist. ma. Res permanens non componitur ex partibus transeuntibus, si consideretur res permanens in fieri, neg; si in facto esse, conc; & sic dist. cons. *cum S. P. Aug. vbis.* Verba sunt transeuntia quantùm ad sonum sensibilem, conc; quantùm ad virtutem eis inditam à Christo, neg. Ad 2. dist. mi. Conficere, quod dicitur de forma, dicit habitudinem causæ efficientis, neg; forma enim, & materia conficiunt compositum, & tamen non sunt causæ efficientes; & compositum est effectus vtriusq; aliter illæ non essent veræ causæ; *Conc.* autem loquitur de conficere, quod dicitur de forma, vt patet ex verbis allatis; ergo malè trahitur ad significandam causam efficientem. Ad aliud dicitur manere species panis azymi, ipsæ autem sunt materia, non verò substantia panis, quæ desinit esse. Ad 3. dist. mi; sicut dictum est ad 1. Verba non vniuntur, nec manent quantum ad sonum in fieri, & quantùm ad virtutem in facto esse, neg; quantùm ad sonum in facto esse, conc; vt diximus de forma naturali physica, quæ non manet in facto esse, quantùm ad moueri, quod illi competebat in fieri.

14 Quæres 1; quænam coniunctio requiratur in verbis integrantibus formam; & quæ simultas inter materiam, & formam sacramentorum?

Resp. quoad 1. *noster Gibb. vbis. n. 5.* verba formæ ita debere continuari, vt non interrumpatur sensus eorum; quòd si interrumperetur sensus interponendo alia verba, non fieret sacramentum. Quoties ergo non interrumpitur sensus, etiamsi interponatur aliqua breuis morula inter vnum, & aliud verbum, attamen censentur continuari ratione intentionis ministri. Quoad 2. non eadem simultas requiritur in omnibus sacramentis; nam in sacramento Eucharistiæ materia debet esse præsens; quia non consistit in aliqua actione transeunte; & pronomina *Hoc, & Hic* designāt materiam præsentem. In sacramento autem baptismi, confirmationis, extremæ vnctionis, & ordinis materia proxima, quæ consistit in actione, vel debet esse incepta, vel saltem propinqua eo, quia forma significat actionem per verbum indicatiuum de præsenti; ad quod verificandum sufficit, vel quòd illa actio sit præsens, vel saltem propinqua, & parum distans. In pœnitentia verò, & matrimonio requiritur, quòd forma supponat materiam ex integro; quia non est absoluendus reus, nisi præcedat integra peccatorum confessio, & dolor; & sic non celebratur matrimonium, nisi supponatur consensus vtriusq; ex hoc reijcitur *Gloss. in c. detrahe 1. q. 1.* asserens, quòd in sacramentis, quæ consistunt in vsu, antequam finiatur actio, in qua consistit materia proxima, debet proferri, & perfici tota forma; quod communiter reijcitur ab omnibus.

15 Quæres 2; an vnio materiæ, & formæ sit physica, vel moralis?

Resp. *aliqui* inter quos *Suar.* esse moralem. *Alij* verò esse physicam artificialem. *Alij* tandem esse physicam instrumentalem, quia verè, & realiter forma secundùm virtutem productiuam gratiæ manet in materia, vt diximus *ex S. P. Aug.* qua mediante, tanquam instrumenta producunt physicè gratiam, vt dicemus *in seq. q.*

ART. III.

An materia, & forma sacramentorum fuerit à Christo determinata?

1 HÆresis fuit *Paulianistarum*, vt refert *D. Hier. in Dial. cont. Luciferianos, & S. P. Aug. de hær. hær. 44*; asserentium materias, & formas sacramentorum non fuisse à Christo institutas, aut determinatas; adeoq. in baptismo vtebantur forma diuersa ab illa, qua vtitur Ecclesia; non enim baptizabant in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sācti; vt habetur *ex Innoc. l. c. Paulianistæ.* Idem sensere *Cataphryges*; propterea *Conc. Nic. c. 19; et Carthag. IV. c. 19; et c. si quis confugerit 1. q. 1.* statuerunt baptizatos ab istis hæreticis esse rebaptizādos; quoniam autem eodem modo variabant formam sacramenti ordinis, sanxerunt etiam ordinatos ab illis esse reordinandos. Addit *S. P. Aug. de hær. hær. 26. Cataphryges* variasse etiam materiam eucharistiæ; nam de infantis anniculi sanguine minutis punctionibus extracto, & farinæ immixto panem conficiebāt, quem pro materia eucharistiæ statuerunt.

2 *Lutherani, et Caluinistæ*, vt videre est *apud Melanct. tit. de Bapt; Kemnit. 1. p. exam. Trid; Gerbrand.*

brand. de sacra tena c. 13; et Caluin. lib. 4. inst. c. 14. tenuerunt formas sacramentorum non fuisse à Christo determinatas, sed relictas in hominum arbitrio eo, quia putauerunt verba in sacramentis adhibita non esse effectiua gratiæ, seu consecratoria, sed tantùm promissoria, instructoria, & concionatoria cùm deseruiant solùm ad excitandam, nutriendamq; fidem; vt diximus *art.* 1. §. 1; adeoq; nihil referre, si mutentur, & varientur, cùm fides his, aut alijs verbis pro diuersa populi audientis capacitate possit excitari.

3 Doctrina catholica est materias, & formas sacramentorum fuisse à Christo institutas, & determinatas ita, vt si substantialiter formaliter mutentur, non fiat sacramentum. Diximus *substantialiter formaliter*; nam si mutentur solùm materialiter verba, non officit; certum enim est secundùm fidem verba prolata in idiomate *Hebraico, vel Græco, vel Latino*, vel in quocunque alio idiomate, dummodò reddant eundem sensum formalem, conficere sacramentum. *Ita omnes catholici. Fund. Doct. Æg. de fide orthodoxa, & summa Triu. f. l. 4. col. 1; et Theor. de corp. Christi proposit. 24; et sæpe alibi. Aliqui* tamen asserunt materiam confirmationis fuisse determinatam solùm in genere, non in specie; & sic formam ordinis, de quibus tamen *suis in locis* agemus.

4 Not; quòd sicut formæ sacramentorum non sunt determinatæ secundùm numerum ita, vt debeant esse verba prolata hoc, non illo tempore, ab hac, non illa persona numero, in hoc, non illo idiomate, sed solùm secundùm speciem ita, vt reddant hunc sensum determinatum, à quocunq; persona, quocunq; tempore, loco, aut idiomate proferantur. Ita dicendum de materia sacramentorum, quòd fuit determinata tantùm secundùm speciem, non secundùm numerum ita, vt aqua naturalis, v. g; siue sit accepta ab hoc, siue ab illo fonte, sit materia baptismi. Insuper determinatio secundũ speciẽ non est sumẽda vniformiter in omnibus sacramẽtis; nã in sacramento baptismi determinata est aqua naturalis secundùm speciem athomam; sic oleum, & balsamum in confirmatione; panis, & vinum in eucharistia; & oleum in extrema vnctione; at in sacramento pęnitentiæ non est determinata cõtritio de illis peccatis secundùm speciem athomam, sed secundùm speciem subalternam; sic in sacramento ordinis est determinatus calix cũ patena, non autem, quòd debeat esse secundùm hanc speciem metalli, v. g. auri, vel argenti &c. *Hoc not.*

5 Vnica concl. materia, & forma omnium sacramentorum fuit à Christo determinata, vel *in scripturis* tradita, vel per traditionem communicata.

Prob. 1. Materia, & forma sacramentorum habetur expressa vel *in sacra scriptura*, vel ex traditione; nam *Io.* 3. de materia baptismi habetur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnũ Dei; & Matth. ac Marc. vlt.* de forma dicitur: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* De materia eucharistiæ *Matth.* 26; *& Luc.* 22. dicitur: *Accepit Iesus panem &c. Similiter, & calicem &c;* & de forma: *Hoc est corpus meum: Hic est calix sanguinis mei etc;* & sic de alijs sacramentis, vt diximus *q.* 1. *art.* 5. *n.* 4; 53 *et* 6; vbi ostendimus materiam, & formam vel *ex scriptura*, vel ex traditione Apostolorum ad hæc vsq; tempora in Ecclesia continuatam acceptas fuisse; sed ea, quæ habentur *in sacra scriptura*, vel ex Apostolorum traditione, sunt à Christo instituta; traditio enim est quædam scriptura verbalis; ergo materia, & forma sacramentorum fuit à Christo instituta.

6 Prob 2. *ex Conc. Trid. sess.* 7. *can.* 1. statuente: *Si quis dixerit sacramenta noua legis non esse omnia à Christo Domino instituta; et sess.* 21. *c.* 2. *Declarat hanc potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse, vt in sacramentorum dispensatione, salua illorum substantia, ea statueret, vel mutaret etc; et S. P. Aug. lib.* 2. *cont. lit. Petil. c.* 24. *Baptismus in nomine Patris, et Filij, et Spiritus Sancti Christum habet Auctorem, non quemlibet hominem;* quibus verbis docet nedum ablutionem, quæ fit per aquam, & est materia baptismi, sed etiam ipsa verba, quę sunt forma baptismi, esse à Christo, non ab alio instituta. Ex quibus sic. 1. Instituere ministerialiter excellenter sacramenta est determinare res sensibiles, & verba sensibilia, ex quibus sacramenta componuntur; vt diximus *in sup. q. art.* 1. §. 1. *n.* 23; *et seq;* sed Christus Dominus, vt homo, instituit ministerialiter excellenter sacramenta; vt statuit *Conc;* & *ibid.* fusè probauimus; ergo Christus determinauit materiam, & formam sacramentorum. *Vid. vbis.* 2. In Ecclesia nunquam fuit potestas statuendi, vel mutandi substantiam sacramentorum; quia in illa fuit solùm potestas, vt statuit *Conc;* instituendi sacramentalia, & ritus, ac ceremonias, quæ concernunt dispensationem sacramentorum, salua tamen eorum substãtia; sed materia, & forma sacramentorum componunt eorum substantiam, sicut materia, & forma physica componunt substantiam physicam, quæ principaliter dicitur de composito physico; ergo in Ecclesia nunquam fuit potestas ministerialis excellentiæ instituendi, & mutandi materiam, & formam sacramentorum; atq; adeo instituta fuit à Christo; quia quod non fuit institutũ ab Ecclesia, & est in Ecclesia, institutum fuit à Christo. 3. Illius est determinare materiam, & formam sacramentorum, qui habet potestatem conferendi rebus, & verbis virtutem productiuam gratiæ, quam habent materia, & forma sacramentorum; sed hanc potestatem habuit solus Christus, qui *Matth. vlt.* inquit: *Data est mihi omnis potestas;* ergo idem.

7 Quoad hæreticos *Luthero Caluinistas* iam refutati sunt *art.* 1. Tum quia verba promissoria

sunt

ſunt per tēpus de futuro; vt *Gen.* 17. in promiſſione facta *Abrahæ: Eriſque Pater multarum gentiū*; & mox: *Ex illa* (nempe *ex Sara*) *dabo tibi filium, cui benedicturus ſum, eritq; in nationes, et Reges populorum orientur ex eo*; verba autem, quę adhibentur in ſacramentis, ſunt de præſenti; vt *Ego te baptizo*; *ſigno te ſigno ſalutis*; *Hoc eſt corpus meū*; *abſoluo te etc*; ergo verba ſacramentorum non ſunt ſimpliciter promiſſoria. Tum quia verba concionatoria ordinantur ad perſuadendum aliquid ei, ad quem dirigitur concio; ſed verba ſacramentorum non ſunt huiuſmodi; quia verba baptiſmi diriguntur ad infantes, qui non ſūt capaces exhortationis; & in caſu neceſſitatis proferuntur à muliere baptizante, quæ tamen nequit concionari, quod interdictum ſit ab Apoſtolo omnibus mulieribus 1. *Cor.* 14. *Mulieres in Eccleſijs taceant*; ergo verba ſacramentorum non ſunt concionatoria. Tum quia verba conſecrationis proferuntur ſubmiſſa voce ita, vt non audiantur à populo; concio autem ita profertur, vt audiatur; ſic verba confirmationis collatæ infantibus ab ipſis nequeunt audiri; ergo idem. Tum quia verba ſacramentorum nequeunt percipi ab infantibus, & ab vſu rationis carentibus, vt ſunt ægroti extra ſenſus; & tamen poſſunt eis impendi baptiſmus, confirmatio, & extrema vnctio; ergo neque ſunt concionatoria; quia *vbi auditus non eſt, non effundas ſermonem*; dicitur *Eccli* 32; nec excitatiua ad fidem; quia nequit ad fidem excitari niſi, qui poteſt elicere actum fidei; quod tamen non poteſt priuatus vſu rationis, vel rationis expers. Tum quia ſacramenta nouę legis efficiunt, quod ſignificant; vt diximus *art.* 1. §. 4; ergo non ſunt ſimpliciter promiſſoria, concionatoria, & excitatiua ad fidem.

8 Obijc. 1. Eccleſia mutauit materiam matrimonij; nam ante *Concilium Trid.* materia huius ſacramenti erat conſenſus etiam clandeſtinus; *Concilium* autem decreuit eſſe ſolum conſenſum coram Parocho; ſed ea, quæ ſunt determinata à Chriſto, nequeunt ab Eccleſia mutari, aut inuerti; ergo materia matrimonij non eſt determinata à Chriſto; & ideo falſa eſt concl; quod enim dicitur de matrimonio, dici debet de alijs quoq; ſacramentis, cùm eadem ratio de omnibus militet.

Reſp. neg. ma. Ad prob. inſertam dicitur, quòd materia matrimonij eſt conſenſus ciuilis, & traditio corporū ſub dominiū alteriuſutrius; vt colligitur *ex Apoſt.* 1. *Cor.* 7; quòd autem fiat hoc, vel illo modo, eſt ritus Eccleſiæ, quem poteſt Eccleſia immutare; vt diximus *in ſup. art. n.* 8. *Sed de hoc ſuo loco.*

9 Obijc. 2. Apoſtoli miniſtrarunt confirmationem ſine chriſmate per ſolam manuum impoſitionem; vt habetur *Act.* 8. *Tunc imponebant manus ſuper illos, et accipiebant Spiritum Sanctum*; ergo chriſma, quod modò eſt materia confirmationis, non eſt inſtitutum à Chriſto; aliter ſine ipſo Apoſtoli non confirmaſſent; ſicut ſine aqua, quæ fuit à Chriſto inſtituta pro materia baptiſmi, non baptizaſſent; & ideò non omnium ſacramentorum materia fuit à Chriſto inſtituta. 2. Liber Euangeliorum eſt materia Diaconatus; ſed in primitiua Eccleſia conferebatur Diaconatus abſque traditione libri euangeliorū, tunc enim euangelia non erant ſcripta; ergo idem. Similiter materia præsbiteratus aſſignata *in Conc. Flor.* eſt calix cum vino, & patena cum pane; ſed in primitiua Eccleſia conferebatur præsbiteratus per ſolam manuum impoſitionē; vt fatetur *Innoc. IV. c. Præsbiteri de ſacramentis non iterandis.* Tādem *Græci* etiam catholici ordinant in præsbiteros, & Diaconos per ſolam manuum impoſitionem, & tamen ſunt validè ordinati; ergo materia horum ordinū fuit inſtituta ab Eccleſia Latina, non autem à Chriſto; aliter ſine illa valida non eſſet ordinatio facta à quocunque.

Reſp. ad 1; quòd licèt chriſma illic non nominetur, attamen non deducitur, quòd chriſmate vſi non fuerint Apoſtoli; ſicuti quanuis *ibid.* dicatur, quòd illi, qui confirmabantur *erant tātum baptizati in nomine Domini*, & non nominetur aqua, non ſequitur, quòd baptizati fuerint ſine aqua. Apoſtolos autem vſos fuiſſe chriſmate teſtatur *illorum Diſcipulus S. Dion. Areopag. de Hier. Eccleſ. c.* 4. dicens: *Eſt quadam perfectiua operatio, quam Duces noſtri Apoſtoli chriſmatis hoſtiam vocant.* Vel reſp. Apoſtolos confirmaſſe ex ſpeciali Dei diſpenſatione ſine chriſmate ob defectum huius, & ob maximam neceſſitatem fidelium. Ad 2. dicitur eodem modo non conſtare, an in ordinatione diaconi tradiderint aliquod ſcriptum continens paucis verbis euangelium; quanuis tunc euangelia extensè ſcripta non fuerint. Vel dicitur ordinatos fuiſſe ex ſpeciali diſpenſatione Summi Pōtificis Chriſti Domini. Idem dicitur de ordinatione in præsbiteros; non enim omnia ſunt ſcripta, ſed aliqua ſcripta, aliqua tradita ob rationem allatam *in ſup. art. n.* 6. Ad illud *de Græcis* dicitur, quòd ordinatus in præsbiterum tangit calicem cum vino, & patenā cum pane mediatè, non immediatè; quia fronte tangit altare, ſuper quod eſt calix cum vino, & patena cum pane, tangere autem mediatè, vel immediatè importat ſolùm diuerſum modum tangendi, qui ſpectat ad ritum, quem poteſt inſtituere Eccleſia, eumque immutare.

10 Obijc. 3. Apoſtoli baptizabant in nomine Ieſu, non in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Item in Eccleſia orientali forma baptiſmi eſt: *Baptizatur ſeruus Chriſti*; & forma confirmationis eſt diuerſa ab illa, quæ profertur in Eccleſia occidentali; & ſic de alijs ſacramentis; ergo non fuit à Chriſto immediatè inſtituta.

Reſp. *Fund. Doct. in ep. ad Rom. c.* 6. *lect.* 19. *dub.* 1. formam baptiſmi de lege communi eſſe:

Ego

Ego te baptizo in nomine Patris, et Filij, et Spiritus Sancti; ex speciali tamen dispensatione Apostolos baptizasse in nomine Iesu; vt huic sacrosancto nomini summa reuerentia conciliaretur. Addit *in c. Firmiter de summa Trin. fol. 4. col. 2*; quòd hoc nomen *Christus* idem est, ac *vnctus*; vnctus autem significat Patrem, qui est vngens; & Spiritum Sanctum, qui est vnctio. Ecclesia autem orientalis ait: *Seruus Christi sponte veniens ad baptismum baptizatur nunc per me in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*; quæ verba idem sonant omnino, ac illa, quæ proferuntur in Ecclesia latiua, & non differunt nisi per additionem aliquorum, quæ non sunt de substantia, nec substantiam variant. *Sed de hoc inf. de bapt. q. 2. art. 6.* Ad aliud dicitur, quòd forma confirmationis, qua vtuntur *Armeni*, est: *Vnguentum suaue in nomine Iesu Christi effusum est super te signaculum Diuinorum, & cælestium donorum in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*; quæ idem significant, quod significant verba, quibus vtitur Ecclesia latiua. Ex hoc argui potest, quòd Apostoli baptizantes in nomine Christi Iesu adderent etiam in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; quanuis hoc scriptum non fuerit, vt diximus de materia baptismi; quanuis enim orientales in forma baptismi exprimant Christi nomen, attamen non omittunt nomen Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; quod etiam præstitisse Apostolos verisimile est.

11 Obijc. 4. *Luthero Caluinista. S. P. Aug. tract. 80. in Io.* ait: *Vnde ista tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, et cor abluat, nisi faciente verbo; non quia dicitur, sed quia creditur*; & mox: *Hoc est verbum fidei, quod prædicamus*; ergo forma baptismi sunt tantùm prædicatoria ad excitandam fidem; *et S. Hier.* super ea verba *Ephes. 5. Mundans eum lauacro aquæ in verbo vitæ*; intelligit verbum doctrinæ. 2. Christus non posuit virtutem sacramenti super determinatas syllabas, & verba; non enim instituit magiam; ergo idem.

Resp. ad 1. *S. P. Aug.* exprcsè docere verbum facere sacramentum; quod tamen non repugnat, imò congruit prædicati fidelibus, vt credant; tenentur enim credere omnia Ecclesiæ sacramenta; prædicatur enim etiam, quòd Deus gratiam omnibus confert; nec tamen inde sequitur, quòd gratiam non conferat. Idem dicitur *ad S. Hier.* Ad 2. neg. ant. Ad prob. infert. dicitur magiam fieri inuocatione Dæmonis tacita, vel expressa; vt docet *S. P. Aug. lib. 2. de doct. Christ. c. 22; et lib. 3. c. 9*; non autem in nomine Trinitatis, vt fiunt sacramenta.

ART. IV.

Quæ mutatio materiæ, vel formæ inualidet sacramentum?

1 VNica concl. Mutatio substantialis, idest quæ variat substantiam, & essentiam rei, vel sensum formalem verborum, inualidat sacramentum; non autem mutatio accidentalis, quæ non variat essentiam rei, aut sensum verborum. *Ita communiter omnes DD.*

2 Prob. Quotiescunque non adhibetur materia, & proferuntur verba à Christo instituta, & determinata ad conficiendum sacramentum, tunc sacramentum est nullum, irritum, & inualidum; aliter materia, & forma non essent determinatæ, sed quilibet pro libito posset assumere quancunque materiam; vt oleum pro aqua in baptismo; & proferre quælibet verba; vt *ego absoluo te à peccato originali*; quòd nullus diceret, nisi mendaciter, & sine vllo prorsus fundamento; quia enim materia sacramentorum in lege naturæ non erat determinata, vt diximus *in sup. q. art. 3. §. 1*; ideo validum erat sacramentum adhibita quacunque actione externa sibi à Deo inspirata; sed mutatio substantialis efficit, quòd illa res non sit materia, & quòd non sint verba à Christo instituta, & determinata ad conficiendum sacramentum; quia non remanet ampliùs illa res, aut illa verba secundùm suā essentiam, & quiditatem formalem, aliter si temaneret, non esset substantialiter mutata, & sic non esset mutatio substantialis, sed accidentalis, quæ non destruit essentiam rei, aut sensum verborum; ergo mutatio substantialis inualidat sacramentum, non autem mutatio accidentalis. Hinc *S. P. Aug. lib. 6. cont. Donatist. c. 25.* inquit: *Quis nesciat non esse baptismum Christi, si verba euangelica, quibus symbolum constat, illic defuerint. Sed faciliùs inueniuntur hæretici, qui omnino non baptizant, quàm qui non illis verbis baptizent.* Ex quibus deducitur, quòd variatio substantialis verborum sacramentorum inualidat eo, quia virtus productiua gratiæ alligata fuit à Christo illis verbis tantùm, non alijs; & sic dicendum de materia; *& ibid. lib. 3. c. 15. Quamobrem si euangelicis verbis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Marcion baptismum consecrabat, integrum erat sacramentum, quamuis eius fides sub eisdem verbis aliud opinantis, quàm catholica veritas docet, non esset integra, sed fabulosis falsitatibus inquinata.* Non ob aliud, nisi quia falsitates additæ illis verbis non tollebant significatum formale illorum verborum, sed tantùm accidentaliter variabant.

3 Additio igitur quoruncunque verborum, vel detractio, si non variet sensum formalem, sacramentum non inualidat; vt si diceretur in baptismo: *Ego baptizo te in nomine Dei Patris, & Dei Filij, & Dei Spiritus Sancti*; vel omitteret pronomen *Ego*. Si verò mutet sensum, inualidat sacramentum; vt si quis adderet prædictæ formæ; *& in nomine Virginis Matris*; vel detraheret nomen Patris, vel Filij &c. Sic dicendum de materia; nam si quis loco panis tritici vteretur pane ordei, sacramentum non fieret; si tamen parua grana ordei immisceret granis tritici

ci ita, vt non tolleretur essentia panis triticei, fieret sacramentum. Sic dicendum de corruptione, & interruptione verborum; nam si sacerdos ita corrumperet, vel interrumperet verba proferendo, vt non haberent sensum formalem, non esset sacramentum; secus verò, si redderent sensum; & sic dicendum de corruptione materiæ.

4 Ex dictis infertur, quòd mutatio formæ facta à ministro cum intentione introducendi errorem contra fidem, si non variet sensum formalem verborum, non inualidat sacramentum, dummodò habeat veram intentionem faciendi, quod facit Ecclesia; & ratio est; quia ad valorem sacramenti sufficit debita materia, & debita forma, nec non intentio ministri faciendi, quod facit Ecclesia; vt statuit *Conc. Flor. & Trid*; & continuò inculcat *S.P. Aug. contra Donatistas*; sed in tali casu essent hæc tria; ergo validum esset sacramentum. Tum quia *Græci schismatici* variant accidentaliter formã baptismi; & tamen sic baptizatus nõ est rebaptizandus; ergo idem.

5 Dices. *Zachar. c. retulerunt de consecr. dist. 4.* interrogatus, an baptizatus sub hac forma: *Ego te baptizo in nomine Patrias, Filias, & Spiritus Sancta*; esset rebaptizandus; respondit: *Si ille, qui baptizauit, non errorem introducens, aut hæresim, sed pro sola ignorantia Romanæ locutionis infringendo linguam, vt supra fati sumus, baptizans dixisset, non possumus consentire, vt denuò baptizetur*; ergo si sic variasset sensum intentione introducendi errorem, sacramentum esset nullum: Propter hoc *D. Bonau; Alen; Gabr; Ric; Adrian. & alij* putant in data hipothesi irritum esse sacramentum.

Resp. tamen, quòd in casu adducto *Zacharias* optimè respondit; tunc enim esset variatus substantialiter sensus formalis, non accidentaliter solùm; nam nomine *Patrias* non intendisset Patrem, sed patriam; & nomine *Filias* intendisset non esse Filium in Diuinis personis, sed filiam; quo variaretur substantialiter sensus.

6 Dices iterum. Qui habet intentionem introducendi errorem in Ecclesiam, habet intentionem contrariam Ecclesiæ; ergo non habet intentionem faciendi, quòd facit Ecclesia.

Resp. dist. ant. Habet intentionem contrariam Ecclesiæ in aliquo particulari, conc; in sacramẽto, quod agit, neg; hæreticus enim baptizans in forma Ecclesiæ consentit Ecclesiæ in baptismo, licèt dissentiat in alijs, vt docet *S.P. Aug. vbis*.

7 Quæres, quodnam peccatum sit mutare formas sacramentorum?

Resp. Si mutatio sit substantialis, est sacrilegium grauissimum; si verò reddat sensum dubium, aut se exponat periculo irritandi sacramentum; est peccatum mortale; si tandem mutatio sit accidentalis, potest esse peccatum veniale ratione paruitatis ipsius mutationis, vel inaduertentiæ; secus tamen, si fit cum contemptu, scandalo, & perfecta aduertentia. *Sed de his fusiùs in suis locis*.

Q V Æ S T. III.

De gratia Sacramentali.

DE hoc ignorantiæ statu, in quem per peccatum originale deiecti fuimus, nos transire ad statum scientiæ cognoscendo causas per effectus potiùs, quàm effectus per causas, notissimum est. Ex cognitione igitur effectuum, qui à sacramentis causantur, magis patebunt ea, quæ de sacramentorum natura, quæ horum effectuum est causa, explicuimus. Quoniam autem diximus gratiam esse principalem eorum effectum; ideo priùs de ipsa est agendum.

ART. I.

An sacramenta causent instrumentaliter physicè gratiam?

1 HÆc controuersia, quam celebrem dicũt, nullius operositatis esse constabit, si distinguantur diuersæ instrumentorum species, tollaturq; ambiguitas, qua æquiuocantes *Aduersarij* loquuntur. Procedit autem solùm de sacramentis nouæ legis.

2 Prima sententia putat esse tantùm meras conditiones, non causas. *Ita Dur; Okam; Gabr; Alliacen.*

3 Secunda vult esse causas tãtùm morales. *Ita Alen; D. Bon; Scot; Ric; Vasq; Sal; Coninch; Lug; Pasqualig; Becc; Caspen; Aucrsa, Amic; Morand; Fab; Centin; Rada; Aretin; Ponc; Lauraa, & Mastr. hic disp. 1. q. 4*; vbi asserit hanc esse communem *omnibus Scotistis*; quibus accedunt *Gamrelect. de sacram. p. 4*; *Ledesma 1. p. 4. q. 3. art. 1; & ex nostris Basil. apud Grib*; qui tamen differunt in modo explicandi; *aliqui* enim volunt causare gratiam, quia sunt quædam chirographa moraliter continentia pretium nostræ redemptionis. *Alij*, quia sunt veluti crumenæ, in quibus est pretium nostræ libertatis, quod est meritum Christi Domini. *Alij*, quia sacramenta sunt actiones sensibiles, quibus Christus mediantibus suis ministris applicat suã merita, vt illis exhibitis moueatur Deus moraliter ad infundendam gratiã.

4 Tertia tandem docet sacramenta nouæ legis esse nedum moralia, sed etiam physica instrumenta gratiæ; sed hæc pariter diuisa est in modo explicandi. *Aliqui* enim dicunt gratiam phy-

physicè causare, quia producunt ornatum physicum in anima, ad quem sequitur productio gratiæ. *Alÿ*, quia attingunt physicè ipsum esse gratiæ; sicut humanitas Christi est causa instrumentalis physica miraculorum cum hoc discrimine, quòd humanitas est instrumentum cōiunctum, sicut manus corpori; sacramenta verò sunt instrumentum separatum, sicut penicillus; vnde *isti* videntur velle sacramenta esse instrumenta per influxum physicum directè, & immediatè producentia gratiam. *Ita Caiet. hic art. 1; Sot. in 4. dist. 1. q. 3. art. 1; & omnes Thomistæ*, quibus accedit *Gibb. hic disp. 4 dub. 3. §. 2*; vbi refert *nostros Cornejum, & Bernardin; & ex alys Sua. hic disp. 9. sect. 2; Val; Gran; Bellarmin. lib. 2. de sacram. c. 11; Ripald. de ente supernat. lib. 2. disp. 40. sect. 3. n. 13; Henriq; Fonsec; Albertin; & alios.*

5 Nos tamen dicimus sacramenta nouę legis esse physica instrumenta gratiæ indirecta, non directa. *Ita Fund. Doct. Æg. lib. de esse, & essent. q. 6. ad 9; & 10; & in 2. sent. dist. 1. q. 2. art. 5. §. Viso; & dist. 61. dub. 6. lat; & Quodl. 3. q. 1; Quodl. 5. q. 1; & in ep. ad Rom. lect. 12. dub. 1; & sæpe alibi*; quem sequuntur *omnes veri illius Discipuli.*

6 Repetenda sunt ea, quæ diximus *to. 3. q. 2. de creat. art. 4; & to. 5. q. 10. de impecc. art. 4*; scilicèt, quòd sicut causa principalis effectiua est duplex; alia, *à qua* per verum influxum physicum communicatur esse effectui; alia, *ad quam* per naturalem colligationem resultat effectus; vt substantia est causa, ad quam resultant accidentia; & anima, ad quam resultant passiones; non quòd substantia per verum influxum physicum transmutatiuum producat accidentia; sic enim deberet habere alia accidentia, quæ sunt virtutes substantiæ, quibus accidentia posteriora produceret; & sic illa accidentia priora deberent esse proprietates substantiæ, quæ, cùm etiam emanarent ab illa, deberent per alia produci, & sic in infinitum. Dicitur ergo substantia causa suorum accidentium; quia cùm accidentia propria sint essentialiter connexa cum substantia, ideo substantia producta est causa, ad quam resultant accidentia. Sic causa instrumentalis, quæ causæ principali famulatur, vt ei correspondeat, duplex est; scilicet, *à qua* per verum influxum physicum elicitur actio causæ principalis; vt oculus, qui est instrumentum animæ, elicit actionem visionis, quæ principaliter elicitur ab anima; & hæc dicitur causa instrumentalis directa, & immediata quia per verum influxum physicum elicit à se ipsa actionē causæ principalis, & immediatè attingit esse ipsius effectus. Alia est causa instrumentalis, *ad quam*, indirecta, & mediata; quia non elicit à se ipsa actionem causæ principalis, neque communicat immediatè esse effectui; sed tantùm producit aliquod, cum quo est colligatus effectus causæ principalis, vt diximus de calore *vbi s*; qui, quia est colligatus cum forma ignis in igne, ideo etiam calor productus à calore ignis in ligno in gradu intenso, dicitur producere formam ignis in ligno; sicut enim calor in summo est colligatus cū forma ignis in causa ignefaciente; ita calor in summo productus in ligno debet esse colligatus cum forma ignis producta in ligno; eadem enim proportio est causæ instrumentalis respectu causæ principalis, & effectus causæ instrumentalis respectu effectus causæ principalis; ergo sicuti causa instrumentalis est connexa, & colligata cum causa principali; ita effectus causæ instrumentalis est connexus, & colligatus cum effectu causæ principalis; & ideo causa instrumentalis agens, vt coniuncta cum causa principali, dicitur indirectè producere physicè effectum causæ principalis; quoniam producit effectum sibi proprium, cum quo coniungitur effectus causæ principalis. Hæc doctrina colligitur *ex S. P. Aug. ep. 23. ad Bonifac*; vbi ait aquam exhibere forinsecùs sacramentum gratiæ; quia gratia non procedit intrinsecè ab aqua per verum influxum intrinsecum, sed tantùm extrinsecum; vt *inf. n. 17; & 20*. In hoc autem distinguitur instrumētum physicum ab instrumento morali; quòd illud debet habere annexam sibi virtutem causæ principalis, & debet aliquod physicū producere in subiecto, in quod induci debet effectus causæ principalis. Istud verò non habet annexam virtutem physicam productiuam, nec producit aliquid physicè in subiecto; sed tantùm mouet causam principalem intentionaliter ad producendum effectum principalem.

7 Ex hac doctrina habetur nedum conuenientissima concordantia diuersorum *textuum* ad vetera sacramenta spectantium, qui videntur pugnare inter se; vt diximus *in sup. q. art. 1. §. 5. n. 68*; sed etiam eruitur clara intelligentia *Scripturarum, Conciliorum, & PP.* asserentium, quòd sacramenta vetera erant *infirma, & egena elementa*, vt inquit *Apost*; quoniam non continebant, nec efficiebant gratiam, quam tantùm significabant, vt docent *Concilia, & SS. PP*; sacramenta verò nouæ legis habent virtutem remissiuam peccatorum, vt testantur *Scriptura* allatæ *q. 1. art. 2 n. 11; & art. 5. n. 4*; & continent, ac efficiunt gratiam, vt loquuntur *Concilia, & SS. PP*; ac propterea appellantur *vasa plena gratiæ*; quia gratiam, quam continent in se, diffundunt in illos, quibus applicantur. Certissimum enim est virtutem remissiuam peccatorum sacramenta noui testamenti habere à sanguine Christi; dicitur nanq; *Matth. 26. Hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum*; quod toties repetit *Apost.* Sanguis autem Christi, ex quo sacramenta nouæ legis hanc virtutem remissiuam peccatorum acceperunt, non fuit physicè diffusus ab ipso, nisi per mortem, adeòq; rectè dicitur, quòd sacra-

cramenta nouæ legis sunt *vasa plena gratiæ*, quia à sanguine Christi iam effuso acceperunt virtutem remittendi peccata; quæ non remittuntur, nisi per gratiam. Quoniam tamen sanguis Christi, vtpotè à persona infinitè digna diffusus, est infiniti valoris, ideo fuit pretium sufficiens nedum pro hominibus, qui post eius mortem, sed etiam qui ante illam vixerunt. Cęterùm quia ante mortem non erat physicè effusus, sed tantùm præconceptus, & præuisus fundendus; ideo sacramenta vetera non habebant quidem physicè sibi annexam virtutem remissiuam peccatorum, quæ est gratia; hæc enim virtus physicè accepta non est orta, nisi à physica effusione sanguinis, quæ, vt diximus, fuit tantùm post Christi mortem; attamen quia vtpotè signa, & figuræ sanguinis Christi effundendi, illum figurabant, & rememorabant præconceptum intentionaliter, ideo tantū intentionaliter mouebant Deum ad remittenda peccata; ac per consequens tantùm moraliter gratiam causabant. Sic si considerabantur physicè secundùm se, erant *infirma, & egena elementa*; nec continebant, nec causabant gratiam; si autem, quatenus significabant sanguinem Christi effundēdum in morte ipsius in remissionem peccatorum, repræsentabant aliquod meritorium remissionis peccatorum omnium hominum, quod erat moraliter, quia intentionaliter tantùm conceptum pro eo tunc, remissiuum peccatorum; & in hoc sensu dicebantur moraliter causare gratiam; à nullo nanq; potest negari; quòd in sacramentis veteribus homines iustificabantur; hoc enim docent *Scriptura, & SS.PP*; & sine ipsis non iustificabantur; illud autem, per quod, & in quo fit iustificatio, & & sine quo non fit, aliquo modo et causa iustificationis saltem moralis. *Hoc nt.*

8 Vnica concl. Sacramenta nouæ legis causant gratiam instrumentaliter physicè indirectè.

Prob. 1. Illud, quod operatur physicè aliquem effectum, cum quo physicè est coniuncta gratia iustificans, causat gratiam physicè instrumentaliter indirectè; quanuis ipsa gratia immediatè, & directè non producatur, & profluat; sed tantùm à virtute illi annexa; vt *sup.* diximus; & dat duplex exemplum *S.P.Aug. lib.9. de Gen. ad lit.c.*15. de medicamento, & emplastro, quod dicitur physicè causare sanitatem in vulnerato eo, quòd causat aliquod, ad quod resultat sanitas in animali, quanuis ipsa sanitas animalis non profluat physicè ab ipso medicamento, & emplastro, sed tantùm à virtute illi annexa; & de instrumentis agricolæ, quæ, quia faciunt operationes, cum quibus coniungitur, vel ad quas resultat productio segetum, dicuntur instrumentaliter physicè indirectè segetes producere; quanuis segetes ab ipsis instrumentis non dimanent, sed à virtute Dei, qui sic disposuit cum illis instrumentis concurrere ad segetum productionem; sed sacramenta nouæ legis habent aliquas actiones, cum quibus coniungitur, vel ad quas resultat productio gratię iustificantis; quia ablutioni physicæ aquæ in baptismo annectitur physicè gratia emundans à peccato; vt habetur *Eph.* 5. *Mūdās lauacro aquæ*; & salus animę, quę est gratia; vt *ad Tit.3. Saluos nos fecit per lauacrū regenerationis*; & sic de alijs sacramentis, vt vnctioni physicæ in chrismate coniungitur physicè gratia fortificans, & roborans animam; non enim gratia coniungitur tantùm moraliter, idēst secundùm hominum existimationem ita, vt peccata non tollantur, sed non imputentur, vt blasphemant *Luthero-Caluinista*; sed coniungitur realiter, & physicè ita, vt per ipsam peccata physicè expellantur, vt docet catholica veritas; ergo sacramenta nouæ legis causant gratiam instrumentaliter physicè indirectè.

9 Conf. 1. Illud instrumentum, quod per actionem physicam sibi propriam defert actionem physicam principalis agentis in aliquod subiectum, rectè dicitur instrumentaliter physicè indirectè causare actionem principalis agentis, quanuis illa actio non profluat ex intrinsecis principijs, vel ex virtute intrinseca ipsius instrumenti, sed ex virtute principalis agentis, quod sic instituit, & disposuit vti illo instrumento ad producendam physicè illam actionem; vt diximus de instrumentis agricolæ; nā vt dicebamus, illud dicitur instrumentaliter physicè indirectè producere aliquod, quod producit aliquid, cum quo illud coniungitur, vel ad quod sequitur physica illius productio; etiamsi quod producitur, non oriatur, & fluat ab ipso instrumento; nam sic produci, vt fluat ab ipso, est produci directè, & immediatè, non mediatè indirectè; sed sacramenta nouæ legis per actionem sibi propriam, quæ procul dubio physica est, deferunt actionem physicam Dei, qui principaliter physicè producit gratiam, in animam; vt docent *Scripturæ*; ergo sacramenta nouæ legis instrumentaliter physicè indirectè dicuntur causare gratiam, quanuis actio productiua gratiæ sit tantùm à Deo, qui sic instituit, & disposuit gratiam mediantibus sacramentis causare.

10 Conf. 2. Illud, cui tribuitur physica productio gratiæ, dicitur gratiam physicè causare, eo, quia producit aliquod physicum in eo, qui gratiam recipit, ad quod sequitur physica gratię productio; sed sacramentis nouæ legis à *SS. PP.* tribuitur physica gratiæ productio; nam *S.P. Aug. tract.* 80. *in Io.* inquit: *Vnde est tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat*; tangere autem corpus est actio physica aquæ recepta in homine, cui infunditur gratia; & ablutio cordis à peccatis est quid physicum, & reale, non tantùm morale, & putatum; ergo sacramenta nouæ legis causant physicè gratiam instrumentaliter indirectè.

11 Prob. 2. Si sacramenta nouæ legis causarent gratiam solùm moraliter, nō distinguerentur

tur in ratione efficiendi gratiam à sacramentis veteris legis; sed conf. est cont. fidem; ergo & ant. Prob. ma. Illa, quæ conueniunt in ratione efficiendi, non distinguuntur; conuenire enim est non distingui; sed sacramenta veteris, & nouæ legis conuenirent in ratione efficiendi gratiam moraliter tantùm; nam etiam sacramenta vetera causabant gratiam moraliter eo, quia figurando, & repræsentando Christi mortem, & passionem mouebant Deum ad infundendam gratiam illis hominibus, quibus applicabantur; aliter nullo modo iustificassent, & ideo fuissent ad salutem prorsus inutilia, quod est *contra Scripturam, & SS.PP*; ergo sacramenta veteris, & nouæ legis in ratione efficiendi non distinguerentur. Mi. statuta est *in Conc; Flor.* definiẽte, quòd sacramenta veteris legis significabant tantùm gratiam dandam per Christum, non autem illam efficiebant; sacramenta verò nouæ legis illam significant, continent, & efficiunt; ergo de fide est sacramenta nouæ legis in ratione efficientiæ differre à sacramentis veteris legis.

12 Resp. *Aduersarÿ* sacramenta veteris legis non causasse gratiam moraliter, sed tantùm fuisse meras conditiones, quibus positis mouebatur Deus à sua promissione ad infundendam gratiam. *Ita Lug*; qui affert exemplum de famulo, cui si Dominus præciperet, vt quoties gallus cantat, det stipem pauperi, cantus galli esset mera conditio, præceptum autem Domini esset causa moralis mouens famulum ad elargiendam eleemosinam. 2. *Mastr. hic q.2. art. 4. n.90.* ait, quòd *Conc.* loquitur solùm de sacramentis legis scriptæ, quæ non conferebant gratiam moraliter; non autem vniuersaliter de omnibus sacramentis veteribus; nam circuncisio gratiam moraliter causabat; circuncisio autem pertinebat ad legem naturæ, quia data fuit, antequam esset lex scripta; quanuis postea scripta fuerit; ad distinguendam autem (ait *n.* 79.) ipsam à sacramentis legis nouæ, sufficit dicere, quòd illa non causabat augmentum gratiæ, si applicabatur homini iam iustificato, vt applicata fuit *Abrahæ*; sacramenta autem legis nouæ causant augmentum gratiæ.

Sed cont. 1. est. Quanuis præceptum Domini principaliter moueat famulum ad dandam eleemosinam; attamen cantus galli, cui coniunctum est tale præceptum, instrumentaliter mouet; est enim instrumentum, quo præceptum Domini mouet; ergo quanuis merita Christi repræsentata per vetera sacramenta principaliter mouerint Deum ad dandam gratiam; attamen vetera sacramenta instrumentaliter mouerunt Deum ad dandam gratiam. Cont. 2. est. *Concilium* absolutè, & vniuersaliter loquitur de sacramentis veteris legis; ergo non licèt Theologo ipsum restringere ad sola sacramenta legis scriptæ; aliter ferè nihil determinati, & certi posset *ex Concilijs* haberi; si possent licitè fieri restrictiones huiusmodi. Præterea etiam sacramenta legis scriptæ causabant gratiam moraliter, vt dictum est; ergo neque ab illis sacramenta nouæ legis differrent. Item circuncisio est verum sacramentum veteris legis scriptæ, quanuis data fuerit ante legem scriptam; vt diximus *q.1. art.3. n.3*; ergo idem. Tandem *Concilium* statuit sacramenta veteris legis in hoc differre à sacramentis nouæ legis, quòd illa tantùm significabant, non efficiebant gratiam; ista autem efficiunt, & significant; sed ex eo, quòd non causent augmentum gratiæ, non verificatur, quòd non causent gratiam simpliciter, sed tantùm, quòd illam non causent secundùm quid; & ideo non verificatur, quòd significauerint gratiam tantùm, quia illam causassent etiam simpliciter, quanuis non causassent secundùm quid; ergo illa differentia, quam adducit *Mastr. ex Scoto*, non est sufficiens ad saluandum discrimen *à Concilio* statutum.

13 Prob. 3. Instrumentum, quod continet in se ipso virtutem principalis agentis, quam defert in subiectum, in quod agit, per aliquam actionem physicam, physicè dicitur producere effectum principalis agentis, indirectè tamen, si actio principalis agentis formaliter non eliciatur ab ipso; sed sola sacramenta nouæ legis continent in se virtutem productiuam gratiæ, quæ à Deo, tanquam ab agente principali, producitur; & illam deferunt in hominem mediante aliqua actione physica; ergo sola sacramenta nouæ legis gratiam physicè instrumentaliter indirectè producunt. Prob. ma. In hoc distinguitur causa instrumentalis physica à causa instrumentali morali; quòd illa continet in se ipsa virtutem physicam principalis agentis; ista verò illam non continet, sed mouet tantùm instrumentaliter moraliter causam principalem, in qua est virtus productiua effectus; sicut enim causa principalis physica distinguitur in hoc à causa principali morali; quòd causa principalis physica habet in se ipsa virtutem, per quam producit effectum, vt Deus est causa principalis physica gratiæ, quia habet in se ipso virtutem, per quam potest gratiam producere; homo verò dicitur tantùm causa moralis gratiæ, quia non habet in se virtutem productiuam gratiæ, potest tamen suis precibus, & actionibus meritorijs mouere Deum, in quo est virtus gratiæ productiua, vt gratiam producat; ita dicendum de causa instrumentali physica, & morali; ergo instrumentum, quod continet in se virtutem principalis agentis, quam defert in subiectum per aliquam actionem physicam, instrumentaliter physicè, saltem indirectè producit. Mi. traditur à *Conc. Flor.* definiente: *Nostra & continent gratiam, & illam dignè suscipientibus conferunt*; & *Trid. sess.7. can.6. Si quis dixerit sacramenta noua legis non continere gratiam, quam significant &c*; & à *SS.PP*; inter quos S.P. *Aug.*

Aug. vbi sup. Vnde est tanta virtus aquæ vbi sup. propterea vocantur *vasa gratiæ*, quia illam continent in virtute; sacramenta verò vetera erant *vasa egena, & vacua*; quia gratiam non continebant, sed solùm significabant; ergo sola sacramenta nouæ legis continent in se virtutem productiuam gratiæ; & per consequens sola producunt gratiam physicè, vetera verò tantùm moraliter.

14 Prob.4. Illud, quod agit in virtute alterius solùm intentionaliter præconcepti, agit instrumentaliter moraliter; illud verò, quod agit in virtute alterius physicè existentis, agit instrumentaliter physicè; causa enim moralis est illa, quæ agit per actionem, & motum intentionalem; & causa physica, quæ agit per actionem physicam; vt dicitur *in Phys.* sed sacramenta vetera agebant in virtute sanguinis Christi solùm intentionaliter præconcepti, tunc enim non erat physicè effusus, sed tantùm præuidebatur, vt fundendus; & sacramenta nouæ legis agunt in virtute eiusdem physicè effusi, ex qua effusione physica fuit annexa sacramentis vis productiua gratiæ; ergo illa causabant tantùm instrumentaliter moraliter; hæc verò instrumentaliter physicè.

15 Tandem aliæ rationes circumferuntur. 1. Instrumenta debent proportionari causæ principali, cuius sunt instrumenta; sed sacramenta sunt instrumenta Dei, qui est causa principalis, & physica; ergo sacramenta sunt instrumenta physica. Sed hæc ratio nimis probat, probat enim etiam de sacramentis veteribus; quæ non sunt instrumenta physica, sed moralia. 2. Si sacramenta non causarent physicè gratiam, non tollerent physicè peccata; nihil enim potest physicè tolli, nisi per aliquod physicum physicè productum; ergo peccata remanerent, vt aiebat *Caluinus*. Sed hæc etiam ratio probat de sacramentis veteribus, vt patet consideranti. 3. Sacramentis nouæ legis, vtpotè perfectioribus, debet concedi modus perfectior causandi gratiam; dummodò non repugnet; sed modus causandi gratiam physicè est perfectior, quàm modus illam causandi moraliter, vt constat, & non repugnat creaturis; ergo sacramentis nouæ legis cōpetit modus causandi gratiam physicè. Prob. mi. Intellectus agens eleuat phantasmata materialia ad producendas species intelligibiles, quæ sunt spirituales; ergo multò minùs repugnabit Deum, qui est infinitæ virtutis, elenare res corporeas ad producendam physicè gratiam. Tum quia non repugnat oculum corporeum eleuari ad eliciendam visionem beatificam; ergo à pari. Sed hæc etiam ratio, qua vtitur *noster Gibb.*; ex parte infirma, & ex parte falsa est; nam species intelligibiles educuntur de potentia passiua intellectus possibilis, non autem creantur; ideo non est eadem ratio. Præterea falsum est oculum posse sic eleuari; vt diximus *to.1. de Inuisib. Dei*. Nisi igitur hæ rationes meliùs firmentur, siunt prorsus inualidæ. *Vid. alias rationes allatas to.3. & 5. vbi sup.*

16 Quòd autem sacramenta non sint instrumenta physica directè producentia gratiam, iam probatum est *to.3. vbi sup. n.8. & seqq.* vbi *vid.* obiectiones, & earum solutiones. *Vid. nostrum Argent. hic dist.2. art.1. concl.3.* vbi alias affert rationes.

17 Obijc. 1. *S. Cypr. serm. de bapt. Christi*, ait: *Remissio peccatorum, siue per baptismum, siue per alia sacramenta donetur, propria Spiritus Sancti est, & ipsi soli huius efficientiæ priuilegium manet; & S.P. Aug. ep.23. ad Bonif.* inquit: *Aqua igitur exhibens forinsecùs sacramentum gratiæ, & Spiritus operans intrinsecùs beneficium gratiæ, soluens vinculum culpæ, reconcilians bonum naturæ regenerat hominem in vno Christo*; quod *alibi frequentissimè* repetit; & *S. Hier. in c.4. Isaiæ: Dicimus, quòd homo solùm gratiam tribuat, Deus autem Spiritum Sanctum*; & hoc docent *omnes alij SS. PP.* ergo sacramenta nouæ legis nullam penitus efficientiam habent. Ratio est. In sacramentis nequit esse virtus productiua gratiæ; nam vel esset corporea, vel spiritualis? Non primum; quia corporeum nequit producere rem spiritualem supernaturalem. Non secundum; quia qualitas creata spiritualis supernaturalis nequit recipi in subiecto materiali; quamuis enim anima rationalis, quia est pars corporis, possit recipi in corpore, licèt sit spiritualis; attamen qualitas supernaturalis, cùm non sit pars corporis, nec passio corporis, nequit in corpore immediatè recipi; ergo sacramenta nequeunt causare physicè gratiam; implicat enim, quòd causa causet sine virtute causandi.

Resp. hoc arg. petere, an virtus sacramenti, quam docet *S. P. Aug.* manere in sacramentis transeuntibus verbis, quæ sonant, & volant, sit qualitas creata inhæsiuè in ipsis recepta, vel non?

18 *Aliqui* dicunt sacramenta eleuari per potentiam obedientialem actiuam actiuè ad cooperandum Deo instrumentaliter in omnibus effectibus, qui non implicant contradictionem. *Ita Sua. to.1. 3. p. disp.31. & 36. sect. 4. & ex nostris Æg. Lusit. q.10. art.9. §.4. Albertin. Meraci & alij.* Sed hic modus dicendi reiectus fuit *to.1. de Inuisib. Dei q.2. art.2. n.22. & to.3. de creat. q.2. art.4. n.24. & 25. & de Ang. q.7. art.3. & seqq.* vbi ostendimus potentiam obedientialem esse purè passiuam, & nisi recipiat actum, quo constituatur proximè potens agere in ordine supernaturali; *agens* enim *in tantùm agit, in quantùm actu est ex Phil.* nunquam prodibit in actum.

19 *Alij* dicunt illam virtutem esse qualitatem modalem creatam supernaturalem, & spiritualem receptam per modum transeuntis, vialis, & fluentis in rebus corporeis; non per modum qualitatis completæ, & permanentis. *Ita noster Gibb. & ferè omnes Thomistæ recentes*, quorum

rum aliqui volunt illam esse puram motionem, vt *Caiet; Naz; Cabr; Nugn; Io. à S. Tho; & alij*; alij verò esse qualitatem; vt *Soncin; Hispal; Ferrar; Ledesma, Prado, Gonet; & ex nostris Æg. Iustit.* Sed cont. istos est *noster Tho. Argent. hic. dist. 2. q. 1. art. 2; & Fund. Doct. locis cit. to. 3; & 5. vbi sup;* nam vt dicebamus *to. 5. vbi sup. n. 8; & 11;* de ratione instrumenti indirectè agentis non est recipere in se ipso aliquam virtutem à principali agente, aut actionem principalis agentis ab ipso instrumento prodire, vt imaginantur isti Auctores, sed est tantùm coniungi virtuti principali agentis, vt diximus de calore, in quo non recipitur virtus substantialis ignefactiua, nec ipsa ignefactio, sed coniungitur formæ ignis, quæ est causa formalis substantialis ignefactiua; & producit instrumentaliter ignem, quia producit calorem in summo, cum quo coniungitur forma ignis, absque eo, quòd recipiat virtutem aliquam substantialem formaliter intrinsecè sibi inhærentem; ergo ex eo, quòd sacramenta præcisè assumantur à Deo, vt instrumenta ad causandam gratiam, illam instrumentaliter producunt absq; eo, quòd recipiant aliquam qualitatem, aut accidens creatum illis formaliter intrinsecè inhærens, & in illis receptum. Æquiuocant ergo *Gibb; & alij* eum ipso sentientes de instrumento immediatè, & directè influente; & de instrumento indirectè tantùm causante; quanuis enim ad rationem instrumenti directè causantis requiratur illa virtus actiua intrinseca, vt patet de oculo, in quo necesse est esse virtutem productiuam visionis; attamen falsum est de instrumento indirectè tantùm causante, vt optimè arguit *Fund. Doct. Æg;* cum quo hæc duo ad tollendam æquiuocationem sunt distinguenda, non confundenda.

20 Resp. igitur ad arg; quòd SS. PP. apertè docent nostram sententiam; ex eo enim, quòd Deus, seu Spiritus Sanctus, cui appropriatur creatio gratiæ, gratiam producat ad actionem externam, quam exhibent sacramenta, sequitur, quòd sacramenta instrumentaliter physicè indirectè causent gratiam, vt diximus; sicut ex eo, quòd Deus, seu Spiritus Sanctus producat gratiam media actione sacramentorum, sequitur, quòd principaliter physicè gratiam causet. Rationem reddit *S. P. Aug. ep. cit. vbi sup.* dicens: *Non enim scriptum est: Nisi quis renatus fuerit ex parentum voluntate, aut ex offerentium, vel ministrantium fide; sed: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S. Aqua igitur exhibens forinsecùs sacramentum gratiæ, & Spiritus operans intrinsecùs beneficium gratiæ &c.* Ergo ex verbis Christi Domini clarè habetur, quòd sola aqua, & Spiritus Sanctus cooperans causant gratiam; aqua quidem, vt explicat *S. P. Aug; forinsecus* exhibens gratiam, idest non per aliquam virtutem sibi intrinsecè inhærentem; sed per Spiritum Sanctum sibi assistentem, & operantem; Spiritus Sanctus autem per virtutem sibi intrinsecam operans, & causans gratiam; & ideo admittere illam qualitatem intrinsecam sacramentis inhærentem non est cōsonum verbis Christi Domini, nec SS. PP. Idem docet idem *S. P. Aug. tract. 80. in Io.* super illud: *Pater meus Agricola est;* vbi ait Deum esse agricolam, non sicut qui plantat, aut rigat; sed *qui incrementum dat Deus;* vt docet *Apost. 1. Cor, 3; & locis superiùs cit;* vbi docet agricolas, & medicos verè dici physicos satores, & inductores segetum, & sanitatis; quanuis non transfundant in terram, & in corpus ægroti humorem productiuum segetis, & sanitatis; sed per hoc tantùm, quia faciunt aliquas operationes, ad quas Deus producit segetem, & sanitatem. In forma igitur dist. cons. Sacramenta nullam habent efficientiam intrinsecam, & immediatam, ac directam, conc; indirectam, & mediatam, neg. Ad rationem eodem modo dicitur, quòd in sacramentis est virtus productiua gratiæ indirecta, & mediata; non directa, & immediata; virtus autem productiua gratiæ indirectè est corporea; quia est virtus naturalis, v.g. aquæ, per quam habet abluere; & cùm dicitur, quòd res corporea nequit producere rem spiritualem supernaturalem; dist. eodem modo. Nequit producere immediatè, & directè, conc; mediatè, & indirectè, neg; siue productione *à qua*, conc; *ad quam*, neg; potuit enim Deus decernere ad talem actionem corpoream rei corporalis se producturum gratiam; vt statuit efficere in omnibus sacramentis.

21 Iust. *noster Gibb.* De ratione sacramenti est, quòd saltem pro priori naturæ intelligatur in actu primo potens producere gratiam, antequam actu operetur; sed non potest fieri proximè potens per solam assistentiam Dei extrinsecam; quia causam esse proximè potentem causare est denominatio intrinseca, non extrinseca; ergo debet dari aliqua virtus intrinsecè in illis recepta. 2. Nulla res potest transire de contradictorio ad contradictoriū sine mutatione intrinseca alteriusutrius extremi, vt v.g. de non esse album ad esse albūm; ergo sacramentum nequit transire de non esse potens ad esse potens, nisi per aliquam mutationem intrinsecam, quæ nequit fieri, nisi per receptionem alicuius virtutis intrinsecæ. 3. Causa instrumentalis debet præcontinere effectum; idque de sacramentis nouæ legis docet *Trid. sess. 7. can. 6;* sed sacramenta ratione virtutis & potentię Dei sibi assistentis non dicuntur præcontinere gratiam; quia virtus productiua gratiæ est tantùm in Deo, non in se ipsis; continere autem est aliquod *intra se tenere;* ergo idem. 4. Quanuis Deus possit aliquo modo supplere virtutem causæ; vt essentia Diuina rationem speciei intelligibilis; attamen nequit supplere totam actiuitatem causæ; alioquin talis causa verè non ageret, sed solus Deus ageret ad præsentiam illius; sed sacramenta ex sua natura nullam habent actiuitatem productiuam gratiæ; ergo

ergo repugnat fieri actiua per solam Dei assistentiam.

Resp. hæc omnia procedere ex confusa indistinctione instrumenti indirecti, & directi. Ad 1. neg. ma: quæ quanuis sit vera de instrumento immediatè, & directè influente, falsa tamen est de instrumento indirecto, quod, vt diximus, nullam habet actionem physicam immediatam, & directam in entitatem gratiæ, quæ à solo Deo creatur immediatè. Ad 2. dist. ma. De transitu intrinseco, conc; extrinseco, neg; vt calor transit de non ignefaciente ad ignefacientem substantialiter per formam substantialem, quæ non recipitur in ipso; sed illi tantùm vnitur. Sic transeunt sacramenta de non causando gratiam ad gratiam causandam. Ad 3. iam diximus præcontinentiam gratiæ in sacramentis non esse, sicut continentiam aquæ in vase, vel accidentis in subiecto, vt docet etiam *D. Tho*; vel effectus in causa principali, aut instrumento immediato, & directo, sed esse continentiam, vt in instrumento indirecto, & mediato, quod dicitur continere gratiam, quatenus potest efficere aliquam actionem, ad quam Deus producat gratiam. Gratia ergo continetur intrinsecè in Deo virtualiter, vt in causa principali, & hoc modo non continetur in sacramentis; in sacramentis verò continetur, vt in instrumentis indirectis, & hoc modo non est in Deo; & sic intelligendum est *Trid.* Ad 4. neg. suppositum; supponit enim sacramenta esse instrumenta immediata, & directa. Præterea dist. mi. Nullam habent actiuitatem immediatè, & directè productiuam gratiæ, siue actiuitatem, *à qua*, conc; mediatè, & indirectè, siue *ad quam*, neg; *Cetera vid. to. 3. vbi sup.*

22 Obijc. 2. Sacramenta fictè suscepta non conferunt gratiam, vt *inf.* dicemus; recedente postea fictione illam conferunt; ergo non conferunt gratiam physicè; nam ad causalitatem physicam requiritur actualis existentia physica causæ; aliter res possibilis, aut futura posset gratiam physicè causare. 2. Ad causalitatem physicam requiritur contactus physicus; sed aqua baptismi non tangit animam, sicut nec verba absolutionis; ergo idem. 3. Illud, quod causat, quando non est, non causat physicè; quia agens physicum in tantùm agit, in quantùm actu est; vt docet *Phil*; sed sacramenta, quæ consistunt in vsu, causant gratiam, quando actu non sunt; non enim causant in principio actionis, quia adhuc non est prolata forma; nec in tempore intermedio; quia adhuc forma non est completa; quando autem forma est iam completa, tunc sacramentum ampliùs non est; ergo idem.

Resp. hæc omnia, ad quæ tot responsiones congeruut *Theologi* magis difficiles, quàm certas, vnica *S. P. Aug.* doctrina faciliter solui; inquit enim *tract. 80. in Io. Aliud est sonus transiens, aliud est virtus manens.* Ad 1. igitur neg. cons; & ad prob. infert. dist. Ad causalitatem physicam requiritur physica existentia rei, vel præsentis in se ipsa, vel præteritæ in se ipsa, & præsentis in sua virtute, conc; præsentis tantùm in se ipsa, neg; animal enim statim moriens post coitum dicitur postea generare, quia præsens est per suam virtutem, non per se ipsum. Sic sacramenta dicuntur causare instrumentaliter physicè indirectè; quia præsentia sunt per suam virtutem, scilicèt per virtutem Diuinam, quæ manet etiā transeuntibus sacramentis, quanuis sacramenta non sint per se præsentia; nam ex institutione Diuina factum est, vt tantùm præcedat illa actio corporalis ad hoc, vt sua virtus operetur gratiam; cùm autem virtus Dei semper maneat; ideo vel immediatè post, vel diu gratiam producit; quam dicuntur sacramenta instrumentaliter producere; quia si non præcessisset eorum actio, gratia non fuisset producta virtute illorum. Sicut si Deus statuisset, quòd semen post annum solummodò à decisione ab animali generatet aliud animal; etiamsi mortuum fuisset animal primum immediatè post decisionem seminis, attamē illud animal verè diceretur physicè generasse secundum animal; quia maneret in sua virtute. Ita à pari. Ad hoc autem, vt aliquod maneat præsens in sua virtute actualiter præsente, debuit aliquando fuisse actualiter præsens in se ipso; quia, quanuis virtus, antequam agens agat, maneat in actu primo; attamen non manet in actu secundo, nisi in actione actuali illius, cuius dicitur virtus; operatio autem actualis supponit esse actuale agentis; quia *operari sequitur ad esse.* Ad hoc igitur, quòd aliquod dicatur physicè causare etiam, quando non existit, requiritur, quòd eius virtus maneat in aliqua actione secunda elicita ab illo, quæ debet esse actualiter existens à parte rei, vt diximus de animali generante etiam, quando non existit; si namq; actu non extitisset, non diceretur generare; ideo possibilia, & futura, quæ nullam habuerunt vnquam actionem actualem, cùm nunquam extiterint, non possunt physicè causare. Ad 2. eodem modo dist. ant. Requiritur contactus physicus vel rei, vel virtutis, conc; rei tantùm, neg; vt Sol tantùm per suam virtutem, non per suam entitatem, tangit terram, & tamen physicè dicitur producere, quidquid in ea nascitur. Sacramenta igitur, quia tangunt per suam virtutem, quæ est virtus Dei, rectè dicuntur physicè causare. Ad 3. similiter dist ma. Illud, quod causat, quando non est in se ipso, vel in sua virtute, non causat physicè, conc; sed in hoc sensu neg mi; sacramenta enim sunt in sua virtute præsentia; quod non est in se ipso tantùm, neg; quia homo, quando non est in se ipso, in virtute seminis existentis in actu secundo verè dicitur generare. Sic quoque sacramenta, quanuis causent, quando perfecta est forma, & tunc non sint secundùm se ipsa; quia tamen sunt in sua vir-

virtute existente in actu secundo, verè causant instrumentaliter physicè.

23 Obijc. 3. Ad rationem instrumenti requiritur, quòd habeat aliquam actionem præuiam circa passum disponentem ad actionem causæ principalis; sed sacramenta nullam actionem possunt habere circa animam, quæ est passum, in quo recipitur gratia; nullum enim corporale potest agere in spirituale;& actio propria sacramentorum nequit esse dispositio ad gratiā; quia dispositio debet esse in eodem ordine, in quo est forma, ad quam disponit;actio autem sacramentorum est in ordine naturali; gratia verò in ordine supernaturali;ergo sacramenta non sunt instrumenta gratiæ. 2. Nulla creatura potest esse instrumentum physicum creationis; quia nequit exercere suam causalitatem circa nihil, quod est terminus *à quo* creationis; sed gratia habet esse per creationem, vt diximus *cum Fund. Doct. to. 3. de creat. q. 2. art. 1. à n. 21; & art. 4. n. 10; & 11. & to. 4. de grat. q. 3. art. 3*; & sacramenta sunt creaturæ; ergo sacramenta non sunt instrumenta physicè productiua gratiæ.

Resp. ad 1. dist. ma. Quòd habeat aliquam actionem præuiam circa passum, *vt quod*, conc; & in hoc sensu neg. 1. pars mi; quòd scilicèt anima sit passum, *vt quod*; hoc enim est totus homo, non sola anima; circa passū, *vt quo*, idest circa illud, quo mediante recipitur in toto, neg; nā calor est instrumētū inducens ignem in materiā;& tamen non agit immediatè in ipsam materiam, sed in accidentia, quę existunt in materia. Altera pars eiusdem ma. pariter dist. Debet habere actionem pręuiam disponentem ad actionem causæ principalis vel ex natura rei, seu secundùm ordinem, legemq; ordinariam, quam Deus, vt Auctor naturæ, rebus præstituit; vel ex institutione supernaturali diuina, seu secundùm ordinationem extraordinariam altioris dispositionis, quam Deus, vt Auctor gratiæ, aliquibus rebus præscripsit, conc;& in hoc sensu neg. 2. pars mi; quòd scilicèt actio propria sacramentorum non sit dispositio ad gratiam; quanuis enim dispositio, quæ ex natura rei infert formam, ad quā actio principalis agentis ordinatur, debeat esse in eodem ordine cum ipsa forma; attamen dispositio, quæ ex institutione Diuina supernaturali tantùm infert formam, non debet esse in eodem ordine, vt patet; nam si esset in eodem ordine, inferret ex natura sua, & non ex institutione Diuina supernaturali eleuante res supra earum naturas. Ad 2. dist. ma. Instrumentum directum, conc; indirectum, neg. *Vid. to. 3. art. 4. vbi s.* alia obiecta, eorumque solutiones circa hoc arg.

24 Inst. cont. resp. ad 1. Quod est instrumentum ex institutione humana per ordinem ad aliquam actionem, concurrit tantùm moraliter ad illam; vt ramus ante tabernam, qui est institutus per ordinem ad venditionem vini, ad eam moraliter tantùm concurrit; ergo idem dicendum est de instrumentis, quæ concurrunt tantùm ex institutione Diuina, vt sunt sacramenta.

Resp. dist. ant. Quod est instrumentum ex institutione humana, & nullam penitus habet actionem physicam circa subiectum, in quod debet induci actio principalis; vt ramus per ordinem ad vinum, conc; & habet aliquam actionem physicam, neg; nam aratrum procul dubio est ex institutione humana, & quia habet actionem physicam, nempe scissionem circa terram, ideo est instrumentum physicum physicè concurrens ad generationem tritici. Sic quanuis *Petrus* occidat *Paulum* ex mandato, & suasione *Titij*; attamen physicè occidit; ita à pari. *Vid. to. 5. vbi s. alias obiectiones* solutas circa hoc.

25 Obijc. 4. Non sunt multiplicanda entia sine necessitate; ergo non est admittenda causalitas physica in sacramentis; nam sacramenta sunt causæ morales gratiæ; & causalitas moralis sufficit ad hoc, vt gratia ponatur; quanuis non ponatur causalitas physica; causalitas enim moralis continet Christi merita, & est ex institutione Diuina efficaci, quæ sufficiunt ad productionem gratiæ. 2. Sola causalitas moralis sufficit ad saluandam doctrinam *SS. PP. & Conciliorum*, nihil enim aliud dicunt, quàm sacramenta causare gratiam, absque vlla prorsus mentione de modo, quo illam causant; ergo frustranea est causalitas physica. 3. Sacramenta eo modo sunt causæ, quo sunt sacramenta; atqui non sunt sacramenta, prout sunt entia physica, & ex natura rei, sed tantùm, prout sunt entia moralia ex institutione Diuina; ergo sunt causæ tantùm morales.

Resp. ad 1. neg. cons, quæ non tenet, sicut non teneret, si diceretur: *Sola causalitas Dei sufficit ad causandas creaturas; quia adhuc nihil agentibus causis creatis creaturæ à solo Deo producerentur; ergo causalitas creaturæ, seu causa creata non est admittenda*. Ita non valet in casu; eadem enim omnino ratio est. Sicuti ergo Deus nedum est causa physica gratiæ, quia illam causat per actionem externam; sed etiam est simul causa moralis, quia agit, vt motus à Christi meritis; ita sacramenta, quæ sunt Dei instrumenta, & sunt causæ physicæ, quia causant actionem physicam, ad quam sequitur productio gratię, & qua non posita non poneretur gratia, quæ per sacramenta confertur; & sunt simul causæ instrumentales morales, quia mouent Deum ad producendam gratiam iuxta suæ institutionis, & ordinationis præscriptum; & sunt instituta à Christo, qui fuit causa meritoria gratiæ, quæ per ipsa confertur. Dist. igitur: Causalitas moralis sufficit ad hoc, vt ponatur gratia secundùm omnem modum correspondentem causalitati Diuinæ, neg; secundùm aliquem modum tantùm, conc; quanuis enim Deus potuisset instituere, vt om-

omnis vir orãdo impetraret à Deo, vt eius vxor conciperet filium absque concubitu physico, & ideo vir solùm moraliter concurreret ad generandam prolem; attamen non sequitur, quòd ita sit;& si ita factum fuisset, non ita explicaret generationem hominis, sicut modò; quia tunc nesciretur, an ad generationem physicam esset necessaria coniunctio masculi cum fœmina; ita si sacramenta solùm moraliter concurrerent, non explicarent æquè bene concursum physicum Dei, & modum, quo produceitur gratia; ideo illud axioma non esse multiplicanda entia intelligitur, dummodò fiat æquè bene per entia pauciora; secus autem, si æquè bene non fiat. Ad 2. neg.ant; vt *sup.* diximus *de S. P. Aug; & de Conc. Flor*; nam *SS. PP. & Concilia* expressè docent sacramenta per actionem physicam causare gratiam; ideo asserere, quòd illam causent tantùm moraliter, est contra eorum doctrinam. Præterea falsum est, quòd nullam mentionem agant de modo, quo causant; asserunt enim apertè, quòd causant mediante actione physica, & realiter, quod est physicè illam causare. Ad 3.dist.mi. Non sunt sacramenta, prout sunt entia physica ex natura sua causantia gratiam, conc; ex institutione Diuina causantia gratiam, neg. Non est autem idem esse physicè tale, & esse ex natura rei tale, nam lignum aridum, vt virga *Aaron*, physicè produxit flores, non tamen ex natura sua. Sacramenta ergo sunt quid physicum, & morale; quia componuntur ex partibus physicis, & habent actionem physicam; & ex institutione Diuina significant gratiam. *Vid. in sup. q. art.1.S.2.n.24.*

26 Obijc.5. Nulla res creata potest physicè agere in distans; sed sacramenta agunt in distãs, vt patet præcipuè de matrimonio, quod celebratur inter absentes; ergo non agunt physicè. 2. Verba consecrationis non causant corpus Christi sub speciebus panis, & vini; illud enim facit corpus Christi sub speciebus panis, & vini, quod transubstantiat panem, & vinum in corpus, & sanguinem Christi; hoc autem facit, quod anihilat substantiam panis, & vini, quod est proprium virtutis creatiuæ, cuius nedum est creare, sed etiam anihilare; ergo nec aliud sacramentum causat physicè gratiam.

Resp. hæc procedere de instrumento directè, non autem de indirectè causante. Ad 1. igitur neg. mi; nam matrimonium celebratum inter absentes indirectè tantùm causat gratiam in illis, & directè celebratur à verbis, vel nutibus sensibilibus, quæ ab vnoquoque præsentialiter efformantur. Ad 2. dist. eodem modo ant. Non causant directè corpus Christi, conc; non causant aliquem sonum sensibilem, ad quem sequitur positio corporis Christi sub speciebus panis, neg. Hæc responsio adhiberi potest etiam pluribus obiectionibus *superius* allatis.

A R T. I I.

An omnia sacramenta causent primam gratiam?

1 Nomine *prima gratia* non intelligitur *hic* illa gratia, quæ primò confertur homini ita, vt ante infusionem illius ille homo gratiã non habuerit; nam in hoc sensu notum est solum baptismum primam gratiam causare; quia per ipsum infunditur gratia tollens peccatum originale, cum quo natus est; ante quam nulla fuit gratia iustificans in homine, quia incompossibilis est cum peccato originali; cetera verò sacramenta semper supponunt gratiam per quã ablatum est peccatum originale, propter quod baptismus dicitur *à SS. PP; & DD. ianua sacramentorum*. Intelligitur ergo illa gratia, quæ cõfertur homini non habenti gratiam iustificantẽ actualiter, siue illam nunquam habuerit, vt in baptismo; siue illam aliquando habuerit, & postea per peccatum amiserit. Vnde sensus tituli est; an omnia sacramenta causent gratiam habitualem, quæ in actuali illorum susceptione homini confertur; vel aliqua causent solùm augmentum gratiæ, quod appellatur secunda gratia eo, quòd inuenit in homine gratiam habitualem, quam auget.

2 Ratio autem dubitandi est; quia sacramentum communiter sumptum definitur signũ causans gratiam sanctificantem nos; vt diximus in explicatione definitionis sacramentorum; gratia autem sanctificans est illa, quæ transfert hominem de statu peccati ad statum gratiæ; nõ potest autem transferre de statu peccati ad statum gratiæ, nisi illum inueniat in statu peccati; & gratia, quæ inuenit hominem in statu peccati, est prima gratia eo modo, quo dictum est, ergo videtur omnia sacramenta secundùm suam essentiam primam gratiam conferre. Ex opposito certum est sacramenta nouæ legis, de quibus tantùm *hic* loquimur, diuidi in sacramenta mortuorum, & viuorum; & illa instituta fuisse ad tollenda peccata mortalia, quibus anima est mortua vitæ æternæ, & esse tantùm duo, nempe baptismum, & pœnitentiam, quæ applicantur peccatoribus existentibus in peccatis mortalibus; hæc verò instituta fuisse ad confortandam, nutriendam, augendam, roborandam, & conseruandam animæ vitam; adeoq; non applicari, nisi existentibus in gratia; ex quo sequitur aliqua sacramenta gratiam supponere in suscipientibus, adeoq; primam gratiam non conferre. Ob hoc diuisi sunt DD.

3 *Aliqui* putant sacramenta omnia ex sua ratione generica conferre primam gratiam; sed ex ratione differentiali sola sacramẽta mortuorum conferre primam gratiam, sacramenta verò viuorum conferre tantùm secundam. *Ita Nagn. hic art. 1. diffic. 2; Io. à S. Tho. & aly.*

Sed hic modus explicãdi ineptus est; nã quod essentialiter conuenit generi, conuenit etiam dif-

differentijs sub illo genere contentis, vt notum est; sed causare primam gratiam non conuenit omnibus speciebus sacramenti; implicat enim, quòd ratio generica conueniat speciei habenti rationem oppositam illi rationi genericæ; v. g. quòd esse principium sentiendi conueniat plantæ, cui conuenit non esse principium sentiendi; & ideo implicat, quòd causare primam gratiam conueniat sacramentis viuorum, quibus competit non causare primam gratiam; ergo causare primam gratiam non conuenit omnibus sacramentis. 2. Differentia diuidens genus nequit generi conuenire; vt rationalitas nequit conuenire animali, *vt sic*; sed causare primam gratiã est differentia diuidens genus sacramenti; quia competit solùm aliquibus speciebus, non omnibus; ergo causare primam gratiam non conuenit sacramento, *vt sic*. 3. Si sacramento, *vt sic*, competeret causare primam gratiam, omnia sacramenta cum sola attritione suscepta à peccato mundarent; quia gratiam à peccato mundantem conferrent; quod est contra *Trid. sess. 13. can. 1. & c. 13. & cont. SS. PP;* præcipuè *Aug. ep. 118. & sæpissimè alibi;* ergo idem.

4 Dices: 1. *Concilia, & SS. PP.* docent omnia sacramenta absolutè gratiam conferre; sed secunda gratia non est absolutè gratia, sed modus gratiæ, quia est augmentum gratiæ; ergo docent conferre primam gratiam. 2. Omnia sacramenta habent suam efficaciam à passione Christi; sed passio Christi habet virtutem conferendi primam gratiam; ergo idem. 3. Quod potest aliquem effectum intendere, & augere, potest illum producere; sed omnia sacramenta nouæ legis possunt primam gratiam augere, & intendere; ergo possunt & illam producere.

Resp. ad 1. *Concilia, & SS. PP.* explicare, quomodò gratiam conferant, vt statim dicemus ex *Flor. &c;* ideo falsum est eos tantùm loqui absolutè; & in genere. Ad 2. dist. ma. A passione Christi diuersimodè, conc; vniformiter, neg. Ad 3. dist. ma. Quod potest ex sua natura, & virtute, transeat; nam aqua potest ignem augere; nõ tamen potest illum producere; sic ligna &c. Quod potest ex libera Dei institutione, neg.

5 *Alij* dixerunt nullum sacramentum causare primam gratiam in adultis; sed tantùm in paruulis; putarũt enim adultos nõ esse sufficienter dispositos per attritionem, adeoque requiri contritionem; quæ confert gratiam ante actualem susceptionem sacramenti. Tribuitur *Gabr. Okam; Maior; & alijs Nominalibus;* imò etiam *DD. Louaniensibus* impingitur à *Genet;* sed falsò; nam illi *DD.* tantùm volunt requiri amorem imperfectum beneuolum Dei; & contritionem imperfectam, quæ contritio, & amor stant simul cum peccato mortali; *vt videb. in tract. de pænit.*

Sed etiam hic modus dicendi est falsus; nã *Trid. sess. 14. c. 4.* declarat, quòd attritio, *quanuis sine sacramento pænitentiæ per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in sacramento pænitentiæ impetrandum disponit.* 2. *Concilia, & SS. PP;* imò *& scripturæ* allatæ *in sup. art. & q. 1. art. 2. n. 4; & art. 5.* docent sacramenta nouæ legis gratiam causare; sed si supponerent gratiam iam causatam per actum contritionis perfectæ, nunquam illam causarent; quia quod supponit aliud iam causatum, illud non causat; vt notum est; ergo hæc sententia est *contra Scripturas, Concilia, & SS. PP.*

6 *Alij* dicunt sacramenta viuorum nullo modo primam gratiam causare; præcipuè tamẽ id docent de eucharistia. *Ita Vasq; Lug; Merat; & alij apud Mastr. hic disp. 1. q. 10. art. 2. n. 349.*

7 Communior tamen sententia docet omnia sacramenta nouæ legis gratiam sanctificantem causare, vel quia illam primariò producũt, vel quia illam conseruant, roborant, confirmãt, ac fortificant; conseruare enim, roborare, augere &c. est quoddam continuatum producere; & in hoc sensu intelligenda est definitio sacramenti, *vt sic;* sacramenta tamen mortuorum esse formaliter per se instituta ad causandam primam gratiam, quanuis materialiter ratione subiecti possint causare solùm secundam gratiam; è contra autem sacramenta viuorum esse formaliter per se instituta ad causandam secundam gratiam; licèt materialiter ratione subiecti, & ratione alicuius defectus supplendi possint etiã primam causare; & hoc causare vocatur à *Theologis* per accidens, & indirectè; & tantùm in aliquo casu; non per se, directè; & regulariter loquendo. *Ita Fund. Doct. Æg. tract. de corp. Christi;* vbi ait; quòd *per sacramentum Eucharistiæ dimittuntur peccata venialia, & quorum non recordamur; & in 3. sent. dist. 4. p. 1. q. 1. art. 3. §. Respondeo* ait, quòd *aqua baptismi causat, & auget in nobis gratiam; & Argent. hic dist. 12. q. 3. art. 1. ad 1. Ita communiter alij DD. Capr; Caiet; Sot; Sua; Vas; Conineb; Pesant; Silu; Nugn; Caspen; Amic; Pasqualig; Auers. Diana; Palao, Bonac; & communiter omnes Thomistæ & Scotistæ Rud: Aretins Laur; apud Mastr. vbi s;* qui illos sequitur; *& omnes Summistæ.*

8 Vnica concl. Sacramenta mortuorum ex vi suæ institutionis formaliter primò conferunt primam gratiam; quanuis materialiter secundariò ratione subiecti existentis in gratia conferant secundam gratiam; sacramenta verò viuorum ex vi suæ institutionis formaliter primò conferunt secundam gratiam; licèt materialiter ratione subiecti, & ratione alicuius defectus inuincibiliter insuperabilis conferant primam gratiam.

Prob. 1. pars concl. ex illo *Act. 2. Baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum;* quibus verbis declaratur apertè baptismum institutum fuisse in remissionem peccatorum; & 10. *Adhuc loquẽte Petro verba hæc cecidit Spiritus Sanctus super omnes, qui audiebant verbum, & obstupuerunt*

ex circumcisione fideles, qui venerant cum Petro, quia & in nationes gratia Spiritus Sancti effusa est &c. Tunc respondit Petrus: Nunquid aquam quis prohibere potest, vt non baptizentur, qui Spiritum Sanctum acceperunt, sicut & nos; & iussit baptizari. Super quod *vid. S.P. Aug. hom. 23; & lib. 1. ad Simplic. q. 2.* rationem reddit: *In quibusdam verò fides tanta est, vt iam corpori Christi, & Sancto Dei templo deputentur. & lib. 4. de bapt. cont. Donat. st. 24.* ait, quòd *in Cornelio præcessit sanctificatio spiritualis in dono Spiritus Sancti, & accessit sacramentum regenerationis in lauacro baptismi; & lib. 83. qq. q. 62; & Conc. Trid. sess. 13. c. 4.* Idem dicitur de pœnitentia; quæ *Io. 20.* instituta est illis verbis: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & Luc. 7. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Quibus ostenditur, quòd remissio peccatorum mortalium nedum conuenit sacramento pœnitentiæ ex vi suæ institutionis formaliter, sed etiam actui contritionis perfectæ perfecta charitate formato ante actualem susceptionem sacramenti; de quo *vid. lib. 1. ad Simpl. 2. bis.* Arguitur autem sic. Illud confert primam gratiam per se, & formaliter ex vi suæ institutionis, quod ex sua institutione habet, vt applicetur homini existenti in peccato mortali ad illud delendum; & illud solùm materialiter, ratione subiecti, & ideo veluti per accidens, ac indirectè causat secūdā gratiā, quod licèt fuerit per se primò, & formaliter institutū ad causandā primam gratiam; attamen quia applicatur homini iam illam habenti, illam tantummodò auget; hoc enim intelligimus, cùm dicimus sacramenta viuorum formaliter per se causare primā gratiam, & materialiter, seu quasi per accidens causare secundam gratiam; sed baptismus, & pœnitentia sunt huiusmodi; fuerunt enim instituta formaliter ad delenda peccata; ille quidem ad delendum peccatum originale, & personalia cum originali coniuncta; hæc verò ad delenda peccata personalia post baptismum commissa; & tamen aliquando applicantur hominibus iam habentibus gratiam habitualem, vt constat ex allatis *textibus*; ergo formaliter ex vi suæ institutionis conferunt primam gratiam; & materialiter, ac quasi per accidens conferunt secundā gratiam. Dicitur autem *quasi per accidens*; non quia conferant secundam gratiam præter Dei intentionem; nihil enim præter Dei intentionem, & ordinationem potest contingere, quia Deus est vniuersalissimus omnium prouisor; sed quia accidit baptismo, & pęnitentiæ, quòd supponant primam gratiam iam existentem in illis, quibus applicantur; cùm per se instituta sint ad illam causandam; quamuis hoc non accidat Deo, qui voluit, vt conferrent primam gratiam habentibus peccata; & secundam gratiam peccata non habentibus.

9 Prob. 2. pars concl. *ex Io. 13. Si non lauero te, non habebis partem mecum*; & rursus: *Qui lotus est, non indiget, nisi, vt pedes lauet.* Super quod *S.P. Aug. tract. 56. in Io.* inquit: *Homo in sancto quidem baptismo totus abluitur &c. Veruntamen cùm in rebus humanis postea viuitur, vtiq; terra calcatur; ipsi igitur humani affectus, sine quibus in hac mortalitate non viuitur, quasi pedes sunt &c;* qui sunt lauandi, antequam ad sacramenta Eucharistiæ, ordinis &c; quæ in cęna sunt instituta, accedamus; & *1. Cor. 11. Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, ac de calice bibat*; quibus verbis præcipitur, vt, antequam accedamus ad eucharistiæ sacramentum, expurgemus conscientiam, & probam illam ex improba reddamus. Deinde *Matth. 26. Hic est enim sanguis meus, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum; & Hebr. 9. Sanguis Christi, qui per Spiritum Sāctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis;* opera autem mortua sunt peccata mortalia, quæ solùm inferunt animæ mortem; *& Trid. sess. 13. can. 5. Si quis dixerit vel præcipuum Eucharistiæ effectum esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus prouenire, anathema sit*; quibus verbis tantùm docet remissionem peccatorum non esse præcipuum effectum eucharistiæ contra hæreticos, qui negabant realem præsentiam corporis, & sanguinis Christi, quæ est effectus præcipuus illius; non tamen negat esse effectum illius; *& S. P. Aug. serm. 88. de verbis Domini: Qui vulnus habet, medicinam requirit; vulnus est, quia sub peccato sumus, medicina est cœleste, & venerabile sacramentum*; & *Iac. 5.* de extrema vnctione dicitur: *Et si in peccatis fuerit, remittentur ei;* quod non est intelligendum de solis peccatis venialibus; nam *Trid.* intelligit *de reliquys peccatorum*, idèst de peccatis relictis per ignorantiam inuincibilem. Ex quibus arguitur. Illa sacramenta, quæ instituta sunt, vt conferātur iam mundis per gratiam, per se formaliter conferunt secundam gratiam, quia primam gratiam iam collatam supponunt; & quæ purgant etiam à peccatis actu existentibus ob aliquam inuincibilem causam subiecti suscipientis, causant primam gratiam materialiter, & quasi per accidens; vt dictum est; sed sacramenta viuorum sunt huiusmodi; sunt enim instituta, vt conferantur solis mundis, vt constat ex allatis *scripturis, & ex Trid. sess. 13. c. 7;* vbi postquam retulit testimonium Apostoli *superiùs* allatum, inquit: *Ecclesiastica consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, vt nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumuis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram eucharistiam accedere debeat*; item si sibi non sit conscius peccati mortalis, illud tamen inuincibiliter ignorat; vel quia non recordatur, vel quia ex malitia sacerdotis non fuit absolutus, vel quia *desit illis copia confessoris*; vt subdit *ibid. Trid.* tanquam probatus potest accedere, & illud suscipere dignè, etiamsi habeat solam attritio-

tionem; ergo sacramenta viuorum per se formaliter causant secundam gratiam; materialiter autem, & quasi per accidens secundam.

10. Conf. *Ex scripturis* allatis habetur, quòd sacramenta viuorum non nisi existentibus in gratia debent conferri; & quòd remittant peccata mortalia; sed ex eo, quòd mundis conferantur, sequitur, quòd causent secundam gratiam, aliter nullam gratiam conferrent, quod est contra rationem sacramenti; & ex eo, quòd remittant peccata, sequitur, quòd conferant primam gratiam; ergo idem. Tum quia sententia concordans *textus scripturæ*, qui videntur contrarij, est præferenda sententiæ, quæ vnum concedit, & aliud negat, vt docet *S. P. Aug*; sed nostra sententia est huiusmodi; concedit enim sacramenta viuorum esse ministranda solis existentibus in gratia; & remittere peccata; vt docent allatæ *scripturæ*; *& Io. 6.* expressè habetur eucharistiam vitam conferre: *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum; & panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*; vita autem, quæ confertur, est gratia primò collata remittens peccata; quia vita propriè dicitur conferri illam non habenti; & ideo *ex scripturis* clarè colligitur eucharistiam remittere peccata, non quidem ea, quorum suscipiens est conscius; sic enim non accederet dignè, & probatus ad illam recipiendam, sed illa, quæ ignorat inuincibiliter, aut quæ inter ignorata numerantur; ergo nostra sententia est præferenda. Tum quia extrema vnctio, quę est sacramentum viuorum, remittit peccata mortalia relicta ob obliuionem; ergo & alia sacramenta, & multò magis eucharistia, quæ continet ipsum Christum, qui est fons omnis gratiæ. Tum quia phase in lege veteri remittebat peccata, vt diximus *q. 1. art. 2. n. 4*; & erat figura eucharistiæ; ergo multò magis eucharistia, quæ est figuratum; maiorem enim virtutem viuificandi animam mortuam peccatis habent sacramenta à Christo instituta, quàm sacramenta vetera; ait enim ipsemet *Io. 10. Ego veni, vt vitam habeant, & abundantiùs habeant*. Tū quia nõ habet maiorem virtutē remittēdi peccata oblita sacramentum pęnitentiæ, quàm eucharistia, & alia sacramenta; nam pęnitentia ex vi suæ institutionis habet vim remittendi sola peccata confessa, non autem non confessa; dicitur enim *Rom. 10. Ore autē cõfessio fit ad salutē*; ideo pęnitētia remittit peccata oblita, quatenus sacramentum; ergo etiam sacramenta viuorum habent hoc idem efficere; sunt enim vera sacramenta, & veræ causæ gratię; præsupposita sola attritione, quæ secundùm se extra sacramentum non habet vim remittendi peccata. Tandem ex opposita sententia sequeretur, quòd accedens ad extremam vnctionem, quæ est sacramentum viuorum cum aliquo peccato inuincibiliter ignorato non absolueretur per illam à peccatis in sacramento pęnitentiæ relictis; quod est *contra scripturam, & Trid. sess. 14. c. 2.*

11 Ad rationem dubitandi constat ex dictis omnia sacramenta nouæ legis gratiam causare, vt dicitur in eorum definitione, sed vel primam, vel secundam; & illam roborare, & conseruare, quod est continuatè causare, vt diximus.

12 Obijc. 1. *Luth.* Sacramenta sunt eiusdem rationis; omnia enim ordinantur ad tollenda peccata; & omnia eodem modo conferunt gratiam; ergo falsum est, quòd aliqua sint instituta ad conferendam primam gratiam, & alia ad cõferendam secundam.

Resp. dist. ant. Sunt eiusdem rationis genericæ, & generaliter ordinantur ad tollenda peccata, & ad causandam gratiam, conc; sunt eiusdem rationis specificæ, & eodem modo ordinãtur ad tollenda peccata, & ad causandam gratiam eodem modo, neg; nam vt diximus, Christus *venit, vt vitam habeant*; per quod designatur gratia remittens peccata; *& abundantiùs habeant*; quo designantur sacramenta gratiam augentia; & colligitur expressè *ex Conc. Flor; vt in seq. art.*

13 Obijc. 2. cont. 2. part. concl. *Apost. 1. Cor. 11.* ait: *Quicunque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, iudicium sibi manducat, & bibit; & omnes SS. PP. communiter* docẽtes accedentes in peccato mortali ad eucharistiam sacrilegè peccare; ergo eucharistia non remittit peccata; aliter etiam cum peccato accedentes mundaret. 2. Nihil tribuere debemus sacramentis, quod non constat *ex sacra scriptura*, traditione, vel Ecclesiæ definitione, aut *SS. PP*; sed sacramenta viuorum conferre primam gratiam non constat *ex scriptura*, traditione, vel definitione, aut *SS. PP*; ergo idem. 3. *Ex scriptura, & PP.* cõstat eucharistiã institutam fuisse ad augendam gratiam; ergo neque per accidens potest primam gratiam conferre; aliter illam conferret præter intentionem Christi institutoris.

Resp. ad 1. *Apostolum, & SS. PP.* loqui de accedentibus ad Eucharistiam conscijs peccati mortalis; aut non retractantibus, & detestantibus, & non præmittentibus debitum examen; quando non adest copia confessoris, vt explicat *Trid. vbi s.* Ad 2. neg. mi; satis enim deducitur *ex scripturis* allatis, *ex Trid; & S. P. Aug.* Ad 3. dist. ma. Constat eucharistiam primò, & per se formaliter institutam fuisse ad augendam gratiam, & materialiter ad causandam primam gratiam, conc; aliter, neg. Ad prob. infert. neg; quòd illud, quòd sacramenta causant per accidens eo modo, quo explicatum est, eueniat pręter intentionem Christi. Igitur euenire per accidens stat dupliciter; primò respectu institutoris, & in hoc sensu non accipitur per accidens in præsenti; secundò respectu ipsius institutionis primariæ; & sic non euenit per accidens respectu Christi. Sicut quia Deus decreuit, vt *Petrus* fodiens terram inueniat thesaurum; ideo inuentio

tio thesauri per accidēs se habet respectu *Petri*, non respectu Dei; ita quia Deus voluit, vt sacramenta viuorum primariò augerent gratiam, & si illam non inuenirent in subiecto disposito, causarent; ideo per accidens euenit respectu primariæ institutionis, non respectu Dei.

14 Obijc. 3. Confirmatio est in vita spirituali, sicut virtus augmentatiua in naturalibus; & eucharistia, sicut virtus nutritiua; sed istæ virtutes nequeunt dare vitam mortuo nec etiam per accidens, ergo nec ista sacramenta. 2. Cibus, & potus applicatus mortuo non efficit, quòd reuiuiscat; sed eucharistia est cibus, & potus spiritualis; ergo idem. 3. Si eucharistia causaret primam gratiam in accedente cum attritione, quæ putatur contritio; causaret etiam in accedente cum attritione, quæ putatur attritio; nam in tantùm causat primo modo, in quantùm accedens censetur dispositus; sed etiam cognoscēs se habere tantùm attritionem esset dispositus; vt patet in accedente ad baptismum, & pęnitentiā; ideo etiam in hoc casu causaret; sed conf. est falsum; ergo & ant.

Resp. ad 1; quòd confirmatio secundùm primariam rationem formalem suæ institutionis se habet, vt augmentatiua; & eucharistia, sicut nutritiua; secundariò verò, & materialiter quasi per accidens se habet, vt generatiua. Dist. igitur ma. Tantùm, neg; etiam, conc. Ad 2. dist ma. Cibus, & potus, qui non est formaliter ipsa vita, vt naturalis, conc; & neg. mi; qui est formaliter ipsa vita, vt eucharistia, neg. Ad 3. dist. ma. Si adsit copia confessoris, neg; voluit enim Deus, quòd ista sacramenta non conferantur, nisi mūdis, cùm mundatio fieri potest; cùm autem mūdatio præmitti non potest, ne moriatur homo sine his sacramentis, voluit, vt ipsa mundarent; aut ne magis macularetur homo non sumendo hæc sacramenta; vt patet de sacerdote non habente copiam confessoris in die festo; tunc enim omittens celebrare peccaret. Quando igitur cognoscit se attritum solummodò, & non tenetur eucharistiam sumere, tunc debet abstinere; quando autem tenetur, ne magis maculetur nouo peccato, debet illam sumere. Non est autē paritas de baptismo, & pęnitētia, hæc enim instituta sunt primariò ad conferendam primam gratiam, ideo cognoscens se habere attritionem est sufficienter dispositus, & semper potest accedere; at ad eucharistiam extra necessitatem non potest accedere; quia ex sua primaria institutione habet solùm augere; & solùm in aliquo defectu primam gratiam causare, qui defectus tunc non esset.

ART. III.

An quodlibet sacramentum importet gratiam sibi peculiariter propriam?

1 VNumquodque sacramentum gratiæ sanctificanti, quam omnia sacramenta significant, superaddere gratiam propriam illi soli sacramento diuersam à gratia cuiusuis alterius sacramenti, quæ gratia sacramentalis vocatur, statuit *Conc. Flor. inf.* afferendum. Quæstio est *inter Theologos*, quid sit, & in quo consistat hæc gratia sacramentalis?

2 *Aliqui* dixerunt gratiam sacramentalem non superaddere gratiæ habituali, nisi respectū ad sacramentum, tanquam ad causam ita, vt gratia habitualis dicat respectum ad solum Deum, à quo solùm producitur, gratia verò sacramentalis dicat respectum ad Deum, & ad sacramentum, à quibus simul producitur. Referuntur *D. Bon; Ric; & Gabr;* qui volunt gratiam sacramentalem non differre à gratia habituali, nisi sicut sanitas acquisita mediante medicina à sanitate naturaliter habita siue medicina.

Sed hic modus dicendi communiter reijcitur. 1. Quia gratia habitualis secundùm se accepta est vna, & eadem specie, siue producatur extra sacramentum, siue in sacramento; & eosdem omnino producit effectus; sicut sanitas restituta à Deo sine medicina est eadem, & eosdem producit effectus, ac si producatur mediante medicina; gratia autem sacramentalis producta ab vno sacramento est specie diuersa ab alia gratia producta ab alio sacramento; sicut sacramentum, à quo producitur, est specie diuersum à quolibet alio sacramento, & diuersos producit effectus, vt *inf.* dicemus *ex Flor. 2.* Si eucharistia v.g. nihil superadderet gratiæ habituali iam habitæ per sacramentum pęnitentiæ, esset frustranea; quia nullum prorsus effectum produceret; sed hoc est falsum; ergo & illud, & sic de alijs sacramentis viuorum, quæ, quando inueniunt gratiam habitualem in subiecto, nihil omnino causarent, non enim causarent gratiam, quam inuenirent; quia quod factum est, non fit; sed fit solùm, quod factū non est; cùm factio rei sit productio ex non esse ad esse; ideo supponit rem non esse; cùm igitur sacramenta viuorum inuenirent gratiam iam in subiecto existentem, & nihil aliud omnino producerent, quod gratię quomodocunq; adderetur, nihil omnino efficerent; quod est contra *Concilia Flor. et Trid.* statuentia sacramenta nouæ legis efficere gratiam, quam significant.

3 *Alij* dixerunt gratiam sacramentalem importare habitum realiter distinctum à gratia habituali; v. g. habitum regeneratiuum in baptismo, roboratiuum in confirmatione, nutritiuum in eucharistia &c. Tribuitur *Capr; et Palud. in 4. dist. 2. q. 3.*

Sed etiam hic modus dicendi reijcitur. 1. Gratia sacramentalis est gratia sanctificans animam; dicitur enim sacramentum, quia consecrat, & sanctificat hominem; vt diximus q. 1; sed gratia sanctificans non distinguitur à gratia habituali, cuius effectus formalis est sanctificare; ergo gratia sacramentalis non est habitus di-

distinctus realiter à gratia habituali. 2. Habitus est id, quo potentia formaliter operatur, vt cõstat; recipitur enim in potentia, & est virtus proxima ipsius ad operandum; sed gratia sacramentalis non est id, quo potentia proximè operatur; nam id, quo potentia proximè operatur effectum confirmationis, qui est fidem fortiter profiteri, est habitus fidei;& sic de alijs; ergo gratia sacramentalis non est habitus distinctus à gratia habituali. 3. Id, quod formaliter remittit peccata, non est habitus; vt diximus *to. 4. de grat. q. 4. art. 2*; vbi ostendimus, quòd habitus charitatis, qui est perfectissimus inter omnes habitus, tantùm disponit, non autem remittit peccata neque de facto, neq; de possibili; sed gratia sacramentalis remittit peccata, vt apertissimè docent *scripturæ*,& vt ostendimus *in sup. art*; ergo gratia sacramentalis non est habitus.

4 *Alij* putarunt gratiam sacramentalem in tribus sacramentis importare caracterem; in alijs verò quendam ornatum. Tribuitur *Capr. in 4. dist. 2. q. 3. concl. 4*; *et alijs antiquis*; sed *aliquibus* tribuitur falsò; nam etiam *D. Tho*; vt notat *noster Argent. hic dist. 2. q. 1. art. 1. concl. 4*; *et Fund. Doct. Æg.* docent sacramenta, quæ non imprimunt caracterem causare quendam ornatum spiritualem in anima; non tamen asserunt in hoc ornatu consistere, sed potiùs oppositum asserunt; dicunt enim hunc ornatum disponere ad gratiam; clarum autem est dispositionem non esse formam, ad quam disponit.

Sed contra hunc modũ dicendi, cuiuscunq; ille sit, arguitur. 1. Illud, quod per peccatum deperditur, non est caracter; quia hic est simpliciter indelebilis etiam per quodcunque peccatum; sed gratia sacramentalis per peccatum mortale deperditur; ergo gratia sacramentalis non est caracter. *Ma. n. f.* ostendetur; mi. constat ex dictis; nam gratia sacramentalis est sanctitas animæ, & remissio, seu deletio peccati, quæ tollitur per positionem peccati. 2. Fictè accedens, seu cum affectu ad peccatũ mortale cũ intentione tamen recipiendi sacramentum recipit caracterem; sed non recipit gratiam sacramenti; ergo gratia sacramentalis non est caracter. 3. Idem dicitur de ornatu; nam ornatus eodem modo se habet in sacramentis, quæ non imprimunt caracterem; sicut caracter in sacramentis illum imprimentibus; sed caracter non est gratia sacramentalis; ergo neque ornatus. 4. Ornatus, vt positus fuit *ab antiquis DD*; est dispositio ad gratiam sacramentalem; ergo ab illa distinguitur; nihil enim potest esse dispositio ad se ipsum. Item gratia sacramentalis est per ordinem ad producendos effectus peculiares sacramentorum; ornatus autem est tantùm per ordinem ad pulcrificiendam animam, vt patet de ornatu corporis; ergo idem.

5 *Alij* dixerunt gratiam sacramentalem superaddere gratiæ habituali auxilia specialia à Deo collata, quæ sunt virtutes, & dona; seu ius quoddam morale, aut titulum ex Diuina institutione ad obtinenda auxilia specialia, & abundantiora necessaria ad actus, & effectus sacramentorum opportuno tempore conferenda, scilicèt toties, quoties fuerit occasio; non verò collata in actuali susceptione sacramenti. *Ita ex nostris Gibb. hic disp. 4. dub. 2*; apud quem *Bernardin; et ex alijs Sua; Vasq; Lug. disp. 3. sect. 3; Gonet; et alij; ex Scotistis verò Card. Laur; Mastr. hic disp. 1. q. 10. art. 1; et alij.*

Sed etiam hæc sententia, quæ communior est, reijcitur. 1. Gratia sacramentalis est illa, quæ ita est propria sacramentis, vt non habeatur extra sacramenta; hoc enim significatur nomine gratiæ sacramentalis; sed virtutes, & dona spiritus Sancti; nec non ius morale ad illa obtinenda habentur etiam extra sacramenta; sunt enim proprietates gratiæ habitualis, & ad illam sequuntur; & gratia habitualis dat ius ad illa obtinenda; ergo virtutes, & dona, nec non ius morale ad illa obtinenda non sunt gratiæ sacramẽtales. 2. Virtutes, & dona nõ sãctificãt formaliter, vt diximus; sanctificatio enim est effectus formalis solius gratiæ habitualis; & multò minùs ius ad virtutes, & dona, aut ad auxilia specialia; nihil enim aliud dicit, nisi quandam exigentiam donorum, virtutum, & auxiliorum specialium actualium, à quibus specificatur; vnde si ista non sanctificant, neque illud; à specificatiuo enim ad specificatum rectè arguitur; sed gratia sacramentalis formaliter sanctificat; vt concedunt *Auctores oppositi* in explicatione definitionis sacramenti, *vt sic*; & inter alios *noster Gibb. hic disp. 1. dub. 7. n. 10*; *et dub. 3. n. 8*; ergo gratia sacramentalis non importat formaliter virtutes, dona, & auxilia specialia actualia, aut ius morale ad illa obtinenda; vt parum consequenter *Aduersarij* loquuntur. Præterea impugnatur ijsdem rationibus, quibus reiectus est secundus modus dicendi; & quibus vtuntur etiam *Aduersarij* ad illum nobiscum reijciendum; quo magis apparet eos non sibi constare.

6 Nostra tandem sententia docet gratiam sacramẽtalem superaddere gratiæ habituali augmentum ipsius formaliter, & ex consequenti augmentum virtutum, & donorum, quæ ordinantur ad producendos effectus proprios, & peculiares illius sacramenti, cuius est propria illa gratia sacramentalis ita, vt, si gratia sacramentalis inueniat in subiecto gratiam habitualem eo modo, quo diximus *in sup. art*; illi tantùm superaddat augmentum, seu maiorem intensionẽ, quæ fit per additionem gradus in esse, qui gradus non est, nisi modus essendi, vt dicitur de gradibus metaphysicis; & ex consequenti superaddat virtutibus, & donis, quæ inuenit simul cum gratia habituali, tanquam proprietates cũ illa essentialiter colligatas, augmentum, seu maiorem intensionem. Si verò gratiam habitualẽ

non

non inueniat, vt in sacramentis mortuorum regulariter contingit; illam sic auctam conferat, & virtutes, ac dona illius augmento corrispondẽtia consequenter inducat. *Ita Fund. Doct. Æg. tract. de corp. Christi col. 4*; vbi loquens de eucharistia inquit; quòd illius *effectus est, quòd per hoc sacramentum datur nobis gratia, & virtutum augmentum, & multiplicatio; vt de eo figuraliter legitur Isaia 10. Panis frugum terræ erit vberrimus, & pinguis*. Nomine autem multiplicationis significatur additio auxiliorum specialium distinctorum à donis, & virtutibus concurrentium ad effectus proprios illius sacramenti. Idem docet *Argent. hic dist. 12. q. 3. art. 2. Ita etiam Cabr; Io. à S. Tho; Nugn; Esparza, Prado; & aly*.

7 Vnica concl. Vnunquodque sacramentũ habet gratiam sacramentalem sibi peculiariter ptopriam; quæ formaliter importat augmentum gratiæ habitualis; & consequenter augmentum virtutum, & donorum, & multiplicationem auxiliorum, quibus eliciuntur actus proprij illius sacramenti.

Prima pars concl. est definita *in Conc. Flor. in decr. vnionis Armenor.* statuentis: *Prima quinque ad spiritualem vniuscuiusque hominis in se ipso perfectionem, duo vltima ad totius Ecclesiæ regimen, multiplicationemq; ordinata sunt. Per baptismum enim spiritualiter renascimur; per confirmationem augemur in gratia, & roboramur in fide; renati autem, et roborati nutrimur Diuina eucharistia alimonia. Quòd si per peccatum ægritudinem incurrimus animę; et per pænitentiam sanamur; spiritualiter etiam, et corporaliter (prout animæ expedit) per extremam vnctionem. Per ordinem verò Ecclesia gubernatur; per matrimonium corporaliter augetur.* Ratio est. Quęlibet causa specificè distincta ab alia causa producit effectum sibi peculiariter proprium distinctum ab effectu alterius causæ; causa enim specificatur, & distinguitur per ordinem ad suum effectum; sed vnunquodque sacramentum specificè distinguitur ab alio sacramento; celebratur enim distincta forma, & materia, & distinctis ritibus; ergo producit effectum sibi peculiariter proprium; atqui gratia sacramentalis est effectus sacramenti; ergo producit gratiam sacramentalem sibi peculiariter propriam.

8 Prob. 2. pars concl. Qualitas actiuior, quàm qualitas minùs actiua eiusdem speciei infimæ per ordinem ad producendos aliquos effectus importat solùm augmentum secundùm gradus in esse, & augmentum virtutum ipsius qualitatis; vt calor magis intensus, & extensus importat solùm augmentum, & intensionem ipsius caloris, & virtutis ipsius calefactiuæ, & desiccatiuæ, quod non dicit calor minùs intensus, & extensus; sic lux magis intensa, & extensa importat solùm augmentum ipsius lucis supra entitatem lucis, & producit effectus, quos non producit lux minùs intensa, adeoq; dicit augmentum virtutum ipsius lucis; lux enim Solis producit aurum, lux lunę argentum, & lux aliorum planetarum alia metalla, vt aiunt Philosophi; sed gratia sacramentalis est eiusdem speciei infimæ cum gratia habituali; quia remittit peccata, iustificat, & sanctificat; vt habetur expressè *ex scripturis* allatis *in sup. art; et locis ibid. citatis; et ex S. P. Aug. in ps. 73.* distinguente sacramenta vetera à sacramentis nouæ legis, *quòd illa promittebant Saluatorem, hæc dant salutem*; dare autẽ salutẽ idem est, ac remittere peccata, iustificare, & sanctificare; & remittere peccata, iustificare, & sanctificare est effectus formalis gratiæ habitualis, vt habetur *ex Trid. sess. 6. c. 7*; & effectus formalis est eiusdem speciei cum causa formali; item gratia sacramentalis est actiuior, quia producit aliquos effectus, quos non producit gratia habitualis, vt diximus *ex Conc. Flor*; ergo gratia sacramentalis importat formaliter augmentum gratiæ habitualis, & ex consequenti augmentum virtutum, & donorum, ac multiplicationem auxiliorum, quibus producuntur effectus proprij illius gratiæ sacramentalis; proprietates enim commensurantur cum essentia, cuius sunt proprietates, ideo ad augmentum gratiæ habitualis consequitur augmentum virtutum, & donorum, quæ sunt proprietates illius; cùmq; ad productionem plurium effectuum requirantur plura auxilia, quibus illi effectus producantur; ideo ad augmentum gratiæ habitualis, & virtutum, ac donorum consequitur multiplicatio auxiliorum, quibus illi effectus producuntur, & sine quibus non possent produci. 2. Sacramenta viuorum regulariter loquendo formaliter augent gratiam habitualem, quam inueniunt in subiecto, aliter nihil omnino causarent, quod suscipientes sanctificaret; quod est *contra Conc. Flor*; ergo & sacramenta mortuorum; nam in tantùm sacramenta viuorum non causant, sed augent gratiam habitualem, in quantùm illam inueniunt iam in subiecto, & ideo illam nequeunt causare; nam quod factum est, infectum fieri nequit; sed etiam sacramenta mortuorum aliquando illam inueniunt in subiecto; ergo tũc illam augent; sed non possent illam augere, nisi haberent virtutem illam augendi, aliter agerent supra suam virtutem, quod repugnat; ergo quando sacramenta producunt gratiam habitualem, illam cum augmento producunt; & ideo gratia sacramentalis formaliter importat augmentum superadditum gratiæ habituali. v. g. si calidum, vt quatuor, admoueatur calido, vt duo, habet virtutem introducendi in illud duos gradus caloris, adeoq; illud calefaciendi, vt quatuor; & si admoueatur alicui subiecto non habenti formã caloris introducit in illud calorem, vt quatuor; & ideo rectè dicitur, quòd actio propria calidi, vt quatuor, est superaddere essentiæ, seu quiditati caloris augmentum caloris vsque ad quatuor gradus; sed sacramenta habent virtutem

au-

augendi gratiam habitualem, vt diximus *in sup. art*; ergo propria eorum actio est superaddere gratiæ habituali augmentum; sed gratia sacramentalis est actio propria cuiuslibet sacramenti; ergo gratia sacramentalis superaddit gratiæ habituali augmentum ipsius. Atqui aucta essentia rei secundùm esse augentur eius virtutes, quę sunt proprietates ipsius, quæ debent cum essentia proportionari, & auctis virtutibus multiplicantur actiones, vt constat; nequeunt autem multiplicari actiones, nisi pariter multiplicentur principia proxima ipsarum; ergo gratia sacramentalis superaddit gratię habituali augmentũ ipsius, & ex consequenti virtutum, donorum, & auxiliorum actualium, quæ sunt principia formalia actionum, & ideo multiplicantur actiones. 3. Prob. alijs rationibus, quibus improbauimus modos dicendi aliorum; ijs enim rectè probatur nostra sententia. 4. Gratia sacramentalis comparari solet plenitudini; dicuntur enim sacramenta vasa plena gratiæ, idèst habentia plenitudinem gratiæ sanctificantis nos; pleniorem enim gratiam recipit quis, si cum actuali contritione inducente gratiam habitualem coniungat sacramentum, quàm si habeat tantùm illam gratiam per solam contritionem; sed plenitudo superaddit rei tantùm augmentum, vt patet; ergo gratia sacramentalis superaddit gratiæ tantùm augmentum, & per consequens virtutũ, donorum, & multiplicationem auxiliorum actualium per ordinem ad effectus proprios illius sacramenti. 5. Gratia sacramentalis tantùm auget virtutes, & dona ordinata ad effectus proprios illius sacramenti; v. g. gratia sacramentalis confirmationis dat robur ad fortiter confitendam fidem; dare autem robur ad fortiter cõfitendam fidem est augere principium elicitiuũ confessionis fidei; & principium elicitiuum cõfessionis fidei est habitus fidei; sicuti dare robur ad clariùs videndum est augere virtutem visiuã, quæ est elicitiua visionis; sicut enim dare vires maiores ad videndum non est superaddere virtutem distinctam à virtute visiua, sed illam tantùm augere secundùm gradus in esse, non in essentia, vt docet *Fund. Doct. Æg. in tract. de gen. & corrupt.* ita dare robur ad fortiter confitendam fidem non est superaddere nouam virtutem diuersam à fide, quæ est elicitiua actus confessionis fidei, sed illam tantùm augere; sed augens virtutes superadditas alicui qualitati auget etiã ipsam qualitatem, cui debent proportionari suæ proprietates; ergo gratia sacramentalis auget illam qualitatẽ, cuius proprietates sunt virtutes, & dona ordinata ad effectus proprios sacramentorum. Atqui qualitas, cuius sunt proprietates virtutes, & dona ordinata ad producendos huiusmodi effectus, est gratia habitualis, quæ essentialiter exigit fidem, charitatem &c; ergo gratia sacramentalis superaddit gratiæ habituali augmentum ipsius, virtutum, donorum, & auxiliorum actualium.

9 Obijc. 1. *Auctores* primi modi dicendi. Gratia sacramentalis habet eosdem effectus, quos habet gratia habitualis; ergo differt ab illa tantùm per diuersos respectus. Prob. ant. Gratia sacramentalis confirmationis habet reddere constantem in confitenda fide sine erubescentia; sed hoc facit etiam gratia habitualis habita extra sacramenta; quia *Machabæi*, & alij Martyres non confirmati constantes fuerunt in confitenda fide sine erubescentia; ergo gratia habitualis habet eosdem effectus, quos habet gratia sacramẽtalis. 2. Sanitas acquisita per medicinam non superaddit aliquid sanitati naturali; ergo à pari.

Resp. dist. ant. Gratia sacramentalis habet eosdem effectus, quos habet gratia habitualis producta à Deo, vt aucta æquiualenter, ac gratia sacramentalis; *non enim Deus* (inquit *Fund. Doct. de sacram. Altaris propos. 24.*) *ita alligauit virtutem, et gratiam suam sacramentis, vt non possit illam conferre etiam extra sacramenta*; sicut illam contulit *Machabæis*, & alijs martyribus non cõfirmatis, cõc; quos habet gratia habitualis nõ producta, vt aucta æquiualenter, ac gratia sacramentalis, neg; & sic ad prob. dist. mi. Ad 2. dist. ant. Non superaddit, si sit maior illa, neg; si non sit maior, conc; gratia autem sacramentalis est maior gratia, quæ habetur extra sacramenta, vt supponitur.

10 Obijc. 2. *Auctores* secundi modi dicendi. Gratia sacramentalis habet effectus specie diuersos ab effectibus gratiæ habitualis, vt sunt martyrium &c; ergo superaddit habitum specie distinctum; ex diuersitate namq; specifica effectuum rectè arguitur specifica diuersitas habituum. 2. Gratia sacramentalis baptismi differt specie à gratia sacramentali confirmationis, & aliorum sacramentorum; quia sacramenta à quibus istæ gratiæ producuntur, sunt specie diuersa; ergo gratia sacramentalis differt à gratia habituali; nã si gratia baptismi, confirmationis, & aliorũ sacramentorũ essent idem cũ gratia habituali, essent idẽ inter se; quia *quæ sunt eadem vni tertio, sunt idẽ inter se*. 3. Idẽ habitus nequit poni in pluribus speciebus, vt constat; ergo eadem gratia habitualis nequit esse effectus formalis plurium sacramentorũ, quę sunt specie diuersa.

Resp. ad 1. neg. cons; ad hoc enim, vt aliqua qualitas, quæ est principium radicale plurium effectuum specie diuersorum, producat effectus specie diuersos, sufficit, quòd recipiat augmentum in esse; vt diximus de luce, & de calore. Ad 2. dist. ant. Differt specie secundùm entitatem, neg; secundùm augmentum superadditum per ordinem ad producendos effectus specie diuersos, conc; gratiæ igitur sacramentales sunt idem specie inter se, & cum gratia habituali si considerentur secundùm entitatem, quam principaliter important; differunt autem si considerentur secundùm illud, quod illi entitati superaddunt. Ad 3. neg. ant; nam eadem enti-

13 Collig. 1. ex dictis idem augmentum gratiæ habitualis, quod habetur per gratiam sacramentalem, posse à Deo conferri extra sacramentum; quia Deus, vt diximus *ex B.Doct.Æg*; non ita alligauit virtutem suam sacramentis, vt extra illa non possit æqualem gratiam conferre; quod docet etiam *S. P. Aug.lib. 6. de Gen. ad lit. c.13*; vbi inquit; *quòd licèt Dei potentia numeros creaturæ dedit, non ipsam potentiam eisdem numeris alligauit*. Tum quia Deus potest se solo producere, quidquid producit cum causa secunda, creata; non enim indiget, vt in agendo à creatura adiuuetur; vt docet *idem S.P.Aug.lib.de fide, & symb.c.2*. Quanuis illa gratia sic aucta sacramentalis appellari non posset, quia non esset mediantibus sacramentis producta, à quibus solùm denominationem sacramentalis gratia desumit.

14 Collig. 2. Sacramenta esse specie diuersa; quia constant ex diuersa forma, & materia; diuersitas autem specifica sumitur à forma, vt constat *ex Phis.*

15 Collig. 3. ad recipiendam gratiam sacramentalem cuiusuis sacramenti necessariam esse aliquam dispositionem ex parte recipientis, si fuerit adultus; secus verò, si fuerit infans expers rationis. *Ita Conc. Trid. sess.6.c. 7.* statuens: *Iustitiam in nobis recipientes, vnusquisque suam, secundùm mensuram, quam Spiritus S. partitur singulis, prout vult, secundùm propriam cuiusque dispositionem, & cooperationem; & can. 9. Si quis dixerit sola fide impium iustificari ita, vt intelligat nihil aliud requiri, quod ad iustificationis gratiam consequendam cooperetur; & nulla ex parte necesse esse eum suæ voluntatis motu præparari, atque disponi, anathema sit*; & de pœnitentiæ sacramento habetur *can.49. Multiplex de pœn. dist. 1*; vbi præcipitur ministris Ecclesiæ, vt confitentibus pœnitentiæ satisfactionem dent. &c; & de baptismo habetur *can. 125. Nec quenquam planè eadem gratia spiritualis, quæ in baptismo æqualiter à credentibus sumitur*; confiteri autem, & credere sunt actus, quibus recipiens disponitur. Ratio est; quia sacramenta non causant gratiam, nisi remoueatur obex, qui est affectus ad peccatum; & qui non remouetur, nisi per actum detestatiuum, & retractatiuum illius.

16 Collig. 4. sacramenta diuersa æqualiter dispositis conferre inæqualem gratiam. Ratio *ex Fund.Doct.Æg.* sumitur. Quæ differunt specie, sunt inæqualia; species enim sunt, sicuti numeri, quorum vnus inæqualis est alteri; sed gratiæ diuersorum sacrementorum differunt specie; vt diximus; ergo sunt inæquales, etiamsi conferantur æqualiter dispositis. Idem tamen sacramentum specie æqualem gratiam cõfert dispositis æqualiter, & inæqualem inæqualiter dispositis; vt docet *Trid. vbi sup*; quanuis enim efficacia sacramentorum prouenerit ex meritis Christi, qui mortuus est æqualiter pro omnibus in vniuersali; attamen suam mortem non applicuit efficaciter æqualiter omnibus in particulari. Cùm autẽ *c. nec quenquam vbi sup.* dicitur gratiam æqualiter sumi; quod docet *S. Cypr. lib.4. ep. 7; & S.P. Aug. sæpe repetit in libris cont. Donatist*; intelligitur ex parte dantis, quia Christus est, qui dat gratiam siue per bonum, siue per malum ministrum; vt habetur *in eodem c*; vbi affertur exemplum de luce Solis, qui æqualiter suam lucem diffundit in omnia; quanuis non omnia propter inæqualem dispositionem illuminata remaneant. Item *ibid.* explicatur *æqualiter*, prout est idem, ac sine differentia ætatis, vel sexus; adducitur enim manna, cuius gomor singuli cuiusuis ætatis, vel sexus colligebant; vt dicitur *Exod. 16.*

QVÆST. IV.

De Caractere Sacramentali.

DE caractere, qui est alter effectus aliquorum, non omnium sacramentorum, habendus est sermo; cùm enim ratio methodi exigat, vt à communibus ad specialia procedatur, postquam de gratia sacramentali, quæ est effectus omnibus sacramentis communis, actum est; de caractere, qui aliquibus solummodò competit, est agendum.

ART. I.

An, & quæ sacramenta imprimant caracterem?

1 CAracter nomen est è *Græco* idiomate acceptum, quod significat idem, ac *apud Latinos* signum, signaculum, ac sigillum distinguens habentes à non habentibus illud; vt notat *Fund.Doct.lib. de caract. q. 1; & de Renunc. Papæ c.5; & lib. cont. Exemptos c.14.* Quanuis autem signum aliud sit sensibile, aliud spirituale, accipitur tamen in præsenti solùm pro signo, seu signaculo spirituali, & inuisibili causato ab aliquo sacramento distinguente homines; qui tali sacramento insigniti fuerunt, ab hominibus, qui tale sacramentum non receperunt.

2 Loquimur autem de solis sacramentis nouæ legis; nam vetera sacramenta caracterem non impressisse communis est *Theologorum* sententia *contra Scotum, & Scotistas*, inter quos *Mastr. hic disp. 1. q.5. art.4. n.230.* asserentis *ex Scot. in 4. dist. 6. q.9.* circuncisionem, & remedium legis naturæ contra peccatum originale impressisse caracterem; quia circuncisio, & tale remedium erat ianua salutis, distinguebat populum Dei, & confe-

ferebat gratiam ex opere operato; sicut modò præstat baptismus; nec inter hæc erat aliud discrimen, nisi quia baptismus confert maiorem gratiam, quàm circuncisio, & remedium naturæ.

3. Sed hoc tanquam minus consonum *Sacris Scripturis, & SS. PP.* reijciunt communiter *Theologi*, vt fatetur etiam *Hiquæus Scotista*. 1. Quia *Apost. ad Gal. 6.* inquit: *Neque circuncisio aliquid valet, neque præputium*; sed circuncisionem, & præputium non valere ad iustificandum est non habere virtutem ex se iustificandi; quod est non iustificare ex opere operato; ergo sicuti nec circuncisio, nec remedium legis naturæ ex se habebant vim conferendi gratiam, quæ est primus effectus sacramentorum; ita nec imprimendi caracterem, qui est effectus secundarius ipsorum. Idem habet 1. *Cor. 7. Circuncisio nihil est; præputium nihil est*. Sed hoc nequit intelligi, quòd circuncisio, & præputium nihil sint corporaliter, erant enim actiones externæ, sensibiles, & corporales, vt constat; sed quòd nihil sint spiritualiter eo, quia nihil spirituale causabant in anima; & ideo nec gratiam, nec caracterem; & *Rom. 3. Vnus est Deus, qui iustificat circuncisionem ex fide, & præputium per fidem*. Illud, quod iustificat per aliud, non iustificat per se ipsum; hæc enim duo inter se opponuntur; sed circuncisio, & remedium in præputio iustificabant per aliud, nempe per fidem Christi, quatenus scilicèt erãt figuræ sacramentorum, quæ erant instituenda in lege Christi; sacramenta verò instituta in lege Christi, quia non iustificant in virtute aliorum sacramentorum, per se ipsa iustificant; ergo circuncisio, & remedium in præputio non iustificabant per se, seu per suam virtutem; & ideo nec imprimebant caracterem distinguentem iustificatos à non iustificatis. Hinc *S. P. Aug. ep. 19. ad Hier.* inquit: *Cur autem non dicam præcepta illa veterum sacramentorum nec bona esse, quia non eis homines iustificantur, vmbræ enim sunt prænunciantes gratiam, qua iustificamur; nec tamen mala, quia Diuinitus præcepta sunt temporibus, personisque congruentia; cùm me adiuuet etiam prophetica sententia, qua dicit Deus se illi populo dedisse præcepta non bona*. Sacramenta igitur vetera non iustificabant homines; ergo non conferebant per se ipsa gratiam iustificantem. Prob. ant. Sacramenta vetera erant vmbræ sacramentorum futurorum, vt docet *Apost. ad Coloss. 2. & Hebr. 10.* sed vmbra non habet virtutem causandi eosdem effectus, quos causat res, cuius est vmbra; vt vmbra Solis non habet virtutem causandi illuminationem, & calefactionem, quæ sunt effectus lucis, cuius est vmbra; ergo sacramenta veteris legis non habebant virtutem causandi gratiam, & caracterem; qui sunt effectus sacramentorum nouæ legis, quorum vmbræ erant vetera sacramenta. 2. Ob hoc distinguebantur sacramenta vetera à sacramentis instituendis in noua lege; quòd illa erant carnalia, vtpotè carnali populo data; hæc autem sunt spiritualia, tanquam homini spirituali collata; vt docet *Apost. 1. Cor. 9. Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus*; & *ad Hebr. 7. Non secundùm legem mandati carnalis*. & Iterum 1. *Cor. 3. Et ego, fratres, non potui vobis loqui, quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus*; & mox: *Adhuc enim carnales estis*; quia erant sub carnali, de quo *vid. S. P. Aug. ep. 120. de grat. noui, & veteris testamenti*; sed sacramenta vetera non dicebantur carnalia ex eo præcisè, quòd celebrabantur actionibus corporalibus, & sensibilibus; in hoc enim etiam sacramenta nouæ legis carnalia dici possunt, quia ex rebus corporeis fiunt; ergo sacramenta vetera dicebantur carnalia, quia secundùm se ipsa, & per suam virtutem solùm temporales, & corporales effectus producebant; scilicèt bona temporalia, quæ Deus populo illi promittebat, si legem seruaret; vt profundè, ac solidè demonstrat *S. P. Aug. in ep. cit*; sacramenta verò nouæ legis sunt spiritualia; quia effectus spirituales producunt; ergo sacramenta veteris legis non producebant gratiam sanctificantem, quæ est spiritualis; nec caracterem spiritualem, sed tantùm gratiam temporalem in bonis temporalibus collatam, quanuis in illis bonis occultarentur æterna, quorum erant figuræ, vt inquit *S. P. Aug.* & caracterem carnalem, ac corporalem, quo populus recipiens illa sacramenta distinguebatur ab illo, qui talia sacramenta non receperat. 3. Aliud discrimen est; quòd illa *erant elementa infirma, et egena*; vt docet *Apost. ad Galat. 4*; *et Conc. Flor*; quòd illa non continebant, nec causabant gratiam; ista verò sunt vasa plena gratiæ, quia continent, & causant gratiam, quam significant; ex quo sic. Illud, quod est infirmum, & egenum, & non continet in sua virtute aliquem effectum, nequit illum causare; egenus enim nequit dare diuitias, quia illas non habet; nec infirmus potest communicare suam sanitatem, quia illam non habet; nec carens virtute ad aliquid producendum potest illud producere, produceret enim sine virtute productiua; & cõmunicaret id, quod non haberet; quæ implicant in terminis; sed sacramenta vetera *ex Apost.* erant infirma, & egena; &, *ex Conc.* non continebant, nec causabant gratiam; egestas enim illorum diuitias gratiæ Dei non poterat effundere; ergo per sua virtutem non causabant gratiam, nec caracterem. *Vid. q. 2. art. 1. §. 6.* Tandem dicere, quòd sacramenta vetera causabant minorem gratiam, quàm noua sacramenta, est affirmare, quòd absolutè illam causarent; sicut quamuis Luna minùs illuminet, quàm Sol, absolutè tamen Luna illuminat; sed *Conc.* absolutè negat sacramenta vetera gratiam causare; & hoc *ex Apost. vbi sup.*; ergo dicere, quòd sacramenta vetera gratiam minorem causarent, est directè *contra Concilium, & Apostolum*.

4. Ad rationes autem *Mastrij* dicitur, quòd

circuncisio, & remedium peccati originalis in lege naturæ erant vmbræ baptismi, qui est ianua salutis, & ideo erat figura ianuæ, non ianua; quia per ipsam non intrabatur ad salutem, quoniam ipsa secundùm se ipsam non conferebat salutem; sed tantùm in fide Christi venturi. Populum autem distinguebat per signum carnale, non spirituale; nec gratiam conferebat ex se, vt dictum. *Hoc supp.*

5 Recentiores heretici negant vlla sacramenta imprimere caracterem. *Ita Vvicleff apud Valden. to.2. de sacram. c.* 109; *Caluin; & Kemnit. apud Bellarm. lib.2. de sacram. c.* 19; & eorum ratio est, quia nulla fit mentio *in scripturis* caracteris.

6 Dogma tamen catholicum est tria sacramenta, scilicèt baptismum, confirmationem, & ordinem imprimere caracterem. *Ita Fund. Doct. vbi s; & omnes DD. catholici*; quanuis *Scot. in* 4. *dist.*6.*q.*9.*S. Ad quæst*; *Gabr. ibid. q.*2.*art.*3.*dub.*5; *& Dur. q.*1.*art.*1; quos refert, & reprehendit *noster Gibb. hic disp.*5.*dub.*1.*n.*11; dixerint hoc certa ratione, nec euidenti testimonio posse probari; cuius dicti falsitas *ex textibus* afferendis constabit.

7 Vnica concl. Tria sacramenta nouæ legis, scilicèt baptismus, confirmatio, & ordo imprimunt caracterem.

Prob. 1. *ex scripturis*; nam 2.*Cor.*1. habetur: *Vnxit nos Deus, et signauit nos*; sed nomine *vnctionis* significatur gratia; ergo nomine signationis significatur aliud à gratia; aliter esset locutio synonima; hoc autem, quod nomine *signationis* significatur, dicitur à nobis caracter; ergo expresse habetur *ex scripturis* aliqua sacramenta caracterem imprimere. Idem habetur *Ephes.* 1; *et alibi*.

8 Resp. *Scot.* hoc posse explicari de gratia sacramentali; & *Card. Laurea* addit ante *Conc. Flor; & Trid.* nullum *S. Patrem* posse assignari.

Sed contra est; quia gratia sacramentalis significatur nomine *vnctionis*; per ipsam enim Deo consecramur; ergo nomine *signationis* designatur aliud à gratia, quod nos caracterem appellamus. Præterea nomine *signationis* designatur aliquod, quod remanet in homine etiam perdita gratia, imò etiam fide amissa; vt docet *S.P. Aug. tract.*1. *in Io. Si baptizatus charitatē non habet, habet tamen caracterem impositum*; *& lib.*6. *de bapt. cont. Donatist. c.*1; *& ep.*44. *ad Donat. Caracterem Dominicum putatis, quem accepistis in sacramento*; ergo nomine *signationis* designatur caracter, non gratia.

9 Conf; & fortiùs reijcitur doctrina *Scot; & Card. Laurea; ac aliorum*. Ex perpetua Ecclesiæ traditione eruitur euidens testimonium, & certa ratio in illo testimonio fundata; sed aliqua sacramenta caracterem imprimere est perpetua Ecclesiæ traditio accepta ab Apostolis; nam *D. Dion. lib de Hier. Eccl. c.*2. ait: *Quando Pontifex consignat exteriùs baptizatum, Diuina Maiestas tradit illi signum spirituale interiùs, quo fit particeps, & consors sanctorum, & iustorum*; & mox: *Perficiens esse Diuinum, & communicatorem Diuinorum per caracterem*; *D. Dion.* autem fuit *D. Pauli* Discipulus; *& S.P. Aug. lib.*6. *contra Donatist. c.* 1. testatur hanc veritatem auctoritate Ecclesiæ *in Concilijs generalibus* definitam fuisse his verbis: *Auctoritate Ecclesiæ in Concilijs generalibus constare ouem, quæ foris errabat, & Dominicum caracterem à fallacibus prædatoribus acceperat in baptismo, venientem ad Christianæ veritatis salutem, ab errore corrigi, & Dominicum caracterem in eo agnosci, non improbari*; *& in Conc. Ephes. col.* 1. *S. Cyrill. Alex.* loquens de baptismo ait: *Per eum Diuinus nobis caracter imprimitur*; ergo aliqua sacramenta caracterem imprimere euidenti testimonio, & certa ratione in illo fundata potest probari etiā ante *Conc. Flor; & Trid*; nam quotiescunque aliquis *textus sacræ scripturæ* per traditionem Ecclesiæ in aliquo determinato sensu explicatur; tunc explicatio illius sensus ita est euidens, ac si haberetur explicitè in illo textu; sed allatus *textus* Apostoli explicatur per traditionem Ecclesiæ de caractere; ergo textus allatus est euidens testimonium, super quod potest fundari ratio Theologica certò probans aliqua sacramenta caracterem imprimere.

10 Tandem hæc veritas confirmata fuit *in Conc. Flor. in decr. vnionis Armen. Inter hæc tria sacramenta sunt baptismus, confirmatio, & ordo, quæ caracterem, hoc est spirituale quoddam signum imprimunt indelebile in anima; vnde in eadem persona non reiterantur; reliqua verò caracterem non imprimunt, & reiterationem admittunt*; *& Trid. sess.*7. *can.*9. *Si quis dixerit in tribus sacramentis, scilicèt baptismo, confirmatione, & ordine non imprimi caracterem in anima, hoc est signum quoddā spirituale, & indelebile; vnde ea iterari non possunt, anathema sit.* Idem habetur *c. maiores de bapt.* Ratio autem adducta in his *textibus* sumpta est *ex S.P. Aug. lib.* 2. *cont. ep. Parmeniani c.*13; vbi de baptismo, & ordine inquit: *Vtrumq; sacramentum est, & quadam consecratione homini datur: illud, cùm baptizatur; istud, cùm ordinatur; ideoq; in Ecclesia catholica vtrumq; non licet iterari*; quod sæpissimè repetit; & de confirmatione idem habet *lib.*19. *cont. Faust. c.* 14; formatur autem sic. Sacramenta, quæ iterari non possunt, imprimunt caracterem; sed baptismus, confirmatio, & ordo iterari non possunt; ergo imprimunt caracterē. Ma. prob. 1. *ex S.P. Aug. ep.* 203. Ratio, propter quam circuncisio iterari non potuit, est, quia signaculum per ipsam semel impressum non potuit naturaliter tolli; ergo ratio, propter quam sacramēta nouæ legis iterari non possūt, est, quia imprimunt caracterem, qui naturaliter tolli nō potest. 2. *Ex eodem lib.*2. *cont. ep.*2. *Gaudentij c.*4; *& sæpè alibi cont. Donatist.* Ideo sacramenta non iterantur, quia nequit violari Dei caracter per ipsa semel impressus; & nequeunt ipsa sacra-

menta suo effectu frustrari; sicut enim cera semel sigillata nequit denuò sigillari sine violatione sigillationis, quam habet; vel sine frustratione sigillationis subsequentis; ita nequeunt sacramenta iterari; vel quia nequit violari caracter impressus; vel quia nequeunt suo effectu frustrari; non enim ob aliam rationem aliqua sacramenta iterantur; nisi quia nihil præcedentis sacramenti per ipsam iterationem violatur; nec suo effectu subsequens sacramentum frustratur; ergo sacramenta, quæ iterari non possunt, imprimunt caracterem. Mi. habetur *Io.13. Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus*; idèst qui semel lotus est per baptismum, non indiget, vt iterum baptismo abluatur; sed sufficit, vt peccata post baptismum commissa purgentur; ergo baptismus non licet iterari; sic dicitur de confirmatione, & ordine; nam in tantùm baptismus nequit iterari; in quantùm res Deo semel consecrata nequit à Deo auferri; dicitur enim *Leuit. vlt. Quidquid enim semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino*; recipit enim caracterem, quo Deo dicatur; sed etiam in confirmatione, & ordine homo Deo dicatur; quia in illa dicatur, vt miles, ad pugnandum pro fide ipsius; & in isto dicatur, vt minister, ad fidei mysteria exercenda; ergo non solùm baptismus, sed etiam confirmatio, & ordo iterari non possunt.

11 Prob. ratione *à Fund. Doct. Æg. vbisi et de Renunc. Papę c.10.p.1.* Ex ijs, quæ videmus in corporalibus, rectè possumus arguere ea, quæ sunt in spiritualibus iuxta documentum *Apostoli Rom. 1. Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*; sed in corporalibus videmus esse triplicem potentiam; scilicèt potentiam receptiuam omnium formarum, quæ est materia; & potentiam restitiuã suo læsiuo, aut destructiuo; cùm quælibet res naturaliter obnitatur, ne recipiat peregrinas impressiones; & potentiã operatiuã, quia quælibet res, ne otio corrumpatur, ordinatur ad suas operationes; ergo & in spiritualibus est triplex potentia spiritualis; prima receptiua formarum aliorum sacramentorum, & hæc imprimitur per baptismum, qui est ianua ad alia sacramenta, & siue quo non recipiuntur alia sacramenta; secunda restitiua inimicis fidei Diuinæ; & hæc imprimitur in confirmatione, quæ dat robur ad pugnandum contra hostes fidei; & tertia actiua, quæ imprimitur in ordine, qui dat potestatem spiritualem ordinato, vt possit exercere varias actiones ad cultum Dei spectantes. Atqui hæc triplex potestas spiritualis est triplex caracter impressus per tria sacramenta; ergo tãtùm tria sacramenta imprimunt caracterem.

12 Aliam rationem desumptam *ex S.P. Aug. lib.1.cont.Cresfon.c.30.* sic prosequitur *S.Tho. hic art. 1. & 6.* Ex ijs, quæ videmus in Aula Regis terreni, possumus arguere ea, quæ sunt ordinata in Aula Dominica, quæ est Ecclesia Summi Regis gloriæ Christi; nam quælibet potestas terrena à Deo ordinata est ad similitudinem potestatis Diuinæ, vt docet *Apost. Rom. 13. Non est enim potestas, nisi à Deo; quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt*; sed in Aula Regis terreni aliqui insigniuntur caractere, vt famuli ipsius; alij, vt milites electi ad defendenda sua iura; alij, vt ministri electi ad procurandum obsequium Regi debitum; ergo & in Aula Dominica alij caractere insigniuntur, vt famuli ipsius, quod fit per baptismum; alij caractere militari insigniũtur ad pugnandum contra hostes, qui fidem Christi conantur destruere; quod fit per confirmationem; & alij declarantur ministri mysteriorum, quæ in Ecclesia exercentur ad cultum Dei spectantia; quod fit per ordinis sacramentum. Cetera verò sacramẽta in bonum suscipientium principaliter sunt instituta, non verò in ministerium, quo Dei Ecclesia instituetur, defendatur, & propugnatur.

13 Obijc. *heretici. In scriptura* nullibi fit mentio caracteris; *& SS. PP.* fuit prorsus incognitus; ergo est nouitium *Scholasticorum* inuẽtum. 2. *Caluin. lib. 4. instit. c. 18.§. 19.* ait; ideo baptismum non posse iterari; quia est ingressus in Ecclesiam, & fidei initium; & sicut vna est Ecclesia, & fides; ita vnus debet esse baptismus; ergo ratio, quare non iteretur, non est caracter, vt dictum est. 3. Omnes effectus, qui tribuuntur caracteri, possunt à gratia præstari; ergo superfluus est caracter.

Resp. ad 1. neg. ant; apertam enim mentionem facit *Apost. locit cit.* Præterea etiansi hoc admitteretur, habetur ex continua traditione, vt dictum est. Insuper *à SS. PP.* fuit clarissimè cognitus, vt diximus *ex D.Dion; Cyrill. in Conc. Ephes; Basil. lib. de Spiritu S. c.22; & hom. 13; Chrisost. hom.2. in ep. ad Ephes; Naz. or. in sanctum lauacrum*; *Ambr. lib. de Spiritu Sancto c.6; Hier.* in illud *Ephes.1. In quo credentes signati estis*; *Aug. lib. 1. cont. Cresfon. c.30; ep 23. ad Bonif. & 50; & 57; & cont. Donatist. lib.1.c.1; & lib.6.c.1; & cont. ep. Parmen. c.13; & in Io. tract.6; & in ep. Io. tract.4; & plurimis alys in locis.* Ad 2. neg. ant; nam existens ab Ecclesia, & fidem amittens adhuc non debet rebaptizari, cùm ad illam reuertitur; ergo ratio, cur non iteretur baptismus, non est vnitas Ecclesiæ, vel fides; nam hæc non remanent in eo, qui ab vnitate Ecclesiæ, & à fide separatus est, & ideo nequit præstare, vt non iteretur baptismus; sed potiùs per illas fieret, vt deberet iterari; sicut enim quia per peccatum deperditur gratia acquisita in sacramento pœnitentiæ, fit, vt iteretur pęnitentia; ita à pari. At caracter nunquam deperditur, ideo ne fiat iniuria Spiritui Sancto, qui illum impressit indelebiliter in sacramento, non debet iterari. Ad 3. neg. ant; nam gratia nequit manere simul cum peccato; vt remanet caracter; ideo caracteri conuenit

uenit esse indelebile, & irreiterabile, quod gratiæ nequit competere.

14 Quæres, an caracter sit primarius effectus, vel secundarius?

Aliqui, vt Sua. disp. 11. *sect.* 1; volunt caracterem esse primarium effectum sacramenti ordinis; quia ordo primariò est institutus ad dandam potestatem spiritualem, quæ est caracter; gratiam verò esse effectum secundarium, quia ad caracterem consequitur. E' contra verò in baptismo, & confirmatione, quæ est complementum baptismi; qui est primariò institutus ad conferendam gratiam remittentem peccata. Sed hoc est contra communem doctrinam substinētem gratiam esse primum, & præcipuum effectum omnium sacramentorum, quæ primariò sunt instituta, vt remedia contra morbum peccati, & contra vulnera per peccatum inflicta; vt pluries diximus.

A R T. II.
In quo consistat caracter?

1 NVlla maior est discrepantia *inter Auctores*, quàm in assignanda caracteris quiditate.

2 *Biel in 4. dist. 6. q. 2.* putat *S. P. Aug.* vbicūq; caracteris meminit, nihil aliud nomine caracteris intelligere, quàm ipsum sacramentum, quatenus est signum externum, & visibile, quod semel adhibitum nunquam irritum fieri potest.

Sed hoc compertissimè falsum esse conuincitur *ex locis cit. in sup. art;* vbi *S. P.* docet. 1. per sacramentum imprimi caracterem Dominicum; ineptissima autem interpretatio est ipsum imprimens esse rem impressam; vt si diceretur figurā impressam in cera esse ipsum sigillum. 2. *S. P.* docet caracterem manere etiam non manente actione exteriori sensibili, qua fit sacramentum, sed impossibile est, quòd maneat caracter, & nō maneat res, quæ est caracter; sicut impossibile est, quòd maneat homo, & non maneat res, quæ est homo; nam res, quæ est homo, est essentia hominis, & sic res maneret sine sua essentia; quo nihil absurdius dici potest; ergo caracter sacramenti non est ipsum sacramentum. Quamuis igitur ipsum sacramentum, quod est aliquod corporale, possit dici caracter corporalis foris adhibitus, quia per ipsum sigillatur externè homo recipiens sacramentum in familiam, militiam, & ministerium Christi; attamen in hoc sensu nō loquitur de caractere *S. P. Aug; & alij SS. PP; ac Concilia*; sed intelligunt aliquod spirituale impressum in anima, quod permanet etiam transeunte illa actione corporali.

3 *Dur. in 4. dist. 4. q. 1. n.* 11. putat caracterem nihil aliud esse, quàm ens quoddam rationis, seu relationem, aut denominationem rationis; vt sicuti numisma, dum valor eius augetur, vel minuitur, nullam entitatem realem acquirit, sed solam relationem rationis ad res appretiabiles ei aduenire dicimus, vel sicut iudex designatus à Principe nihil reale recipit, sed per solam voluntatem Principis ad tale officium deputatus censetur; ita cùm quis baptizatur, intelligitur signatus caractere familiæ Christi absque eo, quòd recipiat aliquam entitatem spiritualem, per quam talis reddatur.

Sed hæc sententia reijcitur ab omnibus. 1. Quia *S. P. Aug.* dat exemplum de ouibus, & militibus, vt *lib. 1. cont. Crescon. c.* 30; qui sunt aliquo signo externo sensibili distincti à militibus, & ouibus alterius Principis, & Domini; hoc autē signum externum non est ens, relatio, aut denominatio rationis, vt patet; ergo hæc sententia, tanquam difformis doctrinæ *SS. PP;* est reijcienda. 2. *Concilia* vocant caracterē signum impressū in anima, vt *Trid. sess. 7. can. 9;* ens autem rationis, seu relatio, aut denominatio rationis est tātùm in intellectu, non in re denominata; vt visio non imprimitur parieti; ergo idem. 3. Si caracter importaret solùm ens rationis, seu puram relationem, aut denominationem rationis, per quam homines dicuntur deputati ad cultum Diuinū eo modo, quo deputatur iudex à Principe; etiam consecratio sacerdotum in lege veteri; imò consecratio altarium, templorum, vestium &c. imprimeret caracterem; quod nullus dixit. 4. Caracter est effectus productus per sacramenta, sicut gratia sacramentalis est effectus sacramentorum; ergo non est ens rationis, quod producitur tantùm per intellectum. 5. Caracter simul est signum, & res significata; ergo est quid reale. Prob. ant. Caracter significat gratiam, per quam homo adscribitur familiæ, vel militiæ, vel ministerio Christi; & significatur per sacramenta; vt constat; per collationem enim baptismi v. g. significatur baptizatum recipere caracterem, quo adscribitur Christi familiæ. Prob. cons; nam in alijs sacramentis id, quod est signum, & res significata, est quid reale, non rationis; vt corpus Christi sub speciebus panis est quid reale; ergo idem dicendum de caractere.

4 Inst. *Dur.* Per hoc, quòd aliquis deputetur à Principe ad aliquod ministeriū, vel Principis adscribatur familiæ, aut militiæ, non imprimitur aliquod in illo realiter, sed tantùm ei aduenit denominatio extrinseca; ergo à pari. 2. In Christo caracter non est aliquid reale; ergo neque in Christifidelibus, qui Christo configurantur. 3. Caracter est effectus sacramenti; sed sacramentum est ens rationis, est enim signum ad placitum; ergo & caracter. 4. Caracter non est signum naturaliter significans familiam, militiam, vel ministerium Christi; non enim est species expressa, vel impressa, aut imago repręsentans familiam, militiam, aut ministerium; neque est effectus naturaliter causatus à familia, militia, aut ministerio Christi; vt gemitus naturaliter causatur à dolore; ergo est tantùm signum

gnum ad placitum; sed signum ad placitum est ens rationis; ergo idem.

Resp. ad 1. neg. conf; nam deputatus à Principe habet facultatem naturalem, quæ sufficit ad exercendas illas actiones, quæ sunt propriæ illius ministerij; vt sunt ordinare, præcipere &c; quæ sunt actus intellectus, & voluntatis naturalis; at verò adscriptus familiæ, militiæ, & ministerio Christi non habet potentiam naturalem exercendi actiones proprias familiæ, militiæ, & ministerij; non enim viribus naturæ potest elicere actiones meritorias Regni cœlestis, vincere hostes fidei, ministrare sacramēta; ideo ei imprimi debet virtus supernaturalis, per quā possit hæc omnia præstare; sicut enim amicitia naturalis non ponit aliquid in amato; amicitia autem inter Deum, & hominem ponit in homine habitum supernaturalem charitatis; quia amicitia naturalis supponit in amato potentiam naturalem ad amandum; amicitia autem Dei non supponit in homine vires ad amandum Deum, vt gratiæ Auctorem; quia viribus naturæ sic amari non potest; ita à pari. Ad 2. dist. ant. Caracter eminenter secundùm formam altiorē, & excellentiorem nō est in Christo, neq; in ipso enim est potestas ministerialis excellentiæ, & sacerdotium æternum, cui nos configurat caracter. Caracter formaliter sumptus, qui importat notam, seu signum inferius proprium ouium ipsius Christi, conc. Ad 3. neg. mi; vt diximus *q. 2. art. 1. §. 2. n. 24.* Ad 4. neg. ant; quidquid enim dicant *Scot. apud Mastr. hic disp. 1. q. 5. art. 2. n. 199; Sua; Lug. disp. 6. sect. 3; & Amic. disp. 7. sect. 6*; quanuis illud, quod est signum tantùm, sit signum ad placitum; attamen illud, quod est signum simul, & res significata, est signum naturale, non ad placitum; vt Corpus Christi, quod est simul signum, & res significata, est signum naturaliter significans gratiam nutrientem; sic contritio &c; caracter autem est signum, & res significata simul, vt diximus; tum quia illud est signum tantùm, & ad placitum, quod secundùm suam entitatem est ordinis inferioris naturalis, & ideo nequit significare, nisi ex institutione Diuina; at verò illud, quod est ordinis supernaturalis Diuini, naturaliter significat rem supernaturalem, cuius est signum; & ideo caracter, cùm sit quid supernaturale, est enim effectus sacramenti; potest naturaliter significare familiā, militiam, & ministerium Christi, quæ sunt ordinis supernaturalis. Ad ea autem, quæ obijcit *Mastr*; dicitur, quòd licèt caracter non sit species expressa, vel impressa, vel imago formalis, vel effectus familiæ &c; vt gemitus est effectus doloris; attamen non sequitur, quòd non sit signum naturale; nam contritio, quæ præcedit sacramentum pœnitentiæ, non est species expressa, vel impressa, aut effectus illius; & tamen est signum naturale; quia illud ex natura sua significat, & ad illud disponit, cùm sit ordinis supernaturalis; sicut enim dispositio naturalis est signum naturale formæ, ad quam disponit; ita dispositio supernaturalis ad formam supernaturalem est signum naturale illius, prout *naturale* sumitur per oppositionem ad illud, quod est placitum; non prout sumitur per oppositionem ad id, quod est supernaturale. Constat igitur *Mastr.* insufficienter enumerare ea, quę habent rationem signi naturalis; quia non solùm species, & effectus; sed etiam causa dispositiua instrumentalis est signum naturale sui effectus, & sola causa principalis excluditur à ratione signi; vt diximus *q. 2. art. 1. §. 4. n. 43*; aliter sacramenta, quæ sunt causa gratię, non essent signa illius, & bene non definirentur. Cùm itaque caracter sit id, quo formaliter adscribitur Christi militiæ, familiæ, & ministerio; & illius entitas supernaturalis sit; rectè colligitur non esse signum ad placitū, sed naturale, quanuis ex institutione, & ex gratia Dei tale signū sit collatū hominibus.

5 *Aly* dixerunt caracterem esse relationem realem extrinsecùs aduenientem. Tribuitur *Scot. in 4. dist. 6. q. 10.* Eum tamen vindicant *Scotistę* asserentes problematicè docere esse formā absolutam, vel relatiuam; qui tamen diuisi sūt; *aliqui* enim volunt *Scotum* docere probabiliùs esse, quòd caracter importet relationem realē, quàm formam absolutam. *Ita Centin; Faber, & Card. Laur; aly* verò ipsum censere probabiliùs, quòd importet formam absolutam. *Ita Mastr. vbi s. n. 197*; apud quem *Matron; Bassol; Rubion; Aretin; Hiquens, & aly*:

Sed hæc sententia, vt potè *Concilijs, & SS. PP.* dissona, omnino improbabilis est. 1. Quia *Concilia, & SS. PP.* asserunt caracterem imprimi in anima; vt *Trid. vbi s. & S. P. Aug. in sup. art*; sed relatio propriè non imprimitur; nullus enim diceret, quòd ad dealbationem noui parietis imprimatur in alio pariete albo similitudo, sed tantùm quòd resultet; ergo caracter iuxta modum loquendi *Conciliorum, & SS. PP.* non est relatio. 2. *Conc. Trid. sess. 23. c. 4*; statuit caracterem esse potestatem spiritualem ad exercendas actiones proprias illius sacramenti, à quo est impressus; ait enim: *Quòd si quis omnes Christianos promiscuè noui testamenti sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate spirituali præditos esse affirmet; & can. 7. Si quis dixerit Episcopos non esse præsbiteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi & ordinandi &c*; idem dixerat *sess. 7. can. 10*; quæ potestas à caractere importatur, vt statuerat *c. 4. cit*; sed potestas non est pura relatio; quia relatio nullius actiuitatis est; ergo caracter non dicit puram relationem. 3. Implicat dari relationem sine fundamento; aliter si relatio daretur sine fundamento, referretur nihil; sed nullum posset assignari fundamentum, in quo esset relatio, si caracter puram relationē importaret; nam hoc non esset gratia; quia hæc in peccatoribus, & in damnatis non est; in qui-

quibus tamen remanet character ad pœnam; neque esset anima, in qua fundari characterem docet *Trid. sess. 7. can. 9.* nam posita anima, & eius contermino statim resultaret character; qui propterea non produceretur à Deo, sed solùm produceretur conterminus, & ad huius productionem resultaret relatio; sicuti enim posito nouo pariete albo resultat in alio relatio similitudinis; quæ priùs in eo non erat, & hæc relatio non producitur in eo per aliquam actionem realem immutantem subiectum; *cùm ad relationem non detur per se motus*, vt docet *Phil*; ita dicendum à pari. Tum quia solum accidens est fundamentum immediatum relationis prædicamentalis, quæ sola est pura relatio; nam transcendentalis dicit entitatem absolutam habentem modum relatiuum; fundamentum enim relationis triplex est, vt *ex Phil.* habetur *in Logicis*; scilicèt qualitas, secundùm quam sumitur vnitas; & quantitas, secundùm quam sumitur mensura; & potentia, secundùm quam sumitur actio, præter quæ fundamenta nullum aliud datur, vt communiter asseritur; qualitas autem, quantitas; & potentia sunt accidentia; sed anima non est accidens; ergo non est fundamentum immediatum relationis; & ideo sententia constituens relationem prædicamentalem in subiecto sine fundamento immediato est omnino improbabilis; quia nec fundatur in doctrina *Conciliorum*, *& SS. PP.* asserentium characterem esse virtutē, & potentiam ad operandum; relatio autem pura non est virtus, & potentia ad operandum; cōstat enim, quòd similitudo in pariete non est virtus productiua alicuius entitatis; nec paternitas in patre, aut filiatio in filio; ideo inquit *Phil*; quòd *relatio nullius est actiuitatis*; nec fundatur in ratione, imò sicuti per doctrinam *Conciliorum, & SS. PP.* ita per rationem euertitur; quod autem euertitur per doctrinam, & per rationem, est omnino improbabile; ergo idem, quod *supra*.

6 Inst. 1. Sola relatio est sufficiens ad præstanda ea omnia, ob quæ ponitur character; nam est sufficiens ad referendum hominem ad Christum, tanquam ad Caput tanquam ad Ducem, & tanquam ad Summum Sacerdotem; & ad distinguendum hominem ab eo, qui ad illum non refertur; & configurandum ipsi Christo; ergo superflua est entitas absoluta. 2. Totum esse characteris est ad aliud, scilicèt ad Christum, quem figurat; & ad non baptizatos, à quibus distinguit; ergo character est pura relatio. 3. Quanuis fundamentum immediatum relationis aduenientis intrinsecùs debeat esse accidens; attamen fundamentum relationis aduenientis extrinsecùs potest esse ipsa substantia; item quanuis ad relationem aduenientem intrinsecùs non detur motus per se; attamen datur ad relationem aduenientem extrinsecùs; vt patet in motu *ad vbi*; ergo nulla est ratio adducta. Hic responsione mutuatur fortè è *Mag.* ... *Scot.* In nullum actum potest character, in signitus, in quem non possit ex gratia carens charactere; ergo character dicit puram relationem.

Respōd. ad 1. neg. ant. Ad prob. infert dicitur non esse sufficientem ad constituendum hominem potentem, producere illas actiones, quæ sunt propriæ illorum sacramentorum, quæ imprimunt illos characteres; vnde quanuis character sit signum, quia tamen non est purum signum, sed simul signum, & res, vt dictum est, ideo non est pura relatio, sed est entitas absoluta dicens modum relatiuum, & per consequens est relatio secundùm dici, non secundùm esse; sicut quāuis rationalitas distinguat hominem à brutis, quia ipsum constituit potentem ratiocinari; ideo est quid absolutum habens modum relatiuum; & per hoc patet ad 2; ad quod neg. ant; vt dictum est. Ad 3. neg. ant; nam relatio, siue adueniat intrinsecùs, idèst oriatur ex principijs intrinsecis ipsius fundamenti; vt relatio paternitatis; siue adueniat extrinsecùs, vt ex dealbatione parietis *B* resultat relatio in pariete *A*; siue quocunque alio modo, semper fundamentum immediatum requirit; hoc enim est de essentia relationis, vt dicitur *in Logicis*. Ad exemplum de motu *ad vbi* dicitur, quòd concludit oppositum; nam si per relationem aduenientem extrinsecùs intelligatur relatio, quam important sex vltima prædicamenta, concluditur illam importare rem absolutam cum modo relatiuo; vt docet *Fund. Doct. Æg.* non autem puram relationem; aliter sex vltima prædicamenta non essent genera primò diuersa à prædicamento relationis puræ; sed essent species subalternæ diuidentes relationem, *vt sic*; & ideo hæc doctrina numerum prædicamentorum destrueret; & per consequens magis deducitur sententiam oppositam esse cōtra rationem, & ideo improbabilem. Ad 4. dist. ant. In nullum actum potest habens characterem, in quem non possit illo carens ex gratia Dei infundentis virtutem productiuam illius actus extra sacramenta, conc; Deus enim non ita alligauit virtutem suam sacramentis, vt non queat illam etiam extra sacramenta conferre. Ex gratia Dei non infundentis virtutem supernaturalem productiuam illius actus, neg. nam ordinatus potest consecrare, non ordinatus autem nequit consecrare; vnde si Deus illi vel per sacramenta, vel extra non conferat virtutē consecrandi, nunquam poterit consecrare.

7 Cęteri DD. substinent characterem esse quid absolutum; sed diuisi sunt. *Suar. Vasq. Bellarmin. & alij* volunt esse habitum, vel dispositionem.

Sed hæc sententia improbatur ex dictis *to. 1. de Inuisib. Dei q. 2. art. 1*; nam habitus formaliter sumptus, prout contradistinguitur à potentia, datur tantùm ad faciliùs, non ad simpliciter agere; propterea diximus *ibid.* habitus superna-

naturales habere rationem potentiæ, & modum habitus; potentiæ quidem, quia sine illis nequit elici actus perfectus; & modum habitus, quia efficiunt, vt delectabiliter, & suauiter eliciantur actus; sed sine caractere nullus potest consecrare, recipere alia sacramenta &c. etiam cum difficultate; ergo caracter non habet rationem habitus; & ideo nec dispositionis, quæ non differt ab habitu, nisi sicut puer, & vir; vt diximus *to. 4. de Habitibus q. 2. art. 2. à n. 16; vbi vid. alia rationes*. Tum quia dispositio est de facili mobilis à subiecto, & habitus est saltem difficulter mobilis, vt dicitur in eorum definitionibus; sed caracter est immobilis à subiecto, quia est indelebilis, vt statuit *Trid*; ergo caracter nō est habitus, vel dispositio, nisi vellemus inuertere eorum definitiones, & nouas statuere. Tum quia habitus bonus est ex sua ratione formali determinatus ad rectè operandum, vt patet de habitu virtutis; sicuti habitus malus, seu vitiosus est determinatus ad malè operandum; sed caracter præscindit à rectè, vel malè operari; cius enim actio potest esse moraliter bona, vel mala, vt cùm sacerdos cum affectu ad peccatum mortale celebrat, verum conficit sacramentum; & tamen talis actio elicita mediante caractere sacerdotali est moraliter mala, & peccaminosa; cùm verò celebrat sine peccato, eius actio est moraliter bona, & meritoria; ergo caracter non habet rationem habitus propriè sumpti; nisi nouam rationem habitus velimus confingere.

8 Inst. *Vasq.* Caracter non disponit ad operandum; disponit enim solùm ad bene, vel malè se habendum secundùm se; ergo non disponit ad bene, vel malè operandum; & ideo falsa est vltima ratio. 2. Caracter est ordinatus ad cultum Dei; ergo est determinatus ad bonum.

Resp. neg. ant; caracter enim est potestas spiritualis data ad exercendas actiones sacramentales, vt statuit *Trid. vbi s*; ergo nedum disponit ad bene, vel malè se habendum secundùm se, sed etiam ad operandum præscindendo, an illa operatio sit moraliter bona, vel mala, & ideo non habet rationem habitus. Præterea habitus datur ad operandum faciliter, suauiter, & delectabiliter; ergo si caracter non disponit ad operandum, conuincitur etiam ex hoc non esse habitum. Ad 2. dist. cons. Est ordinatus ad bonum bene agendo ita, vt si bene non agatur, non sit actio caracteris, neq; ita, vt etiamsi malè agatur, sit actio caracteris, conc; habitus autem virtutis ita est determinatus, vt si malè fiat, non sit actus virtutis meritorius, & bonus simpliciter. Rationes adductæ à *Sua.* impugnant solùm nostram sententiam, sed suam non probant; vt *inf.*

9 *Okam*, cui videtur fauere *Lug*; vult esse passibilem qualitatem.

Sed hæc sententia reijcitur ijsdem rationibus, quibus reiecta est præcedens; nam passibilis qualitas est separabilis à subiecto, quanuis diu duret in illo; caracter autem est inseparabilis; & sic de alijs. Præterea passibilis qualitas est terminus, non principium actionis; non enim est ordinata ad producendam aliquam actionem, vt est ordinatus caracter. Item passibilis qualitas resultat ex alteratione corporis sensibilis; sed caracter infunditur, etiamsi corpus non alteretur.

10 *Marsi Auersa*, & *Sal.* volunt esse formā, aut figuram.

Sed contra est; nam forma, & figura est passio quantitatis; est enim dispositio partium per ordinem ad locum; sed caracter non est passio quantitatis; recipitur enim in anima, quæ est expers quantitatis, cùm non sit corporea; ergo caracter non est forma, aut figura. 2. Forma, aut figura est delebilis; caracter autem est indelebilis; ergo idem. 3. Forma, & figura non ordinantur ad aliquam operationem eliciendam ab ipsis, sicut ordinatur caracter; ergo idem. 4. Forma, & figura resultant ex diuersa positione partium corporis per ordinem ad locum; sed caracter non est huiusmodi; ergo idem.

11 Dices. Figura spiritualis est propriè in quarta specie qualitatis; sicut enim in prima specie qualitatis, quæ est habitus, & dispositio, est habitus nedum corporeus, sed etiam incorporeus; & in secunda specie est nedum potentia naturalis corporea, sed etiam potentia spiritualis; ita in quarta specie, quæ est forma, & figura, nedum est figura corporalis, sed etiam spiritualis; sed caracter est figura spiritualis; configurat enim nos Christo Capiti tanquam mēbra ipsius; ergo caracter est in specie figuræ, & formæ. 2. Ratio imaginis propriè reperitur nedum in corporalibus, sed etiam in spiritualibus; quanuis in corporalibus imago recipiatur in quantitate, nō autem in spiritualibus; ergo à pari.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad prob. neg. paritas; nam habitus, qui est prima species qualitatis, præscindit à corporeo, & incorporeo; definitur enim *qualitas difficulter mobilis à subiecto*; quæ definitio verificatur de qualitate corporea, & incorporea; & sic dicitur de potentia naturali; at verò forma, & figura, quæ sunt quarta species qualitatis, dicuntur tantùm de quantitate molis, quæ definitur *terminus quantitatis molis*; ideo in ipsa nequit contineri figura spiritualis, cui nequit conuenire illius definitio; per quod patet ad 2; neg. enim cons. propter disparitatem assignatam. Præterea ratio habitus importat esse principium alicuius actionis, quod conuenit habitui corporeo, & incorporeo; sic ratio imaginis importat rationem repræsentandi, quæ similiter conuenit imagini corporali, & spirituali; at forma, & figura important esse puram passionem, idèst non esse principium elicitiuum formale alicuius actionis vitalis; quod repugnat caracteri. Sic forma, & figura importāt esse delebile &c; quod caracteri repugnat. Quāuis ergo caracter habeat modū figuræ; attamen formaliter nō est figura.

12 No-

12 Nostra tandem sententia docet caracterem esse potentiam spiritualem ad exercendas actiones proprias sacramentorum caracterem imprimentium. *Ita Fund. Doct. Æg. locis cit. in sup. art.* & præsertim *lib. de caract. q. 1. per totam*; vbi assignat definitiones caracteris omnium ordinum; & concludit: *Patet ergo, quòd in ipsa prima quæstione quærebatur, videlicèt, quid sit caracter; quia est quoddam signum distinctiuum, in quo distinguuntur habentes istam spiritualem potentiam à non habentibus. Noster autem Argent. hic dist. 6. q. 1. art. 1. concl. 2*; quanuis *concl. 3.* asserat caracterem baptismi spectare ad speciem dispositionis, ait caracterem confirmationis, & ordinis reduci ad speciem potentiæ eo, quia ille est dispositio ad gratiam, nisi ponatur obex; isti verò sunt veræ potestates traditæ ad exercendas operationes spirituales. *Ita etiam noster Gibb. disp. 5. dub. 3; & omnes alij ex nostra Schola*. Idem docet *D. Tho; Capr; Sot; Caiet; Gonet, & omnes Thomistæ*; quibus accedunt *Val; Sayr; & alij*. Imò idē *Scot; Ricc*; & ferè *omnes Scotistæ* hanc sententiam putant probabiliorem, vt *vid. apud Mastr. n. 231.* Quanuis *Scotistæ* asserant caracterem non esse potentiam physicam, sed moralem illorum effectuum, qui ipsi tribuuntur. *Alij* verò nobiscum sentiunt esse potentiam physicam supernaturalem.

13 Vnica concl. Caracter est potentia physica supernaturalis, adeoq; reducitur ad secundam speciem qualitatis.

Prob. 1. pars *ex Trid. vbi s.* statuēte caracterē esse potestatem spiritualem ad exercēdas actiones proprias sacramentorum, quibus imprimitur caracter; & *l. 20.* caracter ordinis dicitur potestas per Spiritum Sanctum tradita remittendi, & retinendi peccata; *& S. P. Aug. lib. 1. cont. Crescon. c. 30.* ait caracterem esse signaculum Regis, quo signatus congregat sibi milites, quod importat potestatem acceptam à Rege, sine qua nequit milites congregare. Ratio est. Illud, quod ordinatur ad aliquam actionem, quæ potest esse bona, vel mala moraliter, habet veram rationem potentiæ formaliter; nam, vt docet *S. P. Aug. lib. 2. de lib. arb. c. 19*; tria sunt bona à Deo creata; scilicèt minima, vt formæ corporales, quæ operationem moraliter bonam nequeunt elicere; & bona media, vt potentiæ; quæ possunt elicere operationem bonam, & malam moraliter; vt potentię liberæ per essentiam, vel per participationem, quemadmodum sunt illæ, quæ subiacent voluntatis arbitrio; & bona summa, vt sunt virtutes, quæ determinatæ sunt ad eliciendum tantùm actum bonum moraliter; actus enim malus est à vitio opposito illi virtuti; ex quo habetur, quòd potentia formaliter sumpta, prout contradistinguitur ab habitu virtutis, importat principium, quod potest elicere actum bonum, vel malum moraliter; sed caracter est huiusmodi; sacerdos enim ritè consecratus celebrans sine peccato elicit actionem moraliter bonam, & meritoriam; si autem celebret cum affectu ad peccatum mortale, elicit quidem actionem verè consecratoriam, malam tamen moraliter, quia peccat; ergo caracter est formaliter potentia. 2. Potentia est inseparabilis ab essentia, cuius est proprietas, vt patet de potentia volitiua, & intellectiua in homine; sed caracter est inseparabilis à semel signato, quia est indelebilis; ergo est potentia. 3. Potentia datur ad operandum simpliciter, quia sine illa nullus potest elicere actiones illius; sicut possunt elici sine habitu; sed sine caractere baptismali nullus potest recipere actiones aliorum sacramentorum; & sine caractere sacerdotali nullus potest consecrare &c; ergo idem. 4. Prob. ex reiectione aliarum sententiarum à partibus sufficienter enumeratis.

14 Prob. 2. pars concl. *ex dictis in sup. q. art. 1.* Preterea quanuis admitteretur sacramenta tantùm moraliter causare gratiam, & caracterē; attamen nullus diceret, quòd gratia non producat physicè suos effectus, ergo idem dicendum de caractere, qui est qualitas supernaturalis ordinata ad actiones supernaturales eo modo, quo gratia ordinatur ad suos. 2. In tantùm caracter non causat physicè *per Aduersarios*; quia causat solùm ex institutione Dei, qui potuit instituere, vt etiam non baptizatus reciperet alia sacramēta; & etiam non ordinatus consecraret; sed hoc non tollit actionem physicam; quanuis enim seruus ex institutione, aut pacto inito cum Domino, cùm eius famulatui se adstrinxit, occidat illius inimicum; attamen physicè, non moraliter tantùm occidit; quia ponit actionem physicam inferentem occisionem; sic aratrum, quanuis ex institutione humana destinatum sit ad scindendam terram, attamen physicè scindit; ergo à pari. 3. Id, ad cuius positionem physicam ponitur aliud physicum, si non interueniat aliquis obex, est causa physica illius; sed ad positionem caracteris, qui est aliqua qualitas physica, est enim verè, & realiter impressus in anima, vt docent *Concilia*; non autem est tantùm moraliter in illa, idèst secundùm existimationem prudentum; sic enim esset solùm in iudicio prudentum, non in anima; ad positionem, inquam, caracteris, qui est qualitas physica, ponitur gratia, quæ est pariter qualitas physica, nisi ponatur obex peccati, ergo est causa physica illius, loquendo de causa, *ad quam*, non de causa, *à qua* aliquid producitur. 4. Reijcitur alia ratio *Mastr.* In tantùm caracter causat tantùm moraliter, in quantùm nequit assignari effectus ab ipso physicè productus; sed hæc ratio est manifestè falsa; nam per caracterē baptismi baptizatus realiter physicè recipit alia sacramenta; sicut materia per potentiam passiuā recipit physicè formas; nullus enim diceret, quòd baptizatus sumendo eucharistiam sumat tantùm moraliter, & non realiter physicè corpus Christi; qui est in eucharistia per præsentiam rea-

realem physicam, non tantùm per præsentiam moralem, sic per caracterem confirmationis elicit actus physicos, quibus vincit fidei inimicos; sic per caracterem ordinis elicit physicè actionē consecratoriam, quæ actio physica est; ergo idē. *Vid. vbis.*

15 Obijc. 1. Potentia sequitur naturam; sed caracter non sequitur naturam hominis, aliter omnis homo haberet caracterem; ergo non est potentia. 2. Potentia physica constituit causam principalem, non instrumentalem, vt patet de intellectu, qui est causa principalis intellectionis; sed caracter non est causa principalis; ergo non est potentia physica. 3. Simplex sacerdos nequit conferre confirmationem; potest tamen per dispensationem Pontificis; sed dispensatio Pontificis nihil addit physicè sacerdoti; ergo idem.

Resp. ad 1. dist. ma. Potentia naturalis, conc; supernaturalis, neg. Ad 2. dist. ma. Potentia physica principalis constituit causam principalem, conc; instrumentalis, neg. Ad 3. dist. ma. Simplex sacerdos nequit conferre confirmationem defectu caracteris sacerdotalis, neg. defectu alterius requisiti ad ministerium, conc. *Sed de hoc suo loco.*

16 Obijc. 2. *Sua.* Caracter baptismi non est potentia receptiua; non enim recipit sacramenta; quia caracter est spiritualis, sacramenta verò sunt corporalia; & corporale nequit recipi in spirituali; neque gratiam; quia catechumenus habet eandem gratiam per contritionem, quam recipit baptizatus per sacramentum; neq; alios caracteres, quia sicut anima immediatè recipit caracterem baptismi; ita immediatè recipit alios caracteres; ergo caracter non est potentia. 2. Sine caractere confirmationis possumus fidem protestari, vt fecerunt plures Sancti Martyres; ergo est tantùm ad secundùm quid, non ad simpliciter; & ideo non est potētia. 3. Caracter ordinis inferioris non est necessarius ad recipiendum ordinem superiorem; possunt enim ordines suscipi per saltus; vt probat *Fund. Doct. vbi sup.* ergo idem. 4. Caracter ordinis non est causa gratiæ; vt patet in ordinibus minoribus; nec in præsbiteratu; aliter esset causa principalis; quia principium effectiuum permanens, nō fluens, est causa principalis; neque est causa transubstantiationis; quia hæc fit virtute verborum; ergo non est potentia actiua, & aliunde non est passiua; ergo nullo modo est potentia. 5. Non datur aliqua qualitas patratiua miraculorum; ergo neque aliqua qualitas permanens actiuè productiua alicuius qualitatis supernaturalis.

Resp. 1. ad 1. aliquam potentiam dici receptiuam dupliciter. 1. Quia recipit in se ipsa; vt materia recipit formam. 2. Quia est ratio recipiendi, non tamen recipit in se ipsa; vt siccitas est ratio recipiendi calorem, & formam ignis; non tamen forma ignis recipitur in siccitate; quia substantia non recipitur in accidente. Quāuis ergo admittatur caracterem baptismi non esse potentiam receptiuam in se ipsa; attamen potest esse ratio recipiendi, siue ratio, cur alia recipiantur; & sic quanuis sit spiritualis, potest esse ratio, cur sacramenta, quæ sunt corporalia, recipiantur ab homine. Sic gratia, quam habet cathecumenus, non est gratia sacramentalis, sed extrasacramentalis, vt diximus *in sup. q. art. 3;* sic alij caracteres recipiuntur in anima ratione caracteris baptismalis. Ad 2. dist. ant. Possumus fidem protestari sacramentaliter ministerialiter, neg; extrasacramentaliter ex virtute Dei, qui non ita alligauit gratiam suam sacramentis, vt illam non possit extra sacramēta conferre, conc. Ad 3. neg. cons; nam baptismus est ianua, per quam intramus ad sacramenta; ordo autem minor non est ianua, vt suo loco dicemus. Ad 4. dicitur, quòd ordines conferunt gratiam, si non sit obex; & illam conferunt suo modo, vt pariter suo loco dicemus. Insuper falsum est potentiam instrumentalem permanentem esse causam principalem. Item verba consecratoria habent efficaciam à caractere instrumentaliter. Ad 5. dist. cons. Non datur aliqua qualitas instrumentalis indirectā permanens productiua entitatis supernaturalis, neg; directa, transeat.

17 Obijc. 3. *Argent.* Caracter disponit ad gratiam; ergo non est potentia, quæ differt specie à dispositione.

Resp. neg. cons; & ad prob. infert. dicitur, quòd nomine *dispositionis*, quæ est prima species qualitatis, non intelligitur quæcunque dispositio ad quancunque formam; nam calor, vt octo, est dispositio ad formam ignis; & tamen non spectat ad dispositionem, quæ est prima species qualitatis, cùm ille sit permanens inseparabiliter cum forma ignis; ista verò est de facili mobilis. Intelligitur ergo tantùm id, quo potentia disponitur ad acquirendam facilitatem talis operationis; vt diximus *to. 4. q. 2. de habi. art. 2.*

18 Colligitur ex dictis caracterem esse formam absolutam secundùm esse, & importare quadruplicem modū relatiuum. 1. Etenim dicit respectum ad Christum, cui configurat, assimilat, & conformat; habetur enim *Philipp. 3. Configuratus morti eius. & Hebr. 7. Assimilatus Filio Dei. & Rom. 8. Conformes fieri imaginis Filij sui.* 2. Dicit respectum similitudinis ad alios fideles habentes eundem caracterem. 3. Dicit respectum dissimilitudinis ad alios illo carentes. 4. Dicit respectum ad cultum Diuinum, ad quem ordinatur.

A R T. III.

Quodnam sit subiectum immediatum caracteris?

1 EST de fide subiectum primum, & radicale inhæsionis, & substentationis, cui inhæret, & in quo imprimitur, ac substentatur caracter, esse animam rationalem; vt statuit *Co. Flor.*

Flor. in decr. vnionis Armenior. Inter hæc sacramenta tria sunt, baptismus, confirmatio, & ordo, quæ caracterem, idest spirituale quoddam signum à ceteris distinctum imprimunt in anima indelebile; & *Trid. sess. 7. can. 9. Si quis dixerit in tribus sacramentis, baptismo scilicet, confirmatione, & ordine non imprimi caracterem in anima, anathema sit*; & *Fund. Doct. Æg. de Renunc. Papæ c. 10. p. 1.* inquit; *Caracter est distinctio impressa animæ rationali*; & *p. 7. In anima separata remanet caracter, & perfectio caracteris, non quidem quantùm ad vsum, qui erat ordines conferre, vel Corpus Christi cõficere; sed remanet quantùm ad decorem, & gloriam in beatis; & quantùm ad pudorem, & ignominiam in damnatis.* Ratio autem est; quia caracter est potentia, quæ est principium actionis vitalis; ideo debet animæ inhærere, cui vita formaliter competit; sicut ei omnes aliæ potentiæ vitales inhærent. Difficultas igitur est de subiecto proximo immediato, & receptionis; an scilicet imprimatur animę immediatè, sicut ei imprimitur gratia habitualis, quæ est immediatè in essentia animæ; & sicut ei imprimitur potentia intellectiua, volitiua, & qualibet alia potentia naturalis; vel imprimatur animæ mediante intellectu, vel voluntate eo modo, quo habitus fidei infunditur animæ mediante intellectu; & habitus charitatis mediante voluntate. Quod adhuc dupliciter potest intelligi. 1. An omnes caracteres imprimantur immediatè animæ, vel potentiæ animæ ita, vt vnus non recipiatur in alio. 2. An solus caracter baptismi imprimatur animæ, vel potentiæ ipsius immediatè; alij verò immediatè recipiantur in caractere baptismali, & mediante ipso recipiantur in anima, vel in eius potentia?

2 *Sua; Vasq; Bellarm; & alij* relati *in sup. art.* substinentes caracterem esse habitum, vel dispositionem asserunt subiectari immediatè in essentia animæ. Quanuis parum sibi conformiter loqui videatur eo; quia habitus, & dispositio, cùm sint principia formalia, quibus potentię operantur, subiectantur immediatè in potentijs, quæ illis mediantibus operantur; vt constat de scientia per modum habitus, vel dispositionis, quæ subiectatur in intellectu; & sic de alijs habitibus, & dispositionibus.

3 *Scot. apud Mastr. hic disp. 1. q. 5. art. 4. n. 222; omnes Scotistæ*, excepto *Hiquco, Gabr*; & alijs relatis *in sup. art.* volunt subiectari in voluntate.

4 *Alij* docent subiectari immediatè in intellectu. *Ita omnes Thomistæ; & alij*; sed cum hoc discrimine, quòd caracter baptismalis recipiatur immediatè in intellectu, alij autem duo caracteres recipiantur immediatè in caractere baptismali, & mediante ipso in intellectu. *Ita plures Recentiores. Noster* autem *Argent. dist. 6. art. 1.* docet caracterem baptismi esse in essentia animæ; & *dist. 6. art. 2.* caracterem confirmationis in voluntate; & *dist. 7. art. 2.* caracterem ordinis in intellectu.

5 Nostra tandem sententia docet tres caracteres immediatè recipi in intellectu, & mediante ipso in anima ita, vt quanuis caracter baptismi sit ratio recipiendi alios caracteres, non tamen illos in se ipso recipiat eo modo, quo diximus *in sup. art.* de siccitate respectu formæ ignis. Refertur *Fund. Doct. Æg. in tract. de caract. à nostro Puteano*; & quidem quanuis hoc expressè dictum non inueniamus; attamē conformissimum est eius doctrinæ allatæ *in sup. art.* Eandem sententiam docet *idem Putean; Gibb; & omnes nostri cum D. Tho; omnibus Thomistis; & Val; Gran; Henriquez, Sayro, & alijs*; quanuis *aliqui*, vt diximus, velint duos posteriores subiectari in caractere baptismi.

6 Vnica concl. Tres caracteres non subiectantur immediatè in essentia animæ, nec in voluntate, sed tantùm in intellectu ptacticè operatiuo æquè immediatè.

Prob. 1. pars concl. Illud, quod immediatè recipitur in essentia animæ, habet rationem principij *quod*, & operatur mediante alio principio *quo* proximo, adeoq; est tantùm principium radicale, & remotum; vt constat de potentijs naturalibus, vt sunt intellectus, & voluntas, quæ operantur mediantibus habitibus; intellectus enim operatur mediante lumine; habitu scientiæ &c; & voluntas mediante habitu charitatis, vel dispositione &c; & gratia habitualis, quæ est potentia supernaturalis subiectata in essentia animæ, operatur mediantibus habitibus infusis, & moralibus acquisitis; sed caracteres non sunt principia *quæ* operantia mediantibus alijs habitibus; sunt enim principia, *quibus* mediantibus operamur; quoniam ab ipsis immediatè oritur actio propria illorum, vt actio consecratiua &c; ergo caracteres non subiectantur immediatè in essentia animæ.

7 Prob. 2. simul vtraque pars. *Ex D. Dion. de Eccl. Hier. c. 2.* caracter est *Diuinum lumen illuminans nos, & configurans Christo*; sed lumen immediatè recipitur in intellectu, qui solus est potentia videns, & ideo egens lumine; ergo caracter immediatè recipitur in intellectu, non in voluntate, aut in essentia animæ.

8 Resp. *Mastr. n. 229.* caracterem dici lumen metaphoricè, quatenus est signum manifestans statum hominis, scilicet seruitutem, militiam, vel ministerium Christi; vel quatenus affert ius morale ad habendas Diuinas illustrationes per ordinem ad exequendas actiones proprias illius caracteris; propter hoc tamen non est opus, vt sit in intellectu.

Sed cont. est. Illud, quod formaliter manifestat; & inducit in cognitionem formaliter, est in intellectu formaliter, non in voluntate, aut in essentia animæ; est enim obiectum formale intellectus, quod est in intellectu; sicut illud, quod allicit ad amorem, & inducit ad amandum, est obiectum voluntatis, & est in voluntate, nam

quanuis etiam bonum existens in voluntate inducat in cognitionem amoris; attamen non inducit, vt bonum formaliter, sic enim tantùm allicit, & inducit in amorem, non in cognitionem; sed tantùm inducit in cognitionem materialiter, quatenus illud bonum est verum; sic enim est formaliter obiectum intellectus; sed caracter formaliter manifestat seruitutem, militiam, vel ministerium *Christi*, & formaliter inducit in cognitionem huiusmodi; ergo est formaliter in intellectu. 2. Illud, quod proximè tribuit ius ad Diuinas illustrationes, est immediatè in intellectu; sicut illud, quod proximè tribuit ius ad Diuinas motiones, & emollitiones cordis, est in voluntate, non in intellectu, aut in essentia animæ, nam gratia habitualis tribuit proximè ius ad habitum fidei illustrantem intellectum, & subiectatum in intellectu; & ad habitum charitatis receptum, & subiectatum in voluntate; ipse autem habitus fidei tribuit proximè ius ad illustrationes Diuinas, quæ sunt in intellectu, & habitus charitatis tribuit proximè ius ad motiones Diuinas, quæ subiectantur in voluntate; sed caracter dicitur lumen, quia proximè tribuit ius ad illustrationes Diuinas circa actiones proprias ipsius, quas proximè, & immediatè elicit; sicut diximus de habitu fidei, & charitatis; ergo ex hoc etiam conuincitur caracterem esse immediatè in intellectu, non in voluntate, aut in essentia animæ.

9 Prob. 3. ex *S.P. Aug. lib. 1. cont. Crescon. c. 30. & sæpè alibi* docente caracterem esse *signaculum fidei ex Apost.*; vt diximus *art. 1. n. 7.* quod nequit intelligi de signaculo externo, sed interno; caracter enim, cùm sit spiritualis, & impressus in anima, vt docent *Concilia*, non est quid externum, quod est corporale, & impressum in corpore, sed internum signaculum fidei est in eodem subiecto, in quo est fides, quod est intellectus; ergo caracter est in intellectu.

10 Resp. *Mastr. ibid.* neg. mi; nam crux in Equite est signum militiæ Christianæ, & tamen est in pectore, non in manibus, in quibus est militia.

Sed cont. est. Ars militaris Christiana non est in manibus, sed in intellectu, qui est subiectum proximum omnium artium *secundùm Philosophos*; non autem in manibus, quæ non sunt, nisi instrumenta, quibus ars militaris operatur, vt constat; in tantùm autem crux in pectore Equitis non est in arte militari; in quantùm est signum externum, non internum; quòd si esset internum, non posset poni, nisi intra idem subiectum, in quo est ars militaris, scilicèt in intellectu; sicut signaculum, seu signatio ceræ est in ipsa cera, non in alia re distincta à cera; sed caracter est signum fidei internum, non externum; ergo est in eodem subiecto, in quo est fides.

11 Conf. Illud, quod formaliter proximè ordinatur ad obiectum fidei per aliquam actionem attingendo formaliter obiectum fidei, est in intellectu, in quo est fides; quanuis enim aliquod existens in voluntate possit ordinari materialiter ad obiectum intellectus, & è contra; non tamen formaliter, aliter confunderentur istæ duæ potentiæ; & vna posset formaliter elicere operationes alterius: vt voluntas posset cognoscere, & intellectus amare, quod repugnat; potest tamen voluntas amare, quod cognoscit intellectus; & intellectus cognoscere, quod amat voluntas, & idem dicitur de habitibus existentibus in intellectu, & voluntate, quod est tendere in obiectum alterius tantùm materialiter, non formaliter; sed caracter ordinatur formaliter ad obiectum formale fidei, quod est obiectum formale partiale, & inadæquatum intellectus, non voluntatis, est enim veritas supernaturalis reuelata; nam caracter baptismalis ordinatur ad recipienda sacramenta fidei, ac ad obseruanda fidei præcepta; caracter confirmationis ordinatur formaliter ad eliciendū fortiter actum fidei; & caracter ordinis ordinatur ad exercendos actus spectantes ad cultum Diuinum, prout præcipiuntur à fide; nam prout ordinantur ad cultum Diuinum simpliciter, imperantur à virtute religionis, virtus autem religionis est specie distincta à caractere, vt constat; & virtutes specificè distinctæ debent habere rationes formales specificè distinctas, vt pariter notum est; adeoque nequit caracter ordinari ad actus spectantes ad cultum Diuinum, nisi materialiter; quia tales actus sub hac ratione respiciuntur à virtute religionis; & per consequens ad illas, vt præcipiuntur à fide, ordinantur; sic enim distinguitur à virtute religionis, & à quacunque alia virtute; ergo caracter formaliter est in intellectu, in quo formaliter est fides.

12 Prob. 4. Caracter est immediatè in illa potentia, quæ secundùm se ipsam potest elicere operationem indifferentem ad bonitatem, & malitiam moralem; sed solus intellectus est huiusmodi; ergo solus intellectus est illa potentia, in qua caracter est immediatè. Prob. ma. Caracter est potentia spiritualis, quæ non est determinata ad actum bonum moraliter; aliter cùm actio esset moraliter mala, caracter non produceret suam actionem; & illa actio mala non esset formaliter à caractere, v.g. quia virtus eleemosinæ est ad actum moraliter bonum determinatè; ideo si quis daret eleemosinam ex motiuo adulterandi, ille actus non esset actus virtutis, sed vitij; ita si caracter esset determinatè ordinatus ad actum bonum moraliter, sequeretur, quòd sacerdos sacrilegè consecrans verè non consecraret; quia ille actus consecrationis, vtpotè malus moraliter, non esset à caractere, qui esset tantùm determinatus ad actum bonum, non ad malum; ergo caracter secundùm se est potentia indifferens ad actum bonum, & malū; quia potentia est sic indifferens, quæ ponit suū actum,

actum, qui non destruitur, nec impeditur per malitiam, nec ponitur solùm per bonitatem. Atqui potentia indifferens ad actum bonum, & malum moraliter nequit immediatè subiectari, nisi in potentia potente elicere actum indifferétem ad bonitatem, & malitiam moralem; quia omne receptum in potentia determinatè ordinata ad actum bonum, sequitur naturam illius potentiæ; & ideo nequit producere, nisi actum determinatè bonum; & sic de ordinatione determinata ad actum malum; ergo character est immediatè in illa potentia, quæ secundùm se potest elicere operationem indifferentem ad bonitatem, & malitiam moralem. Prob. mi. Illa sola potentia spiritualis potest elicere operationem præscindentem à bonitate, & malitia morali, quæ non habet pro obiecto formali bonū, *vt sic*; sicut illa potentia spiritualis potest elicere actionem præscindentem à veritate, & falsitate, quæ non habet pro obiecto formali veritatem, *vt sic*; nam cùm non possit potentia tendere extra suum obiectum specificatiuum, ad quod est ordinata essentialiter; ideo si eius obiectum formale sit bonum, vel rectè tendit in illud, & sic eius actus est bonus; vel obliquè, & deficiendo, & sic est malus; & ita de obiecto vero; hinc quia intellectus habet pro obiecto formali verum, *vt sic*, ideo eius actus nequit præscindere à veritate, & falsitate, sed necessariò est determinatè verus, vel falsus; sed solus intellectus non habet pro obiecto formali bonum, *vt sic*; quia hoc est obiectum voluntatis; obiectum autem intellectus est verum, *vt sic*; quod virtualiter præscindit à bonitate, & malitia, *vt sic*; à qua tamen nequit præscindere bonum, *vt sic*; quod est obiectum formale voluntatis; ergo solus intellectus potest elicere operationem formaliter præscindentem, & ideo indifferentem ab bonitatem, & malitiam moralem.

13 Prob. 3. pars concl. 1. Tres Personæ Diuinę sūt ęquè immediatè in Diuina essētia ita, vt vna personalitas non sit in alia immediatè, & mediante ipsa in diuina essentia; nam si filiatio esset in paternitate immediatè, ab illa non distingueretur realiter, quia illi non opponeretur; vnum enim oppositum nequit immediatè recipi in alio; & in tantùm relatio non distinguitur realiter ab essentia, in quantùm est immediatè in illa; quia secundùm esse *in* omnia in Diuinis transeunt in identitatem, vt docet *Conc. Flor.*; sed tres caracteres se habent respectu sui subiecti immediati, sicut tres personalitates Diuinæ respectu essentiæ Diuinæ; sunt enim imago Trinitatis Diuinarum Personarum; in quarum virtute sacramenta imprimunt caracterem; ideo caracter baptismi repræsentat Patrem; sicut enim solus Pater est generans; sic solus caracter baptismi regenerat hominem in nouam creaturam, & filium Dei adoptiuum; & caracter cōfirmationis repræsentat Filium; sicut nanque Filius vicit hostes inuisibiles, qui tenebant homines captiuos sub iugo mortis; ita caracter confirmationis dat robur ad debellandos inimicos fidei, per quod eruimur à mortis captiuitate; & caracter ordinis repræsentat Spiritum Sanctum; & ideo per manuum impositionem, per quam conferebant Apostoli ordinis caracterem, dabatur Spiritus Sanctus, ergo tres caracteres ęquè immediatè sunt in intellectu ita, vt vnus non recipiatur in alio, & mediante ipso in intellectu. 2. Id, quod recipitur in aliqua potentia operatiua, determinatur ab illa ad eliciēdas solas operationes proprias illius potentiæ; vt omnes habitus recepti in intellectu determinātur ad intelligendum; & habitus recepti in voluntate ad volendum; sed caracter confirmationis non determinatur ad producendos effectus proprios caracteris baptismalis; & caracter ordinis ad producēdos effectus caracteris cōfirmationis, & baptismi, ergo caracteres confirmationis, & ordinis non recipiuntur immediatè in caractere baptismi; sed omnes æquè immediatè recipiuntur in intellectu. 3. Nulla sigillatio corporalis potest recipi immediatè in alia sigillatione absque deformatione, & confusione vtriusq; vna enim deformat, & corrumpit alteram, vt constat; sed caracteres sunt sigillationes spirituales, quæ se habent, sicut sigillationes corporales; ergo vnus caracter nequit immediatè recipi in alio, aliter deformarentur, & confunderentur.

14 Obijc. 1. *Sua.* Signum debet poni in eo, quod est notius; sed anima est notior suis potentijs; & caracter est signum; ergo debet poni in anima. 2. Potentiæ naturales ponuntur immediatè in anima; ergo à pari.

Resp. ad 1. neg. mi; accidentia enim sunt notiora, quàm substantia. Vel dicitur caracterem nedum esse signum, sed etiam principium *quo* operationis; ideo poni debet in potentia. Ad 2. neg. cons. quia potentia naturalis est principium *quod*, vt dictum est; caracter autem est tantùm principium *quo*.

15 Obijc. 2. *Mastr. ex Scot.* Caracter est signum, & fundamentum obligationis animæ ad Deum; ergo debet poni in illa potentia, per cuius actum anima se obligat; sed hæc est sola voluntas; ergo ponitur in voluntate. 2. Dispositio, & forma, ad quam est dispositio, sunt in eodem subiecto; sed caracter est dispositio ad gratiam habitualem, quæ cùm non distinguatur à charitate, est in voluntate; ergo idem. 3. Caracter est potentia moralis operatiua actuum pertinentium ad recipienda, vel ministranda sacramenta; sed isti actus immediatè, & principaliter eliciuntur à voluntate; siquidem per hos actus exhibetur cultus, & honor debitus Deo, & ideo sunt actus religionis, quæ cùm sit pars iustitiæ, quæ est in voluntate, est virtus volun-

luntatis; ergo idem. 4. Quanuis protestatio fidei sit actus intellectus, attamen voluntas est principium credendi, & illa protestatio oritur à voluntate, & ideo est actus imperatus à fide; ait enim *S. P. Aug. Cetera potest homo nolens, credere verò non nisi volens*; sed caracter est principium illius protestationis; ergo poni debet in voluntate.

Resp. hæc omnia adeo implicita esse, vt nihil explicitè probent, vel improbent. Ad 1. dist. ant. Est signum obligationis animæ ad Deũ tantùm, neg; etiam, conc; caracter enim significat illa omnia, quæ ad illius impressionem concurrunt; vnde cùm concurrat nedum voluntas recipientis, quæ se obligat ad seruandam fidem Christi in baptismo, ad ipsam tuendam in confirmatione, & administranda ipsius sacramenta in ordine; sed etiam intentionem ministri, & Ecclesiæ; ideo nedum est signum actus, quo anima se obligat Deo, sed etiam actus, quo minister intendit facere, quod facit Ecclesia, quia sine ista intentione caracter non esset impressus. Principaliter tamen significat fidem seruandam, tuendam, & excolendam per administrationem sacramentorum, per ordinem ad quam caracter confertur; quanuis præsuppositiuè minùs principaliter significet etiam actum voluntatis recipientis, tanquam aliquod præsuppositum eo modo, quo dicemus *in seq. q*; fidem autem significat, tanquam obiectum, quod respicit; obiectum autem principaliter se habet ad principiũ actus qui illud respicit; & principium alicuius actus tendentis formaliter circa aliquod obiectum formale, debet poni immediatè in illa potentia, in qua est formaliter habitus specificatus à tali obiecto; vt scientia, quæ respicit formaliter cognoscibile, ponitur in intellectu, qui habet pro obiecto formali cognoscibile. Ergo caracter, quia respicit formaliter actum fidei, & fidei obiectum; ponitur in intellectu, in quo est fides. Ad 2. dist. ma. Sunt in eodem subiecto *quod*, conc; *quo*, neg; nam calor est dispositio ad formam ignis in ligno, quod est subiectum *quod* caloris, & formæ ignis; attamen calor est in forma ignis, & forma ignis in materia, vt in subiecto *quo* proximo; quãdo forma ignis iam introducta est in lignum. Sic actus fidei est in eodem homine, qui est subiectum *quod*, dispositio ad actũ charitatis; & tamen ille est in intellectu, iste in voluntate. Ad 3. neg. mi. Ad prob. dist. Per istos actus, prout formaliter eliciuntur à caracteribus, exhibetur cultus Deo, neg; nam prout eliciuntur à caracteribus formaliter, habent solùm fidem profiteri, tueri fortiter, & excolere; prout imperantur à virtute religionis, conc; nam etiam actus fidei ex imperio religionis potest ordinari ad cultum, & honorem Dei; & tamen non sequitur actum fidei formaliter elici à religione; neque fidem, quæ est ptincipium formalitet elicitiuum illorum, esse in voluntate. Ad 4. dist. 2. pars ant. Voluntas est principium formale elicitiuum actus credendi, neg; actus enim credendi formaliter elicitur à fide, quæ est in intellectu, & in omnium sententia eius actus recipitur in intellectu; est principium imperatiuũ, conc; ex hoc autem non sequitur caracterem esse in voluntate; quia voluntas imperat actum cognitionis, scientiæ &c; & tamen scientia &c. non est subiectiuè in voluntate.

16 Inst. Actus procedentes à caractere sunt protestatiui religionis, non fidei; & non sunt meritorij, nisi imperentur à volũtate; sicut nec actus fidei sunt moraliter meritorij, nisi sint imperati à voluntate; ergo spectant ad voluntatem.

Resp. neg. 1. part. ant; nam virtus religionis respicit cultum Deo religiosè, ac sanctè præstandum; vnde si quis colat Deum irreligiosè, ac sacrilegè, ille cultus non est actus virtutis religionis, sed vitij illi oppositi; quia virtus est determinata ad actum bonum moraliter, ideo tantùm actus bonus moraliter est actus virtutis. At verò actus caracteris præscindit ab eo, quòd sit religiosè factus, vel sacrilegè; quanuis enim sit bonus, vel malus moraliter; attamen est verus actus caracteris, vt diximus. Sic præscindit ab eo, quòd sit, vel nõ sit meritorius; & ideo ex hoc euincitur non spectare ad virtutem religionis, & ad voluntatem.

17 Collig. ex dictis caracterem non esse purum, ac merum signum absque vlla actiuitate, vt putarunt *Vasq; Caspen; & aly pauci*; definitur enim *à Mag; Fund. Doct. Æg. vbi s; S. Tho; & alijs communiter; & à Conc. Trid. sess. 23. c. 4; & can. 7. spiritualis potestas confirmandi, ordinandi &c*; quam spiritualem potestatem non habent, qui carent caractere; vt statuit *idem Conc*; aliter omnes homines haberent potestatem consecrandi; vt asserebat *Luther*; sed potestas importat actiuitatem; ergo caracter non est purum signum sine actiuitate. *Vid. in sup. art. à n. 5.* Tum quia de fide est sacerdotem in ordinatione accepisse potestatem consecrandi, quam non habet laicus; sed illa potestas non est gratia sactamẽtalis; existens enim in peccato mortali habet potestatem consecrandi, & non habet gratiam; ergo hæc potestas est caracter; nihil enim aliud confertur præter gratiam, & caracterem in sacramento illum imprimente. Tum quia caracter confirmationis dicit robur ad pugnandum; vt docet *Flor*; sed robur, seu fortitudo est principium actionis; ergo idem.

18 Dices. Sequeretur damnatos habere qualitatem supernaturalem, qua possent elicere operationes supernaturales; caracter enim est indelebilis, & ideo manet etiam in damnatis.

Resp. *Fund. Doct. Æg. de caract. vbi s.* caracterem manere in damnatis quoad pœnam, cõfusionem, & ignominiam; in beatis verò quoad gloriam; quia nihil destruitur, nisi per suum oppositum; caracter autem non habet oppositum;

stat

ſtat enim ſimul cum peccato; ideo *Trid; Flor; & SS. PP;* docent ſemper manere; ſed in ſolis viatoribus eſſe quoad vſum; quia ſolùm in via ſacramenta, quæ ſunt medicinæ ad acquirendam ſalutem, ſumuntur; in via ſunt hoſtes vincendi; & fidei ſacramenta ſunt diſpenſanda. *Vid. ſeq. q.*

QVÆST. V.

De miniſtro ſacramentorum.

DE cauſa miniſteriali excellenter inſtitutiua ſacramentorum, diximus ſatis *q. 1. art. 5. §. 1;* modò inquirimus de miniſtro ordinario effectiuo, & diſpenſatiuo ſacramentorum. Quoniàm tamen quorundam ſacramentorum ſolus Epiſcopus eſt miniſter, vt ſunt confirmatio, & ordo; aliorum verò ſolus ſacerdos; vt euchariſtia, pœnitentia, & extrema vnctio; & aliorum etiam laicus poteſt eſſe vel ſimpliciter, vt eſt matrimonium in communiori ſententia; vel in caſu neceſſitatis, vt baptiſmus; ideo de his, cùm ſpecialiter agemus de ſingulis ſacramentis, ſermo erit; *hic* verò ſolùm ea, quæ competunt miniſtro ſacramentorum communiter, declarabimus.

ART. I.

Quinam ſit miniſter ſacramentorum?

1 LVth. lib. 1. de capt. Babyl. vult omnes Chriſtianos eſſe æqualiter ſacerdotes, & habere eandem poteſtatem in verbo, & ſacramento quocunque; non licere tamen ea vti, niſi ex conſenſu communitatis, vel vocatione maioris; *& lib. 2. de abroganda miſſa priuata* ait non ſolos homines, ſed etiam Angelos ſiue bonos, ſiue malos eſſe miniſtros ſacramentorum.

Sed hic error damnatus fuit *à Conc. Trid. ſeſſ. 7. can. 10. Si quis dixerit Chriſtianos omnes in verbo, & in omnibus ſacramentis adminiſtrandis habere poteſtatem, anathema ſit; & ſeſſ. 23. c. 4. Si quis omnes Chriſtianos promiſcuè noui teſtamenti ſacerdotes eſſe, aut omnes pari inter ſe poteſtate ſpirituali præditos eſſe affirmet &c; & S. P. Aug. ſerm. 11. de verb. Domini* in fine: *Dedit* (Deus) *Eccleſiæ ſuæ Spiritū Sanctū, vt cuicunq; in eo peccata dimitteret, dimitterentur ei;* & mox: *Ad quam etianſi per malum Clericum, ſed tamen catholicum miniſtrum, reprobum, & fictum, aliquis acceſſerit corde non ficto, in ipſo Spiritu Sancto remiſſionem accipit peccatorū; qui Spiritus in Sancta Eccleſia, etiam in iſto tempore, quo velut area cum palea trituratur, ſic operatur, vt nullius veram confeſſionem aſpernetur, nullius ſimulatione fallatur; atq; ita reprobos fugiat, vt etiam per eorum miniſterium probos colligat.* Nam hæc poteſtas *Io. 20.* fuit data ſolis ſacerdotibus repræſentantibus perſonam Eccleſiæ: *Accipite Spiritum Sanctum, & quorum remiſeritis peccata &c;* extra quam nullus habet hanc poteſtatem; vt ait *idem S. P. lib. 3. de bapt. cont. Donatiſt. c. 18. Foris quidem nec ligari aliquid poteſt, nec ſolui; vbi non ſit, qui aut ligare poſſit, aut ſoluere.* Sic de aliorum ſacramentorum miniſtris eſt ſeruata proportione dicendum; de miniſtro enim baptiſmi legitur *Matth. 28. Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Fily, & Spiritus Sancti;* & de euchariſtia *Luc. 22. Hoc facite in meam commemorationem;* de extrema vnctione *Iac. 5. Inducat presbiteros &c;* & ita de alijs; ex quibus *textibus* conſtat miniſtros ſacramentorum fuiſſe à Chriſto Domino determinatos; atque adeò non omnes eſſe æqualiter miniſtros eorum. Ratio autem mox afferetur.

2 *Alen; Cabr; Vaſq; Lug; Beccan; & alij* volunt miniſtros ſacramentorum eſſe ſolos homines viatores ex vi præſentis inſtitutionis, non autem homines beatos, etianſi miraculosè reſurgerent in proprio corpore, aut in corporibus aſſumptis apparerent. *Sot; Sua; Gibb; Ledeſma, Gonet, & communiter Recentiores* docent etiam beatos, ſi reſurgerent in corpore mortali, vel immortali, fore miniſtros de lege ordinaria. Addit *Bernal diſp. 17. ſect. 1.* Angelos de potentia Dei abſoluta poſſe quidem miniſtrare, ſed non conficere ſacramenta.

3 Tota diuerſitas, quæ eſt *inter Theologos* circa homines, eſt potiùs de modo ſignificandi, quàm de re ſignificata; nam qui volunt ſolos homines viatores de lege ordinaria eſſe miniſtros ſacramentorum, non negant in hominibus, qui ex hac vita migrarunt, caracterem manſiſſe; atq; adeo non aſſerunt, quòd ſi anima alicuius ſacerdotis v. g. iam defuncti de potentia Dei abſoluta ſuū corpus reſumeret, & ad hanc vitam mortalem rediret, eſſet reordinandus ad hoc, vt poſſet euchariſtiam conficere, & miniſtrare; quod aſſerunt *alij* contendentes, quòd ſi beati reaſſumerent corpora, de lege ordinaria poſſent ſacramenta miniſtrare; totum enim miraculum eſſet circa reditum ad hanc vitam, & circa corporum reaſſumptionem; non enim aiunt poſſe beatos in Cęlo, & damnatos in inferno ſacramenta conficere, & miniſtrare de potentia Dei ordinaria; quia ſacramenta de facto ſunt inſtituta pro hominibus in hac vita degentibus per ordinem ad acquirēdam ſalutem, quod ſolùm qui ex oppoſito ſtare videntur, intendunt. Nam certum eſt apud omnes, quòd animæ aſſumentes corpora aerea & apparentia ex diſpenſatione Diuina non eſſent miniſtrę ſacramentorum de lege ordinaria; quia Chriſtus de facto ordinauit, vt Apoſtoli, ac eorum Diſcipuli, eorumque ſuc-

successores sacramenta conficerent, ac ministrarent; illi autem non habebant corpus aereum, vel apparens, sicut nec habebant corpus gloriosum; & ideo quòd ministrentur in corporeo aereo, & apparenti, vel glorioso, non est de lege ordinaria, sed supra ordinem, quem videmus, non quòd sic apparentes non habeant caracterem, qui est potestas ministrandi; non quòd verba ab illis prolata non habeant virtutē secundùm ordinem, quem videmus, efficiendi sacramenta; sed quia de facto hoc ministerium commissum fuit hominibus in hac vita degentibus, & per consequens viatoribus; supposito tamen, quòd, qui ex hac vita migrauit, reuocetur, absque vlla alia concessione, ordinatione, aut dispensatione posset sacramenta, quæ priùs ministrabat, conferre, quod nemo inficiatur, aut negat. Igitur.

4 Vnica concl. Soli homines existentes in via, Angeli verò solùm de lege speciali possunt esse ministri sacramentorum. *Ita Fund. Doct. Æg. de sacram. Altaris proposit.* 24; vbi ait: *Si Angelus aliquem baptizaret, quantùm est de lege communi, baptizatus ab Angelo non esset baptizatus; potestatem enim baptizandi non tradidit Deus Angelis, sed hominibus; tamen quia bonus Angelus non baptizaret aliquem, nisi hoc faceret de speciali Dei mandato, quantùm est de speciali dispensatione Diuina, fatendum esset baptizatum à bono Angelo suscipere fructum baptismi*; & mox: *Baptismus habet debitū ministrum, & debitam materiam, & quantùm est de lege communi, nisi ibi debita concurrant, non fit ibi baptismus, de lege tamen speciali potest fieri aliter; sic sacramentum eucharistiæ &c*; quod colligitur *ex S. P. Aug. lib. 2. cont. Parmenian. c.* 15; vbi ait: *Nemo accipit sine dante; sed quod attinet ad sanctitatem baptismi, ad sit Deus, qui das siue per hominem* (supple de lege communi) *siue per Angelum* de lege speciali.

5 Prob. ratione 1. pars concl. Illi soli de lege communi sunt ministri sacramentorum, qui receperunt potestatem à Christo ministrandi; sed soli homines existentes in via sunt huiusmodi; ergo illi soli sunt ministri sacramentorum de lege communi. Ma. patet; quia ad ministrāda sacramenta requiritur potestas accepta ab institutore sacramentorum; sicut ad exercenda qualibet officia, & ministeria etiam in humanis requiritur potestas à Principe accepta; in tantùm enim nullus potest esse minister in aliquo Regno, nisi determinetur à Rege; in quantùm solùm in Rege est omnis, & plena potestas circa administrationem, & regimen Regni; & ideo nisi à Rege communicetur talis potestas, nullus potest esse minister; sed solùm in Christo fuit potestas ministerialis sacramentorum excellēter iuxta illud *Matth. vlt. Data est mihi omnis potestas*; ergo illi soli sunt de lege communi ministri sacramentorum, qui ministrandi potestatem acceperunt à Christo. Prob. mi. Potestas ministrandi sacramenta de facto fuit communicata à Christo solis Apostolis, & Discipulis, ac eorum successoribus vsque ad mundi finem; vt habetur *ibid. Euntes docete omnes gentes baptizantes eos &c; & ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi*; consummatio autem sæculi est consummatio status viæ, quem nomine *sæculi* appellat; & pro quo solùm sunt necessaria sacramenta ad consequendam salutem; post statum autem viæ nullus salutem consequi poterit; quia omnes erunt in termino vel salutis iam acquisitæ, vel damnationis receptæ; sed Apostoli, & Discipuli, ac eorum successores erant in via; successio enim in termino esse non potest; quia successio est motus, qui termino repugnat; tum quia successio est solùm in tempore, quod est mensura successiua; terminus autem mensuratur æternitate, quæ caret successione, quia in instanti consistit; ergo *ex scriptura* deducitur potestatem ministrandi sacramenta de facto fuisse collatam solis hominibus existentibus in via; non enim licet arbitrari, quantùm ad id, quod est de facto, aliter, quàm docet *scriptura*; quanuis quantùm ad id, quod est de possibili, idest quod fieri potuit, possimus ratione arguendo discurrere, *scriptura* nanque narrat, quòd factum est, non quod fieri potuit secundùm ordinem alterius prouidentiæ, qui à Deo potuit institui.

6 Prob. 2. pars concl. *à Fund. Doct. Æg. ibid.* Deus non ita alligauit suam virtutem sacramētis, vt eam etiam extra sacramenta de lege speciali non possit conferre; ergo neque potestatē ministrandi sacramenta ita alligauit ministris, vt non possit alijs de lege speciali ipsam conferre; sicut Rex in suo Regno non ita confert potestatē exercendi ministeria, quæ pertinent ad Regni salutem, vt non possit de lege speciali eam etiā alijs conferre. Hinc refert *Niceph. lib. 11. hist. Eccl.* Angelos consecrasse Episcopum S. *Amphilochium*, vel *Amphilogium*, vt alij legunt, quam consecrationem Episcopi superuenientes ratam habuerunt; sicut *in alijs sacris historijs* legitur *S. Onuphrium* singulis diebus Dominicis accepisse eucharistiam ab Angelis, & pluries S. *Catharinam Senensem*, *B. Agnetem de Monte Politiano*; *& multos alios*, cum quibus fuit dispensatum à lege communi.

7 Obijc. cont. 1. part. concl. Si *D. Petrus* miraculosè resurgeret in proprio corpore, non haberet potestatem iurisdictionis viuente alio Summo Pontifice; ergo neq; potestatem ministrandi sacramenta. 2. Si aliquis beatus reuocaretur ad statum præsentis vitæ, & maneret beatus; non posset recipere sacramenta; ergo neque illa conferre. 3. Christus solis viatoribus contulit potestatem ministerialem sacramentorum; sed beatus reuocatus ad hanc vitam non esset viator; ergo idem. 4. Sacramenta pertinēt solùm ad Ecclesiam militantem; sed talis beatus

tus non pertineret ad Ecclesiam militantem; ergo non posset sacramenta ministrare. 5. Si beatus reuocatus ad hanc vitam posset ministrare sacramenta, esset, quia in illo manet caracter; sed hæc ratio nulla est; aliter damnati possent conficere, & ministrare sacramenta saltem post diem iudicij, quando corpora habebunt vnita; possent enim Dæmones illis subministrare materiam sacramentorum; quod tamen est absurdum; ergo idem.

Resp. ad 1. neg. cons. & disparitas est, quia potestas iurisdictionis nō imprimit caracterem; ideo non manet, sicut potestas ordinis. Tum quia plures summæ potestates repugnant vnitati Ecclesiæ, cui non repugnant plures potestates ordinis, vt patet. Ad 2. neg. cons. quia recipere sacramenta ordinatur ad recipiendam gratiam, vel augmentum gratiæ absoluentis à peccatis, vel roborantis infirmitatem naturæ; in beato autem neq; essent, nec possent esse peccata; nec eorum naturæ possent ob infirmitatem prolabi in peccata; ideo essent illis sacramenta superflua; at conferre alteri sacramenta ordinatur ad salutem alterius per ordinem ad remittenda illius peccata, & ad fortificandam illius naturā; cui sunt necessaria sacramenta; & ideo hoc non repugnaret beato. Ad 3. dist. ma. Solis viatoribus, idēst existentibus in via, conc; solis viatoribus, idēst non beatis, neg; & sic distincta mi. neg. cons; nam vt diximus, ex verbis Christi *Matth. vlt.* colligitur contulisse eis potestatem, vsquedum manerent in hac vita; & ideo siue essent consecuti beatitudinem æternam, siue non; talem potestatem exercere potuissent. Ad 4. dist. mi. Talis beatus non pertineret ad Ecclesiam militantem quantùm ad periculum salutis, conc; quantùm ad ministerium visibile, neg. Ad 5. dist. ma. Quia in illis manet caracter quantùm ad quiditatem, & quantùm ad vsum, conc; quantùm ad quiditatem tantùm, neg. Quia ergo in damnatis remanet caracter tantùm quoad quiditatem in confusionem, & pœnam; ideo nequeunt sacramenta ministrare. Tum quia post diem iudicij non erunt ampliùs in via.

8 Obijc. 2. cont. 2. part. concl. Verba prolata ab Angelo in corpore assumpto non sunt vera verba; quia non procedunt à principijs intrinsecis vitæ; ideo Angeli nequeunt verè corporaliter loqui; ergo non conficerent vera sacramenta, quæ essentialiter constant ex veris verbis corporalibus.

Resp. neg. cons. Ad prob. infert. dist. Sacramenta constant ex veris verbis vitalibus corporalibus ex vi præsentis institutionis, conc; ex vi alterius legis specialis, neg. Vel dist. ant. Non essent vera verba quantùm ad sensum formalē, neg; quantùm ad entitatem materialem, conc.

9 Inst. Anima separata potest conficere sacramenta, quia habet caracterem, qui est potestas illa conficiendi; ergo & Angelus de lege communi potest sacramenta conferre. 2. *Iudas*, qui erat membrum Diaboli, validè contulit sacramenta de lege communi; ergo à fortiori Diabolus.

Resp. ad 1. neg. ant; non enim sufficit habere caracterem quantùm ad quiditatem, vt habet anima separata, sed requiritur illum habere quoad vsum; vt ei non sufficit habere quiditatem potentiæ visiuæ coloris, vt videat corporaliter colorem. Ad 2. dist. ant. Erat membrum morale Diaboli, conc; naturale, idēst eiusdem naturæ, & speciei, neg.

A R T. I I.

An, & qua intentio ministri requiratur ad valorem sacramenti?

1 Luth. *de captiu. Babylon. de bapt. art.* 12. censuit ad valorem sacramenti nouæ legis sufficere, quòd apponantur res, & proferantur verba sine vlla intentione ministri, etiam iocosè, irrisoriè, fictè, aut mendaciter. Referuntur etiam *Caluin. in antid. Conc. Trid. ad c. 11. sess. 7; & Kemnit. 2. p. examinis.*

Sed iste error damnatus est *à Leone X. contra art. 12. Luth; & in Conc. Flor. in decreto vnionis Armenor;* vbi dicitur de sacramentis nouæ legis: *Hæc omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicèt rebus, tanquam materia, verbis, tanquam forma, & persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia; & Trid. sess. 7. can. 11. Si quis dixerit in ministris, dum sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit.* Quoniam autem intentio faciendi, quod facit Ecclesia, potest multipliciter accipi; ideo declarandum est, in quo sensu hæc verba sint accipienda.

2 Nomine *Ecclesia hic* intelligitur congregatio Christifidelium, quorum aliqui sunt determinati ad ministerium conficiendi, & conferendi sacramenta, vt diximus *in sup. art;* & hoc ex more, & consuetudine semper seruata apud omnes Christifideles. Duplicem autem actionem Ecclesiæ ministri, dum sacramenta conficiunt, eliciunt; scilicèt actionem externam, v.g. in baptismo ablutionem corporis, & prolationem verborum; & actionem internam, idēst intentionem conficiendi verum sacramentum à Christo institutum; non enim merè casualiter, fortuitò, & præter intentionem eliciunt illam actionem externam. Hæc autem actio interna. 1. potest esse coniuncta cum recta fide in Christum in communione ipsius Ecclesiæ. 2. Cū intentione conferendi gratiam suscipientibus sacramenta. 3. Cum intentione faciendi, quod Christus instituit, & quod facit Ecclesia.

3 Sufficere meram intentionem eliciendi illam actionem externam, & seriò proferre verba pro quolibet sacramento determinata absq;

alia intentione dixerunt *Catharin. in opusc. de intentione ministri, Salmeron, Io. Marius Scribenius, Pasqualig.; & alij apud Martinez de Prade hic dub. 7; & fusè noster Faruacques hic c.6.q.3*; & in hanc sententiam inclinare *S. Patrem Aug.* affingit de more *Vasq. disp.* 138.*n.*48. Sed hæc sententia communiter reijcitur, & varijs notatur censuris.

4 Vnica concl. Ad valorem sacramenti nō sufficit mera intentio faciendi illam actionem externam, vt est opus naturale qualecumque, quod facit Ecclesia; sed requiritur intentio saltem virtualis faciendi, quod Christus instituit, vel saltem, quod ex institutione, aut nomine Christi facit Ecclesia; non est tamen necesse habere intentionem conferendi gratiam illud sacramentum suscipienti. *Ita Fund. Doct. Æg. in c. Cùm Martha de celebr. missar; & in 3. sent. dist. 9.p.3.q.3.art. 4.ad 1; & omnes Theologi communiter.*

Prob. 1. pars concl. 1. Quia hæretici, quos damnant *Trid. & Flor.* non asserebant ad valorem sacramenti non esse necessariam intentionē faciendi illas actiones externas, quas concedebant esse necessarias ad sacramenta facienda; sed solùm negabant esse necessariam intentionē conficiendi verum sacramentum, vel saltem intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, & quod Christus instituit; ergo asserere, quòd sufficiat intentio faciendi illud opus externū, vt est opus qualecunque, est contra prædicta *Concilia*. 2. *Trid. sess.* 14.*c.*6. docet, quòd *si sacerdoti animus seriò agendi, & verè absoluendi desit*, pœnitens non est absolutus; intentio autem absoluendi non est mera intentio faciendi illud opus externum qualitercunque, sed faciendi, quod facit Ecclesia, & quòd Christus instituit; quia pœnitentiæ sacramentum in remissionem peccatorum instituit *Io.* 20; vnde confessor tenetur habere, vel intentionem remittendi peccata, vt Christus instituit; vel saltem faciendi, quod facit Ecclesia, quæ intendit in nomine Christi peccata remittere, vt docet *Conc.* 3. Expressè habetur *Luc.* 22; quando Christus instituit sacramentum eucharistiæ, commemorandum esse Christum, in cuius nomine, & cuius vice sacramentum conficitur; præcepit enim Apostolis ab ipsomet Christo sacerdotio initiatis: *Hoc facite in meam commemorationem, &* 1. *Cor.* 11. *Hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem*; ergo ad valorem sacramenti necessaria est intentio faciendi, quod Christus instituit, hoc enim est Christum commemorare; vel saltem faciendi, quod facit Ecclesia, quæ Christū commemorat, cùm in eius nomine sacramenta conficiat.

5 Instat *Faruacques. S. Antoninus*, qui interfuit *Flor.* 2.*p.tit.*14.*c.* 13.§. 10. probat sententiā *Petri de Palude* sententiis, quòd sola expressio verborum sufficiat. 2. *Trid.* non damnauit *Catharini* sententiam, vt testatur *Pallau. hist. Trid. lib.*9.*c.*6; aliter non fuisset promotus, & acclamatus ad Episcopatum *in eodem Conc.* 3. *Noster Seripand.* asseruit per ea verba *Concilij* damnari solū hæresim *Lutheri*, non autem catholicorum sententiam.

Resp. ad 1; quòd *Petrus de Palude*, sicut & *alij*, quos refert *Faruacques*, dixerunt requiri aliquam intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, vt refert *ibid. S. Antonin.* dicens: *Concedunt etiam isti de baptismo, quòd requiritur intentio ministri proferendi verba, & applicandi materiam, sicut facit Ecclesia; sed non requiritur intentio aliquid operandi. Concilium* ergo non damnauit *istos Auctores*, quia concedebant requiri intentionē faciendi, quod facit Ecclesia, negabant autem requiri intentionem *aliquid operandi*, scilicet faciendi verum sacramentum, & conferendi gratiam. Ad 2. dicitur sic necessariò explicasse suā sententiam *Catharinum, & Salmeronem*; aliter dissensissent à *Concilio Flor.*; & damnati fuissent. Ad 3. dicitur *Seripandum* optimè dixisse *Trid.* damnasse *Lutherum*, non autem catholicos asserentes eum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non requiri intentionem *aliquid operandi*. Additur, quòd hæc sententia proscripta est *ab Alex. VIII. proposit.* 28. *inter* 31.

6 *S. P. Aug.* hoc supponit tanquam certissimum etiam *apud hæreticos*; vt patet *ex lib. 6. de bapt. cont. Donatist. c.*2; vbi *Cæcilius à Bilta Donatista* asserens hæreticum, vtpotè antichristum, non posse baptizare in nomine Christi ait: *In nomine Christi tingit antichristus*; ex quibus verbis clarè patet etiam *ipsos Donatistas* negantes baptismum collatum ab Hæreticis esse validum, sensisse ad valorem sacramenti necessariam esse intentionem faciendi, quod Christus instituit, & quod semper seruauit Ecclesia, quæ sacramenta conficit in nomine Christi; *& lib.*4.*c.*3. in fine: *Non itaque hæreticorum baptisma accipiamus, quando post eos non baptizamus, sed quod Christi esse cognoscimus etiam in malis hominibus*; baptisma autem Christi est, quod confertur in nomine Christi; *& lib.*7. *c.* 4. *Victori à Gor Donatistæ* asserenti peccata non remitti, nisi in Ecclesiæ baptismo respondit: *Ecclesiæ baptismum esse & apud hæreticos, quamuis ipsi non sint in Ecclesia; sicut aquam paradisi in terra Ægypti, quamuis ipsa non sit in paradiso*; baptismus autem Ecclesiæ est ille, qui confertur cum intentione, qua illum cōfert Ecclesia; *& ibid. c.* 5. *Iacobo à Germaniciana* objicienti: *Qui hæreticorum baptismum probant, nostrum improbant*; respondit: *Neminem nostrum baptismum hæreticorum probare, sed Christi*; baptismus autem Christi est collatus in nomine Christi; vt probat *idem S. P. Aug. in Io. c.* 1. *tract.* 5; vbi super illud 1. *Cor.* 1. *Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis*, ait: *Hoc noluit Dominus ideo, vt in illo spes esset baptizatorum, à quo se baptizatos agnoscerent; & inf.* super illud: *Super quem videris Spi-*

Spiritum descendentem, sicut columbam, et manentem super eum, ipse est, qui baptizat; inquit: *Ne Paulus diceret baptisma meum, ne Petrus diceret baptisma meum etc. Nemo Apostolorum dixit baptisma meum; quanuis vnum omnium esset euangeliũ, tamen inuenies dixisse euangelium meum; non inuenies dixisse baptisma meum*; sed baptisma Christi, quia Christus est, qui baptizat, & nulli potestatem baptizandi concessit, sed merum ministerium; concessit autem potestatem prædicandi euangelium. Ex quibus sic arguitur. Nullum mysterium confertur in nomine Christi, nisi cum intentione faciendi, quod Christus instituit; vel quod facit Ecclesia, quæ facit, quod Christus instituit; sed ad valorem sacramenti requiritur, quòd sit mysterium collatum in nomine Christi; ergo ad valorem sacramenti requiritur intentio faciendi, quod Christus instituit; vel saltem faciendi, quod facit Ecclesia, quæ facit, quod Christus instituit. Prob. ma. Conferri aliquod mysterium institutum à Christo in nomine Christi, vel est per expressionem externam nominis Christi, vel per intentionem internam faciendi, quod Christus instituit; nullus enim alius est dabilis modus; sicut minister alicuius Regis nequit conferre dignitatem equestrem per ceremoniam institutam à Rege nomine, & vice ipsius Regis, nisi vel exprimendo nomen Regis; vel intendendo facere, quod instituit ipsemet Rex; aliter vel nomine proprio, vel nullius nomine illã conferret. Sed conferre sacramenta externè exprimendo nomen Christi est habere intentionem internam faciendi, quod Christus instituit; *verbum enim, quod foris sonat, est signum verbi, quod intus latet*; verbum autem intus latens est intentio mentalis; ergo conferre sacramenta nomine, & vice Christi est habere intentionem faciẽdi, quod Christus instituit. Mi. habetur *Act. 8. In nomine Iesu Christi baptizabantur viri, et mulieres*; & mox: *Baptizati tantùm erant in nomine Domini Iesu & c. 10. Iussit eos baptizari in nomine Domini Iesu & c. 19. Baptizati sunt in nomine Domini Iesu*, & ratio affertur à *S.P. Aug. tract. in Io*; quia in illius nomine debent sacramenta conferri, qui sibi reseruauit potestatem illa conferendi; sicut ministri Regis in nomine illius debent conferre dignitatem equestrem, qui habet potestatem illam cõferendi; aliter Rex non recognosceret eum equitem; neque ille eques esset; sed Christus sibi reseruauit potestatem conferendi sacramenta, & suis ministris purum ministerium concessit; ergo in nomine Christi sacramenta sunt conferenda, vt suum valorem recipiant. Atqui Ecclesia in confectione sacramentorum intendit facere, quod Christus instituit; & per consequẽs nomine Christi illa conferre; sic enim Christus instituit, quia sic Ecclesiæ tradiderunt Apostoli, qui illi initium dedere; ergo ad valorem sacramenti sufficit habere intentionem efficiendi, quod Christus instituit, vel saltem quod facit Ecclesia.

7 Vlteriùs prob. ratione. Res, & verba, ex quibus componuntur sacramenta, secundùm se sunt indeterminata ad significandam actionem naturalem, & actionem supernaturalem sacramentalem, v.g. aqua secundùm se est indifferens ad significandam ablutionem corporis, & animæ; ergo determinatè non significant actionem sacramentalem, nisi determinentur ad illam significandam per intentionem proferentis, quæ sola potest determinare, vt constat, indifferentiam verborum. 2. Actus humanus essentialiter importat intentionem operantis; est enim actus deliberatus oppositus actui indeliberato, qui est præter intentionem operantis; sed confectio cuiusuis sacramenti est actus humanus; imputatur enim ad culpam, si malè; & ad meritum, si benè efficiatur; ergo confectio cuiusuis sacramenti importat intentionem ministri. Atqui hæc intẽtio nequit esse, nisi intentio efficiendi, quod Christus instituit, vel saltem, quod facit Ecclesia, vt dictum est; ergo idem.

8 Prob. 2. pars concl. *à Fund. Doct. Æg. in 2. sent. dist. 41. q. 1. art. 2. dub. 1. lat.* Intentio habitualis non sufficit, & quanuis actualis debeat procurari; attamen non est simpliciter necessaria; ergo ad valorem sacramenti est sufficiens intentio virtualis. Cons. optimè infertur à sufficienti partium enumeratione; cùm enim intẽtio triplex sit iuxta *omnium DD.* sententiam; scilicèt habitualis, quæ nihil aliud est, nisi quædã facilitas genita ex pluribus intẽtionibus actualibus inclinans in obiectum, in quod multiplicatis actibus præteritis tendit; & hæc remanet etiam in dormiente, vel ebrio nihil penitus cogitante de tali obiecto; & virtualis, quæ in virtute actionum ordinatarum ad tale obiectũ per intentionem actualem, quæ præterijt, censetur durare; vt cùm sacerdos actu intendens celebrare it ad Ecclesiam, lauat manus, induit se sacris vestibus, pergit ad altare, missam incipit, prosequitur ceremonias, consecrat; & tamen pro eo tunc nihil cogitat de consecratione actualiter, quia actualis intentio iam euolauit; dicitur habere intentionem virtualem, quia actualis intentio, quam habuit ab initio, & quæ pertransijt, virtute cuius omnes illas actiones ordinatas ad celebrationem missæ exercuit, in illis actionibus, tanquam in suis effectibus, in quibus virtus causæ perdurat, dicitur durare, & intentio actualis, quæ est ipse actus intentionis elicitus actu durans in mente, seu voluntate; vnde ex eo, quòd intentio habitualis non sit sufficiens ad sacramenti valorem; & intentio actualis, quanuis ad melius esse sit semper procuranda; attamen simpliciter necessaria non sit; rectè deducitur intentionem virtualem implicitam in actionibus ab ipsa imperatis, & ordinatis sufficere. Prob. 1. pars ma. 1. Actio nequit esse humana, seu ex de-

liberatione per solam intentionem habitualem; quia actio deliberata est determinata, & determinatio non habetur ad habitu, sed ab actu voluntatis; voluntas enim habens aliquem habitum est indeterminata, vsquedum per nouum actum se determinet ad ponendum in executione talem habitum; intentio autem habitualis est quidam habitus, quia nihil aliud est, quàm facilitas ex frequentatis actibus producta; ideo actio nequit reddi humana, & deliberata per solam intentionem habitualem; sed ad valorem sacramenti requiritur, vt illa actio, qua fit sacramentum, sit humana, & deliberata; imputatur enim ad culpam, & meritum, vt diximus; ergo ad valorem sacramenti non sufficit intentio habitualis. 2. In tantùm intentio virtualis sufficit, vt sacramentum sit validum; in quantùm virtualiter causat sacramentum in illis actionibus ab ipsa imperatis, & ordinatis ad celebrationem ipsius sacramenti, in quibus actionibus, tanquam in suis effectibus, virtualiter durat; vt homo dicitur generare hominem etiam, quando actualiter non agit; quia illius virtus durat in semine à se deciso, & ordinato ad hominem generandum; minister enim debet intendere, vt *sup.* diximus, efficere, quod Christus instituit, vel saltem, quod facit Ecclesia; quoties autē aliquis actus fit ex intētione, tunc illa intentio est causa illius actus, qui fit; sed intentio habitualis nec actualiter, nec virtualiter causat sacramentũ; nã in tantùm intentio virtualis virtualiter causat; in quãtũ virtualiter durat in illis actionibus ordinatis ab ipsa ad sacramētum, nunquam interruptis per retractationem, vel per aliquam aliam actionem disparatam, vel per aliquam notabilem moram, seu desistentiam; tunc enim non durat intentio actualis virtualiter; quia interrumpitur ordinatio, ratione cuius virtualiter durat; ergo intentio habitualis non sufficit, vt sacramentum sit validum. Prob. 2. pars ma. 1. *In Rituali Romano* proponitur sacerdotibus, tanquam regula certa, ergo à nullo potest negari; aliter Ecclesia falleretur, & falleret, quod est falsissimum. 2. Est ferè impossibile, quòd aliqua intentio actualis duret per horam, vel horæ dimidiũ; actus enim intellectus, & voluntatis sunt ex sua natura volubiles; & mens ex vna ad aliam cogitationem facillimè voluitur; vt vnusquisque in se ipso experitur; sed Deus non obligat ad impossibile, seu ferè impossibile; aliter aliquo modo esset causa peccati; ergo Deus non obligat ad habendam intentionem actualem, vt sacramentum sit validum. 3. Intentio virtualis est meritoria, quia sufficit ad reddendam actionem deliberatam, vt diximus; ergo sufficit ad reddendum validum sacramentum: Atqui intentio virtualis est sine intentione actuali, aliter non esset virtualis, sed actualis; ergo intentio actualis non est simpliciter necessaria, vt sacramentum sit validum. Tum quia voluntas virtualis sufficit ad omnes actus humanos, vt sunt contractus, testamenta, donationes &c; aliter difficillimè assignari posset, quinã eorũ validi essēt; ergo à pari.

9 Prob. 3. pars concl. *ex Nic. I. in rescripto ad consulta Bulgaror*; & habetur *c. A quoquam de consecr. dist.* 4; vbi baptismus collatus *à Iudaeo, & à Pagano* censetur validus; *& S. P. Aug. lib. 3. de bapt. cont. Donatist. c.* 10. *Non est autem aqua prophana, & adultera, super quam nomen Dei inuocatur, etiamsi à prophanis, & adulteris inuocetur; quia nec ipsa creatura, nec ipsũ nomen adulterum est. Baptismus verò Christi verbis euãgelicis cõsecratus, & per adulteros, & in adulteris sanctus est, quamuis illi sint impudici, & immundi; quia ipsa eius sanctitas pollui non potest; & sacramento suo Diuina virtus assistit, siue ad salutem bene vtentium, siue ad perniciem malè vtentium. An verò Solis, vel etiam lucerna lux, cùm per cænosa diffunditur, nihil inde sordium contrahit; & baptismus Christi potest cuiusuis sceleribus inquinari? & ep. 23. ad Bonifac. Nec illud te moneat, quòd quidam non ea fide ad baptismum percipiendum paruulos ferunt, vt gratia spiritali ad vitam regenerentur æternam, sed quòd eos putant temporalem retinere, vel recipere sanitatem; non enim propterea illi non regenerantur, quia non ab illis hac intentione offeruntur; celebrantur enim per eos necessaria ministeria*; quod habetur *c. non illud de consecr. dist.* 4. Ex quibus arguitur. 1. *Ex Diuinis scripturis, Concilijs*, traditione, consuetudine Ecclesiæ, *& SS. PP.* nobis constat inter alia ministeria necessaria ad celebrandum sacramētũ non requiri etiã intentionem conferendi gratiam illud suscipienti; sed ad valorem sacramēti sufficiunt ea, quæ nobis innotescunt *ex diuinis scripturis, Concilijs*, traditione, & consuetudine Ecclesiæ, *ac SS. PP*; ergo ad valorem sacramenti non requiritur intentio conferendi gratiam illud suscipienti. Prob. ma. ex dictis; nobis enim non constat esse necessarium ad celebrandum sacramentum, nisi debita materia, & forma, & intentio ministri illam determinans, scilicèt faciendi, quod Christus instituit, vel quod facit Ecclesia; ergo intentio conferendi gratiam nobis non constat. Prob. mi; nam sacramenta habent esse omnino ex Diuina institutione; ergo valor ipsorum pendet omnino ex ijs, quæ nobis sunt tradita *in scripturis, Concilijs &c.* 2. Si quis non credat sacramenta gratiam conferre, vel hoc ignoret, vel putet gratiam non esse necessariam, adhibeat tamen debitam materiam, & formam cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, validum conficit sacramentum; quapropter *Pelagiani*, qui negabant peccatum originale, & asserebant gratiam necessariam non esse ad illud remittendum, non habebant intentionem illam conferendi; & multò minùs *Hebræi, & Pagani*; & tamen ab ipsis baptizati non fuerunt rebaptizandi; vt colligitur *ex SS. PP*; qui scripserunt hac de re *contra ipsos Pelagianos*, præsertim *S. P. Aug*; qui nusquam ait baptizatos *à Pelagianis*,

nis, vel alijs hæreticis perperam sentientibus de gratia esse rebaptizandos, sed potiùs docet contrarium; & ex Summis Pontificibus statuentibus idem *de Hebræis*, *& Paganis*; ergo ad valorem sacramenti non est necessaria in ministro intentio conferendi gratiam; aliter deficiente hac intentione sacramentum, vt potè inualidum, iterari deberet. *Sed de hoc* fusiùs *in seq. art.*

10 Obijc. 1. cont. 1. part. concl. *S.P.Aug.lib. 3. cont. Crescon.c.8.* comparat sacramentum agro fertili, qui requirit agricolam, sed non curat, qua intentione laboret; *& præfat. in ps.3* t. ait, quòd *intentionem fides dirigit*; ideo vbi nulla est fides, ibi nulla intentio esse potest; *& tract. 5. in Io. Non timeo ebriosum, quia columbam attendo, per quam mihi dicitur: Hic est, qui baptizat*; ebriosus autem multùm esset timendus, si necessaria esset intentio; *& lib. 7. cont. Donatist.c.53.* agens de baptismo fallaciter, simulatè, & mimicè accepto ait: *Nequaquam dubitarè habere eos baptisma, qui vbicumque, & à quibuscumq; illud verbis euangelicis consecratum sine sua simulatione, & cum aliqua fide accepissent*; & deinde: *Si totum ludicrè, & mimicè, & iocolariter ageretur, vtrum approbandus esset baptismus, qui sic daretur, Diuinum iudicium per alicuius reuelationis oraculum implorandum esse censerem.* 2. *Athanasius* adhuc puer ludens in littore maris baptizauit quosdam pueros, quos verè baptizatos iudicauit *Alexander Patriarcha Alexandrinus*; vt habetur *t.q. 1.c. Spiritus Sancti*; & refert *Sozomen. lib.2. c.16*; *Ruffin. lib. 10. c.14*; *& Niceph. lib.8. c.44.* 3. *S. Genesius Martyr*, vt illuderet, & contemneret Christianos *coram Diocletiano*, mimicè petijt baptizari ab altero mimo, & verè fuit baptizatus; sed intentio non fuit in mimo, nec *in Athanasio* ludi gratia baptizante; ergo non requiritur intentio in ministro. 4. *Nic. l. vbi s.* interrogatum, an baptizatus *à quodam Iudæo* esset rebaptizandus, respondit negatiuè, dummodò debita forma vsus esset; & nullam mentionẽ fecit intentionis.

Resp. ad 1. *S.P.Aug.* primo loco loqui de intentione, qua opus in bonum, vel malum finẽ dirigitur; certum enim est, quòd agricola laborans terram intendit segetem, nec laborat, nisi ex vi huius intentionis; quanuis siue intendat, vt superbiat, siue vt eleemosinam faciat, hoc nihil operi præiudicet. Secundo loco ostendit, quænam intentio faciat opus rectum, non autem, quæ faciat opus validum. Tertio loco non dixit ebrium, sed ebriosum; idèst qui actu ebrius non est, sed solet inebriari; huic enim potest non deficere intentio, sicut deficit actualiter ebrio, cuius actus non est humanus, sed indeliberatus, cũ operatur per ebrietatem præcisè. Ad vltimum locum dicitur, quòd adhuc cum intentione illudendi potest coniungi intentio faciendi, quod facit Ecclesia, quanuis illi non credatur. Si autẽ desit etiam ista intentio, & totum merè ludicrè agatur, rogandus (inquit S.P.) est Deus, vt reuelet, an talis baptismus sit validus? Ex quibus euidentiùs apparet nunquam *S. P. Augustinum* docuisse sacramentum collatum sine intentione faciendi, quod Christus instituit, validum esse; agens enim de huius intentionis defectu recurrit ad Diuinum iudicium, & propriam sententiã suspendit, quia tunc nulla erat necessitas, agebatur nanq; *contra Donatistas*, qui negabant baptismum etiam cum hac intentione à malo ministro collatum esse validum. Sic itaq; confunditur *Vasq.* Ad 2. dicitur *Athanasium* verè baptizasse; interrogatus enim *à Patriarcha*, quid egisset? Respondit se habuisse intentionem faciendi, quod viderat ipsũ facere in Ecclesia, adeoq; non baptizasse, nisi solos catechumenos; vt testatur *Sozomen*; quapropter *Patriarcha* illud baptisma approbauit. Ad 3. dicunt *aliqui S. Genesium* illuminatum ab Angelo fuisse consecuturũ remissionem peccatorum, si in Christum crederet, fuisse baptizatum à sacerdote catholico ad hoc in theatrum vocato. Sed rem aliter narrat *Surius* asserens fuisse baptizatum fictè, & eum contemptu. Dicitur ergo mimum baptizantem habuisse veram intentionem faciendi, quod faciunt Christiani, vt ad viuum eos repræsentaret, & ideo verè baptizasse; nec cum tali intentione pugnat intentio irridendi, & cõtemnendi Christianos; quia verè intendebat agere, quod agunt Christiani, licèt cum intentione illos irridendi, & contemnendi. Ad 4. dicitur, quòd Pontifex nihil respondit de intentione, quia de illa interrogatus non fuerat; adeoq; illam supponebat.

11 Obijc. 2. Episcopus protestans se nolle ordinare excommunicatum, si tamen excommunicatus se se ingerat, verè illum ordinat; quapropter iura ecclesiastica excommunicatos suscipientes ordinem furtim ab executione suspẽdunt, donec dispensentur; ergo non requiritur intentio ministri. Ita si quis putans baptizare fœminam baptizat masculum, non intendit baptizare eum, quem baptizat; & tamen verè manet baptizatus. 2. Quanuis hæretici non intendant conferre caracterem, quem negant; illum tamen conferunt; ergo quanuis minister non intendat conferre sacramentum, illud tamen confert. 3. *Isaac* præter intentionem benedixit *Iacob*, & tamen verè mansit benedictus; ergo à pari.

Resp. ad 1. Episcopum primò generaliter protestari se nolle ordinare excommunicatum; posteà particulariter intendit ordinare quemlibet in particulari, qui se illi præsentat; nullus enim illorum præsumitur excommunicatus; vnde hæc secunda intentio, quam Episcopus tenetur habere, destruit intentionem vniuersalem. Ita dicitur de baptizante, qui intendit baptizare eum, quem habet præsentem, etiansi decipiatur circa notitiam indiuidualem illius; hæc enim deceptio potest stare cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, vt diximus. Ad 2. dist. 1. pars ant. Quanuis hæretici non intendant conferre ca-

ra-

racterem, vel gratiam formaliter explicitè, vel virtualiter implicitè, neg. ant; habentes enim hanc intentionem non haberent intentionem faciendi; quod facit Ecclesia; quia intentio faciendi, quod facit Ecclesia, virtualiter implicitè continet intentionem conferendi caracterem, & gratiam; quanuis non intendant solùm formaliter explicitè, conc. Ad 3. dicitur, sicut ad 1; *Isaac* enim intendebat benedicere, quem habuit præsentem, licèt circa personam errauerit.

12 Obijc. 3. Sacramenta sunt quædam medicinæ spirituales; sed medicina operatur suum effectum, etiansi medicus illum non intendat; ergo à pari. 2. Sacramenta nouæ legis operantur ex opere operato; ergo non requiritur intentio ministri, quæ est opus operantis. 3. Posita materia, & forma statim resultat compositum; ergo posita debita materia, & forma sacramenti statim resultat sacramentum. 4. Sequeretur maximum absurdum in Ecclesia; quia nemo posset esse certus se fuisse baptizatum; cùm nemo possit penetrare intentionem ministri.

Resp. ad 1. dist. ma. Sunt medicinæ spirituales ex se ipsis, & secundùm se ipsas determinatæ ad significandam, & causandam animæ salutem, neg; determinatæ ab agente intendente facere, quod Christus instituit, qui voluit esse animarum remedia, conc; medicinæ autem corporales sunt ex se ipsis determinatæ ad causandam sanitatem. Ad 2. neg. conſ; nam intentio ministri non excluditur per opus operatum, sed includitur; vt diximus *q.2.art.1. §.6. à n.* 78. Ad 3. dicitur, quòd debita forma sacramenti debet esse determinata ad significandam, & causandã gratiam, vt diximus; hæc autem determinatio nequit esse, nisi ab intentione ministri; vnde neg: supp. conſ. Ad 4. neg. seq; nam ad hoc, vt quis possit esse certus intentionis ministri sufficit certitudo moralis, quæ habetur ex eo, quòd minister censeatur agere, quidquid facit Ecclesia.

13 Obijc. 4. Minister agit, vt instrumentũ; atqui in instrumento non requiritur intentio operis faciendi; sufficit enim, quòd sit in agente principali; ergo idem. 2. Multa matrimonia facta fuerunt absque intentione faciendi, quod facit Ecclesia, sed sola intentione carnali, & naturali; & tamen fuerunt sacramenta; ergo idem. 3. Si dominus det potestatem seruo faciẽdi aliquẽ contractum, sufficit ad valorem contractus, quòd seruus proferat Domini verba. Si det eleemosinam per famulum; eleemosinæ valor. non pendet ab intentione famuli, sed Domini; ergo à pari. 4. Magis conueniens est dicere, quòd Christus instituit sacramenta independenter ab intentione ministri, sicut illa instituit independenter ab eius bonitate; sic enim magis ostenditur virtus sacramenti; & magis sedantur recipientium conscientiæ; sed Christus egit id, quod est magis conueniens; ergo idem.

Resp. ad 1. dist. ma. Agit, vt instrumentũ rationale, cuius actio est humana, deliberata, ac meritoria, ac proinde intentionem requirit, conc; vt instrumentum irrationale, aut inanime, neg. Ad 2. neg. ant. eadem facilitate, qua dicitur; imò potiori iure; nequit enim præsumi, quòd Christifidelis sciat matrimonium esse verum sacramentum, & tamen intentionem carnalem naturalem habeat in illo contrahendo. Ad 3. dist. ant; sicut ad 1. Si Dominus det seruo potestatem faciendi contractum, vel eleemosinam meritoriè, & deliberatè, neg; si indeliberatè, conc; & neg. conſ; quia potestas sacramentorũ effectiua tradita fuit ministris, vt operentur modo rationali, & meritorio. Ad 4. neg. ma; virtus enim sacramenti sufficienter ostenditur ex eo, quòd non obstante peruersitate ministri suum producat effectum; & si non requireretur intentio ministri, esset magis inconueniens naturæ rationali, quæ illa efficeret modo brutali; non rationali, & humano, quod maximum esset absurdum.

14 Obijc. 5. cont. 2. part. concl. Si quis hodie intendat applicare die crastina sacrificium *pro Petro*, satisfacit obligationi; ergo à pari. 2. Sequeretur, quòd accedens ad altare cum intentione actuali, & incidens postea in amentiam consecraret; quia tunc præterita intentio virtualiter duraret in illis actionibus; sed conſ. est falsum; ergo & ant. 3. Pergens ad celebrandum, si proferat aliqua verba disparata per breuissimũ tempus, interrumpit intentionem actualem, & tamen verum conficit sacramentum; ergo sufficit intentio habitualis. 4. Ad suscipiendum validè sacramentum sufficit intentio habitualis, vt patet de pœnitentia, & extrema vnctione, quæ conferuntur infirmis rationis vsu carentibus, in quibus solùm potest esse intentio habitualis; ergo ad conficiendum sacramentum pariter sufficit intentio habitualis. 5. Si quis ante ebrietatem intenderet actu contrahere matrimonium in ebrietate, vel somno; & sic contraheret, sacramentum esset nullum; & sic dicendum de alijs sacramentis, quorum verba proferret in ebrietate, vel somno; & tamen tunc adesset virtualis intentio, quia illa ebrietas, vel somnus essent ordinata ad tale sacramentum; ergo intentio virtualis non sufficit.

Respondent *aliqui cum Vasq.* ad 1. neg. ant; nam actio offerendi sacrificium *pro Petro*, v. g. non distinguitur ab actione sacrificandi, cùm actio sacrificandi sit actio offerendi sacrificium. Sed hoc redarguit *Gibb. cum Lug*; nam licèt actio offerendi sacrificium Deo sit idem, ac actio sacrificandi; attamen actio offerendi sacrificium Deo pro hac, vel illa persona est distincta ab actione oblatiua sacrificij; sicut actio ieiunandi est distincta ab actione offerendi ieiunium Deo pro mortuis, vel pro viuis. Neg. igitur conſ. & disparitas est; quia intentio satisfactionis non est de ratione intrinseca actionis satisfactoriæ, quanuis

tis ad illam præsupponatur; nam si quis ante mortem intendat satisfacere debito;& post mortem illius reddatur, quod debebat, est vera satisfactio; quæ plenè habetur per exhibitionem rei debitæ; ideo sufficit præcessisse intentionem, & non retractatam fuisse: at intentio conficiendi sacramentum est de constitutiuo sacramenti, quia sine ipsa non fit sacramentum; vt docet *Conc. Flor;* & ratio est; quia actio effectiua sacramenti debet esse humana, & deliberata, vt diximus;ideo debet esse cum intentione actuali,vel virtuali.Ad 2.neg seq;nam amentia interrumpit actionem, cùm faciat illam non esse ampliùs liberam,& humanam.Ad 3.neg.cons;parum enim pro nihilo reputatur; quamuis verisimilius sit, quòd prosequens alias actiones immediatè post illa verba interrumpentia rehabeat intentionem actualem, quamuis valde remissam; vult enim alias actiones elicere,in quantùm intendit celebrare.Ad 4.neg.cons; quia intentio ministri est causa formalis actionis sacramentalis, quæ humano modo debet fieri; vt diximus ad 2; at intentio suscipiendi est tantùm conditio præsupposita ad receptionem,quam sufficit præcessisse,& retractatā non esse. Ad 5.dicitur,sicut ad 2.Item verba prolata à dormiente,vel actio non essent verba formalia; sed materialia defectu significationis formalis, quæ habetur à ratione, à qua diriguntur ad significandum.

15 Collig. 1. ex dictis intentionem virtualem sufficere ad efficiendum sacramentum,quia illud tangit mediatè;*agens enim in tantùm agit,in quantum tangit ex Phil;* nam intentio actualis tangit medium ad finem intentum, & mediante illo medio tangit aliud,& mediante alio,& alio tandem tangit finem;connectitur enim cum primo medio,& mediante illo cum alio, & tandem mediante vltimo connectitur cum fine;connecti autem est tangere,vt patet;non sic tamen de intentione habituali,quæ vtpotè disconnexa non tangit, & ideo non efficit sacramentum. *Vid. Fund. Doct. Æg. vbi sup.*

16 Collig. 2. regulam vniuersalem conficientium, & ministrantium sacramenta esse, vt intentio semper dirigatur ad præsentem materiam;nam sic error facti vitatur,putans enim esse masculum, & baptizans sacramentum efficit, si intendat baptizare eum, quem habet præsentem; secùs verò, si intenderet baptizare masculum, non fœminam ita tamen, vt si cognosceret esse fœminam, haberet animum determinatum illam non baptizandi; quia si esset ita dispositus, vt si cognosceret esse fœminam, adhuc illam baptizaret,oppositum dicendum videtur; nam tunc haberet intentionem saltem virtualem interpretatiuam illam baptizandi, quæ sufficit ad hoc, vt illa actio sit humana, & per consequens sacramentum.

17 Quæres 1; an si sacerdos ex malitia omitteret intentionem, talis defectus suppleretur à Deo ita, vt recipiens illud sacramentum reciperet gratiam?

Resp negatiuè. Est contra *Alen; Dur; Gabr; Sylu; & Palud.* traditur tamen ab omnibus alijs Theologis; aliter paruuli possent saluari sine baptismo,quod est contra illud *Io. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei; & S. P. Aug. ep. 28. ad Hier. Quisquis dixerit, quòd in Christo viuificabuntur paruuli, qui sine sacramenti eius participatione de vita exeunt; hic profectò contra Apostolicam prædicationem venit, & totam damnat Ecclesiam*. Tum quia eadem ratione posset dici,quòd Deus suppleat defectum formæ,vel materiæ;sed hoc nullus diceret; ergo neque primum. Hoc tamen intelligendum est de lege ordinaria, & communi, non de lege speciali,& de suscipiente sacramentum,qui non habet actum contritionis; quia per talem actum gratiam à Deo consequitur.

18 Quæres 2; an si quis haberet intentionem, postquam incepit, vel postquam protulit formam sacramenti, verum faceret sacramentum?

Resp, quòd si quis inciperet formam sine intentione, & post aliqua verba essentialia actum intentionis eliceret, irritum redderet sacramentum,quod à fortiori est dicendum si formam totaliter protulisset;nam intentio est causa effectiua sacramenti, causa autem debet præcedere effectum; alter illum non causaret, ergo si intentio non præcederet,vel non esset simul cum prolatione verborum, per quam fit sacramentum, non esset illius causa, & sic sacramentum non fieret. Tum quia sicuti irritum redderetur sacramentum, si omitterentur aliqua verba essentialia;ita irritum redderetur si omitteret intentionem in aliquibus verbis essentialibus;per quam solùm illa verba habent significare sacramentum,vt diximus. Diximus *post aliqua verba essentialia;* quia si illa verba non sint de essentia, v.g. *Ego;* sacramentum non irritatur. E contra verò est dicendum, si quis inciperet proferre formam cum intentione, & sine intentione finiret,validum faceret sacramentum; quia tunc talis intentio virtualiter remaneret.

19 Quæres 3; an habens intentionem conditionatam validum sacramentum efficiat?

Resp.affirmatiuè; si conditio sit de præsenti;vt *Ego te baptizo, si es viuus*; vel de præterito; vt *Ego te baptizo, si non es baptizatus*; secus verò, si conditio sit de futuro; vt *Ego te baptizo, si solues centum nummos*; nam conditio de futuro suspendit actum intentionis, sine qua inualidum est sacramentum, & ideo illud inualidat; nam vel sacramentum esset validum, cùm proferuntur verba; & hoc non; quia non est intentio ministri tunc conferendi; vel quando adimpletur conditio;& hoc pariter est falsum;quia tunc non esset nec materia, nec forma. *Vid. Bonac. disp. 1. q. 3. punct. 2. §. 3. n. 20.*

20 Quæ-

20 Quæres 4; an liceat conferre sacramenta sub conditione?

Resp. licere ob rationabilem causam; vt quando dubitatur grauissimè, an quis sit baptizatus, vel absolutus; debet baptizari, vel absolui his verbis: *Si es baptizatus, non te rebaptizo; si nondum es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris &c. Ita c. de quibus de baptismo tit.* 42. Peccaret tamen grauissimè, qui hoc faceret sine iusta causa.

ART. III.

An mali ministri validè conficiant sacramenta?

1 MAli ministri sunt duplicis generis; alij enim sunt peccatores fideles, qui in Ecclesiæ catholicæ communione versantur; alij sunt schismatici, & hæretici, qui ab Ecclesiæ Catholicæ vnitate sunt separati. Inquiritur in præsenti de vtrisque, an validè sacramenta ministrent? An autem licitè, *in art. seq.* videbimus. Supponitur autem eos habere potestatem; nam certum est carentem potestate sacramenta non conficere.

2 *Agrippinus prædecessor S. Cypriani Martyris in Aphrica* anno salutis 300. circiter docuit sacramenta ab hæreticis, & schismaticis collata non esse valida, ac propterea baptizatos ab hæretico, vel schismatico esse rebaptizandos. *Agrippinum* secutus est *idem S. Cypr. in ep. ad Iubaian. cum multis Aphricæ Episcopis,* ut refert *S. P. Aug. lib. 2. de bapt. cont. Donatist. c. 7; & sæpè alibi;* licèt postea *S. Cypr.* se retractauerit; cuius correctionem, *& si literæ tacent* (inquit *S. P. Aug. ibid. c. 5.*) *merita clamant; si epistola non inuenitur, corona testatur, si concilium non indicat Episcoporum, consortium indicat Angelorum;* non enim pertinaciter adhæsit huic sententiæ ita, vt se se propter illam ab Ecclesiæ Catholicæ vnitate separauerit; nam, vt pōderat *S. P. Aug. ibid. c. 2; in Conc. Carthaginen. à Cypr.* coacto ipse dixit: *Superest, vt de hac ipsa re quid singuli sentiamus, proferamus neminem iudicantes, aut à iure communionis aliquem, si diuersum senserit, amouentes; neque enim quisquam nostrum Episcopum se esse Episcoporum constituit,* & mox: *Sed expectemus vniuersi iudicium Domini nostri Iesu Christi, qui vnus est solus habens potestatem, & præponendi nos in Ecclesia sua gubernatione, & de actu nostro iudicandi.* Ex quibus verbis apertè colligitur pertinaciam non habuisse contra cōsuetudinem Ecclesiæ ab Apostolis ortam, atque adeo hæresis nota suam eximiam sanctitatem non maculasse. Attamen propter sui Prædecessoris auctoritatem illam probabiliter tenuisse, donec oppositum reuelaretur à Deo; quod cùm postea factum fuerit à *S. Stephano Papa Martyre Episcoporum Episcopo;* consentaneum est; quòd *Agrippini* sententiam reiecerit; quam tamen reiectionem fortè suppresserunt *Donatistæ,* vt sui erroris patronum tantum Episcopum, & Doctorem haberent. Comparat *S. P. Aug. ibid. c. 1. S. Cyprianum* disceptantem contra catholicam veritatem cū *S. Petro* cogente gentes iudaizare, cui restitit *Paulus; Petrus* autem cognita veritate acquieuit. Sic *S. Stephano Papæ* resistenti *humillimus Dei Martyr Cyprianus* demississimè cessit.

3 *Apostolici,* vt refert *S. Bern. serm. 66. in Cant; Luciferiani, & Albigenses* dixerunt per quodlibet peccatum mortale amitti potestatem ministrandi sacramenta, ideo à ministris existentibus in peccato nullum sacramentum validè ministrari. Hanc hæresim, quanuis non ex integro, tenuerunt *aliqui Donatistæ,* non omnes; nam *Petilianus,* vt videtur *apud S. P. Aug. lib. 3. cont. lit. Petiliani c. 20;* inquit: *Si conscientia sanctè dantis attenditur, quæ abluat accipientis; & qui fidem sciens à perfido sumpserit, non fidem percipit, sed reatum.* Cui respondens *S. P. Aug.* inquit: *Vnde abluitur accipientis conscientia, cùm maculosam dantis ignorat; & cùm fidem nesciens sumit à perfido, rogo, vnde abluitur?* Deinde: *Si enim nec tunc abluitur, nec tunc percipit fidem, cùm baptizator perfidus, & maculosus, & occultus est; cur eo postea prodito, atque damnato non denuò baptizatur, vt abluatur, fidemq; percipiat?* Ex quo apparet *hunc Donatistam* dixisse peccatorem publicum validè non ministrare sacramenta, occultum tamen validè ministrare; quapropter sententiam *Apostolicorum* non docuit ex integro. Præterea *lib. 6. de bapt. c. 8. Cæcilio à Bilta* dicenti hæreticum non conferre sacramentum baptismi; quia *non habens spem, & fidem nequit eam dare, Antichristus nequit tingere in nomine Christi, & antistes Diaboli nequit eucharistiam facere;* respondit *S. P. Aug. Ad hæc respondeo, quoniam talis est, quisquis etiam intus confitetur se nosse Deum, foris autem negat, quales sunt auari, inuidi, & qui propter fraternum odium, non meo, sed S. Ioannis testimonio dicuntur homicidæ, & spem non habent, quia malam conscientiam gerunt; & perfidi sunt, quia non agunt, quod Deo vouerunt &c. Cur ergo isti baptizant?* Quod argumentum sæpissimè repetit ad confundendos *ipsos Donatistas* in his septem libris contra illos communiter scriptis; & in *alijs* contra aliquem in particulari editis; nihil autem omnino concluderet, si sacramenta ab existente in peccato inualidè ministrari docuissent. Veriùs ergo dicendum, quòd solùm *aliqui,* & hoc defendendæ suæ hæresis gratia de rebaptizandis baptizatis ab hæreticis, dixerunt malos ministros habentes peccata manifesta inualidè sacramenta ministrare, non autem habentes peccata occulta; & hanc non fuisse *omnium Donatistarum* sententiam.

4 *Pauperes de Lugduno, seu Vualdenses* docuerunt nedum sacerdotes, sed etiam Reges, & Principes per quodlibet peccatum siue manifestum, siue occultum potestate, ac dignitate spoliari; vt refert *Tho. Vualden. lib. 2. de Sacram.*

5 *Vuicleff* dixit ad validè ministranda sacra-

cramenta nedum requiri esse in gratia, sed insuper debere ministrum esse prædestinatum; adeóque licèt præscitus habeat gratiam ad tempus, adhuc tamen sacramenta ministrat inualidè. Collig. *ex eod. Vuald. ibid. c. 4.*

6 *Alij* tandem putarunt hæreticos, aut malos ministros posse quidem validè sacramenta conficere, non tamen effectum sacramenti, qui est gratia, conferre; etenim qui in se sanctus non est, alium sanctificare non potest. Tributur *Luciferianis apud D. Hier. in Dialog. contra Luciferianos*; quod arg. reperitur etiam apud *aliquos Donatistas, vt in libris cit. S. P. Aug.* potest videri.

7 Vnica concl. Dogma fidei catholicæ est ad valorem sacramenti non requiri fidem, aut sanctitatem ministri; adeoq; ab hæreticis, schismaticis, & peccatoribus quantumuis malis siue manifestis, siue occultis validè nedum sacramenta, sed & gratiam, quæ est effectus sacramentorum, conferri, dummodò sint idonei ministri, & ea, quæ sunt de essentia sacramentorum, adhibeant. Hanc veritatem catholicam testatur *Fund. Doct. Æg. in 3. dist. 9. p. 3. q. 3. art. 3. ad 1; & communiter omnes DD. Catholici.*

8 Prob. *S. P. Aug. 1. pluribus scripturæ textibus; vt tract. 5. in Io.* ex illo *Io. 1. Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est, qui baptizat*; ex quo sic arguitur. Actio, quæ est à Christo Domino, vt à potestate ministeriali excellenter, & à Deo, vt à causa principali auctoritatiuè independenter, nequit validari, vel inualidari à bonitate, vel malitia ministri tantùm forinsecùs, seu extrinsecùs ministrãtis materiam, & formam, & ea, quæ sunt necessaria ad illud ministerium externum; sed ministratio sacramentorum est actio, quæ est à Christo Domino, tanquam à potestate ministeriali excellenter, & à Deo, tanquam à causa principali auctoritatiuè independenter; ergo ministratio sacramentorum nequit validari, vel inualidari à bonitate, vel malitia ministri tantùm extrinsecùs ministrantis materiam, & formam, & ea, quæ sunt necessaria ad illud ministerium externum. Ma. probat *S. P. Aug. loc. cit.* exemplo canalis lapidei, per quem transit aqua, & in eo nihil generat; sed tamen perueniens ad hortos multos fructus generat; *& lib. 3. cont. Crescon. c. 10.* adducit exemplum de agricola, cuius malitia non impedit, vt ager fructus producat; & *lib. 9. de Gen. ad lit. c. 15.* affert exemplum de medico, qui licèt sit infirmus, attamen virtute medicinæ confert salutem ægroto; & *lib. 3. cont. Donatist. c. 10.* ait, quòd sicuti lux Solis per cænosa diffunditur, & nihil inde contrahit sordium; ita Diuina gratia, quanuis per ministros sordibus peccatorum maculatos, incontaminata confertur; *& D. Naz. or. 40. de bapt.* addit aliud exemplum; nam sicuti sigillum aureum, vel ferreum imprimit eandem figuram, ita bonus, vel malus minister validè sacramenta ministrat; & ratio est; quia actio infici nequit, nisi ab ijs principijs, à quibus intrinsecè oritur; hinc si Dominus ex motiuo charitatis iubeat distribui eleemosinas, etiamsi famuli illas distribuant ob malum finem, actio Domini non vitiatur; quia famuli tantùm extrinsecè ministerium illius actionis exercent; sed ministri sacramentorum non sunt principia intrinsecè productiua gratiæ, cùm tantùm extrinsecè illam ministrent ponendo actiones extrinsecas, quibus actio sacramentalis, per quam gratia confertur, exercetur; ergo actio sacramentalis nequit validari, vel inualidari à bonitate, vel malitia ministri. Mi. prob. *ab eod. S. P. Aug. in libris cit. Io. 1. Christus est, qui baptizat; & Rom. 8. Deus est, qui iustificat; & 1. Cor. 3. Neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed, qui incrementum dat, Deus; & c. 4. Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*; purus autem minister, & dispensator non est causa intrinsecè producens id, quod ministratur, & dispensatur; vt diximus de famulo ministrante, & dispensante eleemosinas Domini; *& Iosue vlt.* Dominus per malum prophetam. auaritia corruptum, vt erat *Balaam*, benedixit *Israelitis*; rationes autem allatæ sunt *to. 4. de grat. q. 3. art. 3; & to. 5. q. 8. art. 1. §. 2; & to. 2. de prædest. SS. q. 3. art. 3*; ergo ministratio sacramentorum est actio Christi Domini habentis potestatem ministerialem excellenter, & Dei, qui est causa principalis auctoritatiua gratiæ independenter.

9 Prob. 2. *idem S. P. Aug. lib. 4. de bapt. contra Donatist. c. 7.* ex traditione, & consuetudine Ecclesiæ orta ex Apostolis; ait enim: *Quam consuetudinem* (scilicet non rebaptizandi hæreticos ritè baptizatos venientes ad fidem catholicam) *credo ex Apostolica traditione venientem; sicut multa, quæ non inueniuntur in literis eorum, neque in Concilys posteriorum; & tamen quia per vniuersam custodiuntur Ecclesiam, nonnisi ab ipsis tradita, & commendata creduntur.* Formatur autem sic ratio. Ab illo, sine quo potest haberi essentia sacramẽti, non dependet validitas sacramenti; illud enim dicitur essentialiter ab alio dependere, sine quo illud haberi non potest; sed traditio, & consuetudo vniuersalis Ecclesiæ docet sine fide, & sanctitate ministri posse haberi essentiam sacramẽti; quia hæretici, qui carent fide, & sanctitate, conficiunt vera, & valida sacramenta, adeoque ab illis ponitur essentia sacramenti; aliter sacramenta ab illis confecta essent iteranda, etiamsi sint secundùm se irreiterabilia, vt baptismus; cuius oppositum tradit traditio, & consuetudo Ecclesiæ Catholicæ; quòd si hæretici validè conficiunt sacramenta, quę iterari non possunt, idem dicendum est de illis, quæ iterantur, cùm non sit ratio pro vtrisque diuersa; ergo traditio, & consuetudo Ecclesiæ docet à fide, & sanctitate ministri non dependere validitatem sacramenti.

10 Prob. 3. *idem ex Conc. Nic. I. apud S. P. Aug. lib. 1. de bapt. à c. 3. ad 6; ex Carthag. I. can. 1;* qui-

quibus additur *Conc.Constant.cont.Io. Husi & tandem Trid.sess.7.can. 12.* statuente: *Si quis dixerit ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent; seruauerit, non conficere, aut conferre sacramenta, anathema sit*; quod iam dixerat de hæreticis *can.4.* Accedunt Summi Pontifices *Siricius ep.1.c.2; Stephan.Martyr in ep. 74. S. Cypr; Anast. ep. ad Anast.Imp; Nic.I.ad consulta Bulgar;S.Greg.Magn.lib.9.ep.61; & communiter alij Ecclesiæ PP.*

11 Tandem prob. alijs rationibus. 1. Ad conficiendum sacramentum tria dumtaxat requiruntur, nempe debita materia,& forma,& intentio ministri faciendi,quod Christus instituit, vel quod facit Ecclesia,sed hæc possunt esse in ministro infideli,malo,& peruerso; ergo ad validitatem sacramenti non requiritur fides,aut sanctitas ministri. Ma; & mi; declaratæ fuerunt *in in sup.art.2.* Ad conficiendum validè sacramentum sufficit potestas ministerialis ad illud ordinata,& debita materia, forma,& intētio; sed per nullum peccatum amittitur potestas ministerialis, quia non amittitur caracter, qui est talis potestas, vt diximus *in sup.q. art.2*; caracter enim est signum simpliciter indelebile; ergo per nullum peccatum inualidatur sacramentum, dummodò omnia necessaria ad illud conficiendum seruentur. 3. Ad hoc, vt quis validè vtatur aliqua gratia gratis data, non requiritur fides, vel sanctitas; vt patet *de Balaam, Caipha*, alijsque hominibus pessimis, & infidelibus; sed potestas ministerialis reducitur ad genus gratiæ gratis datæ,quia per se ordinatur ad bonum alterius,& per accidens ad bonum proprium; cùm possit minister illud sacramentum,quod sibi ministrat, ab alio suscipere;ergo,vt quis validè sacramenta ministret, non requiritur fides, vel sanctitas. Aliæ autem rationes, quæ adducuntur *à Recentioribus*,omittuntur,quia plus difficultatis,quàm roboris videntur habere.

12 Obijc.1.*Malach.2.*dixit Dominus malis sacerdotibus: *Maledicam benedictionibus vestris, & Eccli. 34. Ab immundo quid mundabitur; & 2. Cor.6. Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate &c*; ergo mali ministri nequeunt validè sacramenta conferre, quorum effectus sunt benedictio Dei, mundatio à peccatis, & participatio gratiæ iustificantis.

Resp. ad 1. benedictiones illas respexisse tantùm bona temporalia, quæ promittebantur in veteri testamento, non autem bona æterna, quæ conferebantur solùm intuitu meritorum Christi. Vel dicitur illas benedictiones, prout respiciebant ipsos malos sacerdotes, induxisse in illos Dei maledictionem; non autem prout respiciebant illos, pro quibus offerebantur; sic mali ministri in lege noua offerentes in peccato mortali incurrunt damnationem in se ipsis; alijs verò, quibus conferuntur sacramenta, confertur gratia; hinc *Nicol. I. vbi sup.* comparat malum ministrum cereæ faci; quæ *accensa sibi quidem detrimentum præstat, alijs verò lumen in tenebris administrat, et vnde alijs commodum exhibet, inde sibi detrimentum præbet.* Ad aliud dicitur mundiciem non haberi ab immundo ministro, sed ab ipso sacramento, quod non polluitur immunditia ministri, vt docet *S.P.Aug.* & confert gratiam ex opere operato, non ex opere operantis. Ad aliud eodem modo dicitur iustitiam, quæ confertur per sacramenta, non participari ab iniustitia ministri, sed à Christo, qui est omnis iustitiæ fons.

13 Obijc.2.*S.P.Aug.lib.3.cont.Donatist.c.18.* de malis ministris ait: *Remissam tamen peccatorum non dabunt, quæ per orationes Sanctorum, idest per columbæ gemitus datur.* Idem habet *lib.4.c.4;lib.5. à c.20.ad 22;et lib.6.c.1;et 3;et serm. 16. de verbis Domini;et lib.10.c.26.de Ciu.Dei.* Item *S.Hier. in 3. Sophoniæ* ait impium esse dicere eucharistiam *fieri verbis, et non meritis sacerdotum; et sup. 4. Ephes.* negat hæreticos habere vera baptismata asserens in sola Ecclesia esse fontem vitalem. Item *D.Ambr.lib.de his,qui initiantur c.4.* ait: *Baptisma perfidorum non sanat, sed polluit; et D. Athan.serm.3.cont. Arianos* vocat eorum baptismum vanum,& inualidum. *Innoc.I.ep. 17*; & habetur *1.q.1.c.Arianus*;negat eos dare plenitudinem Spiritus Sancti, qui fidem non habēt. *Leo I. ep.75.* ait *in Ecclesia Alexandrina* per impietatum *Dioscori* fuisse extincta omnia sacramenta; *et ep.77.*negat baptizatos ab hæreticis sanctificationem accipere. *S.Greg.lib.3.Dialog.c.31.*eucharistiam *ab Ariano* confectam vocat *communionem sacrilegam. Pelag.Papa*,& habetur *24.q.1.c.schisma*; inquit: *Non est corpus Domini, quod schismaticus conficit. S.Bern.serm.66.in cant.*negat hæreticos habere potestatem consecrandi Corpus, & Sanguinem Christi. Tandem *in Conc. Apost. can. 46.*damnatur Episcopus suscipiens baptisma hæreticorum;*et can.67.* statuitur ratam non esse ordinationem ab Episcopo factam; & *aliqui Canones* declarant Episcopos innodatos aliqua censura non conferre sacramentum ordinis, & confirmationis.

Resp.*ad S.P.Aug.* remissionem peccatorum dupliciter conferri: 1. Ex opere operato per sacramenta.2. Imploratiuè per preces Sanctorum, quæ impetrant à Deo, vt ille, qui recipit sacramenta,sit in Ecclesia,in qua solùm confertur gratia remittens peccata, quia extra ipsam salus non est. Igitur *S.P.Aug.* loquitur in secundo sensu,non in primo; vt enim sæpè repetit *in illis libris*,ad hoc, vt quis recipiat gratiam per sacramentum ab hæretico collatum,requiritur,quòd sit in Ecclesia, aliter recipit sacramentum, sed non rem, seu virtutem sacramenti, quæ est gratia sanctificans. *Vid.lib.7.de bapt.c.53*;esse autem in Ecclesia hoc potest obtinere per gemitum columbæ,seu per orationes,& lacrimas fidelium, qui

qui orant, vt infideles conuertantur. Hoc idem docet *locis* in contrarium adductis. *Ad D. Hier.* dicitur nihil aliud velle, quàm quòd ad hoc, vt actio sacerdotis Deo placeat, non sufficit proferre verba consecrationis, sed insuper requiritur vitæ innocentia; quod nullus negat. Ad aliud dicitur loqui de suscipientibus baptisma extra Ecclesiam; vt loquitur *S. P. Aug.* Sic dicitur *ad D. Ambr*; vel quod loquitur de baptismo per ordinem ad baptizantem, non per ordinem ad baptizatum. Ita *D. Athan.* clarè loquitur de ijs, qui accipiunt baptismum ab hęreticis, & profitentur eorum hæresim; adeoque sunt extra Ecclesiam. In quo sensu loquuntur *Innoc. et Leo. S. Greg.* verò ait non corpus Domini, sed vsum hæretici esse sacrilegum. *Pelag.* loquitur de corpore mystico, nō de corpore reali. *S. Bern.* loquitur *cont. Apostolicos*, qui non erant ordinati à successoribus Apostolorum, & ideo non erant veri sacerdotes. Ad *canones Apostolorum* dicitur illos esse controuersos, & aliquos fuisse ab hæreticis insertos suspectum esse. Vel dicitur eos loqui de susceptione baptismi, & ordinatione facta alicuius extra Ecclesiam quantùm ad rem, seu fructum baptismi, & ordinis, vt diximus. *Ad alios canones* dicimus *cum nostro Puteano* prohibere vsum potestatis Episcopalis, non tamen asserunt sic ordinatos, & confirmatos non esse verè tales; quamuis ab vsu, & ministerio talium sacramentorum maneant suspensi, donec ab Ecclesia absoluantur.

14 Obijc. 3. Christus non confert gratiam sacramentalem, nisi per membra Ecclesiæ; sed hæretici non sunt membra Ecclesiæ; vt diximus *to.* 5; ergo Christus non confert per illos gratiā sacramentalem. 2. Expulsus ab aliqua communitate nequit conferre officia illius communitatis; sed hæretici sunt expulsi ab Ecclesia; ergo nequeunt conferre per sacramenta officia Ecclesiæ. 3. Ministri offerunt sacramenta nomine Ecclesiæ; vt patet de sacerdote, cùm inquit: *Offerimus tibi, Domine*; sed qui non est in Ecclesia, nequit offerre nomine Ecclesiæ; nequit enim simul offerre cum Ecclesia, qui non est vnitus cum illa; ergo idem. 4. Sacramentum est actio ministri; ergo talis est actio, qualis minister.

Resp. ad 1. dist. mi. Hęretici non sunt mēbra Ecclesiæ viua per fidem, conc; mortua, & potentialiter viua, neg. Sic *pagani*, quamuis non sint actu membra Ecclesiæ, sed tantùm in potentia, possunt tamen baptizare in casu necessitatis. Ad 2. dist. ma. Si expulsus sit priuatus potestate, conc; si potestatem retineat, neg; hæretici autem, quamuis sint expulsi ab Ecclesia, retinent tamen caracterem, qui est potestas. Ad 3. dist. Qui non est in Ecclesia, nec vllo modo vnitur Ecclesiæ, conc; & aliquo modo vnitur Ecclesiæ, neg; hæretici autem non sunt in Ecclesia, sed aliquo modo vniuntur Ecclesiæ, cùm intendunt facere, quod agit Ecclesia, vniunt enim suam intentionem intentioni Ecclesiæ; & ideo sunt in Ecclesia per intentionem, non per fidem; & ideo nomine Ecclesię possunt offerre. Ad 4. dist. ant. Sacramentum est actio ministri merè instrumētaliter extrinsecè productiua gratiæ, conc; intrinsecè productiua gratię, neg; se habet enim, vt actio agricolę, vel medici respectu productionis segetis, vel sanitatis, vt diximus.

15 Obijc. 4. Oratio habet effectum iuxta deuotionem orantis; sed in sacramento adhibetur oratio; ergo sacramentum pendet à deuotione, & per consequens à bonitate ministri. Idem dicitur de prædicatione, quæ pendet à feruore concionantis. 2. Existens extra Ecclesiam non habet ius ministrandi Ecclesiæ sacramenta; ergo idem. 3. Pęnitens inducens ministrum existentem in peccato mortali notorio ad ei ministrandum pęnitentię sacramentum non suscipit sacramentum; ergo idem. 4. Sacerdos excommunicatus vitandus validè non absoluit; ergo idem.

Resp. ad 1. dist. mi. In sacramento adhibetur oratio, tanquam aliquod essentiale, neg; tāquam aliquod integrale, quod non est de essentia, conc. Ad id de prædicatione dicitur discrimen esse, quòd illa non confert gratiam ex opere operato, & semper; sicuti conferunt sacramēta; ideo solùm ex opere operantis, & interna Dei motione operantur conuersionem. Ad 2. resp. S. P. *Aug. lib. 3. cont. Donatist. c.* 10. *Aliud est non habere aliquid, aliud non iure habere, sed illicitè vsurpare. Non itaque ideo non sunt sacramenta Christi, & Ecclesiæ, quia eis illicitè vtuntur non hęretici solùm, sed etiā omnes iniqui, & impij. Sed tamē illi corripiēdi, aut puniēdi, illa verò agnoscenda, & veneranda sunt.* Neg. igitur cōs. Ad 3. neg. pariter cons; nam pęnitēs extra casum necessitatis inducens sacerdotem excommunicatum notoriè ad ei ministrandum pęnitentię sacramentum, illum inducit ad peccatum sacrilegij, ideo grauissimè peccat; & per consequens ponit obicem ad recipiendam gratiam. Ad 4. etiam neg. cons; quia sacerdos excommunicatus vitandus non habet potestatem iurisdictionis, licèt habeat potestatem ordinis; ideo validè non absoluit; at excōmunicatus toleratus habet potestatem iurisdictionis, ideo validè absoluit. Quod intelligendum est extra casum necessitatis, quia tunc omnis sacerdos habet potestatem iurisdictionis, vt *suo loco* dicemus; & ideo validè ministrat. *Vid. Bonac.*

ART. IV.

An mali ministri licitè sacramenta ministrent?

1 VAlidum, & licitum distare inter se diximus *in sup. art*; ideo postquam ostendimus malos ministros validè sacramenta ministrare; inquirimus, an etiam id licitè possint? Nomine autem *mali ministri* intelligimus ministrum existentem in peccato mortali, quodcunque illud sit.

2 Minister alius est ex officio, siue solemni-

tatis, aut ordinatius; alius necessitatis, siue extraordinarius. Primus est ille, qui per aliquam consecrationem est deputatus ad conficiendum, & ministrandum sacramentum; vt sacerdos celebrans, absoluens, & baptizans solemniter. Alter est, qui sine consecratione in casu necessitatis potest sacramentum ministrare; vt laicus baptizans in casu necessitatis. Sic in sententia illorum, qui asserunt ministrum ordinatium matrimonij esse ipsos contrahentes, talis minister est non consecratus; in sententia autem docente talem ministrum esse parochum, de quo *suo loco*, est consecratus; vnde in hac sententia solus minister baptismi, vt potè summæ necessitatis, potest esse etiam persona non consecrata; non autem minister cuiusuis alterius sacramenti; in illa verò minister baptismi in casu necessitatis, & matrimonij est non consecratus; ministri autem aliorum quinque sacramentorum sunt consecrati.

3 Certū est *apud omnes* recipientes aliquod sacramētum in peccato mortali mortaliter peccare, quod intelligendum est sine attritione, quę est dispositio ad gratiam, & qua mediante in sacramento peccatum remittitur. Vnde si minister sibi ministret aliquod sacramentum in peccato mortali peccat mortaliter. Difficultas igitur procedit de ministro alijs ministrāte sacramēta.

4 *Caiet; Gonet, noster Gibb. hic disp. 7. dub. 5;* apud quem *alij*, substinent ministrum consecratum peccare mortaliter administrando sacramentum. non verò ministrum non consecratum eo, quia obligatio non consecrandi oritur ex eo, quòd sit actio sacramentalis, & quòd minister specialiter sit ad eam deputatus; adeoque illam ex officio solemniter administrans debet se conformare in sāctitate Deo, & Christo, in cuius nomine conficit sacramenta; persona autem non consecrata non est Christi minister ex officio deputatus, ideo illi non debet conformari. Hanc asserunt *hi Auctores* esse mentem *D. Tho. hic q. 64. art. 6. ad 3.*

5 Sed *ex D. Tho.* videtur potiùs colligi oppositum; nam *ibid. ad 1.* ait: *Sacramenta in se ipsis sanctificationem quandam habent per mysticam cōsecrationem; & ideo praexigitur in ministro sanctitas institua, vt congruat suo ministerio;* & ideo incongruè agit, & peccat, si in peccato existens ad tale ministerium accedat. Ex quibus verbis patet *S. Thomam* non deducere sanctitatem ministri per conformitatem ad Deum, & ad Christū, sed per conformitatem ad ipsum sacramentum, quod fit. Atqui nedum sanctum est sacramentū, quod fit à ministro consecrato, quàm illud, quod fit à nō cōsecrato; quocūq; enim modo fiat, sanctificat; ideo sanctum est; ergo existens in peccato efficiens sacramentum incongruè agit ad sacramentum, quod agit; & ideo peccat. Et quamuis *ad 3.* afferat *in articulo necessitatis non peccare in casu, in quo etiam laicus posset baptizare, quia non exhiberet se ministrum Ecclesię, sed subueniret necessitatem patienti;* hoc tamen intelligendum videtur de eo casu, quo non possit pœnitere de peccato iudicans in illo instanti, in quo penitere, infantem, vel hominem mori sine baptismo; ait enim *superius: Potest pænitere de peccato, & licitè ministrare;* ergo *ex D. Thoma* sententia videtur, quòd ministet potens pœnitere de peccato, debeat, vt licitè ministret.

6 *Sua; Vasq; Lug; Bernal, & alij* volunt ministrum siue consecratum, siue non in casu extremæ necessitatis, v. g. videns infantem mori, vel pœnitentem, non peccare ei ministrando in peccato mortali.

7 *Noster Puteanus, quem sequuntur Card. Laurea, & alij* volunt ministrum siue consecratum, siue laicum ministrantem in peccato mortali mortaliter peccare.

8 Vnica concl. Minister siue consecratus, siue laicus existens in peccato mortali ministrādo sacramenta peccat mortaliter, dummodò antecedenter potuerit pęnitere de peccato, in quo est; & pęnitere neglexerit.

Prob. 1. pars concl. *ex ps. 100. Ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat; & 2. Thren. 4. Recedite polluti, recedite, abite, mundū nolite tangere; ex Exod. 19. Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos; & c. 30.* præcipitur filijs *Aaron*, vt mundentur, priusquam accedant ad altare, ne moriantur; *& Leuit. 19. Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum; & Isaia 12. Mundi estote, qui fertis vasa Domini;* & habetur *c. quæsitum de temporibus ordinationū; & c. necesse est 1. q. 1; & c. Sacerdotes 1. q. 1; & c. vlt. de cohabitat. clericor; & mulier;* vbi præcipitur sacerdotibus, ne in peccato ministrent. Idem docet *S. P. Aug. cont. ep. Parmen. lib. 2. c. 10.* inquiēs: *Omnia sacramēta, cùm obsint indignè tractantibus, prosunt tamen per eos dignè sumentibus.* Ratio est. 1. Actus contra præceptum Diuinum in materia graui est peccatum mortale, quod non est, nisi transgressio legis, seu præcepti Diuini; sed minister consecratus ministrans sacramenta facit actum contra Diuinum præceptum; vt patet *ex textibus* allatis; & in materia graui, quia est materia sacramentorum, quæ grauissima est; ergo minister consecratus ministrans in peccato mortali aliquod sacramentum peccat mortaliter. 2. Minister cōsecratus in ministerio sacramētorum debet conformari cum Christo, cuius personam gerit, vt docet *Fund. Doct. Æg. de Renunc. Papa c. 21;* sacerdos enim consecrās inquit: *Hoc est corpus meum;* quod non est intelligendum de corpore ipsius sacerdotis, sed de corpore Christi; ideo *nullus sacerdos, cùm consecrat, loquitur in persona sua, sed in persona Christi;* & habetur expressè *ex Leuit. 19. vbi;* sed Christus sanctus est; ergo & minister consecratus debet esse sanctus, dum conficit sacramentum.

9 Prob. 2. pars concl. *à Puteano* sic. 1. Transgre-

grediens præceptum Diuinum in materia graui peccat mortaliter; sed non minùs minister non consecratus, quàm consecratus transgreditur præceptum Diuinum, *textus* enim allati non excipiunt ministrum non consecratum, sed generaliter de omni ministro loquuntur; ergo non minùs minister non consecratus, quàm consecratus ministrãs in peccato mortali peccat mortaliter. 2. *Vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus*; ne exponamur periculo transgrediẽdi legem; sed lex non distinguit de ministro cõsecrato, & non consecrato; ergo nec nos distinguere debemus. 3. Tam est verus Christi minister, qui non est consecratus, quàm qui est consecratus; Christus enim est, qui baptizat, vt habetur *Io.* 1; per ministrum non consecratum, & consecratum; & tam minister non consecratus, quàm consecratus ministrat materiam, & formam sacramenti; sed ex eo præcisè, quòd minister consecratus sit Christi minister, ministrans in peccato mortali peccat mortaliter; non autẽ ex eo, quòd sit minister ex officio; quia prout est minister ex officio, habet solùm, quòd possit baptizare solemniter seruatis solemnitatibus, ritibus, & ceremonijs Ecclesiæ; minister enim ex officio conuenit cum ministro necessitatis in eo, quòd vterque verè ministrat sacramentum; differt verò; quòd ille, non iste, potest ministrare sacramentum cum solemnitatibus, & ritibus ab Ecclesia præscriptis; adeoque si celebratio solemnitatum, rituum, & cerẽmoniarum, quæ sũt de iure humano, vtpotè ab Ecclesia institutæ, vt docet *Trid. sess.* 21. c. 2, facta in peccato mortali est peccaminosa; multò magis ipsa ministratio sacramenti, quæ est de iure Diuino, facta in peccato est peccaminosa; ergo & minister non consecratus ex eo, quòd est verus Christi minister, ministrans in peccato mortali peccat mortaliter. 3. Ponere obicem peccati ad gratiam, quam reciperet ministrãs sacramentum, est peccatum mortale; sed minister non consecratus ministrans in peccato mortali ponit obicem ad gratiam, quam reciperet in ministratione illius sacramenti; ergo peccat mortaliter. 4. Indignè tractat sacramentum, vt loquitur *S. P. Aug.* ergo idem; nam *sancta sanctè tractanda sunt*. 5. Minister sacramenti *ex D. Tho. vbi s.* debet conformari nedum Christo, cuius personam gerit; sed etiam sacramento, quod ministrat; sed nedum Christus est sanctus, verumetiam sanctum est sacramentum, quia sanctificat; ergo idem.

10 Prob. 3. pars concl. Nemo obligatur ad id, quod non potest; aliter necessariò peccaret; sed potest dari casus, in quo minister siue consecratus, siue non consecratus non possit elicere actum contritionis eo, quia in illo instanti, in quo eliceret actum contritionis, baptizandus, vel absoluendus moreretur; ergo in isto casu nõ peccaret. In hoc sensu censent *aliqui* locutum fuisse *D. Thomam*; in hoc enim casu solùm est extrema necessitas, quæ dicit vltimum vitæ instans, vt constat.

11 Obijc. cont. 1. part. concl. 1. Profitens fidem coram tyranno in peccato mortali non peccat mortaliter, & tamen exercet potestatem datam per sacramentum confirmationis; ergo ministrans sacramentum in peccato non peccat. 2. Petens, vel reddens debitum matrimonij in peccato non peccat; ergo idem. 3. Bonitas ministri non est de necessitate, sed tantùm de congruentia sacramenti; sed omittere aliquod de congruentia non est peccatum mortale; ergo idem. 4. Non minor requiritur dispositio in suscipiente sacramenta, quàm in ministrante; sed suscipiens sacramentum pœnitentiæ cum sola attritione non peccat; ergo idem.

Resp. ad 1. & 2; quòd profiteri fidem; & petere, vel reddere debitum non est conficere aliquod sacramentum, sed tantùm vti potestate data per sacramentum per ordinem ad aliquem actum, qui non est sacramentum; ideo exercẽs talem actionem non peccat; præceptum enim est tantum de actione factiua, vel ministratiua sacramenti. Ad 3. dist. ma. Bonitas non est de necessitate validitatis sacramenti, conc; non est de necessitate moralitatis, neg. Ad 4. neg. ma. vniuersaliter sumptam; nam ad suscipienda sacramenta mortuorum nõ requiritur sanctitas recipientis; ad omnia tamen sacramenta conficienda, & ministranda requiritur puritas conscientiæ; vt patet *ex allatis scripturis*.

12 Collig. 1. ex dictis licitum esse recipere sacramentum à malo ministro ab Ecclesia tolerato actualiter ministrante; quia tunc suscipiens non inducit ministrum ad peccatum, nec cooperatur peccato illius. *Ita c. sciscitantibus* 15. *q.* 8; vbi *Nic. Papa* decernit posse suscipi communionem à quouis sacerdote adultero, & mala fama resperso, quousq; toleratur ab Ecclesia. Nec obstat *c. Si qui sunt dist.* 8; vbi *Greg.* prohibet, ne quis intersit officijs præsbyterorum, qui viuunt in publico concubinatu; nam publici cõcubinarij erant suspensi; vt habetur *c. nullus*; *c. præter dist.* 32. Cùm autem dicimus licitum esse sumere sacramentum à malo ministro, non intelligitur de ministro suspenso, hic enim non est toleratus ab Ecclesia. Non tamen est licitum inducere ministrum existentem in peccato ad ministrandum aliquod sacramentum, quia tunc inducens cooperaretur peccato. Quod tamen intelligendum est extra casum necessitatis, aut cùm minister tenetur ministrare ex officio, & suscipiens nequit alium ministrum adire; vt patet de communione Paschali à proprio Parocho; vel in casu mortis ab hæretico; Ecclesia enim non abstulit ab istis potestatem in his casibus. *Vid. Bonac; Gonet; & alij*.

13 Collig. 2. Sacerdotem celebrantem in peccato mortali ex triplici titulo peccare. 1. Quia conficit. 2. Quia recipit. 3. Quia ministrat

sibi

sibi sacramentum. Contrahentes autem matrimonium in sententia illorum, qui tenent eos esse ministros, peccare ex duplici titulo; quia scilicèt conficiunt, & recipiunt. *Ita Gonet.* Sed quare non etiam, quia sibi illud ministrant? In hac sententia parochus assistens confectioni matrimonij non peccat, quamuis sit in peccato, quia non est minister, sed testis; & sic adstantes Missæ sacrificio.

14 Collig. 3. præceptum de conficiendis, & ministrandis sacramentis cum puritate conscientiæ non esse de iure humano, & positiuo, sed Diuino, & naturali. *Ita ex nostris Gibb; Bernardin; & Cornejus; & alij, vt Sua; Vasq; & ferè omnes communiter.* Ratio primi est; quia habetur expressè *in scripturis*. Ratio secundi est; quia naturalis ratio dictat; quòd *sancta sunt sanctè tractanda.*

15 Collig. 4; quòd licèt recipiens sacramēta viuorum debeat priùs expiari per confessionem, si adsit copia confessoris, vt de eucharistia statuit *Trid. sess. 13. c. 7;* attamen ad illa licitè ministranda sufficit elicere actum contritionis, quo expellatur peccatum. Est *contra Mars; & Paludan;* traditur tamen *à nostro Gibb.* asserente hanc esse *omnium Theologorum* sententiam; quamuis enim sit præceptum Diuinum, & naturale, sacramenta esse ministranda sine peccato; attamen non est præceptum, quod hoc, vel illo modo debeat minister se mundare à peccato. Vnde si commodè possit confessionem præmittere, tutius est; si verò non possit absque eo, quòd se prodat suscipienti esse in peccato, tunc sufficit contritio; quisquis enim tenetur lege naturali suam famam tueri.

16 Collig. 5. audientem confessionem in peccato mortali sine præuia contritione peccare mortaliter, etiansi, antequam absoluat, actū contritionis eliciat. Est *cont. Dianam, Henriquez, Lug; & alios;* traditur tamen *à nostro Gibb; & alijs multis.* Ratio est; quia audire confessiones est actio sacramētalis, quæ est de essētia sacramēti.

17 Collig. 6. ministrantem eucharistiam in peccato mortali mortaliter peccare. Imò *Bonac; Coninch, & alij* volunt tot peccata committere, quot hostias distribuit; quamuis vnum tantùm peccatum sit, quia vnica est actio continuata. Transferens tamen eucharistiam de vno ad alium locum non peccat; quia neque ministrat, neque tangit sacramentum.

18 Probabilius est etiam Diaconos, & Subdiaconos solemniter exercentes in peccato sua munera mortaliter peccare. Est *cont. Sot; Vasq; Lug; & alios;* traditur tamen *à Cordub; Io. Med; Syluestro, Nauarro; nostro Gibbi & alijs;* quia ex *quæsitum, & locis cit. sup.* præcipitur, ne in susceptis ordinibus ministrent; & ratio est; quia verè in sacrificio solemni ministrant. Diximus *solemniter*; nam sine solemnitate, vt cantare epistolam, vel respondere in Choro, vt potest facere laicus, non est peccatum.

19 Excipiuntur ordinati in minoribus; quia actus istorum sunt valde remoti à sacramento eucharistiæ; ideo non concurrunt formaliter ad actionem sacramentalē; sicuti concurrunt ordines sacri. Est *cont. Syluestrum, Ang; Nauar; & Fabr;* traditur tamen *ab alijs.*

20 Collig. 7. Episcopos conficientes chrisma, & oleum infirmorum in peccato mortali mortaliter peccare; non tamen benedicentes templa, vasa, vestes, moniales, Abbatissas &c. Ratio est; quia prima actio est sacramenti confectiua, non autem secunda.

21 Collig. 8. Ministrum debere sacramenta denegare peccatoribus manifestis, vt meretricibus. *Glos. in c. illud dist. 91.* Non potest autem eam negare peccatoribus occultis, nisi per admonitionem secretam *c. non probibeat de consecr. dist. 2; Archid; & Turrecrem. sup. idem c.* Quod est intelligendum, si illa peccata occulta sciat in confessione; tunc enim frangeret sigillum. Quòd si illa sciret extra confessionem, posset denegare, quoties non oriretur aliquod scandalum graue; nam corpus Christi, qui est panis filiorum, non est mittendus canibus; prohibetur enim *Matth. 7. Nolite sanctum dare canibus.*

22 Collig. vlt. canentes in choro, publicè concionantes, vel aliquam actionem exercentes in Ecclesia, quæ actio non sit sacramentum, nec formaliter connexa cum sacramento, non peccare mortaliter, etiansi in peccato mortali illam exerceant; dummodò tamen non sit ex contemptu; quia tunc ipse contemptus est peccatum; & eadem ratio est; quia præceptum est tantùm de non conficiendis, & ministrandis sacramentis in peccato mortali; non autem de non exercendis alijs actionibus, quæ non sunt sacramenta. *Sed de his suis in locis.*

QVÆ-

QVÆST. VI.

De subiecto receptiuo Sacramentorum.

NIhil ferè, vel saltem pauca dici possunt de subiecto capaci sacramentorum in genere, quin descendamus ad tractandum de sacramentis in speciali; propterea paucis hanc quæstionem expediemus remittentes reliqua ad proprios tractatus sacramentorum in speciali.

ART. I.

An, & qua intentio in suscipiente sacramenta requiratur, vt fructuosè illa recipiat?

1 DOcet *Fund. Doct. Æg. in prol. 3. sent.* sacramenta fuisse instituta, vt remedia ad reparandam hominis viatoris salutem; quapropter solos homines viatores esse subiecta proximè capacia sacramentorum; nam remedia non applicantur ijs, in quibus morbi esse non possunt; & ideo beatis, qui morbos habere non possunt, sacramenta non conferuntur; præterea remedia non applicantur, nisi vbi spes salutis esse potest; ideo damnati, quorum salus est desperata, illa nequeunt recipere. Remanet itaque solos viatores esse subiecta proximè receptiua sacramentorum; nam de Angelis omniuo idem dicendum; vel enim sunt beati, vel damnati; tum quia sacramenta sunt res corporales, quas nequeunt recipere spirituales substantiæ. Cùm autem dicitur eucharistia *cibus Angelorum* intelligitur de cibo spiritali, cuius dulcedinem spiritaliter, non corporaliter gustant. Nos autem *hic* loquimur de subiecto proximè receptiuo sacramentorum sensibiliter, & corporaliter, non tantùm spiritaliter. Tum quia baptismus institutus est pro solis viatoribus; habetur enim *Matth. vlt. Docete omnes gentes baptizantes eos &c;* patet autem, quòd Apostoli non poterant docere, & baptizare beatos, aut damnatos; ergo idem dicendum de alijs sacramentis. Tandem soli viatores sunt capaces recipere primam, vel secundam gratiam; quia in termino, in quo est quies, nullus motus esse potest; atque adeò neque potest esse recipere, quod motum importat Hoc tamen intelligendum est de lege communi secundùm ordinem de facto à Deo statutum; quidquid sit de lege speciali, vel secundùm aliam ordinationẽ, quæ à Deo fieri potuit. Præterea intelligendum est distributiuè, non collectiuè; scilicet quòd quilibet viator est capax aliquorum sacramentorũ, non omnium; nam sacramenti ordinis fęminæ sunt incapaces, vt dicemus *suo loco*.

2 Dices 1. *B. Virgo* non fuit capax baptismi, quia non fuit infecta peccato originali; ergo nec aliorum sacramentorum. 2. Homines viatores, beati, & damnati sunt eiusdem speciei; ergo idem dicendum de omnibus. 3. Sacramenta sunt instituta ad hoc, vt homines se mente erigant in Deum; pueri autem ante vsum rationis huius erectionis sunt incapaces. 4. Christus erat beatus, & tamen teste *D. Tho. q. 81. art. 2.* eucharistiam sumpsit in cœna.

Resp. ad 1. fuisse solutum *q. 1. art. 2. n. 24;* quamuis enim *aliqui* ab hoc excipiant Christum Dominum, & *B. Virginem;* attamen quia quantùm *ad B. Virginem* videtur omnino improbabile *P. Sua;* ideo dicitur baptismum per se remittere peccatum originale; per accidens tamen posse conferri iam sanctificato. Ad 2. neg. cons; nam sacramenta non dantur ratione naturæ præcisè, sed ratione sanabilitatis, & capacitatis ipsius naturæ. Ad 3. dist. Vt homines se erigant in Deum vel per se, vt adulti; vel per aliũ, vt paruuli, conc; per se tantùm, neg. Ad 4. iam responsum est *loc. cit.* Additur, quòd Christus secundùm partem inferiorem erat viator, vt diximus *to. 5;* ideo secundùm hoc capax erat sacramenti, non vt sua, sed vt aliena peccata expiaret.

3 Ex hoc infertur 1; quòd si alicui creaturæ irrationali conferretur aliquod sacramentum ab aliquo peruerso ministro, non fieret verum sacramentum; quia sacramentum essentialiter est signum gratiæ conferendæ subiecto, quod illud recipit; creatura autem irrationalis nõ est capax gratiæ; ideo in illa non fit sacramentum; v.g. quia album dicit albedinem in subiecto receptam; ideo si albedo conferretur subiecto incapaci, nõ fieret album, ita à pari.

4 Infertur 2; quòd si aliquod animal comederet hostiam consecratam, reciperet quidem species panis, sub quibus est corpus Christi, non tamen reciperet corpus Christi; quia illius est incapax. *Hoc supp.*

5 Quæritur, an ad valorem sacramenti requiratur consensus, & intentio illud suscipiendi? Loquimur autem de adultis, qui sunt præditi vsu rationis; nam pro paruulis sufficit consensus per alium, vt diximus.

6 *Glos. in c. solet de consecr. dist. 4; & Caiet. q. 68. art. 7.* dixerunt non requiri positiuum consensum, aut intentionem suscipiendi sacramentum, sed sufficere non renitentiam, aut non contrarietatem ita, vt si aliquis infedelis, qui nunquam cogitauit de baptismo, dormiens baptizetur, validum sit sacramentum.

7 Communis tamen sententia docet in adultis præditis vsu rationis requiri positiuum consensum, & intentionem saltem habitualem re-

recipiendi sacramentum. Diximus *præditis vsu rationis*, quia amentes, frenetici &c; comparantur pueris, & ideo de ipsis dicendum, quod de pueris dicitur. *Ita Fund. Doct. Æg. de Renunc. Papæ c. 6*; vbi ex illo *S. P. Aug. de verbis Apost. serm. 15. Qui fecit te sine te, non iustificabit te sine te*; loquendo de adultis ait: *Oportet, quòd per voluntatem te conuertas ad Deum, à quo est gratia, si vis gratiam suscipere. Nam sicut si vis illuminari, oportet, quòd te conuertas ad lumen; sic si vis habere gratiam, oportet, quòd te conuertas ad fontem gratiæ. Noster Gibb. disp. 8. dub. 2*; apud quem *Sua; Vasq; et alij communiter.*

8 Vnica concl. Ad validè recipiendum sacramentum requiritur in adultis vsum rationis habentibus positiuus consensus, aut intentio saltem habitualis non retractata per actum oppositum illud recipiendi.

Prob. 1. *ex Conc. Carthag. III. c. 34. Ægrotantes, si per se respondere non possunt, cùm voluntatis eorum testimonium hi, qui sunt, dixerint, baptizentur*; *& Conc. Araux. I. c. 12. Obmutescens baptizari, aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet*; *& Trid. sess. 14.* in fine loquens de pœnitentia inquit: *Quidam calumniantur Catholicos Scriptores, quasi tradiderint sacramẽtum pœnitentiæ absq; bono motu suscipientium gratiam conferre, quod nũquam Ecclesia Dei docuit, neque sensit*; bonus autẽ motus nequit esse sine consensu illud recipiendi; quod & ad alia sacramenta debet extendi; *& c. maiores de bapt. Dormientes, & amentes, si priusquam amentiam incurrerent, aut dormirent, in contradictione persisterent, quoniam in eis intelligitur contradictionis propositum perdurare, characterem non suscipiunt sacramenti*; *& c. Cùm à multis de consecr. dist. 4.* ex *S. P. Aug.* habetur: *Neminem renasci ex aqua, & Spiritu Sancto, nisi volentem*; *& ex eodem S. P. Aug. lib. 4. de bapt. c. 24. Cùm pro paruulis alij respondent, vt impleatur erga eos celebratio sacramenti, valet vtiq; ad eorum consecrationem, quia ipsi per se respondere non possunt. At si pro eo, qui respondere potest, alius respondeat, non itidem valet. Ex qua regula illud in Euangelio dictum est, quòd omnes, cùm legitur, naturaliter mouet: ætatem habet, ipse per se loquatur.* Ratio autem illius est. Receptio cuiuslibet sacramenti in adulto est meritoria, si ritè celebretur; & demeritoria, si fiat cum affectu ad peccatum; sed actio meritoria, aut demiritoria nequit esse sine consensu, vel intentione saltem habituali, vt constat; aliter est omnino per accidens, & simpliciter inuoluntaria, cùm sit præter intentionem, adeoq; nec est meritoria, nec demeritoria; ergo ad valorem sacramenti requiritur consensus, vel intentio saltem habitualis recipientis adulti. 2. Sacramenta vel imprimunt caracterem, vel non? Si primũ; inducunt obligationem in subiectum recipiens exercendi illam potestatem, quæ est caracter; atqui obligatio supponit voluntariam acceptationem; nemo enim potest coactè obligari; & supponit liberum consensum illud recipiendi Si secundùm; ergo pariter importat consensum; nã eucharistia non sumitur, nisi voluntariè accedat, aperiat os &c; & pœnitentia, nisi se accuset; & matrimonium, nisi consentiat; & extrema vnctio, nisi illam infirmus petat vel actualiter, vel virtualiter, vel saltem habitualiter. Tum quia omne sacramentum etiam non imprimens caracterem inducit aliquam obligationem; nam eucharistia, quia est pignus Diuini amoris, inducit obligationem reamandi Deum; pœnitentia obligationem satisfaciendi pro peccatis; matrimonium obligationem seruandi fidem coniugalem; & extrema vnctio obligationem pugnandi contra animæ hostes; ergo idem.

9 Quòd autem sufficiat intentio habitualis, prob. ex allatis *textibus*; nã dormiens, vel amens, vel æger extra sensus non habet intentionem actualem, vt constat; neque virtualem, quia intẽtio actualis per somnũ, amentiam, vel ægritudinem est interrupta; & tamen potest recipere sacramenta; ergo sufficit intentio habitualis. 2. *Ex Fund. Doct. Æg. in 3. dist. 9. p. 3. q. 3. art. 3.* In tantùm minister debet habere intentionẽ actualem, vel virtualem; in quantùm est causa instrumentalis influens in sacramenta; *causa enim in tantùm agit, in quantùm acta est ex Phil*; vel per se, vel per suam virtutem; sed recipiens sacramentum non agit in sacramentum, sed tantùm passiuè illud recipit; ergo, vt illud recipiat, sufficit, quòd semel consenserit, etiamsi talis consensus fuerit per actiones disparatas interruptus, dummodò tamen non sit retractatus; at hæc est intentio habitualis; ergo idem. 3. Ad merendum, aut demerendum sufficit consensus habitualis; atqui ad recipienda sacramenta sufficit intentio, quæ sufficit ad meritum, vt diximus; ergo sufficit intentio habitualis.

10 Obijc. 1. Sacramenta conferunt gratiam ex opere operato; ergo independenter à consensu recipientis, qui est opus operantis, vt claret. 2. Si requireretur consensus recipientis, vel requireretur, vt quid essentiale sacramento; vel vt quid accidentale? Non primum; quia *Conc. Flor. in decr. vnionis Armenor.* docet sacramenta perfici materia, & forma, & intentione ministri. Si secundum; ergo sine ipso validum est sacramentum.

Resp. ad 1. dist. ant. Conferunt gratiam ex opere operato supposita dispositione subiecti recipientis, vt diximus *q. 3. art. 1. §. 6. n. 78*; conc; ideo habens affectum ad peccatũ mortale, quia est indispositus, non recipit gratiam, non supposita dispositione subiecti, neg; consensus autem est vna ex dispositionibus, vt dictum est. Ad 2. dicitur, quòd consensus non est quid essentiale ingrediens constitutionem sacramenti, quod perficitur ex illis tribus, quæ statuit *Conc*; est tamen quid essentialiter suppositum, & prærequisitum

situm ad actualem receptionem sacramenti, sicut quanuis calor non sit essentiale constitutiuum ignis, est tamen dispositio essentialiter requisita ad recipiendam formam ignis in ligno secundū cursum, quem videmus; ita à pari.

11 Obijc. 2. *Innoc. III. c. maiores vbis.* ait: *Tunc caracterem sacramentalis imprimit operatio, quando obicem contraria voluntatis non inuenerit;* sed homo merè negatiuè se habens, idèst neque consentiens, neque dissentiens, non habet contrariam voluntatem; ergo potest recipere sacramentum etiam sine positiuo consensu. 2. Extrema vnctio confertur multis infirmis vsu rationis carentibus, quos non constat antea habuisse intentionem eam recipiendi; ergo idem.

Resp. ad 1. Summum Pontificem priùs dixisse de dormientibus, & amentibus: *Qui priùs cathecumeni extiterunt, & propositum baptizandi habuerunt;* ideo manifestè docet nostram sententiam. Dicimus ergo caracterem imprimi, quando præcessit intentio, & quando non inuenitur obex. Ad 2. dicitur sufficere intentionem generalem, & interpretatiuam, quam quilibet censetur habere ex vi baptismi volens in Ecclesia viuere, & mori. *Ita Sua; et Lug.* Hæc autem intentio, subdit *Gibb;* ad absolutionem non sufficit, quia pœnitentia est iudicium externum, in quo Confessor nequit ferre sententiam, nisi pœnitens suum dolorem internum, qui est pars illius sacramenti, per aliqua signa sensibilia notificet. Præterea moraliter censetur, quòd quilibet Christianus habens spem salutis aliquando habuerit intentionem sumendi ea omnia sacramenta, quæ ad illam conducunt; & hanc intentionem nunquam retractasse; quod sufficit ad habendam intentionem habitualem sumēdi extremam vnctionem; & hæc moralis certitudo sufficit ad hoc, vt conferatur ægris extrema vnctio, etiansi illam petere non potuerint violentæ infirmitatis vi præpediti. *Vid. de bapt. q. 3. art. 2.*

12 Obijc. 3. cont. 2. part. In ministro non sufficit intentio habitualis, sed requiritur saltē virtualis; ergo nec in recipiente; passum enim debet correspondere agenti.

Resp. disparitatem fuisse *superiùs* allatam; quia minister est actu agens; ideo eius actio debet esse actu vel in se ipsa, vel in aliqua actione per ipsam imperata. At recipiens est purè patiens; ideo non requiritur, quòd habeat actu intentionem recipiendi, sed sufficit illam habuisse.

13 Inst. Intentio est dispositio ad accipiendum sacramentum; sed dispositio debet actu esse in subiecto, cùm recipitur forma; vt patet de calore; ergo requiritur intentio actualis.

Resp. dist. mi. Dispositio proxima formaliter inductiua formæ, vt est calor in summo, conc; sed in hoc sensu neg. ma. Dispositio remota, neg. mi; nam expulsio humiditatis est dispositio ad formam ignis, & tamen non est in subiecto, cùm recipitur forma ignis; supponitur enim expulsio humiditatis ad introductionem siccitatis, cùm via generationis illa istam præcedat; & in hoc sensu conc. ma; nam dispositio proxima ad recipienda sacramenta viuorum est gratia; & contritio ad recipienda sacramenta mortuorum.

14 Ex his deducuntur sequentes resolutiones. Qui merè negatiuè se haber, idèst qui nec consentit, nec dissentit sacramento, non recipit sacramentum; nam prædicti *canones* requirunt aliquam intentionem positiuam, tanquam conditionem necessariam ad recipiendum sacramentum; qui autem omnino negatiuè se habet, nullā omnino habet intentionem; ideo non recipit sacramentum, quod non recipitur sine dispositione, vt dictum est.

15 Qui internè dissentit baptismo, & externè consentit; non est rectè baptizatus; quia ad sacramentum recipiendnm requiritur, quòd nō contradicat, vt colligitur *ex c. maiores de bapt;* internus autem dissensus est contradictio; tenetur tamen seruare leges Ecclesiæ, & Ecclesiæ est subditus; quia Ecclesia iudicat tantùm de externis, non de inrernis.

16 Qui recipit eucharistiam ad expellendā famem, aut nesciens hostiam illam, quam recipit, esse consecratam, non recipit effectum sacramenri; quia ei deficit intentio necessariò exacta.

17 Qui recipit omnino inuitus, & coactus, ac animo repugnante simpliciter, inualidè recipit propter eandem rationem; qui verò metu graui cadente in cōstantem virum, vel leui, validè recipit; quia non tollitur omnino, quòd illa intentio sit voluntaria; sed tantùm fit, vt fit mixta ex voluntario, & inuoluntario; vt diximus *to. 3. de Inuol. q. 2. art. 4.*

18 Qui semper catholicè vixit, etiansi in puncto mortis non possit petere extremam vnctionem, attamen ei potest conferri; censetur enim implicitè, & interpretatiuè petiisse. *Vid. Bonac.*

19 Tandem deducitur non esse easdem dispositiones ad omnia sacramenta, quanuis ad omnia requiratur intentio illa recipiendi; nec eandem esse dispositionem ad recipiendum fructuosè, ac ad recipiendum validè sacramentum. Ratio primi est; qui est ad recipienda fructuosè sacramenta viuorum, sufficit esse in statu gratiæ, & habere intentionem illa recipiendi, & nihil aliud requiritur necessariò; nam sacramenta viuorum conferūt gratiæ augmentum omnibus non ponentibus obicem; vt statuit *Trid. sess. 7. can. 6;* quanuis meliùs sit se disponere pluribus actibus virtutum. At sacramenta mortuorum, vt fructuosè recipiantur, requiritur dolor de peccatis, qui sit contritio perfecta, vel saltem imperfecta. Ratio 2. est; quia habens intentionem recipiendi baptismum, confirmationem, & ordinem

dinem eum affectu ad peccatum mortale recipit validè sacramentum; quapropter sic recipiens non debet denuò baptizari, confirmari, & ordinari; at non recipit fructuosè, quia non recipit gratiam, quæ est fructus sacramenti; habet enim peccatum, quod est obex illam impediens.

A R T. I I.

An sacramenta fictè suscepta remota fictione causent gratiam?

1 Fictus est, qui talis apparet exteriùs, qualis interiùs non est. Dupliciter autem potest quis esse fictus iuxta duplicem actionem internam ad sacramenti valorem exactam; accedens enim ad sacramentum debet habere intentionem illud recipiendi, & debet esse sine affectu ad peccatũ mortale, quod est obex ad recipiendam gratiam, quæ per sacramentum confertur. Vel igitur est fictus, quia consentit illi actioni tantùm externè, dissentit autem internè; & in hoc sensu nec recipit gratiam, nec sacramẽtum, vt diximus; vnde remota fictione non recipit gratiam illius sacramenti; quia illud nullum fuit defectu intentionis exactæ. Vel potest esse fictus, quia, licèt habeat veram intentionem recipiendi illud sacramentum, attamen illud recipit cum peccato mortali sine dolore exacto; vt cùm quis adultus accedit ad baptismum cum affectu ad peccatum mortale verè tamen intendens baptizari; tunc enim recipit sacramentũ, & caracterem sacramenti, non autem recipit gratiam; quia habet peccatum, quod nequit simul esse cum gratia; potest tamen esse cum caractere, cùm illi non opponatur, vt diximus *q.4.art.3*; sicuti opponitur gratiæ; & tunc dicitur sacramentum validum, sed informe; quia non est gratia informatum. In hoc sensu tantùm difficultas procedit.

2 *Dur. in 4. dist. 4. q. 4. art. 8; Can. de pœn. c. 6; Sot. in 4. q. 1. art. 8; Vasq; Merat; Bernal, & aly* volunt solùm baptismum remota fictione gratiam causare.

3 *Ricard; Maior, Gran; Syluius, Card. Laurea hic disp. 9. art. 6; Mastr. disp. 2. q. 6. art. 3; & aly* volunt sola sacramenta imprimentia caracterem remoto obice gratiam causare.

4 *Caiet; Nugn; Serra, Henriquez, Diana, & aly* id sentiunt de omnibus sacramentis.

5 *Sua. hic disp. 28. sect. 6; & q. 79. disp. 63. art. 8. sect. 8*; quanuis à *Laurea* referatur in oppositum; *Lug; Filliuci; Bonac; Prado, Gonet, & aly* volunt omnia sacramenta excepta eucharistia remoto obice gratiam conferre eo, quia putant omnia sacramenta excepta eucharistia posse esse valida, & informia; ab hac enim quæstione dependet necessariò solutio huius difficultatis. Hãc sententiam videtur fateri *noster Gibb. hic disp. 4. dub. 3. §. 9*; & expresè tradit *de bapt. disp. 14. dub. 5*.

6 Vnica concl. Omnia sacramenta fictè, & validè suscepta remoto obice causant gratiam. *Fund. Doct. Æg. de Renunc. Papa c. 24. p. 2.* hoc videtur docere de baptismo dicens: *Ad hoc, vt suscipiat gratiam, requiritur, quòd amoueat omnem fictionem. Argent. hic dist. 4. q. 1. art. 3; & ferè omnes aly Theologi.*

Prob. 1. ex S. P. *Aug. lib. 1. cont. Donatist. c. 12* & habetur *de consecr. dist. 4. c. tunc valere*: *Sicut in illo, qui fictus accesserat, fit, vt nõ denuò baptizetur, sed ipsa pia correctione, & vera confessione purgetur, quod non posset sine baptismo; sed vt, quod antea datum est, tunc valere incipiat ad salutem, cùm illa fictio veraci confessione recesserit.* Ex quo sic arguitur. Baptismus fictè, & validè susceptus remota fictione in sacramento pœnitentiæ causat gratiam baptismalem; sed ita discurrendum est de alijs sacramentis fictè, & validè susceptis, sicut discurrimus de baptismo fictè, & validè suscepto; ergo omnia sacramenta fictè, & validè suscepta remota fictione causant gratiam. Ma. supponit fictè, & validè baptizatum, qui nõ recepit gratiam baptismalem, posse illam recipere; & ratio est; quia *nulli hominum, dum est in via, clausa est porta salutis*, vt docet *Fund. Doct. Æg*; nullus autem ad salutem potest intrare, nisi per gratiam regenerantem hominem ex filio Diaboli in filium Dei; gratia autem regenerans est gratia baptismalis, quæ à baptismo solo causatur, cùm sit effectus proprius, & peculiaris illius, vt diximus *q. 3. art. 3*. Atqui homo post fictè, & validè susceptum baptismum nequit ampliùs rebaptizari, quia baptismus validè, quanuis infructuosè, collatus nequit iterari; ergo remanet, quòd solùm in sacramento pœnitentiæ, quod est institutum, tanquam secundus baptismus, ad remittenda peccata, remoueatur fictio, & causetur gratia. Hoc supp. prob. ma. Gratia regenerans, quæ acquiritur à remouente fictionem in sacramento pœnitentiæ, est gratia baptismalis; regenerare enim hominem per peccatum filium Diaboli in filium Dei est propriu s & peculiaris effectus baptismi; sed solus baptismus causat gratiam regenerantem; pœnitentia namque causat gratiam reparantem gratiam regenerantem per peccatum deperditam; sicut eucharistia causat gratiam nutrientem; & aliunde vnum sacramentum nequit causare effectũ proprium alterius; aliter vnum sacramentum sufficeret ad habendos omnes effectus sacramentorum; tum quia pœnitentia nequit remittere peccatum originale, & peccata commissa ante baptismum, cùm instituta sit ad remittenda sola peccata post baptismum commissa; ergo baptismus fictè, & validè susceptus remota fictione causat gratiam baptismalem, quæ est effectus sibi proprius, & peculiaris. Prob. mi; eadem namque ratio militat de omnibus sacramentis fictè, & validè susceptis; sicut enim remota fictione resultat gratia baptismi; ita resultat gratia ordinis,

dinis, confirmationis &c; quia fictè confirmatus remota fictione est verè roboratus ad confitendam fidem intrepidè coram tyrannis; illud autem robur est gratia propria confirmationis, quę non fuit accepta in susceptione ficta confirmationis, sed in remotione fictionis facta in sacramento pœnitentiæ; & ita dicendum de ordine.

7 Prob. 2. *à nostro Argent.* Causa applicata, & impedita operans ex opere operato remoto impedimento causat suum effectum; sed sacramenta fictè, & validè suscepta sunt causæ applicatæ, & impeditæ à peccato operantes ex opere operato; ergo sacramenta fictè, & validè suscepta remoto impedimento peccati in sacramento pœnitentiæ causant suum effectum; atqui gratia est effectus ipsorum; ergo causant gratiã.

8 Prob. 3. cont. 1; & 2. sent. In tantùm baptismus remoto obice causat gratiam; in quantùm baptismus non est iterabilis; & ideo si non causaret gratiam, homo remaneret graria baptismali perpetuò priuatus; & sic nunquam esset regeneratus in filium Dei; sed etiam confirmatio, ordo, & matrimonium non est iterabile cum eadem vxore, neq; cum alia viuente prima; & extrema vnctio non est iterabilis in eadem infirmitate; ergo & ista sacramenta remoto obice causant gratiam, quamuis fuerint cum peccato suscepta.

9 Rationes allatæ non militant de eucharistia, nec de pœnitentia; quia recipiẽs sacramẽtũ eucharistiæ, vel pœnitentiæ cum affectu ad peccatum mortale non recipit validè sacramentũ, sed nulliter. Si autem alterutrum recipiat cum detestatione ad attritionem sufficiente semper deletur peccatum per pœnitentiam, & per eucharistiam, quando non adest copia confessoris; quando verò adsit confessor, eucharistia inualidè accipitur. Si tandem ignorato inuincibiliter peccato suscipiatur eucharistia, peccatũ deletur, vt diximus *q.3.art.3.* An autem non deleatur per pœnitentiam, si inuincibiliter ignoretur peccatum, & nec in vniuersali, nec in particulari retractetur, *suo loco* dicemus; cùm inquiretur, an pœnitentia possit esse valida, & informis. Certum enim est, quòd accedens ad aliquod sacramentum debet esse ita dispositus, vt si sciret se habere aliquod peccatum, paratus esset ad illud detestandum; & si hic sit dolor virtualis sufficiens ad remissionem peccati in sacramento pœnitentiæ, profectò hoc sacramentum erit validum, & formatum; si autem non sufficiat, idem dicendum est de pœnitentia, ac de alijs sacramentis validè, sed informiter susceptis; quod *suo loco* resoluemus.

10 Objic. 1. Opus mortuum non potest reuiuiscere; vt videbimus *in tract. de pœnit*; sed susceptio sacramenti facta in peccato mortali est opus mortuum; ergo remoto peccato non reuiuiscit. 2. *Causa physicè agens in tantùm agit, in quãtùm actu est*; sed cùm remouetur obex, baptismus non est in actu; ergo nequit physicè gratiam sibi propriam causare. 3. Vel cùm remouetur obex, absoluitur homo fictus ab omni culpa, & ab omni pœna, vel non? Non primum; aliter meliùs esset fictè suscipere baptismum; quia postea pœnitẽs in sacramento pœnitentię reciperet absolutionem etiam ab omni pœna debita peccatis post baptismum commissis; quam absolutionem non recepisset, si veraciter, & fructuosè baptismum suscepisset. Non secundum; quia veniam Deus dimidiaret.

Resp. ad 1. dist. ma. Opus mortuum, quod fit tantùm ex opere operantis, non habet reuiuiscere, conc; quod fit ex opere operato, neg; nam opus, quod est mortuum respectu recipientis, quod non recipit vitam animæ, quæ est gratia, propter peccatum, quod illam impedit, est viuum respectu Dei, quod illud operatur, & ex parte sacramenti, quod virtute Diuina sibi annexa operatur. Ad 2. dist. ma. In quantùm actu est, vel in se ipsa, vel in sua virtute, conc; in se ipsa tantùm, neg; quamuis autem baptismus, cùm remouetur obex, non sit actu in se ipso, est tamen in sua virtute; vt diximus *q.3. art. 1.* Ad 3. dicitur, quòd absoluitur ab omni culpa, & omni pœna debita peccato originali, & peccatis cõmissis ante baptismum; non autem à pœnis, quas inuexerunt peccata post baptismum commissa; neque hoc est veniam dimidiare; sicuti venia non dimidiatur, cùm in sacramento pœnitentiæ Deus remittit culpam, non verò omnem pœnam.

11 Objic. 2. Vel illa fictio tolleretur per attritionem extra sacramentum; vel per contritionem perfectam coniunctam cum pœnitentia in voto; vel per attritionem in sacramento pœnitentiæ? Non primum; quia attritio extra sacramentum non est sufficiens ad tollendum peccatum mortale, vt statuit *Trid*; nec secundum, aut tertium; quia gratia, quæ infunditur per sacramentum pœnitentiæ, est gratia sanans supponens gratiam regenerantem; & ideo nequit illam causare.

Resp. fictionem tolli per attritionem in sacramento, & per contritionem extra sacramentum. Ad improb. dicitur gratiam sanantem naturam supponere gratiam regenerantem per se; & per accidens illam præcedere, vt diximus *q.3.art. 3.* de gratia collata per sacramenta viuorum.

12 Objic. 3. *Laur.* Sacramenta, quæ non imprimunt caracterem, non relinquunt in voluntate aliquid, in cuius virtute possint gratiam causare; non enim relinquunt caracterem, sicut illum relinquunt sacramenta, quæ illum imprimunt; ergo gratiam non causant remota fictione. 2. Si pœnitentia causaret gratiam remota fictione, sequeretur, quòd in confessione sufficeret explicare illam fictionem, & pœnitens non teneretur confiteri omnia peccata; sed conseq. est falsum,

quia confessio debet esse integra, non dimidiata, ergo idem. 3. Attritio supernaturalis non sufficit ad remouendam fictionem; ergo pœnitentia non causat gratiam remota fictione per attritionem. Prob. ant. *ex S. P. Aug.* docente, quòd baptismus incipit valere, cùm veraci confessione illa fictio recesserit; verax autem confessio non dicit solam attritionem. 4. Tum quia attritio sola non est medium suscitandi mortuum peccato; non enim quis potest à peccato resurgere per solam attritionem; ergo nec ab illa fictione, quæ peccatum includit. 5. Illa fictio non est materia delenda à baptismo, quia debuisset baptismum præcedere, & sic per baptismum deleta fuisset; ergo deletur solùm per gratiam collatam per pœnitentiam; & per consequens baptismus gratiam non confert remota fictione.

Resp. ad 1. *cum aliquibus* omnia sacramenta relinquere quandam modificationem, ratione cuius dicuntur manere; sicut mors Christi dicitur manere in humanitate ratione cicatrizationis, quæ est modificatio à morte relicta. Sed melius *cum S. P. Aug.* dicitur, quòd relinquunt Diuinam virtutem potentem causare gratiam; actio enim illa externa transit, sed virtus manet; Deus namq; decreuit per suam virtutem causare gratiam in actione sacramentali validè facta, dummodò, & quoties obex ad illam in subiecto non fuerit; & virtus Dei semper manet. *Vid. q. 3. art. 1.* Ad 2. dicitur, quòd fictio assignata pro alijs sacramentis non valet pro sacramento pœnitentiæ; qui enim conscius peccati, & de illo sibi complacens suscipit baptismum cum vera intentione illum recipiendi, fictè dicitur recipere baptismum, qui validè confertur; at si quis conscius peccati mortalis, & de illo sibi complacens suscipit sacramentum pœnitentiæ, nec licitè, nec validè suscipit sacrament... ; quia deest materia sacramenti, quæ est dolor de omnibus peccatis, quorum est conscius; & in hoc casu remouens fictionem tenetur accusare se de omnibus peccatis etiam in alia confessione accusatis; quia nullum fuit in illa remissum. At si admittatur pœnitentia informis & valida; illa debet esse talis, vel propter inculpabilem ignorantiam alicuius peccati non retractati, & non remissi, vt dicunt *aliqui*; & tunc datur materia pœnitentiæ, quia datur dolor de omnibus peccatis, quorum est conscius; vel propter defectum alicuius extrinseci sacramento necessariò tamen exacti, ad habendam gratiam, vt propter defectum fidei in aliquam ex personis Diuinis, vt dicunt *alij*; de quo *suo loco*. Iuxta igitur hos modos dicendi cōc. seq. ma; neg. mi; ad cuius prob. dicitur, quòd sicuti qui in confessione ritè peracta obliuiscitur aliquod peccatum, cuius postea recordatur, non tenetur recitare omnia peccata semel confessa, sed sufficit confiteri illud peccatum oblitum, nec per hoc sequitur, quòd talis confessio sit dimidiata, non integra, vt dicemus *in tract. de pœnit*; ita cognoscens aliquod peccatum inculpabiliter ignoratum non tenetur explicare, nisi illud peccatum; quia peccata ignorata connumerantur oblitis. Ad 3. dist. ant. Attritio supernaturalis in sacramento non sufficit, neg; extra sacramentum, conc; hoc enim expresè statuit *Trid.* Ad prob. dicitur, quòd attritio in sacramento est verax confessio; quia est verax sacramentum. Ad 4. Eodem modo dist. de attritione in sacramento, & extra sacramentum. Ad 5. neg. cons; nam quamuis fictio deleatur per pœnitentiam; attamen quia pœnitentia non tribuit gratiam regenerantem; ideo necesse est illam conferri à baptismo, vt diximus.

13 Obijc. 4. *Caiet.* Eucharistia est excellentissimum inter omnia sacramenta; ergo ei denegari non debet hoc priuilegium alijs sacramentis concessum, quòd possit validè, & informiter conferri.

Resp. neg. cons; hoc enim non est priuilegium excellentius, imò prouenit ex minori excellentia; nam quia Eucharistia est sacramentum sacramentorum, continet enim Sanctum Sanctorum; ideo cum maiori puritate est sumendum; quoniam Christus, qui est in eucharistia, nequit cum peccati fœditate coniungi. Ex his deducuntur sequentes resolutiones.

14 Si quis reciperet baptismum cum intentione furandi bona Ecclesiæ, & talis intentio duraret pro illo instanti, quo baptismus confertur, vel etiam post illud instans; teneretur illam intentionem in pœnitentiæ sacramento expiare. Si verò talis intentio non durasset pro eo instanti, in quo recepit baptismum, sed ante illud instans retractata fuisset; non esset expianda per confessionem sacramentalem, quia fuisset per baptismum deleta.

15 Fictio hoc ordine tollitur. Priùs natura tollitur fictio per contritionem, vel attritionem in sacramento; quia priùs natura intelligitur expulsio formæ contrariæ, vel priuationis, quàm introductio formæ oppositæ; deinde baptismus remittit peccatum originale, & personalia ante baptismum commissa, & confert gratiam regenerantem; tandem pœnitentia expellit peccata post baptismum commissa, & tribuit gratiam sanantem; obiecta enim hoc ordine se habent, vt constat; quamuis hæc omnia fiant simul tempore.

16 Sublata fictione confertur maior, vel minor gratia iuxta maiorem, vel minorem intensionem dispositionis subiecti. Est *cont. Sua*; qui censet tribui minimam gratiam. Prob. tamen; nam sacramenta tribuunt gratiam iuxta intensionem dispositionis subiecti; sed subiectum disponitur per actum, quo tollitur fictio; ergo iuxta maiorem, vel minorem intensionem illius tribuitur maior, vel minor gratia. *Vid. q. 3. art. 3. n. 15; & 16.*

17 Resurgens à fictione habet maiorem gratiam

tiam

tiam saltem extensiuè, quàm si fictus non fuisset; quia habet gratiam baptismi, & pœnitentiæ; non fictus autem habet solam gratiam baptismi, non pœnitentiæ; tum quia sunt plura peccata delenda; ideo illa gratia extendi debet ad plura; & per consequens est extensiuè maior.

18 Ad validè recipienda sacramenta (excepta eucharistia) non est necessarius in adultis habitus fidei, spei, & charitatis; quia infidelis validè baptizatur, confirmatur, ordinatur &c. Sunt tamen necessariæ hæ virtutes Theologicæ saltem quoad actus, vt adulti licitè sacramenta recipiant; quia sine illis fictè reciperent; & ficta receptio est valida, non licita.

QVÆST. VII.

De Sacramentalibus.

VSque huc de ijs, quæ per se spectant ad existentiam, & essentiam sacramenti communiter dicti vel tanquam principia intrinsecè illud constituentia, vel tanquam effectus, & causa efficiens, vel materialis, sermonem habuimus; modò explicanda supersunt ea, quæ illud circumstant, tanquam accidentia illud decenter exornantia, quæ communiter sacramentalia dicuntur.

ART. I.

An sacramentalia sint ritè ordinata, aut sine peccato possint à ministris omitti, vel mutari pro libito?

1 SAcramentalia sunt ritus sacri, & ceremoniæ (quæ vocari solent etiam solemnitates, quia ipsis mediantibus sacramenta celebrātur solemniter) ordinatę ad confectionem, & celebrationem sacramentorum, institutæ ab Ecclesia, nō quia sint de essentia, seu vt loquitur *Fund. Doct. in c. Cum Marthæ de celebr. Miss. fol. 7. col. 4; & fol. 8. seq;* non quia sint de necessitate ita, vt sine illis sacramenta non fiant, sed quia sunt de congruitate, quia sine ipsis congruè, & ea, qua par est, decentia non fiunt. Diuiduntur sacramētalia in illa, quæ antecedunt, & sunt discretè seiuncta ab actione sacramentali, vt consecrationes, benedictiones Ecclesiarum, altarium, chrismatis, olei infirmorum, benedictiones fontis baptismalis, aquæ lustralis, vestium sacratum, vasorum, & cetera huiusmodi, quæ ad sacramenta aliquo modo ordinantur. Alia sunt continuatè coniuncta cum sacramento; vt exorcismi, exsufflationes in baptismo; & preces, lectiones sacræ, genuflexiones, eleuatio manuum, oculorum, benedictiones, & aliæ ceremoniæ, ac ritus in sacramento eucharistiæ confecto in Missæ sacrificio; & sic de alijs sacramentis; de quibus *suis in locis* agemus.

2 *Caluinistæ* dixerunt has ceremonias esse superfluas, inutiles, & superstitiosas *ex Caluino lib. 4. inst. c. 15. §. 19;* vbi exorcismū baptismi vocat *aduentitiam farraginem, Sathanæ imposturam, ludibrium, nugas, theatricam pompam, exoticas sordes. Lutherani* verò exorcismo vsi sunt in baptismo. Verùm post aliquos annos *Ægid. Hunnius* illum respuit, & impugnauit.

3 Vnica concl. Vsus ceremoniarum, & rituum, quos in confectione, & ministratione sacramentorum seruat Ecclesia, est pius, religiosus, & vtilis, ex traditione Apostolica acceptus, pro rerum, temporum, & locorum varietate ab Ecclesia mutatus, vel retentus, prout venerationi sacramentorum, & suscipientium vtilitati expedire iudicauit; ac propterea mortaliter eos peccare, qui ceremonias ecclesiasticas extra casum necessitatis omittunt. *Ita communiter omnes DD. Catholici.*

Prob. 1. *ex Conc. Trid. sess. 7. can. 13. Si quis dixerit receptos, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à ministris pro libito omitti, aut in nouos alios per quemcunque Ecclesiarum Pastorem mutari posse; anathema sit; & sess. 21. c. 2. Præterea declarat hanc potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse, vt in sacramentorum dispensatione, salua illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium vtilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire iudicaret.* Quibus verbis explicat allatum *Canonem;* non enim facit sensum; quòd per nullum Episcopum possunt mutari; possunt enim mutari per Papam, qui est Episcoporum Episcopus; sed significat, quòd non per omnem Episcopum possunt mutari; *& S. P. Aug. ep. 118. ad Ianuar.* ait: *Similiter etiam si quid horum tota die per Orbem frequentat Ecclesia; nam hoc quia ita faciendum sit, disputare insolentissimæ insaniæ est;* quod repetit etiam *ep. 119. seq.* Ratio 1. partis est. Eorum, quæ ordinantur ad maiorem decentiam, venerationem sacramentorum, ac ad vtilitatem illa suscipientium, vsus est pius, religiosus, & vtilis; sicut è contrario eorum, quæ ordinantur ad indecentiam, & contemptum illorum, vsus est impius, irreligiosus, & inutilis; sed ceremoniæ, ritus, & solemnitates, quibus Ecclesia conficit, & ministrat sacramenta, ordinantur ad maiorem decentiam, venerationem sacramentorum, & ad vtilitatem suscipientium; ex eo enim, quòd tot ceremoniarum apparatu ministrentur, resplen-

dęt

det magis eorum excellentia; & excitatur in fidelibus maior veneratio, & deuotio, quæ multùm ipsis prodest; ergo vsus ceremoniarum, & rituum, quos seruat Ecclesia, est pius, religiosus, & vtilis. Ratio 2. partis est; nam, vt ait *Trid. sess. 21. vbi si Apost. in 1. Cor. 4; & 2. Cor. 6*; multas ceremonias instituit circa ministrationem sacramentorum; *& 1. Cor. 11.* inquit: *Cætera, cùm venero, disponam*; quod nequit intelligi, nisi de ceremonijs; non enim est credibile, quòd tunc quoad substantiam sacramenta non docuerit. Præterea hoc testatur *D. Dion. de Hier. Eccl. c. 2; Orig. hom. 5. in Num; Tertull. lib. de corona militis c. 3; S. Basil. lib. de Spiritu S. c. 27; & S. P. Aug. ep. 118. cit; & lib. 4. de bapt. c.* 24; vbi sic arguit. Illud fuit institutum ab Apostolis, quod ab immemorabili seruauit Ecclesia, & *à nullo Concilio*, aut Summo Pontifice fuit institutum; ex sola nãque traditione Apostolorum potest esse introductum in totam Ecclesiam; sed ceremoniæ, & ritus sacramentorum sunt huiusmodi; vt constat ex testimonio *SS. PP. sup.* adducto; (loquendo tamen de ceremonijs absolutè, & in vniuersali; constat enim aliquas in particulari successu téporis fuisse additas, vel mutatas) ergo fuerunt institutæ ab Apostolis. Ratio 3. partis est. Transgredi præceptum Apostolicum, & Ecclesiæ in ministerio sacramentorum est peccare mortaliter, est enim in materia graui; sed omittere ceremonias, & ritus sacramentorum, quos seruat Ecclesia, est transgredi præceptum Apostoli; qui *2. Tessal. 1.* præcipit: *Tenete traditiones*; & Ecclesia mandat seruari; ergo mortaliter peccat, qui illas extra necessitatem omittit.

4 Obiic. Christus Dominus, cùm instituit sacramenta, non vsus est his ceremonijs, & ritibus; ergo nec Ecclesia debet illis vti, quæ in illorum ministratione debet Christo Domino conformari.

Resp. Christum Dominum vsum fuisse aliquibus ceremonijs, quamuis non omnibus, quia potestatem illas instituendi dedit Ecclesiæ sibimetipsi solùm reseruans potestatem ministerialis excellentiæ instituendi substantiam sacramentorum; vt probat *S. P. Aug. in c. 5. Io.* Vsus est aliquibus ceremonijs, quia in cœna eleuauit oculos in Cœlum, vt *in tract. de Sacram. eucharistiæ videbimus*; *& Matth. 26.* cùm instituit sacramentum ordinis; *Insufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum*, vt indicaret sacramẽta ob eorum excellentiam, & dignitatem sine ceremonijs non esse celebranda. Non tamen vsus est omnibus ceremonijs; quia si illas instituisset, essent de iure Diuino, sicuti est substantia sacramentorum, & non posset Ecclesia illas mutare, sicut non potest mutare substantiam eo, quia est à Christo instituta. Ad hoc ergo, vt Ecclesia posset eas mutare pro locorum, temporũ, & rerum varietate, potestatem illas instituendi dedit Ecclesiæ. Cetera, cùm de ceremonia exorcismi præscripta in baptismo, soluemus.

5 Ex his infert *Sua. hic disp. 17. sect. 5.* peccare mortaliter, qui ceremonias ab Ecclesia institutas, quantumuis parui momenti ex contemptu obseruare negligeret, putans eas impertinentes ad tale ministerium, vel superfluas; & ratio est; quia grauem iniuriam irrogaret Ecclesiæ, qui eius statuta contemneret. Si autem ex pura inaduertentia, vel negligentia sine contemptu aliquam ceremoniam omitteret in materia graui, grauiter peccaret; si verò in materia leui, leuiter delinqueret. *Vid. Fund. Doct. Æg. vbi s.*

A R T. II.

An, & quomodò sacramentalia causent aliquem effectum spiritualem?

1 Certum est sacramentalia non causare ex opere operato gratiam sanctificantem; nam Ecclesia non habet potestatem ministerialis excellentiæ, vt possit determinare, & designare has res corporales, quibus Deus cõferat virtutem suam productiuam gratiæ sanctificantis; hanc enim potestatem sibi Christus reseruauit, vt *cum S. P. Aug.* diximus *in sup. art; & fusè q. 1. art. 5. §. 1*; sed sacramẽtalia sunt res corporales institutæ ab Ecclesia; ergo non causant gratiam sanctificantem ex opere operato. Tum quia causare gratiam sanctificantem ex opere operato est proprius effectus sacramentorum; sed sacramentalia non sunt formaliter sacramenta, sunt enim circunstantiæ extrinsecæ sacramentorum; ergo non causant gratiam sanctificantẽ; aliter non essent sacramentalia, sed sacramenta; eis enim conueniret sacramenti definitio.

2 Effectus igitur sacramentalium sunt impetratio auxiliorum Diuinorum; remissio venialium; remissio pœnæ temporalis; expulsio, & frenatio Dęmonum; & impetrat o bonorum temporalium; vt sanitas corporis, serenitas aeris, dissipatio tempestatum &c; & de his quæritur in præsenti, an ex opere operato causentur à sacramentalibus?

3 *Caiet. hic q. 83. art. 3; Sot. dist. 13. q. 2. art. 3; & alij* dixerunt sacramentalia hos effectus causare ex opere operato. Sed diuisi sunt; *aliqui* enim volunt causare physicè; *alij* verò solùm moraliter. Hoc videtur fundamentum habere *in c. aquam sale de consecr. dist. 3; vbi Alex. I*; qui fuit quintus Pontifex post *S. Petrum*, & censetur primus institutor aquæ benedictæ, & aliorum plurium sacramẽtalium, mandat omnibus præsbiteris, vt aqua sale conspersa, & benedicta vtãtur; *vt ea cuncti aspersi sanctificentur, & purificentur*; adducens, quòd si cinis vitulæ aspersus populum sanctificabat; *quantò magis aqua sale aspersa, Diuinisque precibus sacrata populum sanctificat*; vbi *Glos.* inquit aquam mundare à venia-

nialibus; quod habetur etiam *dist.4.c. nec quenquam ex D. Cypr.*

4 Vnica concl. Sacramentalia causant aliquam sanctitatem legalem, remissionem venialium, & alios effectus spirituales, ad quos sunt ordinata ex opere operantis, vel ex persona Ecclesiæ, non verò ex opere operato. *Ita Fund. Doct. Æg. super Orat. Dominic. noster Gibb. hic disp. 9. dub. vlt;* apud quem *Sua. disp. 15. sect. 4; & de pœn. disp. 11. sect. 1; Lug. de pœnit. disp. 9. sect. 4; Vasq; & aly.*

Prob. 1. pars *ex cit. c. 19. aquam sale;* vbi sic arguit S. Papa. Minoris virtutis, & efficaciæ erant ea, quæ spectabant ad legem veterem, quàm ea, quæ spectant ad legem Euangelicam; illa enim habebant vim solùm ex fide in Christum venturum; ista verò efficaciam habent ex passione ipsius Christi iã secuta; sed sacramentalia veteris legis causabant sanctitatem legalẽ, & alios effectus spirituales; nam cinis vitulæ aspersos inquinatos sanctificabat legaliter; & sal *per Elisæum* aspersus sterilitatem aquæ sanauit; & aqua mundationis *Ezechielis prophetæ*, vt dicitur *c. nequaquam vbi s.* mundabat ab immunditijs; & *ibid.* aqua expiationis *in Num;* & aqua purificationis; & *ibid.* aqua aspersionis purificabant à spurcitijs corporis; ergo multò magis sacramentalia legis Euangelicæ causant sanctitatem legalem, & alios effectus spirituales, & cetera bona multiplicant, & insidias Diaboli auertunt, & à phantasmatis versutijs homines defendunt. 2. *S. P. Aug. lib. 10. de Ciu. Dei c. 22.* loquens de exorcismo ait, quòd homines ejciunt Dæmonium orando; oratio autem est opus operantis, vt constat. 3. *Fund. Doct. Æg. vbi s.* super ea verba: *Et ne nos inducas &c.* loquens de peccatis venialibus inquit: *Ista dimittuntur per orationem Dominicam, vel per aspersionem aquæ benedictæ, vel per benedictionem Summi Pontificis, vel per visionem corporis Christi, & huiusmodi, vt dicit Augustinus; & superiùs* in ea verba: *Dimitte nobis debita nostra:* inquirens, an persistens in odio inimici recitando illa verba peccet eo, quia Deo mentitur, & mentiri Deo est peccare; respondet, quòd si orans non est fixus pertinaciter in odio, sed tamen in illo est, & vellet ab eo liberari, non peccat; *quia dicit illam in persona Ecclesiæ, quæ Christum sponsum suum sequens dimittit debitoribus suis, & orat pro illis;* non enim dicit: *Dimitte mihi debita mea* in singulari, & ideo non loquitur in persona propria, quæ est singularis; sed dicit: *Dimitte nobis debita nostra:* in plurali, idest nobis fidelibus existentibus intra Ecclesiam, & Ecclesiam formantibus; ideo loquitur in persona Ecclesiæ. Ex quibus verbis deducitur etiam sacramentalia remittere venialia virtute precum Ecclesiæ; ideo non ex opere operato; & ratio est. Preces Ecclesiæ impetrãt à Deo remissionem venialium, auxilia Diuina ad vitanda peccata, expulsionem, & frænationem Dæmonum, nec non alios effectus spirituales, & temporales vtiles saluti animæ, & corporis suorum fidelium; sed vsus sacramentalium offert Deo preces Ecclesiæ; ergo vsus sacramẽtalium impetrat à Deo remissionem venialium, auxilia Diuina &c. Ma. const. *Io. 16;* vbi Christus Dominus loquens suis Discipulis formantibus tunc totam Ecclesiam dixit: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis; & c. 15. Vos amici mei estis &c. Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis;* ex quo eruitur ratio. Preces sponsæ amicæ, & dilectæ impetrant à sponso, quod petunt; sed Ecclesia est sponsa amica, & dilecta, quæ in consecratione, & benedictione sacramentalium petit à Deo remissionem veniali͂u, auxilia Diuina ad vincendas tentationes, & vitanda peccata, expulsionẽ Dæmonum, fugationem tempestatum, aeris serenitatem, sedationem bellorum, pestis extinctionem, & cetera huiusmodi; ergo preces Ecclesiæ impetrant à Deo remissionem venialium, auxilia Diuina &c. Mi. constat; quia vtens sacramentalibus rememorat ceremonias, quibus sacramentalia sunt consecrata, vel benedicta, & ea in Deum dirigit, & Deo offert; sed offerens aliquid offert ea, ex quibus illud confectum est; ergo vtens sacramentalibus offert Deo preces Ecclesiæ, quibus sacramentalia confecta sunt. Tum quia est communis sensus Ecclesiæ, quòd aqua benedicta nos abluat à venialibus, exorcismus compescat Dæmones, agni cerei illos arceant, & sic de ceteris; sed hos effectus non causant ex opere operato, vt mox dicemus, neque ex opere personæ particularis operantis, quia aliquando persona particularis operans indigna est; vt exaudiatur à Deo; ergo isti effectus causantur à sacramentalibus virtute precum Ecclesiæ. Verum tamen est; quòd si persona operans sit digna, & mereatur hos effectus à Deo obtinere, tunc nedum virtute precum vniuersalis Ecclesiæ, sed etiam virtute precum particularis personæ multiplicatæ intercessionis titulo impetrantur.

5 Prob. 2. pars concl. 1. Ad conferendam virtutem rebus corporalibus causandi ex opere operato remissionem venialium, & cetera Dei beneficia requiritur potestas ministerialis excellentiæ; requiritur enim, quòd suis actibus meruerit vltra satisfactionem debitam Diuinæ iustitiæ gratiam remissiuam, & cetera beneficia conferenda ex condignitate iustitiæ; vt diximus *q. 1. art. 5. §. 1. n. 23;* sed Ecclesia non habet potestatem ministerialis excellentiæ, quia illam sibi Christus retinuit, vt diximus *ib. d; & q. 5. art. 2; & to. 4. q. 5. de merit. art. 4. n. 13;* vbi diximus, quòd ad merendam alteri gratiã de condigno, vel de congruo requiritur, quòd illum redimat à peccatis; vnde ad merendam remissionem venialium, & alia Dei beneficia, quæ per sacramentalia obtinentur, requiritur redemptio à pec-

à peccatis venialibus, & à pœnis, quæ prò illis debentur; redemptio autem potestatem ministerialis excellentiæ importat; & sicut redemptio non conuenit Ecclesiæ, ita nec potestas excellẽtiæ; ergo Ecclesia nequit conferre sacramentalibus virtutẽ causandi ex opere operato remissionem venialium, & alia Dei beneficia recensita *superiùs*. 2. Est communis sensus totius Ecclesiæ, quòd in illa non sit, nisi potestas impetratoria, supplicatoria, & oratoria; hæc enim solùm fuit ei à Christo communicata; vt legitur *Marc.11. Dico vobis; omnia, quæcunque orantes petitis, credite, quia accipietis, & fient vobis*; ergo in ipsa non est potestas conferendi sacramentalibus virtutẽ causandi ex opere operato remissionem venialium, & cætera Dei beneficia; nam quod confertur ex opere operato, non cõfertur ex vi orationis, vt constat. 3. Quod confertur ex opere operato, semper, & à quocunque ministro etiam malo confertur, dummodò obex non sit in subiecto, cui confertur; vt diximus *q.5.art.3*; sed sacramentalia non conferunt semper remissionem venialium, & alia Dei beneficia recensita, etiamsi administrentur à malis ministris; non enim semper virtute aquæ benedictæ, & exorcismi expelluntur quicunque Dæmones; nam de aliquibus ipsorum dixit Christus *Matth.17; & Marc.9. Hoc genus non eijcitur, nisi per orationem, & ieiunium*; nec semper impetratur sanitas, serenitas aeris, & cetera huiusmodi; aliquando nanque à Deo denegantur propter peccata vel ministri petentis, vel subiecti recipientis, vel propter vtilitatem animæ, quæ illis malis exerceri debet ad bonum; vel propter aliorum exemplum, vt abstineant à peccatis, ne velint illis malis affligi; vel propter aliud commodum Ecclesiæ nobis ignotum; vt docet *S. P. Aug. lib. 83. qq. q. 79*; ergo idem. 4. Ad hoc, vt res corporales causent ex opere operato effectus spirituales, & extraordinarios excedentes suam virtutem naturalem, est necessarium, quòd Deus illis assistat per suam potentiam, & virtutem extraordinariam; vt diximus de sacramentis nouæ legis; sed non constat *ex scripturis*, aut *ex Concilijs*, quòd Deus assistat sacramẽtalibus, quæ sunt res corporales, adhoc, vt causent remissionem venialium, & alios effectus extraordinarios, ad quos ordinantur; ergo sacramentalia non causant ex opere operato remissionem venialium &c.

6 Collig. 1. ex dictis efficaciam sacramentalium principaliùs sumi ab orationibus Ecclesiæ impetrantis à Deo tales effectus, & minùs principaliter, non tamen necessariò à sanctitate ministri; quia etiam minister malus aliquando tales effectus causat; quoniam non in persona propria, sed in persona Ecclesiæ operatur; aliquando verò solus bonus minister illos producit; quia solùm suas orationes priuatas, & ieiunia iungendo precibus Ecclesiæ illos causat; adeoq; talis potestas inter gratias gratis datas, quæ sunt communes bonis, & malis ministris, connumerantur.

7 Collig. 2. diuersitatem effectuum, qui causantur à sacramentalibus, colligi ex verbis ipsius Ecclesiæ, quibus vtitur in consecratione, & benedictione ipsorum sacramentalium. Illa verò sacramentalia, quæ ordinantur solummodò ad ornatum, & decentiam solemnis administrationis sacramentorum, videntur habere vim causandi solùm quandam sanctitatem legalem; vt diximus *q.2. art.1. §.5.*

DE

DE BAPTISMO.



NTER ſacramenta, quæ ad homines Deo conſecrandos à Chriſto Domino ſunt inſtituta, primum locum tenet baptiſmus, qui mortuos in primo *Adam* regenerat in ſecundo, peccati vetuſtate deformatos gratiæ nouitate reformat, ſeruos inſtituit in filios, obſtrictis iugo iniquitatis pandit ianuam ad ſanctitatem, & detentos ſub poteſtate inferorum conſortio inſerit Angelorum. Aquas, ſuper quas inter ipſa mundi primordia ferebatur Spiritus Domini, præfiguraſſe ſacramentum baptiſmatis teſtatur *S. P. Aug. lib. Confeſſ. 13. c. 12*; ſicut enim illis abſterguntur corporum ſordes, ſic diluuntur iſtis animarum labes ex terrenis affectionibus illitæ. At expreſſius, & accommodatius baptiſmatis ſymbolum in nube rorida, & mari rubro delineatum fuiſſe ait *Apoſt. 1. Cor. 10*; anima namque (inquit *S. P. Aug. lib. 83. qq. q. 61*; *& ſerm. 64. de temp.*) *Ægyptiaca*, idèſt Diabolicæ captiuitatis excutit iugum, cùm fugit ad mare rubrum, ſcilicèt ad Chriſti baptiſma, quod rubrum inſcribitur; quoniam ſanguine purpuratum ex eius latere effoſſo manauit. Et quamuis agmina hoſtilia *Pharaone* Duce, peccata nempe multiplicata cum tenebrarum tyranno Diabolo fugientem animam ſæuiendo inſequantur, ne ex eorum poteſtate eruatur; attamen cùm ad aquam baptiſmi perueniunt, anima abluitur, peccata cum Diabolo obruuntur; illa ſaluatur, iſta diſpereunt. Vſque ad aquas captiuitas; exinde libertas; propterea quemadmodum populo Hebraico ſubcinericius, & ſeruus panis vſque ad mare durauit; ac poſtea manna, quod eſt panis Angelorum, miniſtratum de Cęlo fuit; ſic vocati per Chriſtum in libertatem filiorum ex ſeruitute peccati ſub poteſtate Diaboli gemunt panem doloris edentes, & aquam lacrimarum bibentes, donec ad aquas perueniunt baptiſmi; ſed deinceps pane eucharistico, qui eſt panis filiorum Dei, ſatiantur, & aqua de petra, quæ Chriſtus eſt, iucundantur. Quemadmodum illi mare rubrum non niſi columna nubis, & ignis præeunte tranſierunt; ſic nos baptiſmalibus vndis Spiritu Sancto dumtaxat afflante diluimur. Demum illi ſolummodò per mare ad terram promiſſionis lacte, & melle fluentem tranſmigrare potuerunt; ſic nobis per ſolas baptiſmi aquas ad promiſſas beatorum ſedes iter conceditur; ad quas etiam illi dirigebantur, ſed illi in myſterijs vmbrarum velamine occultis, nos illis feliciùs in luce, & veritate manifeſta properamus. Neque vllo vnquam tempore defuerunt deinde imagines, quibus repræſentaretur, & commendaretur tanti ſacramenti dignitas, & excellentia. Modò in aqua aſperſionis, qua purgabantur corpora ab immundirijs; modò in aqua expiationis, qua mundabatur anima à terrenis ſordibus; modò in aqua luſtrationis, qua ſpiritus cœleſti illuſtrabatur ſplendore; modò in aqua purificationis, qua abſtergebantur carnales ſpurcitiæ, expreſſus fuit baptiſmus *Num. 19. teste D. Cypr. lib. 4. ep. 7*; *& habetur de conſecr. diſt. 4. c. 125. nec quenquam*; quæ aqua quamuis eadem, modus tamen abluendi non idem; vt innueretur aquam baptiſmi ſiue per immerſionem, ſiue per aſperſionem, dummodò corpus tangat, cor abluere, vt loquitur *S. P. Aug tract. 80. in Io.* Hanc aquam prophetauit *Ezechiel c. 36. Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.* Verùm ſuccedentibus temporibus euangelicæ legi proximioribus apertiora ſymbola, & congruentiores acceſſerunt ideæ. In circuncisionis myſterio delineatum fuiſſe baptiſmum *quis* (inquit *S. P. Aug. lib. 6. cont. Iul. c. 3.*) *vel mediocriter in ſacris literis eruditus ignorat?* De baptiſmo namque inquit *Apoſt. ad Coloſſ. 2. In quo & circuncisi eſtis circunciſione non manufacta in expoliatione corporis carnis, ſed in circunciſione Chriſti, conſepulti ei in baptiſmo; in quo & conſurrexiſtis per fidē operationis Dei, qui ſuſcitauit illum à mortuis; & vos, cùm eſſetis mortui in delictis, & in præputio carnis veſtræ, viuificauit cum illo donans nobis omnia delicta.* Sicuti namque per circuncisionem carnis ſaluabatur anima infantis; ita per circunciſionem cordis, quæ fit in baptiſmo, viuificatur anima, ne peccatis infecta moriatur. Quemadmodum in circuncisione carnali præputium amputabatur, vt vitium contractum per carnem purgaretur; ſic per baptiſmum originalis macula vi generationis ob cōcupiſcentiā infectæ traducta mūdatur. Sicuti non ſine sāguinis effuſione circuncitio celebrabatur; ita baptiſmus ſanguine Chriſti innocentis conſecratur. Quemadmodum octauo die circuncisio iuſſa fuit; ſic reſurrectio cum Chriſto, qui poſt ſeptimum diem, ſabbathum nempe, octauo die reſurrexit, in baptiſmo promittitur. Sicut in circuncisione ſpolium carnis detrahebatur; ita in baptiſmo vetus homo exuitur, & nouus ſpiritaliter regeneratur. Tandem quemadmodum per circuncisionem infans populo Dei inſerebatur, ſic per baptiſmum cœleſtium ſpirituum conſortio aggregatur. *Ioannis* denique baptiſmus poſtremis diebus Chriſti baptiſmum præparauit, non quidem myſticis ſignis, ſed propria reuelata materia; non in vmbris, aut rerum occultarum velamine, ſed re apertè demonſtrata, & explicata. Chriſtus igitur ad Iordanem in illius aquis à *Ioanne* baptizandus, ſeu potiùs illius aquas contactu ſanctificaturus acceſſit; qui poſtquam ex alueo Iordanis aſcendit, deſcendit, & manſit ſuper eum Spiritus Sanctus; vt oſtenderetur per Chriſti baptiſma conferendū nobis in poſterùm Spiritum Sanctum. Venit autem Chriſtus ad Iordanem, & lotus eſt, priuſquam Spiritus Sanctus è Cœlo deſcenderet; ne videretur, inquit *S. Ambr.* quòd Chriſtus ſanctificari in-

diguisset; etenim non ad recipiendam, sed ad communicandam aquis sanctitatem baptizari voluit; descendit autem postea Spiritus Sanctus; vt aquas baptismi contactu corporis Christi sanctificatas sanctificaret & Spiritus Sanctus. In Iordane *aperti sunt Cæli*; vt ostenderetur Cœlos hominibus clausos ob *Adæ* peccatum per Christi baptisma hominibus patefactos fuisse. *Vox Patris intonuit: Hic est Filius meus dilectus*; vt sciat, quisquis baptismo Christi diluitur, se filium Dei declarari adoptiuum, eius gloriæ, & Regni hæredem, & simul regnaturum cum Christo. Ex quo igitur non ampliùs in vmbra, & ænigmate, sed in luce, & in specie, ac propria forma reuelatus fuit baptismus; sicut & cœtera sacramenta, mirabilem illius institutionem, quiditatem, & rationem inuestigandã, tradendamque suscipimus. Priusquam autem de alijs sacramentis sermonem habeamus, à baptismo incipimus; quoniam, inquit *S. Bern. serm. de bapt; ipse est omnium sacramentorum initium.*

QVÆST. I.

De baptismo Ioannis.

Apud *Philosophos* certissimum est diuisionem conducere ad inueniendam rei definitionem; ex eo enim, quod res non est, procedimus ad cognoscendum id, quod est. Imò, vt ait *Fund. Doct. Æg. lib. de causis proposit. 6. lit. A. ex D. Dion. 2. de Angel. Hier;* Deus, & diuina, vt potè supra captum hominis omnino eleuata, explicantur magis per ignorantiam, quàm per scientiam; quia quoties negamus ea, quæ non sunt, & si ignoremus ea, quæ sunt, ea magis cognoscimus; quàm si ignorando, quid sint, definire velimus. Explicare igitur, in quo Christi baptismus distinguebatur à *Ioannis* baptismate, ad notitiam baptismi Christi nos ducet; qui propterea plenè, & adequatè non explicaretur, nisi traderetur notitia baptismi *Ioannis*, qui fuit præparatorius ad baptismum Christi; tunc enim plena habetur formæ cognitio, cùm prænoscuntur ea, quæ ad illam disponunt.

ART. I.

An baptismus Ioannis fuerit verum sacramentum nouæ, vel veteris legis?

1 Communis est sensus Ecclesię baptismum *Ioannis* fuisse præparatorium ad Christi baptismum; Ecclesia enim in eius festo super illud *Matth. 11; Marc. 1; & Luc. 7. Qui præparabit viam suam ante te;* canit: *Ipse est enim Ioannes, qui viam Domino præparauit;* via autem Domini incipit à baptismo, qui est initium vitæ Christianæ; ideo *Ioannes* suo baptismate præparauit Christi baptismum. Hinc *S. P. Aug. lib. 3. cont. lit. Petil. c. 56.* vocat *Ioannis* baptisma *præcursorium* baptismi Christi; quod repetit *lib. de vnico bapt. c. 7; & lib. 5. cont. Donatist. c. 9; & sæpe alibi.* Ratio est; quia debebat populus reuocari à circuncisione, excitari ad amorem, & deuotionem legis Christi; sed hæc fieri non poterant immediatè in instanti collationis ipsius legis; ergo debuerunt fieri mediante aliqua præparatione, quæ fuit *Ioannis* baptisma; in tantùm enim ad circuncisionem, & ad alia veteris legis sacramenta præmissa non fuerunt præparantia, & disponentia; in quantùm populus erat iam instructus in lege, & credebat; at *Hebræi* non erant instructi in lege Christi, nec in ipsum credebant, ideo erant per aliqua præparantia ad legẽ Christi instruendi, & disponendi.

2 Quoniam autem præparans ad aliud vel remanet adueniente eo, ad quod præparat; vt calor, qui præparat ad formam ignis, remanet simul cum forma ignis, quando iam aduenit; vel cessat, cùm iam aduenit id, ad quod præparat; vt remissio frigoris, quæ præparat ad formam ignis, adueniente forma ignis cessat esse in ligno, quia frigiditas remittenda non remanet. Præterea id, quod præparat ad aliud, vel præparat ex natura sua; quia secundùm ordinem, quem Deus indidit rebus, est colligatum cum eo, ad quod præparat; vt se habet calor respectu ignis; vel præparat tantùm ex Diuina dispensatione, seu institutione, qua Deus dispensat ab ordine, quẽ videmus. Vtroque secundo modo baptismus Ioannis fuit præparatio ad Christi baptismum; quia cessauit adueniente Christi baptismo; & solùm ex Diuina institutione dispensaute suam gratiam in plenitudine temporum præparauit; inquit enim *S. P. Aug. lib. 5. de bapt. cont. Donatist. c. 9. Accepit autem hoc Ioannes certa dispensationes gratia non diu mansurum, sed quantùm satis esset ad parandam viam Domino, cuius eum esse præcursorem oportebat.* Rationem vtriusq; *reddit ibid. S. P.* nam si durasset *Ioannis* baptisma, imperfectus videretur Christi baptismus; inquit enim: *Si omnes priùs baptismo Ioannis, & deinde Christi baptizari oporteret, minùs plenus, minùsque perfectus Christi baptismus meritò videretur, qui non sufficeret ad salutem* Si autem non præparasset solùm ex Diuina institutione, seu ex gratia soli *Ioanni* concessa, non diceretur *Ioannis* baptisma, nec solus *Ioannes*, verumetiam alij Prophetæ baptizassent baptismo pœnitentiæ in remissionem peccatorũ. *Nulli* autem *prophetarum, nulli prorsus hominum in Scripturis Diuinis legimus concessum esse baptizare in aqua penitentia in remissionem peccatorum; quod Ioanni concessum est;* docet *ibid.* Tandem *Ioannis* baptisma ita fuit præparatorium ad baptis-

ptiſmum Chriſti, vt ipſum Chriſti baptiſmum, & remiſſionem peccatorum, quæ fit in Chriſti baptiſmo, ſignificauerit, non quidem rebus, actionibuſque diuerſis; quibus, tanquam velaminibus, occultaretur; ſicuti factum erat in circunciſione, alijſque ſacramentis veteris legis; ſed eadem materia, eadem actione, eademque ceremonia externa viſibili, qua celebratur Chriſti baptiſmus; vt iam non ampliùs obſcurè, & in vmbra, ſed clarè, & manifeſtè prænunciaretur, quod per ipſum ſignificabatur; propterea *Io. 1.* ipſemet inquit: *Vt manifeſtetur in Iſrael, propterea ego veni in aqua baptizans.*

3 *Dur. hîc q. 3. ad 1.* aſſerit baptiſmum *Ioannis* fuiſſe ſacramentum veteris legis. *Omnes alij DD.* communiter docent baptiſmum *Ioannis* formaliter non fuiſſe ſacramentum veteris, aut nouæ legis; ſed tantùm reductiuè ſpectaſſe ad ſacramenta nouæ legis, ſicut diſpoſitio, & præparatorium reducitur ad genus illius, ad quod diſponit, & præparat. *Vid. noſter Argent. hîc diſt. 2. q. 2. art. 4;* & collig. *ex Fund. Doct. Æg. in ep. ad Rom. lect. 19. fol. 37. col. 1.;* vbi ait neminem rectè baptizari à peccato, niſi baptiſmo Chriſti; ſi autem baptiſma *Ioannis* eſſet formaliter ſacramentum, per ipſum tolleretur peccatum originale.

4 Vnica concl. Baptiſma *Ioannis* formaliter, & propriè non fuit ſacramentum veteris, aut nouæ legis, ſed tantùm reductiuè ſpectauit ad ſacramentum nouæ legis, tanquam præparatio, & diſpoſitio, ſeu medium ad baptiſmum; propterea non fuit ſacramentum ſtrictè, & formaliter, ſed tantùm latè, & reductiuè.

Prob. 1. pars concl. *ex Matth. 11. Lex, & prophetæ vſque ad Ioannem; à diebus autem Ioannis Regnum Cælorum vim patitur.* Sacramenta veteris legis fuerunt tantùm eo tempore, quo lex vetus durauit; ſicut ſacramenta nouæ legis ſunt, quæ nouæ legis tempore durant; ſed lex vetus non durauit, niſi vſque ad prædicationem *Ioannis* excluſiuè; quia lex vetus durauit ſolùm, vſquedum durarunt vmbræ velantes, & occultantes Chriſtum, atque eius myſteria; *Apoſt. enim 1. Cor. 10.* loquens de viuentibus in lege vetere inquit: *Omnia in figura contingebant illis; & S. P. Aug. ep. 120. de grat. noui, & vet. teſtam.* fusè docet omnia veteris legis myſteria fuiſſe occulta, & velata; per prædicationem autem *Ioannis* incepit manifeſtari Chriſtus *in Iſrael;* vt habetur *Io. 1;* & eius ſacramenta clarè, & apertè ſublatis figuris declarari; vt *Marc. 1. Ego baptizo vos in aqua, ille verò baptizabit vos Spiritu Sancto; & Matth. 3. Qui autem poſt me venturus eſt, fortior me eſt, cuius non ſum dignus corrigiam calceamenti ſoluere, ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto; & Io. 1. Ego baptizo in aqua, medius autẽ veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis;* & mox: *Altera die vidit Ioannes Ieſum venientem ad ſe, & ait: Ecce Agnus Dei, ecce, qui tollit peccatum Mundi: Hic eſt, de quo dixi: Poſt me venit, qui ante me factus eſt &c. Vt manifeſtetur in Iſrael, propterea veni ego in aqua baptizans &c. Hic eſt, qui baptizat in Spiritu Sancto;* ergo baptiſmus *Ioannis* formaliter non ſpectat ad ſacramenta veteris legis.

5 Prob. 2. pars concl. eadem ratione. 1. Illud eſt ſacramentum formaliter nouæ legis; quod durat in lege noua; ſed baptiſmus *Ioannis* nec durauit, nec durare debuit in lege noua, ne videretur Chriſti baptiſmus ſine baptiſmo *Ioannis* imperfectus, & inefficax, vt diximus *ex S. P. Aug. ſuperiùs;* ergo *Ioannis* baptiſma nõ eſt ſacramentum nouæ legis. 2. Sacramenta nouæ legis conferunt gratiam ex opere operato; vt diximus *in ſup. tract. q. 2. art. 1. §. 6;* ſed baptiſma *Ioannis* non conferebat gratiam ex opere operato; nam vt dicemus *in ſeq. art; Matth. 3.* ipſemet *Ioãnes* prædicabat: *Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam &c. Ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto;* gratia autem baptiſmi infunditur ſolùm per Spiritum S; ideoq; ſi *Ioannes* non baptizabat in Spiritu S; nec gratiã baptiſmo ſuo cõferebat; ergo baptiſmus *Ioannis* non fuit ſacramentum nouæ legis. 3. Si eſſet ſacramentum nouæ legis, eſſet baptiſmus Chriſti, non *Ioannis;* quia omnia ſacramenta nouæ legis ſunt Chriſti ſacramẽta, non alterius.

6 Ex his deducitur *Ioannis* baptiſmum formaliter non fuiſſe ſacramentum ſtrictè ſumptũ, prout eſt aliquod ex Diuina ordinatione inſtitutum ad conferendam gratiam; ſed tantùm reductiuè, prout præparabat ad Chriſti baptiſmum, qui eſt nouæ legis ſacramentum; nam omne ſacramentum formaliter, & ſtrictè ſumptum vel eſt ſacramentum veteris, vel nouæ legis; ſacramenta enim per aliquam legem ſũt conſtituta, & nobis præcepta; ſed *Ioannis* baptiſma non eſt formaliter ſacramentum veteris, vel nouæ legis, vt dictum eſt; ergo non eſt formaliter, & ſtrictè ſacramentum. Sed tantùm latè fuit ſacramentum, prout fuit ſignum rei ſacræ; ſignificabat enim Chriſti baptiſmum, & remiſſionem peccatorum, quæ ſunt res ſacræ; & reductiuè, quia fuit præparatorium; & diſpoſitiuum ad Chriſti baptiſmum; omnis enim præparatio, & diſpoſitio reducitur ad rem principalem, ad quam diſponit, & præparat. Adeoq; rectè dicitur quid medium inter ſacramenta veteris, & nouæ legis; quia diſpoſitio ſemper mediat inter formam veterem, quæ deſtruitur, & formam nouam, quæ per illam inducitur; ergo *Ioannis* baptiſma, per quod vetera ſacramenta ceſſare inceperunt, & noua inchoarũt, rectiſſimè dicitur inter illa mediare. Cùm autem medium participet extremorum naturam, vt communiter dicitur; ideo *Ioannis* baptiſma habuit commune cum ſacramentis veteris legis, quòd per ipſum etiam Chriſtus prænunciabatur venturus; gratia non conferebatur ex opere operato, &

erat præambulum ad noua sacramenta, ac debebat, sicut illa cessare; & in hoc differebat à nouis sacramentis, quæ significant Christum iã venisse, cùm ex eius latere effluxerint, conferunt gratiam ex opere operato, & subsecuta fuerunt nunquam cessatuta vsque ad mundi finem. Conueniebat autem cum nouis sacramentis, quòd habebat eandem ceremoniam externam visibilem, eandem administrationis facilitatem, & significationis claritatem sublatis figuris, & vmbris; in quibus differebat à sacramẽtis veteribus. Addimus *cum S. P. Aug. ep. 120.* conuenisse cum nouis sacramentis, quod per ipsum bona æterna promittebantur apertè, quia manifestè Regnum Cœlorum agentibus pœnitentiam offerebatur; per sacramenta autem vetera solùm permittebantur terrena.

7 Obijc. 1. *S. Ambr. in Luc. 3.* ait *Ioannem* expressisse personam legis veteris; ergo eius baptisma ad veterem legem pertinuit. 2. Apostoli baptizantes in nomine Christi verum sacramentum baptismi efficiebant; sed *Ioannes* baptizabat in nomine Christi venturi; ergo verum conficiebat sacramentum.

Resp. ad 1. *Ioannem* ostendisse personam veteris legis in se ipso, quia comminabatur, & terrebat *Iudæos* appellans eos *genimina viperarũ*; lex autem vetus erat *lex timoris*; & in hoc sensu ostendit personam legis. Tum quia prædicauit Christum venturum, sicut lex promittebat. Ad 2. dist. ma. In nomine Christi, & baptismo ab ipso instituto, conc; & baptismo *à Ioanne* instituto, neg; *Ioannes* autem baptizabat baptismo ab ipso, non à Christo instituto, ideo licèt baptizaret in nomine Christi, attamen non conficiebat sacramentum; potestas enim excellentiæ instituendi sacramenta non fuit à Christo vlli homini communicata, vt diximus *q. 1. art. 5. §. 1*; *Ioanni* autem potestatem dedit instituendi suũ baptisma, vt diximus *ex S. P. Aug. vbi s.* & ex hoc ampliùs prob. *Ioannis* baptisma non fuisse sacramentum formaliter. *Vid. cetera in seq. art.*

8 Quæres; an *Ioannis* baptismus ex materia, & forma constiterit?

Resp. certum esse *apud omnes* aquam naturalem fuisse materiam baptismi *Ioannis*; colligitur enim ex Euangelijs eum aqua baptizasse, & aqua *Iordanis*, quæ est naturalis. Quoad formã *Dur*; cui suffragatur *Estius hic dist. 2. §. 6*; putat *Ioannem* nulla forma vsum fuisse; & eo modo, quo sacrificium *Melchisedech* absque vlla forma fuit sufficiens figura sacrificij incruenti ipsius Christi propter solam similitudinem materiæ; ita verisimile est *Ioannis* baptisma propter solam aquam repræsentantem, & præunnciantem Christi baptismum caruisse forma; & ratio est. 1. Baptismus *Ioannis* nihil intus operabatur virtute, aut nomine Christi; doctrinà enim de Christo venturo eum præcedebat; sicut nunc baptismo Christi catechismus præmittitur; ergo non opus erat inuocatione, aut expressione nominis Christi. 2. Christus baptizatus fuit baptismate *Ioannis*, & tamen non est baptizatus in nomine Christi venturi, quia iam erat præsens; aliter illa forma falsa fuisset; ergo idem dicendum de alijs *à Ioanne* baptizatis.

9 *Mag. sent. dist. 2; Alen; S. Bon; S. Thom; & omnes ferè illius interpretes* docuerunt Ioannem in baptizando vsum fuisse hac forma: *Ego te baptizo in nomine Christi venturi*; & colligitur *ex Act. 19. Ioannes baptizauit baptismo pœnitentiæ populum dicens; in eum, qui venturus esset post ipsum, vt crederent.*

10 Et quidem quòd *Ioannes* baptizans aliqua verba protulerit, colligitur expressè ex omnibus Euangelistis; nam *Matth. 3.* dicitur de ipso actualiter baptizante: *Ego baptizo vos in aqua &c; ipse vos baptizabit in Spiritu S; Marc. 1. Ego baptizaui vos aqua, ille verò baptizabit vos Spiritu S; Luc. 3. Ego quidem aqua baptizo vos &c; ipse vos baptizabit Spiritu S; & Io. 1. Ego baptizo in aqua &c; hic est qui baptizat in Spiritu Sancto.* consentiunt etiam *SS. PP*; inter quos *S. P. Aug. lib. 5. de bapt. cont. Donatist. c. 10*; vbi *de Ioanne* baptizante inquit: *Ipse Ioannes cùm dicat: Ego baptizo vos in aqua pœnitentiæ &c.* Idem habet *D. Ambr. lib. 1. de Spiritu S. c. 3; & D. Hier. in Ioel c. 2; & alij.* Propter quod dicendum videtur conformiter *ad Diuinas scripturas, & SS. PP; ac DD.* formam baptismi *Ioannis* fuisse: *Ego baptizo vos in aqua pœnitentiæ; qui autem post me venit, ille vos baptizabit Spiritu Sancto*; cùm autem Christum baptizauit, dixisse: *Ego quidem baptizo te in aqua; tu autem baptizabis me, & alios in Spiritu S; vel ego habeo baptizari à te in Spiritu S*; vt colligitur ex verbis ipsius allatis ab Euangelistis, & *Act. 19*; & prob. 1. Adæquata, & perfecta manifestatio baptismi Christi debet esse cũ expressione materiæ, & formæ; sicut enim si quis explicaret solam materiam, ex qua componitur animal, imperfectè, & confusè animal manifestaret; ita à pari; sed *Ioannis* baptisma adæquatè, & perfectè explicuit Christi baptismum; quia illum manifestauit, vt ait *scriptura*; manifestare autem est clarè explicare, quod est ostendere materiam, & formam; nam ostendere solam materiam sine forma est obscurè explicare; ergo *Ioannis* baptisma fuit cum expressione materiæ, & formæ baptismi Christi. Atqui forma baptismi Christi sunt verba; ergo fuit cũ expressione verborum. 2. Lotio corporis secundùm se est indifferens ad significandum Christi baptismum, & quamcunque aliam ablutionem; aliter quæcunque lotio corporis esset mysteriũ, significaret enim Christi baptismum; ergo nisi per aliquod determinetur ad explicandum Christi baptismum, illum non significat; sed *actus est, qui determinat ex Phil*; ergo debet per aliquem actum determinari; iste autem actus nõ potuit esse intentio *ipsius Ioannis*, quia intentio

est

est occulta, cùm sit actus internus, de cuius natura est esse occultum; occultum autem nequit manifestare; & sic non manifestasset baptismum Christi; tum quia si *Ioannis* baptisma determinatum fuisset ad significandum baptismum Christi per intentionem *Ioannis* baptizantis, nō manifestasset clariùs baptismum Christi, quàm manifestauit aqua maris rubri, asqua aspersionis, lustrationis, expiationis &c; illa enim manifestauit pariter materiam; ergo vt baptisma *Ioannis* clariùs manifestauerit Christi baptismū, necesse fuit aliquis actus externus manifestans intentionem internam; sed talis actus est prolatio verborum; verba enim exteriùs prolata sunt signum intentionis, quæ intus latet; ergo *Ioannis* baptisma non fuit sine prolatione verborum. Ex his patet responsio ad rationes in contrarium adductas.

11. Ad 1. dicitur non esse paritatem inter sacrificium *Melchisedech*, quod cùm pertineret ad veterem legem, in qua omnia erant occulta, & velata, non debuit exprimere materiam, & formam sacramenti eucharistiæ, aliter non significasset illud obscurè, & velatè; sed clarè, & manifestè; sed baptisma *Ioannis*, ordinatum fuit ad clarè manifestandum *in Israel* Christi baptismum, ideo debuit esse nedum cum expressione materiæ, à qua sumitur confusa, & obscura rei cognitio, sed etiam formæ, à qua clara, & distincta habetur rei notitia. Ad 1. rationem neg. cons; quamuis enim expressio verborum nihil efficeret ex opere operato in baptizato; attamen clarè manifestabat Christi baptismum; adeo fuit necessaria. Ad aliam dicitur non ijsdem verbis baptizatum fuisse Christum, ac alios homines *à Ioanne*, vt diximus, & hæc diuersitas clarè colligitur *ex scripturis* allatis. Præterea dicimus formam traditam *à Mag.* exponendam esse eo modo, quo illam *ex scriptura* tradidimus, congruentior enim videtur.

A R T. II.

An, & quomodò Ioannis baptisma gratiam contulerit?

1 P*Etilianus Donatista apud S. P. Aug. lib. 2. cont. lit. Petil. c. 32; & 34.* dixit vnum fuisse baptisma *Ioannis*, & Christi tribus gradibus consecratum; quorum graduum vnum, scilicèt aquam, dedit *Ioannes*; alterum, scilicèt Spiritum Sanctum, dedit Christus; & postremum, scilicèt ignem, dedit Spiritus Sanctus in die Pētecostes. Hanc hæresim secuti sunt aliqualiter recentes hæretici *Caluin; Melanct; Brent; Kemnit; Zuingl; & alij apud Bellarm. lib. 1. de sacram. bapt. c. 19.* docentes baptismum *Ioannis*, & Christi habere eandem vim, & efficaciam, ac propterea eosdem producere effectus eo, quia vterque habuit vim excitandi fidem, per quam nobis tribuitur remissio peccatorum.

2 Omnes tamen Catholici fatentur baptismum *Ioannis* fuisse diuersum, & efficacia longè inferiorem baptismo Christi.

3 Vnica concl. Baptisma *Ioannis* non causabat gratiam ex opere operato, sed tantùm ex opere operantis, quatenus disponebat ad actum contritionis, seu pœnitentiæ, & per actum pœnitentiæ ad remissionem peccatorum.

4 Prob. 1. *ex Scripturis* allatis *in sup. art*; quibus asseritur *Ioannem* baptizasse in aqua in pœnitentiam; & prædicasse baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum; & de Christo dicitur, quòd baptizabat in Spiritu Sancto; ex quibus colligitur apertè discrimen inter baptismum *Ioannis*, & Christi; quòd ille remittebat peccata solùm, quia excitabat actum contritionis, qui est actus pœnitentiæ, quo disponebatur baptizatus ad remissionem peccatorum; & ideo baptismus *Ioannis* causabat gratiam solùm ex opere operantis; baptismus autem Christi remittit peccata per Spiritum Sanctum, qui per illum confertur, & ideo causat gratiam ex opere operato; quod discrimen *ab eodem Ioanne locis cit.* est assignatum. Hinc *S. P. Aug. in Enchir. c. 49;* & habetur *de consecr. dist. 4. c. 135;* inquit: *Non renascebantur, qui baptismo Ioannis baptizabantur; sed Christo, in quo solùm renasci poterant, parabantur; huius enim baptismus est non in aqua solùm, sicut fuit Ioannis, verumetiam in Spiritu Sancto; & lib. 5. cont. Donatist. c. 10. Si baptismo Ioannis peccata dimittebantur, quid ampliùs præstare potuit baptismus Christi eis, quos Apostolus Paulus post baptismum Ioannis Christi baptismo voluit baptizari? Si autem Ioannis baptismo non dimittebantur peccata, vtrumnam meliores erant Ioanne Cypriani temporibus, de quibus ipse dicit, qui fundos insidiosis fraudibus rapiebant, & vsuris multiplicantibus fœnum augebant; quibus tamen baptizantibus fiebat remissio peccatorum?* Quibus verbis expresè docet *Ioannis* baptisma, quamuis collatum à ministro tantæ excellentia sanctitatis prædito non iustificasse; baptismum autem Christi collatum etiā à ministris peruersis gratiam donare eo, quia ille ex sua institutione non habuit, sicut iste, gratiam conferre; aliter si gratiā contulisset, *Apost. Paulus Act. 19.* non præcepisset baptizatos *à Ioanne* baptizari baptismo Christi. Quoniam autem aliquando actus contritionis excitatus in baptizatis *à Ioanne* tam intensus erat, vt gratiam induceret etiam ante baptismum, quemadmodum legitur *Act. 10. de Cornelio, alijsq;* qui cum ipso erant; ideo subdit *S. P. Aug. ibid.* in illis remitti peccata vel per actum contritionis, vel in spe, quæ est opus operantis, nō in re ipsa, quæ est baptismus *Ioannis*, seu ex opere operato: *Quamquā ita credā baptizasse Ioannē in aqua pœnitentiæ in remissionem peccatorum, vel ab eo baptizatis in spe remitterentur peccata, reipsa verò in Domini baptismo id fieret.* Idem docet *lib. 2. cont. lit. Petil. c. 22; 24; 36; & 37; lib. de vnit. Eccl. c. 21; lib. de*

vni-

vnico bapt.c.7; tract. 5. in Io; ep.48. ad Vinc; serm. 74. de diuersis, & sepe alibi. Hinc *Conc. Trid. sess. 7. c. 1.* statuit: *Si quis dixerit baptismum Ioannis habuisse eandem vim cum baptismo Christi anathema sit.*

4 Resp. *Kemnit.* allatis *textibus scripturarum* non distingui baptismum *Ioannis* à baptismo Christi aqua confecto, sed à baptismo igne celebrato die Pentecostes sine aqua; qui baptismus in primitiua Ecclesia celebrari solebat per impositionem manuum, qua conferebatur Spiritus Sanctus, sicut Apostolis collatus fuit die Pentecostes; dicitur enim *Matth. 3. Ipse vos baptizabit Spiritu Sancto, & igni; & Act. 1. Vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non post multos hos dies;* quæ nequeunt intelligi de baptismo aquæ, sed ignis.

Sed contra instat *S.P. Aug. lib. 2 cont. lit. Petil. c. 32;* doctrina enim huius recentis hæretici in terminis sumpta est ab hæretico antiquo *Donatista Petiliano;* vt videre est *loc. cit;* instat, inquā, sic. Si baptismus *Ioannis* non distingueretur à baptismo Christi in aqua celebrato, *Paulus* Apostolus *vbi s.* non iussisset iam baptizatos in aqua *à Ioanne* iterum in aqua baptizari Christi baptismo; sed hoc est *contra scripturam;* ergo & expositio *Kemnitij:* *Si ergo,* inquit S. P; *aqua Ioannis ad eundem pertinet, cuius vnitas commendatur, non debuerunt baptizari iubente Paulo Apostolo, quos compererat baptizatos à Ioanne; iam enim habebant aquam ad eundem, sicut dicis, baptismum pertinentem; restabat, vt Spiritum, & ignem acciperent, quia defuerant Ioanni, vt compleretur baptismus tribus, vt asseris, gradibus consecratus.*

5 Ex his sic. 1. Illud solùm, quod confertur in Spiritu Sancto, causat gratiam ex opere operato; nam causare gratiam est opus, quod Spiritui Sancto per appropriationem tribuitur; sed baptisma Ioannis non conferebatur in Spiritu Sancto; nam ipse *Ioannes* distinxit suum baptisma à baptismo Christi; quòd suum conferebatur in aqua in pœnitentiam; iste autem in Spiritu Sancto; quòd si etiam suum collatum fuisset in Spiritu Sancto, nullum hoc discrimen fuisset; tū quia *Act. 19.* discipuli à Ioanne baptizati interrogati *à Paulo*, an recepissent Spiritum Sanctū, responderunt: *Nec si sit Spiritus Sanctus, audiuimus;* ergo baptisma *Ioannis* non conferebat gratiam ex opere operato. 2. Illud, quod confert gratiam ratione solius pœnitentiæ, seu contritionis, confert gratiam solùm ex opere operantis, non ex opere operato; nam pœnitentia, seu contritio est opus operantis, vt constat; hinc peccator eliciens actum contritionis perfectæ iustificatur etiam extra sacramentum ex opere operantis, vt docet *Trid;* quia tunc nullum est opus externè operatum; sed baptismus *Ioannis* conferebat gratiam remissiuam peccatorum ratione solius pœnitentiæ, seu contritionis, vt colligitur ex allatis *Scripturis; baptizabat enim in aqua in pænitentiam in remissionem peccatorum;* ac propterea illius baptismus vocabatur *baptismus pænitentiæ, vt Marc. 1. Prædicabat baptismum pænitentiæ in remissionem peccatorum;* ergo conferebat gratiam ex opere operantis, non ex opere operato. 3. *Ex Fund. Doct. Æg. lect. 19. in ep. ad Rom. §. Ponit secundam rationem.* In tantùm Christi baptismus confert gratiam ex opere operato; inquantùm Christus baptizat interiùs gratiam donando, & sacerdos baptizat exterius in aqua tingendo; sed in baptismo *Ioannis* Christus non baptizabat interiùs gratiam donando, quamuis *Ioannes* baptizaret exteriùs in aqua tingendo; quia baptismus, in quo Christus baptizat interiùs gratiam donando ministro aqua exteriùs lauante, est baptismus Christi, non *Ioannis*, vt patet; quia in illo Christus operatur ministerialiter excellenter, & ideo est institutus à Christo, propter quod dicitur Christi baptismus; ergo *Ioannis* baptismus non conferebat gratiam ex opere operato. Ma. constat; quia gratia nobis donatur solùm per Christum, vt dicitur *Io. 1. Lex per Moysen data est; gratia, & veritas per Iesum Christum &c.* 4. Si *Ioannis* baptismus contulisset gratiam ex opere operato, non habuisset, in quo excelleretur à Christi baptismo; nec potestas institutiua baptismi esset excellentior in Christo, quàm *in Ioanne*, quia baptismus *Ioannis* nihil minus haberet, quàm Christi baptismus; sed cons. est falsum; ergo & ant.

6 Obijc. 1. Baptismus *Ioannis* fuit in remissionem peccatorum, vt habetur *Marc. 1; & Luc. 3;* ergo non fuit diuersus à baptismo Christi, qui pariter fuit in remissionem peccatorum, vt dicitur *Act. 1. Baptizetur vnusquisque vestrum in remissionem peccatorum.* 2. Vnum solummodò est baptisma, vt habetur *Ephes. 4. Vnus Deus, vna fides, vnum baptisma; & in symb. Constant. Confitemur vnum baptisma in remissionem peccatorum;* ergo baptisma Ioannis non est aliud à baptismo Christi; secus essent duo, non vnum. 3. *Ioannis* baptisma è Cœlo fuit non ex hominibus, vt dicitur *Matth. 21;* ergo habuit efficaciam conferendi gratiam ex se ipso.

Resp. ad 1. *cum S.P. Aug. lib. 5. de bapt. vbi s.* baptismum *Ioannis* fuisse in remissionem peccatorum habitam in spe, non in re, habendam tamen in re per baptismum Christi; *sicut resurrectio, quæ expectatur in fine, spe in nobis facta est, vt dicit Apost. Ephes. 2. Conresuscitauit, & consedere fecit in Celestibus;* & sicut salus æterna, quæ habetur in spe, non in re, vt dicitur *Rom. 8. Spe enim salui facti sumus.* Vel dicitur fuisse in remissionem peccatorum ex opere operantis, non ex opere operato, vt diximus; propterea vocabatur *baptismus pænitentiæ.* Ad 2. dicitur esse vnum baptisma in Ecclesia instituta à Christo, quod est *lauacrum regenerationis;* baptisma autem *Ioannis* præcessit, quia præparauit ad hoc vnum baptisma; & iam cessauerat, cùm institutum

fuit

fuit hoc vnum baptisma; mortuus enim iam erat *Ioannes*, qui non baptizauit, nisi spatio vnius anni circiter, vt probat *Bellar*; & deducitur *ex S.P. Aug. tract. 5. in Io.*; vbi ait, quòd *Ioannes* baptizato Christo missus fuit in carcerem, & nullum alium baptizauit; quapropter *Estius* ait durasse per vnum, vel alterum annum; ideo quanuis *Ioannis* baptisma fuerit diuersum à baptismate Christi, non tamen sunt in Ecclesia duo baptismata, vt fusè probat *S.P. Aug. lib. de vnico bapt. cont. Petil*; quia *Ioannis* baptisma non fuit in Ecclesia, sed antequam institueretur Ecclesia. Ad 3. neg. conse; quanuis enim Apostolus de Cœlo missus fuerit euãgelizare; attamen non sequitur, quòd euangelizatio conferat gratiam ex opere operato; ita quamuis *Ioannes* de Cœlo missus sit baptizare, attamen eius baptisma non contulit gratiam ex opere operato.

7 Obijc. 2. SS. PP. docent baptisma *Ioannis* remisisse peccata; vt *Basil. hom. 1. de bapt; S. Ambr. lib. 1. de Spiritu S. c. 3; Cyrill. Hierosol. catech. Mystagog. 2; Dam. lib. 4. c. 10; Prudent. in hymno: O' Nazarene, & aly.* 2. Baptismus *Ioannis* fuit perfectior omnibus sacramentis veteribus, & ipsa circuncisione; sed illa conferebant gratiam; ergo & iste. 3. Si gratiam non contulisset, fuisset prorsus inutilis, caruisset enim fine, propter quem institutus est baptismus; nam finis institutionis baptismi est remittere peccata, quod non fit nisi per gratiam.

Resp. ad 1. allatos PP. nihil aliud docere, nisi vel quòd remiserit peccata ex opere operãtis, vel quòd illa remiserit præparatiuè eo, quia sic baptizati ex mandato *Ioannis* currebant statim ad Christi baptismum, & à peccatis mundabantur; fatentur enim omnes baptismum *Ioannis* præparatorium fuisse ad Christi baptismum, in quo fit remissio peccatorum; vnde sicuti docent per Christi baptismum peccata remitti formaliter, quia in illo confertur forma, quæ est gratia, remittens peccata; ita docent per baptisma *Ioannis* remitti peccata præparatiuè, quia præparabat ad remissionem. Ad 2. dist. ma. Fuit perfectior quantùm ad significationẽ, instructionem, & præparationem populi per ordinem ad recipiendam legem Christi, conc; quantùm ad causalitatem gratiæ, neg; illa enim erant vera sacramenta instituta per ordinem ad remittenda peccata; baptismus autem *Ioannis* fuit institutus solùm ad præparandum, & instituendum populum ad Christi baptismum. Ad 3. neg. assumptum; baptismus enim *Ioannis* fuit institutus ad excitandam *in Iudais* deuotionem ad baptismum Christi, ad illos retrahendos à circuncisione, & inquit *S.P. Aug. (tract. 4. in Io; et lib. 5. de bapt. c. 9.)* ad baptizandum Christum, vt aquas suo contactu sanctificaret, *& superbas hominum ceruices flecteret ad salutare suum baptisma*; nam multi contempsissent baptismum, si vidissent se tot, & tam grauia peccata non habere, sicuti alij, qui baptismum suscipiunt; vt docet *idem S.P. tract. 13. in Io.* dicens: *Quare baptizabat Ioannes? Quia oportebat, vt Dominus baptizaretur. Et quare oportebat, vt Dominus baptizaretur? Quia multi contempturi erant baptismum eo, quòd iam maiori gratia præditi viderẽtur, quàm viderent alios fideles.* Igitur non fuit inutilis, quia non caruit suo fine, quanuis gratiã non contulerit, sed ad illam solummodò præparauerit. *Vid. art. seq.*

ART. III.

An baptizati à Ioanne baptizari debuerint Christi baptismo?

1 Ex dictis *in sup. art.* constat *Ioannis* baptisma non fuisse necessarium omnibus, sicut baptismum Christi; quia non omnes, qui saluari sunt, illo baptismo abluti sunt; docet enim *S.P. Aug. tract. 5. in Io. Multi baptizati sunt baptismo Ioannis; baptizatus est & Dominus, & cessauit baptisma Ioannis; deinde iam missus est in carcerem Ioannes, & deinceps nemo baptizatus inuenitur illo baptismate.* Quanuis autem legatur *Ioannem* accepisse potestatem baptizandi à Deo; attamen non legitur ipsum substituisse, vel potuisse substituere sibi ministros sui baptismatis; sicut præstitit Christus; propterea solus *Ioannes* baptizauit, & nemo post illum. Non omnes ergo *Iudæi* baptizati sunt baptismo *Ioannis*; sicut nec pueri, aut mulieres; illi quidem, quia non erant capaces, vt instruerentur ad Christi baptismum; ad quam instructionem ordinatum erat *Ioannis* baptisma; istæ verò tum propter honestatem, quæ illas prohibet denudari coram hominibus; tum quia non erant circuncisæ, ideo à circuncisione retrahendæ non erant; ad quod pariter ordinabatur *Ioannis* baptismus, vt diximus. Quæritur ergo, an sicuti baptismo Christi debuerunt baptizari illi, qui baptizati non fuerant baptismo *Ioannis*, eo, quia ille baptismus necessarius non fuit omnibus; ita etiam baptizati baptismo Ioãnis baptismo Christi baptizari debuerint eo, quia Christi baptismus est omnibus post sufficientem legis promulgationem necessarius simpliciter ad salutem, ait enim Christus *Io. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.*

2 Hæretici, quos retulimus *in sup. art.* dixerunt baptizatos *à Ioanne* non fuisse baptizandos baptismo Christi. Hanc sententiam tenuit etiam *Mag. hic*, quem secutus est *Alex.* Omnes tamen *alij DD.* contrarium docuerunt, & docent ob nimis clara *Scripturarum, & SS. PP.* testimonia.

3. Vnica concl. Omnes baptizati baptismo *Ioannis* debuerunt baptizari Christi baptismate.

Prob. 1. *ex Matth. 3*; vbi *Ioannes* inquit: *Ego baptizo vos aqua in pœnitentiam, qui autem post me venturus est, ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto*; ex quibus clarissimè habetur easdem personas bapti-

baptizatas à *Ioanne* baptizandas fuisse per Christum: illud enim pronomen *vos* designat identitatem numericam personarum, vt constat. Præterea *Act.* 19. *Paulus* iussit baptizari baptismo Christi quosdam discipulos *à Ioanne* baptizatos; non quia nondum nouerant Spiritum Sanctum, se quia baptismo *Ioannis* solummodò baptizati erant; sicut enim paruuli baptizati baptismo Christi, cùm perueniunt ad vsum rationis, & ignorant Spiritum Sanctum, non sunt rebaptizandi, sed tantùm instruendi, & catechizandi; ita illi discipuli, si tantùm ignorassent Spiritum Sanctum, tantùm instruendi, non baptizandi fuissent. Ergo ratio, ob quam baptizati fuerunt baptismo Christi, fuit, quia baptismus *Ioannis* gratiam ex opere operato non conferebat, vt diximus *in sup. art.* Præterea *Act.* 2; *&* 4. Apostoli baptizantes multitudinem hominum non separauerunt baptizatos baptismo *Ioannis*, qui tamen plurimi erant in illo hominum numero; sed omnes indistinctè baptizauerunt: ergo baptizati *à Ioanne* baptismo Christi baptizari debuerunt; aliter Apostoli sine necessitate iterassent baptismum, quod sine peccato esse non potuisset. Hinc S.P. *Aug. lib. 5. de bapt. c. 9.* inquit: hoc esse discrimen inter baptismum Christi, & *Ioannis*; quòd illo accepto nullum aliud requiritur; isto verò suscepto adhuc baptisma Christi erat necessarium: *Sed Dominus Iesus Christus* (inquit) *tali baptismo mundat Ecclesiam, quo accepto nullum alterum requiratur; Ioannes autem tali baptismo praetingebat, quo accepto esset baptisma etiam Dominicum necessarium; non vt illud repetatur; sed vt eis, qui baptismum Ioannis acceperant, etiam Christi baptismus, cui etiam ille præparabat, traderetur.* Quibus quid clariùs potest optari?

4 Prob. 2. *à Fund. Doct. Æg. in 3. sent. dist.* 1. *p.* 1. *q.* 1. *art.* 2. *§. Sed sic exponere* ex illo: *Nisi quis renatus &c.* Post sufficientem legis euangelicæ promulgationem nullus potuit saluari, nisi suscipiendo Christi baptismum; præceptum enim de suscipiendo Christi baptismo est vniuersale, & obligat omnes; vt disertè probat *S.P. Aug. ep.* 57. *ad Dardan. & ep.* 108. *ad Seleucianam*, vbi ostendit *contra Nouatianos* etiam *Petrum* baptizatum fuisse, quod colligit ex illis verbis Christi *Io.* 13. *Qui lotus est, iam non indiget, nisi, vt pedes lauet;* & habetur *de consecr. dist.* 4. *c.* 145. *Quando; & c.* 146. *Si eos*; in hoc enim distinguitur lex Christi à lege scripta; quòd hæc obligabat solos *Iudæos*, non gentiles, qui in lege naturæ poterant saluari; quia lex scripta data fuit solis *Iudæis*; lex autem Christi data est omnibus, nemine excepto; & ideo præceptum baptismi, quod pertinet ad legem Christi, obligat omnes; sed discipulis *Ioannis* Christi baptismus per Apostolos fuit sufficienter promulgatus, vt patet *Act.* 2; 4; *&* 19; ergo discipuli *Ioannis* fuerunt baptizati baptismo Christi, aliter post sufficientem legis promulgationem saluati non fuissent. Præterea *D. Hier.* super illud *Matth.* 3. *Ego à te habeo baptizari* docet Christum priùs *à Ioanne* baptizatum fuisse, & postea *Ioannem* à Christo; quod habet etiam *Glos.* super *Io.* 3; ex quo sic arguit *idem Fund. Doct. Ioannes*, quanuis sanctificatus in vtero, attamen debuit baptizari Christi baptismo; sicut *Cornelius*, quanuis accepisset Spiritum Sanctum, antequam descenderet *Petrus* ad eum instruendum in fide, vt docet *S. P. Aug. in ead. ep.* 108; attamen fuit baptizatus Christi baptismo; ergo à fortiori discipuli baptizari *à Ioanne* debuerunt baptizari Christi baptismo; in tantùm enim *Ioannes, & Cornelius*, & qui *cum Cornelio* erant, quanuis sanctificati per Spiritum Sanctum, baptizati fuerunt, quia præceptum de suscipiendo Christi baptismo vniuersaliter datum sine peccato violari non poterat; vt docet *idem S. P.* & habetur *de consecr. vbi sup. c.* 147. *non dubito.* Sed hoc etiam militat de *Ioannis* discipulis, eoque magis, quia non constat eos recepisse Spiritum Sanctum *in Ioannis* baptismate, cùm non constet eos habuisse contritionem adeo perfectam, vt fuerit sufficiens dispositio proxima ad gratiam sanctificantem; ideo à fortiori dicendum baptizatos *à Ioãne* fuisse baptizatos Christi baptismo.

5 Inst. *A'en.* illud præceptum esse intelligendum secundùm distributionem accommodam, non autem distributiuè simpliciter; nam sanctificati in vtero non indigebant baptismo; ideoq; nusquam legitur *in Scriptura Ioannem* fuisse baptizatum.

Resp. *Fund. Doct. Æg. S. P. Aug. in cit. ep.* excipere solùm Christum ab hoc præcepto; de natura enim legis est esse cõmunem respectu omnium subditorum, solus autem Christus non est subditus legi, cùm sit legislator, adeoque solùm Christum non obligat. Sanctificati in vtero, quanuis non indigeant baptismo, vt à peccatis mundentur, tenentur tamen illum suscipere, vt præceptum adimpleant, quod sine peccato trãsgredi non possunt, cùm peccatum sit legis transgressio; decedentes autem cum peccato damnantur. Propterea dicimus *Ioannem* fuisse baptizatum, & sufficienter colligitur *ex Scriptura*; legitur enim ipsumet *Ioannem* dixisse Christo. *Ego à te habeo baptizari*; cognouit namque prophetìcè se à Christo fore baptizandum, & aliunde omne dictum propheticum necessariò est adimpletum. Vel dicitur, quòd etiansi *Ioannes* baptizatus non fuisset baptismo aquæ eo, quia tunc præceptum baptismi non obligabat; ideo illa verba: *Ego à te habeo baptizari*; intelligenda sunt de baptismo sanguinis; attamen hoc non valet de eius discipulis, qui vixerunt post sufficientem euangelij promulgationem, postquam lex obligari incepit.

6 Obijc. 1. *D. Hier.* super *Ioel* 2. ait baptizatos *à Ioanne*; ideo fuisse baptizandos baptismo Christi; quia Spiritum Sanctum non nouerant, sed ponebant tantùm spem *in Ioannis* baptismo; ergo

ergo illi, qui Spiritum Sanctum iam nouerant, non erant baptizandi. 2. *Act.* 8. dicitur de *Ioannis* discipulis: *Qui cùm venissent, orauerunt pro ipsis, vt acciperent Spiritum Sanctum, nondum enim in quemdam illorum venerat; sed baptizati tantùm erant in nomine Domini. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.* Ex quibus verbis clarè deducitur, quòd *Ioannis* discipuli, qui erant *in Samaria*, ad quam ab Apostolis missi fuerant *Petrus, & Ioannes*, non baptizabantur, sed tantùm illis manus imponebantur; ergo idem.

Resp. ad 1. mentem D. *Hier.* superiùs explicatam satis fuisse; ideo nequit sic intelligi, quin ad sibi contradicendum violenter trahatur. Igitur *loc. cit. & in ep. ad Ocean.* nihil aliud inquit D. *Hier.* nisi, quòd Apostoli videntes *Ioannis* discipulos ignorare Spiritum Sanctum, cognouerunt eos non fuisse baptizatos baptismo Christi, cui præmittitur instructio in mysterijs fidei, & præcipuè in mysterio Trinitatis; vt docet *S. P. Aug. lib. de fide, & operib. à c. 8. ad 10.* Neg. igitur conf. Ad 2. dicitur, quòd cùm Apostoli audissent *Samariam* recepisse verbum Dei illis prædicatum, miserunt *Petrum, & Ioannem*, qui illis sacramentum confirmationis dederunt; *erant enim tantùm baptizati in nomine Domini Iesu*; adeoque erant baptizati baptismo Christi, qui conferebatur in nomine Domini Iesu; nam baptisma *Ioannis* in nomine *Ioannis* conferebatur, & in eo prænunciabatur baptismus in nomine Christi conferendus. *Ita Fund. Doct. Æg. vbi sup.*

7 Obijc. 2. Apostoli non fuerunt aqua baptizati; illis enim dixit Christus *Act. 1. Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non post multos hos dies*; quod de baptismo flaminis faciendo per Spiritum Sanctum in die Pentecostes exponit *S. P. Aug. lib. 2. cont. lit. Petil. c. 32.*; ergo Christi baptismus nō fuit omnibus necessarius. 2. *Apollo* de quo *Act.* 8; tantùm baptizatus erat baptismo *Ioannis*, & nō legitur baptizatum fuisse baptismo Christi; ergo idē.

Resp. neg. ant; & ad prob. infert. respondet *noster Argent. art.* 4; quòd Christus illis verbis intendit comparare baptismum *Ioannis* cum baptismo flaminis, & ostendere hunc esse longè excellentiorem baptismo *Ioannis*; Apostolos autem fuisse baptizatos baptismo Christi colligit *S. P. Aug. in ep. cit.* ex verbis Christi *Io.* 13. *Qui lotus est &c*; & necessitas baptismi Christi ex verbis antecedentibus clarè colligitur: *Si non lauero te, non habebis partem mecum*; quibus monstratur, quòd si *Petrus*, & consequenter omnes alij Apostoli, non fuissent loti à Christo, & per consequens non suscepissent ipsius baptismum, non intrassent in Regnum Cœlorum, & non habuissent partem cum Christo in Regno eius. Ad 2. dicitur *Apollinem* fuisse postea baptizatum *Act.* 18; vt docent *S. Chrisost; & alij*; nam si baptizati fuerunt Apostoli, vt habet etiam *Glos.* sup. illud: *Qui lotus est &c*; multò magis idem dicendum de alijs.

8 Obijc. 3. Ad salutem sufficit baptizari in aqua, vel in Spiritu Sancto; nam multi Martyres, & Sancti gloriam consecuti sunt sine baptismo; ergo præceptum baptismi non obligat omnes vniuersaliter.

Resp. neg. ant; nam præceptum baptismi est coniunctiuum, non disiunctiuum; scilicet in aqua, & in Spiritu Sancto, dicitur enim: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto*; particula autem *&* coniunctiua est, non disiunctiua, vt cōstat. Ad illud de Martyribus, & Sanctis dicitur, quòd cùm non potuerint recipere baptismum fluminis, fuit illis sufficiens baptismus sanguinis, vel flaminis. *Sed de hoc inf*; cùm de necessitate baptismi disseremus; vbi *vid.* aliæ obiectiones.

9 Collig. ex dictis baptismum *Ioannis* non contulisse caracterem, aliter non potuisset iterarii, eum quia non contulit gratiam ex opere operato, ad quam caracter ex sua natura disponit, vt diximus *in sup. tract. q.* 4.

QVÆST. II.

De dispositionibus externis, essentia, institutione, & necessitate baptismi Christi.

EA, quæ essentialiter requiruntur ad constituendum sacramentum baptismi, clarè, & distinctè cognosci non possunt; nisi explicentur illa, quæ tantùm accidentaliter ad illud se habent, sine quibus etiam potest haberi substantia baptismi. Maximè autem iuuabit institutionem illius inquirere, in qua proculdubio sunt determinata, quæ sunt de illius essentia, seu substantia; tunc enim instituta res dicitur, cùm partes essentiales, ex quibus conficitur, determinantur, & statuuntur. Tum quia cùm accidentia sint exornantia, non constituentia substantiam, quam solummodò circumstant, & vestiunt; cùmque accidentia, quæ circumstant, & exornant sacramenta, sint ceremoniæ, & ritus, quibus sacramenta celebrantur solemniter; ceremoniæ autem, & ritus, seu solemnitates saltem ex integro institutæ non fuerint, cùm primùm sacramenta instituta fuerunt, sed additæ saltem ex parte pro locorum, & temporum congruitate; vt docet *Trid. sess.* 21. *c.* 2; ideo inuestigare primæuam baptismi institutionem conferet plurimùm ad dignoscendam illius essentiam.

Quoniam tamen ceremoniæ, & ritus, quamuis non faciant ad illius constitutionem, spectant tamen ad solemnitatem; vberior erit cognitio, si breuem illarum notitiam tradamus.

ART. I.

De exorcismo, & catechismo præmittendo ad baptismum.

1 Baptismus, vtpotè sacramentum summæ necessitatis, quia sine ipso, nemo potest saluari, dupliciter potest conferri. 1. In casu extremæ necessitatis sine vlla ceremonia à quocunque ministro ita tamen, vt si baptizatus non pereat, etiam post baptismum ceremoniæ peragi debeant, quæ omissæ fuerunt, vt mox dicemus. 2. Extra casum necessitatis ceremonijs præuijs, & subsequentibus ipsam formam baptismi. Quoniam autem inter alias ceremonias præcedentes baptismum numerantur exorcismus, catechismus, & oratio; vt habetur *de consecr. dist. 4. c. 51. ex Cælestino Papa; & c. 55. ex Nic; & c. 65*; ideo de illis breuiter agendum.

2 *Pelagiani*, qui negauerunt homines per peccatum originale nasci sub potestate Diaboli, consequenter debuerunt asserere exorcismũ, qui est institutus ad euacuandam hanc potestatem, esse inutilem omnino, & frustraneum. *Caluinistæ* hoc apertè docuerunt cum *Caluino lib. 4. inst. c. 1. §. 19. apud Becc. in Man. lib. 3. c. 8*; vbi refert, quòd licèt *Lutherani* exorcismum semper admiserint; attamen ab aliquibus annis *Ægid. Hunnius* cepit illum reijcere.

3 *Omnes Catholici* fatentur exorcismum, & catechismum, aliasque ceremonias adhiberi solitas in sacramento baptismi esse vtiles, & necessarias, non quidem simpliciter ita, vt sacramentum non sit validum sine illis, sed ex præcepto Ecclesiæ ita, vt non possint omitti extra casum necessitatis sine peccato ministri omittentis, & sine damno recipientis baptismum; *pro quo*.

4 Not; quòd aliter loquendum est de paruulis, & aliter de adultis, qui baptizantur; nam paruuli, cùm sint incapaces vsus rationis, & per consequens instructionis, quæ fit per catechismum, ideo antequam exorcizentur, & baptizentur, non est premittendus catechismus; sed priùs exorcizandi sunt, postea baptizandi; & expectandum est tempus, quo incipiant fieri capaces vsus rationis, & tunc sunt catechizandi. Adulti verò, quia sunt capaces vsus rationis, & instructionis; ideo priùs sunt catechizandi, postea exorcizandi, & demum baptizandi; & ratio est; quia sicuti antequam baptizentur, debent instrui in fide iuxta illud *Marc. 18. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluabitur*; vbi credere ad baptismum præmittitur; nullus autem potest credere ea, quæ nescit, vt dicitur *Rom. 10. Quomodò credent ei, quem non audierunt*: ita in illis cathechismus præmitti debet ad exorcismum, vt cùm postea exorcizantur, sciant, quid in illis efficitur.

5 Vnica concl. Cathechismus, exorcismus, & aliæ ceremoniæ, quæ præmittuntur, vel postponuntur baptismo, sunt maximè vtiles, & necessariæ, & extra casum extremæ necessitatis sine peccato omitti non possunt.

Prob. Illud, quod est institutum, & præceptum à Christo, vel ab Apostolis, vel ab Ecclesia *in plenarijs Concilijs*, est maximè vtile, necessarium, & sine peccato omitti non potest; Christus enim, Apostoli, & Ecclesia non instituerunt, & præceperunt, nisi id, quod est vtile, necessarium ad consequendam salutem, & quod non sine peccato potest omitti, cùm peccatum sit transgressio præcepti; sed catechismus, exorcismus, & aliæ ceremoniæ, quæ in baptismo seruantur à tota Ecclesia, vel sunt instituta à Christo, vel ab Apostolis, vel ab ipsa Ecclesia *in plenarijs Concilijs*; vt docet *S. P. Aug. ep. 118; & lib. 2. de nupt. & concup. c. 18; & lib. de catechizandis rudibus, & lib. de Symb.* eo modo, quo diximus *in sup. tract. q. 7. art. 1*; nam catechismus fuit institutus à Christo *Matth. vlt. Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; docere autem est catechizare in fide, vt constat, cuius explicatio est necessaria ad salutem; sic exorcismus à Christo est institutus nedum quantùm ad potestatem eijciendi Dæmones; vt habetur *Marc. 3. Dedit illis potestatem eijciendi Dæmonia*, sed etiam quantùm ad illam ceremoniam externam, qua fit exorcismus; nam illa ceremonia duo importat præcipuè, scilicet insufflationem, quam instituit Christus *Io. 20. Insufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum*, insufflatur enim baptizandus, vt Spiritu Sancto pellatur spiritus malus, sub cuius potestate existit per originale peccatum; vt docet *S. P. Aug. vbi sup; & lib. 2. de pecc. orig; & in suppl. cont. Iul. sæpissimè*; & importat adiurationem Dæmonis, quæ consistit in illis verbis: *Exi ab eo immunde spiritus*; item *Exorcizo te, immunde spiritus, vt exeas ab eo*; quod habetur *Marc. 2. Et comminatus est ei Iesus, dicens: Obmutesce, & exi de homine*; ceteræ verò, quæ seruantur in tota Ecclesia, vel sunt institutæ ab Apostolis, qui fuerunt primi Ecclesiæ Doctores, vel ex vnanimi Ecclesiç consensu; nullo enim alio modo in totam Ecclesiam introduci potuerunt, quàm illas acceptando, & obseruando consensit. Diximus *in tota Ecclesia*; nam ceremoniç particulares, quç seruantur tantùm in aliqua particulari Ecclesia, sine peccato omittuntur ab alia Ecclesia, vt *in cit. ep. 118.* probat *S. P. Aug. ex S. Ambr*; ergo catechismus, exorcismus, & aliæ ceremoniæ, quç seruantur in collatione baptismi à tota Ecclesia, sunt vtiles, necessariæ, & sine peccato omitti non possunt.

6 Conf. Ex Nic. Papa, & habetur *de consecr. dist. 4. c. 56.* de catechismo dicitur: *Baptizandos*

opor-

oportet fidei Symbolum discere; quod statuunt etiam *Conc. Bracbar. II. & Agathen. & alterũ Bracbar.* celebratũ *sub Martino Episc. eiusdem Ciuitatis*, vt refertur *c. 49. Synodorum Græcarum ab eodem Martino collectarum*; & habentur *in eadem dist. 4; & ex S. Calestino ibid. c. 51.* de exorcismo dicitur: *Siue paruuli, siue iuuenes ad regenerationis veniunt sacramentum, non fontẽ vitæ priùs adeant, quàm exorcismis, & exufflationibus clericorum spiritus immundus ab eis abijciatur; & ibid. c. 60. ex S. P. Aug. lib. 1. de Symb. Sicut nostis, fratres carissimi, paruuli exufflantur, & exorcizantur, vt pellatur ab eis Diaboli potestas inimica; & c. 65. ex S. Greg. hom. 29. Sacerdotes, cùm per exorcismi gratiam manum credentibus imponunt, & habitare malignos spiritus in eorum mentes contradicunt, quid aliud faciunt, nisi quòd Dæmonia eijciunt?* De alijs autem ceremonijs, vt cùm sacerdos tangit nares baptizandi, *c. 67. ex S. Ambr. de Sacram. lib. 6. c. 5. Propter gloriam muneris, & operis, non os tangit Episcopus, sed nares, vt bonum odorem accipiant pietatis æternæ*; & de saliuæ impositione super nares, & aures *ibid. c. 66. ex Rabbano de instit. Cleric.* dicitur hoc fuisse institutum à Christo, cùm surdum, & mutum sanauit dicens. *Effeta, quod est adaperire; & fit, vt per saliuam typicam, & sacerdotis tactum sapientia, & virtus Diuina salutem eiusdem catechumeni operetur; vt aperiantur ei nares ad recipiendum odorem notitiæ Dei; vt aperiantur ei aures ad audienda mandata Dei*; & de inunctione pectoris, & scapularum dicitur *ibid. c. 68. ex eodem Rabbano; & vt nulla reliquiæ latentis inimici in eo resideant &c; vt vndique muniatur, et ad Dei opera facienda per Dei gratiam roboretur*; sed hæc omnia sunt valde vtilia, & necessaria ad hominum salutem; ergo ceremoniæ istæ sunt maximè vtiles, & necessariæ, & sine peccato omitti non possunt extra casum necessitatis extremæ, quoniam sunt nobis præceptæ vel à Christo suo exemplo, vel ab Ecclesia.

7 Præterea prob. ex antiquissima Ecclesiæ vniuersalis traditione, vt habet *S. P. Aug. lib. 2. de nupt. et concupisc. c. 18*; vbi *de Iul.* loquens ait: *Accusat Ecclesiam toto Orbe diffusam, in qua vbique omnes baptizandi infantuli non ob aliud exsufflantur, nisi vt ab eis Princeps Mundi eijciatur foras, à quo necesse est, vasa iræ possideantur, cùm ex Adam nascuntur, si in Christo non renascantur; et c. 29. Antiquissimam Ecclesiæ traditionem isto nefario crimine aspergit, qua exorcizantur, et exsufflantur paruuli, vt in Regnum Christi à potestate tenebrarum, hoc est Diaboli, et Angelorum eius eruti transferantur*; quod sæpè repetit *in alijs libris cont. Iul. et præcipuè in suppl.*; & probat *ex Apostol. Ephes. 2. Eramus natura filij iræ*; de quo *vid. Enchir. c. 33*; sed omnia ea, quæ sunt ex traditione, sunt vtilia, & necessaria ad hominum salutem, & sine peccato omitti non possunt; ergo idem.

8 Demum ceremoniæ, quæ circumstant baptismum, aliquem effectum spiritualem in bonum animæ operantur, vt diximus *in sup. tract. q. 7. art. 2*; exorcismus enim eijcit Diabolum, ne impediat collationem baptismi, & sic de alijs; sed operari bonum animæ est vtile, & necessarium; & sine peccato omitti non potest; quando est præceptum, vt in casu; ergo idem.

9 Obijcit. *Hæretici*. Potestas, quam dedit Christus Apostolis, eijciendi Dæmones, est potestas eijciendi Dæmones à corporibus obsessis; sed infantes non sunt corporaliter obsessi; ergo non dedit potestatem exorcizandi infantes. 2. Dæmones expelluntur per baptismum; ergo frustra ponitur exorcismus. 3. Si exorcismus haberet vim expellendi Dæmones, illam haberet ex mandato, vel promissione Christi; sed *in Scripturis* non legitur Christum dedisse virtutem exorcismo expellendi Dæmones; ergo idem. 4. Nullus cultus ab hominibus institutus potest Deo placere; sed exorcismus est ab homine institutus; ergo nequit Deo placere.

Resp. ad 1; quòd aliquem esse obsessum à Dæmone potest dupliciter intelligi. 1. Quòd ille sit sub Dæmonis potestate ita, vt illum possit vexare, torquere, & strangulare; non tamen actu exerceat hanc potestatem illum actualiter vexando, torquendo, & strangulando. 2. Quòd actu vexetur, torqueatur, & stranguletur; captiuus enim potest ita esse sub potestate Domini ita, vt ab illo vexetur, & flagelletur; & ita, vt ab illo non vexetur, & flagelletur, vt constat. Igitur dist. ma. Est potestas eijciendi Dæmones à corporibus obsessis vel actualiter nõ vexatis, vel actualiter vexatis, conc; quando enim Christus instituit exorcismum, non dedit potestatem restrictã Apostolis eijciendi Dæmones solùm à corporibus obsessis actu vexatis, sed dedit potestatem eijciendi Dæmones absolutè; vt dicitur *Marc. 3. Dedit illis potestatem curandi infirmitates, et eijciendi Dæmonia; et Luc. 9. Dedit illis virtutem, et potestatem super omnia Dæmonia, et vt languores curarent*; vnde sicuti non est restringenda potestas curandi morbos ad illos solos, qui actu cruciant corpora, non ad illos, qui possunt progressu tẽporis ea cruciare; ita non est restringenda potestas eijciendi Dæmones ad illos solos, qui actu diuexant, & non ad illos, qui possũt eos vexare; & in hoc sensu neg. mi; nam licèt infantes non sint actu vexati, sunt tamen sub potestate Dæmonum, vt possunt ab illis vexari; quapropter exorcizantur, ne illos vexent, & impediant eorum baptismum; vt docet *S. P. Aug. lib. de pecc. orig. c. 40. Priùs exorcizatur in paruulis, et exsufflatur contraria potestas*; sub qua tenentur obstricti ob peccatum originale. Est potestas eijciendi Dæmones à corporibus obsessis actu vexatis solummodò, neg. Ad 2. dist. ant. Dæmones per baptismum expelluntur ab anima, conc; à corporibus, & à sensibus, neg; multi enim sunt energumeni, qui peccatum non habent, & ideo eorum animæ non subduntur potestati Dæmonum; & ta-

tamen eorum corpora, & sensus vexantur à Dæmonibus vel in pœnam alicuius peccati remissi, vel ad exercitium virtutum &c. Propter hoc infans in periculo mortis baptizatus sine exorcismo, si postea periculum euadat, debet exorcizari; vt sicut anima per baptismum erepta est à potestate Diaboli; ita corpus, & sensus eruantur; ne Diabolus illud diuexet, & istos illudat, decipiat, terrefaciat spectris, imaginationibus, opinionibus falsis &c. Ad 3. neg. min; constat enim ex allatis *scripturis*, quòd Christus dedit virtutem Apostolis eijciendi Dæmones; quod non fit, nisi exorcismo. Ad 4. neg. mai; & ma infesta enim, quę sunt instituta ab Ecclesia ad colendum Deum, & sanctos; ieiunia, & ceterá huiusmodi, quę non sunt *in scripturis* pręcepta, placent Deo, sicut eorum transgressio Deo displicet, vt docet *S. P. Aug. ep.* 118; quòd autem exorcismus sit institutus à Christo *in tract. de Ord.* dicemus.

10 Inst. 1. *S. Cypr. lib 4. ep. 7.* inquit: *Sciant Diaboli nequitiam permanere vsque ad aquam salutarem posse; in baptismo autem omnes nequitiæ suæ vires amittere*; ergo falsum est, quòd Diabolus pellatur per exorcismum ante baptismum; & falsum est, quòd post baptismum habeat dominium in corpora, si non sint exorcizata; aliter per baptismum non amitteret omnes suas vires. 2. Præmittere illas ceremonias baptismo est exponere infantem periculo moriendi sine baptismo; ergo sunt malæ. 3. Non mundatur magis aqua baptismi exorcizatus, quàm non exorcizatus; ergo exorcismus est superfluus.

Resp. ad 1. nequitiam Diaboli permanere vsque ad baptismum, quia licèt per exorcismum eijciatur eius potestas à corpore, ne impediat ablutionem, quæ fieri debet in corpore; & à sensibus, ne spectris, & terriculamentis illudat, quæ possent baptizandum à baptismo retrahere, si esset adultus; attamen non amittit omnes suas vires, cùm dominium adhuc habeat in anima; quod quia amittit per baptismum, rectè dicitur per aquam salutarem amittere omnes suas vires; quia post baptismum nullam amplius potestatem habet in hominem; nam per exorcismum amisit potestatem in sensus, & corpus, & per baptismum in animam. Præterea *S. Cypr.* loquitur de baptismo suppositis, non exclusis ceremonijs. Ad 2. neg. ant; cùm enim videtur imminere periculum mortis, tunc conferendus est statim baptismus omissis ceremonijs; secus si nullum immineat periculum. Ad 3. neg. cons; non enim exorcismus datur ad mundandum à peccatis, sed ad pellendam, freuandamq; potestatem Diaboli, ne baptismum impediat.

§. I.

Soluuntur aliqui quæsita circa exorcismum.

11 QVæres 1; quinam sit minister exorcismi?

Resp; quòd licèt simplex exorcista possit exercere exorcismum; attamen in baptismo nequit illum exercere, nisi parochus, cui ex officio; vel sacerdos, cui ex deputatione conuenit ministrare baptismum eo, quia ministratio exorcismi, & baptismi est vna actio continuata, quæ petit fieri ab eodem agente, quando continuatè fit; vt idem ignis, qui inducit calorem in lignum disponentem ad formam ignis, inducit etiam formam ignis. Ceterùm si discretè fieret illa actio, vt v. g. modò ignis *A.* induceret calorem; & postea discontinuaretur, & succederet ignis *B*; tunc calor esset inductus ab vno agente, & ab alio forma. Ita si puer existimatus in periculo mortis baptizetur ab obstetrice, debet exorcizari superueniens à sacerdote, cuius locum suppleuit obstetrix. Tum quia exorcismus est solemnitas, qua confertur baptismus; sed solemnitas cuiusuis sacramenti nequit fieri, nisi ab eo, qui potest illud sacramentum conficere; ergo exorcismus in baptismo nequit, seu non debet fieri, nisi ab ipso sacerdote, qui confert baptismum solemniter; quamuis extra baptismum possit fieri etiam à simplici exorcista. Si tamen ab vno sacerdote ex commissione fieret exorcismus, & ab alio baptismus, valeret; quia tunc moraliter censentur illi duo sacerdotes vnus minister; nam potestas ordinaria, & delegata est vna tantùm potestas, per quam ageret vterq; secus si non valeret, non validè exorcizaretur, qui sine exorcismo baptizatus in periculo mortis ab vno sacerdote, exorcizatur postea ab alio.

12 Quæres 2; an exorcismus significet tantùm, vel etiam aliquid efficiat?

Aliqui, quos suppresso nomine refert *Alen*; dixerunt exorcismum significare solùm expulsionem Dæmonis faciendam per baptismum, non autem illum effectiuè eijcere; & *SS. PP*; cùm asserunt per exorcismum expelli Dæmones, exponendos esse, quòd per exorcismum significatur expelli; non autem expelli effectiuè. Sed contrarium patet ex dictis *in sup. art*; nam exorcismus pellit Diabolum à corpore, & à sensibus, ne impediat collationem baptismi; quod nequit effici per ipsum baptismum, qui non expellit Diabolum, nisi in instanti collationis, & tunc non potest impedire ipsam collationem; quia impedimentum nequit esse simul cum collatione, aliter non esset collatio, si impediretur. Tum quia exorcismus extra baptismum effectiuè expellit Diabolum; ergo etiam in baptismo. *Vid.* alias rationes allatas *in sup. tract. vbi s.*

13 Dices. 1. Lumen accensum in manu pueri, appositio salis, & sputi significant tantùm, non autem efficiunt, id, quod fit in baptismo; ergo idem dicendum de exorcismo. 2. Cùm baptizatus in periculo mortis remoto periculo postea baptizatur, iam Diabolus est expulsus per baptismum; ergo exorcismus tunc nihil efficit.

Resp.

Resp. ad 1. quòd lumen accensum offertur Deo, vt ab ipso impetret illustrationes ad seruanda Dei mandata; sicut appositio salis, & saliuæ, vt aperiantur oculi mentis ad cognoscenda ea, quæ sunt Dei. Ad 2. dist. aut. Iam Diabolus expulsus est ab anima, conc; à corpore, & sensibus, neg.

14. Collig. verba exorcismi producere effectus spectantes principaliter ad animam, & ex consequenti ad corpus; eijciunt enim Diabolum, ne impediat baptizandum ad recipiendam baptismi gratiam; & ex consequenti, ne illius corpus diuexet. Item ista verba non producere illos effectus ex opere operato, sed tantùm impetratiuè, & supplicatoriè moraliter; vt diximus *in separat. vbis.*

15 Quæres 3; quomodò sit ordinandus exorcismus?

Resp. ordinem, quo fieri debet, haberi *in Rituali Romano*. 1. Exufflatur ter spiritus malignus, vt pulso spiritu malo introducatur spiritus bonus. 2. Signatur baptizandus signo crucis in fronte, & in pectore; vt eius mens & cor præparentur, vt fiant templum Spiritus Sancti. 3. Porrigitur ei sal benedictus in ore, vt sapientia cõditus fœtore careat iniquitatis, & vitiorum fordibus non putrescat vlteriùs. 4. Iterum signatur signo crucis in fronte, vt muniatur contra Diabolum. 5. Imponitur super eum stola, & introducitur in Ecclesiam, vt immortalitatem amissam *in Adam* recuperet per Christum. 7. Denuò exorcizatur Diabolus, ne audeat ad baptisterium accedere ad impediendum baptismum. 8. Saliua liniuntur aures, vt aperiantur ad audiendum verbum Dei; & nares, vt recipiant odorẽ suauitatis vitæ æternæ. 9. Indicitur abrenunciatio Sathanæ, & operibus, ac pompis eius. 10. Oleo catechumenorum vngitur in modum crucis in pectore, & inter scapulas, vt fortificetur tanquam Christi Athleta ad pugnandum cõtra inimicas potestates. 11. Exigitur ab ipso fides in Deum Patrem; & in Christum Filium eius vnigenitum natum, & passum; & in Spiritum Sanctum, & cætera, quæ continentur in Symbolo ad infundendam fidem in Christum, sine qua nemo potest saluari. 12. Effunditur super caput ipsius ter in modum crucis aqua baptismalis, vel ter immergitur, semel proferendo formam baptismi: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; vt triduana morte consepultus cum Christo exuat veterem hominem, & regeneretur in nouam creaturam. 13. In summitate capitis sacro chrismate inungitur in modum crucis, vt regeneratus ex aqua, & Spiritu Sancto particeps fiat salutis æternæ. 14. Induitur veste candida, vel loco vestis linteolo albo cooperitur caput ipsius, vt innocentiam, quam in baptismo acquisiuit, deferat post hanc vitam ad Christi tribunal. Tandem cereus accensus traditur in illius manus, *vt lumen vertutis sit in illius operationibus; & luceat lux illius coram hominibus; vt videant opera bona, & glorificent Deum Patrem, qui in Cælis est.*

16 Quæres 4; quonam tempore debeat baptismus conferri?

Resp. in periculo mortis nullum vnquam fuisse tempus determinatum; sed priuatè fuisse semper collatum baptismum. Quantùm autem ad collationem solemnem antiquitus conferri solebat in vigilia Paschatis, quâ die recolitur memoria mortis, & resurrectionis Christi, cuius figura est baptismus; & in vigilia Pentecostes, qua missus fuit Spiritus Sanctus, qui pariter in baptismo inuisibiliter descendit. Quoniam tamen differendo tanto tempore baptismum induci potuit periculum, ne catechumenus inopinò moreretur, vsus inualuit, vt qualibet die conferatur. Ob reuerentiam autem tanti sacramenti ante meridiem debet conferri (nisi ex rationabili causa aliter faciendum sit) vt tam minister, quàm baptizandus, si sit adultus, ieiunus accedat.

17 Quæres 5; quinam sit locus, in quo debet conferri baptismus?

Resp. iure Diuino nullum locum determinatum fuisse; antiquitus enim baptizabatur in fluuijs, vt legitur *de Eunucho Reginæ Candacis*; in fontibus, priuatim, & publicè; vt legitur *in Act. Apostolor.* Præcepto tamen Ecclesiastico statutum est, vt locus baptismi sit Ecclesia cathedralis, vel parochialis, vel baptisterium formatum in modum Ecclesiæ, in quo sit vas lapideum consecratum ad asseruandam aquam baptismalem; extra quem locum non licet solemniter baptizare; sed in casu necessitatis etiam in priuatis ædibus potest, & debet baptismus conferri. Hæc omnia habentur *de consecr. dist.* 4. *à c.* 50. *ad* 104.

§. 2.

A quo, quis, & de quibus fieri debeat catechismus?

18 Catechismus, vt notat *Glos. inf.* est nomen *Græcum*, quod sonat idem, ac instructio, vnde catechista idem est, ac instructor; & catechizare idem est, ac instruere. Hic itaque nomine catechismi significatur instructio, quæ fit in fide Christi.

19 Quoad 1. dicitur *de consecr. dist.* 4. *c.* 55. *Catechismi baptizandorum à sacerdotibus vniuscuiusq; Ecclesiæ fieri possunt.* Ex officio tenentur Episcopi, & parochi vel per se, vel per alios catechizare; iure matrimonij tenentur parentes, vt inquit *S. P. Aug. lib.* 9. *de Gen. ad lit. c.* 7. docens parentes teneri ad educandos filios piè, & religiosè; vera autem pietas, & religio est Christi fides; ideo tenentur eos instruere in fide Christi. Prætera tenentur patrini; quia in baptismo spoponderunt pro baptizatis seruare fidem, quam tamen baptizati nequeunt seruare, si in illa non

sint

sint instructi; vnde si à nullo instruantur, patrini quoque reddent rationem. Fortiùs tamen obligantur, qui ex officio ministrant, vel ministrauerunt baptisma; quia eius curæ spirituali sunt commissi; tum quia illius præcipuè est ministrare sacramentalia baptismi, cuius est ministrare sacramentum baptismi; vt diximus *in sup.* §; sed catechismus connumeratur inter sacramentalia baptismi, & spectat ad parochum conferre baptismum; ergo parochus debet ex officio catechizare. Tum quia sicuti nequit parochus conferre baptismum adulto, nisi sciat ipsum esse priùs instructum esse in fide, nè sacramento fiat iniuria; ita tenetur puerum à se baptizatum, cùm ad vsum rationis peruenerit, instruere in fide, ne sacramento à se ipso ei collato fiat iniuria. Hinc *Glos. vbis.* notat, quòd licèt catechismus, quem vocant *doctrinam Christianam*, in vnaquaque Ecclesia fieri possit, vt dicit *Nic. Papa*; attamen antequam adulti admittantur ad baptismum, consueuerunt venire ad Ecclesiam parochialem, in qua baptismum sunt suscepturi, vt sciat minister baptismi, an sint sufficienter instructi. Qua consuetudine magis probatur obligatio parochi catechizandi, quos baptizare debet, vel baptizauit.

20 Verum tamen est, quòd cùm ad instruendum non requiratur in instruente, nisi doctrina, & scientia; cùm deficiunt sacerdotes, vel sunt minùs idonei ad hoc agendum, possunt deputari Diaconi, Subdiaconi, Clerici, & his deficientibus etiam magistri, qui sint instructiores; cùm tamen parochus occupatus in alijs huic ministerio exactè nequit incumbere; sed ita, vt etiam ipse, cùm tempus ei suppetit, præsentialiter adsit. Præterea sicuti pro diuersitate catechizandorum diuersus modus catechizandi præscribitur, vt *inf.* ita pro maiori, vel minori capacitate, & doctiori ingenio instruendorum magis, vel minùs docti catechistæ sunt eligendi.

21 Quoad 2. *Lutherus* dixit paruulos, cùm baptizantur, actu credere, seu elicere actum credendi in Deum; ex quo sequitur paruulos esse instruendos in fide ante baptismum. *Aliqui Lutheri* asseclæ dixerunt paruulos habere aliquos motus, & inclinationes in Deum; vt legitur *de Ioanne Baptista*. *Alij* verò habere veram fidem actualem, & pios motus in Deum. Sed discrepant hi *à Luthero*, quòd dicant hanc fidem & motus gigni in infantibus in baptismo per virtutem Spiritus Sancti; ille verò in exorcismo, vi verborum, quibus paruuli exorcizantur. *Vid. Becc. Man. lib. 2. c. 2. à n. 9.*

Sed catholica veritas est adultos esse catechizandos ante baptismum; vt habetur *de consecr. dist. 4. c. 52. ante baptismum; & c. 53. ex Conc. Brachar. ante viginti; & c. 56. ex Nic. Papa; & c. 57. ex Martino Ep. Brachar*; paruulos autem esse catechizandos post baptismum, cùm ad pueritiam, in qua vsus rationis incipit vigere, perueniunt. *Ita Trid. sess. 24. de reform. c. 4.* vbi de parochis statuit: *Saltem diebus Dominicis, & alijs festiuis diebus pueros in singulis parochijs fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum, & parentes diligenter ab ijs, ad quos spectabit, doceri curabunt*. Idem habet *S.P. Aug. lib. 22. de Ciu. Dei c. 24.* docens pueros ætatis accessu debere edoceri; & rationem affert *de Verb. Apost. serm. 10.* vbi ait, quòd *Mater Ecclesia illis accommodat aliorum pedes, vt currant; aliorum corda, vt credant; aliorum linguam, & fateantur*; & *serm. 14. ibid. Ad aliena verba sanatur; quia ad factum alienum vulneratur*; & mox: *Credit in altero, quia peccauit in altero*. Sic itaque ratio hæreticorum refellitur. In tantùm adultus debet catechizari ante baptismum, in quantùm debet habere actum fidei, qui est dispositio præuia ad baptismum; vt dicitur *Marc. 16. Qui crediderit, & baptizatus fuerit &c. & Hebr. 11. Sine fide impossibile est placere Deo*; sed impossibile est infantem, quousque rationis est impos, habere actum fidei; quia actus fidei est actus exercitus ipsius rationis formaliter; vt constat; & aliunde non requiritur in ipso actus proprius fidei elicitus ab ipso, sed sufficit actus alienus elicitus ab alio; sicut enim ad hoc, vt infans verè dicatur peccasse, & mortuũ esse per peccatum, sufficit, quòd peccauerit, & mortuus fuerit *in Adam*; ita adhoc, vt verè dicatur credere, & regenerari in baptismo, sufficit, quòd credat per aliũ, & per actũ vitalẽ renascatur alterius. Tũ quia (inquit *idem S.P. lib. 3. de lib. arb. c. 23.*) sicut *filio viduæ non profuit fides sua, quam vtique mortuus non habebat, cui tamen profuit fides matris, vt resurgeret*; quod dicendũ est etiam de fide *Mulieris Cananeæ*, quæ profuit filiæ, vt liberaretur à Dęmone; ita fides parentum profuit filijs in baptismo, quibus tamen non proficit actus fidei proprius, quẽ nõ habent. Tũ quia ipsũ baptizari est credere habituale, quia in baptismo infunditur habitus fidei, spei, & charitatis, qui sunt proprietates gratiæ habitualis; vt docet *S.P. Aug. lib. 1. de pecc. merit. & remiss. c. 27. & ep. 23. ad Bonif.* ad quam in infante non est necessaria dispositio illius infantis, sed sufficit, quòd viuificetur in Christo; sicut in illo nõ requiritur dispositio propria ad originale peccatum, sed sufficit, quòd fuerit mortuus *in Adã*; in adulto autem requiritur proprius actus fidei; quia non se disponens ad retractandum peccatum illud probat, cùm ei saltèm virtualiter consentiat, & sic quasi ipse committit; adeoq; necesse est, vt ipse per proprium dissensum seipsũ disponat ad resurgendum ab illo; nequit autem dissentire, nisi credat in Christum; ergo in adultis instructio in fide Christi debet baptismum præcedere, & in infantibus subsequi.

22 Obijc. Hæretici 1. loca allata *scripturæ*, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit. &c.*; *sine fide impossibile est &c.*; & addunt: *Qui non crediderit con-*

condemnabitur; & *Matth.* 8. *Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis*; & *Luc.* 1. *de Ioanne* dicitur: *Exultauit infans in vtero meo*; ergo infantes debent habere fidē ante baptismum, & per consequens debent instrui in fide saltem per Spiritum Sanctum, vel per verba exorcismi.

Resp. *ex S. P. Aug.* illa verba intelligenda esse de fide vel propria, vel aliena. Vel dicendum, quòd Christus, & *Apost.* loquebantur de adultis tantùm; vt patet *ex contextu scripturæ*. Ad aliud *de pusillis* dicitur loqui de pueris, non de infantibus; inquit enim: *Aduocans Iesus paruulum &c*; quod nequit diei de infantibus, qui verba non percipiunt. Ad aliud *de Ioanne* resp. *S. P. Aug. ep.* 57. *ad Dardan.* inquit: *Neque Elisabeth dixit: Exultauit in fide infans in vtero meo, sed exultauit in gaudio; videbimus enim exultationem non solùm paruulorum, sed etiam pecorum.*

13 Obijc. 2. Cùm patrinus interrogatus respondet: *Credo*; vel respondet pro se, vel pro paruulo? Si primum; mentitur, quia ipse non vult baptizari. Si secundum; pariter mentitur; nam paruulus non crederet.

Resp. patrinum loqui ex persona pueri fidē aliena credentis, vt docet *S. P. Aug*; ideo nullum ibi esse mendacium.

14 Quoad 3. dicimus debēre instrui baptizandos, vel baptizatos non solùm de articulis fidei, sed etiam de ijs, quæ spectant ad mores. *Ita S. P. Aug. lib. de fide, & operib. c.* 9; vbi ait, quòd licèt non legatur *in scriptura*, quòd *Philippus* instruxerit *Spadonem* circa ea, quæ pertinēt ad fidem, & ad mores; attamen *nullo modo dubitandum est & illa in catechismo dicta esse, quæ ad vitam, moresq; pertinent eius, qui credit in Dominum Iesum. Hoc est enim euangelizare Christum non tantùm dicere, quæ sunt credenda de Christo, sed etiam quæ obs... mandata, qui accedit ad compagem corporis Christi.* Quod fusè probat *c.* 13. præsertim *ex Matth.* 19. *Si vis venire ad vitam, serua mandata*; quæ illi deinde explicuit. *De consecr. distinct.* 4. *c.* 54. *Symb. & c.* 53; *et* 56. *&* 57. præcipitur catechumenis, vt symbolum discant, & prob; nam de illis, quæ spectant ad legem Christi, catechumeni sunt instruendi: debent enim edoceri ea, quæ conducunt ad eorum salutem; lex autem, seu ea, quæ præcipiuntur in lege, cōducunt ad salutem, vt ait Christus legisperito: *Serua mandata, & viues*; non enim sufficit fides, quæ sine operibus mortua est; ergo sunt instruendi nedum de articulis fidei, sed etiam de ijs, quæ spectant ad mores.

15 Aliter tamen, & aliter instruendi sunt neophyti; nam paruuli instruendi sunt in symbolo, & præceptis Decalogi, & edocendi sunt orationem Dominicam; adulti verò, si sint docti, debent in fidei mysterijs latiori, & altiori doctrina erudiri, vt magis alliciantur ad fidē; si verò sint rudes, debent instrui in mysterijs fidei incipiendo à creatione Mundi, quæ est in principio symboli, & debent illis explicari præcepta. *Vid. S. P. vbis; & de catechizandis rudib; & de orat; & symb; & conc. ad catechumenos contra Paganos, Iudæos, & hæreticos*; vbi fusè agit de hoc.

ART. II.

Quando Christus instituerit baptismum?

1 Baptismum à solo Christo immediatè fuisse institutum diximus *in sup. tract. q.* 1. *art.* 5. *§.* 1; nam regeneratio, inquit *Fund. Doct. Æg. in Hexam. p.* 2. *c.* 41; quę facta est *in secundo Adam*, conformanda erat creationi, quæ facta fuit *in primo Adam*, sed creatio facta fuit immediatè à solo Deo, non autem mediante aliquo Angelo, aut aliqua creatura, vt impiè putauerunt *aliqui*; creatio enim ita fieri debebat, vt Creatorem suum creatura cognosceret, cui soli beneficium suæ creationis referret; si autem Deus simul cū creatura hominem primò creasset, initium sui esse soli Deo homo non tribuisset ingratus, ergo & regeneratio hominis, quæ facta fuit in Christo per sacramentum baptismi, à solo Christo immediatè instituenda erat, vt Redemptorem suum homo regeneratus agnosceret, cui soli beneficium redemptionis tribueret; si enim Christus simul cum Apostolis instituisset baptismū, vel potestatem excellentię ministerialis illis dedisset, potuissent (inquit *S. P. Aug. tract.* 5. *in Io.*) ingrati homines spem ponere in hominibus, nō autem in solo Christo, de quo dicitur 1. *ad Tim. Secundùm imperium Dei Saluatoris nostri, & Christi Iesu spei nostræ*; nec finem suum, qui est glorię consecutio, soli Christo attribuere, sed hominibus partem dare. Igitur circa hoc nullum vnquā dubium fuit, nec controuersia. Solùm circa tempus, quo institutus fuit baptismus, & quo cepe-rit obligare, orta est lis *inter Auctores*; de qua *in hoc, & in seq. art.* agemus.

2 Conueniunt *omnes* materiā baptismi fuisse à Christo institutam *in Iordane*, cùm baptizatus fuit *à Ioanne*; tunc enim contactu sui corporis sanctissimi aquam sanctificauit, mundauit, & destinauit, vt esset materia baptismi. Tota ergo contentio est; an tunc simul instituta fuerit forma, seu an determinata fuerint verba, quibus confertur baptismus? Et hoc dupliciter. 1. An tunc verba determinata fuerint tantùm implicitè; vt *Ego te baptizo in nomine Christi*; hoc nāq; nomen *Christi* implicitè significat tres personas Diuinas, vt notat *Fund. Doct. Æg. in ep. ad Rom. lect.* 29. *dub.* 1; *& pluries alibi*; & habet *Glos. de consecr. dist.* 4. *sup. c. A quodam ex D. Ambr*; idem enim sonat Christus, ac *vnctus*; vnctus autem implicitè significat Patrem vngentem, Filium vnctum, & Spiritum Sanctum, qui est vnctio. 2. An verba determinata fuerint explicitè, sicut determinata sunt modò?

3 Prima sententia vult baptismum institutū fuis-

fuisse in Iordane. Ita Mag. hic, D. Tho. 3. p. q. 66. art. 2; & omnes Thomistæ communiter. Item Vasq; Syluius, Bellarm. lib. 1. de bapt. c. 5; noster Farnacques de bapt. c. 1. q. 4; & ferè omnes Theologi paucis exceptis teste nostro Gibb. inf.

4 Secunda vult institutum fuisse paucos post menses à baptismo Christi. Sed diuisa est; aliqui enim volunt certum tempus assignari non posse. Ita Scot; quem sequitur Mastr. hic disp. 2. art. 1; apud quem Fab; Hiq; Aretin; Ponc; Card. Lauræa. Alij verò volunt institutum fuisse Ioannis 3; cùm Christus dixit Nicodemo: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto &c; tunc enim misit discipulos prædicare, & baptizare. Ita Centinus ex Scotistis; & hoc probabilius reputat Estius hic dist. 3. §. 2.

5 Tertia vult Christum in Iordane instituisse solam materiam, & hoc concludere solùm auctoritates PP. docentium sanctificasse, mundasse aquas &c; formam autem instituisse Marci & Matth. vlt. post passionem, antequam ascenderet in Cœlum. Ita Alen; Albert. Magn; Mair; Ruperti; Can; & alij. In hanc sententiam videtur inclinare Fund. Doct. Æg. in ep. ad Rom. lect. 19. §. Ponit secundam rationem asserens: Cùm enim Christus instituerit baptismum iuxta illud Marc. vlt. Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; & paulò post docet; quòd baptismus in morte Christi solùm efficaciam habuit; ait enim Apost. Consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem, vt quomodò Christus resurrexit a mortuis per gloriam Patris; ita & nos in nouitate vitæ ambulemus; si enim complantati facti sumus morti eius, simul & resurrectionis erimus. Ex quibus videtur reijci prima sententia; nam sicuti pœnitentia fuit instituta post mortem Christi, quia est imago resurrectionis eius, vt docent plures, inter quos Gonet disp. 1. art. 2. §. 3; ita dicendum de baptismo, qui pariter est imago resurrectionis Christi.

6 Sed hæc non conuincunt Fund. Doctorem fuisse huius sententiæ; quia, vt bene notat noster Gibb. hic disp. 10. dub. 1. n. 11; aliud est loqui de ipsa institutione baptismi, & aliud de solemni publicatione ipsius institutionis. Institutio cõsistit formaliter in determinatione materiæ, & verborũ, quæ constituunt formam; publicatio autẽ importat solemnem promulgationem eiusdem materiæ, & formæ. Potuit ergo Christus instituisse baptismum, quia potuit illas determinare in Iordane; & postea Marc. vlt. solemniter publicare; sicut Rex potest priùs instituere aliquã legem, & postea solemniter illam publicare. Rectè autem probamus illam legem institutam fuisse, tanquam ex eo, per quod nobis institutio legis innotescit; non autem quis bene deduceret illam legem tunc institutam fuisse, posset enim plures ante annos à Rege conditam fuisse, licèt non fuisset publicata solemniter. Optimè ergo probat Fund. Doct. baptismum institutum fuisse à Christo ex publicatione; non tamen asserit illum tunc instituisse. Neque aliud quidquam probat; nam nedum baptismus, sed etiã alia sacramẽta efficaciam traxere à morte Christi, vt docet idem Fund. Doct. super salut. Aug. fol. 14. col. 2. lit. B; & tamen ibid. docet eucharistiam institutam fuisse in cœna, priusquam pateretur. Sicut ergo potuit instituere eucharistiam ante mortem, licèt à morte efficaciam acceperit; ita dicendum de baptismo.

7 Quoniam tamen ipsa promulgatio quædam institutio externa dicitur; quia cùm lex promulgatur, tunc censetur esse instituta, & antea, licèt iam instituta fuisset, non habebatur tamen, vt instituta, quia nesciebatur eius institutio; quæ tamen, cùm scitur, censetur iam facta; propterea c. in istis dist. 4. dicitur: Leges instituuntur, cùm promulgantur; vt diximus to. 4. q. 2. de legib. art. 2. §. 2. n. 40; ideo in hoc sensu tertia sententia vera est; & in hoc sensu locutus est S. Leo inf. & alij SS. PP; loquitur enim de institutione obligatiua, quæ non incipit, nisi post promulgationem; vt docet Fund. Doct. lib. 3. de Regim. Princip. p. 2. c. 27. Igitur.

8 Vnica cócl. Sacramentum baptismi quãtùm ad determinationem materiæ, & formæ fuit institutum à Christo in Iordane; quantùm autem ad externam promulgationem, & prout est imago mortis, & resurrectionis Christi, fuit institutum Marci & Matth. vlt. paulò ante ascensionem in Cœlum.

Prob. 1. pars concl. ex Scriptura. Cùm determinata fuit materia, & forma baptismi, tunc institutus fuit baptismus quantùm ad determinationem materiæ, & formæ; sed eo die, quo Christus baptizatus fuit in Iordane à Ioanne, determinata fuit materia, & forma baptismi; ergo eo die institutus fuit baptismus quantùm ad determinationem materiæ, & formæ. Ma. patet; est enim propositio identica; nam idem omnino est determinare materiam, & formam baptismi, ac instituere baptismum quantùm ad determinationem materiæ, & formæ. Mi. quoad 1. partem est indubia; habetur enim explicitè in scripturis nam Io. 1. dicitur: Ego habeo à te baptizari; & deinde: Hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto; quæ verba verificari non possent, si aqua tunc determinata non esset, vt esset baptismi materia. Hinc S. P. Aug. serm. 29. de temp. inquit: Tunc Christum Dominum non tam lauit vnda, quàm lota est; & mox: Attamen membra tinguntur, & fluenta ditantur. Vitalem gratiam non corpus ex flumine, sed flumen mutuatur ex corpore; & D. Ambr. in Luc. lib. 2. c. vlt. Baptizatus est Dominus non mundari volens, sed mũdare aquas, vt ablutæ per carnem Christi, quæ peccatum non cognouit, baptismatis ius haberent; & D. Chrisost; vt habetur de consecr. dist. 4. c. 9. Nunquam aqua baptismi purgare peccata credentium posset, nisi tactu Dominici corporis purgata fuisset. Nec dici potest, quòd tunc solùm promitte-

tebatur aquam determinandam fore, non autē determinatam fuisse; nam *textus* allati asserunt aquam purgatam fuisse, mundatam, & lotam fuisse; non verò purgandam, mundandam, vel lauandam esse, vel fore; quo indicatur ipsam destinatam fuisse, non deinceps destinandam fore. Altera pars mi. prob. Forma baptismi est inuocatio expressa Trinitatis Diuinarum personarū; vt habetur *Marc; & Matth. vlt;* sed *in Iordane* facta est expressa inuocatio Trinitatis Diuinarū personarum; apparuit enim tota Trinitas; nam *Matth.3.* dicitur: *Vox Patris intonauit: Hic est Filius meus dilectus &c. & vidit Spiritum Dei descēdentem;* super quod *S.P.Aug.tract.6.in Io.* inquit: *Apparuit manifestissima Trinitas; Pater in voce, Filius in homine, Spiritus Sanctus in columba &c. A quo missi sunt Discipuli in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti? Ab illo de quo dictum est? Hic est, qui baptizat;* ergo *ex scriptura* manifestè habetur materiam, & formam baptismi *in Iordane* à Christo determinatam fuisse; & ideo tunc institutum fuisse baptismum quantùm ad determinationem materiæ, & formæ.

9 Conf. 1. Quando aperti sunt Cœli, tunc institutus est baptismus; ait enim Christus *Io.3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, nō introibit in Regnum Dei;* quibus verbis apertè declarauit ianuam Regni Cœlorum nobis tantùm per baptismum apertam fuisse; sed *in Iordane* aperti sunt Cœli; vt habetur *Matth.3;* ergo *in Iordane* institutus fuit baptismus.

10 Prob. 2. Quando aqua sanctificata fuit, vt à peccatis mundaret, tunc institutus est baptismus quantùm ad determinationem materiæ, & formæ; sed *in Iordane* aqua fuit sanctificata, vt à peccatis mundaret; ergo tunc fuit institutus baptismus. Ma. constat. 1. Quia baptismus nihil aliud est, quàm aquæ lauacrum mundans, & regenerans à peccatis, vt dicitur *Ephes. 5. Vt illam sanctificaret mundans lauacro aquæ in verbo vitæ;* ergo quando instituta fuit aqua in lauacrū sanctificans, & mundans à peccatis, tunc institutus fuit baptismus. 2. Aqua non fuit eleuata ad sanctificandum, nisi ex eo, quòd fuerit determinata, vt sit materia baptismi; nam præcisa hac determinatione non est, nisi purè naturalis, & non potest effectum, nisi purè naturalem, producere; neque sufficit ad sanctificandum ex eo præcisè, quòd fuerit determinata, vt sit baptismi materia, sed requirit vlteriùs determinatam formam, virtute cuius sanctificet; si enim quis abluatur aqua, & non proferantur verba, à peccatis non baptizatur; quamuis aqua sanctificata fuerit contactu corporis Christi; implicat enim, quòd sanctificet sine virtute sanctificatiua, quā verba important, forma enim est virtus agendi in omni re, vt notissimum est; sed determinatio materiæ, & formæ est institutio baptismi; vt diximus *in sup. tract. vbi;* ergo cùm aqua fuit sanctificata, tunc institutus fuit baptismus. Mi. habetur expressè in allatis *textibus; & communiter* conceditur; & accedit auctoritas Ecclesiæ *in Epiphania* canentis: *Hodie in Iordane Christus baptizari voluit, vt salnaret nos;* salus autem non habetur, nisi per sanctificationem.

11 Prob. 3. Baptismus fuit institutus ante Christi mortem; ergo *in Iordane.* Ant; quod ab aliquibus reputatur fidei dogma, prob. Sacramentum, quod fuit ministratum ante Christi mortem, fuit institutum ante Christi mortem; ministratio enim supponit institutionem, cùm sit vsus illius, aliter esset ministratio nihili, seu illius, quod non est; sed baptismus Christi fuit ministratus ante Christi mortem; nam *Io. 3.* dicitur, quòd Christus baptizabat; & 4. dicitur, quòd Christus non baptizabat per se ipsum, sed mediantibus Apostolis; super quod *S.P.Aug. tract.*14. inquit: *Iesus baptizabat, & non baptizabat; baptizabat enim, quia ipse mundabat; non baptizabat; quia non ipse tingebat. Præbebant Discipuli ministerium corporis; præbebat ille adiutorium maiestatis; & Io. 13. Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet;* lotio autem illa nequit intelligi, nisi de Christi baptismo; quia lotio illa nequit intelligi, nisi de lotione à peccatis, ob quæ nequit homo habere partem in Regno Dei, vt dixit Christus *Petro;* hæc autem lotio, per quam efficimur participes Regni Dei, est baptismus; cùm Christus dixerit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non introibit in Regnum Dei;* sed multi in cœna, antequam Christus moreretur; erant loti ex testimonio Christi; ideo erat ministratus eis baptismus; & *Io. 3.* Christus prædicabat baptismum, & misit Discipulos illum prædicare, & ministrare; tum quia ante Christi mortem fuit Discipulis ministrata eucharistia; ergo & baptismus, qui præsupponi debuit ad eucharistiam, cùm sit ianua aliorum sacramentorum; tum quia baptismus est initium legis Christi; ideo debuit ministrari ante omnia legis mysteria; ergo baptismus Christi fuit institutus ante Christi mortem; tandem post Christi mortem non habetur nisi purum præceptum docendi, & baptizandi, vt constat ex verbis *Matth; & Marc. vlt;* præscribitur autem forma publicè, quia omnes in casu necessitatis extremæ debebant baptizare; ergo eius institutio facta fuit ante Christi mortē. Prob. conf. Baptismus non fuit institutus *Io. 3;* vt vult *3. sent;* illic enim per verba negatiua illud præcepit; idèst: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c;* negatio autem supponit affirmationem, supra quam fundatur; aliter illa negatio de nihilo diceretur; tum quia institutio rei positiuæ non fit per verba negatiua; tum quia nec tunc expressit formam baptismi, non enim protulit nomina Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; quæ tamen expressa sunt *in Iordane;* tunc quia si tunc instituisset baptismum, maximè, quia tunc misit Discipulos ad prædicandum baptismum, & bapti-

ptizandum; sed hæc ratio nulla est eo, quia non est necesse, quòd statim post institutionem conferatur; sicut non fuit necesse, vt eucharistia post institutionem immediatè ministraretur; tū quia tunc non tetigit aquam, nec verba protulit; ideo nullo modo illum instituit; ergo baptismus *in Iordane* fuit institutus, tunc enim omnia ista habita sunt.

12 Dices Christum, & Apostolos baptizasse baptismo *Ioannis*, non Christi; ergo non rectè probatur baptismum Christi fuisse institutum ante Christi mortem.

Sed contra est; nam *Ioannes* baptizatus fuit baptismo Christi iuxta illud *Io.* 1. *Ego à te habeo baptizari*; eo scilicet baptismo, qui est in Spiritu Sancto; qui est Christi, non *Ioannis*; sed *Ioannes* mortuus est ante Christi mortem; ergo baptismus Christi institutus fuit anre Christi mortem. 2. Apostoli baptizauerunt eo baptismo, post quem nou erat conferendus baptismus Christi, vt docet *S. P. Aug. tract. 5. in Io. Baptisma, quod dabatur à Petro, Christi est, & quod datum est à Iuda, Christi erat. Dedit Iudas, & non baptizatum est post Iudam, dedit Ioannes, & baptizatum est post Ioannem; quia si datus est à Iuda, baptismus Christi erat*; ergo baptizauerunt baptismo Christi. 3. *Ioannis* Discipuli videntes Apostolos baptizare conquesti sunt; quod non fecissent, si *Ioannis* baptismo baptizassent.

13 Prob 3. pars concl. *illis SS. PP. testimonijs*, qui videntur asserere baptismum institutū fuisse *Matth. & Marc. vlt*; loquuntur enim de institutione sumpta pro publicatione solemni, vt *sup.* diximus. Aperta est *S. Leonis* sententia *ep. 4. c. 3*; vbi inquit: *Christus non dedit Apostolis ritum baptizandi, nisi vsque ad ascensionem*; & quamuis *Auctores 3. sent.* conentur hoc trahere ad probandum baptismum tunc fuisse institutum; attamen clarum est aliud esse ritum, quo celebratur baptismus, aliud institutionem baptismi; cùm ritus ceremoniam, qua celebratur, importet; vt loquitur *Trid. sess. 7. can. 2; & sess. 22. c. 5*; institutio verò importat res, ex quibus essentialiter conficitur. Si autem *cum aliquibus* distinguentibus ritum in essentialem, & accidentalem, intelligitur *S. Leo* de forma, qua celebratur baptismus; quis non videat, quantùm intersit inter dare ritum baptizandi, & illum instituere? Quandoquidem dare ritum nihil aliud significat, quàm tradere, docere, & communicare modum, quo fit baptismus; instituere autem est determinare materiam, & formam illius. In hoc sensu igitur inquit *S. Leo*, quòd Christus non publicauit Apostolis baptismum, nisi prope Ascensionem, ex quo secunda pars concl. prob. Nusquam enim legitur in Euangelijs forma baptismi solemniter publicata, nisi *Matth. & Marc. vlt*; ergo tunc temporis solùm fuit publicè, & solemniter tradita. Præterea tunc solùm debuit institui solemnis publicatio baptismi, quando mortua est circuncisio, cui baptismus successit; sed circuncisio mortua est, & sepulta cum Christo; ergo solùm post mortem Christi debuit institui solemnis publicatio baptismi. Deinde tunc aliquod censetur institui, cùm publicè, & solemniter præcipitur; vt *sup.* diximus; sed baptismus, licèt priùs fuerit à Christo determinatus quantùm ad substantiam, scilicet quantùm ad materiam, & formam, ex quibus confici debet, & prædicatus *Iudæis*; attamen non fuit solemniter publicatus, & præceptus etiam omnibus gentibus, nisi prope ascensionem in Cœlū; ergo idem. Tandem baptismus, prout est imago mortis, & resurrectionis Christi (inquit *Fūd. Doct. Æg.*) seu prout habet efficaciam à morte, & resurrectione Christi, quatenus scilicet sicut Christus mortuus est semel propter nostra peccata, vt docet *Apost. Rom. 6*; ita nos in baptismo morimur peccatis; & sicuti Christus post mortem resurrexit ascensurus in Cœlum ipsi apertum per mortem; ita nos in aqua baptismi mortui peccatis resurgimus ad gratiam ascensuri in Cœlum nobis apertum per Christi mortem; sed imago debet esse posterior originali, cuius est imago, cùm sit effectus illius, qui essentialiter est posterior sua causa; ergo baptismus, prout est imago mortis, & resurrectionis Christi, fuit institutus post mortem, & resurrectionem Christi ante ascensionem in Cœlum.

14 Conf. Illud, cui successiuè competunt plures rationes, potest priùs institui secundùm vnam, quæ illi competit priùs, & postea secundùm aliam, quæ illi competit posteriùs; vt quia ramo competit constare ex materia, & forma viuente, & postea esse signum vini vendibilis; ideo priùs potest institui, ut constat ex materia, & forma; & postea, vt est signum; sed baptismo successiuè cōpetunt plures rationes; primò enim ei competit esse sacramentum constans ex materia determinata, scilicet aqua, & determinata forma, scilicet verbis: *In nomine Patris &c*; & postea ei competit esse imaginem, & signum mortis, ac resurrectionis Christi; ac tandem esse solemniter promulgatum, & præceptum omnibus; ergo baptismus quantùm ad determinationem materiæ, & formæ fuit *in Iordane* à Christo institutus; & quantùm ad promulgationem solemnem, qua vniuersaliter omnibus fuit præceptus; nec non prout est imago, & signum mortis, ac resurrectionis Christi, fuit institutus *Matth. & Marc. vlt.* ante ascensionem in Cœlum.

15 Obijc. 1. cont. 1. part. concl. *D. Chrisost. hom. 28. in Io; Theophyl. Io. 3; & 4; & Tertull. lib. de bapt. c. 11; & alij* docuerunt Apostolos ante Christi resurrectionem baptizasse baptismo Ioannis, non Christi; ergo baptismus non fuit institutus, nisi post resurrectionem. 2. *S. Leo vbi s.* docet baptismum institutum fuisse *Matth. 28*; ergo idem.

Resp.

Resp. ad 1. satis constare *ex alijs SS. PP.* præsertim *ex S. P. Aug. vbi sup.* Apostolos baptizasse baptismo Christi; vnde isti explicandi sunt, quòd aliqui Apostoli, qui priùs fuerant *Ioannis* discipuli, baptizabant tunc baptismo *Ioannis*; post resurrectionem verò baptizabãt baptismo Christi. Ad 2. iam dictum est *S. Leonem* nihil aliud velle, quàm baptismum fuisse publicè, & solemniter promulgatum & præceptum Apostolis, vt promulgaretur, post resurrectionem; qui edocti fuerunt materiam, & formam seruandam ab omnibus in baptismo. Vel eos edoctos fuisse ritum, quo celebrari debet baptismus; non verò institutum tunc fuisse baptismum quantùm ad determinationem materiæ, & formæ; de hoc enim *S. Leo* verbum non habet.

16 Obijc. 2. Instituere sacramenta est opus Legislatoris; sed Christus *in Iordane* gessit personam peccatoris venientis ad pœnitentiã; quia suscepit baptismum *Ioannis*, qui erat baptismus pœnitentiæ; non autem gessit personam Legislatoris; ergo tunc non instituit baptismum. 2. Ad institutionem sacramenti requiritur impositio talis signi sensibilis significantis, & causantis gratiam; & manifestatio huius impositionis; sed Christus *in Iordane* non destinauit aquam; & verba, vt essent signum causans gratiam, neque manifestauit exteriùs suam voluntatem hoc designandi; ergo tũc nõ instituit baptismũ. 3. Congruentius est, quòd Christus instituerit baptismum, cùm misit discipulos ad illum prædicandum, & conferendum; sed *in Iordane* non habebat discipulos, ideo illos non misit ad illum prædicandum, & ministrandum; illos tamen habuit, & misit, cùm *Io. 3.* dixit *Nicodemo: Nisi quis renatus fuerit &c;* ergo potiùs, *coram Nicodemo*, quàm *coram Ioanne*, instituit baptismum.

Resp. ad 1. neg. 2. partem mi. ita enim in baptismo *Ioannis* egit personam pœnitentis, vt non exuerit personam Legislatoris; quemadmodum in cruce ita egit personam debitoris, vt tamen non exuerit personam testatoris condendo nouum testamentum, & abrogando vetus. Ad 2. neg. 2. pars ma; potest enim determinari materia, & forma, & non manifestari, vt *sup.* diximus. Vel dist. mi. *cum nostro Gibb.* Non manifestauit exteriùs verbis, conc; facto, neg; apparuit enim Trinitas Diuinarum personarum, qua apparitione manifestauit in baptismo necessariam esse inuocationem Diuinarum personarũ; quod postea erat solemniter promulgandum. Vel iterum dist. ma. Quantùm ad solemnem promulgationem, conc; quantùm ad determinationem materiæ, & formæ, neg. Ad 3. neg. ma; nam cõgruentius est institutum fuisse baptismum, quando determinata fuit materia, & forma; quàm quando misit discipulos ad illum prædicandum, & ministrandum; illa enim missio tantùm probat baptismum priùs fuisse institutum, non autem tunc fuisse institutum. Præterea sicut etiam bene aduertit *noster Gibb;* non instituit eucharistiã, cùm dixit *Io. 6. Nisi manducaueritis carnem Filij hominis &c;* ita similiter loquens de baptismo: *Nisi quis renatus fuerit &c;* non instituit baptismum.

17 Obijc. 3. *In Iordane* non fuit explicitè tradita forma determinata baptismi; ergo idem. 2. Tunc institutus fuit baptismus, quando aperti sunt Cœli; quia baptismus est ianua Regni Cœlorum; sed Cœli aperti solùm sunt post mortem Christi, quã solutum est pretium; ergo idem. 3. Tunc institutus fuit, quando recepit virtutem producendi gratiam; sed hanc non habuit, nisi post mortem Christi; à qua omnia sacramenta efficaciam sumpsere; ergo idem.

Resp. ad 1. dist. ant. Non fuit explicitè tradita, idèst solemniter promulgata, conc; idèst manifestè determinata, neg. Ad 2. dist. ma. Quãdo aperti sunt Cęli per ordinem ad futurum ingressum, conc; & in hoc sensu neg. mi; nam sic Cęli aperti sunt *in Iordane*, vt dictum est; per ordinem ad actualem ingressum, neg. ma; & conc. mi. Ad 3. neg. mi; nam baptismus Christi etiam ante mortem mundabat à peccatis, vt diximus; & ideo gratiam conferebat, per quam remittũtur peccata. Ad prob. insertam dicitur, quòd omnia sacramẽta acceperunt efficaciam à morte Christi vel præintenta, & incepta, vel secuta, & completa: nam post secutam mortem pleniorem gratiam sumpsere, quia quò consummatius est meritum, eo cumulatior est gratia; non tamẽ per hoc fit, quòd meritum passionis inceptæ non fuerit sufficiens ad communicandam virtutem productiuam gratiæ sacramentis; aliter Christus ante mortem non potuisset gratiam conferre etiam extra sacramenta; quod est contra *Diuinas Scripturas*; in quibus refertur sæpe Christus asserens: *Remittuntur tibi peccata tua*; eadẽ enim ratione, qua potuit Christus ante mortem conferre gratiam extra sacramenta, potuit illam conferre per sacramenta.

18 Obijc. 4. cont. 2. part. concl. Baptismus Christi fuit prædicatus ab ipso, & ab Apostolis, vt patet *Io. 3*; ergo non fuit publicè promulgatus post Christi mortem. 2. Baptismus est primum sacramentorum; ergo debuit institui ante alia; atqui eucharistia instituta fuit ante Christi mortem; ergo à fortiori dicendum est de baptismo; & sic dici potest de omnibus rationibus allatis in probatione 1. partis concl; & *textibus Scripturarum, ac SS. PP.* 3. Si baptismus institutus fuisset ante ascensionem, etiam quantùm ad promulgationem, populus Dei fuisset sine lege saltem à morte Christi vsq; ad ascensionem; quia tunc circuncisio mortua erat, & sepulta, cùm mortua sit, & sepulta cùm Christo; & lex Christi non incepit vigere, nisi post promulgationẽ, quia lex nõ promulgata non obligat, vt diximus *to. 4. vbi sup. n. 38*; sed hoc est absurdum; ergo & id, vnde sequitur.

Resp. ad 1. promulgationem aliam esse specialem factam aliquibus personis, & locis; & aliam vniuersalem, & solemnem factam omnibus in vniuerso mundo. Dist. igitur cons. Non fuit promulgatus vniuersaliter solemniter per totum Orbem, neq; specialiter aliquibus personis, conc; sic enim priùs promulgatus fuit *Iudæis* ex præcepto Christi; qui priùs venerat ad conuertendos *Iudæos*, ex quibus postea se conuersurus erat ad omnes gentes, vt præcepit ante ascẽsionem Apostolis. Ad 2. dist. cons. Debuit institui quantùm ad determinationem materiæ, & formæ, conc; quantùm ad vniuersalem promulgationem, neg; & sic ad alias rationes, quæ possent afferri. Ad 3. neg. seq; tunc enim lex scripta erat mortua, sed non mortifera; & erat lex euangelica, licèt non sufficienter promulgata. Sed de hoc *in seq. art. 7. Vid. to. 4. vbi s. art. 4. S. 1.*

A R T. III.

Quando inceperit obligare baptismus?

1 HVius controuersiæ solutio iam tradita fuit *to. 4. de leg. q. 2. art. 4. S. 1*; vbi contentionem, quæ fuit inter *SS. Ecclesiæ DD. Augustinum, & Hieronymum* retulimus; dissidebant enim in hoc, quòd *D. Hieron.* distinguebat solũ duplicem statum legis veteris tempore, quo Christus fuit in terris siue ante passionem, siue post, vsque ad ascensionem in Cœlum. Primus, in quo lex vetus ante Christi passionem erat viua; quia Christus vsque ad extremum vitæ præcepit seruari legem *Moysis*; vt *Matth.* 8. præcepit leproso, vt ostenderet se sacerdoti; in cœna immolauit agnum Paschalem iuxta legis *scripta* mandatum; tum quia velum templi solùm in morte Christi scissum est; quo significatur, vt exponũt *SS. PP. communiter*, legem veterem tunc expirasse. Secundus, in quo lex vetus post Christi mortem fuit mortifera. At *S. P. Aug.* triplicem statum distinxit; licèt enim in eo conuenerit, quòd lex vetus ante Christi mortem fuerit viua; attamen docuit, quòd post Christi mortem vsque ad sufficientem euangelij promulgationẽ fuerit mortua, sed non mortifera; post promulgationem autem & mortua, & mortifera. & dat exemplum *ep.* 19. hominis mortui, cuius cadauer non statim sepulturæ mãdatur, sed supra terram per aliquod tempus relinquitur, vt ab amicis ei impendantur pietatis officia; ad sepulturam religiosè portetur; quod tamen, cùm in sepultura est reclusum, non nisi irreligiosè eruitur, quia eius sepultura violatur; ita lex vetus, tanquam amica, cùm fuit mortua in morte Christi, non debuit statim obliuioni committi, vel reijci, tanquam mala, & detestabilis, sicut idololatria statim reiecta fuit; sed debuit honorari, tanquam bona, & à Deo præcepta, sed à Christo impleta; postquam autem post sufficientem promulgationem fuit sepulta, nõ nisi sacrilegè, & mortiferè erui posset. *Veruntamen* (inquit *S. P.*) *sicut defuncta corpora necessariorum officijs deducenda erant quodammodò ad sepulturam, nec simulatè, sed religiosè, non autem deserenda continuò, vel inimicorum obtrectationibus, tanquam canum morsibus proijcienda; proinde nunc quisquis Christianorum, quamuis sit ex Iudæis, similiter ea celebrare voluerit, tanquam sopitos eius cineres eruens non erit pius deductor, vel baiulus corporis, sed ipsius sepulturæ violator.*

2 Hoc non obstante non defuerunt *aliqui*, quos redarguit *S. Bern. ep.* 77; putantes baptismi præceptum incepisse obligare, cùm Christus *Io.* 3. dixit *Nicodemo: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*; qui tamen conuincuntur ex allatis *textibus*, quibus ostenditur Christum legem seruasse vsque ad mortem; & *Matth.* 23; vbi præcepit vt quæcunque dixissent *Scribæ, & Pharisæi* sedentes *in Moysis cathedra*, seruarent, & facerẽt; quando autem incepit obligare lex Christi, legis *Moysis* obligatio cessauit; quia huic illa successit; & ideo ambæ simul esse, & obligare non poterant.

3 Hæc, & alia diximus *loc. cit.* Sed quoniam difficultatem non paruam facit, quam innuimus *in sup. art*; quòd scilicèt si lex vetus mortua esset cum Christo, idèst nullius efficaciæ, aut virtutis ad vitam conferendam hominibus mortuis ob peccata mansisset; & ex alia parte lex Christi non obligasset, sequeretur eo tempore homines nulla lege obligatos fuisse, qua possent à peccatis mundari; & paruulos eo tempore decedentes nullo remedio contra peccatum originale fuisse munitos; cuius oppositum dictum est *in sup. tract. q. 1. art.* 2; quamuis enim circuncisi obijssent; attamen nihil eis circuncisio profuisset, quia tunc nullius virtutis, & efficaciæ fuisset; nec aliunde obligati fuissent baptismum suscipere, quoniã hæc obligatio non erat; adeoq; sine lege mundante, & damnante perijssent. Propter hoc,

4 *Aliqui* asserunt præceptum baptismi incepisse obligare statim post Christi resurrectionẽ; quando scilicèt Christus apparuit discipulis *Matth. vlt.* formam baptismi promulgans: *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Ita Sot; Cabr; Vasq; et Gonet cum pluribus alijs.*

Sed isti *Auctores* tempus confundunt non modicùm; nam Christus non protulit illa verba, quibus præcepit baptismi promulgationem discipulis *Matth. vlt*; die resurrectionis, sed post multos dies; nam idem *Matth.* narrat, quòd Christus die resurrectionis apparuit *Mariæ Magdalenæ*, & ei præcepit, vt nunciaret Apostolis, quòd irent *in Galilæam*, vbi illum vidissent; *Galilæa* autem multis diebus *ab Hierosolymis* distat; deinde asserit ibi apparuisse vndecim discipulis; subsequenter dicit aliquos discipulos dubi-

bitasse; & tandem concludit Christum eis præcepisse promulgationem baptismi. *Io.* autem *c. 20.* inquit, quòd Christus die illa, quâ apparuit *Magdalenæ*, in serò apparuit discipulis congregatis in vnum propter metum *Iudæorum*; & post dies octo apparuit iterum, & exprobauit *Thomæ* incredulitatem; quod factum fuisse ante præceptũ promulgandi baptismum innuit *Matthæus*; postea manifestauit se tertia vice ad mare *Tyberiadis*; vbi verisimile est, quòd præceptum baptismi imposuit, postquam *Petrum* Ecclesiæ Caput instituit. Ergo non die resurrectionis, sed plures post dies protulit Christus ea verba: *Euntes docete omnes gentes &c;* ac propterea à die resurrectionis non incepit obligare baptismus etiã *iuxta horum DD.* sententiam.

5 *Alÿ* dixerunt baptismum incepisse obligare die *Pentecostes*, quia tunc Euangelium fuit sufficienter promulgatum solemniter. *Ita noster Gibb. disp. 10;* apud quem *Scot; Estius, Sua; Belarm; & communiter Scotistæ*, vt testatur *Mastr. disp. 2. q. 1; et art. 2.* Sed hoc non ita rigidè accipiendum est, vt omnes homines existentes in toto Orbe obligati fuerint statim ipsa *Pentecostes* die; impossibile enim erat, vt notitia illius promulgationis naturaliter loquendo perueniret ad omnes mundi fines. Vnde sensus est, quòd ipsa die *Pentecostes* incepit solemnis promulgatio, cùm *Petrus* Ecclesiæ Caput Spiritu Sancto inflammatus cœpit prædicari *Hierosolymis*; deinde per Apostolos talis prædicatio dilatata fuit in omnem terram, quòd *aliqui DD.* volunt factum fuisse spatio annorum quadraginta. Post quam vniuersalem promulgationem præceptũ baptismi omnes vniuersaliter obligauit.

6 Discrimen ergo, quod est inter hos duos modos dicendi est; quòd illi asserunt baptismũ à prædicatione Christi vsque ad diem resurrectionis fuisset sub consilio, non sub præcepto; & quamuis illi, qui eum inuincibiliter ignorabant, excusarentur; attamen obligabantur ad illum recipiendum; sicut de facto omnes obligantur ad seruandam Christi legem, quamuis aliqui excusentur ob ignorantiam inuincibilem. Isti verò asserunt à prædicatione Christi vsq; *ad Pentecosten* baptismum fuisse sub consilio, non sub præcepto; & postea incepisse esse sub præcepto. Quapropter paruuli tempore medio inter diem resurrectionis, & *Pentecostes* morientes potuisse saluari per circuncisionem, si erant *ex Hebræis*, vel per remedium legis naturæ, si *ex gentilibus* orti erant. Sed eandem difficultatem habent isti, quam habent illi, quoad eos, qui non erant *Hierosolymis*, quando promulgatus fuit baptismus; isti enim non potuerunt audire, nec venire in cognitionem talis promulgationis, nisi post multos annos, postquam Apostoli ad illum prædicandum venerunt. Etenim si promulgatio baptismi facta à Christo Domino Apostolis *Matth; & Marc. vlt.* nullam obligationem induxit, quia talis promulgatio non fuit sufficiens, vt omnes gentes in illius notitiam venirent, idem videtur dicendum de promulgatione facta die *Pentecostes*; non enim fuit talis, vt per illam dumtaxat potuerit totus Orbis eadem die baptismi præceptum agnoscere. Et si promulgatio solemnis per Apostolos facta die *Pentecostes* fuit sufficiens ad inducendam obligationem baptismi in eos, qui tali promulgationi interterant; cur promulgatio facta à persona Christi immediatè ipsis Apostolis iam declaratis ab ipso Ecclesiæ Principibus, alijsque Discipulis cum Apostolis simul congregatis non fuit sufficiens ad inducendam talem obligationem in illos, qui illam audierunt, cùm solemnior promulgatio esse non possit, quàm illa, quæ immediatè fit per os Principis coram principalioribus ipsius ministris? Neutro igitur modo rectè explicari videtur sententia *S. P. Aug.* docentis præceptum baptismi non obligasse, nisi vsque ad sufficientem eiusde mpromulgationem.

7 Meliùs ergo dicitur promulgationem incepisse *Matth; & Marc. vlt;* non quidem quoad omnes homines existentes vbiq; terrarum, sed tantùm quoad illos, qui talem promulgationem audierunt; deinde factam fuisse die *Pentecostes* quoad illos omnes, qui erant *Hierosolymis*, & qui poterant venire in cognitionem illius promulgationis, & sic successiuè de alijs ciuitatibus, prouincijs, & Regnis, ad quæ peruenerunt Apostoli, aut Discipuli, donec in omnem terram eorum verba sonauerunt; ac proinde baptismũ incepisse obligare *Matth; & Marc. vlt;* nõ quoad omnes, sed illos tantùm, qui promulgationem illius audierunt, vel in cognitionem illius venire potuerunt, & deinde die *Pentecostes* obligasse eos, qui Apostolos illum promulgantes audierunt, & sic successiuè de alijs regionibus ita, vt hæc obligatio non peruenerit ad omnes homines simul, & collectiuè, sed successiuè. Ita intelligendus est *S. P. Aug. in ep. cit; Fund. Doct. Æg. in ep. ad Rom. c. 2. lect. 8. dub. 1;* vbi docet *cum S. P. Aug;* quòd sacramenta vetera fuerunt viua ante Christi passionem; à Christi autem passione fuerunt mortua vsque ad plenam diuulgationem euangelij, quia tunc vitam animæ non conferebant; post plenam autem diuulgationem fuerunt mortifera. Vbi notanda est illa particula *plena*, quæ refertur ad semiplenã; ex non pleno enim, & semipleno fit plenum. Idem videntur docere ferè omnes *DD;* qui sic possunt inter se conciliari.

8 Supponimus autem *ex eod. Fund. Doct;* vt diximus *to. 4. vbi s. art. 2. à n. 38;* quòd licèt promulgatio non sit de intrinseca, & essentiali ratione legis propter rationes *ibid.* allatas; attamen est conditio *sine qua non* essentialiter requisita; nec lex habet vim actu obligandi, nisi sit promulgata; quod Christus Dominus dixit expressè *Io. 15. Si non venissem, & locutus fuissem eis,*

cis, peccatum non haberent; quibus verbis manifestè docet, quòd etiamsi venisset, & non fuisset eis locutus, idèst non promulgasset eis legem, quam statuit, illa lex non habuisset vim actu obligandi eos ad peccatum, quoties legem non seruarent. Hoc est, quod asserit *noster Gibb. vbi s. n. 19*; quòd licèt lex habeat vim obligandi in actu primo, cùm Princeps illam proponit promulgandam ministris, attamen actu non obligat, nisi cùm actu promulgatur; sicut enim licèt ignis habeat vim comburendi in actu primo, attamen in actu secundo non comburit, nisi actu applicetur; ita lex quamuis habeat vim obligandi subditos in actu primo; attamen in actu secũdo non obligat, nisi actualiter promulgetur; promulgatio enim est actualis applicatio legis ad subditos. Quod tamen non est intelligendum vniuersaliter; licèt enim lex promulgata ministris non obliget illos subditos, qui talem promulgationem non audiuut; inquit enim *Apost. Rom. 10. Quomodò credent ei, quem non audierũt; quomodò audient sine prædicante?* Quibus innuit aliam rationem, nempe quòd impossibile est seruari legem, nisi promulgetur; & ad impossibile teneri, aut obligari neminem; attamen si illa lex sit vniuersalis vniuersaliter comprehẽdens etiam ipsos ministros, vt est præceptum baptismi, consequens est, vt cùm à Principe promulgatur ministris, eisque intimatur, vt promulgetur alijs, obliget ipsos ministros, qui illã audiunt sibi promulgatam à Principe; non autẽ alios, qui illam promulgationem non audiunt. Ergo cùm Christus *Matth; & Marc. vlt.* promulgauit Apostolis, & Discipulis præceptum baptismi, baptismus incepit obligare Apostolos, & Discipulos, qui illam promulgationem ex ore Christi audierunt; non alios, qui non audierunt.

9 Vnica concl. *Matth; & Marc.* vlt. cùm Dominus dixit: *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; baptismus incepit obligare, non quidem omnes, sed solos Apostolos, & Discipulos, qui hoc audierunt; deinde die *Pentecostes* obligauit omnes eos, qui *Hierosolymis* ab Apostolis, & Discipulis audierunt immediatè, aut mediatè necessitatem baptismi, & finitimos, qui poterant in illius cognitionem venire; & sic dicendum de alijs prædicationibus per Apostolos, & Discipulos successiuè factis ita, vt obligatio baptismi non se ad omnes post primam promulgationem illicò extenderit; sed successiuè promulgato multiplicatis promulgationibus euangelio quocumque terrarum peruenerit.

Prob. ex dictis. Promulgatio est conditio necessariò requisita, vt lex actualiter obliget; sed *Matth; & Marc. vlt.* prima promulgatio fuit baptismi, deinde *Hierosolymis*, & demum successiuè in alijs partibus Orbis; ergo baptismus primùm *Matt; & Marc. vlt*, dein Hierosolymis, & demum successiuè in alijs Orbis partibus cepit obligare. Ma. prob; nam obligatio actualis est actualis applicatio legis ad subditos; dicit enim actũ secundũ, qui non est, nisi applicatio actualis actus primi, vel non importat præter actũ primũ, nisi applicationem actualem; vt dicebamus de combustione actuali, quæ vltra potentiam combustiuam, quæ est actus primus, non importat, nisi actualem applicationem ipsius potentiæ combustiuæ ad subiectum combustibile; sed actualis promulgatio est actualis applicatio legis ad subditos; per eam enim subditi actualiter ligantur; ergo actualis promulgatio est conditio necessariò requisita, vt lex actualiter obliget. Prob. mi. Promulgatio, quæ fit immediatè per Principem, non est minoris valoris, & efficaciæ per ordinem ad obligandos subditos, quàm illa, quæ fit per ministros, cùm promulgatio ministri habeat vim à promulgatione Principis; *Et propter quod vnũquodque tale, et illud magis*; sed Christus, qui est Legislator promulgauit baptismum *Matth. et Marc. vlt.* deinde Apostoli *Hierosolymis*, ac demum in alijs partibus terræ; ergo prima promulgatio baptismi facta fuit *Matth. et Marc. vlt*; deinde *Hierosol*; ac demũ in alijs pãrtibus terræ.

10 Conf. Vt promulgatio sit plena, & sufficiens ad obligandos vniuersaliter omnes, talis esse debet, vt possint omnes illam audire, & scire vel simul; & collectiuè per vnam, & eandem actionem promulgatiuam; vel successiuè per multiplicatas actiones ita, vt illi, qui audiunt, obligationem contrahant; illi verò, qui non audiunt, liberi ab obligatione remaneant, donec illam audierint, atqui prima, & secunda promulgatio baptismi non fuit talis, vt potuerint omnes homines etiam existentes in remotissimis terræ partibus illam audire, & scire simul, & collectiuè; sed tantùm fuit talis, vt aliqui potuerint illam audire, & scire, & postea iteratis actionibus ad omnes fines terræ peruenire potuerit; ergo prima, & secunda promulgatio non fuit plena, & sufficiens ad obligandos omnes simul, & collectiuè, sed tantùm successiuè per iteratas actiones ita, vt illi, qui audierũt, obligati remãserint; illi verò, qui non audierũt, liberi ab obligatione remanserint, quousque illam audierũt. Ma. constat ex iure tam ciuili, quàm ecclesiastico; nam leges Imperiales non obligant, nisi post duos menses à publicatione facta in Ciuitate metropoli cuiuslibet prouinciæ, vt habetur *in Authen. Vt factæ*; & leges Ecclesiasticæ, quamuis non requirant aliam promulgationem solemnem, quã illam, quæ facta est *Romæ*; quia cùm *Romam* conueniant homines ex omnibus partibus Orbis, faciliter possunt vbique innotescere; attamen non obligant, quousque notitia illarum peruenerit; vt diximus *to. 4. vbi sup. n. 43*; nam in tantùm promulgatio requiritur, in quantùm ignorantia inuincibilis legis excusat, & eximit à peccato, & per consequens ab obligatione seruandi legem sub pœna peccati; quamuis enim ali-

aliqui, inter quos *Gonet*, asserant excusatum à peccato adhuc obligari ad seruandam legem; attamen hoc est vocabulis ludere; nam excusari est non accusari, vt reus peccati, seu excipi à lege declarantem reum peccati; hoc autem est non obligari ad seruandam legem sub pœna peccati; quia obligatus legi sub pœna peccati, non potest ipsam transgredi sine peccato; ideo si ipsam transgreditur sine peccato, non est ipsi obligatus sub pœna peccati; sed quoties promulgatio non est talis, vt possint omnes ipsam audire, & scire, non omnes obligantur ad illam seruandam, quia ob ignorantiam inuincibilem ab illa excipiuntur; ergo vt promulgatio sit plena, & sufficiens ad obligandos vniuersaliter omnes, debet esse talis, vt illam omnes possint audire, & scire vel simul, & collectiuè, vel successiuè repetitis actionibus. Mi. etiam claret; nam auditus non est, nisi in proportionata distantia, & in regionibus contiguis, & finitimis; sunt autem multæ regiones terra mariq; adeò diremptæ, vt ad illas non possit vnico temporis momento penetrare notitia, sed tantùm longi temporis tractu, & successiuè.

11 Conf 2. Si non incepisset *Matth; et Marc. vlt;* maximè, quia tunc baptismus non fuit promulgatus solemniter; nam solemnis promulgatio debet fieri per ministros, & coram omnibus, illa autem promulgatio facta fuit à Christo, & in priuato coram aliquibus reclusis ob metum *Iudæorum*, vt dicunt *Auctores* secundæ sententiæ; & si non obligasset die *Pentecostes*, & successiuè in alijs promulgationibus, maximè, quia per primã promulgationem inducta fuisset obligatio vniuersalis; vt asserit primus modus dicendi; sed vtrumque falsum est; nam quanuis Deus per se ipsum, non per ministrum promulgauerit præceptum de non comedendo fructu arboris scientiæ boni, & mali, attamen illud præceptum obligauit *Adam*; & quanuis die *Pentecostes* talis promulgatio non fuerit facta coram omnibus hominibus totius Orbis, attamen fuit promulgatio solemnis quoad illos, qui erant præsentes; & sic potest dici eadem ratione solemnis promulgatio facta Apostolis, qui erant Principes totius Ecclesiæ, quanuis non esset coram omnibus. Secundum etiam falsum est; nam ideo ante promulgationem primam nullus obligabatur, quia nulli innotescebat baptismi præceptum; sed post primam promulgationem non innotuit omnibus simul in eodem instanti tale præceptum; ergo non omnes obligati fuerunt.

12 Obijc. 1. Baptismus incepit obligare ante Christi mortem; ergo falsa concl. Prob. ant. 1. *ex Luc. 16. Lex, et Prophetæ vsque ad Ioannem*; sed baptismus incepit obligare, cùm cessauit lex vetus; ergo incepit obligare ante Christi mortem. 2. Baptismus fuit præceptus à Christo *Io. 3.* 1. *Nisi quis renatus fuerit etc*; ergo idem. 3. *Iudæus* à Christo instructus in lege tenebatur baptismum suscipere, vt posset saluari; ergo idem.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 1. prob. dist. ant. Cùm cessauit lex vetus, & cessauit esse mortua, ac mortifera, conc; tunc enim facta fuit sufficiens promulgatio, quæ fuit necessaria, vt baptismus obligaret; & cepit esse mortua, non mortifera, neg. Ad 2. *cùm D. Bern.* dist. ant. Fuit præceptus pro futuro tempore, quo lex vetus cessatura erat, & inceptura erat esse mortifera, conc; pro eo tempore, quo erat viua, sicut erat, cùm prædicabatur à Christo, neg. Ad 3. neg. ant; nam pro eo tunc *Iudæus*, sicut *et Gentilis* tenebatur solùm credere in Christum, & obseruare veterem legem, in qua poterant saluari ante Christi mortem; non autem tenebantur simul seruare legem Christi, aliter duplicem legem seruare obligati fuissent. Prædicatio ergo Christi non obligabat ad obseruandam legem euangelicam, nisi post eius sufficientem promulgationem faciendam, post cessationem veteris legis; prædicatio enim fiebat per verba de futuro, vt patet ex illis: *Nisi quis renatus fuerit etc.*

13 Inst. Si aliquis *Iudæus* baptizasset puerum ante octauum diem, non fuisset obligatus illum postea circumcidere; quia circumcisio tũc fuisset inutilis, cùm per baptismum iam remissum fuisset peccatum originale; ergo obligatio circumcisionis cessauit ante Christi mortem, & consequenter incepit obligatio baptismi, quæ successit immediatè circumcisioni.

Resp. neg. ant; nam etiamsi baptismus Christi remisisset peccatum originale, attamen ex præcepto legis tenebatur circumcidere, quia tunc lex circumcisionis erat viua, & seruanda erat vsque ad Christi mortem, vt docuit Christus suo exemplo, qui pridie, quàm pateretur, immolauit Agnum Paschalem, vt præcipiebat lex vetus. Neque officit fuisse remissum peccatum originale per baptismum; nam sicuti in lege euangelica licèt sanctificatis in vtero sit remissum peccatum originale; attamen non sequitur, quòd non teneantur baptismum suscipere, cùm postea nascuntur; ita quanuis fuisset remissum peccatum originale per baptismum Christi, attamen circumcidi debebant, vt lex, quæ adhuc viua erat, seruaretur.

14 Obijc. 2. Lex vetus seruata fuit etiam post Christi mortem, & post promulgationem factam Apostolis *Matth. vlt*; ac die *Pentecostes*; nam Apostoli *in Conc. I. Hierosol.* præceperunt tantùm abstinentiam *ab immolatis simulacrorum, sanguine, et suffocato*, vt habetur *Act. 15; et Act. 16.* Paulus circumcidit *Timotheum in Lystris; et in Cenchris* totondit sibi caput, vt seruaret legem *Nazaræorum* præscriptam *à Moyse*; ergo tunc baptismus obligare non inceperat, aliter tunc duplex lex obligasset, quarum vna essentialiter alteri debebat succedere; quanuis enim duæ leges simultaneæ, & disparatæ possint simul obligare; secùs tamen dicendum de duplici lege, quarum vna

loco

loco alterius successiuè sufficitur, vt sunt lex vetus, & noua.

Resp. *cum S.P.Aug.ep.cit.* dist.ant. Lex vetus fuit seruata etiam post *Pentecosten*, tanquam mortua, & non viuificans à peccatis amico pietatis officio religiosè honoranda, antequam sepulturæ mandaretur, à qua non posset erui, nisi mortiferè, & sacrilegè, conc; tanquam viua, & viuificans à peccatis, neg. Apostoli autem præceperunt abstinentiam ab immolatis, ne *Gentiles* venientes ad Christi fidem occasionem sumerent redeundi ad idololatriam, quæ immolabat pariter carnes, quibus homines vescebantur; idololatria autem fuit semper mala, & prohibita à Deo, ideoque nunquam licuit. At verò circumcisio, & cætera legis scriptæ ceremonialia, non fuerunt ab Apostolis vetita pro eo tunc, quo solùm erant mortua, & non mortifera, vt ostenderent illa non fuisse mala, sed bona, quia à Deo præcepta, ideo per aliquod tempus eorum memoria, & celebritas erat honoranda non statim reijcienda, sicut idololatria, quæ est essentialiter mala; post plenam autem promulgationem euangelij erant euacuanda, tanquam inutilia, vt protestabatur Apostolus *ad Gal.5. Si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit.*

15 Obijc.3. Si in morte Christi cessasset lex vetus, & legalia fuissent mortua, & inutilia; baptismi autem necessitas non incepisset immediatè post Christi mortem, pro eo tunc homines nulla lege obligati fuissent; & ignorantes inuincibiliter Christi baptismum caruissent remedio contra peccatum originale; sed hoc non est dicendum; nullo enim tempore, vt docet *S. P. Aug.* defuit remedium contra originale peccatum; ergo vel dicendum, quòd lex vetus non fuit mortua in morte Christi, vel quòd baptismus statim post Christi mortem incepit obligare; aliter Dei prouidentia in necessarijs aliquando defecisset, & clementia non subuenisset.

Ad hoc arg resp. *Vasq;* quòd sicuti paruuli decedentes in vteris matrum carent remedio, ita dicendum de omnibus hominibus pro illo tempore. Sed falsum est paruulos sic decedentes carere remedio; extat enim remedium pro omnibus, quamuis illud omnibus non applicetur. *Noster Pot;* quē sequuntur *Gibb; Gonet; & aly,* aiūt, quòd in eo casu *Iudæi* tenebantur circumcidere, non ex præcepto circumcisionis, quod iam erat extinctum, vel ex vtilitate ipsius, quia iam erat mortua, sed ex dictamine conscientiæ erroneæ, quæ obligat sub peccato mortali ad legem implendam; peccatum autem originale non remittebatur per ipsam circumcisionem, aut per remedium legis naturæ, vt putant *Sua; Mast; & aly,* quia tunc nedum lex scripta, sed etiam lex naturæ quantùm ad ceremonialia mortua erat, inutilis, & omnino inefficax ad conferendam gratiam; sed remittebatur per Diuinam bonitatem supplentem huiusmodi defectum, quæ nunquam deficit in casibus necessitatis; Deus enim, vt docet *Fund. Doct. Ægid. in cant.c.4.lect.9.fol.36.col.2; & proposit.24. de Sacram. Altaris,* non ita alligauit virtutem suam sacramentis, vt non possit gratiam conferre etiam extra sacramenta. Verùm hæc responsio videtur docere, quòd etiam paruulis decedentibus in vteris matrum ita, vt nulla arte, aut diligentia possit eis applicari baptismus, subueniatur per Diuinam bonitatem eos mundantem à peccato originali, sunt enim in casu extremæ necessitatis. Præterea licèt Deus per potentiam extraordinariam possit gratiam conferre etiam extra sacramenta; attamen secundùm cursum, quem videmus, solùm per signa visibilia, & per consequens per sacramenta illam confert. Igitur

16 Resp. *Estius hic dist.3. § 1. in fine* legem veterem in morte Christi mortuam fuisse ijs, quibus nouæ legis mandata iam innotescebant; vnde illi tenebantur baptismum suscipere; sed non fuisse mortuam illis, quibus lex Christi non erat reuelata; illis enim quodāmodò nec Christus mortuus erat intellectualiter loquendo eo, quia non cognoscebant adhuc Christum venisse, & pro illis mortuum fuisse, sed adhuc expectabant illum venturum, & liberaturum à peccatis; & propterea tenebantur seruare ceremonialia, & vti figuris, quæ erant sacramenta vetera, quibus promittebatur Christus venturus; & his sacramentis, quæ illis mortua non erant, sed viua, à peccatis mundabantur. Hanc responsionem videtur tradere *S. P. Aug. ep. cit;* vbi postquam exemplo cadaueris, quod ad tempus supra terram seruatur, ait legem veterem licèt mortuam aliquandiu seruandam fuisse, subiungit se loqui de *illo dumtaxat tempore, quo primùm fidei gratia reuelata est;* illo enim tempore solùm lex vetus mortua fuit, quia Christus tunc solùm cognitus fuit, vt mortuus; *& inf.* inquit, quòd *circumcisio, & cetera, quæ reuelatione gratiæ latiùs innotescente necesse fuerat aboleri, iustificare neminem poterat;* quibus verbis satis clarè indicat circumcisionem, & cetera legalia, quæ *significationis gratia præcepta sunt;* idēst ad significandum aliquod mysterium spectans ad Christi legem, non cessasse, nisi apud eos, quibus reuelata fuit, & innotuit fides Christi; & tunc solùm vim iustificandi amisisse. Apud illos autem, quibus non erat reuelata fides Christi, quia illis quodammodò Christus mortuus non erat, cùm non cognosceretur, vt mortuus, ideo nec mortua erat circuncisio, nec vim iustificandi à peccato originali perdiderat. Nullo igitur tempore manserunt homines sine lege, & sine remedio remittente originale peccatum.

17 Petes, an lex vetus expirauerit in morte, aut in resurrectione Christi?

Resp. *Gonet* fuisse extinctam in resurrectione eo, quia lex vetus fuit figura nedum passionis, sed etiam resurrectionis. Sed contra est noster

noster Gibb. asserens, quòd lex vetus fuit figura etiam ascensionis, & aliquorum sacramentorum, quæ fuerunt instituta post resurrectionem; & tamen hoc non obstante non fuit extincta post ascensionem. Extincta ergo fuit in passione, cùm Christus inquit: *Consummatum est*; cùm velum templi scissum est, vt docet *S.P.Aug.*

18 Obijc.4. Promulgatio solemnis non fuit facta, nisi die *Pentecostes*; ergo tunc solùm obligauit.

Resp. dist. ant. Promulgatio solemnis adæquata erudiens omnes homines totius Orbis, neg; inadæquata, & erudiens habitantes *Hierusalem*, conc. Vel neg. ant; quid enim defuit promulgationi *Matth. vlt.* vt non esset solemnis?

A R T. IV.

Quid sit Baptismus?

1 Baptismus multis appellationibus *in scripturis, & à SS.PP.* describitur, & vsurpatur. 1. Sumitur pro tolerantia ærumnarum, & afflictionum; vt *Matth. 10. Potestis bibere calicem, quem ego bibosant baptismo, quo ego baptizor, baptizari*; & in hoc sensu non accipitur in præsenti; nam sic dicitur translatiuè per similitudinem, non verò propriè, seu per proprietatem; nam sicuti baptismo mundamur à culpis peccatorum; ita per sufferentiam purgamur à pœnis, quæ debentur peccatis. 2. Dicitur *illuminatio*; vt *Hebr. 6. Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt*, idest baptizati; quia *in baptismo* inquit *S. Dion. de Calesti Hier. c. 3. Lumen fidei infunditur.* 3. Dicitur *sacramentum nouæ vitæ, seu regenerationis*, vt *ad Tit. 3; & S.P. Aug. lib. 2. cont. Crescon. Gramm. c. 13. Baptismus igitur sacramentum est nouæ vitæ, & salutis æternæ.* 4. Dicitur *sacramentum, seu mysterium fidei ex D. Dion. vbi sup. & ex S.P. Aug. ep. 23; & c. 40. de pecc. orig.* 5. Dicitur *sacramentum salutis*; vt *ad Tit. 3; & 1. Petr. 3; & S.P. Aug. lib. 1. de pecc. merit; et remiss. c. 24. Qui baptismum nomine salutis appellant, quid aliud tenent, nisi quod dictum est: saluos nos fecit per lauacrum regenerationis; et quod Petrus ait: sic et nos simili forma baptisma saluos fecit.* 6. Dicitur *sacramentum Christianæ societatis*; vt *S.P. Aug. ep. 28. ad Hier*; quia per ipsum associamur Christo, & Christifidelibus. 7. Dicitur *tessera militum Christi à D. Basil. or. ad baptizandos*; quia per ipsum militiæ Christianæ conscribimur. 8. *Lauacrum regenerationis, et renouationis* inscribitur *ad Tit. 3; et S.P. Aug. lib. 1. de nupt. et concup. c. 19. Qui lauacro regenerationis abluuntur, redimi de potestate Diaboli*. Hoc tamen dicitur per ordinem ad ethimologiam nominis; nam vt docet *S.P. Aug. lib. 6. cont. Iul. c. 4*; hoc nomen *baptismus* est nomen translatum *ex Græco*, deriuat enim à verbo *baptizo*, quod latinè significat idē, quod *intingo, immergo, abluo, seu lauo*; hinc *Iudith 12.* de ipsa se lauante dicitur: *Baptizabat se ad fontem*; hinc factum est, quòd nomine *baptismi sacramentum regenerationis*, quæ in aquis efficitur, cōmuniter intelligatur. Hoc enim verbum (inquit *S.P.*) *ex Græco latina consuetudo sic habet, vt non soleat alibi, nisi in sacramento regenerationis intelligi*. Hæc quantùm ad notionem nominis dicta sufficiant, omissis alijs appellationibus magis communibus, quibus vocatur *vnctio apud Tertull; sigillum, seu signaculum apud Dam. lib. 4. de fide c. 10*; hæc enim conueniunt etiam confirmationi, ordini, & vnctioni, vt constat. Inquirimus autem in præsenti definitionem rei per baptismum significatæ.

2 Variæ circumferuntur definitiones; vt *Hug. lib. 2. de sacram. p. 6. c. 2. Baptismus est aqua abluendis criminibus sanctificata. Mag. sent. dist. 3. Est ablutio corporis exterior facta sub forma verborum præscripta. Scot. ibid. q. 1. Est sacramentum ablutionis animam à peccato consistens in ablutione hominis aliqualiter consentientis factæ in aqua ab alio abluente, et in verbis certis ab eodem abluente prolatis. Amic. disp. 11. sect. 2. Est symbolum sensibile constans ex aqua naturali, tanquam ex materia remota, et ablutione, tanquam ex materia proxima, et forma expressiua tum actionis ministri, tum triū Diuinarum Personarum in vnitate essentiæ, collatiuum gratiæ regeneratiuæ. Alij* addunt *iuxta Christi institutionem*; *alij* verò *cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia*. Has, & consimiles definitiones formarunt isti, qui post *Hugonem, & Mag. sent.* scripserunt; eo, quia putauerunt definitiones allatas ab illis esse diminutas, non conuerti cum definito, & adæquatè non explicare naturam baptismi; vt *videb. in solutione obiectionum.* Vt appareat, quid sit dicendum.

3 Not; quòd, cùm definitio sit oratio explicans naturam rei; & natura rei explicetur per causas, quæ vel sunt physicæ, vel metaphysicæ; ideo definitio, vt dicitur *in Summulis*, alia est physica, quæ datur per partes essentiales physicas, vt cùm definitur homo *constans ex corpore, & anima rationali*; alia metaphysica, quæ datur per partes essentiales metaphysicas, quæ sunt genus, & differentia; vt cùm homo definitur *animal rationale*. Vtraque autem est vera, & recta definitio, quia est iuxta leges veræ definitionis, quæ præcipiunt non esse ponendas in definitione, nisi partes essentiales, quæ constituunt ipsam rem vel physicè, vel metaphysicè; additionem autem aliarum rerum, quæ competunt rei vel ratione subiecti, vel ratione agentis esse superfluam, adeoque definitionem imperficere, quæ, vt recta, & legitima sit, non debet esse superflua, neque diminuta, & per consequens debet constare ex paucissimis verbis, cùm pauca sint, quæ essentiam componunt; si enim physicè consideretur, non est, nisi materia, & forma; si verò metaphysicè, tantùm genus, & differentia. Quoniam tamen ea, quæ accidentaliter, vel subiectiuè, vel inadęquatè competunt rei, verè illi competunt;

petunt; ideo definitio diminuta, vel superflua potest esse vera, quia veritatem continet, & enunciat; non tamen est recta, quia non est iuxta regulas bonæ definitionis.

4 Vnica concl. Baptismus physicè consideratus rectè definitur *à S. P. Aug. tract. 15. in c. 4. Io. Lauacrum aqua in verbo*, metaphysicè verò *sacramentum regenerationis spiritualis, et salutis æterna lib. 6. cont. Iul. c. 4.*

Prob. 1. pars concl. *ex eod. S. P. in Io. ibid.* Quid est *baptisma Christi? Lauacrum aqua in verbo. Tolle aquam, non est baptismus. Tolle verbum, non est baptismus*. Sic autem formatur hæc ratio. Definitio physica est illa, quæ datur per partes substantiales physicas componentes ipsam rem physicè; vt diximus de definitione physica hominis; sed allata baptismi definitio datur per partes physicas physicè componentes substantialiter ipsum baptismum, nam partes substantiales physicè componentes aliquam rem sunt illæ, quibus positis physicè ponitur res; & quibus ablatis, non ponitur res; posita autem aqua, & verbis euangelicis, prout à Christo institutis, ponitur baptismus; ablatis autem non ponitur; ergo allata definitio baptismi est recta definitio physica.

5 Prob. 2. pars *ex Fund. Doct. in Hexam. p. 2. c. 41.* Definitio metaphysicè accepta est illa, quæ constat ex proprio genere, & differentia vltima; sed secunda definitio est huiusmodi; nam sacramẽtum est genus ad omnia sacramenta; regeneratio autem spiritualis, quæ fit per ordinem ad acquirendam vitam æternam, est differentia vltima, per quam baptismus differt ab omnibus alijs sacramentis; nam confirmatio per se importat gratiam roborantem, eucharistia gratiã nutrientem, pœnitentia gratiam sanantem, extrema vnctio gratiam tollentem reliquias peccatorum, ordo potestatem ad ea, quæ spectant ad Dei cultum; & matrimonium potestatem coercendi libidinem, vt docet *Flor. vbi s.* solus autem baptismus per se, & formaliter importat gratiam regenerantem per ordinem ad immediatè consequendam vitam æternam; nam si quis moreretur statim post baptismum, ad gloriam illicò euolaret; vt docet *Fund. Doct. in ep. ad Rom. lect. 19. S. Ponit secundam rationem; et de celebr. missar. p. 1.* in fine; quod nequit competere alijs sacramentis, etiamsi per accidens primã conferant gratiam; ergo allata definitio rectè explicat metaphysicè essentiam baptismi; & ideo rectè assignatur.

6 Conf. vtraq; pars. Non est de ratione definitionis siue physicæ, siue metaphysicæ, quòd explicet existentiam rei, quæ accidentaliter aduenit rei; definitio enim essentialis datur tantùm per essentialia, non per accidentalia; sicut accidentalis, quæ descriptio dicitur, non definitio, datur per accidentalia, non essentialia; ideo non est de ratione definitionis, quòd explicet actionem effectiuam rei; actio enim ordinatur ad existentiam, seu ad ponendam essentiam sub actuali existentia; sed vtraque definitio allata rectè explicat essentiam baptismi per essentialia, ex quibus, tanquam ex partibus substantialibus, baptismus conficitur; & fine quibus baptismus non fit; quanuis non explicet actionem ministri, per quam fit, & dispositionem subiecti, per quam recipitur; ergo vtraque definitio allata rectè assignatur; quanuis non explicet intentionem ministri, & suscipientis, per quam baptismus conficitur. Ma. constat de se; & mi. patebit magis ex solutione obiectionũ. Tandè vtraque definitio est per paucissima verba distinctè explicantia, non autem per plura verba lato circuitu describentia partes essentiales baptismi; sicut sunt definitiones postremæ; quæ magis recedunt à regulis strictæ definitionis, quàm recedat definitio *Mag. et Hug.* vnde potiùs istæ descriptiones, quàm definitiones, sunt appellandæ; ergo idem.

7 Collig. ex dictis definitionem *Hug.* rectiùs tradi, quàm alias *à Recentioribus* allatas, quia per verba pauciora explicat, quod continet secunda definitio à nobis *ex scripturis, et S. P. Aug.* desumpta; & esse per partes metaphysicas, vt diximus; definitionem autem *Mag.* esse per partes physicas, & rectiùs tradi, quàm cæteras; vtranq; tamen minùs strictè seruare leges bonæ definitionis, quàm nostras.

8 Obije. 1. *Laur.* cont. 1. part. De ratione formali sacramenti est significare efficaciter gratiam; sed prima definitio non est huiusmodi; nullum enim verbum significat gratiam; ergo non est bona. 2. Nulla pars in recto enunciatur de toto; non enim valet manus est homo; valet enim solùm in obliquo; vt manus hæc est hominis; sed ablutio, seu aqua est pars baptismi; ergo nequit in recto de baptismo enunciari; atqui definitio enunciatur in recto de definito; ergo ablutio aquæ non est definitio baptismi. 3. Materia baptismi est aqua, non ablutio; vt patet *ex 3. Io. Nisi quis renatus fuerit ex aqua etc*; ergo non est per partes physicas; quia non est per materiam, & formam.

Ad 1. resp. 1. dist. ma. De ratione sacramenti metaphysicè sumpti, conc; physicè, neg; nam physicè significat solùm materiam, & formam, ex quibus conficitur. 2. Dist. ma. De ratione sacramenti est significare explicitè, vel implicitè gratiam ita, vt si definiatur metaphysicè, illam significet explicitè; si verò physicè, tantùm implicitè, conc; secus, neg; & sic dist. mi. Prima definitio non significat explicitè gratiam, conc; implicitè, neg; illa enim exterior ablutio corporis significat interiorem animæ ablutionem, quæ non fit, nisi per gratiam in sacramento collatam. Præterea dicitur gratiam esse effectũ baptismi; definitio autem essentialis datur per partes essentiales, non per effectum; nam defini-

nitio per effectum est accidentalis, quia est per operationem, non per essentiam. Ad 2. dist. mi. Ablutio sumpta sine verbis est pars, conc; simul cum verbis, neg; sicut animal sumptum sine rationali est pars definitionis hominis, non autem definitio; sumptum autem simul cum rationali non est pars, sed definitio hominis, quæ in recto de ipso enunciatur; vnde definitio, seu essentia baptismi non importat solam ablutionem ita, vt verba importentur tantùm, vt conditionem *sine qua non*; vt *aliqui* imaginantur; sicut definitio hominis non importat solùm corpus essentialiter, & animam rationalem, vt conditionem *sine qua non*; sed vtrumq; importat essentialiter; quia importat essentialiter partes physicas, ex quibus constituitur; ideo definitio baptismi importat directè ablutionem, & verba, quæ integrant, tanquam partes, definitionem adæquatam, quæ postea adæquatè sumpta prædicatur de baptismo, vt patet etiam ex definitione, quæ datur per genus, & differentiam. Ad 3. dist. ant. Materia remota, conc, proxima, neg; nam aqua præcisa ablutione non est materia baptismi; cùm enim baptismus sit sacramentum consistens in vsu, & in actione; ideo proxima illius materia est ablutio, quæ nequit fieri, nisi in aqua; vnde cùm dicitur *Io. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua*; per illud verbum *renatus* indicatur ablutio, quia significatur actio, qua homo renascitur in aqua; actio autem aquæ non est, nisi ablutio.

9 Obijc. 2. *Mostr. hìc disp. 2. n. 32.* Non est contra leges definitionis relationis in concreto addere conditiones, & rationem fundandi; sed definitio tradita *à Scoto* non continet aliud, nisi fundamentum, terminum, & rationes fundandi essentialiter requisitas, sine quibus significatio sacramentalis non subsistit; ergo definitio tradita *à Scoto* non est comata, & superflua, vt apponunt *Thomistæ. 2. Cum Hiquæo.* Si quis baptizaret canem cum præscripta verborum forma, vt quandoque faciunt malefici, illa ablutio non esset baptismalis; ergo nisi ponatur in definitione baptismi *ablutio hominis*, non est rectè assignata. Si quis ablueret se ipsum, illa ablutio non esset baptismus; ergo idem.

Resp. ad 1. dist. ma. Si *ly* in concreto dicat essentiam, & existentiam, conc; si dicat solam essentiam, neg; aliter cùm relatio *à Phil.* definitur *ordo vnius ad aliud*, non bene definiretur, quia in hac definitione non ponitur ratio fundandi relationem, vt claret. Idem dicendũ de relatiuo *secundùm dici*, vt est baptismus. Ad 2. neg. cons; sicut enim aliud est loqui de productione veri hominis, & aliud de eius essentia, vt aliud est, quòd per coniunctionem hominis cum equa non producatur verum animal rationale; & aliud, quòd homo bene non definiatur animal rationale; ita aliud est, quòd per ablutionem canis cum præscripta forma verborum non fiat verus baptismus; & aliud, quòd ablutio corporis cum præscripta verborum forma non sit essentia baptismi; ergo sicuti ex eo, quòd ex coniunctione hominis cum equa non producatur animal rationale, non sequitur, quòd in definitione hominis debeat poni animal rationale productum ex coniunctione maris, & fœminæ eiusdem speciei; ita ex eo, quòd ex ablutione canis cum debita verborum forma non conficiatur verus baptismus; attamen non sequitur, quòd in definitione baptismi poni debeat ablutio hominis. Ad 3. eodem modo dist. ant. Ablutio facta à se ipso non est verus baptismus defectu essentiæ, seu partium essentialium, ex quibus conficitur baptismus, neg; defectu actionis confectiuæ ipsius baptismi, neg.

10 Obijc. 3. Baptismus perficitur, nedum aqua, & verbis, sed etiam intentione ministri, vt docet *Flor. in decr. vnionis Armenor*; sed ex allata definitione non ponitur intentio ministri; ergo est diminuta. 2. Si verba non continuentur, sed longa interpolatione seiungantur, non est verus baptismus; sed allata definitio hoc non exprimit; ergo non est bona definitio. 3. Si quis inuitus baptizaretur, nõ esset validus baptismus; ergo in definitione baptismi debet exprimi *ablutio hominis aliqualiter consentientis*. 4. Definitio debet conuerti cum definito; sed allata definitio baptismi non conuertitur cum baptismo, quia non omnis ablutio cum præscripta verborum forma est verus baptismus; ergo non est recta definitio.

Resp. hæc omnia solui eodem modo, quo dictum est ad 2; aperta enim hallucinatio est de confectione, seu de actione, qua conficitur verus baptismus; & de eius essentia, quæ in eius definitione explicatur, in qua tamen non explicatur actio, qua fit, & qua existit. Sicut enim licèt verus homo non possit à parte rei generari, nisi per veram generationem, & mediantibus accidentibus proprijs; quia tamen actio, & accidentia, quibus generatur homo, non ingrediuntur intrinsecè constitutionem hominis, ideo non debent poni in eius definitione; ita quanuis non fiat verus baptismus, nisi adsit intentio ministri, & recipientis; & sic de cæteris; attamẽ quia hæc non constituunt intrinsecè, tanquam partes essentiales physicæ, vel metaphysicæ essentiam baptismi, ideo non debent poni in illius definitione. In forma igitur ad 1. dist. ma. Baptismus perficitur etiam intentione ministri, tanquam ex parte substantiali constituente eius essentiam, neg; tanquam actione, qua fit, conc. Ad 2. dist. ma. Si verba non continuentur, non est verus baptismus defectu alicuius partis substantialis, neg; defectu actionis, qua conficitur, conc. Ad 3. dist. ant. Non esset validus baptismus defectu partium essentialium, neg; defectu dispositionis exactæ in passo, conc. Ad 4. dist. mi. Non conuertitur cum definito quantùm ad

eius essentiam, neq; quantùm ad existentiam, & confectionem, conc.

11 Inst. Ea est differentia inter sacramenta, quæ consistunt in vsu, & in actione, & quæ consistunt in esse permanente; quòd illa includunt actionem, tanquam partem essentialem, seu materiam proximam, ex qua, & forma efficiuntur; sed baptismus est sacramentum consistens in vsu, & in actione; ergo includit actionem, tanquam partem sui; & ideo definitio, quæ non exprimit actionem, per quam fit baptismus, non est bona, quia partes essentiales illius adæquatè non explicat.

Resp. actionem, qua fit sacramentum consistens in vsu, duplicem esse; aliam extrinsecã, & merè efficienter extrinsecè se habentem, & hæc non debet poni in definitione, in qua non ponuntur, nisi partes essentiales intrinsecè componentes rem; & de hac locuti sumus; aliam verò esse intrinsecam formaliter, quia ex ipsa, tanquam materia, & ex forma fit sacramentum, & hæc est ablutio, quæ ponitur in definitione. Dist. igitur ma. Sacramenta, quæ consistunt in vsu, includunt intrinsecè actionem, *à qua* fit, neg; actio enim *à qua* est actio causæ efficientis, quæ est extrinseca, sic in baptismo est intentio ministri, quæ cùm sit actio immanens in voluntate, est extrinseca baptismo, qui consistit in actione extrinseca voluntati. Includunt actionem, *ex qua*, conc; & sic dist. conf. Recta itaque est definitio baptismi, siue dicatur *ablutio*, siue *lauacrum aquæ*; vtraque enim importat actionem physicam externam aquæ, *ex qua* fit baptismus intrinsecè. Sic etiam dicitur *de regeneratione*.

A R T. V.
Quænam sit materia baptismi?

1 PRima hæresis, quæ contigit circa baptismum videtur tradita *à Gnosticis*, vt colligitur *ex Iren. lib. 1. cont. hær. Manichæorum apud S. P. Aug. de hær. hær. 46; & Seleucianorum, seu Herminianorum apud eundem hær. 59; & Paulianorum apud eundem hær. 44; & apud Euthym. p. 2. Panopl. tit. 21; & apud Sander. lib. 7. de visib. monarchia hær. 113.* Differunt tamen inter se; nam *Manichæi*, vt refert *S. P. ibid*; baptismum penitus negabant asserentes neminem esse baptizandum, eo, quia baptismus ad salutem non prodest, qui manifesto Christi testimonio *Marc. 16.* conuincuntur: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit. Seleuciani* verò, & *Iacobitæ* perperam intelligentes illud *Matth; & Luc. 3. Ille vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni* dixerunt materiã baptismi esse ignem, quapropter ferro ignito imprimebant signum crucis frontibus baptizatorum.

2 Secunda hæresis fuit *Flagellantium* apud *Castro v. baptismus hær. 12;* & apud *Prateol. v. Flagellantes*, asserentium aquam non esse amplius materiam baptismi, sed ex Diuina ordinatione ei successisse sanguinem ita, vt baptismo fluminis euacuato baptismus sanguinis successerit; quapropter virgis, & flagellis aculeatis se flagellantes proprium sanguinem è suo corpore extrahebant, quo se baptizare opinabantur; & ideo à semetipso quemquam baptizari posse affirmabant.

3 Tertia hæresis fuit *Caluini*, qui malè intelligens illud *Ezech. 36. Effundam super vos aquã mundam, et mundabimini*, & illud *Io. 4. Qui biberit ex aqua, quã ego dabo ei, non sitiet in æternũ*; de qua subdit *Euangelista*: *Hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant hi, qui in eum erant credituri*; ad metaphoram detorsit illud *Io. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto*, asserens nomine *aqua* significari Spiritum Sanctum metaphoricè, & propterea negauit aquam naturalem esse materiam baptismi.

4 Veritas tamen catholica est aquam elementarem, quę naturalis dicitur eo, quia à natura producta est ad differentiam aquæ per artem extractæ, esse materiam remotam baptismi; ablutionem verò, qua corpus aqua diluitur, esse materiam proximam. *Ita Fund. Doct. Ægid. de Sum. Trin. & Fide cath. fol. 4. col. 2; & omnes SS. PP; ac DD. communiter.*

5 Vnica concl. Materia remota baptismi est aqua naturalis, seu elementaris, proxima verò est ablutio facta per aquam naturalem.

Prob. 1. *ex Act. 8. Dum irent per viam, venerunt ad aquam quandam, & ait Eunuchus: Ecce aqua; quis prohibet me baptizari; et Act. 9; &* 10. legitur Apostolos baptizasse in aqua naturali; inquit enĩ Petrus: *Nũquid aquã quis prohibere potest, vt non baptizentur hi etc*; ex quibus deducitur illud *Io. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto* non posse sumi identicè ita, vt aqua, & Spiritus Sanctus vnam, & eandem rem, nempe Spiritum Sanctum, significent; sed distinctè ita, vt particula *et* copulet duas res distinctas, nempe aquam naturalem, & Spiritum Sanctum, qui super baptizatum aqua naturali descendit; ergo *ex scripturis* materia baptismi est aqua naturalis propriè, non metaphoricè. Præterea materia baptismi fuit aqua, quam Christus suo cõtactu sanctificauit *in Iordane*, cùm *à Ioanne* fuit baptizatus; sed aqua *Iordanis* est vera, & naturalis; ergo idem.

6 Prob. 2. *ex S. P. Aug. in ep. 1. Io. tract. 7:* vbi explicans ea verba allata *à Caluino*: *Si quis sitit veniat ad me, et bibat*, inquit: *Quid est illa aqua? Nemo me interroget: Euãgelium interroga: Hoc autem dicebat, ait, de Spiritu, quem accepturi erant hi, qui in eum erant credituri. Aliud est ergo aqua sacramenti, aliud aqua, quæ significat Spiritum Dei. Aqua sacramenti visibilis est, aqua Spiritus inuisibilis est. Ista abluit corpus, et significat, quòd fit in anima; per illum Spiritum ipsa anima mundatur, et saginatur*; ex quibus sic: Aqua, quæ est materia ba-

baptismi, debet esse visibilis, & sensibilis, quia per ipsam debet tangi, & ablui corpus, quo significatur ablutio à peccatis, quæ fit in anima per Spiritum Sanctum inuisibiliter; sacramenta enim sunt signa sensibilia, & visibilia gratiæ inuisibilis, & insensibilis, vt diximus *in sup. tract. q. 2. art. 1. §. 3. à n. 3* ergo est aqua naturalis, seu elementaris, vt mox dicemus.

7 Prob. 3. ex triplici *Conc. Lat. in c. Firmiter de sum. Trin. Flor. in decr. Eugenij, et Trid. sess. 7. can. 2. de baptismo definiente*: *Si quis dixerit aquam veram, et naturalem non esse de necessitate baptismi, atque adeò illa verba Domini nostri Iesu Christi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto: ad metaphoram aliquam detorserit, anathema sit*, & habetur *ex Innoc. III. de bapt. c. 5. non vt*; vbi statuit puerum saliua defectu aquę baptizatum baptismum non suscepisse. Quamuis autem huius rei potissima ratio sit Christi voluntas, quæ decreuit instituendo baptismum aquã, & non alium liquorem, esse materiam illius, attamen plures congruentiæ afferuntur *à DD.* Prima traditur *à Fund. Doct. Ægid. vbis.* Materia sacramenti simpliciter omnibus necessarij ad salutem debuit esse communissima ita, vt vbique inueniri possit facillimè, aliter si haberetur difficulter multi, morte properante sine tali sacramento perirent; sed aqua naturalis, seu elemẽtaris est communissima, & vbique inuenitur ita, vt nullus alius liquor siue naturalis, siue artificialis possit facilius, vel æquè facilè haberi, vt notum est; & baptismus est sacramentum ad salutem omnibus simpliciter necessarium; ergo conueniens fuit, vt aqua naturalis, seu elementaris sit materia baptismi. Secunda *ex D. Tho.* Aqua propter diaphaneitatẽ participat de perspicuitate luminis; ergo congruum fuit, vt sit materia baptismi, qui *à D. Dion. illuminatio* dicitur eo, quia per fidem illuminat mentem ad cognoscendum Deum. Tertia *ex Hug. lib. 2. de sacram. c. 14.* Aqua naturalis habet mundare corpora; nam alij liquores aliquam maculam semper afferunt, & sola aqua naturalis omnes maculas habet detergere, & nullam inferre; sed materia baptismi habet significare ablutionem, quæ fit in anima, à maculis peccatorum; quæ ablutio omnem maculam tergit siue originalem, siue personalem, & nullam infert; ergo aqua naturalis est materia baptismi. Hæc ratio sumpta est *ex S. P. Aug. vbi s.* Quarta *ex Catech. Rom.* Materia baptismi significat refrigerationem passionum exardentium in peccata, quæ refrigeratio fit per baptismum, sed aqua naturalis habet refrigerare, quapropter *frigida* antonomasticè dicitur; ergo idem. Quinta. Materia baptismi debet significare fœcunditatem, qua homo regeneratur spiritualiter filius Dei; sed aquæ naturali conuenit fœcunditas, *vt Gen. 1. Producat aqua etc*; super quod *S. P. Aug. de Gen. ad lit.* ait, quòd omnis generatio fit vel ex aqua, vel in aqua, ergo idem. Sexta; quia immersio, quæ fit in aqua, significat Christi sepulturam, & emersio resurrectionem; ergo debuit esse materia baptismi, quo sepelimur cum Christo, vt docet *Apost.*

8 Prob. 2. pars; concl. Materia proxima cuiuslibet sacramenti est illa, per quam applicatur materia remota; sicuti materia remota est res applicata per materiam proximam, seu immediatam; remotum enim, & mediatum idem est, sicut proximum, & immediatum, vt constat; sed ablutio, quæ fit per aquam, est id, quo aqua applicatur corpori; ergo est materia proxima. Idẽ patet de omnibus alijs sacramentis, quæ consistunt in vsu; sicut enim materia proxima ipsorũ est contactus, quo corpus hominis recipientis sacramentum contingitur à materia remota ipsius sacramenti; ita ablutio, qua aqua contingit corpus baptizati, est materia proxima baptismi.

9 Objic. 1. *Haretici* illud *Matth. 3. Ipse vos baptizabit Spiritu Sancto, & igni*; ergo ignis est materia baptismi. 2. Ceteri liquores, & præsertim lixiuium, quod fit ex humore extracto ex cineribus, habent maximam virtutem purgandi corpus à sordibus; ergo æquè sunt materia baptismi, ac aqua naturalis. 3. *Stephanus Papa ad Monachos monasterij Britenniaci c. 11.* scribit: *Si in vino quis propterea, quòd aquam non inueniebat, omnino periclitantem infantem baptizauit, nulla ei proinde adscribitur culpa*; ergo in casu necessitatis vinum etiam est materia baptismi. 4. *Niceph. lib. 3. Hist. Eccl. c. 37.* refert quendam *Iudaum* ex improuiso periclitantem in vasta quadam solitudine, in qua aqua non habebatur, fuisse à Christianis baptizatum arena super eius caput impostia, & statim post baptismum miraculosè cõualuisse, quo videtur probari baptismi validitas etiam sine aqua, & per consequens aquam non esse materiam necessariam baptismi.

Resp. ad 1. illum *textum Matth.* intelligi *à SS. DD. Aug. & Hier.* de apparitione Spiritus Sancti in die *Pentecostes*, quo in forma ignis apparuit Discipulis. Vel si intelligi libeat de baptismi sacramento, tunc non significatur illis verbis materia, & forma baptismi; sed significantur eius effectus, nempe gratia sanctificans, & charitas habitualis, quæ per Spiritum Sanctum in baptismo infunduntur; sicut enim nomine Spiritus Sãcti nõ significatur forma; ita nomine ignis nõ significatur materia. Ad 2. neg. ant; ceteri enim liquores, & si purgent ab aliquibus maculis, attamen inducunt alias maculas; vnde si vestes lineæ lixiuio purgatæ non lauarentur aqua naturali, ostenderent maculas à lixiuio relictas. Aqua ergo sola tergit omnes maculas. Ad 3. resp. *Nicolai in Scholijs ad art. 3.* huius definitionis non stare certa monumenta, ideo inter scripturas apocryphas reijci; vel *cum alijs* Papã non definire validitatem sacramenti, sed solùm decernere pœnam infligendam sacerdoti bapti-

zan-

zanti in vino; subdit enim: *Si adfuit aqua, ille Presbiter excommunicetur*; quia tamen aqua non habebatur, & baptizatus periculum mortis euaserat, poterat excusari sacerdos, qui per simplicitatem, & ignorantiam peccauerat, & corrigi error aqua baptizando, qui fuerat baptizatus in vino. Nec aliter dici potest, secus contradiceret *Innoc. III. vbi s.* Ad 4. dicitur illum *Iudæum* fuisse baptizatum in aqua iussu *Dion. Episcopi Alexand*; ad cuius notitiam delatus fuerat casus. Miraculum autem sanitatis (inquit *noster Putean.*) non fuit vi baptismi patratū, qui nullus, & irritus fuit, sed vi fidei christianæ, quam conceperat *Iudæus*, seu vi baptismi in voto.

10 Aduertendum tamen, quòd solùm in casu necessitatis potest quis licitè vti aqua naturali in baptismo; nam extra casum necessitatis debet vti aqua chrismate consecrata. Si tamen etiam extra necessitatem vteretur quis aqua naturali sine chrismate, validus esset baptismus, & baptizans deberet puniri, quia faceret contra ritum Ecclesiæ; & ideo grauiter peccaret; vt statuit *Trid. sess. 7. can. 13.*

11 Obijc. 2. cont. 2. part. concl. *noster Fernacques*, cui non probatur distinctio materię remotæ, & proximæ baptismi. 1. Quia *Concilia, & PP.* non faciunt mentionem, nisi de aqua naturali; & nusquam aiunt ablutionem esse materiā proximam. 2. Non datur forma proxima, & remota; ergo idem dicendum de materia. 3. Ablutio est actio ministri, quæ nequit esse materia baptismi; sicut actio confessarij absoluentis nequit esse materia pęnitentiæ. 4. Vel ablutio dicit aliquid distinctum ab ipsa aqua; vt rectiùs iudicant *Democritistæ* asserentes importare quasdam athomos, quasi radios; vel dicit ipsam aquam? Non primum; quia materia baptismi debet esse visibilis, & sensibilis in omnium sententia; illæ autem athomi, aut entitatulæ, vt loqnuntur *alij*, non cadunt sub sensum; ergo nequeunt esse materia baptismi. Si secundum; ergo non geminatur materia; sed vna est tantùm. 5. Si ablutio esset materia proxima, vel intelligeretur de ablutione actiuè, vel passiuè sumpta? Non primum; quia ablutio actiuè sumpta est actio ministri. Nec secundum; quia sicut currus vehens merces, & non vehens merces non geminatur ita, vt sit duplex currus; sic aqua abluens, & nō abluens non est duplex materia. Tum quia ablutio passiuè sumpta est in corpore, non in aqua.

Resp. ad 1. quòd licèt *apud Concilia, & SS. PP.* non fiat mentio explicitè sub his terminis materiæ proximæ, & remotæ; attamen implicitè, & secundùm rem traditur; nam cùm euangeliū ait: *Baptizantes eos &c.* implicitè dicit ipsū ablutionem, quæ non est, nisi baptizatio. Etenim certum est, quòd si aqua corpus non abluat, non est materia, ex qua actu fit baptismus; vt docet *S. P. Aug. tract. 80. in Io. Vt corpus tangat, & cor abluat. & innumeris alijs in locis*, vt vidimus superiùs, & nouissimè *in hoc art. n. 6. Aqua abluit corpus &c*; quibus verbis immediatè subiungit per illam ablutionem significari ablutionem, quæ fit in anima; & idem docent *omnes alij SS. PP.*; ergo quanuis expressè non asserant ablutionem aquæ esse materiam proximā; quia tamen idem dicunt secundùm rem; ideo nequit ista diuisio *à Theologicis* maioris explicationis gratia adinuenta negari. Ad 2. neg. cons. sicut enim in physicis licèt non detur forma proxima, & remota; attamen ponitur potentia materiæ proxima, & remota; ita à pari. Tum quia ideo non ponitur forma proxima, & remota; quia verba non existunt, nisi cùm proferuntur; at verò aqua existit, etiamsi actu non abluat; ideo necesse fuit distinguere aquam non abluentem, & abluentem. Ad 3. dist. ant. Ablutio effectiuè sumpta est actio ministri, conc; formaliter, neg; est enim effectus formalis aquæ; sicut dicitur de dealbatione respectu dealbatoris, & respectu albedinis. Ad 4. dicitur *cum Fund. Doct. Æg.* ablutionem dicere ipsam aquam sic se habentem; vt dicitur de dealbatione; vnde cùm distinguitur materia baptismi in proximam, & remotam, non diuiditur in duas substantias realiter distinctas, sed in duas rationes formales virtuales virtualiter distinctas; sicut cùm diuiditur homo in animal, & rationale, tanquam in partes metaphysicas hominem componentes; ideo non geminatur materia secundùm realitates, sed secundùm formalitates. Ad 5. dicitur, quòd non intelligitur de ablutione efficienter actiua, nec de passiua, sed de formali; vt dictum est. Ad improb. dicitur, quòd sicuti nemo diceret currū mercibus onustum non esse diuersū à se ipso mercibus vacuo; ita nec dicendum est aquam abluentem non esse realiter diuersam à se ipsa non abluente, quanuis non sit duplex aqua, sed vna; ideo duplex materia rectè dicitur, quāuis non duplex aqua.

§. 1.

Aliquorum casuum circa materiam baptismi decisio.

12 QVi baptizaret etiam in casu necessitatis in vino, oleo, ceurisia, lacte, sudore, vrina; lacrimis, sputo, saliua, aqua rosacea, violacea, vel à vitibus profluente, aut extracta per artem à quacunque herba, vel planta, metallo, lapide, aut quacunque alia re, non conferret sacramentum baptismi; etiamsi nullo modo aqua posset haberi. Est *cont. nostros Putean. et Fernacques hic c. 2. q. 2. §. 3. et paucos alios*; communiter tamen traditur ab omnibus alijs, vt videri potest *apud Bonac.* Prob. *ex Innoc. III. c. 5. non vt de bapt.* vbi statuitur puerum in periculo mortis defectu aquę baptizatum saliua verum non suscepisse baptismum; sed saliua est aqua extracta à corpore hominis, sicut aliæ aquæ sunt extractæ ab alijs corporibus; ergo doctrina *Innocen-*

centiq; currit de omnibus; non enim potest adduci ratio, cur aqua extracta vel per naturam, vel per artem ab vno corpore, & non ab altero, sit vera materia; sed saliua est aqua extracta per naturā ab homine, in quantùm corpus est; humor enim est dimanans ab humido radicali, quod simul cū alijs partibus constituit naturam corporis; ergo idem dicendum de alijs humoribus extractis ab alijs corporibus.

13 Inst. 1. In extremo periculo extrema quæque remedia tentanda sunt; sed baptismus in aqua rosacea est extremum remedium, cùm *multi Theologi* ipsum asserant profuturum infanti; ergo est conferendus. 2. Valde verisimile est aquam è floribus vi ignis extractam esse aquam naturalem; quia valde probabile est elementa formaliter manere in mixto, & ideo quando separantur, non sunt, nisi pura, & naturalia elemēta. Tū quia sicut è silice extrahitur verus ignis, & naturalis; ita è floribus extrahitur vera, & naturalis aqua; ergo etiansi elementa non sint in mixto formaliter, sed tantùm virtualiter, è floribus potest extrahi vera aqua naturalis, sicut è silice extrahitur verus ignis naturalis. 3. In tantùm aqua rosacea non est idonea baptismi materia; in quantùm aqua rosacea differt forma substātiali ab aqua elementari; sed cons. vel est falsum, vel saltem eius oppositum est probabile; quia sententia *Democriti, et Epicuri*, quæ negat formas substantiales inanimes differre à materia, quæ sententia non est contra fidei principia, & tenetur à tot *DD.* etiam catholicis; ergo probabile etiam est talem aquam profuturam baptizato, & ideo baptismus in ea ei debet conferri.

Resp. ad 1. neg. mi; nam baptismus in aqua rosacea non est remedium, quia est omnino inutilis, & nullius virtutis. Nec paucorum Theologorum suffragium ei aliquam validitatē potest conferre; quia illud eneruat *canon Innoc. III; et omnium aliorum DD.* consensus; & aliæ rationes mox subijciendæ. Ad 2. neg. ant; si enim humor, qui extrahitur è floribus, esset vera aqua elementaris; idem esset dicendum de humore, qui extrahitur è fructibus; cùm elementa æquè sint in floribus, & fructibus; & sic etiam vinum, oleum &c. essent vera aqua elementaris; quod nisi desipiens assereret. Dispar est ratio de igne è scilice excusso; quia percussione producitur; si enim comprimeretur, aut resolueretur silex in partes, ignis non exprimeretur; ideo signum est, quòd ex illa percussione producitur; at humor ex compressione florum exprimitur; ideo non est vera aqua elementaris; aliter vinum, oleum &c; imò & humor vitrioli, & aliorum semimineralium, & mineralium esset vera aqua elementaris, quòd nullus chimicus, quem appellat *Farnacquet*, asserit. Ad 3. neg. mi; nam sententia *Epicuri* reprobata est *ab Apost*; vt ostendemus *in de eucharistia*; atque adeo est omnino improbabilis. Sed illa, licèt falsa, supposita, quanuis non valeret ratio ducta ex formæ diuersitate, valeret tamen ratio ducta ex diuersa athomorum dispositione, quam ponunt *Epicuræi, et Democritistæ* loco formæ ad diuersificandam vnam rem ab altera; & ex hoc rectè concluderetur aquam rosaceam non esse elementarem.

14 Conf. Non legitur baptismum *Ioannis*, qui fuit præparatorius ad Christi baptismum, nec baptismum Christi fuisse collatum vel in aliquo liquore, vel saliuo, vel sputo, vt legitur de collirio, quem Christus sputo confecit ad aperiendos oculos cœci nati; & tamen valde verisimile est, quòd tanto tempore aliquis casus extremæ necessitatis emerserit; nec Apostoli quæsijssent aquam fluuiorum, sicut legitur *in Act*; ergo sacrilegum esset aliud, præter aquam naturalem, adhibere. Tandem si validus esset baptismus in aqua rosacea, catholici tantùm sacrilegè iterarent baptismum *Vuiclefistarum* baptizantium in aqua rosacea, vt refert *Nicol. Harpsfeld in eorum hist. apud eundem Farnacques*; ergo sicuti praxis, ita doctrina catholica est baptismum in aqua rosacea inualidum esse.

15 Qui baptizaret in iure, seu in aqua, in qua caro fuit cocta ita, vt transmutata fuerit aquæ substantia, baptizaret inualidè. Sic dicendum de attramento, quod ampliùs aquæ substātiam non habet. Secus tamen, si illa aqua aquæ elementaris essentiam substantialiter, quanuis esset accidentaliter variata vel per calefactionē, vel per modicam immissionem alicuius odoris, vel humoris, aut liquoris, aut corporis solubilis ita tamen, vt tanta non sit quantitas liquoris, humoris &c; vt aquam in suam substantiam conuerterit; sed substantia aquæ substantialiter immutata remanserit; tunc enim validus esset baptismus, quia haberetur materia secundùm suam veram essentiam.

16 Nix glacies, grando, lutum modica mixtum aqua non est idonea materia baptismi; nam materia baptismi debet esse talis, vt possit abluere, cùm per ablutionem celebretur baptismus. Secus verò si corporis calore, vel aeris nix, glacies &c; resoluantur; & aqua ex luto exprimatur; tunc enim abluere potest. Est communis sententia, vt potuimus videre.

17 Qui baptizat aqua maris, putei, fontis, balnei, vel pluuiæ, validè baptizat, etiansi habeat admixtas varias exhalationes, odores, fœtores, & transierit per venas sulphureas, salsas &c; dummodò tamen essentiam aquę elementaris retineat, nec sit ab illis immixtis qualitatibus substantialiter corrupta. Nec refert, quòd aqua dulcis, & amara supponatur specie diuersa; sicut supponitur vinum album, & rubeum; & tamen vtrumq; est apta materia sacramenti eucharistiæ.

18 Regula igitur generalis est, quòd mixtio facta in materia omnium sacramentorum, dum-

dummodò non sit tanta, vt variet substantialiter substantiam, non officit validitati sacramenti; vt mixtio paucorum granorum hordei non varians substantiam panis non reddit inualidā consecrationem. Ratio est; quia cùm difficultet possit haberi substantia purissima simpliciter, difficultet, rarò, imò ferè nunquam haberetur sacramentum, quod suauitati legis Christi repugnat.

19 Parochus vtens materia dubia, aut probabili eo, quia nequit sine vitæ discrimine vti materia certa, vt tempore belli timet haurire aquam à fonte, vbi potest ab inimicis occidi, peccat mortaliter. *Ita noster Fernaeques.* Ratio ipsius est. Bonus Pastor tenetur pro suis ouibus animam ponere iuxta illud *Io. 10. Bonus Pastor animam suam ponit pro ouibus suis*; hoc autem nō esse consilium, sed præceptum, colligitur *Io.15*; vbi postquam dixit *Maiorem hac dilectionem non esse, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis*; subdit: *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis.* Sicuti enim Dux exercitus accepto stipendio tenetur vitam periculo exponere, vt ab hostibus Vrbem defendat; ita à pari.

20 Ablutionem posse fieri per aspersionem, vel per immersionem, vel per effusionem aquæ super corpus baptizati est communis sententia. Primus modus colligitur *de consecr. ex Cypr. Papa c. 125. mi quenquam*; *& ex Tertull. lib. de corona militis c. 1; & aliqui*, inter quos *Estius dist. 3.§.10*; volunt Apostolos, cùm baptizarunt vna die tria millia hominum, illos baptizasse per aspersionem. Secundus modus habetur *de consecr. dist.4. c.76; & seqq; & S. Cypr. lib.4.ep.7; & Fund. Doct. Æg. in ep. ad Rom. lect. 19. col.1.* prope finem ait, quòd *conuenientiùs fit baptismus per immersionem, quàm per aspersionem, quanuis causa necessitatis, quando multi sunt baptizandi, possit per aspersionem fieri*; nam per immersionem baptizatus sepelitur in aqua, & assimilatur Christo in sepulcro iacenti. Verùm propter periculum infantis communis Ecclesiæ ritus est baptizare per effusionem.

21 Baptizans ter debet puerum abluere, vt habetur *de consecr. dist.4.c.76.postquam*; vbi dicitur, quòd ter debet ablui, quia baptismus confertur in nomine Trinitatis; & quia significat resurrectionem Christi Domini, qui tertia die resurrexit. Idem habetur *c.77;78;79;80; 81.* Si quis tamen vel extremæ necessitatis gratia, vel ad vitandam hæresim, aut schisma semel tantùm ablueret, validus esset baptismus, vt habetur *ibid. c. 83. propter vitandum*; & tunc significatur vnitas essentiæ Diuinarum personarum; vnde *D.Greg. lib. 1.ep. 41*; & habetur *de consecr. vbi s. c. 78. de Trina* monet *Leandrum Episcopum Hispalen*; vt vnicam ablutionem seruaret propter *Arianos*, qui trina ablutione significare intendebant tres personas Diuinas non esse vnius, & eiusdem essentiæ. Qui tamen extra necessitatem vnica tantùm ablutione baptizaret, grauiter peccaret, quia ageret contra ritum Ecclesiæ, & esset deponendus iuxta *can. Apostolorum 49.* relatum *vbi s. c.77. si quis.* Nec obstat *c.multi* 80; vbi ait *Pelagius Papa* inuocationem Trinitatis, & trinam immersionem præceptam esse à Christo. Non obstat, inquam, nam, vt ait *D. Tho*; Pontifex directè definit inuocationem Trinitatis esse de præcepto, obiter tantùm adiungens trinam immersionem, quæ tunc erat de consuetudine, non de præcepto; aliter ei contradixisset *D.Greg. c. propter vitandum.*

22 Non est necessarium abluere totum corpus, sed sufficit, quòd abluatur pars principalior, vt caput, pectus, & scapulæ. Vnde extra casum necessitatis debet ablui caput, quod est sedes principalior animæ, quæ in illo exercet ferè omnes suas operationes, & hoc sub pœna peccati mortalis, quia sic baptizat Ecclesia. Casu autem, quo non posset ablui caput, sufficit ablui aliam partem principaliorem. Quòd si nec alia pars principalior ablui posset, vt cùm pueri manus, vel pes, aut digitus tantùm est extractus à ventre, tunc validè confertur baptismus baptizando illam partem etsi minimam; quia *anima est tota in toto, & tota in qualibet parte*; vt inquit *noster Putean.* Tum quia quòd debeat ablui hæc, aut illa pars determinatè est ex ritu Ecclesiæ, non ex institutione Christi. Hinc infert *idem Putean*; quòd si puer sic baptizatus superuiuat, non est rebaptizādus; quia verè fuit baptizatus; quanuis *Esparza hic art. 5; & noster Gibb*; quos plures alij sequuntur, doceāt rebaptizandum esse sub conditione.

23 Ex hoc deducitur puerum existentem in vtero matris ita, vt nulla pars corporis pueri ablui possit, abluto corpore matris non baptizari. Habetur *de consecr. vbi s. c. 33. si quicquid ex S.P. Aug. lib.6.cont.Iul.c.6*; cuius ratio est; quia baptizari est renasci, vt dicitur *Io.3. Nisi renatus fuerit &c*; nequit autem renasci, qui nullo modo natus est vel secundùm totum, vel secundùm partem. Sermo autem *hic* est de renascentia ex vtero, non in vtero; quia sermo est de renascētia, quæ fit per ablutionem in aqua; cùm autem corpus pueri existens in vtero nullo modo ablui potest; tunc non censetur natus ita, vt renasci possit in aquis.

24 Modica, & minima aqua, dummodò sufficiat ad abluendum, est sufficiens materia baptismi; quia ibi datur vera materia, & vera forma; & tempore Apostolorum, cùm baptizabatur tanta hominum multitudo, gutta cadēs supra singulos fuit sufficiens ad baptismi valorem.

25 Si capilli tantùm abluantur, censent esse baptizatum *Sot; Vasq; Telet; Coninch, & alij apud Layman*; negant *alij*; quia capilli non sunt pars corporis, sed tantùm excrementa. Vnde ca-

casu, quo aqua tangeret capillos solùm ita, vt carnem non tangeret, esse rebaptizandum docet. *Gibb.* quod à fortiori dicendum, si tangat solas vestes.

26 Si quis infantem moribundum defectu aquæ in ignem proijceret, non esset baptizatus baptismo sanguinis; nam sic baptizatur solùm, qui occiditur in odium fidei; ille autem occideretur in fidei obsequium, proijceretur enim in ignem, vt esset fidelis.

27 Si quis crederet se fuisse baptizatum, & viueret in fide S. Matris Ecclesiæ, & confessione nominis Christi, re vera tamen non esset baptizatus; ille esset à peccato originali solutus, & particeps vitæ æternæ. Habetur de *bapt. c. apostolicam sedem*; vbi *Innoc. III.* asserit præsbiterum non baptizatum mortuum in fide Christi cœlestem patriam adeptum fuisse; & refert *S. P. Aug. lib. 8. de Ciu. Dei*; docentem: *Baptismus inuincibiliter ministratur, quem non contemptus religionis, sed terminus necessitatis excludit*; Hic textus habetur apud *S. P. Aug. lib. 4. de bapt. cont. Donatist. c. 22*; & *D. Ambr. de obitu Valentiniani*; & habetur etiam *de consecr. dist. 4. c. 32. baptismi vicem ex eod. S. P. Aug. lib. 4. de vnico bapt. c. 22*; & *c. catechumenus 35. ex eod. ep. ad Fortunatum*; & *c. nō dubito 147. ex eod. cont. Donatist. vbi*; vbi refert *Latronem*, et *Cornelium* iustificatos sine baptismo; *et lib. 13. de Ciu. Dei c. 7.* rationem reddit; nam qui dixit: *Nisi quis renatus fuerit &c*; dixit etiam: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo*; et *Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam*, quibus verbis ostendit fidem credentis in Christū, & mortem toleratam pro fide Christi loco baptismi iustificare; ex quo deducitur tres esse batismatis species, vt *inf.*

28 Qui infantem in puncto mortis existentem proijceret in fluuium casu, quo eum alio modo baptizare non posset, verè baptizaret. Est communis *cont. Scot.* et *Scotistas* vno excepto *Card. Laur*; vt refert *Mastr. hic disp. 2. q. 2. art. 1. n. 39*; *et seq.* Hoc probat *Abbas ex c. non vt apponeres de bapt*; vbi dicitur, quòd *in baptismo duo sēper, videlicet verbum, et elementum necessariò requiruntur*; et *Flor. in decr. vnionis Armenor*; quòd sacramentum tribus perficitur materia, & forma, & intentione ministri; sed in casu ibi esset aqua elementaris, quæ est materia, & prolatio verborum: *Ego te baptizo etc*; & intentio baptizandi; ergo puer in casu esset verè baptizatus. Tum quia si baptizatus per immersionem casu decideret è manibus ministri, esset verè baptizatus, quanuis in aqua suffocatus maneret; ergo à pari. Tum quia quanuis martyrium afferat martyri mortem; attamen baptizat à culpis; & quanuis baptismus sanguinis sit ordinatus ad mortem corporis; attamen anima per illum à maculis peccatorum abluitur; ergo quanuis baptismus aquæ afferat corporis mortem; tamen animam à peccatis verè baptizat. Tandem *vbi lex non excipit, nec nos excipere debemus*; sed quando Christus instituit baptismum, non excepit casum, quo baptizatus in aqua moreretur; ergo nec nos hunc casum debemus excipere.

29 Inst. *Mastr. ex Scot.* Baptismus ordinatur per se ad vitam, non ad mortem; ergo non est verisimile, quòd Christus instituerit materiam baptismi, quæ est ordinata ad mortem, qualis est submersio. Prob; & explic. ant. Baptismus per se ordinatur ad vitam animæ, quæ est compatibilis cum vita corporis; nam Christus ita instituit sacramenta, vt simul cum virtute, quam corporaliter exhibent, spiritualem etiam virtutem conferant; vt panis, & vinum præter nutritionem, quam afferunt corpori per ordinem ad vitam corporalem; etiam virtutem, seu nutritionem animæ exhibent per ordinem ad vitam spiritualem. 2. Submersio non est ablutio propriè loquendo; etenim propriè illud dicitur ablui, quod immergitur, & statim emergit; ergo idem. 3. Ablutio baptismalis proportionem habet cum sola ablutione sordium salua rei substantia; sed submersio non saluat infantem, ergo non est ablutio baptismalis. 4. Quanuis submersio sit ablutio, attamen quia est peccaminosa, ideo non est materia baptismi; derogat enim nedum baptizato, sed etiam ministro, & sacramento, & cultui religionis. 5. Immersioni debet succedere emersio; quia baptismus est signū sepulturæ Christi, quæ significatur per immersionem, & resurrectionis, quæ significatur per emersionem; sed in casu non succedit emersio; ergo idem.

Resp. ad 1. dist. ant. Ordinatur ad vitam animæ, quæ est gratia, conc; ad vitam corporis, neg; ab illa enim præscindit; aliter quando baptizatus statim expirat, non esset baptizatus. Ad prob. dist. Ordinatur ad vitam animæ, quæ est compatibilis cum vita corporis possibiliter, conc; actualiter essentialiter ita, vt sine actuali vita corporis non possit haberi baptismus, neg; nam vt diximus, si nutritio actualis corporis esset necessariò coniuncta cum nutritione spirituali, sequeretur, quòd statim expirans post sumptam eucharistiam, sacramentum non sumpsisset; tunc enim nutritio corporalis non esset. Sufficit ergo, quòd res corporalis suo effectu, quem naturaliter elicit, significet effectum sacramenti, quanuis suum effectum naturalem per ordinem ad vitam naturalem corporis non præstet; secus extrema vnctio, quæ datur in puncto mortis, non esset sacramentum, & sic de alijs. Ad 2. neg. ant; ablutio enim propriè consistit in contactu aquæ, emersio autem ab aqua importat separationem à contactu, ideo potiùs opponitur ablutioni; imò res, quæ diu manent in aqua, magis ablui dicuntur. Ad 3. neg. ma; nam ignis destruxit corpora martyrum, & tamen co-

eorum animas lauit. Ad 4. dicitur, quòd etiam si concedatur, quòd illa proiectio in flunium esset peccaminosa ex parte projicientis, non tamen sequeretur, quòd non esset sancta, & sanctificans ex parte patientis; sicuti mors martyrum ex parte tyrannorum fuit peccaminosa, sancta tamen, & sanctificans respectu ipsorum martyrum, qui mortem fuerunt perpessi. Ad 5. dist. ma. Immersioni corporali debet succedere emersio corporalis, neq; emersio spiritualis, cùm baptismus enim significat sepulturam, & resurrectionem Christi, quatenus per ipsum morimur peccato, & ad gratiam, quæ est vita spiritualis, resurgimus.

A R T. VI.

Quænam sit forma baptismi?

1 FOrmam baptismi variè traditam fuisse *ab Hæreticis plures* referunt *Auctores*, inter quos *noster Fernacques hic cap. 5. q. 4. 5. 4; & Card. Laur. hic disp. 12. art. 4.* vbi ait *Eutichyanos*, & *Eunomianos* baptizasse in morte Domini. Sed hanc formam seruasse *alios Hæreticos* tempore Apostolorum colligitur *ex can. 49. Canc. Hierosol;* qui canon habetur *de consecr. dist. 4. c. si quis 77;* vbi dicitur de baptismate, *quod dari à quibusdam iubetur in morte Domini.* Refertur etiam *Deuterius Arianus*, qui baptizabat in nomine Patris per Filium in Spiritu Sancto. Item *Sabellians*, qui vnam tantùm personam in Diuinis admittebant, baptizabant in nomine Dei. Insuper *Gnostici* sic baptizabant: *Hoc, quod est super omnem virtutem Patris, inuoco, quod vocatur lumen, & spiritus; & vita, qui in corpore regnasti. Valentinus, Marcion, Marcus, & eorum asseclæ* teste *Ireneo lib. 1. aduersus hæres c. 18.* sic baptizabant: *In nomine ignoti Patris omnium, in veritate matris omnium, & in nomine descendentis in Iesum ad vnitionem, & redemptionem, & communionem virtutum.* Quam formam paucis mutatis referũt etiam *S. Epiph. hær. 34; & Euseb. lib. 4. hist. Eccl. c. 10. Pepuzeni, seu Montanistæ,* vt refert *S. Basil. ep. 1. ad Anphiloch. c. 1;* baptizabant *in Patrem, & Filium, & Montanum, Priscillamque* eo, quòd putarent Spiritum Sanctum *in Montano* fuisse incarnatum. *Ariani* feruntur baptizasse sub hac forma: *In solo Patre vero Deo, in Iesu Christo Saluatore, & creatura, in Spiritu Sancto vtriusque serno.* Tãdem *Lutherani, & Zuingliani* dixerunt bonum quidem esse proferre verba, quæ in baptismo seruat Ecclesia, non tamen esse necessarium ad valorem baptismi; putabant enim Christum *Io. 20.* solùm præcepisse actionem ablutiuam, non autem, vt proferrẽtur verba: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti;* nam sicuti *ibid.* dixit Christus: *Docete omnes gentes;* & tamen baptizans non tenetur dicere: *Ego te doceo;* ita quamuis dixerit: *Baptizantes eos &c;* proferre non debet: *Ego te baptizo.* Item *Bonosiani, & Cataphryges* teste *D. Greg. de consecr. dist. 4. c. 11. vero 82.* baptizabant in nomine Trinitatis. Probabile tamen est non omnes *Sectatores horum Hæresiarcharum* seruasse formam ab illis traditam; docet enim *S. P. Aug. lib. 6. cont. Donatist.* faciliùs inueniri Hæreticos, qui nullo modo baptizabant, quàm qui non vterentur forma in Euangelio expressa, & ab Apostolis tradita.

2. *Catholici omnes* fatentur rectam formam baptismi esse: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, amen.* Sed dissidium est inter eos, quænam verba sint de essentia, & sine quibus baptismus non sit validus, nec licitus; & quænam fuerint tantùm accidentaliter addita ab Ecclesia, & sine quibus baptismus sit validus, sed non licitus; seu vt loquitur *Fund. Doct. Ægid. de celeb. missarum q. 1;* quænam sint de necessitate, & quæ de congruitate baptismi.

3. Conueniunt omnes, quòd licèt ommissio illarum trium particularum: *Ego, in, amen;* non inualidet baptismum, illas tamen omittens peccat; exceptis *aliquibus*, inter quos *noster Puteau;* asserentibus, quòd omnittens particulam *ego* non peccat eo, quia *c. Si quis de baptismo* illa particula non habetur; tum quia vox *ego* includitur in verbo *baptizo*, sicuti includitur in verbo *absolue*. Sed *Alexander III. in cit. c.* agit de necessitate, non de congruitate baptismi, ideo baptismus sine illa particula *ego* collatus est validus; quia habet omnia necessariò, & essentialiter requisita, non tamen est licitus, quia est cõtra ritum ab Ecclesia seruatum, & præceptum. Aliud minùs concludit; sicuti enim baptismus non esset validus, si conferretur in nomine Trinitatis non exprimendo nomina propria personarum, vt habetur *de consecr. dist. 4. c. 81. in synodo;* quamuis personæ Diuinæ contineantur, imò constituant Trinitatem; ita quamuis particula *ego* contineatur in verbo *baptizo, et absolue*, attamen peccat, qui scienter illam omittit, quia non seruat communem ritum Ecclesiæ.

4 *Aliqui* dicunt formam superiùs præscriptam fuisse necessariam de lege ordinaria, non de lege speciali, & dispensatiua; nam tempore Apostolorum, vt nomen Christi haberetur in reuerentia, fuit dispensatum, vt posset conferri baptismus sub hac forma: *Ego te baptizo in nomine Domini Iesu Christi* eo, quia habetur *Act. 2. Baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi; et 10. Petrus iussit eos baptizari in nomine Domini nostri Iesu Christi; et 8. Baptizati tantùm erant in nomine Domini Iesu; et 19. Baptizati sunt in nomine Domini Iesu;* per illam autem particulam *tantùm* excluditur, quòd etiam baptizati essent in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. Accedit auctoritas *Nicolai Papæ ad consulta Bulgaror. c. 3;* & habetur *de consecr. dist. 4. c. à quodam 22.* dicentis: *Hi profectò si in nomine sanctæ Trinitatis, vel tantùm in nomine Christi, sicut in Actibus Apostolorum legitur, baptizati sunt, (vnũ quippe, idemq; est, vt S. Ambr. lib. 1. de Spir. S. c. 3.*

ex-

exponit) *quia non illorum*, *sed eius est*, *rebaptizari non debent. Ita Fund. Doct. Æg. de celebr. missar. vbi s. et alibi*; *Hug. de S. Vict. lib. 2. de sacram. c. 2. p. 2*; *Mag. sent. dist. 3*; *D. Thom. hic art. 6. ad 1*; *Alen*; *S. Bon*; *Scot*; *et ferè omnes Scotistæ, ac Thomistæ.*

5 Sed *alij* contendunt nunquam Apostolos baptizasse, nisi sub expressa inuocatione trium Diuinarum Personarum, adeòq; nisi in forma præscripta. *Ita ex nostris Feruacques hic c. 3. q. 3*; & valde probabile censet *Gibb. disp. 11. dub. 2. n. 16*; *et 17*; vbi refert *Sot*; *Bellarm*; *Sua*; *Vasq*; *Gran*; *Layman*; *Canum lib. 6. de Locis Theolog. c. 2. ad 7*; quibus additur *Esparza cum alijs.*

6 *Alij* putarunt formam baptismi validam aliquando fuisse proferendo solùm illa verba: *In nomine Patris, et Filij, et Spiritus Sancti*; & tacendo: *Ego te baptizo.* Pro hac sententia refertur *Stephanus Episcopus Tornacen. à nostro Feruacques*, qui docet nullam hæresis notam mereri opinionem asserentem validum fuisse baptismum tempore S. P. Aug. collatum his verbis: *In nomine Patris, et Filij, et Spiritus Sancti*; ommissis præcedentibus: *Ego te baptizo*; post decretalem tamen *Alex. III.* hæresis esset; quoniam probabilis, & immunis à censura est sententia asserens potestatem determinandi materiam, & formam sacramentorum esse in Ecclesia, vt de materia ordinis censet *Amic. disp. 11. lib. 4. n. 45*; adeoque potuit Papa decernere formam baptismi esse: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filij, et Spiritus Sancti*; ita, vt qui ommittit: *Ego te baptizo*; baptizet inualidè.

7 Sed hæc sententia proscripta fuit *ab Alex. VIII. in 31. proposit. proposit. 27*; & eam *omnes DDs. et Theologi* falsam, & improbabilem censent.

8 Præterea dissidium est circa formam baptismi, qua vtuntur *Græci, et Armeni*; an scilicet proferenda sit deprecatiuè: *Baptizetur seruus Christi N. in nomine Patris, et Filij, et Spiritus Sancti*; vt legitur *in Conc. Flor. in decr. vnion. Armen*; & videtur desumpta *ex Act. 2. Baptizetur vnusquisque vestrum etc.*; vel proferenda sit indicatiuè: *Baptizatur per me seruus Christi in nomine Patris, et Filij, et Spiritus Sancti*; vt volunt *Lug*; *Feruacques. vbi s. q. 1. §. 2*; apud quem *alij.*

9 Tandem disputant, an baptismus collatus in nomine Genitoris, & geniti, & spirati sit validus omissis nominibus Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; & sententiam affirmatiuam sustinent *ex nostris Putean*; *ex alijs Caiet*; *Victoria, Ledesma, Viuald*; *Martinon et Glos. in c. multi sunt de consecr. dist. 4.* putantes nomen genitoris esse sinonymum cum nomine Patris, sic nomen geniti cum nomine Filij; & nomen spirati cum nomine Spiritus Sancti.

10 Sed *alij DD.* communiter negatiuè respondent. *Ita Fund. Doct. vbi s.*; *Alen*; *D. Bon*; *D. Thom*; *Scot*; *Durand. et alij apud nostrum Gibb. vbi s.*

11 Vnica concl. Forma baptismi semper fuit tradita his verbis: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*: & nunquam fuit substantialiter, sed tantùm accidentaliter variata. Ideo falsum est tempore *S. P. Augustini* fuisse prolatam suppressis his verbis: *Ego te baptizo*; illis tantùm expressis: *In nomine Patris, et Filij, et Spiritus Sancti*; & hæc falsitas *ex eodem S. Patre* euidenter ostenditur. Præterea dispensatio, quæ de lege speciali fuit tempore Apostolorum, vt Christi nomini conciliaretur reuerentia, & deuotio, non fuit, vt omitti potuerint nomina expressa Diuinarum Personarum: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; sed vt addi potuerit: *In nomine Domini nostri Iesu Christi*; vel dicendo: *Ego in nomine Domini nostri Iesu Christi baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Vel: *Ego baptizo te in nomine Patris, & Filij eius Domini nostri Iesu Christi, & Spiritus Sancti*: Consequenter verisimiliùs est formam *Græcorum* traditam fuisse per verbum indicatiui temporis: *Baptizatur*; quàm per verbum temporis subiunctiui: *Baptizetur.* Tandem forma illa: *Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & Spirati*; aut quælibet alia consimilis inualida est.

12 Prob. 1. ex dictis *de sacram. in com. q. 2. art. 3.* ex illo *Matth. vlt. Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Illud, quod est à Christo institutum, & determinatum sine vlla restrictione, aut limitatione, semper traditum fuit in Ecclesia; sed forma baptismi sub his verbis: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*: fuit à Christo instituta, & determinata sine vlla restrictione, aut limitatione; ergo forma baptismi sub his verbis semper tradita fuit in Ecclesia. Ma. constat; nam quod est de iure Diuino, semper traditum fuit in Ecclesia; quia Ecclesia iuri Diuino derogare non potest; sed quod est institutũ à Christo, est de iure Diuino; quia Christus est Deus, ergo semper traditum fuit in Ecclesia. Mi. expressè traditur *à S. P. Aug. lib. 2. cont. lit. Petil. c. 24.* docente: *Baptismus in nomine Patris, et Filij, et Spiritus Sancti Christum habet Auctorẽ*; & prob. Nemo potest sensibiliter externè exprimere se baptizare in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; nisi proferendo: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filij, et Spiritus Sancti*; si enim hoc verbis externè non proferat, solùm internè hoc potest intendere; nam actio vel est externa, vel interna; & intentio interna nequit exprimi externè, nisi per verba externè prolata; vt constat; sed forma baptismi fuit Apostolis à Christo præcepta, vt externè, & sensibiliter exprimerent se baptizare in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, vt patet *ex textu: Baptizantes in nomine Patris, et Filij, et Spiritus Sancti*; cùm enim sacramenta sint signa sensibilia gratiæ, ideo eorum forma, quæ consistit in verbis, debet esse externè, & sensibiliter prolata; nam sine prolatione externa verborum etiam cum intentione

interna, non fit sacramentum, vt constat; vnde ficuti si Rex mitteret suos ministros in omnem partem sui Regni conscribentes singulos homines in nomine sui, & Filij sui, præcipiens, vt voce proferrent id, quod agerent, & nominarent eum, quem conscriberent; non implerent præceptum Regis, nisi dicerent, cùm vnumquemq; conscriberent: *Ego conscribo te in nomine Regis, et Filij sui*; ita ex eo, quòd Christus præceperit suis ministris, vt irent in omnem terram baptizantes singulos homines in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & voce proferentes sensibili id, quod agerent; non implerent Christi præceptum, nisi sensibiliter dicendo: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; ergo forma baptismi sub his verbis: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filij, et Spiritus Sācti*: fuit à Christo instituta, & determinata fine vlla restrictione, aut limitatione; nullus enim homo fuit exceptus.

13 Conf. *Act.* 19. *Paulus* interrogans quosdam, qui se asserebant Christianos; *an Spiritum Sanctum accepissent*; cùm illi respondissent: *Neque si Spiritus Sanctus est, audiuimus*; dixit: *In quo ergo baptizati estis*; & iussit eos baptizari; ex quo arguitur. Si forma baptismi non fuisset à Christo præcepta, vt sensibiliter proferatur his vocibus: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; ex eo, quòd adultus baptizatus non audijsset nomen *Spiritus Sancti*, vel *Patris*, vel *Filij*, vel *ego te baptizo*; non potuisset argui, quòd ille non esset baptizatus; sed conſ. est falsum; hoc enim arguit *Paulus*, ex eo, quòd illi baptizati non audijssent nomen Spiritus Sancti; quod pariter dicendum esset, si non audijssent alia nomina antecedentia; ergo forma baptismi à Christo fuit præcepta sub his verbis: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*.

14 Conf. 2. Si forma baptismi sub prædictis verbis non fuisset à Christo præcepta, sequeretur, quòd baptizans modò absque prolatione illorum verborum validè baptizaret, atque adeo sic baptizatus non esset rebaptizandus; sed conſ. est falsum; habetur enim *de consecr. dist. 4. c. in synodo* 81. *ex Zach. Si quis vnam de Trinitate personā in baptismo non nominarit, baptismum verum esse non posse*; *& c. Si re vera* 28. *ex Pelagio*; vbi dicitur baptismum collatum in nomine Domini inualidum esse; *et c. ab antiquo* 52. *ex D. Greg. lib.* 9. *ep.* 61; *et c. hi verò heretici*; *et ex Innoc. I. ep. ad Episcopos Macedonia c.* 5; vbi habetur repetendū esse baptismum eorum, qui *à Paulianistis* baptismum susceperant; quoniam isti in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti non baptizabant; non verò eorum, qui *à Nouatianis* fuerunt baptizati eo, quia isti in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti baptizabantur; & tandem *canon Apostolor.* 50; vbi idem statuitur de baptismo in morte Christi collato, vt tunc temporis ab aliquibus conferebatur; & ratio traditur *à S. P. Aug. lib. 6. de bapt. cont. Donatist. c.* 25. *Quis nesciat non esse baptismum Christi, si verba euangelica, quibus symbolum constat, illic defuerint*; quia scilicèt baptismus, cùm sit sacramentum fidei, debet celebrari cum expressione eorum, quæ continentur in symbolo, quæ sunt Diuinæ personæ, ad quas omnes alij articuli reducuntur; ergo forma baptismi sub prædictis verbis à Christo fuit collata.

15 Prob. 2. ex continua Ecclesiæ traditione, quæ ex vnanimi PP. consensu colligitur; vt videri potest *ex Orig. in c. 6. ep. ad Rom*; *ex D. Basil. lib. de Spiritu Sancto c.* 12; *ex Theophilato in Luc. c. vlt*; *Cypr. ep. ad Iubaian*; *S. P. Aug. innumeris in locis*, præcipuè *lib. 3. cont. Donatist. c.* 15 *& lib.* 6. *c.* 25; *& S. Fulg. lib. de incarn. & grat. Christi c.* 11 *& omnes alij SS. PP.* tempore posteriores vsque ad tempus præsens, quo per totum Orbem hæc forma seruatur; & licèt *aliqui DD.* asserant Apostolos baptizasse in nomine Christi; hoc tamen aiunt fuisse ex dispensatione speciali; quod probat de lege ordinaria præceptam fuisse formam præscriptam; ergo tenendum est formam baptismi vniuersaliter à Christo præceptam fuisse, quæ traditur sub verbis prædictis.

16 Prætèrea falsissimum est, quòd vsque ad tempora *S. P. Aug.* forma baptismi tradita sit suppressis illis verbis: *Ego te baptizo*; nam *tract.* 5. *in Io.* expresè asserit ministrum in baptismo conferendo dicere se baptizare: *Dicit se seruus baptizare; rectè dicit*; quibus declarat rectam baptismi formam esse etiam cum expressione illorum verborum: *Ego te baptizo*; de hoc autem non ita frequens est sermo, sicut de expressione Diuinarum personarum; quia tunc de illo non erat controuersia, aut dissensio inter hæreticos, & catholicos; sicut erat de isto; omnes enim consentiebant in hoc, quòd minister teneretur proferre: *Ego te baptizo*; quod colligitur etiam ex baptismo *Ioannis*; vt diximus *q. 1. art. 1. n.* 10; de quo *S. P. Aug. lib. 5. cont. Donatist. c.* 10. cum *Euangelista* expresè ait; quòd *Ioannes* baptizans asserebat: *Ego vos baptizo &c*; baptisma autem *Ioannis* fuisse expressiuum baptismi Christi est communis SS. *PP.* doctrina; ideo ex eo, quòd *Sancti Patres* asserant *Ioannem* baptizasse proferendo verba: *Ego vos baptizo*; concludunt etiam baptismum Christi necessariò conferendum esse prolatis verbis: *Ego te baptizo*; aliter illud hunc non expressisset; vt diximus *q. 1. vbi sup*; Quòd autem SS. *PP*; inter quos *S. P. Aug.* præcipuè, probent ferè semper expressionem Diuinarum Personarum necessariam esse ad valorem baptismi, & simul non asserant necessariam quoque esse prolationem verborum: *Ego te baptizo*; non probat hanc necessariam non esse, sicut illam; sed tantùm de hac tūc temporis non fuisse quæstionem, sicut erat de illa; quia de eo, in quo discrepabant; non de eo, in quo consentiebant, disputabant. Sicuti ex eo, quòd *contra Sabellium* probabant vnitatem Diuinæ-

uinarum Personarum, non autem essentiæ vnitatem, non rectè infertur tunc temporis vnitatem Diuinarum Personarum non fuisse credendam. Ergo forma baptismi sub verbis allatis omni tempore tradita fuit.

17 Insuper SS.PP. docent, quòd licèt Apostoli *Act.2.* missi fuerint ad baptizandum in nomine Christi; attamen nonnisi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti baptizarunt; vt S.P. *Aug.lib.3.cont.Maximin.c.17*; vbi ait: *Non nominatis Patre, & Spiritu Sancto in nomine Christi missi sunt baptizare; & tamen intelliguntur non baptizati, nisi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Idem habent *Innoc.I. in ep.cit.ad Episcopos Macedoniæ* de Discipulis *Act.19.* iussu *Pauli* baptizatis in nomine Christi; *& D.Basil. lib. de Spiritu Sancto c.12; D.Cypr.vbi sup; D.Fulgent; Origenes; Teophylact.locis sup.cit; imò & catechismus Concilij Trid; & DD.quamplurimi;* & quanuis *scriptura* non asserat eos baptizasse in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; attamen neque asserit baptizasse his nominibus tacitis; & sicuti ex eo, quòd tunc non asserat eos baptizasse in aqua, nequit inferri, quòd siue aqua baptizauerint, quia sufficit aquam alibi nominasse; ita à pari; ergo forma baptismi sub verbis prædictis semper fuit tradita, quanuis tempore Apostolorum additio fuerit facta illorum verborum: *In nomine Domini nostri Iesu Christi* ob necessitatem, quæ tunc erat distinguendi baptismum Christi à baptismo *Ioannis*; & per consequens dispensatio fuit per additionem, non per subtractionem verborum.

18 Tandem ad formam baptismi essentialiter requiritur expressio sensibilis nedum ablutionis actualis, seu actionis ministri, vt docet *Flor. in decr. vnionis Armenor. Si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum, cum SS. Trinitatis inuocatione perficitur sacramentum;* sed etiam Diuinarum Personarum; nam vt docet *S.P. Aug.lib.6.de bapt.cont. Donatist. c.25*; sicuti si non fieret actualis ablutio, etiansi exprimerentur sensibiliter nomina Diuinarum Personarum, non fieret baptismus; quia non daretur illa res externa, quæ illis Diuinis nominibus à Christo in Euangelio expressis consecraretur; & sic illa verba non magis consecrarent actionem confirmationis, quàm baptismi; imò nullam actionem consecrarent, quia super nullam sensibiliter præsentem caderent; & sic si fieret sensibiliter actualis ablutio, & sensibiliter verba non proferrentur, non esset pariter baptismus; quia illa ablutio non esset euangelicis verbis consecrata, ideo non haberet, per quòd eleuaretur super ablutionem naturalem; ita si ablutio actualis verbis sensibilibus non exprimeretur, non fieret baptismus; quia illa ablutio non determinaretur per verba euangelica; vt esset ablutio à peccatis; non enim res externa sensibiliter determinatur per aliqua verba externa sensibiliter prolata, nisi illa res externè exprimatur; sicuti illa ablutio nequit sensibiliter consecrari, nisi verba euangelica sensibiliter exprimantur, & proferantur, *oppositorum* enim etiā relatiuè *est eadem ratio*; sed ablutio actualis, & nomina Diuinarum Personarum non possunt sensibiliter exprimi, nisi proferendo: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; ergo forma baptismi sub verbis prædictis essentialiter traditur.

19 Ex hoc deducitur verisimilius esse formam *Græcorum* tradi per verbum indicatiui temporis: *Baptizatur*; non per verbum *baptizetur*; quod fortè *Scriptorum*, aut *Typographorum* incuria mutatum est; nam per verbum *baptizatur* significatur ablutio actualis, quæ necessariò debet exprimi, vt dictum est; per verbum autem *baptizetur* potius exprimitur ablutio de futuro facienda, quàm ablutio præsens; nam cùm *Petrus Act.2.* dixit: *Baptizetur vnusquisque vestrum*, non significauit tunc fieri actualem ablutionem eorum, sed in futurum esse faciendam; ergo forma *Græcorum* tradita fuit his verbis: *Baptizatur seruus Christi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Accedit, quod, vt obseruat *noster Fernacques hic c.3.q.1.S.2. Leo X. in Constit;* quæ incipit: *Accepimus nuper* data die 18. Maij 1521: quam refert *Leo Allatius*, statuit, quòd forma baptismi à *Græcis* seruata, & determinata per *Conc. Flor.* validè possit *à Græcis* retineri; assignans autem hanc formam inquit hanc esse: *Baptizatur seruus Christi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Hanc *Const.* confirmauit *Clemens VII.* die 26. *Martij* anno 1526; ex quibus deducitur *Conc. Flor.* esse legendum: *Baptizatur, non baptizetur*; sic enim legunt duo *Summi Pontifices.* Eodem modo proferūt *Armeni* formam baptismi, vt videtur apud *Alanum*, qui illam ex *Græcis* sumpsere; & *Niceph. lib.16. Hist. Eccl. c. 35*; quod probatur etiam ex alijs ceremonijs *à Græcis* in baptismo seruatis, quæ per verbum indicatiui temporis proferuntur: *Vngitur seruus Dei N. oleo exultationis &c.*

20 Vltimum, quod sequitur ex nostra concl; scilicèt formam baptismi traditam illis verbis: *Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & Spirati*; esse inualidam, euidenter deducitur ex dictis; nam *c. in Synodo vbi sup.* dicitur: *Perfectus Christianus non est, nisi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti fuerit baptizatus*; quod habetur etiam in *c. siquis de baptismo*; & ratio est. Materia, & forma baptismi fuerunt à Deo determinatæ; sed ex eo, quòd non adhibeatur aqua elementaris & eius loco ponatur aqua æquiualēs ablutioni, vt aqua rosacea, non est validus baptismus; ergo ex eo, quòd in Euangelio forma baptismi fuerit à Christo determinata sub illis verbis *Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; quanuis eorum loco proferantur verba æquiualentia *Genitoris, Geniti, & Spirati*, inualidatur baptismus. 2. *Ex Fund. Doct. Ægid. vbi sup.* Tunc inualidatur sacramentum, quando variatur significatum

tum formale verborum, quibus conficitur; sacramentum enim est essentialiter signum; sed nomen *Genitoris*, *Geniti*, *& Spirati* habent aliud significatum formale, quàm nomen *Patris*, *& Filij*, *& Spiritus Sancti*; nam *Genitor*, *Genitus*, *& Spiratus* sunt nomina verbalia; quæ significant actionem egredientem à persona; nomen autem *Patris*, *& Filij*, *& Spiritus Sancti* significant personam, quia significant paternitatem, filiationem, & spirationem passiuam, quæ sunt proprietates personales; quibus constituuntur personæ; ergo per nomina *Genitoris*, *Geniti*, *& Spirati* inualidatur baptismus. 3. Si verba æquiualentia non inualidarent sacramentum, sequeretur, quòd quis validè consecraret dicendo: *Hæc est substantia corporea mea*; sed nullus hoc assereret; ergo idem. 4. Verba habent virtutem significatiuam, & causatiuam gratiæ; vt diximus *de Sacr. in com. q. 2. art. 1. §. 4. & 5*; sed constat ex euangelio virtutem causatiuam gratiæ fuisse à Christo collatam illis verbis *Patris*, *& Filij*, *& Spiritus Sancti*; non autem *Genitoris*, *Geniti*, *& Spirati*; ergo idem.

21 Obijc. 1. *Act. 8.* habetur, quòd aliqui *in Samaria baptizati tantùm erant in nomine Domini Iesu*; illa autem particula *tantùm* excludit Patrem, & Spiritum Sanctum; ergo forma baptismi non fuit semper tradita in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. 2. *Hug. Mag. Æg. S. Tho. & plures alij veteres Scholastici* docuerunt Apostolos ex speciali dispensatione Dei baptizasse tantùm in nomine Domini Iesu; & hoc sumpserunt *ex D. Ambr*; & refertur *in Glos. c. si quis de bapt.* vbi dicitur, quòd nomine Christi latinè significatur *vnctus*, per quod indicatur Pater, qui est vngens; Filius, qui est vnctus; & Spiritus Sanctus, qui est vnctio, & per consequens significantur tres Diuinæ Personæ. Idem habetur *ex Nic. I. de consecr. c. à quodam Iudæo*, vbi statuitur: *Si in nomine SS. Trinitatis, vel tantùm in nomine Christi, sicuti in Actibus Apostolorum legimus* (*vnû quippè idemque est, vt S. exponit Ambrosius*) *constat eos non esse denuò baptizandos.* Idem docet *D. Ber. ep. 340*; vbi putat baptizatum puerum illis verbis: *Baptizo te in nomine Dei, & sanctæ, & veræ Crucis*. 3. Ratione. In primitiua Ecclesia debebat conciliari reuerentia, & deuotio nomini Iesu Christi; per quem à peccatis liberamur; ergo debuit conferri solùm in nomine Iesu Christi.

Resp. ad 1. neg. mi; illa enim particula *tantùm* excludit confirmationem; idèst tantùm erãt baptizati, sed non confirmati; propterea *Petrus, & Ioannes*, qui missi fuerant *in Samariam, imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum*; per manuum autem impositionem significatur confirmatio. Dicebantur autem baptizati in nomine Domini Iesu per additionem ad nomen Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, non per subtractionem, vt diximus. Ad 2. dicitur illos *veteres Scholasticos* eodem modo esse explicandos; non enim dixerunt Apostolos non baptizasse in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, sed tantùm baptizasse in nomine Christi per additionem; vel locutos fuisse ex suppositione, non absolutè, scilicèt supposito, quòd Apostoli baptizauerint in nomine Christi suppresso nomine Patris, & Spiritus Sancti; hoc non egerint, nisi ex speciali dispensatione Dei. Ad *D. Ambr. resp. noster Fernàquez* sibi casum proponere, an si catechumenus in professione suæ fidei exprimat solùm nomen Christi dicendo se credere in Christum, fide tamen interna credat etiam in Patrem, & in Spiritum Sanctum, & baptizetur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, sit validè baptizatus? Respondet autem affirmatiuè, quia *quod verbo tacitum est, expressum est fide*. Igitur sequitur solùm de baptismo ex parte ipsius baptizati, non ex parte ministri baptizantis; cùm enim loquitur de ministro, & de forma ab ipso proferenda ait: *Sed nisi baptizatus fuerit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, remissionem non potest accipere peccatorum*; vt habet *lib. de ijs, qui initiantur c. 4.* Hunc esse verum huius S. *Doctoris* sensum manifestè colligitur ex loco *cit. lib. 1. de Spiritu S. c. 3*; vbi loquens de illis *Act. 19*; qui *nec in Christi nomine, nec cum fide Spiritus Sancti baptizati fuerant, non poterant accipere baptismatis sacramentum*; ex quibus colligitur ipsum loqui de suscipientibus, non de ministrantibus baptismum; & ideo non loqui de forma baptismi, quæ profertur tantùm à ministro. Item dicitur *cum Estio S. Ambr. loc. cit.* ex professo probare opera Trinitatis ad extra esse indiuisa; & ad hoc, vt omnes tres ad extra operari intelligantur, sufficit, vt vna illarum nominetur; & dat exemplum; quia licèt omnes baptizati sint in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti iuxta Christi præceptum; attamen vt hæc indicetur, sufficiens fuit, vt diceretur baptizatos fuisse in nomine Christi, vel Spiritus Sancti, qui simul effectiuè baptizant tanquam causæ principales. Hoc expresse habet *D. Basil. lib. de Spiritu S. c. 12*; ex quo illa verba desumpsit *D. Ambr. & S. P. Aug. lib. 3. cont. Maximin. vbi sup*; & sic intelligendum esse *Bedam*, qui refert *D. Ambr.* Ad *Nic. I.* dicitur eodem modo intelligendum esse, ac *D. Ambr*; aliter contradixisset *Zach. Pelag. alijsq; Summis Pontificibus sup. relatis*; nam sicuti non est dicendum hunc Pontificem statuisse baptismum collatum sub hac forma: *Ego te baptizo in nomine Trinitatis* esse validum; ita dicendum est de baptismo collato his verbis: *Ego te baptizo in nomine Christi*; loquitur ergo de baptismo ex parte suscipientium, quos sufficit exprimere se credere in Trinitatem Diuinarum Personarum absque eo, quòd eas nominent nomine proprio, vel quòd explicent tantùm nomen Christi, quo significatur Pater vngens, Filius vnctus, & Spiritus Sanctus, qui est vnctio, vt docet *D. Ambr.* quem refert, & sequitur; non autem loquitur de mi-

ministro, & ideo non loquitur de forma, quæ profertur à ministro, non à suscipiente baptismum. In hoc sensu intelligi etiam potest *Fund. Doct. Æg; D. Thom. & alij veteres Scholastici*; qui solùm loquuntur in eo sensu, in quo locutus est *D. Ambr.* Ad *D. Bern.* dicitur *cum Estio, & alijs communiter* illam epistolã ei fuisse affictam; pluries enim *alibi* docet baptismum non esse validum, nisi conferatur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Ad 3. neg. cons; reuerentia enim, & deuotio conciliari potuit addendo nomen Christi, non subtrahendo nomen Patris, & Spiritus Sancti.

22 Inst. *D. Hil. lib. de Synodis* ait Apostolos iussos baptizare in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti baptizasse tantùm in nomine Iesu; sed hoc nequit exponi eo modo, quo *D. Ambr*; ergo *aliqui SS. PP.* tenuerunt baptismum Christi fuisse collatum suppresso nomine Patris, & Spiritus Sancti.

Resp. S. *Hilarium* ostendere *in scripturis Diuinis* esse plura, quæ videntur, & tamen non sunt contradictoria; ac propterea non esse expungenda; & dat exemplum de baptismo, quis quanuis conferri debuerit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; attamen dicitur tantùm collatus in nomine Christi Iesu; nec per hoc intelligitur non collatus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; ex quo probatur nostra sententia.

23 Obiic. 2. Nusquam in Euangelio leguntur ea verba: *Ego te baptizo*; ergò hæc verba non fuerunt de necessitate baptismi. 2. *Valentinus, Marcion, & Marcus* baptizabant expresso dumtaxat nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; ut testantur S. *Irenæus aduersus hæreses c. 18; & S. P. Aug. lib. 3. de bapt. cont. Donatist. c. 15.* dicens: *Si euangelicis verbis: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Marcion baptismum consecrabat, integrum erat sacramentum*; sed baptismus collatus *à Valentino, Marcione etc.* non iterabatur, ut patet ex verbis allatis; ergo baptismus collatus suppressis verbis: *Ego te baptizo*; erat validus. 3. *SS. PP.* circa baptizatos ab hæreticis tantùm solliciti erant de illis verbis: *In nomine Patris, et Filij, et Spiritus Sancti*; non autem de illis: *Ego te baptizo*; vt colligitur *ex Conc. I. Arelaten. can. 8; et ex Papa Zach. ep. 7*; ergo idem. 4. *S. P. Aug. hom. 23. inter 50.* ait, quòd *in Aphrica* suo tempore minister baptismi non pronunciabat: *Baptizo te*; quia *futuri erant homines, qui dicerent: Ego peccata dimitto; ego iustifico; ego sanctifico; ego sano, quemcumque baptizo*; ergo ad ostendendum peccata dimitti in baptismo per Christi virtutem possunt illa verba omitti.

Resp. ad 1. dist. ant. Non leguntur ea verba imperatiuè, neg; legitur enim *baptizantes eos*; operatiuè, conc; in euangelio enim non loquitur minister baptizans, ideo non dicitur: *Ego te baptizo*; sed Christus præcipiens; ideo legitur *baptizantes*; cui tamen necessariò debet correspondere: *Ego te baptizo*; cùm loqui debeat minister exequens Christi mandatum. Præterea dicitur, quòd etiamsi non inueniretur expressè *in scripturis*; attamen habetur *ex Apostolica traditione*, vt testantur *omnes SS. PP.*; traditio autem est *vocalis scriptura*, non scripta. Ad 2. neg. ma; quòd scilicèt *Valentinus, Marcion etc.* omitterent verba: *Ego te baptizo*; imò ex eo, quòd asserebant *in nomine Patris, et Filij, et Spiritus Sancti*, manifestè colligitur, quòd exprimebant actionem, quam faciebant in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; aliter his verbis baptismum non consecrassent, vt inquit *S. P. Aug*; si enim tacuissent: *Baptizo te*; non potuissent intelligi eos potiùs consecrasse baptismum, quàm aliquam aliam actionem, qua inuocata fuisset Trinitas Diuinarum Personarum; ergo *S. P. Aug.* docens *Valentinum, et Marcionem* consecrasse baptismum verbis euangelicis, in nomine scilicet Patris, & Filij, & Spiritus Sancti expressè asserit eos protulisse verba: *Ego te baptizo*; aliter baptismum externè prolatum non consecrassent. Ad 3. dicitur causam, ob quam SS. *PP.* non fuerunt solliciti de illis verbis: *Ego te baptizo*; fuisse *sup.* assignatam; quia scilicet tunc temporis circa hoc nulla penitus quæstio orta erat. Ad 4. neg. ant; nam S. *P. Aug.* in illa *hom.* nec verbum habet apud *Aphros* traditam fuisse tunc temporis formam baptismi suppressis verbis: *Baptizo te*; quin potiùs oppositum apertè asserit dicens: *Si non dimittunt homines peccata; falsum est, quod ait Christus: quæ solueritis in terra, soluta erunt et in cælo. Nescis, quare hoc dictum sit, quomodò dictum sit? Daturus erat Dominus Spiritum Sanctum, et ab ipso Spiritu S. fidelibus suis dimitti peccata, non meritis hominum volebat intelligi dimitti peccata*; & mox: *In Ecclesia sua per eos dimittit peccata, quia viua templa sunt. Sed qui dimittit per hominem, potest et dimittere præter hominem*. Dimittere autem peccata per hominem nihil aliud est, quàm hominem proferre: *Ego absoluo te; vel baptizo te*; aliter si homo hæc verba non deberet proferre in baptismo; nec etiam deberet proferre in sacramento pœnitentiæ, cùm S. *P. ibid.* de vtroque eodem modo loquatur. Vnde sicuti nemo diceret *S. Patrem* docere sacramentum pœnitentiæ tunc temporis ministratum fuisse sine illis verbis: *Ego absoluo te*; ita insulsè colligitur baptismum ministratum fuisse sine verbis: *Baptizo te*. Docet ergo hominem non dicere: *Baptizo te; absoluo te* tanquam potestas ministerialis excellentiæ ita, vt suis meritis baptizet, & absoluat, tamquam Christi minister, vt docet *tract. 5. in Io*; vel tamquam templum, in quo habitat Spiritus Sanctus, vt loquitur *in hom. cit.*

24 Obijc. 3. *Caiet. Conc. Flor.* definit eam formam sufficere ad validè ministrandum baptismum, in qua exprimitur inuocatio Trinitatis; sed Trinitas non minùs inuocatur per nomen Pa-

Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, quàm per nomen Genitoris, & Geniti, & Spirati, quia Genitor æquiualet Patri, & Genitus Filio, & Spiratus Spiritui Sancto; ergo validè confertur baptismus sub his nominibus promiscuè. 2. Verba baptismi prolata in lingua *Siriaca* validè conferunt baptismum, etiam si proferantur in lingua *Caldaica, Graca, vel Latina, aut Germanica etc*; quia quocunque modo proferantur, explicant Trinitatem. 3. Qui coram Tyranno confitetur fidem in nomine Genitoris, & Geniti, & Spirati, verè confitetur Trinitatem, & moriens remanet verè baptizatus baptismo sanguinis; ergo idem dicendum de baptismo fluminis. Item Ecclesia canens *Genitori, Genitoque, et Procedenti ab vtroque* verè laudat Trinitatem; ergo idem. 4. *Ex nostro Put.* Si quis baptizaret in nomine Patris, & Filij, & Paracliti, validè baptizaret, vt docet *S.Clem.lib.7.Constit.Apostolicar.c.27*; sed hoc nomen *Paraclitus* non significat proprietatem personalem Spiritus Sancti; sonat enim idem ac *Aduocatus*, seu *Consolator*; ergo à pari. 5. *ex Bonac.* Si quis baptizaret in nomine Patris, & Verbi, & Spiritus Sancti, validè baptizaret; ergo idem.

Resp. ad 1. dist. ma. In qua exprimitur inuocatio Trinitatis sub nominibus euangelicis, vt loquitur *S.P.Aug*; idèst in euangelio expressis, & determinatis *Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, conc, sub alijs nominibus idem implicitè significantibus, neg; posset enim quilibet ad libitum variare, determinare nomina, & sibi ea præfigere seruanda in collatione formæ ipsius baptismi; & per consequens quilibet esset institutor illius, cùm institutio in determinatione formæ, & materiæ consistat, vt diximus *de Sacram. in com.q.1.art.5.* §.1; & sicut posset variare formam vtendo verbis æquiualentibus, eadem ratione posset variare aquam vtendo liquore æquiualente; quapropter *Conc. Flor.* assignat illa nomina, quibus inuocari debet Trinitas, superiùs enim dixerat illa esse: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*. Ad 2. neg. cons; nam nomen Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, in quocunque idiomate proferatur, idem est formaliter, idemque formaliter significat, & variatur tantùm materialiter, scilicèt ratione litterarum. Ad 3. neg. cons; nam pro baptismo sanguinis, vel flaminis non sunt determinata verba proferenda à ministro, sicut in baptismo fluminis. Prætèrea qui confitetur fidem coram tyranno, recipit baptismum; sicut igitur ad recipiendum baptismum fluminis non est necesse, quòd pronunciet nomen Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, sed sufficit, quòd profiteatur fidem in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, & ideo sufficit, quòd ministro interroganti, an credat in Patrem, an credat in Filium, an credat in Spiritum Sanctum, respondeat, *credo*; neque requiritur, quòd dicat repetendo credo in Patrem &c. Ita ad validè suscipiendum baptismum sanguinis sufficit, quòd credat absque eo, quòd explicet nomina Diuinarum Personarum. Ad aliud dicitur non fuisse à Christo determinata verba ad laudandam Trinitatem, & inuocandam extra baptismum, sicut fuerunt determinata ad baptizandum. Ad 4. dist. ma. Qui baptizaret in nomine Patris, & Filij, & Paracliti per additionem ad nomen Spiritus Sancti dicendo: *Ego te baptizo* in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Paracliti, in quo sensu loquitur *S. Clem*; conc; per subtractionem Spiritus Sancti, neg. Ad 5. Eadem facilitate, qua asseritur, neg. ant; quanuis enim sit *eo Verbum, quo Filius*, vt loquitur *S.P.Aug*; attamen formaliter explicitè Verbum significat terminum potentiæ cognoscitiuæ; & Filius significat terminum potentiæ generatiuæ.

§. 1.

Resoluuntur aliqui casus circa formam baptismi.

25 Quæcunque variatio formæ baptismi est illicita; quia est contra præceptum, & ritum Ecclesiæ; aliquando tamen est valida, quando retinet idem significatum formale; aliquando autem est etiam inualida; cùm variat significatum formale. Variatio autem potest fieri vel additione, vel detractione, vel transpositione, interpolatione, vel immutatione, aut corruptione verborum, quibus tradi solet.

26 Ad valorem baptismi necesse est, quòd exprimatur nedum actio ministri baptizantis, sed etiam persona suscipientis. Est communis *cont. nostrum Fernacques*. Ratio est; quia Christus *Matth. vlt.* præcepit nedum actum esse exprimendum per illud verbum *baptizantes*, sed etiam esse exprimendam personam suscipientis, quæ significatur per illud pronomen *eos*. Tû quia *Flor. vbi s.* statuit sacramentum baptismi non fieri, *nisi exprimatur actus, qui per ipsum exercetur ministrum*; sed ille actus non exprimitur, nisi exprimatur persona, à qua elicitur, & persona, ad quam terminatur, aliter explicaretur actus nihili, quia non explicaretur illud, quod illo actu ageretur. Tum quia debet explicari, cui applicatur ille baptismus; aliter non significaretur externè, cui baptismus ille esset applicatus. Tum quia debet explicari distinctio inter baptizantē, & baptizatum; quia idem nequit baptizare se ipsum; ergo persona suscipientis debet exprimi. Ex quo sequitur particulam *te* esse de necessitate, non de congruitate solùm baptismi. Non est tamen persona suscipiens necessariò exprimenda in secunda persona; vt exprimunt *Latini*, aliter *Graci*, qui illam exprimunt in persona tertia: *Baptizatur Franciscus*; validè non baptizarent. Igitur exprimenda est vno, vel altero modo. Vnde si *Latini* exprimerent in tertia persona, validè baptizarent; quanuis peccarent; quia agerent contra ritum Ecclesiæ Romanæ, quæ tantùm

Gra-

Græcis permittit illam formam baptizandi. *Vid. noster Argent. hic dist.4.q.1.art.2.*

27 Inst. 1. *Stephan.II. in syn. Carisiaca Villa c.14. to.2. Concil.Gall.* ait baptismum sub hac forma valere: *In nomine Patris mergo, & Filij mergo, & Spiritus S. mergo*; sed hic non exprimitur persona baptizati; ergo hæc expressio non est necessaria. 2. *Flor. vbis.* statuit necessariam esse expressionem personæ baptizantis, & per ipsam perfici sacramentum; ergo non requiritur expressio personæ baptizatæ.

Resp. ad 1. duo intendi in illa *Syn*; scilicèt mutationem huius verbi *baptizo* in hoc verbum *mergo*; & huius repetitionẽ ad singulas personas non inualidare baptismum; non autem per hoc intendi exclusionem personæ baptizatæ. Ad 2. iam diximus, quòd dum exprimitur actio ministri baptizantis, exprimi debet etiam persona baptizata; illa enim actio specificatur à termino; qui si non exprimeretur, exprimeretur tantùm actio indifferens, seu actio nihili.

28 Præterea sicuti necessaria est expressio ministri, secus ad valorem baptismi sufficeret dicere: *Dominus te baptizat*; quod nullus asseruit; quia si hoc verum esset; adhuc esset validus baptismus, si diceretur: *Dominus te baptizat; ego non baptizo te*; essentialia enim ad baptismum adessent. Ita necessaria est expressio personæ baptizatæ; aliter valeret baptismus, etiamsi diceretur. *Ego baptizo non te, aut vllum alium hominem in particulari, sed indifferenter*. Quòd si dicatur in hoc casu non valere; quia licèt non requiratur expressio, exclusio tamen inualidat. Contra est. In tantùm huiusmodi exclusio inualidat; inquantùm excludit solùm in particulari hunc, vel illum, & indifferenter omnino se habet ad hunc, & illum; sed cùm non exprimitur persona in particulari, omnino indifferenter se habet ad hunc, & illum; ergo est eadem ratio. Tandem si in conficienda eucharistia quis diceret: *Est corpus meum*, omisso *hoc*; non conficeret sacramentum; vt tenent *omnes*; sed *hoc* exprimit *hostiam* determinatam, quæ conuertitur in corpus Christi; quæ necessariò est exprimendã; ergo à pari de baptismo; & sic de alijs sacramentis.

29 Si quis diceret: *Ego intendo te baptizare &c*; non esset validus baptismus; quia intentio dicit tantùm propositum ponendi actum, seu baptizandi, non autem dicit ipsum actum, seu actualem ablutionem.

30 Si loco *baptizo* dicatur *abluo, mergo*, vel *tingo*, est validus baptismus; quia ista verba sunt omnino sinonyma, & habent idem significatum formale, & solùm materialiter differunt, sicut verbum *Græcùm, & latinum*. Peccaret tamen, quia faceret contra ritum Ecclesiæ.

31 Qui diceret: *Ego te baptizo in virtute, vel in verbo*, non autem diceret *in nominẽ*; aut diceret *in nominibus*; validè non baptizaret. Ratio primi est; quia *in nomine* significat inuocationẽ Trinitatis, quam *Flor.* dicit esse necessariam ad valorem baptismi; virtus autem significat omnipotentiam, & verbum potentiam intellectiuã; non autem inuocationem Diuinitatis. Ita docet *S. Clem. Papa in recognition*. Ratio secundi est; quia nomen in singulari positum est ad significandam vnitatem Diuinitatis, vt habet *D. Hier. in c.4. ad Ephes. & D. Ambr. lib.2. de sacram.c.7*; si autem poneretur in plurali, significaret Personas Diuinas habere diuersas naturas, & sic falsa, & ideo nulla esset forma baptismi.

32 Si quis diceret: *Ego baptizo te in nomine Patris, & in nomine Filij, & in nomine Spiritus Sancti*; validus esset baptismus. *Ita Estius, & noster Faruacques cont. Bonacinam* asserentem inualidum esse, quia per hoc significaretur pluralitas essentiæ Diuinæ. Quod sic improb. In forma benedictionis baptisterij repetitur *in nomine Patris, in nomine Filij, & in nomine Spiritus Sancti*; & tamen in ea non significatur pluralitas essentiæ; ergo à pari. Similiter si quis diceret: *Ego te baptizo in nomine Dei Patris, Dei Filij, Dei Spiritus Sancti*; validè baptizaret; & tamen vox *Deus* ter repetita non significat tres essentias; habet enim *D. Athan. in symb. Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus; & tamen non tres Dij, sed vnus est Deus*; sed nomen *Deus* significat vnitatẽ essentiæ; ergò quamuis *in nomine* significet essentiæ vnitatem, si tamen replicetur, non significabit pluralitatem, sicut illam non significat vox *Deus* ter repetita.

33 Qui baptizaret *in nomen Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; validus esset baptismus; quia non variat significatum formale; nam *in Græco* legitur *nomen* in accusatiuo, *in Syriaco* in ablatiuo; vt *Estius* testatur; & tamen constans est Ecclesiæ sensus *Græcos* validè baptizare. Qui tamen diceret: *Ego te baptizo in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto*: Vel *in Patre, aut in nomine Patris per Filium in Spiritu Sãcto*; inualidè baptizaret; quia non exprimeretur vnitas essentiæ; & ideo variaretur significatum formale.

34 Si quis diceret: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & B. Mariæ Virginis*, inualidè baptizaret; quia significaret B. Virginẽ esse eiusdem naturæ cum Patre, & Filio, & Spiritu Sancto. Secus tamen si quis diceret: *Per intercessionem B. Virginis Mariæ ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; tunc enim illa verba addita non ingrediuntur formam, sed sunt tantùm præparatoria ad formam baptismi: primo modo tamen formam ingrediuntur; quia vniuntur ad constituendum vnum prædicatum; sed secundo modo disiunguntur per verbum medians, & ideo nõ variant.

35 Qui diceret: *Ego te baptizo in nomine Patris, vel Filij, vel Spiritus Sancti*; nullus esset baptismus; quia tunc baptizaret in vna tantùm persona.

36 Qui baptizaret in nomine Patris maio-

tis, & Filij secundùm humanitatem minoris, & secundùm Diuinitatem æqualis,& Spiritus Sancti validè baptizaret; quia non variaret significatum formæ, sed tantùm illam latiùs explicaret. *Ita Estius.* Sicut si diceret in nomine Patris omnipotentis, & Filij Redemptoris, & Spiritus Sancti Paracliti; nihil enim additur, quod illa tria nomina non significent. Qui tamen assereret absolutè in nomine Patris maioris, & Filij minoris,quia tunc redderetur sensus ambiguus, an scilicet esset intelligendum secundùm naturã Diuinam, vel humanam, variaretur significatũ formale; & nullus esset baptismus.

37 Qui baptizat in nomine Trinitatis non exprimendo Personas Diuinas, inualidè baptizat; quia variat formæ significatum. *Ita de bapt. c. si quis ex Alex. III.*

38 Si quis ob sermonis imperitiam, vel linguæ præcipitantiam omittat, vel mutet literam ita, vt sensus verborum non mutetur substantialiter, sed tantùm accidentaliter, validè baptizat. *Ita S. P. Aug. lib. 6. de bapt. cont. Donatist. c. 25*; & habetur *de consecr. dist. 4. c. si non sanctificatur* 76; vbi dicitur, quòd tenet baptismus, etiamsi per errorem contra regulam fidei aliquid proferatur; *& ex Zach. c. retulerunt* 84; vbi restringitur, quòd si baptizans, non per imperitiam,aut Romanæ locutionis ignorantiam, sed vt introduceret hæresim, vel errorem in fide,verba variaret; baptizaret inualidè;quia tũc sensum verborum mutaret; & soluitur casus de eo, qui baptizauerat *in nomine Patria, & Filia, & Spiritua Sancta*;quòd si hoc fecerat ob linguę latinæ ignorantiam, validus fuit baptismus; si autem vt errorem inueheret, inualidus; quia sic intendisset fœminas in Trinitate reponere, vel quid aliud diuersum significare. Obseruant autem *DD.* quòd ad variationem verborum sensus variatur, vt plurimùm; cùm variantur syllabæ, aut literæ in principio ipsius vocis; vt cùm dicitur: *In nomine patris, & filij*; non autem in fine; vt cùm dicitur: *In nomine Patrus, vel Filius.* Sed hæc regula fallax est,nam apud aliquas nationes *a* pronunciatur *e*; vnde si quis ob linguæ imperitiam *apud illos* pronunciaret: *In nomine Patris etc*; validè baptizaret; quia intenderet proferre Patrem, sicut proferunt *Latini*; & sic valet regula *Zachariæ Papæ.*

39 Si inter verba formam constituentia alia verba ad rem non pertinentia interponat, & interpolatio fit tanta, vt tollat continuationem sermonis, & significatum sermonis infringat, baptismus est irritus. Secus verò, si non discontinuet sermonem, nec significatum infringat.

40 A fortiori dicendum est baptismum valere, si quis diceret: *Ego te baptizo in nomine Patris amen; et Filij amen; & Spiritus Sancti, amen*; illa enim vox *amen* interposita non variat, sed cõfirmat, & probat significatum nominis, cui subijcitur.

A R T. VII.

An baptismus possit iterari?

1 **M**Arcionistæ *apud S. Epiphan. hær. 42.* triplicem baptismum homini conferebant; primum in infantia ad tollendum originale peccatum; secundum, cùm post primum baptismum lapsus erat in peccatum; & tandem tertium, cùm post secundum iterum peccauerat; asserentes hoc esse ad Christi imitationem, qui bis in adulta ætate baptizatus fuit, scilicèt baptismo *Ioannis*, & baptismo sanguinis. Hi hæretici antonomasticè dicti sunt *Rebaptizantes.*

2 *Aliqui Anabaptistarum* rebaptizabant eos, qui fidem in baptismo susceptam abnegauerãt. *Donatistæ* verò rebaptizabant eos,qui ab Hæreticis,& Schismaticis erant baptizati.

3 Dogma catholicum est baptismum ritè, & validè collatum iterari non posse; quando autem vehementer dubitatur, an fuerit validè collatus, tunc esse repetendum sub conditione. In hoc conueniunt *omnes DD*; quauis aliqui asserant baptismum non esse iterabilem ex sua natura, sed tantùm ex Dei ordinatione. Refertur *Scot. apud nostrum Puteanum*; reliqui tamen asserunt ex sua natura itreiterabilem esse.

4 Vnica concl. Baptismus ritè collatus ex sua natura iterari non potest; quando autem de eius collatione prudenter, & rationabiliter dubitatur, est repetendus sub conditione.

Prob. 1. pars concl. *ex Hebr. 6. Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati &c; & prolapsi sunt, rursus renouari per pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes*; vbi loquitur *Apost.* de *baptismatis doctrina*; vt ait immediatè *superiùs*; non enim intelligi potest de renouatione,quæ fit per sacramentum pœnitentiæ; quia certum est de fide prolapsos in peccata post baptismũ iustificari per pœnitẽtiam. Sensus igitur *Apostoli* est. Impossibile est eos, qui semel sunt baptizati, qui receperunt lumen fidei in baptismo, & ideo *illuminati* dicuntur; iterum baptizari à peccatis post baptismum commissis per eam pœnitentiam, quę in adultis, qui solùm post baptismum possunt peccare, ad baptismum est præmittenda; vt dicitur *Act. 2. Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum*; & *Io. 13. Qui lotus est*, idèst qui baptizatus est, vt explicat *S. P. Aug. lib. 2. cont. lit. Petil. c. 22*; *& alibi; iam non indiget, nisi vt pedes lauet*; idèst vt peccata post baptismum commissa confiteatur; vt explicat *idem S. P. tract. 56. in Io*; & iterum *Hebr. 10. Voluntariè peccantibus post acceptam notitiam veritatis* (idèst fidem,quæ accipitur in baptismo) *iam non relinquitur pro peccatis hostia*; videlicèt baptismus, qui dicitur hostia eo, quia in ipso offertur mors Christi; vt statim dicemus; *& Rom. 6. Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus*

mus; consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem; ut quomodò Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris; ita & nos in nouitate vitæ ambulemus; & iterum: Christus semel mortuus iā non moritur. Ex quibus sic arguit S. P. Aug. in Enchir. c. 52. Mors Christi, & resurrectio non est iterabilis; sed baptismus per Apostolum ex sua natura ita se habet, sicut mors Christi, & resurrectio; ergo baptismus ex sua natura non est iterabilis. Vid. Fund. Doct. Æg. in ep. ad Rom. lect. 19. fol. 38; qui fusè hanc similitudinem inter Christi mortem, ac resurrectionem, & baptismum explicat. Item Io. 3. Nisi quis renatus fuerit denuò; super quod S. P. Aug. tract. 12. in Io. inquit: Regeneratio vna est; sicut generatio carnalis vna est. Idèst generatio naturalis non est iterabilis; quod enim factum est, infectum fieri nequit; sed baptismus ex sua ratione formali ita se habet, sicut generatio naturalis; est enim formaliter regeneratio spiritualis, qua ad vitam spiritualem renascimur; ergo baptismus ex sua ratione formali non est iterabilis.

5 Hæc veritas definita fuit in Conc. Lat. c. Firmiter; & Flor. in decr. vnionis Armen; & Trid. sess. 7. de sacram. in gen. c. 9; vbi statuitur per baptismum imprimi caracterem in anima, hocèst quoddam signaculum indelebile, vnde ea iterari non possunt; quod repetit ibidem de baptismo can. 11. Quæ ratio sumpta est ex S. P. Aug. lib. 2. cont. ep. Parmen. c. 13; formatur autem sic à Fund. Doct. Æg. lib. cont. Exemptos c. 14; & Quodl. 2. q. 28. Sacramenta, quæ imprimunt caracterem, iterari non possunt; sed baptismus imprimit caracterem; ergo iterari non potest. Hoc totum satis probatum fuit ex eodem S. P. de sacram. in com. q. 4. art. 1. n. 10; vbi etiam adducitur alia ratio eiusdem; scilicèt circuncisio ex sua natura iterari non potuit; sed baptismus successit circuncisioni; tanquam veritas figuræ; ergo iterari non potest. Itē de consecr. dist. 4. c. regenerante 134. habetur ex S. P. Aug. lib. de pecc. merit. & remiss. c. 15. Regenerante autem Spiritu non solùm originalium, sed etiam voluntariorum fit remissio peccatorum; ex quo sic arguit Fund. Doct. Æg. in de summa Trin. p. 1. fol. 4. col. 3; & tract. de pecc. orig. c. 6. Peccatum originale semel deletum non iteratur; sed baptismus principaliter ordinatur ad delendum peccatum originale; ergo baptismus semel susceptus non iteratur. Insuper Ephes. 4. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma; quo S. Leo Papa de consecr. c. cùm itaque 110. in ead. dist. probat baptismum non esse iterandum his verbis: Scimus quidem inexpiabile esse facinus, quoties iuxta hæreticorum dogmata contra SS. Patrum instituta cogitur aliquis lauacrum, quod regenerandis semel tributum est, bis subire, Apostolica reclamante sententia, quæ nobis vnam prædicat in Trinitate Deitatem, vnam in fide confessionem, vnum in baptismate sacramentum; quod habetur etiam c. rebaptizare 106. ex S. P. Aug. ep. 203. ad Maximum; vbi ait, quòd rebaptizare hæreticum omnino peccatum est; rebaptizare autem catholicum immanissimum scelus est; & c. 105. non licet ex Conc. Carthag. consid. 3. c. 38. Vid. de sacram. in com. vbi s. alias rationes.

6 Prob. 2. pars concl. ex Alex. III. c. de quibus 2. de bapt. statuente: De quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizentur his verbis præmissis: Si baptizatus es, non te rebaptizo; sed si nondum baptizatus es; ego te baptizo in nomine Patris &c. Idem habetur de consecr. dist. 4. c. 107. de Arianis ex Conc. Arelaten. I; & c. paruulos 108. ex Greg. IV; & c. placuit 109. ex Conc. Carthag. V; & c. cùm itaque 110. ex Papa Leone; & c. si nulla 111. ex eodem. Ratio est. Effectus à conditione dependens, quòd aliàs positus non sit, non iteratur; conditio enim suspendit effectum, ne ponatur, nisi verificata conditione; sed baptismus conditionatè collatus est effectus dependens à conditione, quòd priùs collatus non sit; ergo baptismus conditionatè collatus non iteratur. Sed quoties baptismus non iteratur, est conferendus, quia subueniendum est animæ eo indigenti; ergo quando prudenter, & rationabiliter dubitatur de collatione baptismi, est conditionatè conferendus.

7 Dubium autem debet esse prudens, & rationabile vel iuris, vel facti; iuris quidem; vt cùm vehementer dubitatur de materia, vel forma, an legitima fuerit; v.g. cùm adsunt motiua iudicandi aliquem baptizatum esse in aqua rosacea; vel cùm baptizatus fuit domi ab obstetrice venefica, vel de veneficijs suspecta; aut formæ baptismi prorsus ignara, & interrogata à Parocho inuenitur non protulisse veram formam baptismi; facti verò, si infans expositus schedulam baptismi non habeat; si natus sit, & educatus inter infideles, & nullus sit testis, & nullum indicium collationis baptismi; tunc baptismus conditionatè est conferendus. Si verò puer sit ex parentibus fidelibus natus, inter fideles educatus, & nulla vehemens dubitatio de illius baptismo orta est; aut si mulier, à quo fuit baptizatus, interrogata testetur se protulisse veram formam baptismi, & aquam elementarem adhibuisse; uel habeat schedulam baptismi, etiamsi in ea non exprimatur aliquis testis; tunc baptismus nec etiam conditionatè est conferendus; tunc enim rectè baptizatus præsumitur; quæ præsumptio (inquit Innoc. III. c. veniens de bapt.) pro certitudine habenda est, donec euidentissimis argumentis contrarium probetur. Quippequi adeò detestabilis impietas est anabaptismus, ut sæpe repetit S. P. Aug. cont. Donatistas; ut licèt conditio suspendat baptismum, si semel positus sit; attamen ne inaniter repetatur, nec etiam conditionatè est conferendus, nisi adsint grauissima dubitandi motiua.

8 Obijc. 1. cont. 1. part. concl. Etiam eucharistia est figura mortis, & passionis Christi;

de ea enim canit Ecclesia: *Recolitur memoria passionis eius; & 1. Cor. 11. Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat*; sed eucharistia sæpe iteratur; ergo & baptismus. 2. Potest quis baptizari baptismo flaminis, ut cùm habet desiderium ardentissimum baptismi cum actu contritionis perfectæ; & nequit pro eo tunc baptizari baptismo fluminis, quia nec est aqua, nec minister; & postea baptizari baptismo fluminis, cùm aqua, & minister occurrit; & tandem baptizari baptismo sanguinis, cùm fidem confiteri coram Tyranno tenetur; ergo baptismus est iterabilis.

Resp. ad 1. dist. ma. Etiam eucharistia est figura mortis, & passionis Christi per modum cibi, quo nutrimur ad vitam spiritualem, conc; per modum actionis regenerantis, neg; cibus autem multoties sumitur; sed semel tantùm nascitur homo. Vel dicitur eucharistiam esse figuram memoriæ mortis, seu esse memoriale recordans Christi passionem, memoria autem mortis sæpe est repetenda, non autem esse figuram mortis. Ad 2. dist. cons. Baptismus, qui est sacramentum, est iterabilis, neg; qui non est sacramentum, conc; solus autem baptismus fluminis est sacramentum, & de hoc tantùm loquimur in præsenti.

9 Inst. Pœnitentia eodem modo figurat mortem, & resurrectionem Christi, sicut eam figurat baptismus; quapropter dici solet *secundus baptismus*, per ipsam enim morimur peccatis, & ad gratiam resurgimus; vti fit in baptismo; sed hoc non obstante pœnitentia iteratur; ergo & baptismus.

Resp. dist. ma. Figurat mortem, & resurrectionem Christi per modum medicinæ sanantis, quæ toties debet replicari, quoties inualet morbus, conc; per modum vitæ regenerantis, neg.

10 Quæres, quam pœnam incurrant rebaptizantes, & rebaptizati?

Resp. 1. rebaptizantes sub conditione modo, quo dictum est, nullam pœnam incurrere; quia id iura non prohibent, sed præcipiunt. 2. Rebaptizantes, & rebaptizatos etiam ex ignorantia facti simpliciter inuincibili incurrere pœnam irregularitatis; vt expresse habetur de *consecr. dist. 4. c. qui bis ignoranter baptizati sunt* 115; vbi dicitur, quòd licèt non indigeant pœnitere; attamen *secundùm canones ordinari non possunt*; rebaptizantes autem, & rebaptizatos sub conditione, etiansi certi sint de validitate baptismi, nullam pœnam videntur incurrere; quia iura loquuntur solùm de rebaptizantibus, & rebaptizatis absolutè; vbi autem pœna non est expressa in iure, non videtur incurri. 3. Rebaptizantes, & rebaptizati absolutè etiam ex ignorantia iuris incurrunt pœnam capitis *in iure Ciuili Cod. ne sacrum baptisma reiteretur*; *iure* autem *Ecclesiastico* incurrunt irregularitatem, & excommunicationem. Habetur *ex Felice Papa de consecr. dist. 4. c. eos, quos* 116; vbi remouentur à communione fidelium; & dicitur: *Etiansi episcopi, sacerdotes, vel diaconi extitant, laica tantùm communio in morte est eis reddenda; & c. qui bis vbis; & extra de apostatis, & iterantibus bapt. tit. 9. c. 2. ex literarum ex Alex. III; & ex Felice III, in ep. ad Episcopos Aphricanos; & c. 39. Conc. Aphricani, & ex Felice IV. ex decretis Romanæ Syn. c. 5*; & ratio est: Qui cooperatur actioni, quæ sub aliqua pœna, vel culpa vetita est, fit reus illius pœnæ, vel culpæ; sed rebaptizantes actiuè, & rebaptizati passiuè cooperantur anabaptismo, qui prohibitus est sub pœna irregularitatis; si enim rebaptizatus non sineret se rebaptizari; & rebaptizans non rebaptizaret, non fieret anabaptismus; ergo rebaptizantes, & rebaptizati irregularitatis rei efficiuntur.

11 Dices. *Felix IV.* solùm loquitur de recipientibus anabaptismum; non autem de illũ ministrantibus; sed irregularitas non incurritur, nisi sit expressa in iure; vt habetur *c. bis, quæ de sententia excommunicationis in 6*; ergo rebaptizantes non incurrunt irregularitatem. Sic *Alex. III. vbis.* tantùm asserit irregularem esse clericum, qui anabaptismo fuit assistens; ergo perperam extenditur ad rebaptizantes, & rebaptizatos.

Resp. ad 1. pœnam irregularitatis expressè infligi *de consecr. c. eos, quos vbis.* ministris rebaptizantibus, etiansi si sint Episcopi, Sacerdotes, & Diaconi; hic autem rectè extenditur propter regulam: *Si de quo minùs, & de quo magis*; cùm enim minùs sit pati, quàm agere; ideo si irregularitas incurritur à passiuè recipientibus anabaptismum; à fortiori dicendum est incurri ab illum actiuè ministrantibus. Ad 2. eodem modo resp; nam minùs est assistere rebaptismo, quàm illum efficere; ergo si incurritur irregularitas assistendo, multò magis efficiendo. Tum quia, sicuti nunquam incurritur excommunicatio ob assistentiam alicuius actionis, quin incurratur ob efficientiam illius; ita à pari.

12 Inst. iterum. Qui ignoranter rebaptizantur, non peccant; ergo nec irregularitatem incurrunt.

Resp. neg. cons; falsum est enim, quod docet *Sua*; quòd scilicèt irregularitas non incurratur sine peccato mortali; nam irregularitas, quæ incurritur ex bigamia, incurritur sine peccato mortali; non enim peccatum est accipere successiuè duas vxores, cùm secundæ nuptiæ non sint prohibitæ.

13 Præterea hoc prob. ex continua praxi Ecclesiæ; non enim tantùm rebaptizantes, vel tantùm rebaptizati, sed vtrique petere solent dispensationem; sed consuetudo est altera lex; ergo vtrique irregularitatem incurrunt.

14 Tandem hæc irregularitas contrahitur, siue publicè, siue priuatè fiat rebaptismus; nam con-

contrahitur propter iniuriam, quæ fit sacramento; deturpatur enim caracter Christi Regis acceptus in primo baptismo, vt sæpe docet *S. P. Aug. cont. Donat.*; hæc autem deturpatio sequitur, siue fiat publicè, siue priuatè; ideo ex rebaptismo siue publico, siue priuato contrahitur irregularitas.

ARTICVLVS VIII.

Quotuplex sit baptismus?

1 NOn loquimur *hic* de baptismo, prout est remedium vniuersalissimè remittens peccatum originale siue in lege naturæ, siue in lege scripta, siue in lege noua; constat enim, quòd in hac lata significatione aqua aspersionis, purificationis, expiationis, & quodcunque aliud remedium, quod fuit in lege naturæ, nec non circuncisio baptismi possunt vocari, propriè tamen loquendo fuerunt figuræ baptismi, non baptismi. Nec loquimur de baptismo, prout hoc nomen commune est baptismo *Ioannis*, & baptismo Christi; nam baptismus *Ioannis*, quanuis physicè loquendo fuerit verus baptismus, quia fuit vera, & physica ablutio aquis effecta, attamen quia non habuit vim remittendi peccata, vt diximus *q. 1. art. 2*; ideo non fuit baptismus in eo sensu, in quo loquimur. Igitur sermo est tantùm de baptismo legis euangelicæ, prout est remedium tollens peccatum originale, & peccata personalia, si quæ sunt cum peccato originali coniuncta in lege euangelica; & inquirimus, quotuplex sit species illius.

2 Baptismus secundùm hanc rationem acceptus adhuc dupliciter sumi potest. 1. Prout est verum sacramentum nouæ legis constans ex materia, & forma sensibili à Christo determinata significans gratiam sanctificantem simpliciter primam, idest remittentem peccatum originale primariò, & ex consequenti peccata personalia. 2. Prout est remedium simpliciter præscindens à ratione sacramenti sanans, & abluens animam à peccato originali, & personalibus.

3 Solus *Auctor*, vt refert *noster Putean. in 4. dist. 4*; docuit martyrium esset verum sacramentum. *Omnes* tamen *alij DD.* communissimè docent tres esse species baptismi in lege euangelica, scilicèt baptismus fluminis, qui aqua elementari, & verbis: *Ego te baptizo &c.* conficitur; & baptismus flaminis, qui est desiderium baptismi cum pęnitentia suorum delictorum; & baptismus sanguinis, qui est martyrium pro Christi fide perpessum; solum tamen baptismum fluminis esse verum sacramentum. Baptismus fluminis appellari solet baptismus in re; flaminis verò baptismus in voto; vt docet *Fund. Doct. Æg. lib. de Renunc. Papæ c. 10. p. 6. fol. 15. col. 2.*

4 Vnica concl. Triplex est species baptismi in lege euangelica, scilicèt baptismus fluminis, flaminis, & sanguinis; solus tamen baptismus fluminis est verum sacramentum.

Prob. 1. pars concl. In lege euangelica triplex assignatur lauacrum, quo abluimur à peccato originali, & peccatis personalibus; sed baptismus est lauacrum, quo abluimur à peccato originali, & peccatis personalibus; ergo triplex est baptismus in lege euangelica. Mi. constat; nomine enim baptismi, qui est nomen *Græcum*, significatur latinè lauacrum, seu ablutio. Ma. prob; nam de baptismo fluminis habetur *Io. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non introibit in Regnum Dei*; & *S. P. Aug. tract. 80. in Io. Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum*, de baptismo flaminis *Act. 2. Vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non post multos hos dies*; & *idem S. P. lib. 4. cont. Donatist. c. 22. Inuenio nō tantùm passionem pro nomine Christi id, quod ex baptismo deerat, posse supplere, sed etiam fidem, conuersionemque cordis si fortè ad celebrandū mysterium baptismi in angustijs temporum succurri non potest*; *& c. 25. Nec si vnum horum defuerit, ideo putare debèmus consequens esse, vt & alterum desit; quia & illud sine isto potest esse in infante; & hoc sine illo potuit esse in latrone, complente Deo sine illo in isto, quod non ex voluntate defuisset*; & alibi docet, quòd quis optat baptizari, & non potest, tunc *saluatur per fidem sacramenti, non per fidei sacramentum*; & habet etiam *Innoc. III. tit. 42. de bapt. c. debitum 4.* Tandem de baptismo sanguinis *Marc. 10. Potestis baptismo, quo ego baptizor, baptizari? S. P. Aug. vbi s.*; & habetur *de consecr. c. 32. Baptismi vicem aliquando implere passionem*; & habetur *etiam c. 35. cathecumenum ex eodem.* De his tribus baptismi speciebus inquit *idem S. P. in eod. lib. 4. c. 17. Nunquid potest vis baptismi maior esse, aut potior, quàm confessio, quàm passio; vt quis coram hominibus Christum confiteatur, & sanguine suo baptizetur?* De quo *vid. de Ciu. Dei lib. 13. c. 7*; vnde sumitur, & formatur hæc ratio. Illud habet rationem baptismi, quod habet rationem lauacri abluentis animam à peccato originali, & à peccatis personalibus cum originali cōiunctis; hoc enim significatur per hoc nomen *baptismus*; nam cùm inter effectus baptismi principalior sit conferre gratiam regenerantem ad vitam spiritualem ex morte per peccatum originale contracta, vt diximus *in sup. tract. q. 4. art. 1. n. 14*; & denominatio desumi debeat à nobiliori; ideo illud, quod habet hunc effectum pręstare, simpliciter dici debet baptismus; sed baptismus fluminis, flaminis, & sanguinis habent abluere à peccato originali, & à peccatis personalibus cum originali cōiunctis, vt patet ex *textibus* adductis, *& ex Glos. in ps. 57*; *quod non potes facere, & vis, Deus reputat factum; vnde baptismus aqua sic non est necessarius, vt si adsit voluntas, & desit possibilitas, non saluetur aliquis sine ipso*; & sumptum est *ex S. P. Aug. lib. de honest. mulier. c. 5*; vbi docet: *Voluntas prona faciendi reputatur*

tatur pro opere facti; *et Trid. seß. 6. in decr. de iustific. c. 4.* docet *iustificationem non fieri sine lauacro regenerationis, vel eius voto*; quod repetit *seß. 7. de sacram in gen. can. 4.*; & ratio est, *quia ad impossibile nemo tenetur*; vnde cùm quis facit, quod potest, vt baptizetur, & baptizari non potest, intelligitur absolutus à præcepto, & à peccato; ergo baptismus flaminis, flaminis, & sanguinis habent veram rationem baptismi. 2. Baptismus est omnibus simpliciter necessarius ad salutem; ergo Deus, *qui vult omnes saluos fieri*, vt dicitur *1. ad Tim. 2*; non debuit baptismum restringere ad solùm aquæ lauacrum ita, vt quando hoc haberi non potest, homines non acquirant salutē, licèt illam affectu cordis inquirant, & sanguinis effusione mereantur.

5 Prob. 2. p. concl. *ex Flor. in decr. vnion. Armen. Sacramenta tribus perficiuntur, scilicet rebus, tanquam materia, verbis, tanquam forma, et persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia*; *et ex D. P. tract. 80. in Io. vbi*; *Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum.* Ex quibus sic. Illud habet verè, & propriè rationem sacramenti nouæ legis, quod constat ex rebus, & verbis à Christo determinatis, & intentione ministri faciendi, quod facit Ecclesia, vt diximus *in sup. tract. q. 2. art. 2*; *et q. 5. art. 2*; sed baptismus flaminis, & sanguinis non constat ex rebus, & verbis sensibilibus, nec perficiuntur persona ministri intendentis facere, quod facit Ecclesia; nam baptismus flaminis est actus merè internus, & spiritualis, non externus, & sensibilis; nec verbis externis perficitur; nec ministro, quia idem nequit baptizare se ipsum; & baptismus sanguinis non constat ex materia à Christo determinata, neque verbis determinatis, neque ministro intendente facere, quod intendit facere Ecclesia; Tyrānus enim non habet hanc intentionem, vt constat; ergo baptismus flaminis, & sanguinis, quanuis verè habeant veram rationem baptismi abluentis animam à peccatis, non tamen habent veram rationem sacramenti. 2. Ex illo *Ephes. 4. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma*, de quo *S. P. Aug. lib. 2. de bapt. cont. Donatist. c. 14*; *et de vnico bapt. cont. Petil*; sed Deus est vnus specie, seu natura; & fides Christi est vna specie; ergo & sacramentum baptismi, de quo loquitur *Apost. 3. ex Putean.* Omnes adulti tenentur sumere omnia sacramenta cùm possunt; sed nemo tenetur suscipere martyrium; ergo martyrium non est sacramentum. 4. Baptismus, vt est sacramentum, imprimit caracterem, & remittit omnem culpam, & pœnam; sed baptismus flaminis, & sanguinis non imprimunt caracterem, & quanuis remittant culpam, attamen baptismus flaminis non remittit omnem pœnam; quapropter *Innoc. III. de bapt. tit. 43. c. 2. Apostolicam* ait presbyterum non baptizatum mortuum in confessione nominis Christi à peccato originali fuisse absolutum, & cœlestis patriæ gloriam adeptum; attamen iuges preces, & hostias pro ipso esse offerendas; *et D. Ambr. or. de obitu Valentiniani* ait eum frui vita æterna, & hortatur populum, vt secum pro illo oret; ergo idem. *Vid. de sacram. in tom. q. 2. art. 1. §. 2. n. 24.*

6 Obijc. 1. cont. 1. p. concl. Illud *Ephes. 4. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma*; ergo baptismus non est triplex. 2. Alia sarcamenta non habent suppleri per alias species; ergo neque baptismus. 3. Ex illo *Io. 3. Nisi quis renatus fuerit etc*; quibus verbis apertè indicatur solùm per baptismum aquę obtineri remissionem peccatorum, & vitam æternā. Super quod *D. Ambr. lib. 2. de Abraham c. 11.* inquit: *Nullum excipit, non infantē, non aliqua præuentum necessitate*; quod sæpe repetit *S. P. Aug. et alij SS. DD.*

Resp. ad 1. Apostolum loqui de baptismo, vt est sacramentum; sic enim vnum tantum est, non de baptismo, vt est remedium quomodocumque tollens peccatum originale; sic enim triplex est, vt docent allatæ *scripturæ*; cum quibus Apostolus debet concordari. Vel dicitur cū *D. Tho.* baptismum esse vnum vnitate analogica; nam baptismus flaminis, & sanguinis dicuntur baptismi per attributionem ad baptismum fluminis, quem habent supplere. Ad 2. neg. cons. nam alia sacramenta non sunt adeò necessaria ad salutem, sicut baptismus; ideo non debuerunt suppleri in statu impossibilitatis. Ad 3. resp. *S. P. Aug. lib. 13. de Ciu. Dei c. 7*; quòd idem Christus, qui dixit: *Nisi quis renatus fuerit etc*; dixit etiam: *Qui me confessus fuerit coram hominibus etc*; *et in quacunque hora ingemuerit peccator etc*; ex quibus tribus *textibus* apertè colligitur peccata dimitti per baptismum fluminis, flaminis, & sanguinis. *Textus* igitur *Io. 3.* intelligendus est, quādo baptismus aquæ non est impossibilis; tunc enim sufficit vel desiderium baptismi, vel mors tolerata pro Christo.

7 Obijc. 2. Etiam pœnitentia vocatur secundus baptismus *à D. Hier. apud Fund. Doct. Æg. de celebr. missarum p. 1. in fine*; & professio religiosa *à D. Bern. tract. de præcepto, & dispensat. c. 23.* vocatur pariter baptismus; ergo quinque sunt species baptismi.

Resp. pœnitentiam, & religionem vocarī baptismum metaphoricè, quatenus habent delere peccatum, non autem propriè, quia non habent emundare à peccato originali.

8 Obijc. 3. cont. 2. p. concl. Quod remittit peccatum ex opere operato, est verum sacramentum; sed martyrium remittit peccatum ex opere operato, ergo est verum sacramentum. 2. Sacramenta fluxerunt à latere Christi, vt docet *S. P. Aug.*; sed ex latere Christi exiuit sanguis, per quem denotatur martyrium; & aqua, per quam significatur baptismus fluminis; ergo idem.

Resp. ad 1. neg. ma; nam virtus conferendi gratiam ex opere operato est etiam martyrio con-

conceſſa; quanuis enim omne ſacramentum nouæ legis cauſet gratiam ex opere operato; non tamen omne cauſans gratiam ex opere operato eſt ſacramentum; non enim hæc duo dicuntur ad conuertentiam. *Sed de hoc in ſeq.§.* Ad 2. dicitur, quòd per ſanguinem, & aquam, quæ fluxit è latere Chriſti, ſignificantur omnia ſacramenta, vt docent omnes *SS. PP*; non autem ſolus baptiſmus, & martyrium. *Alij* dicunt per aquam ſignificari baptiſmum, & per ſanguinem euchariſtiam, quæ ſunt potiſſima ſacramenta, ad quæ alia reducuntur. *Vid. Alen; & Fund. Doct. Æg. de ſacram. Altaris Theor.*

9 Colligitur ex dictis, quòd licèt iſti tres baptiſmi conueniant inter ſe in eo, quòd conferunt gratiam ſimpliciter primam tollendo peccatum originale; differunt tamen, quòd baptiſmus fluminis remittit omnem culpam, & omnẽ pęnam; baptiſmus autem flaminis, quanuis poſſit eſſe adeò intenſa in eo charitas, vt tollat etiã omnem pœnam, attamen cùm charitas eſt remiſſa, aliquam pœnam ſatisfaciẽdam relinquit; baptiſmus autem ſanguinis ratione charitatis, quæ magna eſt; cùm *maiorem charitatem nemo habeat, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis;* & quia imitatur Chriſti mortem, vbi baptiſmus aquę ſolummodò eam figurat; remittit quidem omnem pęnam, ſed ita; vt, ſi poſſit, v. g. ſi aqua ſit præſens, & paratus miniſter, teneatur baptiſmum aquæ ſuſcipere, quia omnes neceſſitate præcepti obligantur ad illum ſuſcipiendum. Verùm ſi perſecutio vrgeat, & ſuſcipi non poſſit, valet per ſe ad remittendam omnem culpam, & omnem pœnam; propter quod baptiſmum aquę ſupplere dicitur; cùm ille haberi non poteſt. At baptiſmus aquæ ita per ſe delet omnem culpam, & pœnam, vt non teneatur baptizatus baptiſmo fluminis baptizari baptiſmo ſanguinis, cùm non adſit peccatum, niſi vrgente neceſſitate, & periculo fidei; non enim omnes baptizati tenentur terras infidelium petere, vt ab illis pro Chriſti fide occidantur.

10 Dices. Ex hoc ſequitur tantùm duas eſſe ſpecies baptiſmi; nam ſi ſuſcipiens baptiſmum ſanguinis tenetur ſuſcipere baptiſmum fluminis, cùm poteſt; iam tenetur habere baptiſmum flaminis, quia tenetur habere baptiſmum fluminis in votò.

Reſp. neg. ſeq; nam quanuis ad martyrium ductus teneatur ſuſcipere baptiſmum fluminis, ſi poſſit, quia ad illum ex præcepto obligatur; non tamen tenetur illud expetere, cùm non poſſit; vnde etianſi nihil de illo cogitet, adhuc tamen martyrium tolerans pro fide Chriſti expiatur. Imò etianſi haberet votum baptiſmi, quia tamen per illud non remitteretur ei omnis pœna; quæ quidem tolleretur per baptiſmum ſanguinis; ideo duplici baptiſmo dilueretur; & per conſequens tres ſunt ſpecies baptiſmi.

11 Hoc, quod diximus de baptiſmo fluminis, & flaminis, ſiue de baptiſmo in re, vel in voto, valet etiam de pœnitentia; vt docet *Trid. ſeſſ.14.c.4*; nam deſiderium ſacramenti pœnitẽtiæ poteſt eſſe tanta charitate formatum, vt etiã ante actualem ſuſceptionem illius peccatorẽ iuſtificet. An autem etiam alia ſacramenta hoc habeant iuxta regulam: *Voluntas faciendi reputatur pro facto;* affirmandum videtur. Certum tamen eſt ex illo deſiderio, ſeu voto aliquem fructum illius ſacramẽti ſpiritualiter percipi; quem ſacramentum, non in re ſuſceptum, ſed vt præconceptum operatur; nam eadem fides, quæ in voto baptiſmi, & pœnitentiæ remiſſionem peccatorum operatur, quæ eſt effẽctus formalis huius vtriuſque ſacramenti, etiam reliquias peccatorum poteſt abſtergere, & gratiam augere, quod efficiunt alia ſacramenta; ſi cum fide, ſpe, & charitate expetantur.

12 Petes 1; an votum baptiſmi debeat eſſe explicitum, vel ſufficiat implicitum?

Reſp. ſufficere implicitum. Eſt communior ſententia *cont. Card. Brancat.* ſubſtinentem requiri votum explicitum, *et cont. aliquos paucos* putantes ſufficere in illis, qui baptiſmi notitiam non habent; non verò in illis, quibus baptiſmi neceſsitas eſt prædicata. Ratio autem eſt; quia ex *Trid. vbi ſ.* ad iuſtificationem ſufficit actus contritionis perfectæ cum propoſito generali ſeruandi omnia Chriſti præcepta; non enim requiritur pro eo tunc, vt diſtinctè recolat quodlibet præceptum in ſingulari; nam ſicuti ad tollenda peccata, quæ inuincibiliter ignorantur, ſufficit dolor generalis de omnibus; ita ſufficit propoſitum generale ſeruandi omnia præcepta; ſed in hoc propoſito includitur implicitè votum ſuſcipiendi baptiſmum nobis à Chriſto præceptum; ergo ſufficit votũ implicitũ baptiſmi. Ma. conſtat; non enim requiritur votũ explicitũ reſtituendi rem alienam, honorandi parentes, non iurandi falſum, & ſic de ſingulis; nam aliquando deeſt tempus actu cogitandi de ſingulis in particulari. Atqui non minùs obligant alia præcepta, quàm præceptum baptiſmi; ergo ſi ad iuſtificationem non requiritur votum explicitum ſeruandi alia præcepta; nec requiritur tale votum ſuſcipiendi baptiſmum. Aliter ſi habens baptiſmi notitiam teneretur habere votum explicitum illum ſuſcipiendi, nulla ratio poſſet afferri, cur habens notitiam aliorum præceptorum non teneretur habere votum explicitum illa ſeruandi; omnia enim Chriſti præcepta æqualiter obligant ad obſeruantiã illorum; & quanuis peccatum contra vnum præceptum ſit maius, quàm peccatum cõtra aliud præceptum; hoc tamen non eſt; quia illud ſit ſtrictius præceptum; ſed quia eſt in materia grauiori, & cõtra maiorem, & digniorem virtutem; vt diximus *to.4. tract. de pecc.*

13 Petes 2; an attritio, quæ eſt contritio imperfecta, vt loquitur *Trid;* cum voto baptiſmi

mi vel implicito, vel explicito sufficiat ad iustificationem?

Resp. negatiuè *cont. Card. Brancat;* nam communis doctrina, quam tradit *Trid. sess.14.c.4;* est; quòd contritio perfecta in hoc differt ab imperfecta, quæ dicitur attritio; quòd illa cum sacramenti voto sufficit ad iustificationem; hæc verò non sufficit extra sacramentum, sed tantùm in sacramento; nam non minùs necessarium est sacramentum pœnitentiæ ad delenda peccata post baptismum commissa, quàm sit necessarius baptismus ad delendum peccatum originale, & alia peccata cum illo coniuncta; sed ad delenda peccata post baptismum commissa extra sacramentum non sufficit attritio cum proposito, seu voto suscipiendi sacramentum pœnitentiæ, quæ tantùm sufficit in sacramento; vt definit *Conc;* ergo ad delendum peccatum originale, & personalia cum originali coniuncta non sufficit attritio cum proposito, seu voto suscipiēdi baptismum, quæ tamen sufficit in sacramento baptismi. Rationem affert *Conc;* nam attritio in sacramento, cui Christus dedit virtutem remittendi peccata, ad Dei gratiam disponit, cui annectitur habitus charitatis, à qua elicitur actus contritionis perfectæ; & ideo dicitur, quòd *homo in sacramento ex attrito fit contritus;* sed extra sacramentum attritio non est dispositio proxima ad Dei gratiam, aliter etiam extra sacramentum ad iustificationem perduceret, quia perduceret ad gratiam iustificantem; ergo extra sacramentum etiam cum voto sacramenti non sufficit ad remittenda peccata. Tum quia sacramentum susceptum in re remittit peccata ex opere operato; ideo sufficit attritio; quamuis enim attritio secundùm se non sit sufficiens ad remittenda peccata; attamen virtute ipsius sacramenti remittuntur; at sacramentum in voto non remittit peccata ex opere operato; vt *in seq.* §; ergo attritio ad illud non sufficit. Hæc ratio æquè militat de sacramento pœnitentiæ, quæ secundus baptismus appellatur, & de baptismo.

14 Ex hoc infertur votum baptismi, & pœnitentiæ includi in ipsa contritione; quia in ipsa includitur, vt sit vera contritio, propositum, quod idem sonat, ac votum, seruandi omnia Christi præcepta. Hoc docet *idem Trid. ibid.* asserens *contritionem sine sacramenti voto, quod in illa includitur;* & ratio est; quia contritio *ibid.* definitur *animi dolor de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero;* propositum autem non peccandi est propositum seruandi omnia præcepta, cùm peccatum sit inobseruantia præcepti; definitur enim *legis transgressio.* Si namq; non detestaretur omne peccatum, & non haberet propositum seruandi omnia præcepta, iam haberet affectum ad aliquod peccatum, cuius prohibitionem non proponeret seruare; & sic non esset verè, & perfectè contritus.

15 Petes 3; quid dicendum sit de illo, qui citra mortis periculum habet verum actum contritionis cum voto suscipiendi sacramentum, cùm se se obtulerit opportuna commoditas; & postea sic maneat per aliquod tempus v. g. per duas horas, per diem &c?

Resp. in hoc casu in instanti contritionis ipsum iustificatum fuisse; & si opportuno tempore sacramentum suscipiat, iustificatum manere; si autem opportuno tempore sacramenti susceptionem despiciat, vel negligat, tunc censetur virtualiter interpretatiuè consentire peccatis per contritionem detestatis eo, quia despicit illa subijcere clauibus Ecclesiæ, vt ab illis soluatur; & ideo hic contemptus, negligentia, & omissio reddit ipsum peccatorem. Opportunitas autem temporis talis esse debet, vt possit commodè, & sine vitæ discrimine, ac ingenti labore sacramentum suscipere, lex enim Christi, quia lex amoris, non timoris, vt erat lex vetus, suauis est, & ideo suauiter implenda; ait enim Christus *Matth.11. Iugum meum suaue est & onus meum leue; sed de hoc in tract. de pœnit.*

§. 1.

An martyrium iustificet ex opere operato nedum adultos, sed etiam paruulos?

16 Causare gratiam ex opere operato esse causare gratiam virtute sibi indita, & collata à Christo Domino; non virtute fidei ipsius ministri illud conferentis, aut virtute cōtritionis, vel alterius actus moraliter meritorij in ipso suscipiente ad gratiam exacti iam diximus *de sacram. in com. q.2. art.1. §.6.* Quæritur ergo, an martyrio fuerit à Christo indita, & collata hæc virtus remittendi peccata; sicut collata, & indita fuit baptismo aquæ, alijsq; sacramentis; atque adeo, an habeat virtutem nedum iustificandi adultos, sed etiam paruulos. In quare certum est martyrium, si consideretur actiuè, prout est actio patrata *à Tyranno*, non habere virtutem sanctificandi, cùm sic sit actio mala, & peccaminosa, & reddat tyrannum magis peccatorem. Inquiritur ergo, an martyrium passiuè sumptum, scilicèt prout est passio martyris, sit à Christo speciali priuilegio propter physicam, & realem conformitatem, quam habet cum passione Christi (non enim habet solam conformitatem figuratiuam, vt habet baptismus *teste Apost. Rom.6.*) sit institutum, vt habeat virtutem conferendi gratiam sanctificantem eo modo, quo fuit institutus aquæ baptismus?

17 *Alen. in 4. q. 8. membr. 3. art. 4. et q. 22. membr. 5. art. 1.* putat martyrium sanguinis iustificare solùm ex opere operantis, & ideo solùm dispositiuè, scilicet ratione charitatis, *qua maiorem nemo habet*, non verò ex opere operato; atque adeò non iustificare paruulos, qui sunt incapaces actus charitatis, qui est dispositio ad martyrium, cùm sint impotes vsus rationis. Tribui-

buitur etiam *Armacano lib. 8. de qq. Armenor. c. 37; D. Bon. in 4. dist. 4. art. 2. q. 2; Paludan. ibid. q. 3. art. 1; & Adrian. q. vlt. de bapt. art. 3. Vitriac.* autem apud *Estium* ait paruulos Christianorum occisos à barbaris in odium fidei non gaudere priuilegio SS. *Innocentium.*

18 Secunda vult ex opere operato iustificare paruulos tantùm, nõ verò adultos. Refertur *D. Bon. vbi s. p. 2. art. 1. q. 2; Palud. vbi s.; Canus in relect. de pœnit. p. 3; Sot. in 4. dist. 4. q. 1. art. 11; Caiet. 2. 2. q. 24. art. 2; & q. 124. art. 2; Ban. 2. 2. q. 24. art. 6; Vasq; & Sylvius apud nostrum Gibb. hic disp. 11. dub. 5. §. 1.*

19 Tertia docet iustificare ex opere operato nedum paruulos, sed etiam adultos. *Ita Fund. Doct. Æg. in c. martha de celebr. missar. p. 3; Gibb. vbi s.* apud quem *D. Tho. in 4. dist. 4. q. 3. art. 3. quæstiunc. 3; & 2. 2. q. 124. art. 1. ad 1; & communiter Thomistæ; Estius dist. 4. §. 21; Bellarm. lib. 1. de bapt. c. 6; Sua. hic disp. 29. sect. 2; & 3; Granad; Valent; & alij.* Consentiunt *Scotistæ cum Scoto in 4. dist. 4. q. 6. apud Mastr. hic disp. 2. q. 7. art. 2; & 4.*

20 Vnica concl. Martyrium ex opere operato iustificat nedum paruulos, sed etiam adultos.

Prob. 1. *ex Matt. 10. Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo; & inf. Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam;* quod habetur etiã *Marc. 8. Qui perdiderit animam suam propter me, & euangelium, saluam faciet eam; & Luc. 9. Qui perdiderit animam suam propter me, saluam faciet illam; & Io. 12. Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Super quos textus *S. P. Aug. lib. 13. de Ciu. Dei c. 7.* inquit: *Quicunque etiam non percepto regenerationis lauacro pro Christi confessione moriuntur, tantùm eis valet ad dimittenda peccata, quantùm si abluerentur sacro fonte baptismatis; qui enim dixit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in Regnum Cælorum; illa sententia istos fecit exceptos, vbi non minùs generaliter dixit: Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in Cœlis est; & alio loco: Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. Hoc est, quod scriptum est ps. 115. Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius; quid enim pretiosius, quàm mors, per quam, sicut etiam delicta omnia dimittãtur, & merita cumulatiùs augeantur?* Ex quibus sic arguitur. 1. Baptismus causat gratiam remittentem peccata ex opere operato; hoc enim habent omnia sacramenta nouæ legis, vt statuit *Trid;* & probatum est *de sacram. in com. vbi s;* sed martyrium remittit peccata eodem modo, quo remittit baptismus; aliter martyrium non haberet tantam virtutem valentem remittere peccata, quantam habet baptismus; & ideo non valeret tantùm, quantùm valet baptismus; nam sacramenta veteris legis, quæ remittebant peccata solùm ex opere operantis, non habebant tantam efficaciam, quantam habet baptismus; ergo martyrium remittit peccata ex opere operato. Atqui baptismus remittit peccata, & iustificat ex opere operato nedum paruulos, sed etiã adultos; ergo martyrium iustificat ex opere operato nedum paruulos, sed etiam adultos. 2. In tantùm baptismus iustificat ex opere operato nedum paruulos, sed etiam adultos; in quantum Christus contulit ablutioni corporis factæ in aqua elementari in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. virtutem conferendi gratiam; sed etiam martyrio, quod est mors externa corporis, Christus contulit virtutem conferendi gratiam sanctificantem; ergo etiam martyrium iustificat ex opere operato. Atqui baptismus iustificat paruulos, & adultos; quia Christus virtutem dedit baptismo generaliter pro omnibus; ergo & martyrium, cui pariter dedit Christus virtutem generaliter pro omnibus, non enim restrinxit solùm ad paruulos, vel ad solos adultos. Ma. constat; non enim ablutio corporis naturaliter habet virtutem sanctificandi animam, sed solùm ex institutione Christi. Prob. mi. Ideo Christus dedit virtutem baptismo sanctificandi animam, quia dedit illi virtutem regenerandi eam in vitam æternam, quæ possidetur in Regno Cęlorum; sed etiam martyrio dedit virtutem conferendi vitam æternam, nam de eo, qui mortem subit pro fide dixit: *In vitam æternam custodit eam;* ergo martyrio Christus dedit virtutẽ conferendi gratiam sanctificantem. 3. Illud sanctificat ex opere operato, quod sanctificat vi alicuius operis externi, & sensibilis, cui ex Diuina institutione est annexa virtus sanctificandi; vt constat; sed martyrium est huiusmodi; nam vi mortis passiuè toleratæ pro Christi fide, quæ mors est aliquod externum, & sensibile; & cui promissa est à Christo vita ęterna, sanctificat; ergo martyrium sanctificat ex opere operato. 4. *In allatis scripturis* sanctificatio tribuitur morti, non actui charitatis, quo mors toleratur ab adulto; dicitur enim: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum;* quamuis *alibi* tribuatur etiam actui charitatis; dicitur autem mors sanctorum, quia mors efficit sanctos; & Christus promisit vitam æternam morti, non actui charitatis, vel fortitudinis; sed mors est opus in martyrio operatum; ergo martyrium sanctificat ex opere operato, nõ ex opere operantis. 5. Si martyrium sanctificaret tantùm ex opere operantis, seu ratione actus perfectæ charitatis, sequeretur, quòd martyr nihil ampliùs haberet, quàm habens actum perfectæ charitatis æqualem; sed conf. est falsum; martyrio enim tribuitur specialis sanctificatio distincta ab illa, quæ tribuitur Deum amãtibus; ergo & ant. est falsum. 6. Si martyrium iustificaret solùm ratione charitatis, sequeretur paruulos incapaces eliciendi actum charitatis per martyrium non iustificari; sed conf. est falsum; nam

nam innocentes occisos pro Christo, & in odium Christi veneratur Ecclesia, tanquam veros martyres, imò tanquā martyrum flores, canit enim: *Saluete flores martyrum*; & eos tanquam sanctos honorat ratione martyrij, non ratione circuncisionis; & eos omnes colit, vt sanctos, quamuis multi ex illis circuncisi non fuerint, vt potè ante diem octauum occisi, ante quem non conferebatur circuncisio; nec si collata fuisset, profuisset; vt *ex S. P. Aug.* diximus *de sacram. in com. q. 2. art. 1. §. 7. n. 93*; nec illis applicatum fuerit remedium legis naturæ; quia nec lictores tempus dedere parentibus, vt eos offerrent, aut preces funderent; nec dolor, & lamentatio amissionis filiorum, quam fuisse magnam legitur *in Scriptura*, locum alteri actui reliquit; ergo & ant. est falsum.

21 Insuper *Innoc. III. c. 6. cùm Marthæ de celebr. Missar.* referens verba *S. P. Aug. serm. 17. de verb. Apost.* inquit: *Iniuriam facit Martyri, qui orat pro martyre, cuius nos debemus orationibus commendare*. Ex quo sic. Pro illis tantùm non est orandum, quos certi sumus gloriam æternam consecutos fuisse; sed pro martyribus non est orandum; ergo certi sumus martyres gloriam consecutos fuisse. Atqui hæc certitudo haberi non posset, nisi martyrium conferret sanctitatem ex opere operato; ergo martyrium confert gratiam ex opere operato. Ma. constat; Ecclesia enim orat pro multis, qui fortè gloriam iam sunt consecuti; non enim Deus reuelat statim, ac aliquis gloriam consequitur; & tamen oratio Ecclesiæ illis iniuriam non irrogat. Mi. traditur in terminis *à S. P. Aug. & ab Innoc. statuitur*; & in praxi ab Ecclesia seruatur; recognita enim veritate martyrij ampliùs non orat pro illis, qui illud subierunt; sed eos, tanquam Sanctos immediatè honorat, & colit; ex quo sic. Illud, quod confert sanctitatem tantùm ex opere operantis, nequit causare certitudinem infallibilem adeptionis gloriæ; nemo enim diceret, quòd quis faciens actum eleemosinæ, & immediatè decedens statim gloriam acquirat; & tamen actus eleemosinæ, vtpotè imperatus à charitate, ex opere operantis ad gloriam conducit; & ratio est, quia cùm opus operantis sit opus merè internum, & insensibile, quod nequit pro hoc statu à nobis euidenter, & certò cognosci; ideo ab illo certitudo infallibilis nequit desumi; ergo infallibilis certitudo sanctitatis nequit desumi, nisi ab eo, quod sanctitatem confert ex opere operato; & per consequens hæc certitudo haberi non posset in martyre, nisi martyrium conferret gratiam ex opere operato.

22 Tandem ideo baptismus confert gratiam ex opere operato, quia refert imaginem mortis, & resurrectionis Christi, qua nobis gratiam ex condignitate iustitiæ promeruit; vt docet *Apost. Rom. 6*; sed martyrium refert conformitatem realem, quæ est quid amplius, quàm imago simpliciter figuratiua mortis, & resurrectionis Christi; quia martyres mortem, quam Christus pro nobis pertulit, reddunt Christo, & perferunt realiter pro Christo; ergo martyrium confert gratiam ex opere operato.

23 Postremò si martyrium non conferret gratiam ex opere operato, sed solùm ex opere operantis, ratione scilicet charitatis; iam non essent, nisi duę species baptismi; scilicet baptismus fluminis, & flaminis; quia baptismus charitatis est baptismus flaminis, vt constat; atqui hoc est contra sententiam *omnium Theologorum* admittentium communiter tres species baptismi; ergo martyrium confert gratiam ex opere operato. Sed conferens gratiam ex opere operato iustificat nedum paruulos, sed etiam adultos; ergo martyrium iustificat ex opere operato nedum paruulos, sed etiam adultos; intantùm enim baptismus iustificat ex opere operato nedum paruulos, sed etiam adultos, inquantùm paruuli, & adulti in baptismo Christo commoriuntur, & cum illo resurgunt promittentes vel per se, vel per patrinos mori pro fide Christi potiùs, quàm illam negare; sed etiam martyres moriuntur pro Christo, cùm in odium fidei perimantur; & si sint adulti, vouent mori potiùs pro Christo, quàm eius fidem negare; si verò sint paruuli, hoc vouent per matrem Ecclesiam; at cum hoc discrimine, quòd baptizati commoriuntur solùm Christo in figura, & in imagine; martyres verò commoriuntur realiter, & in veritate; non tantùm in figura; ergo martyrium ita supplet vicem baptismi, vt sanctificet ex opere operato, nedum paruulos, sed etiam adultos.

24 Obijc. 1. Illud *Io. 3. Nisi quis renatus fuerit &c*; sed hic nulla fit mentio baptismi sanguinis; & aliunde hic sermo est de collatione gratiæ ex opere operato; ergo martyrium non confert gratiam ex opere operato. 2. *Apost. 1. Cor. 13.* ait: *Si tradidero corpus meum ita, vt ardeam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*; super quod *S. Bern. ep. 7. & 77.* inquit: *Martyrium absque charitate susceptum nihil valet*; & *D. Cypr. lib. 1. ep. 2. ad Cornel.* ait eos, qui lapsi erant in peccatum, priùs recōciliari, quàm ad martyrium prodirent; & *Trid. sess. 6. c. 4.* statuit *iustificationem hominis post euangelium promulgatum sine lauacro regenerationis, aut eius voto fieri non posse*. Ex quibus deducitur martyrium non iustificare, nisi ratione charitatis, vel voti baptismi, & per consequens ex opere operantis.

Resp. ad 1. *cum S. P. Aug. vbi sup.* quòd illa sententia excipitur per hanc: *Qui me confessus fuerit &c*; in qua nulla fit mentio baptismi aquæ, quo indicatur apertè nedum aqua, sed etiam sanguine proprio baptizatos pro fide Christi ex opere operato introire in regnum cœlorum; & ideo quamuis *Io. 3.* non fiat mentio baptismi sanguinis, fit tamen *alibi*; non debemus autem ita vnum assertum *in Scripturis* asserere, vt aliud ne-

gemus; dicitur enim *Iac. 2. Qui offendit in vno, factus est omnium reus*; & per consequens, qui negat martyrium conferre gratiam ex opere operato, negat etiam baptismum, quanuis illud videatur asserere, quia negat *Scripturam*, quæ docet vtrumque. Ad 2. dicitur, quòd licèt etiam baptismus in adulto peccatore requirat actum pœnitentiæ, qui inuoluit actum charitatis; attamen non sequitur, quòd baptismus iustificet solùm virtute illius actus, & ideo solùm ex opere operantis; sed hoc non obstante baptismus iustificat ex opere operato, nedum paruulos, sed etiam adultos, quia actus pœnitentiæ requiritur solùm, vt dispositio præcedens; ita à pari de martyrio dicendum. Apostolus ergo docet martyrium sine charitate nihil prodesse defectu dispositionis necessariò exactę in adulto, non defectu virtutis conferentis gratiam ex opere operato; per quod patet *ad D. Bern.* Præterea cùm sacramentum pœnitentiæ obliget sub præcepto ad confitenda peccata post baptismum commissa, & non aliàs confessa, ideo martyr, antequam ad martyrium ducatur, si possit, confiteri, tenetur; quanuis si negligat confiteri, & postea pœniteat, & mortem subeat, à peccatis abluatur, quia dispositus ad martyrium accedit, cuius effectum indispositus consequi nequit. Si tamen non possit confiteri, & vrgente persecutore nequeat eam expetere, tunc intendens tantùm mori pro Christo, martyrio, tanquam remedio excellentiore, abluitur, vt conuincitur ex martyrio infantium, qui, cùm non possint pœnitere, nec baptismum appetere, suo tamen sanguine baptizantur; & hoc docet *D. Cyr.* Ad *Trid.* resp; sicut ad 1; loquitur enim cum exceptione martyrij, seu extra casum martyrij, quia loquitur de iustificatione, quæ fit in aquæ baptismo, non de illa, quæ fit in baptismo sanguinis.

25 Inst. Adultus sciens imminere articulum mortis subeundæ pro Christi fide tenetur, si possit, priùs suscipere aquæ baptismum, vt à peccato originali, & personalibus cum illo coniunctis, mundetur; si verò sit baptizatus, & peccatis post baptismum commissis obnoxius, tenetur detestari peccata per actum contritionis, quia præceptum charitatis obligat sub mortali in articulo mortis; sed in primo casu peccata diluuntur per baptismum, & in secundo per pœnitentiam vel in re, vel in voto; ergo martyrium non remittit peccata ex opere operato, quoniam illa iam remissa supponit.

Resp. eodem modo, quòd licèt baptismus prærequirat in adulto actum contritionis, tanquam dispositionem, qui actus, si sit perfectus, remittit peccata etiam ante actualem susceptionem baptismi, vt statuit *Trid. sess.* 13. c. 4. de pœnitentia; & vt docet *S. P. Aug. de Cornelio innumeris in locis*; & vt colligitur *ex Act.* 10; attamen hoc non obstante baptismus confert gratiam ex opere operato; ita dicendum de martyrio. An autem sicut ad baptismum, ita ad martyrium sufficiat attritio, siue contritio imperfecta, dicemus in *seq.* §. Quanuis igitur martyrium per se requirat præmittendum esse baptismum, vel pœnitentiam ratione præcepti obligantis ad recipienda hæc duo sacramenta; attamen per accidens neutrum potest prærequirere, quando scilicet defectu vel ministri, vel temporis eo, quia persecutio vrgeat, & martyr non possit simul elicere actum desiderij baptismi, & actum desiderij pœnitentiæ, & actum charitatis, seu actum volendi mori pro Christi fide; tunc sufficit actus, quo vult mori pro fide Christi, virtualiter enim, & implicitè in isto actu comprehenditur, & votum baptismi, & votum pœnitentiæ, & votum seruandi omnia alia Christi præcepta; moriens enim, ne neget fidem Christi, censetur paratus velle seruare omnia Christi præcepta, quæ in fide Christi continentur. Ergo sicuti baptismus dicitur gratiam conferre ex opere operato, quia, cùm peccata non remittuntur per actũ præuium contritionis perfectæ, remittuntur virtute baptismi; ita de martyrio dicendum, quòd cùm peccata præuiè non remittuntur per baptismum, vel per pœnitentiam, vel per actum contritionis perfectæ, tunc vi ipsius martyrij delentur, & ideo confert gratiam ex opere operato æquè, ac baptismus.

26 Obijc. 2. Martyrium non est consummatum, nisi in instanti mortis; sed tunc nequit gratiam conferre, & peccata remittere, quia tunc anima est separata à corpore, & ideo incapax est, vt gratiam recipiat, & à peccatis mundetur; tunc enim non est ampliùs in via, sed in termino; ergo martyrium gratiam non confert, sed supponit. 2. Inter illud instans, in quo datur gratia, & instans mortis mediat tempus, in quo homo potest peccare, & damnari; ergo idem.

Resp. ad 1. neg. ma; nam martyrium confert gratiam in eo instanti, in quo martyr recipit vulnus mortis illatiuum; tunc autem anima non est separata, sed coniuncta corpori. Ad 2. dicitur, quòd sicut si quis post baptismum peccaret, & moreretur, damnaretur, & tamen ex hoc non infertur baptismum non conferre gratiam ex opere operato; ita si quis post accepta vulnera mortem ineuitabiliter inferentia cogitatione peccaret, & moreretur, damnaretur; non tamen infertur, quòd martyrium gratiam non causet. Casus tamen admitti non potest in praxi; quia cum actu amoris Dei nequit coniungi actus peccati illi oppositus.

27 Inst. Posset Deus martyrem post acceptum vulnus mortem infallibiliter inferens miraculosè conseruare ita, vt longo tempore viuat; sed tunc potest peccare; ergo martyrium non confert gratiam infallibiliter collatiuam gloriæ.

Resp. dist. mi. Posset peccare in actu primo nunquam reducendo ad actum secundum, conc; in

in actu secundo, neq; piè namque credendum est illum martyrem à Deo miraculosè conseruatum in vita, vt legitur de multis, à Deo confirmandum in gratia, ne peccaret de cætero.

28 Obijc. 3. Si martyrium gratiam conferret ex opere operato, esset verum sacramentum nouæ Legis, & sic sacramenta à Christo instituta essent plusquàm septem. 2. Voluntas efficax martyrij confert gratiam solùm ex opere operantis; ergo & externa executio martyrij; nam actus externus nullam bonitatem addit interno. 3. Mors tolerata pro Christo ab hæretico, vel schismatico non sufficit ad remittendam hæresim, vel schisma, quandiu perseuerat in hæresi, vel schismate, vt docet *D. Aug. lib. 1. de bapt. cont. Donatist*; ergo non confert gratiam ex opere operato. 4. Si martyrium conferret gratiam ex opere operato, maximè, quia habuisset hoc ab institutione Christi *Matth. 10. Qui me confessus &c*; sed cons.est falsum; nam Ecclesia colit *Machabæos*, vt martyres, qui fuerunt ante hanc promissionem; ergo & antecedens est falsum.

Resp. ad 1. neg. assumpt; nam ad rationem Sacramenti requiritur vltra causare gratiam ex opere operato, quòd sit institutum à Christo quantùm ad materiam, & formam, & personam ministri actiuè conficientis sacramentum; martyrium autem actiuè sumptũ peccaminosè fit; & minister peccat inferendo martyrium, ideo nec minister, nec actio, qua ministratur martyrium, à Christo est instituta. Ad 2. neg. cons; quamuis enim actus externus non superaddat interno bonitatem eo, quia non est sic institutus à Deo; actio tamen externa martyrij causat gratiam ex opere operato ex institutione Diuina, qua præcisa non causaret; & sic actio interna non causat, quia non est instituta ad causandum ex opere operato, & ideo solùm eam causat ex opere operantis. Ad 3. neg. cons; nam hæreticus, vel schismaticus permanens in hæresi, vel schismate non moritur pro fide Christi, quam non habet, & ideo non est Christi martyr; ad martyrium enim formaliter requiritur mori pro fide Christi. Ad 4. dist. ma. In lege euangelica, conc; in lege scripta, aut naturæ, neg. & sic ad mi. Sicut enim occisi in odium fidei Christi sunt veri martyres Christi in lege euangelica; ita occisi in odium legis scriptæ, vel legis naturæ sunt veri martyres Dei, quia lex scripta, & lex naturæ erat vera lex Dei.

29 Obijc. 4. Martyrium est passio voluntariè pro Christi fide suscepta; sed infantes voluntariè nequeunt mortem suscipere; ergo nequeunt recipere martyrium. 2. *SS. Innocentes* non coluntur tanquam veri martyres ab Ecclesia, sed tanquã sancti; & si tanquam martyres, hoc fuit ex priuilegio Dei speciali; hinc *S. Iustin. an. serm. de ijsdem* refert eorum sanctitatem in Dei misericordiam, non in mortem toleratam pro Christo; ergo idem non est modò affirmandum de omnibus Christianorum filijs in odium fidei peremptis. 3. Martyrium est actus fortitudinis eliciriuè, & charitatis imperatiuè; & requirit actum fidei, & professionem fidei externam, & intentionem moriendi pro fide; sed infantes horum actuum sunt incapaces; ergo & martyrij.

Resp. ad 1. dist. ma. Est passio voluntariè in adultis, qui vsu voluntatis sunt compotes, conc; in infantibus, neg; sicut enim baptismus non cõfertur adultis, nisi voluntariè ad illum accedant; quia nolle baptismum est baptismo obicem ponere; attamen ex hoc non infertur, quòd infantibus verus baptismus non conferatur; ita de martyrio, quod supplet baptismum, estque eo excellentius, est dicendum. Ad 2. neg. ant; Ecclesia namq; *SS. Innocentes*, tanquam veros martyres veneratur, & colit, martyrum enim officium recitat, & celebrat Missam. Ad *S. Iustinian.* dicitur cum *ibid.* expressè affirmare eos martyrij palmam adeptos fuisse; quòd autem referat in Dei misericordiam eorum martyrium, hoc non infert eos veros martyres non esse; quia etiam baptismus nobis collatus in Dei misericordiam refertur, & tamen ex hoc non infertur nos non esse verè baptizatos; ita à pari. Ad 3. dist. ma; sicut ad 1; martyrium enim est actus fortitudinis, & charitatis in adultis, non in paruulis; sicut baptismus in adultis est actus religionis, charitatis &c; & requirit actum fidei internum, & externum, & intentionem illum recipiendi; non autem in paruulis.

30 Collig. ex dictis infantes nedum natos ex vtero, sed etiam in vtero existentes occisos in odium fidei esse veros martyres, quia suo sanguine sunt baptizati; vnde etiam in hoc differt à baptismo martyrium; quòd infantes existentes in vtero matris, cùm aqua dilui nequeunt, baptismi sunt incapaces; quia tamen possunt suo sanguine tingi, possunt martyrium recipere.

§. 2.

Quæ requirantur ad rationem martyrij?

31 Ex dictis *in sup.* §. constat ad veram rationem martyrij in infantibus requiri solùm, quòd occidantur in odium fidei, seu in odium alicuius virtutis à fide Christi præceptæ; quod quomodò sit explicandum, dicemus de martyrio adultorum, de quibus tantùm præsens quæstio statuitur; adulti enim sunt capaces actuum virtutum, quæ ad martyrium concurrunt.

32 *Aliqui* volunt ad veram rationem martyrij requiri contritionem perfectam, & dilectionem Dei super omnia. Referuntur omnes, qui putant martyrium conferre gratiam ex opere operantis, non ex opere operato; quibus *Mastr.* addit *Canum, Ban; & Vasq.*

33 Alij

33 *Alij* censent sufficere voluntatem moriendi pro Christo; nec opus esse contritione, etiamsi martyr recordetur peccatorum eo, quia voluntas moriendi pro Christo est quædam virtualis dilectio Dei super omnia, ipsum enim præfert suæ vitæ temporali, & per consequens omnibus rebus creatis, super quas debet propria vita æstimari. Refertur *Vegi; Sot; & aly*.

34 Communis tamen *aliorum* sententia, quam innuimus *in sup. S.*; docet ad martyrium non requiri contritionem perfectam, sed imperfectam sufficere, sicut sufficit ad baptismum: si verò per obliuionem, vel defectu temporis, vel ob incompossibilitatem plurium actuum simul, non possit haberi contritio, tunc sufficit volitio moriendi pro Christi fide; quæ volitio debet esse ex motiuo charitatis, seu amoris Dei; adeoque sicuti in hoc casu raptus ad martyrium non tenetur recipere sacramentum pœnitentiæ in re, vel in voto, vt expietur à peccatis mortalibus, quorum est reus; ita si non sit baptizatus, non tenetur ad suscipiendum baptismum in re, vel in voto, cùm illum nequit suscipere. Deducitur *ex Fund. Doct. Ægid. tract. de Laudib. Diuinæ Sapientiæ c. 11*; vbi similia habet de pœnitentia, quam tenetur suscipere etiam per contritionem mundatus, cùm adest commoditas; quia nempe implere debet præceptum; & *alibi* alia docet, vt colligi potest ex dictis *in superioribus articulis*; *& de Sacram. in com.* Eandem sententiam tradunt *nostri Gibb. disp. 11. dub. 5. §. 3. à n. 2*; *Estius hic dist. 4. §. 21*; *Sua. disp. 29. sect. 2*; *& 3*; *Bellarm*; *Caiet*; *Sot*; *& alij apud Sua. Item Mastr. disp. 2. q. 7. art. 3*; *apud quem Scot. in 4. dist. 14. q. 1*; *Aretin*; *& aly Scotistæ*; *Coninch*; *Amic*; *Auersa*, *Beccan*; *Bonac*; *apud quos aly*.

35 Vnica concl. Ad hoc, vt adultus sit verè, & formaliter martyr, requiritur. 1. Vt habeat catholicam fidem. 2. Vt occidatur in odium veræ fidei catholicæ, vel in odium alicuius articuli, aut virtutis à fide Christi præceptæ; & hoc requiritur etiam in paruulis. 3. Vt voluntariè subeat mortem pro fide Christi. 4. Vt moriatur ex motiuo charitatis, seu amoris Dei. 5. Vt conteratur perfectè, vel imperfectè, si possit; imò confiteatur, si quæ habeat peccata, & baptismum suscipiat, si non sit baptizatus. Si autem non possit, tunc etiamsi non habeat baptismum, vel pœnitentiam in voto, dummodò habeat piam voluntatem moriendi pro Christi fide, verè, & propriè martyr occumbit.

Prob. 1. pars concl. *à D. P. Aug. pluribus in locis*, præsertim *serm. 14. de Verb. Apost*; vbi ait: *Ideo martyres, quia fideles*; *& lib. 1. cont. ep. Parmeniani c. 7*; vbi probat, quòd mors tolerata propter falsam religionem non efficit martyrem; *& lib. 4. de bapt. cont. Donatist. c. 17*; vbi inquit: *Nec baptisma hæretico prodest, qui quamuis Christum confessus extra Ecclesiam fuerit occisus, quia charitatem non habuisse conuincitur, de qua Apost. dicit: Et si tradidero corpus meum, vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest*. Ex quo fit, Charitas Christi sine fide Christi haberi non potest; nequit enim amari, in quem non creditur; sed ad rationem martyrij requiritur charitas; ergo & fides. 2. *Ex Ap. st. Hebr. 11. sine fide impossibile est placere Deo*; sed martyr summè placet Deo; ergo sine fide martyr esse non potest; & *Rom. 1. Iustus autem ex fide viuit*; *& c. 3. Iustificans eum, qui est ex fide Iesu Christi*; & ratio est; quia *fides est initium nostræ salutis*; *& radix omnis iustificationis*; *sine qua impossibile est placere Deo*; *& ad filiorum eius consortium peruenire*; vt docet *Trid. sess. 6. c. 8*; sed sine iustificatione, & sine externa salute martyr verè esse non potest; ergo nec sine Christi fide, quæ sola est fides catholica; *& ep. 61. ad Dulcitium*: *Monstrauimus non eos posse habere martyrum mortem, quia Christianorum non habent vitam*; *cùm martyrem non faciat pœna, sed causa*; quod repetit *lib. 3. cont. Crescon. Gramm. c. 47*; *& sæpè alibi*; aliter quicunque occisus martyr formaliter esset.

36 Prob. 2. pars *ex Marc. 8. Qui perdiderit animam suam propter me, & euangelium, saluam faciet eam*; de quo S. P. *Aug. in ps. 34. conc. 2.* inquit: *Sceleratus potest habere martyris similem pœnam, sed tamen dissimilem causam. Tres erant in cruce; vnus Saluator, alter saluandus, alter damnandus; cùm par pœna, sed impar causa*. Ergo causa mortis debet esse Christi fides, quæ in euangelio continetur; & propter Christum, qui fidem tradidit, & seruari præcepit; vel quidem ex integro, vt cùm in contemptum, & odium fidei generaliter consideratæ, vel ex parte, vt cùm in odium alicuius articuli in fide contenti perimitur: nam *Quicumque* (habetur *in ep. Iac. c. 2.*) *totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus*; ergo ad hoc, vt quis sit testis apud Deum, hoc enim sonat martyris nomen, & pro tota lege occidatur, sufficit; vt pro vno tantùm mactetur; quia vnicum est totius legis motiuum formale. Rationem tradit Ecclesia *in festo plurimorum martyrum*: *Viri Sancti gloriosum sanguinem fuderunt pro Christo, imitati sunt eum in morte sua; & ideo coronas triumphales meruerunt*; seu martyrij palmam adepti sunt; quapropter martyrium *à S. P. Aug. serm. 49. de Sanctis* definitur *Dominicæ passionis imitatio*. Ex quo sic discurritur. Mors Christo illata est in odium fidei catholicæ, quam prædicabat; sed martyrium est imitatio mortis Christi; ergo martyrium est occisio in odium fidei catholicæ. Atqui ex eo, quòd paruuli in baptismo imitentur Christi mortem præcisè in figura, sunt veri Christiani; ergo ex eo, quòd in passione imitentur Christi mortem in veritate, sunt veri martyres.

37 Prob. 3. pars, quæ procedit de solis adultis, ex S. P. *Aug. in ps. 118. conc. 23.* prope finem docente de martyribus: *Multi quippe pati voluerunt, sed non potuerunt; nulli tamen potuerunt, nisi qui*

qui voluerunt; & ex illo Luc. 21. In patientia vestra possidebitis animas vestras; quod profectò dictum fuit Apostolis per ordinem ad patientiam, seu tolerantiam mortis, quam pro fide habere debebant; super quod *S.P. hom. 14. inter 50.* inquit: *Paratam habent martyres voluntatem in martyrio*; & mox: *In patientia vestra, inquit; non enim esset patientia tua; nisi fuisset & voluntas tua*; *& Rom. 4. Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram*; super *quod S.P. serm. 15. de Verb. Apost.* inquit: *Qui fecit te sine te, non iustificat te sine te; ergo fecit nescientem, iustificat volentem*; & paulò *inf.* loquens de Christo: *Si ergo ille non potuit tanta perferre sine amore; nec tu poteris communicare Christi passionibus sine amore*; & hoc probat *ex 1. Cor. 13. Si tradidero corpus meum ita, vt ardeam, & charitatem non habeam, nihil mihi prodest*; super quod: *Vt prosit tibi communicatio passionum Christi, charitas assit*. Ratio eadem est; nam sicut baptismus non prodest, nisi voluntariè ab adultis suscipiatur; ita dicendum de martyrio, quod supplet baptismum. Excipiuntur tamen infantes eadem ratione, qua excipiuntur in baptismo, sicut enim peccauerunt in alio; ita per voluntatem alienam in baptismo, aut martyrio iustificantur.

38 Prob. 4. pars 1. ex ipsa institutione martyrij Christus martyrium instituens *Matth. 10.* inquit: *Qui perdiderit animam suam propter me*; illa autem particula *propter me* idem sonat, ac propter amorem mei; vnde inquit *S.P. Aug. lib. de mor. b. Eccl. c. 9. Charitas verò ipsa non potuit significari expressiùs, quàm quod dictum est propter te*; & in illud *1. Cor. 13. S.P. Aug. serm. 15. vbi sup. Si enim in te fuerit charitas Dei, communicabis Christi passionibus, & verus eris martyr, in quo charitas coronatur*, quo nihil clarius; *& Io. 15. Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm, vt animam suam ponat quis pro amicis suis*. Super quod *S. P. Aug. tract. 84. in Io.* inquit: *Diligentes vtique inuicem, sicut ipse dilexit nos, qui pro nobis animam suam posuit*: Ex quo arguitur. Mors tolerata pro aliquo est ex motiuo dilectionis maioris illius; si enim toleretur in odium, non est tolerata pro illo, sed sed contra illum; sed martyrium est mors tolerata pro Christo; qui enim tolerant mortem ob vanam gloriam, vel ob desperationem, vel ob aliquem alium finem temporalem, non sunt martyres Christi, sed Diaboli; ergo martyrium est ex motiuo maioris dilectionis Christi, pro quo toleratur; *& 1. Pet. 2. Christus pro nobis passus est nobis relinquens exemplum, vt sequamur vestigia eius*. Ex quo sic. Christus pro nobis passus est mortem ex puro dilectionis affectu; dicitur enim *Io. 13. Cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos*; super quod *idem S.P. tract. 55. In finem dilexit eos; vsque ad mortem dilexit eos; quia tantùm dilexit eos, vt moreretur pro eis*; sed martyrium est imitatio, & exemplum passionis Christi; vt sicut Christus mortuus est pro nobis; sic nos moriamur pro Christo; ergo martyrium est ex puro dilectionis affectu; aliter martyrium non esset; quia non esset imitatio, & exemplum passionis illius.

39 Prob. vlt. pars concl. 1. ex ijsdem *textibus*. Qui pro Christo moritur cum affectu ad peccatum, nec est Christi martyr, nec salutem consequitur; non enim moritur ex puro dilectionis affectu, quo Christum prosequitur; diligit enim Mundum, & Mundi errores, & amores; habetur nanque *1. Io. 2. Nolite diligere Mundum, & ea, quæ sunt in Mundo. Si quis diligit Mundum, non est charitas Patris in eo*; super quod *S. P. tract. 2. in ep. Io.* inquit: *Duo sunt amores, mundi, & Dei. Si mundi amor habitat, non est, qua intret amor Dei*; & mox: *Cùm exhauseris cor tuum amore terreno, hauries amorem Diuinum, & incipiet habitare iam charitas*; & deinde: *Exclude malum amorem mundi, vt implearis amore Dei. Vas es, sed adhuc plenum es; funde, quod habes, vt accipias, quod non habes*; sed non pœnitens perfectè, vel imperfectè, non confitens, aut non suscipiens baptismum, cùm possit, moritur cum aliquo affectu ad peccatum, illud enim non detestatur, non eijcit per contritionem, aut confessionem, vel baptismum; cùm tamen possit illud detestari, & eijcere; vt supponimus; adeoque affectu quodam virtuali sibi complacet de illo, & in illo vult mori; ergo non pœnitens, non confitens, non suscipiens baptismum, cùm possit, etiamsi pro Christo moriatur; attamen non acquirit palmam martyrij. Tum quia moriens cum contemptu alicuius præcepti in Christi lege contenti, non moritur testis totius legis; non enim est testis illius præcepti, quod contemnit, vel negligit; & ideo neq; testis est legis; quia qui *offendit in vno, factus est omnium reus*; sed martyr est testis legis Christi; idem enim sonat martyr, & testis, vt docet *S. P. Aug. tract. 1. in ep. Io*; ergo moriens cum contemptu alicuius præcepti in lege Christi contenti non est martyr Christi. Atqui non pœnitens, non confitens, non suscipiens baptismum, antequam moriatur, cùm tamen potest pœnitere, confiteri, & baptismum suscipere, moritur cum contemptu præcepti; præceptum enim est omnibus pœnitere de peccatis, confiteri, & baptizari, vt constat; & omittens, cùm possit implere hæc præcepta, contemnit; hoc enim est contemnere, quòd omittere impletionem illorum, cùm tamen possit implere; ergo non pœnitens, non confitens, non suscipiens baptismum, cùm possit, etiamsi moriatur pro Christo; attamen non est martyr Christi. Tandem hoc in praxi refert Ecclesia; legitur enim, quòd aliqui martyres, priusquam martyrium subirent, vel in carcere baptizati sunt, vel distulerunt, cùm potuerint differre absque eo, quòd Christum negarent, martyrium, donec baptizarentur; ergo martyr, antequàm moriatur, debet, si possit, detestari peccata, & ab illis mundari vel per contritionem,

nem, vel per confessionem sacramentalem, vel per actualem susceptionem baptismi.

40 Si tamen noo possit, vel quia tyrannus instat, vt Christum neget, oec tempus concedit; & tunc totus occupatur martyr in profitenda Christi lege, oec potest mens alium actum, quàm fidei elicere; & voluntas alium actum, quàm volitionem moriendi pro Christo producere; tunc non teoetur baptismum, aut pœnitentiam io re, vel in voto suscipere; *quia ad impossibile nemo tenetur*; tum quia qui exequitur maius, & difficilius legis præceptum, censetur ita dispositus, vt seruaret alia præcepta minora, & faciliora, si posset iuxta regulam: *De quo magis, & de quo minus*; sed moriens pro Christi fide exequitur maius, & difficilius legis præceptum; cùm enim Christi mandata in dilectione fundentur; vt habetur *Io.c.15. Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea; & c. 14. Si diligitis me, mandata mea seruate*; cùmq; maior dilectio haberi non possit, quàm illa, qua mors pro Christo toleratur, vt diximus; & aliunde difficilius sit vitam profundere, quàm aliud quodcunque discrimen, quod pro impletione legis est subeundum, perferre; ideo moriens pro fide Christi exequitur maius, & difficilius legis præceptum; ergo moriens pro Christi fide censetur ita dispositus, vt velit seruare alia, quæcunque legis præcepta. Atqui sic dispositus nullum ponit obicem gratiæ, quæ per martyrium ex opere operato confertur; ergo sic moriens recipit gratiam martyrij; sicut enim sacramenta non ponentibus obicem gratiam conferunt; vt statuit *Trid.sess.7. de sacram. in gen.can. 6*; ponere autem obicem est accedere cum affectu ad peccatum, quod solum impedit gratiam; non habet autem affectum ad peccatum, qui vera fide accedit, & nullo modo sibi complacet de peccato; & est ita dispositus, vt si tempus ei sufficeret, peccatum omne detestaretur expressè; ita de martyrio dicendum; quod pariter conferr gratiam ex opere operato, vt *sup.* diximus. Tum quia in tantùm paruuli excusantur à pœnitentia, & baptismo vel in re, vel in voto, cùm suscipiunt martyrium; in quantùm vtriusque sunt incapaces, & ideo non obligantur; nemo enim obligari potest ad id, quod non potest; sed etiam adulti in data hipothesi eodem modo sunt incapaces; paruuli enim ideo sunt incapaces, quia non habent vsum rationis simpliciter; adulti verò, quia licèt habeant vsum rationis; quoniam tamen vsus rationis totaliter, & taliter occupatur circa confessionem fidei, vt non possit occupari circa pœnitentiam, & baptismum vel in re, vel in voto; ergo etiam adulti in data hipothesi excusantur à pœnitentia, & baptismo vel in re, vel in voto. Tum quia praxis Ecclesiæ in examine, quod format pro martyre, non inquirit, an præuiè ad mortem contritionem, vel attritionem de suis peccatis habuerit; sed ei sufficit, quòd constet ex parte tyranni occisum fuisse in odium Christi, seu legis ipsius; & ex parte passi mortem toleràsse pro Christo; infallibilis est enim Christi promissio: *Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam*; ergo pœnitentia, & baptismus vel in re, vel in voto non est simpliciter necessarius ad martyrium; secus Ecclesia in necessarijs deficeret. Tandem quanuis ad delenda peccata requiratur dolor formalis explicitus illorum; attamē in aliquo casu, v.g. ignorantiæ inuincibilis, vel inaduertentiæ inculpabilis ob subitam mortis properantiam, quæ non concedit tempus, vt actu aduertatur, & detestentur explicitè, sufficit actus contritionis perfectæ extra sacramentum, & attritio io sacramento pœnitentiæ, vt statuit *Trid.*ergo à pari de martyrio dicendum; supplet enim baptismum, & per consequens delet omnia peccata per pœnitentiam delenda.

41 Objic.1.cont.4.part.concl. Si ad martyrium requireretur charitas, seu amor Dei super omnia, martyrium non iustificaret ex opere operato, sed tantùm ex opere operantis, scilicèt ratione charitaris, quæ habet saltem dispositiuè iustificare, cùm trahat secum gratiam iustificantem; sed conf. est contra iam dicta *in sup.* Si ergo martyrium non requirit charitatem. 2. Martyrium est actus fidei, & fortitudinis formaliter; ergo præciso actu charitatis habetur formaliter martyrium.

Resp. ad 1.ne. supp.ma; supponitur enim actum dilectionis Dei super omnia iustificare simpliciter, & absolutè, quod falsum esse *alibi* diximus; & dicemus *in tract. de pænit*; pro nunc sufficiat, quòd amor Dei super omnia, si sit perfectus, iustificat; si verò non sit perfectus, disponit tantùm ad amorem perfectum; vt calor imperfectus non ignefacit, disponit tamen subiectum ad calorem perfectum. Ad 2. dist.anr. Elicitiuè, conc; imperatiuè, neg.

42 Objic. 2.cont. vlt. part. *Trid.sess.5.c.4.* ait hominem post euangelium promulgatum, noo transferri de statu, in quo nascitur, ad statum gratiæ *siue lauacro regenerationis, aut eius voto*; quod statuit etiam de pœnitentia *sess.14.c.4*; ergo ad rationem martyrij requiritur necessariò sacramentum baptismi vel in re, vel saltem in voto; vel si sit baptizatus, & in peccato mortali existat, requiritur pœnitentia saltem in voto. 2. Nuda voluntas suscipieudi baptismum sine pœnitentiæ voto non sufficit ad obtinendā veniam peccatorum in baptismo; ergo neque nuda voluntas sufferendi mortem pro Christo est sufficiens ad recipiendam veniam in martyrio; quanuis non aduertatur, & non sit tempus pœnitendi; eadem enim ratio est de baptismo. 3. Ecclesia circa martyres nedum inquirit, an ex parte tyranni mors sit illata in odium fidei, & ex parte patientis sit tolerata in fidei obsequium, sed etiam requirit miracula; quæ, cùm sint

sint signa euidentia sanctitatis, indicant passum veniam omnis culpæ, & omnis pœnæ obtinuisse; sed hoc non esset necessarium, si sufficeret voluntas subeundi mortem pro Christo sine voto baptismi, & pœnitentiæ; sufficeret enim constare de hac voluntate, vt inter martyres reponeretur colendus; ergo idem.

Resp. ad 1; quòd Concilium agit solùm eo loco de remedijs ad iustificationem requisitis via ordinaria, non autem de remedijs extraordinarijs, vt est martyrium, & sanctificatio in vtero matris. Sicut ergo certum est, quòd via extraordinaria puer sanctificatus in vtero matris est mundatus à peccato sine lauacro regenerationis, & sine eius voto, cuius puer est incapax; ita à pari. Ad 2. est communis responsio disparitatem esse, quia SS. PP. longè maiorem efficaciam tribuunt martyrio, quàm tribuant baptismo; ideo consequentia non tenet. Sed non videtur, cur etiam in baptismo, si adesset voluntas illum suscipiendi inuoluens actum amoris, & charitatis æqualem, ac ille, quem inuoluit voluntas suscipiendi mortem pro Christo, quo nequit dari maior dilectio, vt docet idem Christus, non iustificaret; virtualiter enim inuolueret pœnitentiam in voto, quam defectu temporis, vel alijs de causis *sup.* allatis habere non posset explicitè; vnde dist. ant. Nuda voluntas inuoluens actum charitatis in Christum, quo maior haberi non potest, neg; non inuoluens talem actum, conc. Ad 3. dicitur quæstionem, quæ est inter Theologos, non esse circa quid iuris, sed circa quid facti; conueniunt enim, quòd si patiens mortem ex actu charitatis, & dilectionis Dei super omnia tolerauit, & de hoc infallibile testimonium habeatur, ille reponendus est inter martyres. Discrepant autem quòd aliqui asserant non posse haberi hoc testimoniũ infallibile, nisi per miracula, quæ sunt signa certa sanctitatis; alij verò censent non esse necessaria miracula ad attestandam eorum sanctitatem, sed sat esse, vt probetur mortem subijsse pro Christi fide; semel enim hoc admisso euidenter sequitur ipsum habuisse actum dilectionis Dei, qua maiorem nemo potest habere, vt inquit Christus Dominus; & qui sufficit ad hoc, vt quis verus martyr existat. Sic igitur explicata ma. neg. mi; nam adhuc supposito constare martyrium ex parte tyranni, & ex parte passi, adhuc inquirendum est, an iste in particulari ex motiuo charitatis Dei ad martyrium exactæ obierit; quod volunt aliqui non posse constare, nisi ex miraculis, negantibus alijs oppositum censentibus; non tamen ex hoc infertur esse necessarium baptismum, vel pœnitentiam in re, vel in voto; cùm sine hoc possit esse actus charitatis, vt dictum est. *Sed de hoc in seq.*

§. 3.

An ad martyrum canonizationem requirantur miracula?

43 STatum quæstionis, quæ tractatur *de canonizat. SS*; placet referre, vt faciliùs intelligantur ea, quæ diximus, & dicturi sumus de martyrio.

44 Prima sententia vult ad canonizationem martyrum non requiri miracula, sed sufficere, quòd probetur causa martyrij ex parte tyranni, quòd scilicèt quis occisus fuerit in odium fidei Christi; & iste mortuus sit pro defensione, & confessione fidei generaliter sumptæ, vel pro aliquo articulo in fide contenti, vel pro conseruãda Ecclesiæ Catholicæ libertate; vt patet *de S. Thoma Cantuar; S. Petro Martyre &c.* Nec refert, quòd tyrannus simul cum intentione sæuiendi in eos, qui Christi fidem profitentur, & destruendi ipsam fidem, habeat simul alios fines coniunctos, videlicet diripiendi thesauros Ecclesiæ, vel opes, & diuitias illius, cui mortem affert; nam præterquamquod non repugnat aliquem moueri simul à duplici fine partiali; & ideo ex eo, quòd asseratur ab vno moueri, non sequatur, non moueri etiam ex altero; vt cùm quis venit *Romam* ad visitanda sanctorum sepulcra, & inuisendos amicos; ipse etiam finis diripiendi opes terrenas in odium fidei ordinatur; terrenis namque diuitijs spoliantur fideles, ne alij ob metum eas perdendi fidem suscipiant, sed detestentur. Hanc sententiam docuit S. Bonau. *in paruis opusculis V. Canonizatio fol.* 10; & *noster B. Aug. Triumphus lib. de Eccl. potest. q.* 16. *art.* 2; & q. illa, in qua quærit; *an Papa eundem ordinem seruare debeat in canonizatione Martyrum, & Confessorum. Iacob. Castellan. de canonizat. SS. q.* 5. *princ. prope finem; Io. Anan. in c.* 1. *de reliq; & venerat. SS; Luc. Castellin. de certitud. gloria SS. c.* 8 *punct.* 2; *Contelor. de canonizat. SS. c.* 2 1; *& plures alij.*

45 Secunda sententia vult miracula omnino requiri. *Ita Carolus de Matiba de canonizat. SS. p.* 4. *c.* 7. *à n.* 24; vbi refert *Hostien. in Sum. tit. de reliq; & venerat. SS. §. Et hac; S. Antonin. in Sum. p.* 3. *tit. de reliq; & Castellan; & Contelor.* hanc sententiam asserunt duriorem. Vt autem hæc sententia explicetur.

46 Notant *aliqui* duo iudicia fieri circa martyrum canonizationem, vt præsertim *ex Bulla Innoc. IV. in canonizat. S. Petri martyris* liquet; scilicet vnum circa veritatem martyrij speculatiuam positiuè declarando: *In nomine Dei omnipotentis &c*; eos esse veros Christi martyres, eosq; sic adscribendo SS. Martyrum numero; alterum circa veritatem practicam ipsius martyrij, decernendo eos posse, ac debere, tanquam veros martyres in Ecclesia coli. Vel vt *alij* distinguunt de beatificatione, & canonizatione; aliud eius iudicium definitiuum, aliud me-

merè indultiuum; in hoc enim (inquit *Mattha vbi sup. p. 1. c. 2. n. 11.*) distinguitur canonizatio à beatificatione; quòd in canonizatione Summus Pontifex, tanquam Iudex vniuersalis Ecclesiæ, definitiuè iudicat, statuit, & præcipit venerationem ei, quem sanctum declarat; & hoc est iudicium circa veritatem speculatiuam sanctitatis; in beatificatione verò Summus Pontifex, tanquam Princeps Ecclesiæ, solùm indulget, vt titulus Beati, cultus, & veneratio possit deferri vel generaliter in tota Ecclesia, vel tantùm in aliquo loco; & illius reliquias posse honorari, pingi cum laureolis, radijs, splendoribus, ac palmis, si martyres sint; & ad easdem imagines, aut sepulcra appendi anatemata, accendi lumina, lampades, cereos; & missam, ac officium in honorem eorum posse recitari, & celebrari. Tandem *alij* hoc duplex iudicium vocant positiuum, seu definitiuum, & permissiuum.

47 Asserunt igitur, quòd sicut in susceptione sacramentorum dispositiones externæ, quæ sunt signa dispositionum internarum, sunt quidem sufficientes, vt Ecclesia indicet, & declaret sacramenta esse administranda; nullus tamen diceret esse signa infallibilia, vt nomine Omnipotentis Dei declaretur veritas dispositionum internarum. Sic quanuis iudicetur aliquam hostiam post consecrationem existimatam esse adorandam; Ecclesia tamen nequit ferre iudicium nomine Dei omnipotentis de vera illius hostiæ consecratione. Tandem licèt Ecclesia iu dicet sacras reliquias è catacumbis extractas coli posse; non tamen nomine Dei omnipotentis definit illos, quorum sunt reliquiæ, esse veros martyres; quanuis per legitimos testes cõstet de veritate martyrij exterioris formalis, & materialis. Sic veritate martyrij probata ex parte tyranni, & ex parte patientis, etiansi nullum miraculum exhibeatur, potest, non quidem solemniter definire illius martyris internam charitatem, & sanctitatem, sed decernere, indulgere, aut permittere cultum, & venerationem illius; quapropter *D. Cypr. ep. 37. ad Clerum* scripsit, vt notarentur dies, quibus occidebantur Christiani à Tyrannis, vt inter memorias martyrum eorum commemoratio posset celebrari. Idem præcepit *D. Greg. Taumaturg*; vt refert *Greg. Nissen. in eius vita*; *& S. P. Aug. serm. 17. de Verb. Apost*; quòd tunc temporis erat *Ecclesiastica disciplina*, vt *martyres recitarentur ad altare Dei*, *& plures scriptores*; inter quos *S. Greg. Turonen. lib. 2. c. 3* scribunt multos tyrannos, in quibus *Theodoricus*, *Gensericus*, *& Hunnericus* præcepisse ministris, si vidissent patientes constanter morituros pro fide, ne illos occiderent, quoniam Christiani illos, tanquam veros martyres, statim ostentare, & venerari cepissent. Quibus clarè monstratur martyres comprobato martyrio, etsi nullum adsit miraculum, posse coli, tanquam veros martyres Christi.

48 Non tamen sine miraculis potest solemniter auctoritate omnipotentis Dei definiri eius charitas, & sanctitas interna: 1. Sanctitas ex martyrio consurgens importat essentialiter fidem internam, dicitur enim *Rom. 10. Corde creditur ad iustitiam*; & internam voluntatem moriendi pro fide Christi, ac internam charitatem, vt diximus *in sup. S. n. 37. & 38*; & perseuerantiam finalem; vt habetur *Matth. 10. Qui perseuerauerit vsque in finem, saluus erit*; sed Ecclesia sine miraculo à Deo patrato post mortem martyris (quod solum est testimonium infallibile sanctitatis internæ, ad quam attestandam patratum est) nequit esse certa de his actibus internis; quia *Ecclesia non iudicat de internis*; cùm interna sint cordis secreta, quæ à solo Deo nosci dicuntur; nec ad illa iudicanda sufficit externa confessio ipsius patientis; quia oris confessio potest esse sine fide cordis; dicitur enim *Marc. 7. Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me*; *& Matth. 7. Non omnis, qui dicit, Domine, Domine, intrabit in Regnum Cælorum*: requiritur autem *ex Apost. vbi sup.* ad veram sanctitatem nedum oris confessio, sed etiam quòd corde credatur; & potest esse sine charitate; asserit namque *S. P. Aug tract. 6. in Io*; quòd aliqui mortui sunt ex iactantia, non ex Christi amore; & ideo non fuerunt martyres veri; vel potest esse ex solo timore gehennæ; & tandem potest esse sine perseuerantia finali; non enim statim, ac quis tormentis pro fide Christi subijcitur, fit internè impeccabilis, & immutabilis; sed omni momento, præcipuè dum crescunt tormenta, & vires deficiunt, & augetur tentatio, potest mentem mutare, patientiam internam, & charitatem amittere; quanuis inconstantiam, & infidelitatem internam non publicaret externè vel superbia ductus, vel quia vires non suppetunt ad manifestandam suam inconstantiam; ergo Ecclesia sine miraculo nequit auctoritate, & nomine Dei omnipotentis solemniter definire sanctitatem internam alicuius martyris.

49 Præterea in spiritualibus semper esse amplectendam tutiorem partem docent *Felin*; *Marsil*; *& alij*; sed sententia docens miracula requiri ad canonizationem martyrium est tutior, habetur enim securior cognitio; ergo hæc in praxi est amplectenda.

50 Insuper potest quis subire martyrium ex diuerso motiuo; scilicet vel ex necessitate ob non amissionem vitæ æternæ; vel ex metu gehennæ; vel ex promptitudine, & alacritate, aut ex tœdio vitæ; sed in his casibus non esset ex perfecta charitate; ergo sine miraculis non debent martyres canonizari.

51 Deinde Confessores non canonizantur sine miraculis, quanuis longo tempore carnem suam crucifixerint cum vitijs, & concupiscentijs; ergo idem dicendum de martyribus; sicut enim Christus *Io. 15.* dixit: *Maiorem charitatem ne-*

nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis; dixit etiam *Matth.* 5. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum Cælorum.*

52 Tandem quanuis miracula non sint necessaria ad certificandam Ecclesiam circa martyris sanctitatem; sunt tamen necessaria ad illam certificandam, quòd Deus velit illos coli, & honorari, cùm Deus nolit omnes iustos decorare honore canonizationis, vt habetur ex *Clem.* 6. *serm. vlt. de canonizat. S. Iuonis Brittannici apud Io. Bapt. Episcop. Ventimilien. de canonizat. S. Bonauentura, & Castellin. c.* 8. *punct.* 22; sicut enim ex eo, quòd *Mardocheus* fidelitatem suam ostéderat *Assuero* insidias detegendo, non debuit honorari, antequam constaret voluntas *Assueri* de honore illi conferendo; ita à pari; ergo idē.

53 Postremò accedit praxis, quam seruat *Sacra Rituū Congregatio*; quanuis enim ab initio Ecclesiæ nascentis ceperint martyres sine processu venerari, quapropter *S. Clemens* creauit septem Notarios in Vrbe, qui martyrum gesta conscriberent ad hoc, vt eorum legerentur memoriæ, quæ tamen publicabantur solùm in scriptis propter metum tyrannorum; & successu temporis quilibet Episcopus conficeret catalogum martyrum, & sanctorum suæ diœcesis; quia tamen progressu temporis Episcopi nimis faciles erāt ad declarandos sanctos, ideo ad Cōcilia generalia canonizatio fuit delata, vt testantur *Eugen. III. in Bulla canonizat. S. Henrici; & Alex. III. in Bulla S. Eduardi*; nihilominùs ex eo tempore, quo cepit canonizationem solemnem fieri à Summo Pontifice, quæ primùm dicitur facta *à Leone III. S. Suithberti*, vel vt alij volunt, *à Ioanne XV. S. Vlderici* anno 993; quāuis vsque ad tempora *Py II.* anno 1458. non esset stabilita forma in canonizatione seruanda, quæ postea prodijt in Ceremoniali Romano sub *Leone* X; cui accesserunt decreta *Vrbani VIII.* nulla ex hoc tempore legitur facta canonizatio martyris sine miraculis; ergo idem.

54 Ex opposito redarguuntur istæ rationes. 1. Ecclesia absque miraculis patratis post mortem potest esse certa veritatis martyrij; quòd scilicet quis mortuus sit pro Christi fide, ex charitate ipsius, & cum perseuerantia finali; ergo ad solemnem canonizationem ipsius non requirūtur miracula. Prob. ant. 1. Quanuis Ecclesia de internis, dum sunt interna, iudicare non possit; quia tunc sunt cordis secreta, quæ soli Deo sunt nota, & ideo sine miraculo penetrari non possunt; attamen interna, prout manifestantur per actus externos, potest cognoscere, & indicare, imò & ea punire, vt diximus *to.* 4. *q.* 2. *de legib. art.* 7. §. 1; & habetur expresse ex verbis Christi Domini *Matth.* 7; vbi de fictis hipocrytis ait: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos*; idèst ex operationibus externis, vt exponit *S. P. Aug. lib.* 2. *de serm. Domini in monte à c.* 36. vsque ad finem; vbi super illud: *Veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces*, inquit: *Sed isti non possunt fallere oculum simplicem* (sicut est oculus Ecclesiæ, quæ habet oculos columbinos, comparatur enim columbæ: *Veni Columba mea Cāt.* 2; cui simplicitas à Christo tribuitur; *Estote simplices, sicut columba*) *qui arborem dignoscere ex fructibus nouit, & inf. c.* 38. assignās ex *Apost.* quænam sint opera externa, quibus certò cognoscuntur interna, inquit: *Qui sunt ergo fructus, quibus inuentis cognoscamus arborem malā, dicit Apostolus ad Gal.* 5. *Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt fornicationes, immunditia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, hæreses, inuidia, ebrietates, comessationes, & his similia; quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non consequentur. Et qui sunt fructus, per quos cognoscimus arborem bonam, idem ipse Apost. consequenter dicit: Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia.* Et mox afferens textus *ab Aduersarijs* adductos, scilicet, quòd *oculus mundus, & simplex non potest cor alterius intueri*, si dictis, & factis non manifestetur; asserit, quòd tunc *tentationibus aperiuntur. Tentatio autem duplex est; aut in spe adipiscendi aliquod commodum temporale, aut in terrore amittendi*; & deinde illud: *Non omnis, qui dicit Domine, Domine, intrabit in Regnum Cælorum, inquit: Ne putemus ad illos fructus pertinere, si quis dicat Domino nostro, Domine, Domine, & ex eo nobis arbor bona videatur. Sed illi sunt fructus facere voluntatem Patris, qui est in Cælis.* Postea subiungens illud 1. *Cor.* 12. *Nemo in Spiritu Dei loquens dicit anathema Iesum; & nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu Sancto*; loquens de perseuerantia ait: *Neque aliquos habentes Spiritum Sāctum possumus dicere nō introituros in Regnum Cælorum, si perseuerauerint vsque in finem; neque illos, qui dicunt Domine, Domine, & tamen non intrant in Regnum Cælorum, possumus dicere habere Spiritū Sanctum.* Quærens autem, quomodò possimus cognoscere aliquem habere Spiritum Sanctum, & perseuerare vsque in finem, & introire in Regnum Cœlorum, respondet: *Sicut paulò ante, quod dictum est, gaudium in fructibus Spiritus Sancti propriè dictum est; non eo modo, quo alibi dicit idem Apost.* 1. *Cor.* 13. *Nō gaudet super iniquitatem; quasi quisquā possit super iniquitatē gaudere; quia illa elatio est animi turbidè gestientis, non gaudium; nam hoc soli boni habent.* Quo demonstrat, quòd etiā moriens ex iactantia, & elatione, vt *ex eod. S. P. Aug.* obijciebatur *ab Aduersarijs*, potest certò cognosci eo, quia non habet verum gaudium; moritur enim cum aliqua corporis deformitate, cū animi turbulentia, motu, & fremitu; ideo non habet verum gaudium, quod est fructus, & signū infallibile Spiritus Sancti inhabitantis in puncto mortis, & ideo finaliter; nam cum hoc gaudio moriens morte, tanquam placido sopore, quiescit,

scit, facie composita, & decora, absque vllo timore, aut tremore, fine eiulatu, mœrore, tristitia, dolore, aut gemitu; quæ sicuti non possunt non esse in eo, qui moritur cum conscientia ipsu intrinsecùs remordente, & accusante peccata; ita verum gaudium, quod est fructus Spiritus Sancti, nequit esse, nisi in eo, qui moritur habẽs perseueranter finaliter Spiritum Sanctum. Tandem ostendens, quomodò possit cognosci spiritus malus, etiamsi patrentur miracula, seu prodigia, & signa ad decipiendum; vt dicitur *Matth.* 24. de pseudoprophetis: *Dabunt signa magna, & prodigia ita, vt in errorem inducantur etiam electi;* concludit, quòd etiam isti cognosci poterunt habere spiritum peruersum ob strepitum contradicentium, ob contradictiones, contentioues, altercationes, impatientiam, litigia, immodestiam, turbulentiam, & cetera huiusmodi, quæ repugnant Spiritui Sancto; ait enim *Apost. 2. ad Tim. 2;* cuius verbis sic concludit *S. P. Aug. ibid. Seruum autem Domini non oportet litigare, sed mitem esse, ad omnes, docibilem, patientem, in modestia corripientem diuersa sentientes; ne fortè det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem. Beati ergo pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur;* ergo ex doctrina Christi, *Apostoli, & Augustini* expressè habetur actus internos per externos posse certò cognosci.

55 Conf. Si actus interni per externos non possent cognosci, doctrina Christi asserentis: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos;* non esset vniuersaliter vera; etenim ad falsificandum *cognosce* sufficit *non cognosci*, per quod negatur *cognosci*; sed conf. est falsum; ergo & ant. Præterea fructus Spiritus Sancti sunt infallibilia, & certa signa eiusdem Spiritus Sãcti inhabitantis intrinsecùs, & per consequens charitatis, & sanctitatis internæ; vt *ex Apost.* ostendit *S. P. Aug;* sed operationes externæ martyrum morientium pro Christi fide sunt fructus Spiritus Sancti; debent enim amanter, gaudenter, pacificè, perseueranter, benignè, suauiter, fideliter, mansuetè, & continenter mori ad hoc, vt sint veri martyres; ergo operationes externæ martyrum morientium pro Christo sunt infallibilia, & certa signa Spiritus Sancti inhabitantis intrinsecùs, & per consequens charitatis, & sanctitatis internæ, quæ cùm adsit in puncto mortis, nequit esse, nisi finalis. Tum quia quanuis ex vna, vel altera operatione externa simulatè facta nequeat colligi sanctitas interna; attamen ex omnibus, & singulis collectiuè, non diuisiuè, sumptis nequit non colligi sanctitas; ergo idem. Hinc S. P. *Aug. in lo. vbi sin* contrarium adductus asserit martyres Christi, *qui tempore persecutionis passi sunt*, optimè fuisse recognitos, quòd *charitate fecerunt*; martyres verò falsos, *qui iactanter illud faciunt*, cognosci, *quòd de tumore, & de superbia faciunt; nam cùm perfecutor desit, seipsos præcipitant;* vel ex aliqua alia actione externa incompossibili cum sancti-tate; ergo ex omnibus operationibus externis collectiuè sumptis elicitis à morientibus pro Christo certò, & infallibiliter cognosci potest sanctitas, charitas, & perseuerantia finalis.

56 Potest etiam euidenter probari *ex c. apostolicam de bapt. tit. 23;* vbi *Innoc. III.* interrogatus *ab Episcopo Cremonen.* de quodam præsbitero, qui diu vixerat in fide S. Matris Ecclesiæ credens se fuisse baptizatum; & post ipsius mortem reuelatum est baptismum ei non fuisse collatum; respondit statim: *Presbiterum, quem sine vnda baptismatis externum diem clausisse significasti; quia in S. Matris Ecclesiæ fide, & Christi nominis confessione perseuerauit; ob originali peccato solutum, & Cœlestis patriæ gaudium esse adeptum asseruimus incunctanter;* sed fides, & confessio, de quibus loquitur Pontifex, nequit esse, nisi externa; nam fides, & confessio interna ex opposita sententia nequit certò dignosci; quia nec Episcopus, nec Pontifex fidem internam potuerunt cognoscere; ergo fides, & confessio externa nominis Christi suppositis alijs circunstantijs, & nihil in contrarium obstante, potuit esse motiuum Pontifici asserendi incunctanter talem præsbiterum sanctè obijsse; ergo multò magis externa Christi confessio moriendi pro Christo facta ab eo, qui vixit continuò in fide S. Matris Ecclesiæ, ceteris alijs adiunctis, quæ Christianam vitam illius testantur, & mortem pretiosã demonstrant, potest esse sufficiens motiuum Pontifici, vt absque miraculis illum sanctum declaret, & martyrem.

57 Præterea limitare spiritum, qui est in Ecclesia, vt non possit discernere veritates particulares à falsitatibus, nisi præcedente miraculo, coarctat potestatem clauium à Christo illi traditam; & cogit Deum, vt, quoties voluerit ab Ecclesia aliquam veritatem particularem decerni, obligetur ad patrandum miraculum; sed vtrunq; est inconueniens; ergo & primum.

58 Insuper quanuis miraculum patratum per ordinem ad ostendendam sanctitatem sit signum infallibile, & certum illius, attamen quia miraculum potest patrari etiam ad ostendendã veram esse doctrinam, pro qua externè ille martyr occubuit; & ad inuocationem nominis Christi, quod ille martyr prædicauit externè; quis possit testari illud miraculum patratum fuisse ad significandam sanctitatem potiùs, quàm propter alia motiua allegata? Profectò solùm testimonio humano id posset probari, quod cùm fallibile sit, non nisi fallibiliter probaretur; ergo nec absque miraculis, nec miraculis præuijs posset Pôtifex ad martyrum canonizationem procedere, quod est absurdum; vel si posset illis positis, posset etiam sine illis.

59 Sed dato miraculum patratum fuisse solùm ad significãdam martyris sanctitatem; hoc tamen Innotescere nequit, nisi ex testimonio humano, quod est fallax, & potest esse falsum,

ergo aliquando miraculum falsum esset signum infallibile, & verum sanctitatis; quod repugnat in terminis.

60 Respondent *Aduersarij*, quòd est spiritus in Ecclesia distinguens veritates particulares à falsitatibus supposito miraculo; nullus tamen diceret esse spiritum ad distinguendas omnes veritates particulares, etiam non supposito miraculo; aliter posset definire talem hostiam esse consecratā, talem hominē accedentem ad sacramenta esse ritè dispositū internè; vt *sup.* diximus

Sed contra est. Esse Spiritum in Ecclesia ad cognoscendam sanctitatem, & malitiam internam ex operibus externis etiam sine miraculis patet expressè ex verbis Christi Domini: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos*; non enim Christus dixit: *Ex fructibus eorum suppositis miraculis cognoscetis eos; & non suppositis miraculis non cognoscetis*; sed absolutè dixit: *Cognoscetis eos*; quod non nisi distortè traheretur ad significandum solùm ex suppositione miraculorum; ergo quanuis non admittatur esse Spiritum in Ecclesia ad distinguendas omnes veritates particulares, quæ non notificantur per operationes externas; vt est consecratio hostiæ; consecratio enim nihil externè operatur, per quod possit dignosci; hominis autem accedentis ad sacramenta, perpensis omnibus illius externis actionibus, posset ab Ecclesia dignosci dispositio interna; vt de præsbitero asseruit *Innoc. III. vbi s.*

61 Inst. verba Christi Domini intelligenda esse de cognitione moraliter, non infallibiliter certa; nam *Eccles. 9.* dicitur: *Nescit homo, an odio, vel amore dignus sit* & *Apost. 1. Cor. 4.* inquit: *Nihil mihi conscius sū, sed non in hoc iustificatus sum*; & vt diximus *to. 2. de prædest. SS. q. 1. art. 8*; nemo potest esse certus suæ prædestinationis absque speciali Dei reuelatione; quod intelligitur de certitudine infallibili physica; nam certitudinē moralem, & coniecturalem fundatam in bonitate Diuina, & in donis ab ipsa receptis vnusquisque potest habere; ergo si ipse moriens pro Christo, qui cognoscit se mori pro eius fide, nequit infallibiliter cognoscere se habere gratiam iustificantem; quia nequit cognoscere, an ille amor sit purus, simpliciter beneuolus, & sufficiens ad iustificationem; multò minus alij, quibus tantùm operationes externæ, non internæ, sunt notæ, possunt infallibiliter cognoscere sanctitatem illius; sed tantùm moraliter illam possunt arguere; & in hoc sensu ait Dominus malitiam *Pharisæorum* posse cognosci.

Resp. *cum S.P. Aug. de serm. vbi s.* quòd licèt simulatores hipocrytę possint fallere oculū, qui non est mundus, & simplex; *ipsi tamen non possunt fallere oculum simplicem, qui arborem dignoscere ex fructibus nouit*; sed ille tantùm nequit falli, qui infallibiliter cognoscit; quia infallibiliter cognoscere est in sua cognitione non posse falli, vt constat ex terminis; ergo asserere, quòd illa sententia Christi Domini sit intelligenda solùm de cognitione moraliter, & fallibiliter certa, est manifestè *contra S.P. Augustini* doctrinam. Quāuis igitur nullus homo particularis sine speciali Dei priuilegio possit infallibiliter cognoscere propriam, vel alienam sanctitatem eo, quia soli oculo simplici, & mundo hæc cognitio conceditur; vt habetur *Matth. 5. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*; quod *S.P. Aug. vbi s. c. 35.* explicat de cognitione Dei in via dicens: *Ita erit cor mundum, & simplex, in quo quæritur Deus*; solùm autem in via quæritur Deus; nam in patria possidetur, non quæritur possidendus; & quia habere oculum cordis mundum, & simplicem *paucorum est*; ideo ait Christus exponente *S. P. ibi: pauci intrant per eam*; per portam scilicet angustam ad sapientiam, quæ ducit ad vitam; ideo nullus homo, qui non habet oculum simplicem, & mundum, potest infallibiliter cognoscere suam, vel alienam sanctitatem internam. At quia Ecclesia habet oculos mundos, & simplices, dicitur enim columba, cui simplicitas conuenit; ideo Ecclesia potest infallibiliter cognoscere internam sanctitatem ex operibus externis, quæ sunt fructus externi; propterea Christus in plurali: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos*; dixit discipulis, qui pluraliter sumpti Ecclesiam formabant; cuius solius est infallibiliter dignoscere malitiam, & sanctitatem; licèt quilibet singulariter sumptus solùm coniecturaliter valeat agnoscere.

62 Demum, quòd homo rudis, idiota, illiteratus, barbarus extra mortis angustias miraculum attestando maiorem fidem mereatur, quā homo pius, catholicus, doctus, constitutus in mortis articulo, attestans se mori pro Christo; & eo magis, quia scit certò sempiternis fingendo se damnare supplicijs, quod extra casum desperationis quenquam agere est omnino impossibile; inconueniens est rationi prorsus contrarium reijciendum ab omnibus.

63 Ex his penitus reiecta manet prima, & tertia ratio in cōtrarium adducta; quanuis enim possit quis mori pro Christo ex iactantia, vel ex aliquo motiuo repugnante, vel insufficiente ad martyrium; & quanuis possit deficere, antequā moriatur; non tamen sequitur, quòd ab oculo simplici, & mundo ipsius Ecclesiæ hoc motiuū, & defectus non possit agnosci.

64 Secunda ratio reijcitur. Tunc sententia tutior relicta minùs tuta est amplectenda; quando minùs tuta est incerta, dubia, & fallibilis; solū enim in dubijs tutius est eligendum; nam licèt tutius sit ad salutem dare omnia pauperibus; attamen quia tutum est dimidium bonorum illis tradere; sic enim *Zachæus* salutem consecutus est; ideo non tenetur quis, vt salutem consequatur, omnia à se abdicare; sed si hoc faciat, melius facit; sed sententia docens ad rationem martyrij sufficere, vt constet de vera causa ex parte tyrāni

ni, & ex parte passi, est tuta; certissimis enim *scripturæ* testimonijs innititur, vt diximus; propterea S. *P. Aug. ep. 61. ad Dulcit; & sæpissimè alibi* ait, quòd *martyrem non facit pœna, sed causa*; & ideo cùm constat causa martyrij, constat martyrem esse. Neque sententia duorū, vel triū *DD.* inferioris notæ sententiam *Sancti Doctoris* valet reddere dubiam præsertim, quia hæc *apertissimis textibus* fulcitur; illa verò tantùm remotissimis, *scripturæ* verbis munitur; ergo quamuis sit abundantior probatio, quæ ex causa martirij, & ex miraculis sumitur; non sequitur tamen eam sufficientem, adeoque amplectendam non esse, quæ ex causa tantùm desumitur.

65 Reijcitur 4. ratio. Intantùm Confessores non canonizantur sine miraculis; inquantùm non est certum, quòd per pœnitentiam ab omni culpa, & omni pœna sint absoluti; adeoque certum non est ipsos visione Dei actualiter frui; sed certum est martyres morientes pro Christo absolutos esse ab omni culpa, & omni pœna, adeoque statim post mortem frui beata Dei visione; ergo certum est martyres canonizari posse etiam sine miraculis.

66 Reijcitur 5. ratio. Si miracula necessaria essent tantùm ad notificandum Ecclesiæ, quòd Deus illos velit coli, & honorari; non enim vult omnes iustos cultu honorari; sequeretur, quòd Ecclesia decernens cultum *Reliquiarum*, de quibus nullum constat miraculum, contra voluntatem Dei decerneret, & sic peccaret, quod est absurdum; est enim *sponsa non habens maculam, aut rugam*, vt ait *Apost. Ephes. 5.* Neque officit, quòd Ecclesia non definiat in nomine Dei omnipotentis, & præcipiat *Reliquias* esse colendas, sed tantùm decernat posse coli, aut permittat, & indulgeat; sequeretur enim, quòd Ecclesia decerneret, permitteret, & indulgeret posse coli contra voluntatem Dei; quod pariter esset peccatum; nedum enim definitio, sed etiam permissio, vt fiat aliquid contra voluntatem Dei, est peccatum, vt constat. Præterea voluntas Dei de honorandis suis militibus, satis expressa est *in scripturis*; dixit enim Christus *Io. 15. Iā non dicā vos seruos, sed amicos &c.* certū autem est amicos esse honorandos, non contemnēdos; ergo ad miracula frustra recurritur. Cùm igitur dicitur Deū nolle omnes iustos coli, sermo est de iustis decedētibus in gratia, quos nō cōstat decessisse ab omni culpa, & omni pœna absolutos. Vel cùm Ecclesia in cultu externo moueatur à Deo, qui ei semper assistit, ideo verificatur, quòd Deus nolit omnes iustos coli ex eo, quòd non moueat ad sollicitandum cultum eorum, etiamsi ad patriam cœlestem recta via transierint; ergo cùm proponitur in Ecclesia martyrium alicuius declarandum per ipsam, est voluntas Dei, quæ mouet, vt martyr ille honoretur.

57 Tandem exponitur vltima ratio. Quamuis nullius martyris canonizatio solemnis sine miraculis vsque nunc facta fuerit, attamen non sequitur, quòd ponat legem Pontifici, vt sine miraculis martyres canonizare non possit ob rationes adductas; nequit enim, nisi à lege à seipso, vel à suis Prædecessoribus sancita directiuè obligari. Tum quia non constat hanc praxim semper in Ecclesia viguisse, præsertim antiquis temporibus, cùm plures martyres simul occidebantur; tunc enim, nonnisi per aliud miraculum notificari potuisset, à quibusnam ex illis martyribus illud miraculum patratum fuisset? Tum quia in eorum lectionibus scriptis per Notarios à Pontifice destinatos nulla miraculorum fit mentio, quod indicat tunc temporis praxim in Ecclesia non fuisse examinandi miracula, aliter *in eorum Histotijs* recensita fuissent, sicut recensentur modò, & referuntur, quia examinantur. Præterea in lectionibus Confessorum narrantur nedum virtutes, sed etiam miracula; in lectionibus autem martyrum ferè semper solùm martyrium describitur; ergo ex hoc deducitur Ecclesiam non requirere in martyribus virtutes, & miracula, sicut requirit in Confessoribus, vt eos publico cultu, & veneratione honoret. Dicendum igitur, quòd *Sacra Rituum Congregatio* miracula inquirere cepit, cùm de martyribus agi debuit, de quibus ob locorum distantiam, & testium insufficientiam non constabat causa martyrij, ex quo non probatur, vt liquet, ad martyrum canonizationem requiri miracula.

68 Ob has, & alias rationes, quas forsan *alibi* afferemus, videtur à prima sententia, quæ communissima est, recedendum non esse, nisi fortè in oppositum euidentioribus flectamur motiuis.

§. 4.

Afferuntur aliquæ assertiones circa martyrium.

69 Non licet semper, sed tantùm in aliquibus casibus se se vltrò offerre martyrio.

Prob. 1. pars huius dicti 1. ex illo *Matt. 13. Tradent enim vos in Concilijs, & in synagogis suis flagellabunt vos, & ad Reges, & Præsides ducemini propter me*; quibus verbis significatur, inquit *S. Petrus Alex. can. 9.* martyres esse passiuè tradendos, & tradendos ab alijs, non autem actiuè se tradere, & offerre debere martyrio. Quapropter *Conc. Elibérit. can. 60.* prohibet illos esse inter martyres annumerandos, qui se vltrò ingesserūt martyrio; *& S. P. Aug. lib. 1. cont. Gaudent. c. 31.* docet esse disciplinam Ecclesiasticam, ne quis martyrio se offerret; & ratio est; quia spontè, & extra necessitatem se offerre martyrio est cooperari tyrannorum peccato; est enim offerre causam, vt tyranni occidant; ergo extra casum necessitatis non licet.

Prob-

70 Prob. 2. pars. Tunc licet. 1. Cùm quis ex impulsu, & inspiratione Spiritus Sancti tyranno se offert; vt legitur *de S. Catharina Alexand; & de alijs martyribus innumeris*; si enim Spiritus Sanctus aliquem moueat, eius motum innocentissimè ille sequitur. 2. Quando est periculum, quòd aliquis martyr in tormentis deficiat; vt legitur *de S. Vitali*; qui *Rauenæ, cùm vidisset Vrsicinum medicum ob Christianæ fidei confessionem ductum ad supplicium paululùm in tormentis titubare, exclamauit: Vrsicine, Vrsicine, qui alios curare solitus es, caue, ne te mortis æternæ iaculo ferias. Qua voce confirmatus Vrsicinus martyrium fortiter subijt*; & ipse Vitalis ob hoc comprehensus martyrio fuit affectus; & ratio est; nam digniora sunt præferenda vilioribus; vt docet *S. P. Aug. lib. 1. de lib. arb. c. 16*; sed Christi fides est dignior, quàm vita temporalis vnius hominis; ergo hæc est exponenda, ne illa perdatur, aut contemnatur. 3. Quando id exigit communis vtilitas Ecclesiæ; vt cùm tota periclitatur multitudo fidelium; bonum enim commune, vtpotè maius, particulari bono, quod est minus, est præferendum. 4. Quando taciturnitas Christianorum potest haberi pro abnegatione fidei, tunc namque censetur quædam virtualis fidei negatio; quam vnusquisque tenetur affirmando tueri etiã cum profusione huius vitæ temporalis. 5. Quando incutiendus est timor tyranno, vt eius insolentia per voluntariam mortis susceptionem frenetur; & fideles timidi, ac inconstantes aliquo fortitudinis exemplo firmentur. *Ita noster Faruacques; & alij communiter*.

71 Per martyrium dimittuntur omnia peccata mortalia, & venialia. *Ita S. P. Aug. lib. 13. de Ciu. Dei c. 7*; vbi docet: *Tantùm valet ad dimittenda peccata, quantùm si martyres ablueren tur sacro fõte baptismatis*; *sed* baptisma tollit mortalia, & venialia; ergo & martyrium.

72 Martyrium est maioris efficaciæ, quàm baptismus; magis enim merentur, qui voluntariè subeunt mortem pro Christo, cùm tolerent malum corporis omnium maximum, quàm qui voluntariè baptismo lauantur, & nullam sentiunt pœnæ molestiam; quapropter illi abundantiorem gratiam recipiunt. *Ita S. P. Aug. vbi s. & S. Cypr. ep. ad Fortunat*; docet, quòd martyrium est *in gratia maius, in potestate sublimius, in honore pretiosius*. Tum quia martyrium confert palmam, quam simplices Christiani non habent.

73 Causa martyrij debet esse amor profundendi vitam pro Christo, seu propter fidem Christi, vt habetur *Marc. 8. Qui perdiderit animam suam propter me, & euangelium, saluam faciet eam*, qua causa non posita non ponitur martyrium; propter quod docet *S. P. Aug. Martyrem non facit pœna, sed causa*.

ARTICVLVS IX.

An baptismus sit omnibus ad salutem necessarius?

1 EX dictis *in sup. art.* constat nullam ex tribus speciebus baptismi assignatis ita esse determinatè necessariam ad salutem, vt vna non possit suppleri per aliam, ac per illam salutem acquiri; aliqui enim sine baptismo fluminis salutem consecuti sunt per baptismum sanguinis; alij sine baptismo sanguinis per baptismum fluminis saluantur; & alij tandem sine baptismo sanguinis, & fluminis per solum baptismum flaminis saluati sunt; vt legitur *c. apostolicam de bapt. & de obitu Valentiani apud D. Ambr.* Quæritur ergo de baptismo disiunctiuè, an scilicèt aliqua ex his tribus speciebus baptismi, nempe vel fluminis, vel flaminis, vel sanguinis ita sit necessaria ad salutem nedum necessitate præcepti, sed etiam necessitate medij (de qua diuisione diximus *to. 4. q. 2. de Fide art. 3. à n. 1.*) vt sine illa nemo possit saluari?

2 *Hieracitæ*, vt notat *S. Epiphan. hær. 67*; dixerunt baptismum non esse medium ad saluandos paruulos eo, quia paruuli nequeunt certare, cùm careant vsu rationis; certamen autem esse necessarium ad salutem colligitur ex illo: *Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit*; ac propterea isti hæretici omnem spem salutis paruulis adimebant. *Fridiani* verò, quos confutat *D. Cypr. ep. 36*; *Iudæorum* ritum in conferenda circumcisione seruantes ante octauum diem baptismũ non prodesse ad salutem asserebant; ideo vsque ad illud tempus eum differebant.

3 *Pelagiani*, vt refert *S. P. Aug. de hær. hær. 69; & innumeris alijs in locis*, in quibus illos impugnat, negantes peccatum originale dicebant non esse necessarium ad remissionem illius, neque ad vitam æternam consequendam; quam absque baptismo asserebant consequi posse, sed tantùm ad introeundum in Regnum Cœlorum propter illud *Io. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*.

4 *Vuicleff, Zuingl. Caluin. & Bucer. apud Bellarm. lib. 1. de bapt. c. 4*; dixerunt non esse necessarium ad remissionem peccatorum, neque ad salutem æternam consequendam; quamuis id ex diuerso motiuo asseruerint; nam *Caluin.* dixit filios fidelium esse sanctos, & membra Ecclesiæ etiam sine baptismo; sine quo, si moriantur, saluantur; quia licèt peccatum originale contraxerint; in gratiam tamen parentum illis non imputatur. *Bucer.* verò docuit pueros prædestinatos etiam sine baptismo saluari; sicut nõ prædestinati etiam cum baptismo damnantur. *Anabaptistæ* dixerunt infantes baptismi esse incapaces.

5 *Biel hic dist. 4; Caiet. hic q. 68. art. 2. & 11*; licèt dubitatiuè, asserunt pueris in vtero peri-

cilitatibus posse irreprehensibiliter conferri benedictionem *in nomine Patris,& Filij, & Spiritus Sancti*; & deinde causæ discussionem Diuino iudicio relinqui: *Quis enim scit, an Diuina misericordia huiusmodi baptismum in voto parentum acceptet? vbi nulla incuria, sed sola impossibilitas sacramenti executionem excuset?* *Gerson* verò *serm. de Natiuit. B.Virg. Mariæ* dixit parentes debere Deum rogare, quòd infantem nondum natum, qui moriturus est ante baptismum, dignetur baptismo Spiritus Sancti præuenienter consecrare: *Quis enim scit, si fortè exaudiat Deus?* Huic sententiæ videtur fauere *Caram. in Theol. Fund. &c. fund. 64.*

6 Communis omniũ aliorũ sententia est baptismum fluminis, vel sanguinis esse paruulis necessarium necessitate medij, & præcepti ad salutem; adultis verò vel fluminis, vel sanguinis, vel flaminis. *Ita Fund. Doct. Æg. in 3. sent. dist. 3. p. 1. q. 1. art. 2. S. Dicamus ergo; & in Hexam. p. 2. c. 41. et alibi.*

7 Vnica concl. Baptismus fluminis, vel flaminis, vel sanguinis disiunctiuè est necessarius omnibus, & singulis adultis necessitate medij, & præcepti; paruulis verò non sanctificatis in vtero est eodem modo necessarius baptismus fluminis, vel sanguinis; sanctificatis autem in vtero est tantùm necessarius necessitate præcepti.

Prima pars concl. de adultis ab omnibus admittitur; & prob. *ex textibus allatis in sup. art. n. 4.* Illud enim est necessarium necessitate medij, & præcepti, fine quo nullo modo salus æterna potest acquiri; necessarium namq; simpliciter, quod est medium ad acquirendum aliquem finem, definitur id, fine quo finis intentus obtineri non potest vllo modo; idêst vel ob impotentiam, vel ob aliquam aliam necessitatem, aut defectum etiam inuoluntarium; vt quia cibus est simpliciter necessarius, tanquam medium ad conseruandam vitam; ideo fine cibo, quanuis non possit haberi, & inuoluntariè desit, aut vi subtrahatur, vel negetur, vita conseruari non potest; & in hoc distinguitur necessarium necessitate medij à necessario necessitate præcepti; quod fine necessario necessitate præcepti finis intentus potest haberi; quando adest impotentia physica, & naturalis, & defectus omnino inuoluntarius eo, quia præceptum non obligat ad id, quod est impossibile, ad quod nemo tenetur; sed fine baptismo vel fluminis, vel flaminis, vel sanguinis salus æterna acquiri non potest; quia fine eo, quo regeneramur à morte peccati ad vitam æternam, ipsa vita nequit haberi; sicut enim nemo potest habere vitam naturalem absque eo, quòd generetur carnaliter ex corpore mortuo in animam viuentem; ita nemo potest vitam supernaturalem acquirere absque eo, quòd regeneretur spiritaliter ex morte peccati ad gratiam, qua anima viuit; id autem, quo fit hæc regeneratio, est baptismus vel fluminis, vel flaminis, vel sãguinis; nã de baptismo fluminis dicitur *Io. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non introibit in Regnum Dei*; de baptismo flaminis dicitur *Act. 1. Vos autem baptizabimini Spiritu S. non post multos hos dies*; quod *S. P. Aug. in sup. art. vbi s.* explicat de baptismo fluminis; & de baptismo sanguinis *Marc. 10. Potestis bibere calicem, quem ego bibo; et baptismum, quo ego baptizor, baptizari; et Io. 12. Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam*; ergo baptismus vel fluminis, vel flaminis, vel sanguinis est necessarius omnibus, & singulis adultis necessitate medij, & præcepti ad salutem. 2. Illud, fine quo nequit haberi iustificatio, est necessarium simpliciter necessitate medij, & præcepti ad salutem, seu vitam æternam, quæ solummodò per iustificationem acquiritur; sed baptismus vel fluminis, vel flaminis, vel sanguinis in adultis est huiusmodi; nam de baptismo fluminis, & flaminis habetur *in Trid. sess. 6. in decr. de iustific. c. 4. iustificationem non fieri fine lauacro regenerationis, vel eius voto*, quod repetit *sess. 7. de sacram. in gen. can. 4.* & de baptismo sanguinis *Io. 12. Qui amat animam suam, perdet eam, & qui odit animam tuam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam*; ergo baptismus vel fluminis, vel flaminis, vel sanguinis est adultis simpliciter necessarius necessitate medij, & præcepti ad salutem. 3. Baptismus genericè sumptus, prout includit tres species *sup.* allatas, successit circuncisioni, sicut circuncisio successit remedio legis naturæ; sed remedium legis naturæ in illo statu, & circuncisio in statu legis scriptæ fuit simpliciter necessaria adultis necessitate medij, & præcepti; ergo idẽ dicendum de baptismo. 4. Illud est medium necessarium simpliciter adultis ad consequendam salutem, per quod iustificationem consequitur, cui solùm debetur salus æterna; sed in lege euangelica baptismus aquæ, flaminis, & sanguinis est huiusmodi; nam de baptismo aquæ habetur *Marc. 16. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit*; & de baptismo flaminis habetur *Act. 10*; quòd *Cornelius, & plures alij* cum ipso, antequam baptizarentur, iam acceperant Spiritum Sanctum vi desiderij, seu voti baptismi, & ideo iustificati fuerant per gratiam, quæ diffunditur in cordibus nostris per Spiritũ Sanctum; & habetur *c. debitum, & c. apostolicam de bapt*; & de baptismo sanguinis habetur *Luc. 9. Qui perdiderit animam suam propter me, saluam faciet illam*; de quibus omnibus *S. P. Aug. lib. 4. cont. Donatist. c. 22.* inquit: *Inuenio non tantùm passionem pro nomine Christi id, quod ex baptismo deerat, posse supplere, sed etiam fidem, conuersionemque cordis*; quibus verbis docet effectum baptismi, qui est iustificatio, seu regeneratio, posse suppleri per actum contritionis, quæ, cùm perfecta est, trahit secum habitum charitatis, &

gra-

gratiam iuſtificantem; contritio autem votum baptiſmi, ſeu baptiſmum flaminis importat; & poſſe ſuppleri per baptiſmum ſanguinis, quo anima à peccatis abluitur, & per conſequens iuſtificatur; ergo idem.

8 Prob. 2. p. concl. *ex Conc. Mileuit. c. 2;* & refertur *c. placuit. de conſecr. diſt. 4; & c. maiores de bapt; & ex Trid. ſeſſ. 7. can. 5. de bapt;* vbi ſtatuit: *Si quis dixerit baptiſmum liberum eſſe, hoc eſt non neceſſarium ad ſalutem, anathema ſit*; ſed infantibus nequit competere, niſi baptiſmus fluminis, vel ſanguinis; quia baptiſmi flaminis ſunt incapaces, cùm non habeant vſum rationis, quo elicitur votum, ſeu deſiderium baptiſmi; ergo baptiſmus fluminis, vel ſanguinis eſt ſimpliciter neceſſarius infautibus neceſſitate medij, & præcepti ad ſalutem. 2. *ex Rom. 5. Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, ſic & per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ.* Ita ſe habet Chriſtus, qui eſt *ſecundus Adam*, per ordinem ad vitam ſpiritualem animæ ſua paſsione acquiſitam omnibus hominibus; ſicut ſe habuit *primus Adam* per ordinem ad mortem omnibus hominibus per peccatum illatam; ſed paruuli omnes moriuntur *in Adam*, quia contrahunt *Adæ* peccatum; ergo non viuificantur, niſi per Chriſtum. Atqui viuificatio, quæ fit per Chriſtum, vocatur regeneratio in *ſcripturis, & Trid. vbiſ.* regeneratio autem ex *Scripturis* poteſt haberi ſolùm per baptiſmum, vel per martyrium iuxta illud *Io. 3. Niſi qui renatus &c; & Luc. 9. Qui crediderit &c;* ergo baptiſmus fluminis, vel ſanguinis eſt ſimpliciter neceſſarius infantibus neceſsitate medij, & præcepti ad ſalutem. 3. Circuncisio in lege ſcripta, & remedium legis naturæ fuit neceſſarium ſimpliciter infantibus neceſsitate medij, & præcepti ad ſalutem ita, vt nemo ſine illis ſaluari potuerit; ergo idem dicendum de baptiſmo, qui illis ſucceſsit. 4. Præceptum Chriſti Domini *Io. vlt. Docete omnes gentes baptizantes eos &c; & Io. 3. Niſi quis renatus &c.* omnes generaliter includit; ſicut illud: *Qui perdiderit animam ſuã &c.* ergo obligat etiam infantes. Ant. prob. *ex D. Ambr. lib. 2. de Abraham c. vlt.* nullum excipit, non infantem, non aliqua præuentũ neceſsitate; *& S. P. Aug. lib. 3. de orig. animæ c. 3. Noli docere infantes, antequam baptizentur, peruenire poſſe ad originalium peccatorum indulgentiam, ſi vis eſſe catholicus;* & ratio eſt, quia vbi lex non excipit, nec nos excipere debemus. Item *Act. 16.* de cuſtode carceris dicitur: *Baptizatus eſt ipſe, & omnis domus eius;* quod dicitur etiam de *Lydia purpuraria*, & eius domo; *& 1. Cor. 1.* Apoſtolus, inquit baptizaſſe domum *Stephanæ*; ſed inueriſimile eſt, quòd in his tribus domibus, ſeu familijs non fuerint infantes incapaces vſus rationis, quos pariter fuiſſe baptizatos *ſcriptura* teſtatur aſſerens totam domum baptizatam fuiſſe, idèſt quotquot erant in illa familia; ergo idem. 5. Ex continua traditione, quæ ſemper fuit in Eccleſia, vt colligitur *ex D. Dion. lib. de Hier. Eccl. in fine; Orig.* in illud *Rom. 6. Si enim complantati &c; Iuſtin. q. 56. ad Orthodoxos; Cypr. ep. 36; Ambr. vbiſ. Hier. ep. ad Lætam; Greg. Nazian. or. in S. lauacrum; Chryſoſt. hom. ad Neophitos; Epiphan. hær. 67; & S. P. Aug. innumeris in locis, vt ep. 23; 28; 57; et 106; Ench. c. 93; lib. 1. de pecc. merit. c. 20; et lib. 2. c. 25 et 27; et lib. de pecc. orig. c. 40; et in suppl. cont. Iul. ſæpiſsimè; et habetur c. maiores de bapt; et in Conc. Mileuit; quod continetur in ep. 93. S. P. Aug; et in Conc. Carthag; quod eſt ep. 90; et 5. Syn. Carthag. can. 6; et Flor; ac Trid. vbiſ.* in quibus omnibus, vel fit mentio huius traditionis, quæ ab Apoſtolis orta eſt; vel ipſa traditio probatur.

9 Nec valet reſpondere cum *Caiet.* paruulos etiam ſaluari in voto parentum; & ſic eſſe intelligendos SS. PP. Nam contra eſt *S. P. Aug. lib. de dono perſeu. c. 12.* docens: *Plerumque feſtinantibus parentibus, et paratis miniſtris, vt baptiſmus paruulo detur, Deo tamen nolente non datur, qui eum paululum in hac vita non tenuit, vt daretur?* Si autem poſſent ſaluari in voto parentum; non officeret eorum ſaluti, quòd illum in re nõ poſſent ſuſcipere; ſaluarentur enim per baptiſmum in voto parentum; quod negat *ſup. S. P.* aſſerens, quòd paruulus ſic expirans damnatur. Item *c. non vt de bapt. Innoc. III.* conſultus; an paruuli defectu aquæ, & ſacerdotis ſaliuæ conſperſione in capite, in pectore, & inter ſcapulas loti eſſent baptizati; negatiuè reſpondet eo, quia verbum, & elementum neceſſariò requiruntur, quod falſum eſſet, ſi ſufficeret baptiſmi votum in parentibus, quod procul dubio aderat ſaliua linientibus; *et Flor. Armenis* ſeruantibus paruulos ſuos vſque ad quadrageſimum, vel octuageſimum diem præcepit, vt ſtatim natos baptiſmo diluerent eo, quia præter baptiſmum aquæ, ſeu fluminis nullum aliud eis ſupereſſet ſalutis remedium; quo baptiſmum flaminis, ſeu votum baptiſmi euidenter excludit. Ratio etiam eſt. In tantùm adultis proficit votum baptiſmi; in quantùm actum internæ contritionis eliciunt, per quem conuertuntur in Deum, & à peccato auertuntur; ſed infantes per votum parentum non eliciunt actum contritionis internæ, quo cõuertantur in Deum, & à peccato auertantur; ſunt enim huiuſmodi actus omnino incapaces; ergo votum baptiſmi elicitum à parentibus ad ſalutem infantium non prodeſt.

10 *Pelagiani* ſatis reiecti fuerunt *to. 4. q. 2. de pecc. orig. art. 1; et Caluiniſtæ q. 4. de iuſtific. art. 1. §. 1.*

11 Obijc. 1. *Apoſt. 1. Cor. 7.* hortatur coniugem fidelem ad habitandum cum coniuge infideli; vir enim infidelis ſanctificatur per mulierem fidelem; *alioquin filij immundi eſsent, nunc autem mundi ſunt*; ergo filij fidelium non egent baptiſmo. 2. Chriſtus *Io. vlt.* præcepit, vt baptizandus priùs edoceatur, & poſtea baptizetur;

tur;

tur; sed infantes sunt incapaces doctrinæ; ergo & baptismi. 3. *Marc. vlt.* dicitur: *Qui crediderit, et baptizatus fuerit;* sed infantes sunt incapaces actus credendi; ergo idem.

Resp. ad 1. coniugem infidelem sanctificari per vxorem fidelem, quia per eius monita salutaria ad fidem reducitur; & sic filios dici sanctos, quia à parentibus fidelibus sanctè, & religiosè educantur, vt fidem suscipiant, & seruent. Ad 2. diximus *sup. art. 1. n. 4; et S. 2. n. 22;* quòd Christus tunc loquebatur de baptismo adultis conferendo; debet enim in illis catechismus præmitti; in paruulis autem debet postponi. Ad 3. iam diximus *ibid. à n. 21;* vbi *Lutheri* sententiam asserentis fidem actualem in paruulis dari, reiecimus.

12 Obijc. 2. Si paruuli saluari non possent per baptismum in voto, Deus illis non contulisset remedia sufficientia ad salutem; & per consequens nollet *omnes saluos fieri;* sed consequens est falsum; ergo & ant. 2. Paruuli rectè dicuntur credere per fidem parentum; ergo rectè dicuntur desiderare baptismum per votum parentum; sed ex eo, quòd credant per fidem parentum, rectè dicuntur baptizati baptismo fluminis; ergo ex eo, quòd desiderent baptismum per votum parentum, rectè dicuntur baptizari baptismo flaminis.

Resp. ad 1. neg. ma; Deus enim omnibus prouidit, & pro omnibus instituit sacramenta, quæ sunt remedia ad salutem; quanuis aliqui illa actu non recipiant *occulto quidem, sed iusto Dei iudicio,* vt docet *S.P. Aug. ep. 105. ad Sixtum. Vid. to. 2. de prædest. SS. q. 6. art. 6;* vbi exactè hæc obiectio dissoluitur. Ad 2. dicitur, quòd fides parentum vtique prodest paruulis in sacramento; nam vt docet *S.P. Aug. serm. 14. de Verb. Apost. c. 11. Ad verba aliena sanatur, quia ad factum alienum vulneratur;* & per fidem alienam paruulos rectè dici credentes; vt *idem* testatur *ibid. Inter credentes baptizatos paruulos annumerabis, nec iudicare vllo modo aliter audebis, si non vis esse apertus hæreticus;* at verò votum parentum extra sacramentum non prodest; sicut enim fides, quę prodest in sacramento, extra sacramentum non prodest; quia remissio fit virtute sacramenti; & cùm non est sacramentum, nec est remissio; ita votum parentum extra sacramentum nō sufficit; actus enim alienus non prodest, nisi in sacramēto; cùm solùm virtute sacramenti peccata remittat. At verò votum baptismi in se ipso prodest etiam extra sacramentum; quia per ipsum adultus conteritur, vt diximus; & contritio etiam extra sacramentum ad iustificationem perducit.

13 Quæres 1; an expediens sit paruulos statim natos baptizare; vel baptismum differre ad ætatem, qua intelligere possint baptismi mysterium, & per se ipsos respondere, non per alios?

Resp. expedire baptizari statim natos ob periculum damnationis æternæ, si fortè sine baptismo aliquo casu fortuito oppressi repentè moriantur; magis enim præponderat certitudo salutis, quàm cognitio baptismi, & proprius fidei actus, sine quibus potest esse baptismus, vt diximus. Et quanuis *Tertull. lib. 1. de bapt. c. 18.* dilationem baptismi dixerit vtiliorem esse pro conditione cuiusque personæ, & dispositione; *et Greg. Naz. or. 40. in S. baptisma* asserat differendum esse vsque ad triennium circiter; attamen locuti sunt in ijs temporum circunstantijs, in quibus periculum erat ob commixtionem infidelium infantes baptizatos ad infidelitatem perduci; ob hoc enim baptismus differebatur tunc temporis. Hoc spectâre videtur *Trid. sess. 7. can. 13. de bapt.* anathematizans eos, qui dicūt *præstare omitti infantium baptisma, quàm eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ.*

14 Tandem de sanctificatis in vtero conueniunt *omnes DD.* obligari ad baptismum ratione præcepti, quod vniuersaliter omnes comprehendit: *Docete omnes gentes baptizantes &c;* & ratione caracteris per baptismum imprimendi; & ratione remissionis totius pœnæ, quæ per baptismum relàxatur, vt constat; non autem constat, an per sanctificationem in vtero fit tota remissa?

15 Collig. parentes, & alios, quibus cura incumbit infantium, teneri ad baptizandos infantes, quamprimùm id fieri commodè possit; & hoc deducitur nedum ex consuetudine vniuersaliter iam recepta in Ecclesia, sed etiā *ex Trid. sess. 7. vbi s.* Adulti verò, cùm primùm sunt in rebus fidei sufficienter instructi, baptismū tenentur suscipere; vt animæ suæ securitati prospiciant. Quanuis enim, vt constat *ex dist. 4. de consecr. c. duo tempora, et c. catechismus* vigiliæ Paschatis, & Pentecostes pro baptizandis adultis institutæ fuerint; attamen ob imminentia pericula omni tempore infantes, & adultos baptizare Ecclesia consueuit; à qua consuetudine iam vniuersaliter introducta non licet ampliùs recedere.

16 Quæres 2; an baptismus ita omnium sacramentorum sit ianua, vt quælibet sacramenta ante baptismum suscepta sint inualida, & infructuosa?

Resp. *noster Faruacques hic c. 1. q. 3;* quòd sacramenta ante baptismum suscepta in vsu, & praxi vitæ Christianæ habenda sunt pro nullis, & irritis; quanuis merè speculatiuè, & præscindendo à praxi Ecclesiæ considerata, aliqua sint valida, & fructuosè suscepta; *nam*, vt inquit *Maldonat. lib. de extr. vnct. c. 1; quòd nullum sacramentum detur, nisi baptizato, non est ius Diuinum apertum, sed Ecclesiastica disciplina.* Hinc refert *Armacan. Hyberniæ Primatem lib. 9. c. 19.* sentire confirmationem datam ante baptismum va-

valere; nam *Ananias Act. 9.* imposuit manus *Saulo*, antequam baptizaretur; per impositionē autem manuum significatur confirmatio. Item *Dion. Alexandrinum apud Ruffinum lib. 7. hist. Eccl.* sensisse eucharistiam sumptam ante baptismum fructuosè fuisse. Idem sensisse *Maldonat. vbi s.* de extrema vnctione. Tandem idem tradidisse *Innoc. III. c. veniens de bapt.* de matrimonio. Neminem tamen hoc docere de pœnitentia; quia pœnitentia requirit iurisdictionem ministri in pœnitentem; in eum autem, qui non est baptizatus, nullam prorsus habet sacerdos iurisdictionem, ait enim *Apost. 1. Cor. Quid mihi de ijs, qui foris sunt, iudicare?* Tandem de ordine oppositum dici debet propter id, quod dicitur *c. veniens de presbit. non baptizato ex Conc. apud Compendium: Si quis in presbiterum ordinatus deprehenderit se non esse baptizatum, baptizetur, et iterum ordinetur.*

17 Verùm dicendum *cum Fund. Doct. Æg. in Hexam. p. 2. c. 41.* baptismum ita esse ianuam aliorum sacramentorum, vt sine illo vel in re, vel in voto salus esse non possit; quod intelligendum est de baptismo vel in re, vel in voto; sic enim est necessarius ad salutem extra martyriū, vt diximus; nam extra fidem Christi salus esse non potest; quapropter ait *Innoc. III. vbi s. quòd non solùm per sacramētum fidei, sed per fidem etiam sacramenti efficiatur procul dubio membrum Christi; et S. P. Aug. lib. 2. cont. Cresc. Gramm. c. 13. Baptismus est sacramentum nouæ vitæ, ac salutis æternæ*; ideo qui sine baptismo vel in re, vel in voto alia sacramenta reciperet, quia sine Christi fide, inualidè, & infructuosè susciperet. Præterea baptismus ita est ianua aliorum sacramentorum, quæ imprimunt caracterem, vt sine illo in re susceptо alia sacramenta caracterem non imprimant; nam vt docet *idem Fund. Doct. de Renunc. Papæ c. 10. p. 1. fol. 11. col. 4.* caracter impressus per baptismum est potentia ad recipiēdos alios caracteres; implicat autem aliquod recipi in alio, in quo non est potentia receptiua; ideo rectè *Pontifex, et Conc.* constituit, quòd ordinatus non baptizatus debet baptizari, & iterum ordinari; & sic dicendum de confirmatione; quæ, cùm sit perfectio, & firmatio baptismi, essentialiter baptismum in re susceptum supponit.

18 Ad illud *Act. 9.* dicitur non rectè exponi illam impositionem manuum pro confirmatione; apertè enim ait *scriptura* manus fuisse impositas, vt visum *Paulus* reciperet; confirmatio autem non est per ordinem ad sanitatem corporis, vt constat.

Q V Æ S T. III.

De effectibus baptismi.

DE effectibus baptismi plura diximus *de sacram. in com. q. 3; et 4;* quæ nunc breuiter explicanda sunt, nulla enim de ijs est controuersia inter catholicos; dissensio autem, quæ est cum hæreticis, *alibi* satis tractata est. Alia deinde ad baptismum specialiter attinentia superaddenda sunt dictis *vbi s.*

A R T. I.

Quinam sint effectus baptismi?

1 ORigenistæ *apud S. Epiph. hær. 64.* dixerūt præcipuum baptismi effectum esse tegere, non tollere peccatum, quod solùm tollitur post mortem. Hanc hæresim suscitarunt *Lutherocaluinistæ* asserentes peccata per baptismum non tolli simpliciter, nec in hàc vita, nec in alia, sed tantùm tegi, vt à Deo non imputentur. Hos reiecimus *sup. q. 1. art. 2; et de sacram. in com. q. 2. art. 1; & fusè to. 4. q. 4. de iustificat. art. 1. §. 1; & 2.*

2 Pelagiani, vt diximus *in sup. q. art. 9. n. 3; et tom. 4. q. 1. de fide art. 2. n. 6;* negarunt remissionem peccatorum, & regenerationem ad vitam æternam esse effectum baptismi. Idem postea docuerunt *Vvicleff, Zuingl; et alij* relati *vbi s. n. 4;* vbi illos retudimus.

3 *Vvicleff, Caluin; Kemnit; et alij* negauerunt caracterem esse effectum baptismi; quos reiecimus *de sacram. in com. q. 4. art. 1.*

4 *Alij*, vt refert *Estius hic dist. 4. §. 4; et 5;* negauerunt gratiæ infusionem esse effectum baptismi; dixerunt enim baptismum tantùm delere peccati chirographum, ac propterea operari solam peccatorum remissionem; in qua aliqui hæretici iustitiam hominis volunt consistere; nō autem gratiā sanctificantē, qua baptizati adoptantur in filios Dei, & transferuntur in Reguū Christi, & in hæreditatem æternam.

5 *Alij*, vt refert *Mag. hic*, putarunt non infundi paruulis gratiam, & virtutes, sed solùm caracterem; virtute cuius, postquam adoleuerint, gratiam, & virtutes acquirunt. Adultis tamen concedunt simul cum caractere etiam gratiam, & virtutes infundi.

6 *Alij* tandem, quorum mentio fit *in Conc. Vien. sub Clem. V; et c. maiores de bapt. sub Innoc. III.* dixerunt simul cum gratia habituali non infundi paruulis habitus virtutum Theologicarum, & moralium. Hanc sententiam tribuunt aliqui moderni S. P. *Aug;* vt diximus *to 4. de fide vbi s.*

vbi;; et alijs SS. PP. Demum *Mag.* docet in baptiſmo non infundi babitum charitatis, ſed ipsũ Spiritum Sanctum; de qno iam diximus *to. 4. de char.q.1.art.2. n.1; et locis ibid.cit.*

7 Noſtra ſententia docet effectus baptiſmi eſſe remiſſionem peccatorum, qua baptizati eruuntur à poteſtate tenebrarum, & captiuitate Diaboli, ſub qua tenebantur ob peccata; regenerationem ſpiritualem ad vitam æternam, ſeu interiorem renouationem veteris hominis in nouam creaturam, iuſtificationem, ſeu ſanctificationem, qua transferuntur in adoptionem filiornm Dei, in Regnnm Chriſti, & bæreditatem vitæ æternæ; reconciliationem, & infuſionem donorum, & virtutum. *Ita Fund. Doct. locis cit. vbi;; et in ep.ad Rom.lect.24.ſup.1: illud: Qui enim ſecundũ carnẽ; & in c. firmiter; & Quodl.2.q.28; & ſæpiſſimè alibi.* Hanc ſententiam communitet docent omnes catholici.

8 Vnica concl. Effectus baptiſmi ſunt remiſſio peccatorum, qua eruimur à poteſtate tenebrarum; & omnis pęnæ ſiue æternæ, ſiue temporalis, qua retardatur ingreſſus Regni Cœlorũ; non autem pęnæ corporalis, quæ ad agonem, & exercitium virtutum relinquitur; purgatio perſonæ in ſe ipſa à formali infectione, non autem purgatio naturæ ab infectione cauſali, & virtuali; regeneratio ad vitam ſpiritualem, ſeu interior renouatio, iuſtificatio, aut ſanctificatio, qua transferimur in Regnum Chriſti, in adoptionem filiorum Dei, & hæreditatem vitæ æternæ; Chriſti fraternitas, infuſio gratiæ ſanctificãtis, & aliorum donorum, ac virtutum moralium facta nedum adultis, ſed etiam paruulis; illuminatio mentis; libertas à ſeruitute peccati; omnia dona, & fructus Spiritus Sancti, qui per baptiſmũ infunditur; & tandem caracter, quo baptizatus, tanquam ſeruus Chriſti, inſignitur.

Prob. 1. pars concl. *ex Act. 2. Baptizetur vnuſquiſque veſtrum in remiſſionem peccatorum; & 22. Baptizare, & ablue peccata tua;* abluere autẽ idem ſignificat, quod remittere; *& ex Symb. Confiteor vnum baptiſmu in remiſſionem peccatorum; & ex Conc. Flor. in decr. vnionis Armen. Huius ſacramenti,* baptiſmi nempe, *effectus eſt remiſſio omnis culpæ originalis, & actualis, omnis quoque pœnæ, quæ pro ipſa culpa debetur; & Trid. ſeſſ.5. can.3. Si quis per Ieſu Chriſti Domini noſtri gratiam, quæ in baptiſmate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam non tolli totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet, ſed illud dicit tantùm radi, aut non imputari, anathema ſit.* Et *ex S. P. Aug. in Enchir. c. 64.* habetur; quod *baptiſmatis munere fit magna indulgentia, vnde incipit hominis renouatio, in qua ſoluitur omnis reatus, & ingeneratus,* idèſt peccatum originale, *& additus,* idèſt peccatum perſonale; *& lib.4. de Trin. c. 17. In baptiſmo fit renouatio remiſſione omnium peccatorum; neque enim vel vnum quantulumcumque remanet, quod non remittatur.* Idem docet *S. S. Hier. ep. 83. ad Ocean; D. Ambr. præfat. in pſ. 118; D. Cypr. ep. ad Iubaian; & communiter alij SS.PP.* Ratio eſt. Cum regeneratione, ſeu reſurrectione ad vitam eſt incompoſſibilis mors; quæ eſt vitæ priuatio; nihil enim magis repugnat, quàm ſimul eſſe, & non eſſe; ſed in baptiſmo regeneramur, & reſurgimus ad vitam ſpiritualem, vt docet *Apoſt. ad Tit. 3;* vbi vocat baptiſmum *lauacrum regenerationis, & renouationis; & Rom. 6;* vbi inquit, quòd ſicut conſepulti ſumus per baptiſmnm cum Chriſto; ita cum illo reſurgimus; ergo cnm baptiſmo incompoſſibile eſt omne peccatum, quòd eſt animæ mors; & ideo per ipſum omne peccatum remittitur. *Vid. alias rationes to.4.q.4. de iuſtificat. art.3; & 4.*

9 Prob. 2. pars concl. *ex Rom. 5. Per peccatum mors, & in omnes homines mors pertranſijt; & 8. Corpus quidem mortuum eſt propter peccatum, ſpiritus autem viuit propter iuſtificationem;* quibus verbis docet *Apoſt.* mortem, quæ eſt pœna originalis peccati iuxta ſententiam à Deo contra primum hominem latam *Gen. 2: Morte morieris;* manere etiam poſt iuſtificationem in baptiſmo conſecutam; hæc tamen pœna non impedit, neque remoratur animam ab ingreſſu Regni Cœlorum ita, vt ſi quis immediatè poſt baptiſmum moreretur, beatitudinis æternæ ſtatim particeps fieret; vt ſtatuit *Flor. vbi ſ; et Trid. ſeſſ.5. can. 5.* Vnde *S.P. Aug. lib. 3. cont. Iul. c. 6.* duplicem pœnam temporalem diſtinguit; aliam ſubſtinendam in futuro ſæculo in Purgatorio, antequam ad gloriam beatorum tranſeamus; & hæc retardat Dei viſionem; & ab hae abſoluit baptiſmus; aliam tolerandam in hac vita præſenti; vt eſt mors, febris, fames, ſitis, morbus, & aliæ huius vitæ miſeriæ; & ab bis non abſoluit baptiſmus; quoniam in baptiſmo fit plena remiſſio ita, vt nihil poſt hanc vitam luendum remaneat; vt repetir *lib. 6. cont. eundem Iul. c. 4; et lib. 1. de pecc. merit. c. 2; et lib. 2. c. 28; et lib. 22. de Ciu. Dei c. 14; et 15; et in pſ.84; et in Io. tract. 79; et 124; et ſæpiſſimè alibi.* Hinc conſuetudo Eccleſiæ, quam innuit *Trid. ſeſſ. 6. c. 14;* eſt, vt in baptiſmo nulla imponatur pœnitentia pro pœna ſatisfacienda poſt hanc vitam; ſicut imponitur in ſacramẽto pœnitentiæ, quia in ſacramento pœnitentiæ non tota pœna, ſicnt in baptiſmo, remittitur. Ratio autem, quare in baptiſmo non relaxentur etiam pęnalitates temporales, quæ in hac vita tolerantur propter peccatum originale, traditur à *S.P. Aug. in ſuppl. cont. Iul. lib. 2. c. 94. Vt augeatur fidei merces, quæ mala præſentia piè tolerat, et bona futura promiſſa non videns patienter, et fideliter expectat.* Formatur autem ſic ratio. Chriſtus paſſus eſt mortem, aliaſq; temporales huius vitæ miſerias, vt nobis gloriam mereretur; & reſurrexit nihil ampliùs paſſurus in vita immortali; ſed in baptiſmo aſſimilamur Chriſto morienti, & reſurgenti, vt docet *Apoſt. Rom. 6;* ergo in baptiſmo non relaxantur pęnalitates huius vi-

tæ, quæ sunt effectus peccati originalis, & tolerantur, vt gloriam mereamur, sed tantùm remittuntur pœnæ temporales, quæ post hanc vitam ad tempus sunt subeundæ, antequam gloriæ possessio habeatur.

10 Prob. 3. pars *ex Fund. Doct. epist. ad Rom. vbi s. dubit. vlt.* Purgatio infectionis formalis est, qua persona mundatur formaliter in se ipsa, ne in se ipsa peccati maculam habeat; purgatio verò causalis, seu virtualis est, qua purgatur natura, ne alios generet peccati macula infectos; vt Sol, quamuis in se ipso non sit formaliter calidus, producit tamen res in se ipsis formaliter calidas; aqua verò, quoniam nec formaliter, nec virtualiter, seu causaliter est calida, ideo nedum non habet calorem formaliter, seu formā caloris in se, sed nec etiam calorem in alio potest producere; ita ille dicitur purgatus à peccato formaliter tantùm in se, qui non habet in se maculam peccati; potest tamen maculam peccati producere in alio; ille verò dicitur purgatus formaliter, & causaliter, qui nec peccatum habet in se, nec illud causat in alio; sed baptismus tollit maculam peccati originalis formaliter in ipso baptizato, ne illam habeat in se; non tamen tollit illam causaliter, ne per generationem illā trāsfundat in alios, quia actus generationis carnali concupiscentia est infectus; non autem à concupiscentia purgatus; cuius rei triplex aliud exemplum attulimus *ex S. P. Aug. to. 4. q. 2. de pecc. orig. art. 1. n. 23*; quapropter à parentibus sanctis, & mundis nascuntur filij peccato originali infecti, quia licèt mundi, & sancti sint in se ipsis formaliter, non tamen sancti, & mundi sūt causaliter, seu virtualiter; ergo baptismus purgat tantùm personam in se ipsa formaliter, non autem purgat naturam causaliter.

11 Prob. 4. pars *ex ep. ad Tit. 3. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, et renouationis; et 1. Cor. 6. Sed abluti estis, sed sanctificati estis; sed iustificati estis; et Io. 3. Nisi quis renatus fuerit etc.* quibus verbis *Apostolus* expresse declarat, quòd baptismus remittendo peccata efficit, vt regeneremur, renouemur, renascamur ad nouam vitā spiritualem, sanctificemur, & iustificemur; & ideo in filios, & hæredes Dei adoptemur; inquit enim *Rom. 8. Accepistis spiritum adoptionis filiorum;* & mox: *Si autem filij, et hæredes*; quia regeneratio secundùm spiritum est adoptio in filium, & hæredem; sicut generatio secundùm carnem filiationem, & hæreditatem naturalem importat; ergo regeneratio ad vitam spiritualem, renouatio interior veteris hominis in nouam creaturā, sanctificatio, iustificatio, adoptio ad filiationem Diuinam, & hæreditatem Regni Celestis sunt effectus baptismi. Tum quia remissio peccatorū non fit formaliter nisi per ipsam sanctificationem, renouationem &c; est enim terminus *à quo* incipit ipsa sanctificatio, renouatio &c; vt docet *S. P. Aug. in Enchir. c. 64*; vt *sup.* diximus: *In baptismo fit magna indulgentia, vnde incipit hominis renouatio*; indulgentia autem, & remissio idem est; sicut enim remissio frigoris formaliter non fit, nisi per calorem; quia remissio frigoris est terminus *à quo* incipit formaliter calor; ita remissio peccatorum formaliter non fit, nisi per sanctificationem, renouationem &c. quia remissio peccatorum est terminus, à quo formaliter incipit sanctificatio, renouatio &c; ergo sicuti effectus ignis calefacientis nedum est remissio frigoris, sed etiam calefactio; ita effectus baptismi nedum est remissio peccatorum, sed etiā regeneratio, sanctificatio, renouatio interior &c. *Vid. to. 4. q. 4. de iustificat. art. 3*; vbi *alijs textibus scripturarum, et Trid.* hæc veritas demonstratur.

12 Prob. 5. pars ex illo *1. Cor. 15. Per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum. Sicut in Adam omnes moriuntur; ita et in Christo omnes viuificabuntur;* sup. quod *S. P. Aug. lib. 1. cont. Iul. c. 6.* inquit: *Omnino et paruulorum Saluator est Christus. Omnino, nisi ab illo redimantur, peribunt.* Ex quo sic arguitur: Intantùm adulti viuificantur in baptismo per Christum, in quantùm non solùm remittuntur eis peccata, sed etiā regenerantur, renouantur interiùs, sanctificantur, iustificantur, adoptantur &c. per internam gratiæ infusionem, vt diximus; sed etiam paruuli viuificantur in Christo; vt docet *Apost*; aliter Christus non esset paruulorum, & ideo non esset omnium Saluator; ergo paruulis nedum remittuntur peccata, sed etiam regenerantur, renouantur, sanctificantur &c. Tum quia ipsa remissio peccati originalis non fit, nisi per gratiā regenerantem, interiùs renouantem, vt diximus; sed paruulis in baptismo remittitur peccatum originale; ergo regenerantur, renouantur &c. Præterea *S. P. ibid.* refert decem effectus baptismi *ex D. Io. Chrisostom. hom. ad Neophytos* referentis, & refellentis sententiam asserentium gratiam baptismalem conferre paruulis tantùm remissionem peccatorum his verbis: *Ecce libertatis serenitate perfruuntur, qui tenebantur paulò ante captiui, & ciues Ecclesiæ sunt, qui fuerunt in peregrinationis errore; & iustitia in sorte versantur, qui fuerunt in confusione peccati. Non enim tantùm sunt liberi, sed & sancti; non tantùm sancti, sed & iusti; non solùm iusti, sed & filij; non solùm filij, sed & hæredes; non solùm hæredes, sed & fratres Christi; nec tantùm fratres Christi, sed & cohæredes; non solùm cohæredes, sed & membra; non tantùm membra, sed & templum; non tantùm templum, sed & organa Spiritus Sancti: Vides, quòt sunt baptismi largitates; & nonnulli deputant cælestem gratiam in peccatorum tantùm remissione consistere. Nos autem honores computauimus decem. Hac de causa etiam infantes baptizamus.* Tandem in baptismo datur Spiritus Sanctus, vt habetur *Io. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto*; sed per Spiritum S. habetur sanctificatio; nam Spi-

ritus

ritus S. *Rom.* 1. vocatur *Spiritus sanctificationis*; ergo idem.

13 Prob. 6. pars iisdem ferè *textibus*, & rationibus, nam paruulis nequit remitti peccatum originale, nisi regenerentur, renouentur, sanctificentur &c; nequeunt autem regenerari, renouari, sanctificari &c; nisi per infusionem gratiæ interiùs afficientis, regenerantis, renouantis, sanctificantis &c; nequit tandem infundi paruulis gratia regenerans, renouans, & sanctificans, nisi proprietates illius simul infundantur; cùm proprietates sint inseparabiles ab essentia, cuius sūt proprietates; proprietates autem gratiæ sanctificantis sunt dona, & virtutes; ergo paruulis in baptismo infunditur gratia remittens peccata, regenerans ad nouam vitam simul cum donis, & virtutibus. Præterea *in Conc. Vien. constitut*; quæ habetur *in Clementinis tit. de Summa Trin; & fide catholica* dicitur: *Opinionem, qua dicit tam paruulis, quàm adultis conferri in baptismo informantem gratiam, & virtutes, tanquam probabiliorem, & dictis sanctorum, & doctorum modernorum Theologiæ magis consonam, & concordem sacro approbante Concilio duximus eligendam.* Quibus declaratur hanc sententiam *à Concilio* fuisse approbatam. Præterea *Trid. sess. 6. c. 7.* re diligentiùs examinata definiuit: *In ipsa iustificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum Dominum nostrum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem; & can.* 11. damnantur, qui dicunt *hominem iustificari sola peccatorum remissione, exclusa gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum diffundatur, aut illis inhæreat.* Accedit *S. P. Aug. in suppl. cont. Iul. lib. 1. c. 53; & in ps.* 55; quæ loca expendimus *to. 4. de fide q. 1. art. 2.* Idem tradit *S. P. lib. 1. de pecc. merit. c. 9; 19; & 20; & lib. de grat. et lib. arb. c. 22; et ep. 23; et lib. 3. c. 2;* vbi docet; quòd sicut spiritus iustitiæ eorum, per quos renascuntur, traijcit in paruulos fidem; ita illi, per quos nascuntur, traijcunt in eos peccatum, quod propria voluntate committere non possunt; sicut autem parentes traijciunt in paruulos peccatum originale, quod est quodammodò habituale, & intrinsecum paruulis; ita traijciunt fidem habitualem, quæ est ipsis paruulis intrinseca; *et* 107; cui consonat *D. Prosper. lib. 1. de vocat. gent. c.* 18. docens *originem veræ iustitiæ in regenerationis sacramento positam esse, vt vbi homo renascitur, ibi etiam ipsarum virtutum veritas oriatur;* quia scilicet proprietates infunduntur simul cum eo, cuius sunt proprietates, vt diximus; sed dona, & virtutes sunt proprietates gratiæ sanctificantis, quæ per illas operatur; ergo simul cum illa infunduntur.

14 Prob. 7. pars ex Hebr. 6; vbi baptizati *illuminati* dicuntur; quapropter *D. Dion. de Eccl. Hier. c. 2.* vocat baptismum *sacramentum illuminationis; & S. P. Aug. ep. 23.* vocat *sacramentum fidei; & tract. 44. in Io.* appellat fidem *illuminationem* inquiens: *Si enim cæcitas est infidelitas, & illuminatio fides;* in baptismo autem infunditur fides; ideo vocatur *sacramentum fidei, & illuminationis;* quia fides illuminat mentem, vt Deum cognoscat, & amet per charitatem simul cum fide in baptismo collatam. Ceteri autem effectus oriuntur ex alijs; ut libertas à seruitute oritur ex remissione peccatorum; filiatio adoptiua, fraternitas Christi, & hæreditas Regni oriuntur à regeneratione ad vitam spiritualem; ex qua pariter sequitur esse membrum Christi, esse habitaculum, templum, & organum Spiritus Sancti.

15 Omnes tamen isti effectus (exceptis donis, & virtutibus) non distinguuntur realiter inter se, sed tantùm secundùm munera; vt expressè docet *S. P. Aug. in suppl. vbi sup.*

16 Præterea etiam effectus aliorum sacramentorum dicuntur quodammodò effectus baptismi; non quidem quia sola recordatione baptismi remittantur omnia peccata etiam post baptismum commissa; vt blasphemauit *Caluin*; quem damnat *Trid. sess. 7. de bapt. can.* 10; sed quatenus baptismus est initium, & radix cæterorum; & cætera ante baptismum suscepta non prosunt; vt docet *S. P. Aug. lib. 1. de nupt. c. 33; & lib. 4. cont. duas ep. Pelagian. c. 7; & c. 50;* vbi omnem sanctificationem, quæ habetur etiam per sacramenta, post susceptionem baptismi, baptismo tribuit, tanquam initio, & radici illorum sacramentorum; non tanquam causæ proximæ, & immediatæ.

17 Prob. vlt. pars concl. ex dictis *de sacram. in tom. q. 4. art. 2;* ubi ostendimus *ex Scripturis, Conc; & SS. PP.* baptismum imprimere caracterem, quo baptizati recipiunt Regale signum, simpliciter indelebile, quo discernuntur, tanquam serui Christi, ciues Ecclesiæ, & domestici Dei; & quo possunt participare ea omnia, quæ sunt communia toti fidelium congregationi; vt docet *D. Dion. de Eccl. Hier. c. 2. p. 3.* inquiens: *Deus in quodam signo tradit sui participationem accedenti ad baptismum perfitiens eam Diuinum, & participatorum Diuinorum.* Exemplificat *S. P. Aug. lib. 2. cont. ep. Parmen. c. 13; & alibi* de caractere militari, quo miles vnius Regis secernitur à militibus alterius, etiamsi fit apostata, & rebellis à Rege. *Vid.* cætera, quæ diximus *vbi sup.* de caractere baptismali quantùm ad indelebilitatem, & distinctionem ab alijs caracteribus.

18 Obijc. 1. cont. 6. part. concl. *Apost. Rom.* 10. inquit: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi;* sed infantes non sunt capaces audiendi; non enim habent vsum sensuum; ergo neque fidem in baptismo recipiunt; & per consequens nec alias virtutes sequentes ad fidem, & charitatem, quæ pariter fidem consequitur. 2. *D. Hier. lib. 1. cont. Pelag.* inquit: *Baptismus vetera peccata conscindit, nouas virtutes non tribuit;* ergo idem. 3. *S. P. Aug. innumeris in locis* docet paruulos vocari fideles vel propter fidem alienam, scilicet gestantium ipsos ad baptismum, aut Ec-

clesiæ;

clesiæ; ut *lib.* 1. *de pecc.merit. c.*19. inquit fideles vocari, *quia fidem per verba gestantium quodammodò profitentur*; vel quia sacramentum fidei eis confertur; ut *ep.*23; & *lib.*1.*de pecc.merit.c.*27; ubi ait: *Quis autem nesciat credere esse infantibus baptizari, non credere autem non baptizari*? ergo idem. 4. Paruuli, cùm adoleuerint, neque actu credunt, nec actus aliarum virtutum eliciunt; nisi edocti fuerint ea, quæ sunt fidei, & circa quę aliæ virtutes versantur; ergo non habent habitus fidei, vel aliarum virtutum.

Resp. has, & similes obiectiones procedere de fide actuali, seu de actu fidei, qui à voluntate credentis elicitur; non de fide habituali, quæ consistit in quadam qualitate sopita, & quiescente, quæ qualitas constituit quidem habitualiter credentem, & fidelem; nequit tamen in actum exire, nisi accedente sensuum ministeriò, & externa doctrina. Ad 1. igitur dicitur *Apost.* manifestè loqui de actu fidei, qui nequit elici ab habitu, nisi accedente instructione, quæ fit per sensum auditus; constat enim habitum fidei infundi à Deo, non autem gigni per auditum; ergo præter habitum aliud, nempe auditus, requiritur. Ad 2. dicitur *D.Hier.* loqui de virtutibus secundùm instructionem, non secundùm habitus. Ad 3. dicitur *S. P. Aug.* loqui de fide actuali; de fide autem habituali loquitur *locis sup.cit.* Ad 4. neg.cons. nam ad eliciendum actum fidei præter habitum requiritur instructio, & doctrina per sensum auditus, ut diximus. *Vid.to.*4. *vbi sup.*

19 Quæres, quid conferat baptismus homini iam sanctificato vel in utero matris, vel per contritionem?

Resp. sex conferre; scilicet caracterem baptismalem; gratię augmentum; remissionem peccatorum, si quæ fortè post sanctificationem commissa sunt; plenam remissionem pœnæ temporalis, securitatem remissionis peccatorum, de qua nequit homo esse certus per contritionem; & visibilem incorporationem corpori mystico Corporis Christi, quod est Ecclesia.

ART. II.

Quæ dispositio requiratur ad recipiendam gratiam baptismalem vel in baptismo, vel post baptismum infructuosè susceptum?

1 Supponimus ex dictis *de sacram. in com. q.*6.*art.*2. baptismum infructuosè, & validè susceptum, scilicet cum intentione quidem recipiendi baptismum, sed cùm affectu ad peccatum, tunc enim validè recipitur baptismus, quia producit aliquem effectum in baptizato, nempe caracterem, sed infructuosè, quia non recipit gratiam regenerantem, quæ est alter effectus baptismi; supponimus, inquam, baptismum validè, & infructuosè collatum causare gratiam remoto peccato, quod est obex gratiæ productionem impediens; nam ut *ibid.* dicebamus, cùm per pœnitentiam retractatur peccatum, infunditur gratia regenerans, quæ, cùm sit effectus proprius baptismi, nequit, nisi à baptismo causari. Neque obstat, quòd unum sacramentum, licèt non possit per se producere effectum propriũ alterius sacramenti, potest tamen per accidens illum producere, ut diximus *vbi sup. q.*3. *art.*2. Non obstat, inquam; nam intantùm pœnitentia potest producere gratiam regenerantem, quæ est effectus proprius baptismi; inquantùm quis credens se esse baptizatum, accedit ad sacramentum pœnitentiæ, virtute cuius delentur peccata, & per accidens recipit gratiam regenerantem; at in hoc casu accedens ad pœnitentiam habet sacramentum baptismi in voto; ita enim accedit, ut si sciret se baptizatum non esse, vellet baptizari; & in virtute huius voti baptismi, quod est baptismus flaminis, producitur gratia regenerans; unde non ipsa pœnitentia, sed baptismus illam producit. Hoc verificatur de quolibet causa producente per accidens aliquem effectum; non enim per suam virtutem illum producit, sed tantùm est causa, ob quam alia causa illum producit. Sic eucharistia, cùm delet peccata mortalia, auget attritionem, & ex attrito facit contritum, & virtute contritionis, quæ includit pœnitentiam in voto, illa remittit; & sic dicitur causare primam gratiam per accidens, idèst non per se ipsam, sed ratione alterius, cuius ipsa est causa; secus si per suam virtutem causaret, per se, non per accidens, causaret; causare enim per se est causare per suam virtutem; & causare per accidens est causare per virtutem alterius. Hoc igitur supposito quærimus, quænam dispositio requiratur ante actualem susceptionem baptismi, vel post baptismum validè, & infructuosè susceptum; & sermo est de adultis; nam de paruulis certum est nullam in ipsis dispositionem prerequiri, cuius sunt incapaces ad hoc, ut fructum, idèst gratiam à baptismo causatam recipiant.

2 Dupliciter baptismus potest gratiam non producere. 1. Quando deest dispositio ex parte recipientis, inculpabiliter tamen, ut v.g. cùm aliquis inculpabiliter ignorans attritionem esse necessariam ad recipiendum sacramentum baptismi, baptizatur, ut posset contingere inter infideles, cùm plures baptizantur, quibus posset se immiscere aliquis sufficienter non catechizatus. 2. Quando aliquis accedit ad baptismum cum affectu positiuo ad peccatum mortale; vel in ipso actu collationis baptismi elicit actum intentionis adulterandi. Et hoc dupliciter potest intelligi; vel ita, ut post baptismum nulla alia peccata mortalia committat; vel ut alia peccata mortalia committat.

3 *Caiet. apud Estium hic dist.*4. §.10. censuit indifferentiam voluntatis, ut est in homine infideli

deli

deli dormiente, qui de baptismo nihil unquam audiuit, sufficere ad hoc, ut baptismus suos causet effectus, quia *ex Innoc. III. c. maiores de baptismo* habetur satis esse, si baptismus non inueniat obicem contrariæ, seu actu repugnantis voluntatis.

4 *Paludan. in 4. dist. 4. q. 1. n. 14.* probabile reputat, quod ad tollendam fictionem sacrilegam in baptismo commissam, & peccata post baptismum patrata sufficit sola attritio vniuersalis etiam extra sacramentum pœnitentiæ.

5 Communis tamen sententia docet, quòd sicuti ad valorem baptismi requiritur in ministro intentio faciendi, quod facit Ecclesia; ita ad hoc, ut baptismus conferat caracteris effectum, requiritur in suscipiente voluntarius consensus, seu intentio vel actualis, vel virtualis, uel saltem habitualis recipiendi baptismum, qui fit in Ecclesia; & ad hoc, ut causet gratiam regenerantem, requiritur saltem attritio præcedens; quæ sufficit per se sola etiam extra sacramentum ad tollendum defectum sui ipsius inculpabilem; non tamen sufficit ad tollendum sacrilegium in baptismo uoluntariè commissum, uec ad tollenda peccata post baptismum infructuosè susceptum patrata; sed requiritur uel contritio extra sacramentum cum uoto eiusdem sacramenti; uel attritio in sacramento. Ita communiter *omnes DD*; & deducitur *ex Fund. Doct. Æg. locis cit. de sacram in com. q. 3. art. 2; & q. 6. art. 1.*

6 Vnica concl. Ad hoc, ut baptismus producat caracterem, & ualidè conferatur, requiritur, quòd nedum minister habeat intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, sed etiam quòd baptizatus habeat intentionem vel actualem, vel virtualem, vel saltem habitualem aliquo modo voluntariam recipiendi, quod fit in Ecclesia; & ad hoc, vt producat gratiam regenerantem, & fructuosè conferatur, prærequiritur in baptizato adulto saltem attritio; quæ post infructuosam receptionem sacramenti validè collati, inculpabilem tamen, per se sola sufficit etiã extra sacramentum pœnitentiæ; non tamen sufficit ad tollendam susceptionem sacrilegam voluntariè commissam, nec ad tollenda peccata patrata post baptismum infructuosè susceptum; sed requiritur necessariò vel attritio in sacramento, vel contritio extra sacramentum cum voto sacramenti pœnitentiæ.

7 Concl quoad 1. part. probata est *vbi sup. q. 6. art. 1*; habetur enim expresè *c. maiores de bap*; vbi dicitur, quòd licèt illi, qui terroribus, minis, plagis, & supplicijs compellũtur ad baptismum, ne detrimentum incurrant, baptismum suscipiant, caracterem Christianitatis impressum recipiunt, quia non omnino inuiti, & coacti, sed saltem conditionaliter, licèt non absolutè, voluntariè; est enim voluntarium mixtum cum inuoluntario, & voluntarium mixtum plus habet de voluntario, quàm de inuoluntario, vt diximus *to. 3. q. 2; de voluntar. art. 4*; ac propterea isti cogendi sunt ad obseruandam fidem Christianam; vt habet *Conc. Toletan. IV. can. 35*; attamen amentibus, & dormientibus, si priusquam amentiam, aut somnum incurrerent, in contradictione persisterent, quia in eis contradictionis propositum intelligitur perdurare, caracterem baptismi non recipiunt; secus autem, si priùs catechumeni extitissent, & baptismi propositum habuissent. Quibus vltimis verbis expresè requirit Pontifex intentionem suscipiendi baptismum, vt baptismus caracterem producat. Rationem autem priùs dederat; nam si inuiti, & nullo modo consentientes susceptioni baptismi reciperent caracterem, possent ad obseruantiam fidei Christianæ compelli, essent enim intra Ecclesiam, & ideo illius iurisdictioni subderentur; sed est contra regulam Christianæ religionis ab Apostolis traditam compellere inuitos, reluctantes, & non voluntariè consentientes, vt sunt infideles, qui de fide Christi nihil vnquam audierunt, ad obseruandam fidem Christianam, habet enim *Apost. 1. Cor. 5. Quid mihi de ijs, qui foris sunt, iudicare*; Christus namque instituit sacramenta, ut humanis actibus perficerentur tam ex parte ministri, quàm ex parte suscipientis; ergo inuiti, & nullo modo consentientes non recipiunt caracterem baptismi; & per consequens ad hoc, vt baptismus caracterem producat, requiritur in suscipiente aliqualis voluntarius consensus; sicut requiritur intentio in ministrante, vt diximus *vbi sup. q. 5. art. 2. Vid. vtrobique.*

8 Prob. 2. p. concl. *ex Act. 2*; vbi dicitur, quòd *viri Israelitæ*, qui audierant *Petrum, compuncti sunt corde*, antequam baptismum susciperent; & tunc *Petrus* dixit: *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in remissionem omnium peccatorum vestrorum*, quibus verbis expresè docuit pœnitentiam, seu attritionem debere adultos ad baptismum præmittere. Super quod *Siricius Papa de consecr. dist. 4. c. 2.* propriè ait *Petrum Apostolum trium millium populum sua prædicatione conuersum lauacro baptismatis consecrasse, & c. 95. agunt ex S. P. Aug. Agunt homines ante baptisma pœnitentiam de prioribus peccatis ita, tamen, vt etiam baptizentur; & Trid. sess. 6. c. 6. Mouentur aduersus peccata per odium aliquod, & detestationem, hoc est per eam pœnitentiam, quam ante baptismum agi oportet*. Quanuis autem contritio, quæ charitate perficitur, deleat peccata etiam ante actualem susceptionem sacramenti; attamen attritio imperfecta, quæ dicitur attritio, sufficit ad recipiendum sacramentum, vt docet *Trid. sess. 14. c. 4*; quia sacramentum sanat defectum doloris; ex attrito enim facit contritum; vt docet *Fund. Doct. de Laud. Diuinæ Sap. c. 10*; ergo ante susceptionem baptismi necessaria est saltem attritio; sicut requiritur ad sacramentum pœnitentiæ, quæ secundus baptismus vocatur; non enim magis requiritur ad primum, quàm

quàm ad secundum. Ratio est. Ad hoc, vt baptismus conferat gratiam, debet remoueri obex ad gratiam; nam sacramenta solùm conferunt gratiam non ponentibus obicem, vt docet *Trid*; sed sola contritio perfecta, vel imperfecta, quæ attritio dicitur, tollit obicem ad gratiam, quæ per baptismum confertur; obex enim ad gratiam est affectus ad peccatum, qui tollitur per detestationem, seu dolorem, in quo contritio perfecta, & imperfecta consistit; ergo saltem attritio prærequiritur ad recipiendam gratiam, quæ per baptismum confertur.

9 Prob. 3. p. *cont. Palud.* Ad hoc, vt baptismus contulisset gratiam, fuisset sufficiens sola attritio extra sacramentum pœnitentiæ; ergo etiam post baptismum susceptum sufficit sola attritio extra sacramentum pœnitentiæ, quia per ipsam remouetur obex, ob quem baptismus gratiam non contulit. Tum quia in tantùm esset necessaria attritio in sacramento pœnitentiæ, in quantùm darentur peccata expianda per pœnitentiam; non enim est necessaria pœnitentia per ordinem ad delenda illa peccata, quæ per ipsam non delentur; sed in hipothesi, quòd quis non recepisset gratiam in baptismo ob defectum attritionis inculpabiliter omissæ, non darentur peccata expianda per sacramentum pœnitentiæ; nullum enim daretur peccatum commissum post baptismum, quia ipsa omissio non esset peccatum; aliter non esset inculpabilis; & supponitur nullum aliud esse peccatum commissum post baptismum; sola autem peccata commissa post baptismum expianda sunt in sacramento pœnitentiæ; ergo in hipothesi non esset necessaria attritio cum sacramento pœnitentiæ; sed ipsa sola extra sacramentum sufficeret.

10 Prob. 4. p. *ex Trid. sess. 14. c. 4; & sess. 6. c. 14.* docente: *Etenim pro ijs, qui post baptismum in peccata labuntur, Christus Iesus sacramentum instituit pœnitentiæ, cùm dixit: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Ex quo sic. Per pœnitentiam necessariò sunt remittenda illa peccata, quæ sunt post baptismum commissa; instituta enim fuit ad remittenda peccata, in quæ homines post baptismum labuntur; quapropter, ut innuit *Trid. vbi sup. can. 2; à SS. PP.* vocatur *secunda post naufragium tabula*, quia solùm per ipsam à naufragio peccatorum post baptismum commissorum possumus liberari ita, vt sine sacramento pœnitentiæ vel in re, vel in voto illa nequeant remitti, ut docet *idem Conc*; sed in casu darentur peccata mortalia post susceptionem baptismi commissa, & ipsum sacrilegium in baptismo patratum numerandum esset inter peccata post baptismũ commissa, quia baptismus non habet remittere, nisi ea peccata, quæ ipsum præcedunt; illud autem sacrilegium non præcedit baptismum, sed in ipsa actuali susceptione baptismi committitur, & aliquandiu durat post baptismum; ergo in casu esset necessaria attritio in sacramento pœnitentiæ, in quo accusari deberent illa tantùm peccata delenda per pœnitentiam, nempe sacrilegium commissum in sacramento baptismi, & peccata post baptismum patrata, quæ delerentur virtute sacramenti pœnitentiæ; non autem essent confitenda peccata ante baptismum commissa, nec pro eis aliqua satisfactio esset iniungenda, sicuti iniungi deberet sacrilegio, & peccatis in baptismo, & post baptismum patratis; peccata enim ante baptismum commissa virtute baptismi delerentur, per quem omnis culpa, & omnis pœna remittitur. Expressè hoc docet *S. P. Aug. lib. 7. cont. Donatist. c. 53*; vbi loquens de eo, qui fallaciter baptismum recepit, inquit: *Si postea prodatur, nemo repetit, sed aut excommunicando punitur, aut pœnitendo sanatur*. Quibus verbis ostendit sacrilegam susceptionem baptismi subijciendam esse clauibus Ecclesiæ, quibus vel retinentur peccata, vel remittuntur virtute pœnitentiæ, iuxta verba Christi Domini *Io. 20.* Idem docet *ibidem lib. 1. c. 12*; vbi fictionem in baptismo commissam, & peccata post baptismum patrata ait per sacramentum reconciliationis dimitti. Tandem quamuis attritio extra sacramentum sufficiat ad remouendum obicem, ob quem baptismus non contulit gratiam, quia remouet affectũ ad peccatum mortale; attamen non sufficit extra sacramentum pœnitentiæ ad delenda peccata in baptismo, & post baptismum commissa; requiritur enim contritio perfecta charitate, vt docet *Trid. vbi sup. sess. 14. c. 4*; sed peccata nedum ante, sed etiam post baptismum commissa sunt obex ad gratiam conferendam per ipsum baptismum; ergo quamuis attritio extra sacramentum pœnitentiæ remoueret obicem in baptismo existentem, & ad baptismum præsuppositum; quia tamen non remoueret obicem exortum in baptismo, & post baptismum, quia non remoueret peccata in baptismo, & post baptismum commissa, ideo baptismus gratiam non conferret; quia nequit remitti vnum peccatum sine alio; neque gratia, quæ confertur in baptismo, potest stare simul cum peccatis post baptismum commissis, aliter baptizati nunquam amitterent gratiam in baptismo receptam, cùm mortaliter peccant, quod est hæreticum. Prob. ampliùs ma. Neque attritio extra sacramentum pœnitentiæ, neque ipse baptismus valent ad remittenda peccata in baptismo, & post baptismum commissa, aliter attritio valeret etiam ad remittenda peccata post baptismum commissa virtute baptismi dignè suscepti; si enim valeret virtute baptismi indignè suscepti, multò magis valeret virtute baptismi dignè suscepti, qui continet gratiam, quam ille non continet, virtute cuius remittuntur peccata; cons. autem est *cont. Trid. vbi sup.* Sic si baptismus indignè susceptus valeret ad remittenda peccata in baptismo, & post baptismum commissa vi solius attritionis; multò magis

gis id valeret baptismus dignè susceptus cum sola attritione, quod pariter est *cont. Trid*; aliter non esset necessarium sacramentum pœnitentię; possent enim sine ipso peccata post baptismum commissa deleri cum sola attritione extra sacramentum pœnitentiæ, cuius oppositum definit *Conc. vbi sup. sess. 14. c. 2.* dicens: *Est autem sacramentum pœnitentiæ lapsis post baptismum ad salutem necessarium, vt nondum regeneratis ipse baptismus*; ergo quanuis attritio remoueat obicem ad gratiam præsuppositum ante baptismum; non tamen remouet nouum obicem ortum in baptismo, & sequentem ad baptismum. Mi. prob. Gratia per baptismum collata non minùs repugnat esse cum peccatis ante baptismum commissis, quàm cum peccatis post baptismum commissis; nam peccatum tam ante, quàm post baptismum commissum est mors animæ, quæ repugnat esse simul cum gratia per baptismum collata, quę est animæ vita; regenerat enim ad vitam spiritualem; sed illud, quod repugnat cum gratia per baptismum conferenda, est obex ad illam; ergo peccata nedum ante, sed etiam post baptismum commissa sunt obex ad gratiam conferendam per ipsum baptismum; & ideo nisi tollantur per attritionem in sacramento pœnitentiæ, vel per contritionem extra sacramentum, baptismus nequit gratiam regenerantem conferre; qua baptizatus transferatur à morte originalis peccati ad spiritualem animæ vitam.

11 Obijc. 1. cont. 1. part. concl. *S. P. Aug. tract. 26. in Io.* inquit: *Accipere quisquam potest sacramentum nolens; credere non potest, nisi volens*; ergo ad hoc, vt baptismus suum operetur effectum, non requiritur voluntaria intentio illum suscipiendi. 2. *Idem lib. 7. cont. Donatist. c. 53.* dubitat de eo, qui merè iocosè, & mimicè baptismum suscepit, an verè sit baptizatus, & in partem affirmatiuam propendet. 3. *Idem lib. 4. confess. c. 4.* de suo quodam amico secta *Manichæo* refert, quòd morbo læthali correptus à catholicis, qui aderant, baptizatus mox, vt ad se rediit, virtute baptismi, quem nesciens receperat, verè factus fidelis, *Manichæorum* errori renunciauit, & paulò post decessit. 4. *Flor. in decr. vnionis* ad perfectionem sacramenti tria tantùm requirit, scilicet materiam, & formam, & intentionem ministri nulla facta mentione intentionis suscipientis; ergo hæc *ex Flor.* non requiritur.

Resp. ad 1. *S. Patrem* loqui de nolente secundùm quid, non autem de nolente simpliciter; affert enim exemplum de ijs, qui coguntur ire ad Ecclesiam, & ad audiendas conciones. Constat autem istos ita nolle, vt velint; imò plus velint, quàm nolint; aliter si plus nollent, non agerent id, ad quod coguntur; & ideo cùm agant, signum est, quòd magis velint, quàm nolint; & hæc voluntarietas sufficit, vt diximus. Vel dicitur, quòd loquitur de paruulis, qui actu non volentes suscipiunt sacramentum; non possunt tamen actu credere, nisi actu velint. Ad 2. dicitur dubitare, an ille verè habuerit intentionem aliquam suscipiendi baptismum coniunctum cum intentione mimica, & iocosa; & in affirmatiuam inclinat. Dato tamen, quòd nullam penitus intentionem habuerit, nihil illic definit; non enim circa hoc quæstio erat *cum Donatistis*, cum quibus solùm illic loquebatur; definijt tamen hoc *alibi*, vt diximus *q. 6. vbi sup.* Ad 3. dicitur *cum D. Tho.* illum nescientem fuisse baptizatum, priùs tamen voluntatem, & postea non repugnantiam suscipiendi baptismum ostendisse, potest autem rectè componi cum non repugnantia, imò cum intentione suscipiendi baptismum nescientia receptionis illius; vt cùm quis intendit baptizari, & postea dormiēs baptizatur; cùm enim baptizatur, nescit se baptizari; & tamen priùs intendit baptizari; quæ intentio sufficit ad veritatem baptismi; vt dicitur *c. maiores*. Ad 4. dicitur *Conc.* loqui de sacramentis quantùm ad confectionem, seu perfectionem actiuam, quæ habetur positis causis intrinsecis, & extrinsecis; non autem quantùm ad validam receptionem, quæ requirit etiam subiecti recipientis dispositionem, vt dictum est.

12 Obijc. 2. *Palud.* cont. 3. p. concl. In hipothesi, qua quis sacrilegè baptismum susciperet, accedente postea sola attritione, cuius defectus fuit obex, ne baptismus gratiam causaret, sublatus fuisset iste obex; ergo gratiam causaret, cum qua, quia nequeunt componi peccata in baptismo, & post baptismum commissa, ideo per accidens, etiam illa remitteret; & probatur paritate rationis; sicut enim pœnitentia, licèt sit instituta ad tollenda sola peccata personalia; attamen potest per accidens tollere etiam peccatum originale, quatenus hoc cum illis coniungitur; ergo quanuis baptismus sit per se institutus ad tollendum peccatum originale, & peccata commissa ante baptismum; attamen potest per accidens remittere etiam peccata in baptismo, & post baptismum commissa, quatenus ista cum illis iunguntur.

Resp. *Sua.* neg. paritatem; nullum enim sacramentum habet vim remittendi peccata futura, sed tantùm iam commissa præseruando à futuris; aliter daretur licentia, & impunitas peccandi in futurum; nam peccatum futurum remitteretur vi sacramenti præteriti; ideo baptismus nequit remittere peccata post susceptionem illius commissa; at pœnitentia remittens peccata ante baptismum commissa remittit peccata præterita; ideo non est paritas. Vel melius dist. ant. Sublatus fuit obex præsuppositus ante baptismum, conc; ortus in baptismo, & post baptismum, neg. ant, & cons. Ad prob. infert. dicitur, quòd pœnitentia per accidens remittit peccatum originale, & peccata commissa ante baptismum, non per propriam virtutem, quia illa remittit per virtutem baptismi in voto, vt diximus

ximus n. 8. at verò baptismus accedente sola attritione non remitteret peccata in baptismo, & post baptismum commissa virtute pœnitentiæ in voto; quia non remitteret virtute contritionis perfectæ, quæ sola includit pœnitentiam in voto, vt docet *Trid. sess. 14. c. 4;* & ideo nec per se, nec per accidens, scilicet ratione pœnitentiæ, peccata in baptismo, & post baptismum commissa remitteret.

13 Objic. 3. Fictio peccaminosa potest baptismum præcedere, antequam enim quis ad baptismum accedat, potest proponere, & habere intentionem suscipiendi baptismum cum affectu ad peccatum, v. g. cum proposito furandi, mœchandi &c; ergo saltem in tali casu sola attritio sufficeret ad tollendam fictionem culpabilem, & sacrilegam.

Resp neg. conse quamvis enim illa fictio esset concepta ante baptismum, attamen esset posita in actu secundo in baptismo, & durasset post baptismum; ideo quamvis baptismus haberet vim tollendi illam intentionem fictionis sacrilegæ, vt præconceptam ante baptismum; non tamen haberet vim tollendi ipsum actum secundum positum in baptismo, & durantem post baptismum.

14 Inst. Quamvis peccatum originale, & peccata personalia commissa ante baptismum durent in baptismo, & post baptismum; attamen baptismus habet vim tollendi peccatum originale, & peccata personalia; ergo à pari.

Resp. neg. conse nam peccatum originale, & peccata personalia sunt posita in intentione, & in executione ante baptismum; & ideo per baptismum tolluntur; at illa fictio, licèt fuerit in intentione ante baptismum, non tamen fuit in executione; quia eius executio posita fuit tantùm in baptismo, & post baptismum; & quamvis executio actus non superaddat nouam malitiam actui interno, siue in intentione, quando illam inuenit; attamen repetit eandem malitiam, & si illam non inueniret, inueheret; & ideo non spectat ad baptismum, sed ad pœnitentiam.

15 Objic. 4. cont. 4. p. concl. *S. P. Aug. lib. 1. cont. Donatist. c. 12.* inquit: *Sicut in illo, qui fictus accesserat, fit, vt non denuò baptizetur, sed ipsa pia correctione, & veraci confessione purgetur, quod non posset sine baptismo, vt quod ante datum est, tunc valere incipiat ad salutem, cùm illa fictio veraci confessione recesserat.* Quod habetur etiam *de consecr. dist. 4. c. tunc valere;* sed hic loquitur de fictione peccaminosa; ergo per solam attritionem sine sacramento pœnitentiæ potest vi baptismi remitti. Præterea in eadem *dist. c. ab antiquo* Pontifex inquit ex antiqua *SS. PP.* institutione haberi, quòd qui in hæresi baptizati fuerant, aut vnctione chrismatis, aut impositione manuum, aut sola professione fidei ad Ecclesiam reuocabantur; ergo idem.

Resp. ad 1. quòd verax confessio est illa, quæ fit in sacramento pœnitentiæ vel in re, vel in voto; est enim illa, quæ remittit peccatum in baptismo, vel post baptismum commissum; ideo nequit dici de attritione, quæ non remittit peccatum; sed dicitur vel de contritione, quæ votum pœnitentiæ includit, vel de sacramento pœnitentiæ; ideo auctoritas allata non improbat, sed probat concl. Ad aliud dicitur, quòd in hæretico fictè baptizato duo sunt remittenda, scilicet excommunicatio ob hæresim contractam, & peccatum commissum in susceptione ficta baptismi. Pontifex loquitur tantùm de tollenda excommunicatione, non de tollendo peccato; loquitur enim de reductione ad vnionem Ecclesiæ, quæ nõ fit, nisi per relaxationem excommunicationis.

16 Quæres; an baptismus ablato obice causet æqualem gratiam, quam causasset, si fictio non fuisset; & an causet æqualem gratiam in omnibus?

Resp. baptismum ex parte dantis semper causare æqualem gratiam in omnibus, siue cùm dignè suscipitur, siue cum remoto obice gratiam confert; ex parte tamen recipiẽtis gratiam inæqualem causare; vt diximus *de Sacram. in com. q. 3. art. 3. n. 16.* Ratio primi est; nam ex parte dãtis munus est Dei æqualiter omnibus collatum, vt docet *S. P. Aug. lib. 3. cont. Crescen. c. 6;* ideo siue per bonum, siue per malum ministrum conferatur, gratiam confert æqualem. Hoc sæpissimè repetit *S. P.* vt *ep. 48; tract. 5. in Io. &c.* Ratio secundi est. Forma magis, vel minùs intensa participatur iuxta maiorem, vel minorẽ dispositionẽ, sed accipiẽtes baptismũ possunt esse magis, vel minùs dispositi; ergo ex parte accipientium maior, vel minor gratia cõfertur. Hoc definit *Trid. sess. 6. c. 7.* asserens gratiã dari adultis iuxta propriã cuiusq; dispositionem. *Vid. vbi sup. de sacr. in com.*

17 Inst. *Sua. 1.* Actus, quo tollitur fictio, non disponit ad baptismum suscipiendum, quia iam susceptus fuit, ergo remota fictione baptismus causat æqualem gratiam. 2. Merita per peccatum mortificata in sententia probabili per actum contritionis reuiuiscunt iuxta intensionem, quã habebant, non iuxta intensionem contritionis; ergo à pari. 3. Quando baptismus recipitur, acceptatur à Deo ad certum, & determinatum effectum, quem habuisset, si obex non fuisset; ergo maior, vel minor dispositio non intendit, nec remittit illius effectum. 4. Si quis accessit ad baptismum cum contritione, *vt duo,* & postea per peccatum gratiam *vt duo* acquisitam in baptismo deperdat; & deinde resurgens à peccato per contritionem, *vt quatuor,* non acquirit gratiam baptismalem, *vt quatuor,* sed tantùm *vt duo,* quia acquirit gratiam correspondentem primæ dispositioni, non secundæ; ergo à pari.

Resp. ad 1. neg. conse licèt enim actus, quo tollitur fictio, non disponat ad baptismum, disponit tamen ad gratiam acquirendam virtute baptismi, cùm tollitur fictio. Ad 2. omisso ant. de

de quo *in tract. de penit*; neg. consinam contritio in hipothesi se habet tantùm, vt remouens prohibens vitam meritorum, non vt dispositio ad illã præparans; at in nostro casu actus, quo tollitur fictio, se habet, vt dispositio ad gratiam per virtutem baptismi conferendam; & ideo gratia augetur ad incrementum illius, merita verò non augentur. Ad 3. dist. ant. Acceptatur à Deo per ordinem ad determinatum effectum, qui est remittere omnem culpam, & omnem pœnam; conc; qui est gratia, subdist; independenter à dispositione, qua fictio est tollenda, neg; dependenter, conc. Ad 4. resp; sicut ad 2; contritio enim, *vt quatuor*, non est dispositio ad gratiam baptismi; sed tantùm se habet, vt remouens prohibens. *Cætera vid. q. 6. vbi s. art. 2.*

QVÆST. IV.

De Ministro baptismi.

QVæ diximus de ministro sacramentorum generaliter respectu omnium sacramentorum *q. 5. de sacram. in com*; verificari etiam de ministro baptismi certum est; quæ namque per se conueniunt generi, conueniunt etiam speciebus, & indiuiduis. Ne autem ea inutiliter repetamus, supponimus ministrum baptismi de lege ordinaria esse solum hominem viatorem, necessariam esse in ministro baptismi intentionem faciendi, quod Christus instituit, seu quod facit Ecclesia; ministri malitiam non præiudicare sanctitati baptismi; & tandem ministrum baptizantem cum peccati mortalis conscientia mortaliter peccare, si aliunde possit priùs à peccato mundari. Hæc, quæ ministris sacramentorum communiter conueniunt, satis probata sunt *vbis.* Quærenda sunt *hic*, & probanda, quæ sunt propria solis baptismi ministris.

ART. I.

Qui sit proprius baptismi minister?

1 SVpponimus, quòd causa principalis, seu potestas auctoritatis baptizans, & remittens peccata sit solus Deus; & propterea, quòd principaliter auctoritatiuè baptizare conuenit Christo Domino, vt Deus est, non vt homo est; ei enim, vt homo est, conuenit potestas ministerialis excellentiæ, quæ importat meritum gratiæ hominibus conferendæ per sacramenta; & posse determinare res sensibiles, quibus annexa sit virtus gratiæ causatiua; & quòd in nomine habentis talem potestatem sanctificentur, & conferantur sacramenta; & tandem, quòd habens talem potestatem possit etiam extra sacramenta gratiã conferre; vt *ex Fund. Doct. Ægid. lib. cont. exempt. c.* 14. diximus *de sacram. in com. q. 1. art. 5. §. 1.*

2 Præter potestatem ministerialis excellentiæ, quam solus Christus Dominus habuit, & nulli voluit communicare, vt fusè probat *S. P. Aug. tract. 5; et 6. in Io; et lib. 5. cont. Donatist. c. 13; ac sæpe alibi*; datur alia potestas ministerialis infima, & simplex subordinata potestati ministerialis excellentiæ ipsius Christi, & hæc hominibus fuit à Christo cõmunicata; homines enim, tanquam Christi ministri, sacramenta ministrãt; loquuntur nanque ex persona Christi, vt docet *Fud. Doct. in c. cùm Martha de celebr. missarũ*, quod euidenter ostenditur, cùm sacerdos profert verba consecrationis dicens: *Hoc est corpus meum*; si enim loqueretur ex persona propria, non conficeret sacramentum; panis namq; conuerteretur in corpus sacerdotis, non in corpus Christi; quia in tantùm cõuertitur in corpus Christi; in quantùm loquens ex persona Christi significat corpus Christi. Igitur ministri sacramentorum sunt Christi ministri, vt docet *Apost. 2. Cor. 3. Idoneos nos fecit ministros.*

3 Quæritur ergo in præsenti de ministro habente potestatem ministerialem simplicem, infimam, & subordinatam potestati Christi Domini. Hæc autem potestas ministerialis simplex duplex est, vt docet *Fund. Doct. de renunc. Papæ c. 10. p. 6. fol. 15. col. 1; et 2*; alia ex officio, qua quis potest baptismum conferre solemniter adhibendo ceremonias, & ritus ab Ecclesia institutos; alia ex Diuina dispensatione, qua quis in casu necessitatis extremæ potest priuatè baptismum conferre sine solemnitatibus, ritibus, & ceremonijs ab Ecclesia institutis.

4 Vnica concl. Minister baptismi ex officio est solus sacerdos; ex commissione est Diaconus; & ex Diuina dispensatione in casu necessitatis extremæ est subdiaconus, clericus, quicunque laicus, siue sit vir, siue fœmina, siue sit catholicus, siue hæreticus, siue paganus; ordo tamen est seruandus ita, vt dignior ex illis, qui sunt præsentes, ministret; si tamen inferior præsente maiori baptismum ministraret, validus esset baptismus.

Prob. 1. p. concl. *ex Matt. vlt. Euntes docete omnes gentes baptizantes eos etc*; ex quibus verbis colligitur potestatem baptizandi traditam fuisse à Christo Domino sacerdotibus; Apostoli enim sacerdotes erant. Colligitur etiam *ex can. Apostolic. 46; 47; et 49*; vbi soli Episcopi, & sacerdotes baptismi vocantur ministri. Item *Flor. in decr. vnion. Armen*; vbi dicitur: *Minister huius* sacra-

sacramenti? est sacerdos, cui ex officio competit baptizare; et dist. 4. de consecr. c. 17. constat baptisma; et D. P. Aug. lib. 2. cont. ep. Parmen. c. 13; et ex Pontificali Rom. vbi Episcopus ordinans sacerdotes inquit: *Sacerdotem oportet offerre, et benedicere, praeesse, et praedicare, et baptizare;* & ratio est. Ille ex officio habet baptizare, qui habet potestatem in corpus Christi mysticum. per baptismũ enim baptizatus vnitur, & compaginatur corpori Christi mystico, quod est Ecclesia; fit nanque membrum Christi; sed solus sacerdos habet potestatem ex officio in corpus Christi mysticum, quia habet potestatem in corpus Christi reale, ex qua consequenter dimanat potestas in corpus Christi mysticum; ergo solus sacerdos ex officio est minister baptismi. Tum quia ille ex officio potest baptizare, qui potest tribuere ius sumendi eucharistiam, & alia sacramenta, baptizatus enim potest sumere alia sacramenta; sed solus sacerdos ex officio est huiusmodi, quia ille solus potest tribuere ius ad sumendam eucharistiam, qui potest eucharistiam conficere; nemo enim rectè dicitur tribuere ius ad aliquod, in quod potestatem non habet; potestas autem, quam habent homines in eucharistiam, est potestas illam conficiendi, & dispensandi, vt constat; ergo solus sacerdos ex officio est minister baptismi.

5 Verùm quoniam sacerdos duplex est, alius magnus, alius simplex, vt docet *Fund. Doct. de renunc. Papae c. 10. p. 1;* ideo duplex minister est baptismi ex officio, scilicet sacerdos magnus, qui est Episcopus, & sacerdos paruus, qui est sacerdos simplex; hoc tamen ordine, vt praesente Episcopo non possit simplex praesbiter baptizare, vt ait *S. Leo Ep. 88. ad Episcopos Germaniae, et Galliae,* nisi iubente Episcopo. Hinc antiquitus soli Episcopi praeficiebantur fontibus baptismalibus, & sola Ecclesia cathedralis habebat baptisterium, quod etiam nunc nonnullis in locis seruatur, quia iuxta eam regulam: *vbi maior, cessat minor;* quanuis simplex sacerdos habeat ex officio baptizandi potestatem, attamẽ quia maior est potestas in Episcopo, cùm sit maius sacerdotium, ideo praesente Episcopo simplex sacerdos nequit baptizare, nisi illo iubente.

6 Quanuis autem omnis sacerdos iure Diuino possit ex officio solemniter baptizare, vt dictum est; iure tamen ecclesiastico, vt habetur in *c. interdicimus q. 1;* solis Episcopis in suis dioecesibus, & parochis in suis parochijs solemniter baptizare conceditur; vnde alij sacerdotes baptizantes solemniter grauiter peccant.

7 Prob. 3. p. concl. *Ex lib. 3. constitut. c. 11; et lib. 8. c. 32.* habetur: *Nec Diacono fas est offerre sacrificium, vel baptizare;* quod intelligendum est ex officio; quapropter *c. 1. de clerico non ordinato* habetur, quòd Diaconus solemniter baptizans absque commissione sit irregularis. Quod autem possit ex cõmissione Episcopi, vel parochi ob aliquam rationabilem causam; colligitur *ex Act. 8;* vbi *Philippus Diaconus Samaritanos, et Eunuchum Reginae Candacis* ex commissione Apostolorum baptizauit; *et ex Pontificali Rom.* Episcopus ordinans Diaconum inquit: *Diaconum oportet ministrare ad altare, et baptizare;* quae verba non profert in collatione subdiaconatus, & ordinum minorum; vnde arguitur posse Diaconum ex commissione solemniter baptizare. Hinc legitur *de S. Cyriaco* diacono; quòd consecrato fonte *à S. Marcello frequenter baptizabat venientes ad fidem;* baptizare autem fonte consecrato est baptizare solemniter; quia est baptizare iuxta ritum Ecclesiae. Ratio eadem est; quia Diaconus est ordinis inferioris, ac sacerdos; non enim habet potestatem in corpus Christi reale; sed habet tantùm immediatè potestatẽ proximã illi ministrãdi; ergo solùm, vt minister, & ex commissione illius potest solemniter seruatis ritibus, & ceremonijs Ecclesiae baptizare.

8 Prob 3. p. *ex Flor. vbi s. In casu autem necessitatis non solùm sacerdos, & diaconus, sed etiam laicus, & mulier, imò etiam paganus, & haereticus baptizare potest, dummodò formam seruet Ecclesiae, & intendat facere, quod facit Ecclesia; & ex Conc. Elibert. can. 38; & c. ad limina 30. q. 1; & q. 3. cap. super quibus; & de consecr. dist. 4. c. in necessitate; & c. sanctum est; et c. mulier; & c. à quodam Iudeo & ex Gelas. ep. ad Episcopos Lucaniae c. 9; & ex D. P. Aug. lib. 2. cont. ep. Parmen. c. 13;* vbi docet: *Quamquam, & si laicus aliqua pereuntis dederit necessitate compulsus etc; et lib. 1. cont. Donatist. c. 2. Si quem fortè coegerit extrema necessitas, vbi catholicum, per quem accipiat, non inuenerit, et in animo pace catholica custodita, per aliquem extra vnitatem catholicam positum acceperit, quod erat in ipsa catholica vnitate accepturus, si statim etiam de hac vita migrauerit, non eum, nisi catholicum deputamus; et ex Conc. Carthag. can. 100; et SS. PP.* cõmuniter. Habetur etiã *in scriptura;* nã *Act. 9. Ananias* laicus baptizauit *Paulũ*. Ratio traditur *à Fund. Doct. Aeg. vbi s; & in c. firmiter de Sum. Trin. fol. 4. col. 2;* quia scilicet baptismus est sacramentum summae necessitatis, formatur autem sic eius ratio. 1. Necessitas baptismi obligat omnes, & singulos homines; vt diximus *q. 2. art. 9;* sed minister baptismi talis debet esse, qualis est necessitas baptismi; aliter Dei prouidentia defecisset in necessarijs; si quando vrget baptismi necessitas, non haberetur baptismi minister; ergo minister baptismi debuit esse quilibet homo. 2. Ideo aqua determinata fuit, vt sit baptismi materia; quia stante necessitate baptismi omnes, & singulos homines obligante, conueniens erat, vt materia communis omnibus, quia reperitur vbique, designaretur; sed hoc non sufficeret ad consulendum necessitati baptismi, nisi etiam minister deputatus esset quilibet homo; nam quanuis haberetur materia, attamen defectu ministri

nistri non posset conferri baptismus,& necessitati pereuntis succurri; ergo quilibet homo debuit destinari minister baptismi.

9 Prob. 4. p; nam sicuti præsente Episcopo parochus nequit baptizare, nisi iubente Episcopo, vt dictum est; ita præsente parocho nequit simplex sacerdos baptizare, nisi de licentia parochi; & diaconus præsente sacerdote; subdiaconus præsente diacono, & sic de reliquis ordinibus; & tandem laicus præsente clerico; & mulier præsente viro; sic enim seruatur ordo dignioris, quem semper exigit dignitas sacramenti. Tum quia cùm præsente superiori vritur inferior iure, quod habet superior, vsurpat quodammodo (inquit *S. P. Aug. lib. 2. cont. ep. Parmen. c. 13.*) ius alienum; talis autem vsurpatio in materia graui grauis est; ergo non est licita. Ex quo.

10 Prob. tandem vlt. pars *ex S. P. Aug. vbi* docente: *Nulla cogente necessitate, si fiat, alieni muneris vsurpatio est; si autem necessitas vrgeat, aut nullum, aut veniale delictum est. Sed etsi nulla necessitate vsurpetur, & à quolibet cuilibet detur; quod datum fuerit, non potest dici non datum; quamuis rectè dici possit illicitè datum.* Quibus verbis nedum clarè hanc partem concl; sed etiam superiorem, vt diximus, docet. Ratio est. Quòd inferior non debeat præsente superiori conferre baptismum, non prouenit ex defectu potestatis, quæ data est omnibus, & singulis hominibus, sed prouenit tantùm ex reuerentia, quæ debet exhiberi digniori, & dignitati ipsius sacramenti; ergo inferior baptizans præsente superiore verum, & validum conficit sacramentum, quanuis irreuerenter, & illicitè; ille enim validum conficit sacramentum, quod habet potestatem illud conficiendi, & adhibet veram materiam, & debitam formam; sacramentum enim ex his tribus actiuè perficitur, vt docet *Flor. in decr. vnionis*; quanuis ob irreuerentiam, quam irrogat superiori, & quæ nunquam licita est, illicitè illud conficiat.

11 Obijc. 1. *Caluin.* Christus *Matt. vlt.* locutus est solis Apostolis, cùm dixit: *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos etc*; sed Apostoli erant sacerdotes; ergo soli sacerdotes, & non laici sunt ministri baptismi.

Resp. illa verba non ad solos Apostolos, sed ad omnes discipulos, qui cùm Apostolis erant, fuisse directa; quapropter Apostoli miserunt *Stephanum, & Philippum*, qui tantùm erant diaconi ad baptizandum. Præterea si solis Apostolis Christus locutus fuisset, sequeretur, quòd soli Episcopi, qui Apostolorum sunt successores; non autem parochi, & sacerdotes, essent ministri baptismi, quod non admittit *Caluinus*.

12 Obijc. 2. Sicut baptismus, ita & pœnitentia est sacramentum necessitatis; sed nullus laicus etiam in casu necessitatis potest esse minister pœnitentiæ; ergo neque baptismi. 2. Licèt simplex sacerdos in casu necessitatis possit ministrare moribundo sacramentum pœnitentiæ; attamen extra casum necessitatis nedum illicitè, sed etiam inualidè absolueret; ergo quanuis laicus in casu necessitatis possit validè baptizare; attamen extra casum necessitatis baptismus esset inualidus.

Resp. ad 1. neg. ma; nam baptismus necessarius est omnibus, & singulis; pœnitentia verò necessaria est solis relapsis; sicut enim in naturalibus nō est ita necessariū, & commune remedium ad depellendos morbos, sicut est necessaria natiuitas ad vitam acquirendam; non enim omnes homines morbis laborant; omnes tamen, vt vitam habeant, indigent nasci; ita in supernaturalibus omnibus necessarius est baptismus, vt renascantur ad gratiam; *quia omnes in Adam mortui sunt*; non tamen omnibus necessaria est pœnitentia, quia non omnes post baptismum in peccata relabuntur; vt constat de infantibus ante vsum rationis morientibus. Ad 2. neg. conf; nam potestas conferendi baptismum, qui est summæ necessitatis, non debuit limitari, vt validè baptizaret solùm in casu necessitatis, aliter Dei prouidentia non prouidisset conformiter ad necessitatem, vt diximus; at verò potestas ministrandi pœnitentiam, cùm sit limitata ad solos relapsos, debuit limitari sacerdotibus solum ad casum necessitatis, vt correspponderet limitationi ipsius necessitatis.

13 Obijc. 3. *S. P. Aug. lib. 2. cont. ep. Parmen. c. 13.* dubitat, an baptismus datus à non baptizato sit validus; ergo non est certum, quòd baptismus à pagano collatus sit validus. 2. *Ibid.* docet in ordinatione dari, vt possit baptizare; *& lib. 1. cont. Donatist. c. 2.* inquit: *Sacramentum baptismi est, quod habet, qui baptizatur; et sacramentum dādi baptismum est, quod habet, qui ordinatur*; ergo à laico non ordinato nequit conferri baptismus.

Resp. ad 1; quòd licèt *eo in loco S. P.* non resoluerit dubium, illud tamen resoluit *lib. 7. de bapt. cont. Donatist. c. 52.* asserens *ratum esse baptisma, vbicumq; et à quibuscumq; datum fuerit; et lib. 2. cont. ep. Parmeni c. 13.* idem ait. Ad 2. dicitur *S. Patrem ibid.* loqui de ministro ex officio extra casum necessitatis, non de ministro in casu necessitatis.

14 Obijc. 4. *Greg. II. in ep. ad Bonif;* & habetur *de consecr. c. 50. quos à paganis*; præcipit rebaptizari à paganis baptizatos; ergo idem. Idem præcipit *Nic. Syn. can. 19. de Paulianistis, et Cataphrygibus; et Niceph. lib. 11. hist. Eccl. c. 21.* ait, quòd qui sacris non est initiatus, alios baptizare non potest.

Resp. *Greg.* loqui de ijs, qui non erant baptizati in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. Ita etiam *Syn. Nic. Paulianistæ*, enim, *et Cataphryges* non vtebantur debita forma. *Niceph.* autem loquitur de potestate baptizandi ex officio, & solemniter.

Obijc.

15 Obijc.5. *Nemo dat, quod non habet*; ergo qui non babet baptismum, nequit baptismum dare. 2. Ad ministrandum quodlibet sacramentum requiritur spiritualis potestas; nam potestas ministerialis est spiritualis, non corporalis; sed potestas spiritualis non confertur, nisi per aliquam consecrationem; ergo non consecratus nequit baptismum conferre.

Resp. ad 1. dist ant. Nemo dat, tanquam causa principalis, quod non habet, conc; tanquã causa ministerialis instrumentalis, neg; Sol enim instrumentaliter dat vitam, quam tamen non habet. Ad 2. dist. mi. Spiritualis potestas non datur, nisi per consecrationem per ordinem ad ministranda aliqua sacramenta, vt sunt eucharistia, ordo, confirmatio, extrema vnctio, & pœnitentia, conc; nullus enim potest admiuistrare hæc sacramenta, nisi sit in ordinatione consecratus; per ordinem ad omnia sacramenta, neg; nam vt quis ministret matrimonium in communiori sententia, non requiritur, quòd sit ordinatus; idem à fortiori de baptismo dicendum, quòd cùm sit summè necessitatis, debuit Christus omnibus etiam non ordinatis illum ministrandi potestatem conferre.

A R T. I I.

An plures ministri possint eundem baptizare; vel vnus plures?

1 QVadruplicem sensum *titulus* potest habere. 1. an plures ministri simul, & eodem tempore abluentes corpus in diuersis partibus, & proferentes debitam formam in singulari: *Ego te baptizo etc*; validè baptizent? 2. An abluentes, & proferentes formam successiuè? 3. An vno tantùm abluente, & altero proferente formam, vt si vnus sit mutilus brachijs, & alter mutus? 4. An plures simul abluentes, & proferentes formam in plurali: *Nos te baptizamus etc*?

2 Vnica concl. Plures ministri simul abluẽtes, & simul proferentes debitam formam: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; validè baptizarent, & absque peccato; præsertim si vnus dubitaret, quòd alter non haberet intentionem baptizandi. Si tamen successiuè ablueretent, & formam proferrent, ille tantùm baptizaret, qui priùs ablueret, & formam proferret; alter verò non baptizaret, sed fieret irregularis. Item si vnus ablueret, & alter formam proferret, inualidè baptizarent, sicuti si proferrent formam in plurali dicendo: *Nos te baptizamus &c.* Tandem vnus validè plures baptizat dicendo: *Ego vos baptizo &c. Ita Fund. Doct. inf. D. Tho; & ferè omnes communiter.*

Prob. 1. p. concl. ex paritate rationis de pluribus sacerdotibus consecrantibus eandem hostiam sic. Sicut se habent plures sacerdotes per ordinem ad consecrationem vnius hostiæ; ita se habent plures baptizantes per ordinem ad conferendum baptismum vni homini; ita enim sunt simplices ministri cõsecrationis plures sacerdotes; sicut sunt simplices ministri baptismi plures baptizantes; sed plures sacerdotes, cùm ab Episcopo ordinantur, validè, & absque peccato consecrant eandem hostiam; ergo plures baptizantes validè, & absque peccato baptizãt eundem hominem, præsertim si vnus illorum prudenter dubitet de intentione alterius; salus enim baptizati poni debet in tuto. 2. Quanuis plures causæ efficientes principales non possint producere eundem numero effectum adæquatè, & totaliter; plures tamen causæ instrumentales per vnicam virtutem agentis principalis possunt instrumentaliter ministrare ad productionem vnius, & eiusdem effectus, vt ignis mediante calore, & siccitate potest idem lignum comburere; nam vnitas effectus non dependet ab vnitate instrumenti, sed ab unitate causæ principalis; & ideo pluralitas causarum instrumentalium non præiudicat nnitati effectus; sed plures baptizantes sunt causæ merè instrumentales; nam causa principalis est Deus; ergo possunt unum, & eundem hominem validè baptizare. 3. Si plures simul baptizantes validè non baptizarent, maximè, quia vel essent causæ partiales, & sic non baptizarent propter rationem *inf.* adducendam; vel essent causæ totales, *& sic* essent plura baptismata, & ideo repeteretur baptismus super eundem hominem, quod nequit fieri, quia baptismus non est iterabilis; sed conf. est falsum; nam plures baptizantes simul essent plures causæ totales ministeriales, quæ tamen non conficerent, nisi unum baptisma; sicut plures sacerdotes non consecrant, nisi unam hostiam, quia forma, quam plures proferunt, vna est; & subiectum, quod recipit baptismum unum est; & ideo unum *sacramentum baptismi, quod*, ut diximus in *sup. art. ex D. P. Aug. lib. 1. cõt. Donatist. c. 2; habet, qui baptizatur*; sicut unum est sacramentum eucharistiæ in una hostia existens, quanuis confectum à pluribus; nam multiplicatio simultanea signorum non præiudicat unitati rei significatæ, ut cùm multiplicantur rami ad significandum vinum vendibile; tunc enim censetur unum signum moraliter, quannis sint materialiter plura; ergo & ant. est falsum. *Vid. Fund. Doct. Ægid. locis cit. to. 5. q. 1. art. 7.*

3 Prob. 2. p. Si duo possent validè baptizare eundem hominem successiuè, posset baptismus iterari; nam iteratio baptismi nihil aliud formaliter est, quàm noua collatio baptismi homini iam baptizato, & sic posterior baptizans noniter conferret baptismum homini iam baptizato à ministro, qui priùs baptizauit; & ideo iteraretur baptismus; ergo plures ministri successiuè baptizantes validè non baptizarent, sed tantùm priùs baptizans validè baptizaret, & posterior non baptizaret, sed fieret irregularis, vt

vt diximus *q. 2. art. 7. ex Fund. Doct. Ægid. vbi vid;* quæ attulimus.

4 Prob. 3. p. *cont. Caiet. 3. p. q. 67. art. 6.* docentem baptismum collatum ab vno ministrante materiam, & ab altero proferente formam valere, si forma proferatur ritu *Græcorum*, contra quod sic. Si quis diceret: *Ego te baptizo*; & non ablueret corpus, falsum proferret, quia non ipse, sed alter baptizaret; nam baptizare abluere est. Nec sufficit, quòd baptizare sumatur, prout significat sacramentum tradere, vt inquit *Caiet*; sed requiritur, quòd significet ablutionem corporalem, quæ est materia proxima baptismi; non enim traditur baptismus per solam prolationem formæ; sed etiã per applicationẽ materiæ; & ideo si non ablueret, falsò diceret se baptizare, seu tradere sacramentum baptismi. Quæ falsitas nedum haberetur in forma, qua vtuntur *Latini*, sed etiam in forma, qua vtuntur *Græci*, qui proferunt hæc verba: *Baptizatur per me, vel manibus meis etc*; vt diximus *q. 6. art. 6. n. 19*; quæ forma æquiualet formæ, qua vtuntur *Latini*; falsum autem esset, si alter ablueret; non enim per se, & manibus suis, sed per alium, & alienis manibus baptizaret; sed falsificata forma inualidatur baptismus; ergo si vnus ablueret, & alter verba proferret, baptismus esset inualidus.

5 Dices 1. In casu esset debita materia, & debita forma, & intentio ministri, quæ licèt esset in duplici persona, tamen non officeret validitati baptismi; sicut licèt intentio conficiendi matrimonium sit in duplici persona, attamen non inualidat sacramentum. 2. Potest dari casus, in quo infans sit in periculo mortis, & nulla persona reperiatur, qui se sola possit ei baptismum ministrare, & tantùm adsit mutus, & mutilus; ergo saltẽ in hoc casu baptismus esset validus; quia Deus non deficit in necessarijs. 3. Videtur hoc saltem tempore pestis valere, cùm minister nequit infanti se approximare; ergo idem.

Resp. ad 1. neg. 2. p. assumpt; nec valet paritas de matrimonio, quod, cùm sit contractus inter duos, necessariò exigit intentionem existentem in duplici persona; & baptismus confertur ab ea persona, quæ baptizat, nedum quantùm ad formam, sed etiam quantùm ad materiam, vt dictum est; aliter falsificaretur forma, quæ non falsificatur in matrimonio ob rationem allatam; ideo exigit unitatem personę baptizantis. Ad 2. dicitur in casu posse mutilũ alijs membris corporis aliquo modo aquam infundere, & verba proferre, vt capite, pede, ore &c. Ad 3. dicitur posse baptizare per aspersionem ita, vt aliqua gutta tangat baptizandum.

6 Inst. *Qui per alium facit, per seipsum facere censetur*; ergo baptizans per alium rectè dicitur per seipsum baptizare.

Resp. dist. ant. Per se ipsum moraliter facere censetur, conc; physicè, neg. Ad baptismum autem requiritur actio physica, & moralis non sufficit.

7 Prob. 4. pars. *ex Fund. Doct. in c. firmiter, et sæpe alibi*. Baptizans loquitur ex persona Christi, tanquam Christi minister; non enim ipse homo baptizat, sed Christus est, qui baptizat, vt dicitur *Io. 1*; super quod *S. P. Aug. tract. 5. et 6.* inquit; quòd nullus Apostolus dixit *baptisma meum*; sicut dixit *euangelium meum*, quia baptizans simpliciter refert verba ipsius Christi, & vice Christi; quod euidenter conuincitur ex verbis consecrationis, vt diximus; sed Christus est vnus in singulari; ergo plures baptizantes proferentes in plurali: *Nos te baptizamus etc.* non loquuntur ex persona Christi; & ideo validè non baptizant. Tum quia singularitas, quæ explicatur per formam baptismi, significat formaliter vnitatem Diuinarum Personarum, quæ, vt sunt vnum, causant principaliter gratiam in baptismo, vt diximus *q. 2. art. 6. §. 1*; sed dicentes: *Nos te baptizamus etc.* non exprimunt vnitatem Diuinarum Personarum, sed pluralitatem; vnitas enim non exprimitur, nisi per pronomen *Ego*; sicut pluralitas exprimitur per pronomen *nos*; ergo variant significatum formale formæ baptismi; & ideo inualidatur baptismus; quia variatur eius significatum formale, quod sufficit ad variandam essentiam baptismi; vt diximus *vbi sup. de sacram. in com. q. 2. art. 4.*

8 Prob. 5. pars. *1. ex Act. 2*; vbi dicitur Apostolos vna die Pentecostes baptizasse tria hominum millia; quod fuisse per aspersionem plurium simul testantur *omnes DD*; censetur enim impossibile, quòd tot homines vna die singillatim baptizari potuissent; ergo vnus minister potest plures simul eadem actione baptizare. 2. Vnus minister sacramenti pœnitentiæ in casu necessitatis potest plures simul absoluere; ergo vnus minister baptismi potest plures simul vnica actione baptizare; ita enim discurrendum est de pœnitentia, *quæ est secunda post naufragium tabula*; & ideo secundus baptismus; ac de baptismo, qui est prima tabula, qua à peccati naufragio primò eripimur; & saluamur. 3. Vnus Episcopus potest plures simul ordinare; & idem sacerdos plures hostias simul consecrare ob populi necessitatem; si enim vnã tantùm hostiam posset consecrare, quam ipse tenetur sumere in sacrificio, & nullam aliam cum illa posset cõsecrare, populus priuaretur sacramento encharistiæ; ergo in casu necessitatis, in quo plures non possent baptismum suscipere, antequam decedant, potest idem minister plures simul baptizare. 4. Minister dicendo: *Ego vos baptizo etc.* seruat significatum formale ipsius formæ baptismi; quod est expressio vnitatis Dei, & Diuinarum Personarum, vt diximus; ergo baptismus est validus, quia saluata forma, & debita exhibita materia saluatur essentia baptismi.

9 Baptizans tamen plures simul vnica ablu-

lutione extra casum necessitatis peccaret mortaliter, sicut dicitur de absoluente; vt omnes tenent communiter.

10 Obijc. cont. 4. p. concl. In tantùm vnus minister plures simul baptizans illis verbis: *Ego vos baptizo etc.* validè baptizat, in quantùm illud pronomen *vos* idem significat, ac *te, et te*; sed eadem ratione pronomen *nos* idem est, ac *ego, et ego*; & pronomen *ego* significat vnitatem; ergo eadem ratione plures ministri baptizantes, & pluraliter loquentes validè baptizant. 2. Christus assignans formam baptismi nedum protulit *eos* in plurali, propter quod minister proferens: *Ego vos baptizo*; validè baptizat; sed etiam protulit ministros in plurali dicendo: *Docete baptizantes*; ergo eadem ratione dicendo: *Nos te baptizamus*; validè baptizant. 3. Pronomen *nos* aliquando singulariter sumitur, vt cùm homo magnus de se ipso pluraliter loquitur; ergo idem.

Resp. ad 1. dist. 2. p. mi. Pronomen *ego* disiunctiuè sumptus significat vnitatem, conc; coniunctiuè sumptus, vt in casu, neg. Quamuis ergo cùm dicitur *te, et te*, significetur multitudo baptizatorum, & non varietur forma baptismi, quia verè multi sunt, qui baptizantur; attamen cùm dicitur: *Ego, et ego*; variatur significatum formale; quia non duo, sed vnus est Christus, qui baptizat ministerialiter excellenter; & vnus est Deus, qui auctoritatiuè baptizat. Ad 2. dist. mi. Protulit in plurali ministros designando non vnum, vel paucos debere esse baptismi ministros, sed omnes, conc; designando verbum *baptizo* esse in plurali proferendum, neg. Ad 3. dist. ant. Pronomen *nos* significat vnitatem propriè, neg, translatiuè, conc; in forma autem baptismi propriè, non translatè est loquendum.

11 Quæres 1; an idem possit baptizare se ipsum?

Resp. *Innoc. III. c. debitum de bapt.* negatiuè. 1. Quia Christus *à Ioanne* baptizari voluit; quo innuit quemlibet ab alio baptizari debere. 2. Quia in baptismo est renascentia spiritualis; ergo sicut in generatione naturali idem nequit generare se ipsum; ita neque in regeneratione spirituali. 3. Quia baptizans repræsentat Christi personam, cui iterum, & baptismo à se instituto baptizari repugnat.

12 Quæres 2; an validus sit baptismus collatus fœminæ, quæ putabatur masculus; aut collatus filio *Francisci*, qui putabatur filius *Pauli*?

Resp. affirmatiuè; nam baptizans, sicut & ordinans debet habere intentionem baptizandi, & ordinandi eum, qui est præsens; tum quia ablutio, & forma cadit super hanc personam præsentem, & non aliam; & ideo hæc, non alia baptizatur.

13 Quæres 3; an pater, vel mater infantis possit ei ministrare baptismum?

Resp. affirmatiuè; nulla enim fit eorum exceptio, cùm baptismum à quolibet ministrari posse dicitur. Verùm alijs præsentibus non debent; quia generatio spiritualis à generatione naturali distinguitur.

A R T. I I I.

An, quot, et quales Compatres ad suscipiendam baptizatum sint deputandi?

1 QVi de sacro fonte baptizatos suscipiunt, *susceptores, & Duces à D. Dion. de Eccl. Hier. c. 2; sponsores à Tertull. lib. de bapt. c. 18; fideiussores à S. P. Aug. serm. 215. de temp; compatres à Syn. Mogunt; & Trid. sess. 24. c. 2; & patrini ab Higinio Papa de consecr. dist. 4. c. 98. in catechismo* vocantur. Dicuntur *Duces, & susceptores*, quia suscipiunt baptizatum sanctè, religioseq; educandum; *sponsores*; quia spondent eum sic educare; *fideiussores*; quia promittunt eum rudimenta fidei, & Christianæ vitæ præcepta edocturos; *compatres, seu patrini*; quia tanquam patres vitæ spiritualis se obligant paternam curam gerere pro eorum salute.

2 Vnica concl. Ex traditione Apostolica tam adultis, quàm paruulis in baptismo solemni compatres sunt assignandi, ijq; debent esse catholici, & sæculares; & ad summum duo sunt assumendi.

Prob. 1. pars concl. *ex D. Dion. vbis.* docente: *Sacerdotes assumentes baptizatum tradunt eum ad educationem susceptori, & duci.* Idem habet *ibid. c. 7; & Trid. vbis. Statuit, vt vnus tantùm, siue vir, siue mulier iuxta sacrorum canonum instituta, vel ad summum vnus, & vna baptizatum de baptismo suscipiant; & c. in catechismo vbis. In baptismo, & in confirmatione vnus patrinus fieri potest.* ex D. P. Aug. vbis; & habetur *de consecr. dist. 4. c. 103. Vos ante omnia tam mulieres, quàm viros, qui filios in baptismo suscepistis, moneo &c.* Ratio est. Inter generationem naturalem, & spiritualem debet dari proportio; sed generatio naturalis requirit parentes carnales; ergo & generatio spiritualis, qualis est baptismus, requirit compatres spirituales. Sicut autem generatio spiritualis alia est à generatione carnali; ita requirit cõpatres distinctos à parẽtibus carnalibus.

3 Prob. 2. p. ex c. 100. *in baptismate de consecr.* vbi dicitur: *Non potest alium suscipere in filiolum ipse, qui non est baptizatus*; per quod excluduntur gentiles; *& c. 103. ex S. P. Aug.* habetur patrinos habere *semper vos admoneire, vt castitatẽ custodiant, iustitiam diligant, charitatem teneant; & ante omnia symbolum &c*; & per hoc excluduntur hæretici, & schismatici, qui nec charitatem tenent, cùm vnionem cum Ecclesia catholica non habeant; nec omnes articulos, qui vel explicitè, vel implicitè continentur in symbolo, credant. Ratio eadem est. Nam sicut carnaliter generans debet in se habere naturam, quam transfundat in genitum; sic spiritualiter generans de-

debet in se habere fidem, quam in filium spiritualem debet transfundere; vnumquodq; enim agens producit sibi simile; sed gentilis, hæreticus, aut schismaticus non habet fidem catholicam; ergo nullus ex his potest esse in baptismo patrinus; & per consequens soli catholici ad hoc munus sunt assumendi.

4 Quòd autem debeant esse sæculares, non regulares, prob. *ex c. 101. de consecr. dist. 4. Non licet Abbati, vel Monacho de baptismo suscipere filios, aut commatres habere; & 16. q. 1. c. placuit communi*. Ratio est. Compatres nedum tenentur regere filios spirituales in rebus spiritualibus, sed etiam tenentur eos alere in corporalibus, si necessitas vrgeat; at soli sæculares possunt hoc agere; regulares enim non habent quid proprium, quod impertiant; ergo soli sæculares possunt habere filios spirituales in baptismo susceptos. Quanuis cum aliquibus dispensetur cessante hac necessitate.

5 Prob. vlt. p. *ex Trid. vbi s.* quanuis enim *de consecr. dist. 4. c. 99. non plures* præcipiatur vnū tantummodò assumendum esse in baptismo patrinum; attamen *Trid. vbi s.* statuit posse assumi vel vnum, vel duos ad summum. Ratio *canonis* esse potuit, vt fœminæ susceptrix esset fœmina; & masculi vir; ne cùm filij adoleuerint, fœminis viri immisceantur; & fœminæ viris. Ratio *Concily* non reprobantis *canonem*, sed extendentis potuit esse, quód scilicet sicuti ad generationē carnalem duo tantùm concurrunt; ita duo tantùm ad generationem spiritualem sunt assumendi.

6 Obijc. 1. cont. 2. p. concl. Quanuis parochi baptizantes teneantur instruere baptizatos in fide; attamen in casu necessitatis possunt assumi ad baptizandum etiam gentiles, & hæretici; ergo idem dicendum de patrinis; imò à fortiori, quia maius est munus baptizantis, quàm suscipientis. 2. *Layman.* putans ob graues causas, & grauia incommoda posse assumi in patrinos etiā hæreticos; & hoc *in Germania* esse in praxi. *In sacris canonibus* excluditur tantùm non baptizatus; ergo hæreticus potest assumi.

Resp. duo esse munera parochi, al'ud baptizandi, aliud catechizandi. Primo muneri potest suffici gentilis, vel hæreticus; quia ad hoc, vt baptizet, non requiritur, vt habeat fidem, cùm sit merum instrumentum; vt diximus *art. 1. n. 15*; non autem secundo muneri; non enim potest fidem docere, qui fidem nescit, vel qui illi non assentitur. Cùm igitur patrinus non habeat, nisi munus docendi, ideo infidelis nequit hoc munus habere. Ad 2. neg. ant; prohibetur enim saltem implicitè *c. 103. vbi s.*

7 Quæres 1; an liceat catholico suscipere infantem hæretici?

Neg. *Nauar.* affirmat *Layman. apud Gibb. hic*, qui sententiæ affirmatiuæ subscribit; quia catholicus profitetur suscipere infantem validè baptizatum; in quo nulla malitia est, & inhonestas. Sed baptismum extra Ecclesiam esse illicitum sæpissimè docet *S. P. Aug*; quomodò autem consentire rei illicitæ licitum sit, non videmus.

8 Quæres 2; an nomine *Monachorum*, quibus inhibetur suscipere infantes, comprehendantur omnes Regulares?

Negant *Less*; *& Coninch apud Gibb*; quia in odiosis verba sunt strictè accipienda. At *Sanch*; *Layman*, *Gibb*; *& aly* affirmant; exprimuntur enim *in Rituali Pauli V.* omnes Regulares.

9 Quæres 3; an pater, & mater possint suscipere proprium filium?

Resp. negatiuè; habetur enim *c. peruenit*; *& c. dictum est 30. q. 1*; quia regeueratio distinguitur à generatione; ideo diuersas causas debet habere.

10 Quæres 4; an maritus, & vxor possint suscipere filium alienum?

Sua. ait esse peccatum veniale; *Nauar.* tamen, *& aly* aiunt licere. Addit *Gibb.* eos non contrahere affinitatem spiritualem inter se, sed tantùm cum infante &c.

11 Quæres 5; an alij à munere patrini excludantur?

Resp. *Gibb.* excludi pueros ante annos discretionis, sunt enim incapaces promissionis; excommunicatos, peccatores publicos, non confessos in Paschate, nescientes orationem Dominicam, salutationem Angelicam, symbolum, & præcepta Decalogi, non confirmatos, vt habetur *in Rit. Rom*; item peregrinos, ignotos, vel longè habitantes; vt habet *S. Carolus Borrom. in institutionib. bapt*; clericos sacris initiatos; vt habet *S. Carol. ibid*; *& Syn. Aquen. anno* 1584, & tandem Episcopos in sua Diœcesi, & parochos in sua parochia; vt *in Syn. Rhemen. anno* 1585.

12 Quæres 6; quinam contrahat cognationem spiritualem, quando procurator nomine alterius suscipit paruulum?

Resp. *Gibb.* contrahi à procuratore; quia cognatio contrahitur per actionem personæ præsentis, non absentis.

13 Quæres 7; an in baptismo priuato requirantur patrini?

Resp. negatiuè; nam patrini requiruntur, vt respondeant pro paruulo, & ideo vt cōpleant ceremonias, quæ in baptismo solemni adhibentur. Si tamen aliquis tunc designetur ceremonijs deinde astiturus, veram cognationem contrahit; & tenetur baptizatum instruere.

14 Quæres 8; an pater, & mater suscipientes, aut baptizantes proprium filium contrahāt cognationem spiritualem inter se ita, vt nequeant petere, aut reddere debitum?

Resp. quòd si suscipiant, aut baptizent ex ignorantia, aut errore, vel ex necessitate, possunt petere, & reddere debitum; & idem dicēdum, si in fraudem matrimonij id fiat; vt habetur

betur *c.si vir de cognat.spirit.* An autem, qui fraudulenter egit, possit nedum reddere, sed etiam petere debitum; resp. ferè omnes communiter, exceptis *Card.in c.Si vir; Syl.v.matrimonium; & Sua. in art.8.* teneri reddere, sed non posse petere; quia vnus ob alterius malitiam non debet iure suo priuari; ipse tamen ob malitiã punitur, vt priuatus suo iure remaneat.

QVÆST. V.

De suscipientibus baptismum.

MVlta, quæ ad hanc quæstionem attinent, *superiùs* diximus occasione aliquorum, quæ tesolui non poterant, nisi hæc illic tractata fuissent; vt de dispositione, quæ requiritur in suscipientibus baptismum, satis locuti sumus *q. 3.art.2*; & de tempore, quo paruulis debet administrari baptismus, *q.2.art.9*; quibus suppositis ad alia, quæ supersunt examinanda, procedimus.

ART. I.

An filij infidelium inuitis parentibus sint baptizandi?

1 CErtum est *apud omnes Theologos* filios hereticorum, & schismaticorum, qui semel susceperunt Christi fidem, posse, imò & deberi inuitis eorum parentibus baptizari; sicut enim parentes cogi possunt ad fidem, quam semel confessi sunt, seruandam compelli, sunt namque subditi Ecclesiæ; ita eorum filij, qui ex ipsis, tanquam ex Ecclesiæ membris, nascuntur, Ecclesiæ incorporari possunt, & debent. Sermo igitur est de infidelibus, qui nullo modo ad Ecclesiam pertinent, vt sunt gentiles, seu pagani, & Hebræi, qui sunt extra Ecclesiam, de quibus loquitur *Apost.1.Cor.5.*

2 Indubium pariter est. 1. Filios paganorum, & Hebræorum, qui sunt mancipia, seu serui iusto bello capti, vel pretio empti, posse ipsis repugnantibus baptizari; nullum enim prorsus dominium habent in illos; cùm nedum sui, sed etiam omnium, quæ ipsis subiecta sunt, dominium amiserint; & ideo citra eorum iniuriam eorum filij ab ipsis auelli possunt, & baptizari. 2. Posse quoq; baptizari filios infideliũ, si perpetuò maneant amentes; vel si sint in euidenti mortis periculo. 3. Si à parentibus sint separati ita, vt nullum sit dubium, quòd sub illorum dominiũ non sint reuersuri; vel si nesciatur, quinam sint eorum parentes; quamuis nec isti, nec illi sint serui empti, vel capti; nec Christianis vllo modo subdantur. 4. Posse baptizari, si alter parentum consentiat alio etiam reclamante; cùm enim æqualiter ipsis subdantur, consensus in bonum infantium præualere debet dissensui, qui est in malum ipsorum. 5. Posse baptizari, si ipsi infantes ad vsum rationis perueniant, & petant baptismum; tunc enim sunt sui iuris, & nullo modo in ijs, quæ spectant ad salutem æternam, subijciuntur parentibus. 6. Valere baptismum collatum inuitis parentibus.

3 E contra verò certum est. 1. baptizandos non esse filios gentilium, qui perpetuò sunt mansuri sub cura parentum; tunc enim certitudo peruersionis, & apostasiæ haberetur; per quam sacramentum pollueretur, & prophanaretur; quod non est licitum. 2. Baptizandos nõ esse à priuatis personis, ad quas non spectant, & quibus nullo modo subduntur; etiamsi alijs Christianis subdantur vel ciuiliter, & positiuè; vel seruiliter despoticè; quia persona non habens dominium non habet ius auferendi à parentibus filios, eosq; detinendi; & si redeant ad illos, certum est ad infidelitatem reuersuros.

4 Status igitur quæstionis est; an filij infidelium, qui Principibus Christianis tantùm *politicè*, & ciuiliter subditi sunt, inuitis, & *reclamantibus* parentibus, extra mortis *articulum* licitè baptizari possint, & debeant; & ad hoc tota difficultas deuoluitur; an scilicet liceat filios infidelium eripere à dominio, & cura parentũ per ordinem ad conferendum eis baptismum? Si enim hoc liceat, licebit quoque eis dare baptismum; quia cùm separati sunt à parentibus, cessat peruersionis, & apostasiæ periculum, ob quod solùm baptizare illicitum est.

5 Prima sententia affirmat. *Ita Scot.in 4.dist. 4.q.9; Mairon, Bassol; Rubion, Tanner; Fab; Ponc; Hiqueus, Centin; Card.Brancat. Aretin.apud Mastr. hic q.4;* qui sic limitat hanc sententiam, talibusq; vestit cautelis, vt reducat ad quæstionem de nomine; ait enim licere, si possit præcaueri, ne filij à parentibus occidantur, ne eis conferatur baptismus; & si sit aliqua certitudo, quòd sint religiosè educandi, & ad infidelitatem non sint pertrahendi à parentibus. Difficultas autem est; an supposito peruersionis periculo eos baptizari liceat; nam amoto periculo *omnes* concedunt licere; tota enim ratio, cur illicitum sit, est periculum apostasiæ, qua sacramenti fit prophanatio, quæ licita esse non potest. Hanc sententiam probat *Estius hic dist.6. §.2; & ex nostris Faruacques c. 3.q. 3;* vbi nititur secum trahere *S.P.Aug;* sed frustra, vt videbimus.

6 Secunda sententia negat. Deducitur *ex Fund.Doct.Æg.in 3.dist.9.p.1.q.1. art.4;* vbi docet, quòd *filius est quædam res patris* iure naturæ sub

sub patris dominio; *nostri Gibb. hic disp. 13. dub. 3; Aragon. 2. 2. q. 10. art. 12; Putean. hic art. 10. dub. 2; & alij communiter*. Eam expresse docet *S. Tho. 2. 2. q. 10. art. 12; & 3. p. q. 68. art. 10; Ricard; Capr; Caiet; Sot; & omnes Thomistæ*, quos sequuntur *Vasq; Suar; Auersa; Caspens; Bald; & alij*.

7 Vnica concl. Non licet Principibus Christianis conferre baptismum filijs infidelium vsu rationis expertibus inuitis ipsorum parentibus politicè tantùm, & ciuiliter subditis.

Prob. 1. ex doctrina, quam tradit *S. P. Aug. ep. 118*; & qua vtitur *S. Tho.* Operari contra consuetudinem toto Orbe ab Ecclesia seruatam licitum non est; sed baptizare filios infidelium inuitis eorum parentibus tantùm ciuiliter subditis est operari contra consuetudinem toto Orbe ab Ecclesia seruatam; ergo baptizare filios infidelium inuitis parentibus licitum nō est. Ma. prob. à *S. P. Aug. vbi s.* Consuetudo toto Orbe ab Ecclesia seruata vel est tradita ab Apostolis, si sit continuò seruata; vel est statuta *in plenarijs Concilijs*; à quibus solùm per totum Orbem potuit diffundi; sed operari contra traditiones, & contra statuta *Conciliorum* generalium non licet; ergo operari contra consuetudinem toto Orbe ab Ecclesia seruatam non licet. *Vid. to. 1. q. 5. proem. art. 3.* Tum quia *consuetudo est altera lex*, non scripta, sed *tradita*; sed operari contra legem non licet; ergo nec contra consuetudinem. Prob. mi. In toto Orbe catholico, vbi viuunt *Hebræi*, non baptizantur eorum filij inuitis parentibus, vt constat; & præcipuè *Romæ*, vbi residet Summus Pontifex, in quo est potestas super totam Ecclesiam, solemne est sic non baptizari filios *Hebræorum*; nec vnquam est auditum oppositum; neq; vsquam legitur, aut traditur Apostolos, Summos Pontifices, SS. Patres, Episcopos baptizasse filios vi ereptos à patribus gentilibus, aut Hebræis; quanuis id egisse potuerint vi Imperatorum, & Principum, qui Ecclesiæ, & illis fauebant; vt, *Syluester sub Constantino; & Ambrosius sub Theodosio*; quod agere non omisissent præcipuè Summi Pontifices, quibus vniuersaliter incumbit cura animarum; ergo baptizare filios infidelium inuitis parentibus tantùm ciuiliter subditis est contra consuetudinem Ecclesiæ toto Orbe seruatam; nam illud est contra consuetudinem vniuersalem, quod fit contra id, quod communiter agitur.

8 Prob. 2. *ex Apost. 1. Cor. 5. Quid mihi de ijs, qui foris sunt, iudicare?* super quod *S. P. Aug. lib. 13. confess. c. 24.* in fine ait: *De his enim iudicare nunc dicitur, in quibus et potestatem corrigendi habet*. Ex quo sic. Illud, quod sine potestate fit, illicitè fit; arrogare enim sibi potestatem, quam non habet, etiamsi sit in ordine ad bonum, malum est; vt cùm quis arriperet potestatem gubernandi Ciuitatem, vt sanctiùs eam regeret; sed baptizare filios infidelium inuitis parētibus sine potestate fit; hoc namque verbis allatis docet *Apost*; in tantùm enim quis habet potestatē baptizandi infantes Christianorum; in quantùm eorum patres sunt in Ecclesia; & quanuis filij sint extra Ecclesiam, quia adhuc non sunt baptizati; attamen quia filius est pars patris, ideo ratione patris dicitur pertinere ad Ecclesiam; filij autem infidelium nec per se sunt in Ecclesia, nec quatenus sunt pars patris; quia pater non est in Ecclesia; nec potestas ciuilis ad spiritualia potest extendi; à potestate namque spirituali, tanquam à membro contradistincto, secernitur; aliter laici possent licitè exercere potestatem in clericos; quanuis enim possint, aliqua vitia, quæ sunt contra Christi legē, prohibere, & punire, quatenus perturbant pacem, & bonum commune, quod tenentur curare; pax namque, & bonum publicum ad ciuilem spectat potestatem; non tamen possunt ea, quæ sine pacis, & boni publici turbatione peraguntur, quanuis sint contra legem Christi, punire; quapropter Principes temporales potestatem tantùm ciuilem agentes permittunt multa, mala, quæ impunita relinquunt, vt fornicationes simplices, & cetera huiusmodi, quæ tamen à Christi lege prohibentur, & puniuntur; vt docet *S. P. Aug. lib. 1. de lib. arb. c. 5*; ergo baptizare filios infidelium inuitis parentibus illicitè fit.

9 Prob. 3. *ex eod. S. P. Aug. lib. de vera relig. c. 16*; vbi loquens de Christo Domino inquit: *Nihil egit vi, sed omnia suadendo, & monendo; veteri quippe seruitute transacta tempus libertatis illuxerat*. Ex quo arguitur. Operari contra id, quod Christus egit in praxi, est illicitum; est enim operari contra ipsius præceptum; præcepit namque *Io. 13. Exemplum dedi vobis, vt quēadmodum ego feci vobis; ita & vos faciatis*; sed baptizare filios infidelium inuitis parentibus est operari contra id, quod Christus egit in praxi; quia Christus *nihil egit vi*; operari autem alio inuito est agere vi, vt est manifestum; tum quia Christus veterem legem, quæ erat *lex seruorum*, quia cogebat inuitos, excussit; & legem filiorum præscripsit, cui omnis vis, violentia, & coactio, quæ solis conuenit seruis, repugnat; tum quia Christus non baptizauit, nec iussit baptizari *Hebræorum* filios inuitis parentbus; ergo baptizare filios infidelium inuitis parentibus est illicitum.

10 Prob. 4. *ex eod. ibid. c. 6.* docente: *Ecclesia catholica per totum Orbem validè, latèq; diffusa omnibus errantibus vtitur ad profectus suos; & ad eorum correctionem, cùm euigilare voluerint. Vtitur enim gentibus ad materiam operationis suæ, hæreticis ad probationem doctrinæ suæ, schismaticis ad documentum stabilitatis suæ, Iudæis ad comparationem pulcritudinis suæ. Alios ergo inuitat, alios excludit, alios relinquit, alios antecedit; & serm. 254. de temp.* super verba patrisfamilias seruis zizania eradicare volentibus dicta *Matth. 13. Sinite* vtraq;

vtraq; crescere vsque ad messem; & in tempore messis dicam messoribus: Colligite primùm zizania, & alligate in fasciculos ad comburendum; triticum autem congregate in horreum meum; inquit: *Esto bonus intus; malum tolera foris, & intus. Foris tolera hæreticum, tolera paganum, tolera Iudæum, tolera & intus malum Christianum &c. Area trituratur adhuc &c. Putas esse te posse in area triticum solùm? Erras; geme in area, vt gaudeas in horreo.* Ex quibus sic. Mala, quæ sunt in ornamentum, & bonum Ecclesiæ, vi extirpare illicitum est; est enim contra Christi præceptum; qui vult, vt sinantur crescere vsque ad tempus messis, *quod est finis sæculi*, vt idem Christus *ibid.* exposuit; sed baptizare filios infidelium inuitis parentibus est vi extirpare mala, quæ sunt in ornamẽrum, & bonum Ecclesiæ; si enim omnes filij *Hebræorum* baptizarentur, cùm patres eorum mortui essent, iam extirpatus fuisset *Hebraismus* radicitus; & ornamentum pulcritudinis suæ deesset Ecclesiæ; & bonum vtile ad conuertendos gentiles; nam si deessent *Hebræi*, inquit S.P. *Aug. serm. 31. de tempore, non demonstraretur gentibus, quomodò prophetatus est Christus; ne fortè cùm vidissent tanta manifestatione impleri prophetias, putarent easdem scripturas à Christianis esse confictas*; ideo dicitur ps. 58. *Deus ostendes mihi super inimicos meos; nec occidas eos, nequando obliuiscantur populi mei.* Tum quia si non permitterentur infideles, deficeret exercitium fidei, & aliarum virtutum, quibus contra ipsos pugnatur; & quibus maximè ornatur Ecclesia; nam saltem inter Christianos in ditionibus omnium Principum Christianorum degentes non haberetur exercitium prædicationis, quo infideles conuertuntur ad fidem; in quorum conuersione maximus instituitur triumphus Ecclesiæ, ideo quauuis ab aliquibus ditionibus ob eorum flagitia fuerint iustè expulsi, non tamen debent eijci ab omnibus, ne bono conuersionis illorum, & exercitio suorum priuetur Ecclesia; ergo baptizare filios infidelium inuitis parentibus est illicitum.

11 Prob. 5. Facere aliquod, quod potest esse in contemptum, prophanationem, & pollutionem fidei catholicæ non est licitum; hoc enim, quod sic fit, est malum; & nullum malum est licitum; sed baptizare filios infidelium inuitis parentibus est facere aliquod, quod potest esse in contemptum, prophanationem, & pollutionem fidei; quia filij baptizati manentes sub cura parentum (de ijs enim sic loquimur) possunt facillimè peruerti à parentibus, atque ad infidelitatem reduci; quo prophanaretur, & pollueretur baptismus, qui est sacramentum fidei, & ideo prophanaretur, & pollueretur ipsa fides; ergo idem.

12 Prob 6. alia ratione, qua vtuntur *B. Doct. Æg. & D. Tho.* Violare ius naturæ etiam per ordinem ad salutem animæ impetrandam non licet; sed baptizare filios infidelium inuitis parentibus est violare ius naturæ per ordinem ad salutem animæ impetrandam; ergo baptizare filios infidelium inuitis parentibus non licet. Ma. constat; nam surripere alienam pecuniam, vt offeratur in sacrificium pro expiatione alicuius animæ à peccato non licet; eadem ratione non licet surripere pecuniam ad elargiendam eleemosynam, vt liberetur anima; quia *non sunt facienda mala, vt eueniant bona*; in tantùm autem non licet surripere rem alienam; in quantùm est violare ius naturæ, quod præcipit rem alienam non esse auferendam ab alterius potestate; & ratio est; quia ius naturæ est ius Diuinum à Deo, qui est Auctor naturæ, præscriptum in cordibus nostris; aliter si non esset ius Diuinum, non esset peccatum contra illud operari; cùm peccatum essentialiter sit contra Dei præceptũ. Prob. mi; quam rotundè negat *Mastr.* absque vlla ratione. Filius, dum est in ventre matris, est pars illius; at pars est sub potestate totius; ergo filius, dum est in ventre matris, est sub potestate matris. Res autem, quæ est sub alicuius potestate, ab illo non eripitur, nisi cùm transit ad esse sub potestate alterius; sed infans non transit ad potestatem alterius, nisi cùm peruenit ad vsum rationis, tunc enim fit sui iuris, acquirit namq; dominium potestatium suarum actionũ; ergo infans vsque ad vsum rationis manet sub parentum potestate, sub qua priùs erat, cùm claudebatur in vtero. Tunc sic. Exercere potestatem in rem, quæ est sub alterius potestate contra voluntatem illius est violare ius naturæ; sed baptizare filios infidelium inuitis parentibus est exercere potestatem in rem, quæ est sub alterius potestate; filius namque est sub potestate parentum vsque ad vsum rationis; vt diximus; ergo baptizare filios infidelium inuitis parentibus est violare ius naturæ. Tum quia si baptizare filios infidelium inuitis parentibus non esset violare ius naturæ; vel esset, quia parentes ius naturale non habent in filios; vel quia licitum est violare ius naturæ ad seruandũ Christi præceptum de baptismo omnibus conferendo; sed primum est falsum; nam negare parentes habere ius naturale in filios, est negare ius paternum, seu patriæ potestatis, quod communiter *omnes* admittunt; & secundum est inconueniens; quia est asserere posse licitè transgredi vnum Dei præceptum ad aliud seruandum; ergo idem.

13 Tandem redarguitur ratio desumpta ex *S. P. Aug. serm. 6. de Verb. Domini*; vbi ait, quòd *potestas inferior non obligat in ijs, quæ sunt contra potestatem superiorem*; ex quo deducit *Scot*; quòd Princeps, cui incumbit cura regendæ reipublicæ, magis debet cogere vnunquemque subdi superiori, quàm inferiori; & per consequẽs debet cogere infantes subdi potiùs Deo in baptismo, quàm parentibus in infidelitate. Redarguitur autem sic. 1. Potestas inferior nequit

quit obligare contra superiorem; sed potestas, quam habet Princeps in filios infidelium, quia est positiua, est inferior potestate, quam habent parentes; quia est naturalis, quæ prævalet potestati positiuæ; ergo potestas Principis nequit obligare infideles ad baptizandos suos filios. 2. Si potestas Principis posset obligare infideles sibi ciuiliter subditos in ijs, quæ spectant ad potestatem Dei, eadem ratione posset etiam obligare infideles adultos ad suscipiendum baptismum; quia præceptum suscipiendi baptismum, quod est à potestate Dei suprema, æqualiter obligat adultos, & paruulos; & licèt adulti habeant vsum liberi arbitrij, quod est libera potestas illum suscipiendi, vel non suscipiendi; attamen hæc potestas est inferior supremo dominio Dei; & ideo Princeps, *qui maximè tueri debet supremum Dei dominium, & debet agere, vt omnes tam maiores, quàm minores ei subdantur*; vt *ex Scoto* refert *Estius*; potest cogere etiam infideles adultos ad suscipiendum baptismum; sed hoc est falsum; & nequit, nisi distortè deduci ex illo axiomate *S. Patris Aug*; ergo neque potest id deduci de infantibus infidelium. 3. Potestas inferior non obligat in ijs, quæ sunt contra potestatem superiorem; sed potestas superior non præcipit baptizari filios infidelium inuitis parentibus; imò præcipit relinqui; nam de zizanijs recenter natis, quæ significant filios infidelium adhuc paruulos, filij enim hæreticorũ significantur nomine aristarum recisarum, cùm sint mẽbra ab Ecclesia recisa, vt diximus *to. 5. q. art. 3. S. 1. n. 27*; præcipit: *Sinite vtraq; crescere*; ergo potestas inferior obligat ad nõ baptizandos paruulos infidelium inuitis eorum parentibus.

14 Obijc. 1. *ex Scot. apud Mastr. n. 88.* Maius dominium habet Deus in filios infidelium, quã habeant ipsi infideles; sed Deus vult illos baptizari; quia *vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*; & Apostolis præcepit *Matth. vlt. Euntes docete omnes gentes baptizantes eos*; ergo si baptizentur, nulla fit iniuria parentibus; quia cùm exequimur Dei præceptum, nulla creaturæ irrogatur iniuria. 2. Quando dominia sunt subordinata, tunc parendum est præcepto superioris cõtempto inferiori; sed Deus præcipit baptizari omnes; ergo quanuis infidelis præcipiat suos filios non baptizari; attamen debent baptizari; vt obediatur Deí præcepto. 3. Si non possent baptizari, maximè, quia parentes habent ius naturale in filios, & violatio iuris naturalis illicita est; sed hoc est falsum; nam quanuis quoad alia habeant ius naturale, non tamen quoad hoc; ius enim naturale nequit contrariari iuri Diuino; quia gratia naturam non destruit, sed perficit; ius autem Diuinum præcipit omnibus, vt permittant suos filios à fidelibus baptizari; ergo idem. 4. Pater ex præcepto nedum Diuino, sed etiam naturali tenetur prouidere non secus, ac de alimentis, de remedio ad salutem necessario; ergo Princeps, qui habet ius defensiuum innocentium, potest licitè eripere paruulos à parentibus infidelibus, ac illos baptizare, ne salutem æternam amittant. 5. Pater non habet ius naturale impediendi salutem temporalem; ergo nec æternam; & ideo sicut licitè potest eripi filius à parente volente eum occidere; ita licitè eripi potest à nolente eum baptizari.

Resp. ad 1. dist. mi. Deus vult omnes baptizari violenter, & coactè, neg; non enim dixit: *Cogentes baptizari, sed baptizantes*; voluntariè, & amanter, conc; propterea antequam baptizarent, præmisit: *Docete*; vt per doctrinam voluntariè, non coactè venirent ad fidem; & sic dixit: *Ad agnitionem veritatis venire*; quod significat voluntariè se ad fidem mouere; non autem dixit: *Violentari, cogi, aut compelli*. Præterea Christus præcepit Apostolis, vt ita facerent, sicut ipse fecit, vt diximus; ipse autem nullum filium reluctantis *Iudæi* baptizauit. Tandem hoc probat nedum de ipsis paruulis, sed etiam de eorum parentibus, vt diximus. Ad 2. eodem modo dist. mi. Præcepit baptizari voluntariè, conc; coactè, neg; cùm autem paruuli non habeant vsum voluntatis liberæ in se ipsis, sed solùm in suis parentibus; ideo nequeunt licitè baptizari inuitis parentibus. Ad 3. eodem modo dist. Ius Diuinum præcipit parentibus, vt liberè permittant suos filios baptizari, conc; coactè, neg. Præterea ius Diuinum nedum præcipit parentibus, vt permittant suos filios baptizari, sed etiam, vt ipsimet baptizentur; & tamen sicuti non possunt ipsi baptizari coactè; quanuis non baptizari sit contra ius Diuinum; ita nec eorum filij possunt coactis parentibus baptizari, quanuis iuri contrarietur Diuino. Ad 4. neg. cons; aliud enim est, quòd parentes teneantur permittere, vt filij baptizentur; & aliud, quòd Princeps possit ipsis inuitis eos baptizare; sicut aliud est, quòd quis ex Dei præcepto teneatur eleemosinam facere; & aliud, quòd Princeps possit cogere subditos ad erogandam eleemosinam. Princeps itaque habet solùm ius defensiuum innocentiũ quoad ea, quæ spectant ad temporalem hanc vitam, ad tranquillitatem, pacem, & aliud bonum publicum; est enim minister purè temporalis; & ideo tantùm ad temporalia potestas eius extenditur. Præterea nequit Princeps etiam cum fidei contemptu, & prophanatione, quæ sequeretur in casu, salutem innocentium, quam frustra promoueret, vt diximus, curare. Ad 5. neg. cons; sicut enim quanuis Princeps possit impedire, ne quis infidelis sibi subditus se mactet; non tamen potest impedire, ne se æternaliter damnet; ita quanuis possit impedire, ne infidelis filium occidat; nequit tamen impedire, ne eum à baptismo suscipiendo contradicat; quia primum spectat ad regimen temporale, quod spectat ad Principem; secundum verò spe-

ctat

ctat ad ordinem Diuinæ prouidentiæ, cui Princeps nequit se immiscere.

15 Obijc. 2. Si Pater vellet filium edocere artes illicitas, vt magiam, veneficia &c. posset Princeps filium à potestate patris anferre; & alibi collocare honestiùs instruendum; ergo à fortiori poterit, si filium falsa religione velit imbuere. 2. Si pater bona sua prodigat, potest Princeps assignare filijs curatorem; ergo à pari. 3. Potest Princeps filios à potestate patris eripere, si in virtutibus moralibus non bene educentur contra legem naturalem; ergo à fortiori, si non instruantur in lege supernaturali, & per consequens in vera religione, quæ tantùm per baptismum acquiritur; nihil enim magis est de iure naturæ, quàm cultus veri Dei, qui in vera religione præstatur; quanuis namq; Princeps non habeat potestatem ad spiritualia directè; illam tamen habet indirectè; quatenus nihil magis turbat pacem publicam, quàm religionum diuersitas, vt constar.

Resp. hec omnia ad rem non esse; quæstio enim procedit solùm de infantibus vsu rationis expertibus, qui non sunt sui iuris, sed naturaliter sunt sub iure patris; tunc autem sunt expertes vsus rationis, quando nequeunt habere exercitium sensuum; sine quo neque artes, neque scientias, neque virtutes possunt addiscere, cùm tantùm magisterio sensuum acquirantur; docet enim *Phil*; quòd *omnis nostra cognitio habet ortum à sensu*. Cùm igitur artes, scientias, & virtutes sunt capaces edoceri, tūc habent sensuum exercitium, & per consequens vsum rationis, & ideo sunt sui iuris, & non sub iure patris; & propterea ius patris non læditur, si ab illo auferantur Ad 1. dist. conf. Poterit Princeps filium à potestate patris auferre ante vsum rationis, neg; post vsum rationis, conc. Ad 2. neg. cons; nam prouidere circa res temporales spectat ad ius Principis, qui potest obligare etiam nolentes; at conferre baptismum, qui illum nolentibus tribui non potest, ad Principem non pertinet. Ad 3. dicitur, sicut ad 1. Præterea si religionum diuersitas turbat publicam pacem; adeoq; debent christiani Principes ad fidem catholicam omnes compellere, vt omnes in vna religione pacificè viuant; sequitur, quòd debeat cogere nedum infantes, qui, vt potè sine vsu rationis, nequeunt de religione contendere, & pacem turbare; sed etiam ipsos parentes; quod ex consuetudine continuò seruata Ecclesia non facit. Ad seruandam ergo publicam pacem satis fuit prouisum inhibendo, ne de religione ab idiotis priuatim tractetur, sed tantùm à concionatoribus, missionarijs, alijsque idoneis ministris.

16 Obijc. 3. Quanuis in iure ciuili voluntas parentum censeatur voluntas filij per ordinem ad aliquos effectus ciuiles pendentes à voluntate Reipublicæ; attamen in ordine morali per respectum ad ea, quæ spectant ad æternam salutem, infantes non dependent à voluntate parentum; quanuis enim Deus non decreuerit dare adultis, qui sunt sui iuris, baptismum, nisi illum velint accipere; infantibus tamen, cùm non sint sui iuris, voluit etiam ipsis non consentientibus, & non consentientibus, imò repugnantibus parentibus prodesse; cuius signum infallibile est; quòd baptismus collatus inuitis parentibus non iteratur; vnde sicuti fuit sufficiens *Adæ* voluntas ad perdendos omnes infantes; ita sufficit Christi voluntas ad illos baptizandos; ergo licitè potest illis conferri. Si non possent baptizari; vel propter apostasiæ periculum; vel quia nequeunt à patre separari? Non primum; quia possunt relinqui apud patrem vsque ad vsum rationis, & postea ab illo separari. Non secundum; quia cùm eis confertur baptismus, Ecclesia statim ius in illos acquirit; & per consequens potest illos separare à parentibus; *accessoriū enim sequitur naturam principalis*; & ideo separatio, quæ accessoria est, sequitur ius in baptismo acquisitum, quod est principale. 3. Periculum, quòd detur baptismus in odium, & contemptū fidei, non est sufficiens motiuum, vt denegetur; nam apud infideles fides est adeò odiosa, & contempta, vt vix reddi possit odiosior, & contemnibilior; ergo idem.

Resp. ad 1. conclusionem quoque non tangere; transit enim de esse licito, de quo est sermo, ad esse validum, de quo non loquimur; ideo incassum ferit. Dist. ergo 2. pars ant. Infantes non pendent à voluntate parentum quantùm ad validitatem baptismi, conc; quantùm adhoc, vt eis licitè conferatur, neg; quanuis enim non possint illum reddere inualidum; possunt tamen reddere illicitum propter rationes adductas. Ad 2. dicitur propter vtrumq. Ad improb. primi dicitur, quòd quia tempus, quo acquiritur vsus rationis, est valde varium in omnibus; aliqui enim habentes organa bene disposita citiùs acquirunt; alij verò rardiùs, ideo commodè possent patres ad infidelitatem disponere, & in illa firmare, antequam Princeps sciat peruenisse ad vsum rationis. Præterea moraliter impossibile est, quòd tot filij *Hebræorum*, aliorumq; infidelium noscantur, & curentur, ne alio transmittantur à patribus, vel occidantur; vel committatur aliud peccatum ratione baptismi, quo baptismus polluatur, & prophanetur. Ad improb. secundi dist. Post baptismum Ecclesia acquirit ius naturale, quod habebat pater, neg; non enim spoliat parentes iure paterno; aliter teneretur eos alere; etiansi pauperes non essent; supernaturale directiuum quoad ea, quæ sunt fidei, conc. Ad 3. neg. ant. Ad prob. infert. dicitur, quòd etiansi fides sit summè odiosa infidelibus; attamen non est licitum committere actum, quo infideles actu exerceant actum odij, & contemptus in illam.

17 Obijc. 4. Non minùs subduntur iuri paterno

terno filij hæreticorum, & seruorum despoticè subiectorum, quàm subdantur filij paganorum; sed absque violatione, & iniuria iuris paterni possunt filij hæreticorum,& seruorum despoticè baptizari inuitis parentibus; ergo & filij paganorum. 2. In euidenti mortis periculo possunt filij infidelium baptizari inuitis parentibus citra violationem, & iniuriam iuris naturalis; ergo etiam extra tale periculum; uam in rantùm licet in articulo mortis, in quantùm per mortem cessat tale ius; sed hoc est falsum, quia tale ius durat etiam supra cadauer; ergo licet etiam extra periculum. 3. Pater malè vtens iure paterno potest iustè tali iure priuari, sicut maritus malè vtens iure vxorio potest à Principe coerceri, & puniri; sed parentes negantes filijs baptismum malè vtuntur iure paterno, quia illo vtuntur in perniciem filiorum; ergo possunt illo spoliari. 4. Præceptum naturale de non auferenda re aliena inuito domino in extrema necessitate cessat; sicut cessat præceptum naturale seruandi contractum matrimonialem inter infideles altero coniugum ad fidem conuerso; ergo à pari.

Resp. ad 1. neg. ma, nam filij hæreticorum, & schismaticorum ita subduntur iuri paterno, vt mediantibus parentibus subdantur Ecclesiæ, à qua proinde possunt cogi ad baptismum, quod enim potest in causam, potest etiam in effectum; & quod potest in aliquam potestatem, potest etiam in subditos illi potestati; Ecclesia autem potest coactiuè in hæreticos, & ideo eodem modo potest in filios eorum. At verò filij paganorū subduntur parentibus, qui nullo modo subduntur Ecclesiæ iuxta doctrinam *Apostoli*; ideo ita subduntur parentibus, vt nullo modo possint cogi ab Ecclesia. Sic filij seruorum despoticè ita subduntur iuri paterno, vt mediantibus suis parentibus subdantur dominis, quibus parentes subduntur; at filij paganorum subduntur parentibus, qui nullo modo subduntur Ecclesiæ; ideo non est eadem ratio. Ad 2. neg. cons; quamuis enim maneat ius super cadauer quantùm ad locum sepulturæ, non tamen manet ius super totum compositum, quia non manet ius super animam, vt corpori coniunctam, vt non separetur ab illo; constat nanque, quòd ipsa mors separat, ideo tollit ius quantùm ad non separandum. Ad 3. dist. ma. Malè vtens iure paterno potest ipso spoliari quantùm ad naturalia, ad quæ se extendit potestas Principis, conc; quantùm ad spiritualia, ad quæ potestas Principis non extenditur, neg; si enim ad Ecclesiam non attinet, vt docet *Apostolus, iudicare de ijs, qui foris sunt*, idest extra Ecclesiam, multò minùs cadet sub potestate Principis, quæ subditur potestati Ecclesiæ. Ad 4. neg. cons; & disparitas est, quia in extrema necessitate omnia sunt communia, vbi autē viget ius commune, cessat ius particulare; & sic coniux fidelis non tenetur seruare fidem, ideo potest discedere ab altero coniuge, quando extat peruersionis periculum. At verò Princeps nullum ius baptizandi habet in filios infideliū, vt diximus, ideo ius paternum non cessat.

18 Obijc. 5. *Luc. 14.* habetur: *Exi in vias, & sepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea*; ex quibus colligitur vim compulsiuam ad fidem licere; *& S. P. Aug. cont. Donatist.* sæpissimè, *& ep. 48. ad Vincent.* docet, quòd si leges Imperiales prohibuerunt sacrificia paganorum, & adulteria, multò magis possunt cogere ad seruandam legem Dei; minus est enim seruare fęminam viro, quàm animam Deo; ergo idem. 2. Quanuis *Conc. Tolet. IV. can. 57.* reprobet legem *Sisebuti Regis Visigothorum*, qua cogebantur *Hebræi* ad baptismum; attamen vocat eum Principem religiosissimum, quia tulit legem, quanuis præsentibus circunstantijs incongruam, non tamen religioni christianæ absolutè contrariam. 3. Quanuis extet manifestæ apostasiæ periculum, attamen baptismus non esset inutilis, quia plures infantes moriuntur ante vsum rationis, & plures peruenientes ad adultam ætatem viuunt in ignorantia inuincibili, & ideo saluantur; ergo saltem propter hoc hæc sententia est admittēda.

Resp. ad 1. *cum S. P. Aug. ep. 50. ad Bonifac.* locum Euangelij intelligendum esse de hæreticis, & schismaticis, in quos potestatem habet Ecclesia, non de gentilibus, in quos potestatem non habet; & in hoc sensu loquitur *in ep. cit*; loquitur enim de cogendis *Donatistis*, qui erant christiani; vnde frustra his *textibus* vtuntur aduersarij. Præterea dicitur *S. Patrem* sententiam mutasse de non cogendis hæreticis, vt patet *ex illa ep.* Præterea verbum *compello* aliquando sumitur, prout est idem, ac efficaciter moueo; orat enim Ecclesia in quadam collecta: *Ad te etiam nostras rebelles compelle voluntates*; quod nequit intelligi sine nostro voluntario consensu; nam quod voluntate fit, voluntariè fit. Ad 2. dicitur, quòd *Reges Visigothorum*, sicut fecerunt, & nostri religiosissimi Reges Hispaniarum *erga Mauros, & Iudæos*, non coegerunt ad fidem, sed optionem dederunt, vt vel fidem susciperent, vel è suis Regnis exirent. Quod probat fidem voluntariè, non coactè esse suscipiendam. Ad 3. dicitur, quòd adhoc, vt aliqui saluentur, licitè patrari non debent plura sacrilegia; *non enim sūt facienda mala, vt eueniant bona*; aliter licitum esset occidere statim post susceptum baptismū, vel pœnitentiæ sacramentum eum, quem ex reuelatione Diuina sciret perditè esse victurum, & damnandum. Præterea esset hoc licitum etiam in adultis tempore pestis, vel belli propter eandem rationem. Ad aliud de ignorantia inuincibili neg. supp; de facto namque legis christianæ, quæ per totum orbem promulgata est, ignorantia inuincibilis dari non potest.

19 Concludimus, quòd licèt contraria sententia non obstantibus grauissimis rationibus

alla-

allatis, posset substineri; attamen ob consuetudinem Ecclesiæ continuò seruatam, & ab Apostolis traditam, & tot *scripturis* firmatam; nullo modo ad praxim deduci licitum est.

20 Diximus *sup.* filios Patrum hæreticorũ, qui semel fidem catholicam professi sunt, esse cogendos ad fidem. Sed quæritur, an filij etiam hæreticorum, qui nunquam fidem catholicam susceperunt, sed lunga annorum, & generationum serie hæresim tenuere, sint ad fidem cogendi?

Resp. dist; nam vel tales hæretici pacem turbant Ecclesiæ;& tunc cogendi sunt, & exterminandi; vt habetur *ex Luc. III. tit. de hæreticis c. ad abolendam; & ex Innoc. III. c. excommunicamus*; & sumptum est *ex Conc. Lat. IV. c.4*; vbi statuitur Principes sæculares esse censuris compellendos ad exterminandos è suis terris omnẽ hæresim extollentem se aduersus hanc sanctam, orthodoxam, & catholicam fidem. Vel tales hæretici sunt omnino pacifici, & ab ipsis nullũ malum timetur Ecclesiæ, sed bonum conuersionis eorum speratur; & tunc sunt tolerandi. *Ita Becc. in manuali lib. 5.c.8*; apud quem *Caiet;Val; Mol; & aly*;& habetur *ex D. P. Aug. locis cit; & lib. 2. cont. Crescon. c. 16; & ep. 48. ad Vincent; & alibi*.

A R T. II.

Afferuntur aliqui casus circa suscipientes baptismum.

1 ASsignãt DD. discrimen inter inuitum,& coactum; quòd inuitus est ille, qui, quanuis absolutè non velit, conditionatè tamen vult; vt constat de eo,qui absolutè non vult baptizari; attamen minis, terroribus, & supplicijs consentit baptismo; coactus verò est ille, qui omnino dissentit,& nullo modo consentit neque minis, terroribus, aut supplicijs induci potest ad recipiendum baptismum. Hoc discrimen affertur *ab Innoc. III. c. maiores de bapt*; ex quo infert, quòd,qui omnino coactè baptizatur,si sit adultus, inualidè baptizatur, quia deficit intentio illum recipiendi, quam necessariò requiri diximus *q.3.art.2*. Si verò baptizetur inuitus ita, vt aliquo modo consentiat ad euitanda supplicia, & detrimenta proposita, baptismus est validus, quia ille censetur voluntarius simpliciter, & inuoluntarius secundùm quid, vt cõstat de proijciente merces in mare metu naufragij;quanuis enim nollet illas proijcere,si posset vitam saluare,attamen simpliciter vult proijcere metu amittendi vitam. Sic quanuis baptizatus inuitus nollet baptizari,si posset effugere damna sibi comminata, & supplicia; attamen vult simpliciter baptismum suscipere, vt illa deuitet. *Vid.q.3. vbi s.*

2 Amentes, & furiosi adulti, vt resoluitur *eodem c. maiores*; si ab initio natiuitatis amentiã, & furorem traxerint, & nullum vnquam rationis interuallum habuerint, computantur inter infantes, qui sunt expertes vsus rationis; & ideo quanuis nullam prorsus intentionem habeant, validè, & licitè baptizantur, si sint orti ex parentibus catholicis. Quòd si nati sint ex infidelibus, & sub eorum cura remaneant, tunc distinguendum est; nam vel est spes, quòd vsum rationis sint recepturi, & tunc non licet eis baptismum conferre propter periculum peruersionis, & prophanationis sacramenti, vt diximus in *sup. art.* Vel certum est eos numquam adepturos vsum rationis, & tunc licitè baptizantur eo modo, quo diximus de infantibus infidelium positis in extremo mortis periculo; tunc enim nullum apostasiæ est dubium. Si autem ante amentiam, vel furorem ratione vsi sint; vel petierunt baptismum, & tunc conferendus est eis; quod dicendum etiam est de dormientibus; vel non petierunt, & tunc non est conferendus.

3 Refert *Otho Frisingen.lib.7.c.31*;quòd *Armeny* consuluerunt *Eug.III.* super id, quòd populi *Agareni* habitantes *in Armenia* confinio videntes, quòd eorum filij malè olerent tanquam canes,eisque esset persuasum, vt ad abluendum caninum fętorem,qui causabatur à Dęmone illos vexante, ad baptizandos baptismo christianorum eos deferrent, orthodoxis sacerdotibus offerebant,& baptizabantur; post baptismum tamen ad paganismum redibant. Quæsitum fuit in hoc casu,quid esset agendum? Quoniam tamen Pontificis responsio disperijt; quæritur,an validus fuerit ille baptismus, & an licitè fuerit ministratus?

Resp. baptismum in casu allato ministratum fuisse validè, sed non licitè. Primum traditur *à S.P. Aug.ep.23.ad Bonifac.* docente: *Nec illud te moueat, quòd quidam non ea fide ad baptismum percipiendum paruulos ferunt, vt spiritali gratia ad vitam regenerentur æternam; sed quòd eos putant hoc remedio temporalem retinere, vel recipere sanitatem. Non enim propterea illi non regenerantur, quia non illis hac intentione offeruntur; celebrantur enim per eos necessaria ministeria, & verba sacramentorum; sine quibus consecrari paruulus non potest*. Quibus verbis decisionem casus propositi in terminis affert,& rationem; nam intentio parentum nõ est necessaria ad validitatem baptismi. Secundum, quod est *cont. nostrum Faruacq*; probatum est *in sup. art.*

4 Quædam filia *Hebræa*, vt refert idem *Faruacq*; à sua domo procul inuenta interrogata de suis parentibus respondit se esse quidem *hebræam*, sed velle christianam fieri; explorato illius vsu rationis, cùm non constaret eam illo perfectè vti, decisum fuit differendum esse baptismum; nulla enim cogebat necessitas illum statim conferendi; vsque dum constaret de perfecto vsu rationis; non erat tamen parentibus restituenda,quia in tali dubio fauendum est potius

tiùs animæ. Ex quo infertur, quòd filij infidelium, cùm sunt propinqui vsui rationis, & dubitatur, an ratione vtantur, baptismus est differendus, & filij retinendi inter catholicos. Si autem sint in periculo vitæ, baptismus statim est conferendus, vt diximus etiam de paruulis, qui illum non petunt, neu petere possunt.

5 Monstrum habens duo capita, & duo corpora debet duplici baptismo baptizari; sunt enim duo homines. Quòd si dubium sit, an sint duo, vel vnus tantùm; tunc vnus baptizandus est absolutè; alter sub conditione; idest: *Si non es baptizatus; ego te baptizo &c.* Dubium autem esse potest, cùm non habet, nisi vnicum corpus, vnicum pectus, & duo capita, & nescitur, an habeat duplex cor; anima enim, vt docent *Philosophi*, principalem sedem habet in corde. Tandem si aliquod monstrum habet quidem pedes, crura, & manus humanas; pectus autem, & caput belluinum, propter quod vehementer dubitatur, an sit homo; baptizandum est sub conditione, scilicet: *Si tu es homo; ego te baptizo &c. Ita S. Carol. Mediol. in instructionibus baptismi.* Quod dicendum est de quibuscunque alijs monstris alio quouis modo similia dubia habentibus.

6 Catechumeni differentes baptismum vltra tempus ab Ecclesia statutum peccant; habetur enim *Eccli. 5. Ne tardes conuerti ad Dominum & ne differas de die in diem. Ita Conc. Neocesarien. can. 12.*

7 Infantes expositi sine schedula baptismi, sine testibus, & sine iudicijs, si nati sint inter fideles, baptizandi sunt sub conditione, vt diximus *q. 2. art. 7.* Si autem habeant schedulam, & sint testes baptizatos fuisse ab obstetrice sciente formam baptismi, & intentionem requisitam ad baptismum, & obstetrix sit bonæ famæ, & rectæ vitæ, tunc non sunt baptizandi etiam sub conditione, quia præsũptio stat pro validitate baptismi; aliter cùm certò sciri non possit de intentione parochi aliàs bonæ famæ, omnes ab ipso baptizati essent baptizandi sub conditione; eadem enim militat ratio, & sic rota turbaretur Ecclesiæ; quidquid dicat *noster Farnacq.* Si verò sit vehemens suspicio, quòd obstetrix sit venefica, saga, vel maga; tunc tutiùs est sub conditione baptizare. *Vide q. 2. vbi sup.*

8 Baptizatis non sunt imponenda nomina turpia, ridicula, impura, & prophana, quæ impiorum hominum memoriam ingerunt. Imò neque nomina veteris testamenti, quia nouum testamentum veteri præstat. *Ita S. Carol. vbi sup. Conc. Burdigalen. anno 1582; Rhemen. anno 1583; Bituricen. 1584; & Aquen. 1585.*

DE CONFIRMATIONE.


TRAHE *me post te; in odorem curremus vnguentorum tuorum. Cant. 1.* Vox animæ hæc est Christo iam desponsatæ in baptismo, & sacri Chrismatis in odorem currentis; non enim è peccatis ei sufficit erigi, nisi etiam confirmetur, vt stet, ne iterum in peccata labatur; nec ei satis est à sordibus originalibus ablui, nisi etiam, ne proprijs inquinetur, vngatur; nec à captiuitate Dæmonum erui, nisi etiam contra Dæmones pugnans roboretur, vt ruant. Multiplici gratia munienda est, quia non vna est ei plaga sananda; sed sicuti vna anima est, quæ pluribus sauciatur vulneribus; ita vnus, & idem Spiritus Sanctus est, qui per sacramenta diffunditur; & per quem diuersa gratiarum munera communicantur ita, vt posteriora, quæ superueniunt, priora non destruant, sed perficiant; quemadmodum vulnus recens non sanat, sed læthalius reddit vulnus antiquum. Ob hoc *perfectio baptismi* confirmatio appellata est; sicut enim vetus homo, qui est peccati seruus, baptismi suffocatur in aquis & nouus homo, qui est seruus Christi, regeneratur; ita oleo Chrismatis nouus homo vngitur in Christi militem, vt, qui per baptismum factus est Christi seruus libertate donatus per fidem, per sacramentum confirmationis militiæ Christianæ caractere insigniatur ad eandem fidem contra terrentem Mundum, & horrificantem Diabolum imperterritè, inuictèque tuendam. Per baptismi vndas à tenebrarum potestate fit liber; per oleum chrismatis contra eandem atleta perungitur. Per illum, tanquam Christi ouis, fidelium gregi coniungitur; per istud, tanquam Leo impauidus, militiæ Christi conscribitur. Per illum vitam acquirit, vt pugnet; per istud pugnat, vt viuat. Per illum à mortis corruptione purgatur; per istud ad vitæ incorruptionem firmatur. Sine illo nequit ex hostium manibus eripi, sine isto nequit cum hostibus manus conserere. Sine illo viuere; sine isto vincere; sine illo pax; sine isto nequit esse triumphus. Extra illum vita non est; extra istud victoria. Extra illum nulla est salus morbis; extra istud nulla salus bello. Extra illum ad Christi hæreditatem nullus titulus est; extra istud ad mercedem nullum est ius. Ille fratres efficit Christi; istud commilitones. Ille adoptat; adoptatos hoc probat. Coronam ille largitur; hoc reddit. Quicquid illo incipitur; hoc perficitur; quicquid illo donatur; hoc consummatur; propterea perfectrix vnctio, & consummatio *à D. Dion.* hoc nuncupatur; fidem etenim, quam ille tribuit, hoc operibus perficit; & vsque ad vitæ consummationem propugnando conseruat. Ordo igitur doctrinæ postulat; vt postquam de baptismo peregimus, de confirmatione tractemus, quæ baptismi perfectio est, & complementum. Hunc ordinem Ecclesia primitus tenuit, quæ post baptismum confirmationem mox conferre consueuit. Igitur teneamus & nos Ecclesiæ magisterium sequentes.

Q V Æ S T I. I.

De institutione, & quiditate confirmationis.

PAuca sunt, sed grauissimis difficultatibus plena, quæ de sacramento confirmationis quæruntur; adeoque breui quidem stylo, sed graui sunt pertractanda. Difficultas autem dicendorum enascitur; quia omnia sunt auctoritate probanda; nec alia ratio, quàm, quæ ab auctoritate depromitur, tanquam efficax, est admittenda.

A R T. I.

An confirmatio sit verum sacramentum à Christo Domino immediatè institutum?

1 PLuribus nominibus nuncupatum fuit hoc sacramentum. 1. Dictum est confirmatio ab effectu, quem producit, qui est confirmare in fide accepta in baptismo, & roborare ad eandem fidem intrepida etiam morte attestandam. Hoc nomen sumptum dicitur *ex 2. Cor. 1. Qui confirmat nos Deus; & ps. 67. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis*; videtur propheticè dictum. Ab Apostolis creditur deriuatum, & traditum; vt constat *ex lib. 3. Constitut. Apostolicar. c. 17.* docente: *Vnguentum est confirmatio confessionis, seu professionis, scilicet fidei.* Habetur etiã *de consecr. dist. 5. cap. Spiritus S. & c. 5. vt ieiunis & in 6. Syn. can. 6. & in Flor. in decr. vnion; & Trid. sess. 7. 2.* Dictum est *obsignatio, seu sigillum, aut signum Christi*, quia homo per confirmationem signatur exteriùs per signum crucis in fronte, & interiùs per caracterem; & hæc signatio explicatur per verba, ex quibus constat forma huius sacramenti: *Signo te signo crucis &c.* Sic appellatur *à S. Dion. de Eccl. Hier. c. 2; à S. Clem. Rom. ep. 4; à Cornel. Papa apud Euseb. lib. 6. hist. Eccl. c. 35; Nazianz. in S. baptisma; Theodoret. in c. 1. cant; S. P. Aug. lib. 16. cont. Faust. c. 4; S. Cypr. ep. 73; & de consecr. dist. 5. c. 4. nouissimè.* 3. Dictum est *sacramentum benedictionis. Ita Conc. Illibert. can. 77.* 4. Vocatum est *Chrisma* à materia, ex qua constat. Ita *S. P. Aug. lib. 2. cont. Petil. c. 104*; seu *oleum sanctificatum*; vt *ab eodem lib. 5. de bapt. cont. Donatist. 20*; & *sacrum vnguentum à D. Cypr. lib. 1. ep. 12; oleum vnctionis à D. Basil. lib. de Spiritu S. c. 27; perfectrix vnctio, & consummatio à D. Dion. vbi sup; & Conc. Laodic. can. 48.* quia perficit baptismum. Tandem dictum est *manus impositio*; vt *ex Melchiade de consecr. dist. 5. c. 2. de his; & ex Eusebio Papa ibid. c. 3. manus quoque; & ex Conc. Illibert. can. 38; Carthag. sub Siricio; Matisconen. II; & alijs plurimis; S. P. Aug. serm. 33. de diuersis; S. Cypr. ep. 73; & S. Hier. cont. Luciferianos.*

2 Sed hoc nomen *manus impositio* æquiuocum est; plura enim diuersæ rationis significat, quia nedum in diuersis sacramentis, sed etiam in pluribus sacramentalibus manus imponi solemne fuit in Ecclesia. 1. Manus impositio dicitur de confirmatione, vt diximus. 2. De pœnitentia, qua à peccatis absoluimur; seu de reconciliatione, qua hæretici reconciliantur Ecclesiæ. 3. De sacramento ordinis, in cuius collatione; vt constat *ex Rit.* impositio manus interuenit. 4. Sumitur pro oratione, quæ fit super infirmos; vt *Marc. 16. Super ægros manus imponent, & bene habebunt.* 5. De exorcismo, quo per impositionem manus eruitur catechumenus à potestate Dæmonis; vel quo Diabolus ipse expellitur ex energumenis. 6. Dicitur de qualibet benedictione, quæ fit super aliquem; vt legitur *de Iacob*, qui benedixit filios manus super illos imponendo.

3 Hæc multiplicitas sensuum, in quibus manus impositio *vsurpata fuit*, plures hallucinationes inuexit *apud aliquos DD*; qui ad illam non attendentes plura falsa scripsere; vt *inf. videbimus.* Illa igitur tantùm manus impositio, quæ fit cum vnctione chrismatis in fronte *cum debita forma*, propriè de confirmatione dicitur: non verò quælibet alia, de qua est sermo *in Scripturis, & apud SS. PP.* Hoc præmisso nedum ad distinctam intelligentiam eorum, quæ dicenda sunt *in hoc art*; sed & aliorum, quæ in alijs subsequentibus resoluenda erunt; in præsenti duo inquirimus; an confirmatio sit verum sacramentum; & an fuerit à Christo Domino immediatè institutum. Quoniam tamen hoc secundum resolutum fuit *de sacram. in com. q. 1. art. 5. §. 1*; ideo de hoc pauca dicemus subijcientes tempus, in quo hoc sacramentum fuit institutum.

4 Quoad 1. *Nouatiani apud Optat. Mileuit. lib. 2. cont. Parmenian.* negarunt sacramentum confirmationis. Secuti sunt *Vualdenses apud Æneam Syluium lib. de orig. Boemor. c. 35. Caluin. lib. 4. instit. c. 19. §. 4.* dixit confirmationem olim fuisse ceremoniam quandam ad examen puerorum, qui in infantia baptizati fuerant; *& in antid. Conc. Trid. sess. 7. c. 2.* simul *cum Luthero lib. de captiuit. Babyl. c. de confirm.* asserit confirmationis nullam fieri mentionem *in scripturis*, nec *à SS. PP.* trium primorum sæculorum; sed fuisse adinuentam *à Melchiade Papa anno 311.*

5 Quoad 2. nedum *hæretici*, sed etiam *aliqui catholici* asserunt confirmationem non fuisse à Christo institutam; at cum hoc discrimine, quòd hæretici volunt institutam fuisse *à Melchiade Papa anno 311*; vt diximus; catholici verò asserunt

in-

institutam fuisse *in Conc. Melden. anno* 845. *Ita Alex.p.4.q.9.membr.1;& D.Bon.in 4.dist.7.art.1; & 2. Alij* autem dicunt institutam fuisse per Apostolos post ascensionem Christi in Cęlum; vt diximus *de sacram.in com. vbi sup. Alij* tandem institutam quidem fuisse à Christo in genere non determinando materiam,& formam; institutam autem fuisse in specie ab Apostolis, qui materiam, & formam determinarunt.

6 Ceteri autem *DD.communiter* docent cōfirmationem fuisse à Christo per se,& immediatè institutam. Sed maior est controuersia circa tempus, quo fuit instituta. *Aliqui* dicunt fuisse institutam *Matth.* 19; cùm Christus imposuit manus super infantes, & paruulos. Ita videntur sensisse *D.Tho.in 4.dist.7.q.1.art.1.ad 2; & Fund. Doct.Ægid.super salut.Angelic.fol.14.col.2; Baecon. in 4.dist.7.q.1.art.1. Alij* voluunt institutam fuisse ab Apostolis post ascensionem Christi in cęlum. *Ita noster Faruacq. hic c.1. q.2*; apud quem *Hugi S.Bon;& Mag. Alij* volunt inchoatiuè institutam fuisse in nocte cenæ quantùm ad designationem materiæ,& formæ; completiuè autem *Io.20. Ita noster Gibb.hic disp. 16. dub.1.n.21*; apud quem *Sot; Suar; Coninch; Layman; & noster Lusit. Alij* tandem volunt institutam fuisse, non quidem in re, sed in figura, & in symbolo *Matth.* 19; & in hoc sensu loqui *Fund. Doct.Ægid; & D.Tho.* rectè aduertit *noster Basil. Ponc*; in re autem institutam fuisse in nocte cenæ; *& Io.* 20. fuisse tantùm collatam potestatem illam conferendi, & die Pentecostes Apostolos,& Discipulos fuisse tantùm solemnissimo modo confirmatos. *Ita noster Basil.hic p.1.c.4.n.16.*

7 Vnica concl. Confirmatio est verum sacramentum nouæ legis à Christo Domino institutum in nocte cenæ.

Prob. 1. p.concl. *Ex scripturis* adiuncta *PP.* expositione euidenter colligitur confirmationem esse verum sacramentum; ergo nullum habent *haretici* fundamentum negandi hanc veritatem *à Conc.Trid.sess.7.can.1.de confir;& Flor.in decr.vnion.* definitam. Prob. ant. *Act.1.* habetur: *Vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non post multos hos dies*;hæc autem promissio Christi facta est nedum Apostolis,sed etiā omnibus alijs iam baptizatis;habetur enim *Act.8*; quòd *Petrus*, *& Ioannes* audientes *Samaritanos* iam esse baptismo Christi baptizatos orauerunt pro ipsis, vt acciperent Spiritum Sanctum, sicuti acceperant ipsi die Pentecostes;*& Act.19.Paulus* baptizauit *Ephesios*, & postea imposuit illis manus, vt acciperent Spiritum sanctum; communis autem est sensus Ecclesiæ, quòd per manus impositionem in his duobus locis relatam intelligitur confirmatio;etenim *Pontifices, & SS.PP.* inferunt confirmationem à solis Episcopis esse conferendam ex eo,quia *in locis cit.*legitur ab Apostolis solùm fuisse collatam. *Ita Euseb.I.ep.3; Innoc.I.ep.1.c.3. Io.III.ep.ad Episcop.Germaniæ, Innoc.III.c.1. de*

sancta vnctione; *S. Cypr. ep.* 73; *Hier. dial.3.cont. Luciferian; Chrisost. Act.8; S. P. Aug. lib.* 15. *de Trin.c.10; Emissen.or.in Penteceosten; Flor. in decr. vnion.Armen; Mogunt.sub Paulo III.c.17; & Senonen.c.* 10; *& omnia alia Concilia*, *ac SS. PP; & DD. communiter*; ex quibus sic. Certum est *ex Scripturis* post baptismum dari Spiritum Sanctum per aliquod signum sensibile, non quidem extraordinarium, vt fuit illud, quo datum fuit Apostolis, sed ordinarium, quo omnibus datur post baptismum; & certum est hunc secundum aduentum Spiritus Sancti (primò enim acquiritur in baptismo) esse per ordinem ad roborandum,& fortificandum ipsum baptizatum contra hostes ipsius fidei;habetur enim *Luc.vlt.sedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto*, idest donec accipiatis fortitudinem ad resistendum intrepidè contra illos,qui vobis prædicantibus fidem euangelicam se opponent; sed signum sensibile, per quod nobis datur Spiritus Sanctus post baptismum per ordinem ad nos roborandum,& fortificandum contra fidei hostes, est sacramentum confirmationis; ergo *ex Scripturis* euidenter habetur confirmationem esse verum sacramentum.

8 Prob.2.*ex D.Aug. lib.4.de bapt.cont.Donatist. c.34.* ex traditione sic. Illud, quod in tota Ecclesia semper fuit creditum, *& in nullo Concilio generali* fuit institutum, habetur ex traditione Apostolica; sed confirmationem esse verum sacramentum nouæ legis in tota Ecclesia semper fuit creditum; & in nullo vnquam *Concilio generali* fuit institutum; ergo confirmationem esse verum sacramentum nouæ legis habetur ex traditione Apostolica. Ma.constat; quia *Concilia prouincialia* non habent vim obligandi ad credendum totam Ecclesiam; vt constat;ergo illud, quod in tota Ecclesia semper fuit creditum, vel statutum fuit *ab aliquo Concilio generali*,quod habet vim obligandi ad credendum totam Ecclesiam; vel habetur ex traditione Apostolica,quæ pariter diffusa est in totam Ecclesiam;& per consequens illud, quod non fuit statutum in aliquo *Concilio generali*, & semper fuit creditum in Ecclesia, habetur solùm ex traditione Apostolica.

Prob. mi. *ex lib. 3. constit. Apostolic. c.* 16; *& 17;Vrban.I.ep.1*; & habetur *de consecr. dist. 5. c.omnes;Fabian.I.ep.2;Cornel. apud Euseb.hist.Eccl. lib.6.c.35;Euseb.I.ep.3*; & habetur *de consecr. vbi sup.c.manus; Melchiad.ep.ad Episcop.Hispaniæ; Syluest.I.in edicto Constant; Damaso ep.4; Innoc.I.ep.ad Decent.c.3; Leone I.ep.73;& 88;Gelas.ep.9;Greg.I. lib.3.ep.9; & 26; Greg. II. ep.14.c.4; Innoc.III.de sacra vnctione*;& successiuè ex alijs vsque ad nostra tempora. *Item ex Conc. Illibert. can. 37;& 77;Laodicen.can.7;& 48;Arlaten.I. can. 8; & II. can.17; Aurelian.de consecr.dist.5.c.vt ieiuni; Melden.ibid.c.vt Episcopi; Hispalen. II. can. 7; Cabilonen.II.can.27; Arauxic.I.can.1;& 2; Aquisgranen. II.can.1;& 5;Roman.sub Stephano; Tarracon. sub*

Hormisda; *Colonien*; *Senonen*; *& innumeris alijs Concilijs Prouincialibus*. *Ex Concilijs* autem *Generalibus Constantinop. III. c.7*; *Constantien*; *Flor*; *& Trid. Ex SS. PP. Græcis Dion. de Hier. Eccl. p.2 c.4*; *Orig. hom.8. in Leuit*; *Iustino Martyre lib. qq. q.137*; *Naz. or. in Pentecosten, & in S. baptisma*; *Cyrill. Hyerosol. catech.3*; *Damasc. lib.4. de fide c.10. Ex Latinis Tertul. lib. de resurrect*; *de bapt*; *& de præscript*; *Cypr. lib. 1. ep. vlt*; *Ambros. lib. 3. de sacram. c.2*; *Hier. vbi sup*; *S. P. Aug. tract.6. in ep. Io. & lib. 15. de Trin. c. 26*; *& sæpè alibi*; *Bern. in vita S Malachia c.22*; *& 23. Isidor*; *Raban*; *& alijs* nostri temporis, *vt S. Carol. Borrom. &c*; qui omnes tenuerunt confirmationem esse verum sacramentum nouæ legis; & hoc non fuisse institutum *in aliquo Concilio generali*; nam primum *Concilium generale* fuit *Nicænum sub Syluestro*, antequod creditum fuit in Ecclesia confirmationem esse verum sacramentum, vt patet *ex Vrbano, Eusebi; & Melchiade &c*; ergo confirmationem esse verum sacramentum semper fuit creditum in Ecclesia, & *in nullo Concilio generali* fuit institutum.

9 Prob. 3. eadem pars ratione, qua vtitur *Fund. Doct. Æg. de Renunc. Papæ c.10. p.1. fol. 11. col.3; & de caract. q.1; & cont. exempt. c.14.* In vita naturali vltra potentiam, qua recipimus esse naturale per generationem, datur potentia, qua resistimus machinantibus nobis vitæ priuationem; sed vita spiritualis debuit ordinari eo modo, quo ordinata est vita naturalis; aliter nullo modo possemus circa vitam spiritualem discurrere; cùm *inuisibilia*, vt docet *Apost*; *solùm per ea, quæ facta sunt, cognoscantur*; Tum quia idem Deus, qui est Auctor naturæ, est Auctor & gratiæ; & sibi vniformis semper est in operando; ergo in vita spirituali debuit dari baptismus, per quem regeneramur ad vitam spiritualem; & confirmatio, per quam roboramur ad tuendam animæ vitam in baptismo receptam contra hostes, qui nobis illam moliuntur eripere.

10 Prob. 2. pars concl. 1. ratione allata *ex S. P. Aug. vbi sup.* Quod est ab Apostolis traditum toti Ecclesiæ seruandum, fuit à Christo institutum per se, & immediatè; sed confirmatio fuit ab Apostolis tradita toti Ecclesiæ seruanda; ergo fuit à Christo per se, & immediatè instituta. Ma. constat *ex Matth. vlt*; vbi Christus præcepit Apostolis: *Docentes eos seruare omnia, quæcunque mandaui vobis*; ex quo sic. Quod fuit præceptum à Christo, fuit à Christo institutum; præceptum enim supponit rem, quæ præcipitur; aliter nihil præciperetur; sed quod est ab Apostolis traditum, fuit præceptum à Christo; aliter non docuissent ea, quæ eis Christus mandauit, sed quę ipsi mandassent; ergo quod est ab Apostolis traditum, fuit à Christo institutum. Prob. mi. ex dictis; nam quod in tota seruatur Ecclesia, & *in nullo Concilio generali* fuit statutum, fuit ab Apostolis traditum; nullum enim aliud fuit medium obligandi totam Ecclesiam; quamuis enim Summus Pontifex habeat vim obligandi totam Ecclesiam, quia ipsi datæ sunt claues; attamen nequit agere, vt aliquod sit continuò in Ecclesia seruatum; quia nequit pro tempore antecedente, quo non erat Papa, obligare; sed confirmatio fuit continuò seruata in Ecclesia; Apostoli enim statim post Pentecosten plurimos confirmauerunt, vt patet *ex Actis*; & Pontifices successiuè idem egerunt; ergo confirmatio fuit ab Apostolis tradita toti Ecclesię seruanda. 2. *Conc. Senonen. sub Clem. VII. in decretis fidei c.10; & in decretis morum c.38; & Mogunt. sub Paulo III. c.17; & ex Clem. Rom. ep. 4.* habent sacramentum confirmationis fuisse à Christo institutum, & ab Apostolis promulgatum, & Ecclesię praxi relictum; *& Trid. sess.7. can. 1. de sacram. in gen.* docet: *Si quis dixerit sacramenta noua legis non fuisse omnia à Christo instituta, anathema sit.* Ex quibus sic. Dicere, quòd Christus instituerit sacramentum confirmationis solùm in genere; & reliquerit materiam, & formam in specie determinandam ab Ecclesia, est loqui *contra Concilia*; hæc enim institutionem soli Christo concedunt; Apostolis autem solam promulgationem, & praxim seruandam ab omnibus; determinare autem materiam, & formam in specie non est purè promulgare; nam promulgatio determinationē supponit; vt constat; ergo sententia asserens Christum instituisse confirmationem tantùm in genere, non in specie, contrariatur *Concilys*; 3. *Trid.* loquitur de institutione omnium sacramentorum eodem modo; non enim distinguit institutionem vnius ab institutione alterius; sed erroneum est dicere Christum non instituisse baptismum, & eucharistiam in specie determinando materiam, & formam; hæc enim determinatio habetur expressè *in Scriptura*; ergo idem dicendum de confirmatione, & alijs sacramentis. 4. Si Christus diceretur instituisse sacramenta in genere, non in specie; quia voluit quidem in Ecclesia esse sacramenta; at voluit, vt eorum materia, & forma per Ecclesiam determinarētur; sequeretur, quòd Christus eodem modo esset institutor sacramentorum, & sacramentalium; quia Christus voluit in Ecclesia esse sacramentalia, & commisit potestati Ecclesię illa determinare; ac determinata approbauit; & eodem prorsus modo, vt claret, circa sacramenta se haberet; sic eodem modo Ecclesia esset institutrix sacramentalium, & sacramentorum; sed conf. est contra *Trid*; quod *sess.21. c.2.* statuit esse in Ecclesia potestatem instituendi sacramentalia, non sacramenta; & nunquam vocat Ecclesiam institutricem sacramentorum; nec Christum dicit institutorem sacramentalium; ergo sententia, quam reijcimus, *Tridentino* est apertè contraria. 5. Ille instituit sacramenta determinando materiam, & formam secundùm speciem, qui meruit omnibus gratiam conferendam per eadem sacramenta; & qui etiā

extra

extra sacramenta potest gratiam conferre; & in cuius nomine sacramenta conferuntur, vt diximus *de sacram. in com. vbi sup*; sed solus Christus meruit gratiam collatam per sacramenta, eamque potest conferre etiam extra sacramenta, & in ipsius nomine tantùm conferuntur sacramenta; ergo solus Christus instituit sacramenta determinando materiam, & formam in specie. 6. Potestatem instituendi sacramenta Christus sibi soli reseruauit; ne homines in homine spem ponerent, vt docet S. P. *Aug. tract. 5. in Io*; sed determinare materiam, & formam sacramentorum in specie est effectus potestatis ministerialis instituendi sacramenta; de qua potestate *hic* solùm est sermo; ergo determinare materiam, & formam sacramentorum in specie Christus sibi soli reseruauit. 7. In tantùm Christus non instituit confirmationem determinando materiam, & formam illius in specie, in quantùm hoc non habetur *in scriptura*; si enim haberetur explicitè *in scriptura*, nullum esset motiuum negandi; sicut quia *scriptura* explicitè refert materiam, & formam baptismi fuisse determinatas, nemo negat baptismum quantùm ad determinationem materiæ, & formæ in specie fuisse à Christo institutum; sed est de fide multa fuisse facta, & instituta à Christo, quæ non sunt scripta, sed tradita; vt testatur *Io. vlt. Multa alia fecit Iesus, quæ non sunt scripta in libro hoc*; & est de fide dari traditiones aliquarum rerum, quæ à Christo sunt institutæ; & traditiones non essent, si scriptæ essent; ergo nullum prorsus est fundamentum negandi confirmationis sacramentum institutum fuisse a Christo quantùm ad determinationem materiæ, & formæ etiam in specie. *Vid. de sacram. vbi sup.*

11 Prob. 3. pars concl. *Ex ep.* inscripta *Fabiano 2. c. 1.* Christus in nocte cœnæ *docuit chrisma conficere*; & ab Apostolis eius prædecessores hoc accepisse testatur. Nec refert, quòd aliqui hanc epistolam commentitiam esse dicant, *& ab Isidoro Mercatore* perperam *Fabiano* adscriptam; vt refert *noster Faruacq*. Non refert, inquam; nam præterquamquod hæc assertio non probatur sufficienter, vt possit commune iudicium euertire; ratio etiam id ostendit; nam in cœna Christus ordinauit sacerdotes, qui chrismate vnguntur; ergo determinauit chrisma, quod est materia confirmationis. Nec ex eo, quòd chrisma, vt instat *noster Puteanus*, inseruiat ordinationi, consecrationi Ecclesiarum, altarium, & vasorum, in quibus conficitur sanguis Christi, sequitur, quòd non sit materia confirmationis, sed tantùm sequitur, quòd materia confirmationis inseruiat etiam alijs sacramentis, & sacramentalibus; non colligitur autem *ex scriptura* Christum determinasse chrisma pro alijs sacramentis, & sacramentalibus, non autem pro confirmatione, cuius est propria materia, & essentialis; & ideo gratis omnino tantùm potest negari. Id etiam conuincitur *ex Clem. ep. 4.* docente se *à B. Petro* hoc accepisse; arguitur autem sic. Verisimilius est tunc Christum instituisse materiam, & formam sacramenti confirmationis in specie, cùm determinauit chrisma, quod est materia specifica huius sacramenti non enim verisimile est priùs materiam, & postea formam; sed simul vtranque instituisse, vt constat de alijs sacramentis; sed chrisma instituit in nocte cœnæ; vt patet ex testimonio duorum Pôtificum; tum quia ordinauit sacerdotes, quod sine chrismate factum non fuit; ergo verisimilius est Christum in nocte cœnæ instituisse materiam, & formam confirmationis in specie. 2. Christus non instituit confirmationem in re, sed tantùm in figura *Matth. 19*; cùm paruulis manus imposuit; tunc enim materiam, quæ est chrisma, non determinauit nec per se, nec per aliud; sicut in nocte cœnæ; in qua licèt per se nihil colligatur de institutione confirmationis; colligitur tamen ex eo, quòd instituerit eucharistiam, ad quam est necessarium chrisma propter calicem, in quo consecrandum est vinum; & ex eo, quòd instituerit ordinem sacerdotij, qui per vnctionem chrismatis datur. Neque colligitur *Io. 20*; quia licèt colligatur tunc Christum dedisse potestatem ministrandi confirmationem, non tamen colligitur confirmationem instituisse; nam potestas ministrandi est omnino diuersa ab institutione; quia tunc Christus Eucharistiam instituit, cùm dixit: *Hoc est corpus meum*; tunc autem potestatem illam conficiendi dedit Apostolis; cùm dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*; & sic idem dicendum in institutione, & potestate ministrandi confirmationem. Nec tandem colligitur illam instituisse die Pentecostes, quia tunc solùm collata fuit Apostolis; sicut autem nullus diceret, quòd tunc instituit eucharistiam, quando dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*; ita à pari; ergo superest verisimilius esse sacramentum confirmationis fuisse completè institutum in nocte cœnæ; institutio enim solùm importat formaliter determinationem materiæ, & formæ, ex qua conficitur sacramentum, non autem potestatem ministrandi, aut actualem collationem illius, nam, vt dictum est de eucharistia, collatio potestatis confectiuæ, & collatio ipsius sacramenti sequitur ad institutionem illius, & illam supponit.

12 Obijc. 1. *Caluin.* cont. 1. p. concl. Si confirmatio haberetur *in scripturis*, maximè, quia significaretur per manus impositionem; sed conf. est falsum; nam manus impositio erat solùm quædam ceremonia, qua Apostoli offerebant Deo baptizatos, & pro illis orabant; vt constat de impositione manus facta super infirmos; ergo & ant. est falsum. 2. *Kemnit.* In tantùm impositio manus tempore Apostolorum erat sacramentum; in quantùm dabat Spiritum S. simul cum donis linguarum, & cum alijs gratijs gratis datis; sed nunc per confirmatio-

nem

nem non datur Spiritus S. cum dono linguarũ, & alijs gratijs; ergo nunc non est sacramentum. 3. *S.P. Aug. lib. 3. cont. Donatist. c. 16.* docet manus impositionem posse iterari; sed confirmatio nequit iterari; ergo idem. 2. Robur, & firmitas corporis acquiritur solo alimento; ergo robur, & firmitas animæ acquiritur sola eucharistia, quæ est illius alimonia.

Resp. ad 1. neg. mi; nam quamuis non omnis impositio manus fit sacramentum; attamen illa, quæ erat signum sensibile, per quod conferebatur Spiritus Sanctus; erat verum sacramentum. Ad 2. resp. *S. P. Aug. vbi s.* dist. mi. Non datur Spiritus S. visibiliter, sicut tunc, conc; inuisibiliter, neg; tunc enim erat necesse sic dare, vt ædificaretur Ecclesia; nunc autem Ecclesia iam ædificata non est necesse; sicut nec sunt necessariæ linguæ, quia gentes plurium linguarum non sunt simul conuertendæ. Ad 3. dicitur *S. Patrem* loqui de impositione manus, qua hæretici reducuntur ad Ecclesiam; non autem de illa, quæ fit chrismate; de quo *inf.* erit sermo; vbi ostendemus, quantùm hallucinentur *Morin. & Maldonat.* Ad 4. dist. ant. Robur, & firmitas corporis per ordinem ad conseruandam sanitatem acquiritur per alimentum, conc; per ordinem ad pugnandum, neg; atletæ enim nimio cibo potiùs infirmati fuissent; oleo autem confortabantur ad pugnam. Ita à pari.

ART. II.

An oleum mixtum cum balsamo sit materia necessaria confirmationis?

1 EST dogma fidei materiam remotam confirmationis, de qua agimus in præsenti, esse chrisma confectum ex oleo, & balsamo. Ita definitum est *in Conc. Flor. in decr. vnion. Armenor*; vbi statuitur: *Secundum sacramentum est confirmatio, cuius materia est chrisma confectum ex oleo, quod significat nitorem conscientiæ, & balsamo, quod significat odorem bonæ famæ, per Episcopum benedicto.* *Concilium* autem inhæsisse traditioni Ecclesiasticæ probat *noster Basil. Ponc. hic p. 2. c. 1*; vbi ostendit, quòd olei, & balsami meminerunt *Fabian. ep. 2; Greg. I. in c. 1. cant; Innoc. III. in c. vnico de sacra vnctione; Conc. Bracchar. II. can. 4; & Colon. de confirm*; vbi negat oleum sine balsamo ad confirmationem sufficere; *& vetus Ordo Romanus*, qui liber licèt dicatur cõpositus *anno* 800; attamen multò antea prodijt, quamuis prædicto anno plura ei fuerint addita; plures enim additiones ei factas fuisse *plurimi scriptores* testantur. Confirmant hanc traditionem *SS. PP*; quos *inf.* adducemus. Congruum autem fuit oleum, & balsamum designatum fuisse pro materia huius sacramenti; quia oleum significat gratiam fortificantẽ, quæ in hoc sacramento diffunditur per Spiritum Sanctum; & per balsamum significatur odor virtutum, & bonæ famæ fragrantia; de quâ inquit *Apost. 2. Cor. 2. Christi bonus odor sumus.* An autem chrisma institutum fuerit à Christo, vel ab Apostolis, alia quæstio est, quam resoluimus *in sup. art.* Conueniunt igitur omnes catholici oleum, & balsamũ esse materiam necessariam necessitate præcepti; licèt *aliqui* asserant esse tantùm necessariam ex præcepto Ecclesiastico, vt *Caiet*; alij verò ex præcepto Christi; vt *Soti & alij*. An autem sit necessaria essentialiter ita, vt sine oleo, vel balsamo, vel sine vtroque non fiat sacramentum?

2 Duplex controuersia est; nam *Io. Morin. de pœnit. lib. 9. c. 9.* asserit oleum non esse materiã essentialem; quandoq; enim fuit confirmatio administrata per siccam, & simplicem manus impositionem. Hanc sententiam vocat *noster Faruacq. fabulam catholicis auribus inauditam.*

3 *Alij* verò è cõtra putant balsamũ non esse essentialiter necessarium; sed sine ipso validè confirmationem conferri. Hanc sententiam primus omnium docuit, teste *nostro Basilio hic p. 2. c. 2; Caiet. hic art. 2*; quem secuti sunt *Sot. in 4. dist. 1. q. 1. art. 2; Victoria in sum. n. 41; Nauarr. in Manuali c. 22. n. 8; Couarrunias lib. 1. variarum c. 10. n. 4; Estius in 4. dist. 4. §. 8; Valent. to. 4. disp. 5. q. 1. punct. 1; Filiarcus p. 1. lib. 2. c. 11; Mauro Angles, Hugolin; & apud Mastr. Baldtus, Barbosa, & Ferchius. Henriquez* autem *lib. 3. de sacram. c. 2. n. 1.* asserit balsamum adulterinum sufficere ad validitatem huius sacramenti, & ideo balsamum verum naturale non esse materiam essentialem.

4 Vera tamen sententia docet materiam essentialiter requisitam esse oleum oliuarum, non quodcunq; aliud amygdalorum, vel aliorũ fructuum, aut seminum; & balsamum verum, & naturale ita, vt altero istorum, vel ambobus deficientibus non fiat sacramentum. *Ita* supponit *Fund. Doct. Æg. in Cant. c. 1. lect. 3. fol. 5. col. 3*; quem secuti sunt *Æg. Lusit. in hac q. 72. D. Tho. art. 2. dub. 1. concl. 2; Putean. dub. 4; Emanuel Zerda q. 9. quodlib. art. 3; Basil. Ponc. hic p. 2. c. 2; Farnacq. hic c. 2. q. 1; Gibb. disp. 16. dub. 2; & communiter omnes nostri.* Eandem sententiam docet *D. Tho. hic q. 72. art. 2; & cont. gentes c. 60; Hosius in confess. Fidei c. 38; Petrus Soto lect. 2. de confirm; Bellarm. lib. 2. c. 8; & 9; Sua. disp. 33. sect. 1. concl. 4; Pesant. disp. 2; Martin. Ledesma in 4. p. 1. q. 13. art. 2. dub. 3; Percz. q. 72; Sylnius ibid; Faber in 4. dist. 7. disp. 27. c. 2; Mastr. hic disp. 2. q. 8. art. 1. n. 223*; apud quem *Hiquens, Ponc. Card. Laurea, Centin*; & testatur hãc esse communem *Scotistarum* sententiam; quam post *Flor.* asserit esse certam de fide. *Ex Summistis Sylvester v. confirmatio n. 2; Tolet. lib. 2. Sum. c. 21. n. 1; Victorell; Filiucius de confirm. tract. 3. c. 1. q. 5; Bonac. disp. 3. punct. 3. concl. 2; Layman, & alij communissimè. Ex Canonistis Glos. in c. 1. de sacramentis non iterandis, Innoc; Hostien; Panormit; Turrecrem; Heredia, & alij.*

5 Vni-

5 Vnica concl: Materia remota necessaria, nedum necessitate præcepti, sed etiam necessitate sacramenti confirmationis est oleum oliuarum, & balsamum naturale ita, vt sine alterutro, vel sine ambobus confirmatio non conferatur.

Prob. 1. pars concl. *ex ep. 1. Io. c. 2. Vos vnctionem habetis à sancto*; quam vnctionem esse oleo factam communiter docent *PP*; vt *Tertull. de bapt. c. 7*; vbi asserit vnctionem, quæ fit in confirmatione, sumptã esse ab vnctione *Iudæorum, qua oleo de cornu in sacerdotium vngi solebant*; *ex quo Aaron à Moyse vnctus est*; *S. Cypr. ep. 70. ad Ianuar*; *S. Basil. Magn. lib. de Spiritu S. c. 27*; *Optat. Mileuit. lib. 7. ad Parmen*; *S. P. Aug. tract. 118. in Io; & lib. 5. de bapt. cont. Donatist. c. 23; & alij* relati n. 1; qui perpetuam Ecclesiæ traditionem demonstrant, qua confirmationem factam fuisse semper in oleo perhibetur. Arguitur autem sic. Quoniam *ex scripturis* habemus, quòd aqua est materia baptismi; & panis, & vinum materia eucharistiæ; ideo de fide tenemus aquam elementarem, non aliam quancunque distillatam ex herbis, fructibus, metallis &c; esse veram, & propriam materiam baptismi; sic panem ex tritico, non ex hordeo &c; & vinum ex vite, non ceruisiam, esse materiam eucharistiæ; ergo quoniam *ex traditione, & SS. PP.* habemus materiã confirmationis esse oleum; ideo de fide tenendum esse oleum oliuarum, quod propriè oleum dicitur; ceteri autem humores sunt potiùs liquores oleaginosi; sicut aqua distillata est potiùs liquor, aut succus aqueus, quàm aqua; & sic de reliquis. Præterea vnctio, de qua loquitur *Io. vbi s*; explicatur à *SS. PP. locis cit*; nedum de vnctione inuisibili interna, quæ fit per Spiritum Sanctum interiùs, sed etiam de vnctione externa visibili, quæ fit per oleum in altari consecratum, vt loquitur *S. Cypr. vbi s*; & est signum sensibile vnctionis internæ, & ideo est sacramẽtum; & sine vnctione externa non perficitur vnctio interna, vt docet *S. P. Aug. tract. in Io. vbi s.* asserens: *Nisi signum crucis adhibeatur in oleo, quo chrismate vnguntur fideles, nihil rectè perficitur*; ergo ex traditione Ecclesiastica habetur oleum oliuarum esse materiam necessariam necessitate sacramenti confirmationis; quia sine ipso nihil fit; sine illo autem, quod est tantùm necessarium necessitate præcepti, validè fit sacramentum, sed illicitè. 2. Vnctio propriè dicitur solùm de oleo oliuarum; quanuis enim etiam ex herbis, & alijs rebus conficiantur vnguenta; attamen dicuntur vnguenta solùm, vel quia fiunt in oleo oliuarum; vel quia cum illo similitudinem habent; sicut lauare, seu baptizare proprium est aquæ solius; & alij liquores dicuntur lauare, & baptizare, quia vel aquæ admiscentur, vel similitudinem habent cum aqua; sed materia essentialis confirmationis dicitur vnctio *Io. vbi s*; seu vnguentum *à SS. PP*; *vt à S. Dion. de Cœl. Hier. c. 4; & à S. P. Aug. lib. 15. de Trin. c. 26; & sæpe alibi*; quæ vnctio nequit intelligi de sola vnctione interna, & inuisibili, sed de visibili externa, sine qua non fit sacramentum, quod essentialiter constat ex rebus externis, & visibilibus, cùm sit signum sensibile; ergo materia essentialis confirmationis, sine qua non conficitur sacramentum, est oleum oliuarum. 3. Redarguitur *Morin.* In tantùm oleum oliuarum non esset materia necessaria essentialiter sacramento confirmationis; in quantùm *SS. PP*; qui scripserunt *in causa Donatistarum*, asserunt confirmationem fuisse collatam per solam manus impositionem, cui potissimè *Morin.* innititur; sed nedum *SS. PP.* docent oppositum, vt constat *ex D. Cypr*; *S. P. Aug*; *Optato, & alijs sup.* relatis; sed etiam ipsi *Donatistæ* hoc non negarunt; vt patet *ex D. P. Aug. lib. 2. cont. ep. Petiliani c. 104*; nam S. P. *Aug*; qui illos penitus extinxit, eos sine dubio impugnasset, si olei necessitatem in chrismatis confectione negassent; ergo adeò semper fuit certum oleum oliuarum esse materiam essentialem confirmationis, vt hoc neque ipsi *Donatistæ* negauerint. Tandem si ex eo, quòd legatur *in scripturis* Apostolos, & discipulos confirmasse per solam manus impositionem; & hoc etiam plures *SS. PP.* videantur asserere; colligeretur confirmationem fuisse aliquando collatam per siccam manus impositionem, adeoq; oleum non esse materiam essentialem confirmationis; sequeretur, quòd etiam baptismus aliquando fuisset collatus per solam prolationem verborũ sine aqua; quia *in scripturis* dicitur, quòd *baptizati erant tantùm in nomine Domini*; nec aqua illic nominatur; sed hæc sequela est omnino fatua, & ridicula; quanuis enim taceantur elementa, quibus facta fuerunt sacramenta, non tamen (inquit *S. P. Aug. lib. de fide, & operib. c. 8*;) sine illis facta fuisse credendum est; ergo idem.

6 Prob. 2. pars concl. Est traditio Ecclesiæ balsamum æquè, ac oleum esse necessarium necessitate sacramenti ad validitatem confirmationis; ergo & balsamum eodem modo, quo oleum est necessarium. Prob. ant. *ex Greg. I. in c. 1. cant.* docente, quòd *balsamo cum oleo pontificali benedictione chrisma conficitur.* Balsami quoque mentionem facit *D. Cypr*; vel *Auctor sermonis de vnctione chrismatis* procul dubio antiquissimus; *& Conc. Bracchar. II. can. 4*; *& Conc. Colonien*; quod statuit sine balsamo sacramentum confirmationis non fieri; *& Greg. Turonen. lib. de gloria martyrum*; & omnes, qui à tempore *S. Isidori*, qui floruit *anno 630*; scripserunt *de officijs Ecclesiasticis*, balsami mentionem fecerũt; *& Greg. VII. lib. 7. ep. 1.* reprehendit *Armenios*, quòd contra consuetudinem Ecclesiæ sacrum chrisma, non ex balsamo, sed ex butyro conficerent; *& D. Dion. de Hier. Eccl. c. 4.* chrisma vocat vnguentum; quod habent etiam *S. Basil. in ps. 132*; *& S. P. Aug. lib. 15. de Trin. c. 26*; qui *serm. 217. de temp*; *& tract. 118. in Io*; *& lib. 5. de bapt.*

cont.

cont. Donatist. c. 23. chrisma distinguit ab oleo, hoc autem vnguentum non esse purum oleum, sed ex oleo, & balsamo esse confectum fusè explicat *Innoc. III. in c. vnico de sacra vnctione*; tandem *in Conc. Flor.* luculentissimum testimonium perpetuæ praxis Ecclesiæ tam orientalis, quàm occidentalis habetur; cùm enim *Greci Latinis* improperarent, quòd ex aqua fluminis chrisma conficerent; *Gregorius Protosyncellus* nomine *latinorum* respondit *Latinos* æquè, ac *Grecos* chrismate vngere; quapropter *Eug. IV in decr. vnion. Armenior.* declarauit chrisma ex oleo, & balsamo confici; vt ostenderet in Ecclesia *Latina* semper seruatam fuisse traditionem æquè, ac in Ecclesia *Graca* conficiendi chrisma ex balsamo, & oleo. Tandem liber ille antiquissimus, qui inscribitur *Ordo Romanus*, quanuis fuerit processu temporis auctus; attamen primis Ecclesiæ temporibus fuit scriptus; nam vt obseruat *noster Basil.* hic, fuit scriptus, quando in Ecclesia vigebat consuetudo signorum ligneorum, non æneorum; quod fuit tempore persecutorũ, quò Christiani latitabant, ne ab hostibus deprehenderentur, lignis, non metallis vtebantur ad se congregandum. Hic itaque libet *fer. 5. maioris hebdomadæ, & Parasceues* disertè de balsamo loquitur; ex quo euidenter concluditur ex traditione Apostolicâ chrisma ex oleo, & balsamo confici; ergo clara, & cõstans Ecclesiæ traditio est chrisma æquè ex oleo, & balsamo confici. Prob. cons. nam *PP. & Conc.* æquè loquuntur de oleo, & balsamo; sed oleum est necessarium necessitate sacramenti; ergo & balsamum. Hinc quia aqua nõ est necessaria necessitate præcepti in sacramento eucharistiæ, non ait *Eugen. in Flor.* materiam sanguinis *esse vinum de vite, & aquam*; sed inquit materiã calicis *esse vinum de vite, cui modicissima aqua est admiscenda*; ex quibus verbis satis indicatur aliter pertinere vinum, aliter aquam ad sacramentum; nam expresse docet materiam necessariã necessitate sacramenti esse solum vinum; cui materiæ ex præcepto admiscenda est modicissima aqua ad significandam aquam, quæ simul cũ sanguine fluxit è latere Christi, quæ modica fuit. Si ergo aqua addenda est materiæ calicis, vt inquit Pontifex; iam aqua non est materia, sed accidens materię. Tum quia illa particula *de*, & *ex* propriè solùm designat causam materialem, vt rectè discurrunt *Philosophi*; ergo *Eug.* asserens chrisma fieri ex balsamo, & oleo demonstrat vtrumq; esse materiam essentialem, sine qua non conficitur chrisma. At non dicens *ex aqua*, clarè ostendit aquam non esse materiam essentialem, sed accidere tantùm materiæ. Hinc etiã *Trid. sess. 14. c. 3.* asserens contritionem, confessionem, & satisfactionem esse quasi materiam sacramenti pœnitentiæ dixit hos actus pertinere ad integritatem sacramenti; quia satisfactio est pars integralis tantùm, non essentialis; & declarat vim sacramenti in absolutione consistere; post quam sequitur satisfactio, quæ proinde sacramentum supponit. At cùm *Flor.* & alij Sancti Pontifices loquuntur de balsamo, eodem modo loquuntur; ergo vtrumq; est materia necessaria, necessitate sacramenti. Quibus duę præcluduntur instantiæ.

17. Prob. 2. eadem pars ratione, qua vtitur *noster Pussam* & quam *Basil.* efficacissimam vocat. Illud, quod significat, & causat gratiam propriam, & peculiarem alicuius sacramenti, est pars essentialis illius sacramenti; sed balsamum significat, & causat gratiam peculiarem, & propriam sacramenti confirmationis; ergo balsamũ est pars essentialis sacramenti confirmationis. Ma. constat; quia sacramentum essentialiter definitur: signum sensibile significans, & causans gratiam: vt diximus *de sacram. in com. q. 2. art. 2. §. 4. & 5.*; patet autem, quòd effectus formalis essentiæ nequit competere ijs, quæ sunt extra essentiam, aliter definitio competeret alijs à definito; quod est contra rationem formalem definitionis; hinc satisfactio, quam diximus non pertinere ad essentiam, sed tantùm ad integritatem pœnitentiæ, non significat, neque causat gratiam absolutiuam à peccatis, quæ est effectus formalis pœnitentiæ, sed tantùm causat absolutionem à pœnis temporalibus, quæ debentur peccatis, & quæ possunt tolli etiam per *actus* virtutum; sic aqua immixta vino non significat, neque causat conuersionem in sanguinem &c. quia accidentaliter tantùm, scilicet ex præcepto Ecclesiæ iungitur materiæ calicis; ergo illud, quod significat, & causat gratiam propriam sacramenti confirmationis, est pars essentialis vel formalis, vel materialis illius. Prob. mi. 1. *ex Trid. sess. 7. can. 2. de confirmat.* vbi damnans hæreticos asserentes chrisma confectum ex oleo, & balsamo non habere virtutem sanctificandi animam statuit: *Si quis dixerit esse iniurios Spiritui Sancto, qui sacro confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt, anathema sit*; quibus verbis dãnat negantes chrisma habere virtutem producendi gratiam sanctificantem, vt negabant hæretici moderni; sed chrisma, de quo loquitur *Trid.* componitur ex oleo, & balsamo: loquitur enim conformiter *ad Flor*; ergo oleum, & balsamum habent virtutem producendi gratiam sanctificantem propriam confirmationis. 2. *Ex Pontificali Rom. fer. 5. in cœna Domini* post benedictionem olei catechumenorum, vel infirmorum benedicitur oleum, & balsamum ad conficiendum chrisma; & *in prima oratione* in qua benedicitur solum balsamum, oratur: *Vt sit acceptabilis Diuinis mysterijs*: idest ad conficienda sacramenta; mysterium enim idem sonat *hic*, ac sacramentum; constat autem, quo id, quo fit sacramentum; significat, & causat gratiam, & est pars essentialis illius, quia sine ipso non fit; & *in secunda oratione* Ecclesia orat: *Vt vnguento, quod*

radix

radix produxit stirpem, spiritualem gratiam largiēdi, plenitudinem sanctificationis infundat; & in tertia oratione, cùm iam oleum, & balsamum commixta sunt, orat: *Vt illos diuersarum specierum liquores creatos sanctæ Trinitatis perfectione benedicat, & benedicendo sanctificet; concedatq; vt simul permixti vnum fiant; & quicumq; exteriùs eis perunctus fuerit, ita liniatur interiùs, quòd omnibus sordibus corporalis materiæ carens se participem Regni Cælestis esse gratuletur*; idem canit in præfatione super vtrumq; ex quibus manifestissimè constat virtutem sanctificandi tribui non solùm oleo, sed etiam balsamo, & separatim ab oleo partialiter, & coniunctim cum oleo; ergo balsamum significat, & causat gratiam sanctificantem propriam confirmationis. Ratio etiam est. Balsamum significat, & causat fortitudinem, & odorem virtutum, quæ cum gratia confirmationis īnfunduntur; sed fortitudo, seu gratia fortificans animam ad bellandum, & tribuens ei virtutes ad superandos fidei hostes, est effectus formalis, & proprius confirmationis, vt *inf.* dicemus; ergo idem.

8 Prob. 3. Illud, quod explicatur per formā confirmationis, est pars essentialis illius; forma enim, quę est essentialis, immediatè vnitur materiæ illam explicando; sed forma consecrationis explicat oleum, & balsamum; explicat enim chrisma; quo intelligit Ecclesia aliquod compositum ex oleo, & balsamo; ergo balsamum est pars essentialis confirmationis. Tum quia si balsamum non esset de essentia, posset sine illo fieri sacramentum; & per consequens posset falsificari forma, quia proferens: *Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis*; ea voce *chrismate* intendit significare aliquod ex balsamo, & oleo confectum; vt intendit Ecclesia; & sic per formā falsificatam verum conficeret sacramentū, quod repugnat.

9 Obijc. 1. *Morin.* cont. 1. p. concl. *Conc. Nic. can.* 8. *de Catharis* venientibus ad Ecclesiā catholicam inquit: *Placuit sancto, & magno Concilio, vt impositionem manus accipientes, sic in clero permaneant*; sed per manus impositionem intelligitur confirmatio, & nulla ibi fit mentio vnctiónis; ergo vnctio non est materia essentialis confirmationis, quæ aliquando collata fuit per siccam manus impositionem. 2. Aliter recipiebantur hæretici reuertentes ad Ecclesiam, qui per apostasiam illam deseruerant, & aliter, qui nati erant in hæresi, vt docet *S. P. Aug. lib. 2. cont. Crescon. c. 16*; sed illi, qui nati erant in hęresi, recipiebantur per quandam manus impositionem merè reconciliatoriam; ergo qui per apostasiam deseruerant fidem, recipiebantur per manus impositionem, quæ erat confirmatio. 3. *Flor. in decr. vnion.* ait, *quòd loco impositionis manus datur in Ecclesia confirmatio.* Idem habet *Innoc. III. ad Bulgar. Primatem; & Innoc. IV. ad Tuscul. Episcop.* 4. Per impositionem manus hęreticis reuertentibus conferebatur Spiritus Sanctus; ergo per illā conferebatur aliquod sacramentum, per quod confertur Spiritus Sanctus, quod non potuit esse, nisi confirmatio, vt constat.

Resp. ad 1. neg. mi; nam vt diximus *in sup. art.* manus impositio, quæ fiebat super hæreticos reuertentes ad Ecclesiā, non significabat confirmationem, sed reconciliationem; constat enim, quòd manus imponuntur nedum in confirmatione, sed etiam in ordinatione, in reconciliatione, in ægritudine &c; ideo omnino arbitrariè absque vllo fundamento illam restringit *Morin.* ad significandam solùm confirmationem. Præterea *VII. syn.* recitans *illum canonem* loco illorum verborum: *Impositionem manus accipientes*; ponit: *Ordinati*; & sensus est, quòd *Cathari*, quia erant ordinati venientes ad fidem debebant manere in clericatu. Et hoc postea fatetur *idem Morin.* se retractans *p. 3. exor. 5. c. 12. n. 14.* Insuper obseruat *noster Lupus Dion. Exiguum* vertentem: *Manuum impositionem accipientes* debuisse vertere: *Manus impositionem iam acceptam habentes.* Ad 2. dist. ma. *cum S. P. Aug.* docente *ibid. Faciliori venia, quod nondum habuerunt, accipiunt, quàm si habuissent, et deseruissent.* Ideo vtrique per impositionem manus reconciliatoriam, per quā impetratur venia recipiebantur, & non per confirmationem. Igitur aliter, idèst mitiori modo, conc; aliter, idèst non per absolutionem à censuris, neg. Ad 3. aliqui dicunt Apostolos ex dispensatione speciali confirmasse per siccam manus impositionem, quia tot hominum millia, sicut legitur *in Act. Apost*; non poterant vngere; nos autem hic loquimur de lege communi. Vel dicitur, quòd Apostoli confirmarunt per impositionem manus, qua simul vngebatur, & quanuis vnctio non nominetur, attamen non est intelligendum, quòd excludatur, vt diximus de baptismo. Igitur *Flor.* asserit impositioni manuum successisse confirmationem, quæ variata est quantùm ad ritum, & ceremoniam externā; non autem quantùm ad materiam, & formam essentialem. Ad 4. dicitur *cum S. P. Aug. vbi s*; quòd in reconciliationem hæretici ad Ecclesiā venientis confertur charitas, vnitas, & pax, quę non conferuntur, nisi per Spiritum Sanctum, qui confertur ratione baptismi suum producentis effectum recedente fictione.

10 Obijc. 2. *Pius IV.* concessit *Episcopis Indiarum*, vt possint conficere chrisma cum balsamo illius regionis, quia illic non reperitur balsamum *Syriacum*. Item *Paulus III.* indulsit *alteri Episcopo Indiarum*, vt eo balsamo, quanuis incerto, vteretur; vt refert *noster Basil. hic p. 2. c. 1. n. 9*; ergo verum balsamum non est materia essentialis, sed sufficit adulterinum. 2. Materia sacramenti debet esse certa ita, vt de illa moraliter dubitari non possit; sed de vero balsamo non possumus esse certi, cùm facillimè possit adulterari, vt scribit *Plin. lib. 12. hist. c. 25*; ergo suffi-

cit balsamum adulterinum. 3. *ex Caram.* Probabile est verum balsamum iam perijsse, & amplius non reperiri in orbe terrarum; ergo si ad confirmationem requireretur verum balsamum, confirmatio iam perijsset. 4. Omnino improbabile est Christum determinasse materiam tam raram, tam pretiosam, cuiusmodi est balsamum, pro sacramento confirmationis; ergo idem.

Resp. ad 1. *illos duos Pontifices* non indulsisse, vt illi Episcopi vterentur balsamo artificiali, adulterino, vel ficto; sed declarasse balsamum *Indicum* esse verum balsamum, sicut *Syriacum*, & *Palæstinum*; quo, tanquam materia certa, confici posse sacramentum definiuit. Consultus autem fuit Pontifex, quia tunc temporis non erat cognitum, nisi balsamum *Palæstinum*, vt aduertunt *Sua; & nostri Lessi; et Basil.* Ad 2. neg. mi, quidquid enim dicat *Plin;* assentimur potiùs *D. Hier;* qui *in c. 27. Ezechiel.* scribit *Palestinam* abundare frumento, balsamo, melle, & resina. Ad 3. quod est argumentum *Kemnitij*, neg. ant; imò potiùs deducitur oppositum, quia successu temporis inuentum est vltra balsamum *Palæstinum*, balsamum *Syriacum*, & *Indicum*, & ideo maior copia veri balsami habetur Ad 4. neg. ant; tum quia postquam discoopertum est balsamũ *Syriacum, et Indicum*, maior copia illius habetur; tum quia nunquam auditum est in Ecclesia defectu balsami cuiquam non fuisse traditum sacramentum confirmationis, non obstante illius inopia. Congruum autem fuit balsamum destinari propter illius qualitatem naturalem, quæ habet roborare corporis infirmitatem, & odorem spirare, ad significandum, quòd hoc sacramentum roborat animam, & odorem virtutum infundit; sicuti quia aqua naturalem qualitatem habet detergendi, & lauandi sordes corporis, destinata fuit pro materia baptismi, ad significandum per baptismum dilui sordes peccatorũ ab anima; de ratione enim sacramenti est, quòd sit signum sensibile per aliquem effectum sensibilem significans similem effectum spiritualem.

11 Obijc. 3. Tam modica pars balsami cõmiscetur oleo, vt verisimile sit sacramentum confirmationis sæpè ministrari sine balsamo, quia applicatur pars olei, cui nulla pars balsami est vnita; ergo idem. 2. Balsamum *Indicum* differt colore *à Syriaco, et Palæstino*; ergo non est verum balsamum. 3. Magis est conueniens dicere, quòd Christus destinauerit materiam confirmationis, quæ vbique reperitur; sicut destinauit materiam baptismi, quàm quæ è regionibus tam longinquis aduehitur; ergo idem.

Resp. ad 1. neg. ant; balsamum enim, cùm sit actiuissimum, statim penetrat, & diffundit se ad omnes olei partes, sicuti videmus de vino potente, quod se diffundit ad omnes aquæ partes, etiam si in parua quantitate ponatur. Ad 2. neg. cons; quanuis enim vinum album à rubeo differat colore; attamen est verum vinũ, quod agnoscitur ex sapore, odore, & fragrantia; & ideo ex fragrantia, & alijs qualitatibus potuit agnosci balsamum *Indicum* esse verum balsamum. Ad 3. neg. ant; nam sic non significasset robur animæ, & odorem virtutum, vt diximus; & aliunde, quanuis non nascatur vbique, vbique tamen reperitur aduectum, quia prouidentissima Dei ordinatio *in necessarijs non deficit.*

12 Obijc. 5. *Innoc. III. c. pastoralis de sacramentis non iterandis* interrogatus, an confirmatio esset iteranda in eo, qui per errorem oleo, non chrismate, fuerat delinitus; respondet: *Nihil esse iterandum, sed cautè supplendum, quod incautè fuerat prætermissum*; ergo confirmatio sine balsamo est valida.

Resp. *noster Cerda* Pontificem rectè respondisse; nam quia prætermissa erat vnctio olei cũ balsamo, hæc erat supplenda absque eo, quòd iteraretur confirmatio; vt enim explicat *idem Innoc. c. veniens de Presbytero non baptizato*; quanuis præceperit illum esse baptizandum, & ordinandum, attamen ait nihil iterari, quia *non intelligitur iteratum, quod ambigitur esse factum*; ita à pari non erat iteranda confirmatio, quia non erat validè collata; sed erat supplendum, quod prætermissum fuerat, vt valida esset confirmatio. Pontifex itaque nihil aliud voluit, quàm non esse iterandas solemnitates, sed solam vnctionem, & formam; ex quo non sequitur confirmationem sine balsamo validè conferri. Etenim, vt bene arguit *noster Basil*; si Pontifex voluisset supplendum esse, quod omissum fuerat, statuisset solam balsami vnctionem, quæ sola prætermissa fuerat, supplendam; vel igitur erat supplenda simul cum oleo, vel sine oleo? Non primum; quia vnctio olei non erat prætermissa, ideo non supplendam; tum quia vnctio balsami cum oleo est integra materia confirmationis; integram autem materiam sacramenti in Ecclesia iterari est inauditum; iteraretur enim sacramentum saltem ex parte materiæ; preterquamquod materia sine forma nihil efficit. Neque secundum; quia balsamum sine oleo non est consecratum; re autem non consecrata nequit fieri confirmatio, vt *inf.* Est ergo *Innoc.* intelligendus, quòd suppleatur, quod omissum est, idest validà collatio confirmationis, quæ omissa erat; quanuis enim vnctio olei, & forma non esset omissa; attamen quia sine balsamo sacramentum non erat validè collatum; ideo supplendum erat per debitam materiam, quæ, quia sine forma nihil ageret, ideo supplendum erat etiam per prolationem formæ. Sic autem respondit verbis generalibus; quia simul interrogatus fuerat de ordinato in subdiaconum, & de confirmato sine balsamo; ad quæ duo rectè respondit vnica responsione; scilicet sacramentum ordinis ritè collatum non esse iterandum; quia impositio manus non est de essentia ordinationis; confirmationis verò materiam, & formam esse supplendam,

quia

quia omissa fuerat. Tandem ex eo, quòd Pontifex iusserit esse supplendum, quod omissum fuerat; colligitur omissum fuisse de essentia sacramenti; quia enim aqua non est materia essentialis calicis, ideo si quis aquam omitteret, non deberet post consecrationem aquam infundere. Sicut si quis in consecratione omitteret particulam *enim*, non deberet post consecrationem illam repetere. Neque valet de ceremonijs prævijs, quæ si omittantur, repeti debent, vt constat de ceremonijs baptismi; illæ namque sunt totaliter separatæ; vt potè antecedentes confectionem sacramenti; istæ autem ita sunt coniunctæ, vt repeti non possint, nisi repetatur sacramentum. Rectè igitur respondit Pontifex ad illa duo; scilicet non iterandam ordinationem, cuius forma, & materia non erat omissa; supplendam tamen formam, & materiam confirmationis, quę erant prætermissa.

13 Obijc. 6. *Græci* loco balsami miscebant oleo plures materias odoriferas; quod traditum fuisse videtur *à D. Dion. de Hier. Eccl. c.* 4; vbi vocat chrisma collectionem quandam suauiter spirantium materiarum; *& S. Basil. in ps.* 132; *& euchologio Græcorum*; ergo non est materia necessaria; aliter *Græci* confirmarent inualidè.

Resp. neg. ant; aliud enim est, quòd *Græci* vltra balsamum ponant res odoriferas; & aliud, quòd illas loco balsami ponant. Primum ipsis conceditur ratione consuetudinis orientalis Ecclesiæ; quod tamen non sine peccato *Latini* peragerent; quia in Ecclesia *Latina* talis consuetudo non viget. Secundum autem est falsum; vt *sup.* dictum est.

14 Collig. ex dictis hæreticos venientes ad fidem non fuisse Ecclesiæ vnitos per confirmationem; sed per reconciliationem; cum hoc tamen stat, quòd, vt refert *S. Greg. lib.* 9. *ep.* 60; *& Glos. in c.* 44. *de consecr. dist.* 4; Ecclesiæ orientalis consuetudo erat statim post reconciliationem confirmare eos, qui confirmati non erant; occidentalis verò tantùm mos erat reconciliare, & confirmationem differre; de hoc enim nullum extat præceptum.

A R T. III.

An chrisma debeat esse ab Episcopo consecratum?

1 MVltiplex est *articuli* sensus. 1. An benedictio, seu consecratio ita sit essentialis, vt confirmatio collata sine chrismate cõsecrato nedum esset illicita, sed etiam inualida? 2. An consecratio chrismatis sit actio soli Episcopo propria ita, vt sacerdos neque ordinariè, neque ex dispensatione Episcopi, vel etiam Papæ valeat licitè, aut validè consecrare? Hæc omnia vnico resoluuntur *articulo*; quia vnica est omnium ratio ex traditione petita.

2 Omissis *hæreticorum* blasphemijs *art.* 1. relatis, & reiectis; *Paludan. in* 4. *dist.* 7. *q. vlt. ad* 1. *contra communem opinionem* ait ex dispensatione Pontificis posse aliquem confirmari chrismate non consecrato; quia Christus instituit hoc sacramentum iuxta sanctificationem Ecclesiæ conferendum; vnde si Ecclesia statueret ipsum sine consecratione chrismatis esse conferendum, validè conferretur. *Ledesma apud Sua.* asserit simplicem sacerdotem ex commissione Episcopi posse Chrisma benedicere. *Caiet; Valent; Hugolin; Petigian; et ex nostris Putean; et alij apud nostrum Basil.* putant hoc fieri posse ex dispensatione Summi Pontificis, quam sententiam probabilem existimarunt *Estius hic dist.* 7. *§.* 11; *et Sot. apud nostrum Basil.*

3 Vera tamen sentẽtia docet esse de essentia confirmationis, quòd chrisma ab Episcopo sit consecratum ita, vt potestas illud consecrandi neque ordinariè, neque ex commissione Episcopi, vel Papæ possit conuenire simplici sacerdoti. *Ita communissimè omnes alij DD*; qui sententiam oppositam varijs notant censuris, vt videre est *apud nostros Æg. Lusit; Basil; Gibb; Farnac; et alios.*

4 Vnica concl. Ad validitatem confirmationis requiritur essentialiter consecratio chrismatis, quæ à solo Episcopo confici potest; & nulli sacerdoti, qui non sit Episcopus, nec ordinariè, nec ex commissione valet competere.

Prob. 1. Ex perpetua Ecclesiæ traditione habetur soli Episcopo chrismatis benedictionem posse competere, & nunquam fuisse dispensatum, vt sacerdos non Episcopus illud benedixerit; & nunquam sine chrismate consecrato confirmationem fuisse collatam; sed illud, quod habetur ex traditione perpetua, ita est essentiale, vt sine illo inualidè fiat; quia quod habetur ex traditione perpetua, censetur esse de institutione illius, atque adeò de illius essentia, & substantia; quia ceremonialia, quæ non sunt de essentia, non fuerunt constanter tradita, & retenta in Ecclesia, in qua est potestas illa instituendi, & mutandi, vt docet *Trid. sess.* 21. *c.* 2; ergo ad validitatem confirmationis essentialiter requiritur consecratio chrismatis, quæ à solo Episcopo fieri potest; & nulli sacerdoti, qui non est Episcopus, potest vllo modo competere.

Prob. ma. quoad 1. partem, quæ asserit ad confirmationis validitatem requiri chrisma consecratum, *ex lib.* 7. *constit. c.* 42; *et* 44; *Fabiano ep.* 2; vbi præcipit singulis annis nouum chrisma consecrandum esse; *Damaso ep.* 4; *Innoc. I. ep.* 1. *c.* 3; *Leone I. ep.* 88; *Gelas. ep.* 1; *Ioanne III. ep. vnica; Greg. I. in c.* 1. *Cans; et Innoc. III. in c. cùm venisset de sacra vnctione.* Idem habet *Conc. Nic. I. c.* 69; *Laodicen. can.* 48; *Braichar. II. can.* 4; *Flor. in decr. vnion; et Trid. sess.* 7. *can.* 2. appellat sacrum chrisma; quod nequit dici, nisi consecratum. Idem tradit *D. Dion. de Eccl. Hier. c.* 4; *Tertull. lib. de bapt; Cypr. lib.* 1. *ep.* 12; *Basil. lib. de Spiritu S. c.* 17; *Cyrill. catech.* 3; *S. P. Aug. lib.* 1. *de bapt. c.*

19; *et* 20; *et tract.* 118. *in Io*; *et innumeris alijs in locis*. Idem scripserunt *omnes alij SS. PP*; qui de chrismate sermonem habuerunt. Prob. 2. pars ma; quòd scilicet potestas consecrandi chrisma solis Episcopis semper fuerit tradita; & nunquã sacerdoti simplici, nec etiam ex dispensatione, concessa; *ex Fabiano*, *et Innoc. vbis*; *Conc. Rom. sub Sylvestro can.* 5; *Carthag. I. can.* 3; *et Carthag. II. can.* 13; *Carthag. III. can.* 36; *Bracchar. II. can.* 37; *Hispalen. II. can.* 7; *Toletan. VIII. can.* 7; *Vormatien. can.* 12; *Sabinen. c. de bapt*; *et Flor. in decr. vnion*; vbi inquit: *Materia autem huius sacramẽti est chrisma confectum ex oleo, et balsamo, et ab Episcopo benedictum*, quem modum loquendi seruauit etiam *Greg. XIII. apud nostrum Lusit*; dispensans *apud Indos* posse simplicem sacerdotem ministrare sacramentum confirmationis, dummodò chrismate per Episcopum benedicto vteretur; *et Clemens VIII. constit.* 4. inquit: *Chrisma autem, quod non nisi ab Episcopo etiam iuxta Græcorum morem confici potest*; quibus verbis ostendit eundem esse Ecclesiæ *Latinæ*, *et Græcæ* sensum circa confectionem chrismatis. Ex quibus verbis clarè deducitur benedictionem Episcopi esse essentialem; aliter si posset simplex sacerdos illud benedicere ex dispensatione, sicut ex dispensatione illud potest ministrare; additum fuisset: *Ordinariè confici possit*; sicut additũ fuit *à Flor*; cùm de ministratione fuit locutum; vt obseruat *noster Basil*; ergo ex perpetua Ecclesiæ traditione habetur confirmationem nunquã sine chrismate consecrato fuisse collatam; & consecrationem chrismatis à solis Episcopis, non verò à simplici sacerdote, nec etiam ex dispensatione, fuisse confectam.

5 Prob. 2. ratione, quam innuit non semel *Fund. Doct. Ægi*; & quam affert *S. Tho. ex S. P. Aug. serm.* 25. *de temp.* docente: *Et quia per vniuersum mundum sacramentum baptismi humano generi opus erat, omnibus aquis benedictionem dedit, quando in Iordanis alueum vnica, ac singulari pietate descendit; tunc enim Christum Dominum non tam lauit vnda, quàm lota est*; *& serm.* 36. *Quale est hoc baptisma, vbi prior est fonte ille, qui mergitur; vbi dum susceptum aqua diluit, non sordibus inficitur, sed benedictionibus honoratur? Quale, inquam, Saluatoris est baptisma, in quo purgantur potiùs fluenta, quàm purgant? Nouo enim sanctificationis genere non tam lauit vnda, quàm lota est.* Ex quo sic. Materia sacramenti, quo homo caractere aliquo Deo consecratur, debet esse consecrata, vel sacra, vel benedicta à Christo, vel ab eius Vicario, aut à coepiscopis in partem sollicitudinis Ecclesiæ deputatis; sicut enim materia baptismi, quo homo consecratur Deo caractere christianitatis accepto, fuit à solo Christo consecrata, & benedicta in eius baptismo; ita materia, qua homo consecratur Deo in confirmatione caractere militiæ Christianæ suscepto; & qua consecratur Dei sacerdos, cùm Christus hæc sacramenta non susceperit in propria persona, sicut suscepit baptismum, debuit solùm ab eius Vicario; vel Episcopis in partem sollicitudinis Ecclesiæ vocatis benedici, & consecrari; sed confirmatio est sacramentum, quo homo consecratur Deo militiæ caractere suscepto; ergo materia confirmationis debet esse consecrata ab Episcopo.

6 Obijc. 1. *Estius*. *Textus* allati videntur potiùs probare necessitatem præcepti, quàm sacramenti; *PP.* enim vrgent potiùs benedictionem chrismatis, quàm aquæ; non quòd illa ex institutione Christi descenderit, non ista; sed quia volunt ostendere confirmationem non esse ita necessariam; sicut baptismum. Tum quia eadem ratio est benedictionis chrismatis, & olei infirmorum; ergo ad summum colligitur necessitas præcepti.

Resp. neg. ant; in hoc enim necessitas sacramenti dignoscitur à necessitate præcepti; quòd ea, quæ sunt necessaria necessitate præcepti, non fuerunt semper, & immemorabiliter necessaria, ideo non descenderunt ex traditione Apostolica; sed in Ecclesia aliquando fuerunt constituta; & aliquando præcepta non erant. At necessitas benedictionis in chrismate descendit ex traditione Apostolica, vt habetur *ex D. Dion*; & vt testantur *PP.* allati; & semper immemorabiliter fuit necessaria; ergo *textus* allati probant necessitatem sacramenti; non solã necessitatem præcepti. Vt autem ostendant facilitatem baptismi, docent eius materiam à Christo fuisse benedictam, & consecratam, vt diximus *ex S. P. Aug.* Paritas autem olei infirmorum non valet; quia diuersa sacramenta diuersis ritibus cõficiuntur; & ideo non valet ab vno ad aliud arguere in ritibus. Sed hoc soluetur *de extr. Vnct. q.* 1. *art.* 2. *n.* 6.

7 Obijc. 2. *Conc. Toletan. I. c.* 20. inquit: *Quãuis penè vbique custodiatur, vt absque Episcopo nemo chrisma conficiat; tamen quia in aliquibus locis, vel prouincijs præsbiteri dicuntur chrisma conficere, placuit ex hac die nullum alium, nisi Episcopum chrisma conficere.* Item *Sylvester apud Damasum in eius vita* constituit chrisma ab Episcopis confici; ergo ante illum non erat præceptum. Item *Hier. ap. ad Rusticum Narbonen.* asserit potestatem consecrandi chrisma esse etiam penes præsbyterum.

Resp. *noster Basil. Conc.* loqui de benedictione chrismatis ad vngendos catechumenos in vertice; & ideo loqui de oleo catechumenorum, non de chrismate, quod est materia confirmationis; vt colligitur *ex ep. Montani Archiep. Toletani*; qui præfuit illi *Conc.* Consuetudinem autem vngendi catechumenos instituit *S. Sylvester*, vt refert *S. Damasus in eius vita*. Quoniam igitur aliqui presbyteri *territorij Palentini* ausi erant benedicere chrisma ad vngendos catechumenos contra immemorabilem Ecclesiæ cõ-

sue-

suetudinem, *Conc.* illis interdixit, ne amplius illud benedicerent. Præterea quamuis aliqui presbyteri benedixerint chrisma; quia tamen *Concilium* nō asserit eos validè benedixisse, ideo nihil probat omnino. Ad *Syluestrum* dicitur non instituisse nouum præceptum, sed declarasse traditionem Diuinam; constat enim *ex D. Dion. et PP*; qui fuerunt ante *Syluestrum*, benedictionē chrismatis ab Episcopo faciendam docuisse. Ad *D. Hier.* dicitur illam epistolam esse illi apertissimè affictam; continet enim plura contra fidem, vt quòd presbyteri æqualem potestatē, ac Episcopi habeant; quæ sententia *à Trid.* fuit damnata.

8 Obijc. 3. Simplex sacerdos potest ex commissione confirmationem conferre; ergo & benedicere chrisma; nam quod potest maius, potest & minus. 2. Christus in nuptijs tetigit etiā vnguentum; ergo eodem modo hoc consecrauit; sicut consecrauit aquam in baptismo. 3. Liber in ordinatione non est consecratus; ergo idem.

Resp. ad 1. neg. cons; diaconus enim potest ministrare eucharistiam, non tamen potest eam consecrare. Consecrare ergo dicit quid maius, quàm ministrare. Præterea illud axioma valet, cùm minus continetur sub potestate, sub qua continetur maius; nam homo potest generare hominem, non tamen formicam. Ad 2. dist. ant. Tetigit vnguentum instituendo in illo actu confirmationem, neg; non instituendo, conc. Consecrauit autem aquam illam tangendo, cùm illam determinauit, vt esset materia baptismi; & ideo consecrata remansit. Ad 3. dicitur, quòd liber epistolarum, & euangeliorum ex se est sacer, quia continet sacram scripturam; & ideo consecratione non eget.

9 Quæres 1; an verba, ex quibus constat benedictio Episcopi, quam diximus essentialiter requiri ad consecrationem chrismatis, fuerint à Christo determinata?

Resp. *noster Basil. p. 2. c. 4. n. 11; et 12.* inuocationem Spiritus S. esse essentialem; hanc enim referunt *SS. PP*; alios autem ritus, & verba fuisse relicta determinanda ab Ecclesia; constat enim verba, quæ leguntur *in Pontificali Romano*, esse diuersa ab ijs, quæ leguntur *in ordine antiquo Romano*, & non eadem esse *apud Latinos, et Græcos*.

10 Quæres 2; an si immisceatur magna quātitas olei non consecrati paucissimæ quantitati olei consecrati, remaneat totum consecratum?

Resp. negatiuè propter rationes afferendas *ex Fund. Doct. Æg. et D. Tho. de euchar. q. 3. art. 5. §. 3. à n. 41*; remaneret enim oleum benedictū ex mixtione cum oleo consecrato, vt dicitur de aqua benedicta; non autem remaneret consecratum; quia magna quantitas peruaderet per minima paruam quantitatem, & illam in se ipsam conuerteret; & ideo non maneret consecrata; ad benedictionem autem sufficit quicunque contactus, vt constat. *Vid. inf. loc. cit; et de extr. Vnct. q. 1. art. 2. n. 7.*

A R T. IV.

An vnctio chrismatis sit materia proxima confirmationis; & an differat ab impositione manus facta tempore Apostolorum?

1 QVoad 1. fuit error quorundam *Græcorū*, qui existimantes confirmationem esse sacramentum permanens dixerunt preces, quæ in benedictione chrismatis funduntur ab Episcopo, esse formam sacramenti confirmationis; & ipsum chrisma esse sacramentum confirmationis; & proinde vnctionem chrismatis esse vsum sacramenti, non sacramentum, sicut dicimus de eucharistia. Ita *Gabriel Philadelphien. Cabasilas, & Marcus Ephesius apud nostrum Basil. ubi p. 2. c. 5.*

2 Communis tamen sententia est vnctionē chrismatis per modum crucis in fronte esse materiam proximam confirmationis, quæ est sacramentum consistens in vsu, non permanens; sola enim eucharistia est sacramentum permanens quia ante sumptionem illius Christus est sub speciebus panis, & vini, cùm sit sacramentum, & sacrificium; alia verò sacramenta consistunt in vsu; non enim causant gratiam, nisi cū quis illis vtitur.

3 Sed difficultas est; an vnctio chrismatis sit materia proxima essentialis ita, vt sine illa sacramentum confirmationis haberi nequeat? Ratio dubitandi oritur ex eo, quod dicitur de Apostolis, qui manus impositione confirmabant absque eo, quòd nulla mentio vnctionis chrismatis fiat. Quod est secundum propositum in titulo articuli. Circa quod diuiduntur *Auctores*.

4 *Aliqui* enim volunt Apostolos nunquam vsos fuisse chrismate, sed sola manus impositione dedisse Spiritum Sanctum, ac proinde manus impositionem fuisse tantum exemplum confirmationis. Ita *Alen. hic q. 9. membr. 2; Ricard. dist. 7. art. 1. q. 2. ad 2; Perigian. q. 1. art. 1; Gabr. ibid. n. 4.* sub dubio relinquit; & *Toler.* videtur inclinare *lib. 2. sum. c. 14. n. 3.*

5 *Alij* asserunt Apostolos, quando dabant Spiritum Sanctum cum dono linguarum, confirmasse sola manus impositione; & tunc non confecisse verum sacramentum confirmationis; quādo verò non dabant Spiritum Sanctum visibiliter per aliquod donum sensibile, confirmasse cum vnctione. *D. Tho. in hac q. art. 1. ad 3; & art. 4. ad 1; Sot; Adrian; Aureol; Suar; Estius; Fab; Bonac; et alij* apud *nostrum Basil. ubi sup.* qui illos sequitur; quibus additur *noster Gibb; et alij* apud ipsum *hic disp. 26. dub. 3.*

6 *Alij* tandem docent Apostolos semper vsos fuisse vnctione chrismatis simul cum impositione manus. Ita *ex nostris Puteān. hic dub. 3; et 4; Ægid. Lusit. art. 3. dub. 2 contl. 2. Ex alijs Durand. 7. q. 2. ad 1; Bellarm. lib. 2. de confirm. c. 9; Layman.* hic

hic tract. 3. c. 2. n. 5; *Salmer. tract. 25. in Act. Apost*; *Cornel. à Lapide in c. 8. Act*; *Stapleton. ibid.* *Noster* autem *Farnacq.* nihil audet circa hoc determinare.

7 Vnica concl. Materia proxima, & essentialis sacramenti confirmationis est vnctio chrismatis per modum crucis in fronte, qua vsi fuerunt Apostoli etiam conferentes Spiritum Sanctum aliquo dono sensibili; vnde manus impositio supra vnctionem nihil aliud videtur importasse, quàm ritum, & ceremoniam quandã, qua Deo offerebantur preces ad obtinendum Spiritum Sanctum visibiliter cum sensibilibus donis.

Prob. 1. p. concl; quæ communis est; nam SS. PP. relati *in sup. art.* hoc sacramentum appellant *vnctionem*; sed appellatio sacramenti vel desumitur à materia remota, vel à proxima, vel à forma; & vnctio non est materia remota, quia hæc est chrisma; neque est forma, quia hæc sunt verba; ergo vnctio est materia proxima. Tum quia materia proxima sacramenti est applicatio materię remotæ, vt diximus *de bapt. q. 2. art. 5. n.* 8; sed vnctio est id, quo applicatur chrisma, quod est materia remota; ergo idem. Tum quia illa est materia proxima sacramenti, supra quam immediatè cadit forma; sed forma confirmationis immediatè cadit supra vnctionem in modũ crucis; dicitur enim: *Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis*; ergo idem.

8 Quòd autem hoc signum crucis debeat fieri per ipsam vnctionem, non autem per actionem præuiam sine vnctione, colligitur *ex D. Dion. c. 2. de Hier. Eccl.* docente vnguento à Pontifice signari; quod etiam docet *Innoc. I. ep. 1. c. 3*; *et alij SS. PP. communiter.*

9 Quòd autem in fronte fieri debeat, colligitur *ex eod. Innoc. vbi s*; *S. Greg. lib. 3. ep. 9*; *ex edicto Constantini* attestantis se fuisse vnctum in fronte *à S. Siluestro*, quibus adduntur *D. Damas*; *Leo I*; *Io. III. in c. unico de sacra vnctione*; *Tertul. de prascript. c. 40*; *S. P. Aug. in ps. 141*; *Conc. Hispals et Her. in decr. vnion*; *et S. P. Aug. tract. 118. in Io*; cuius ratio est. In illa parte corporis vnctio fieri debet, in qua est sedes erubescentiæ; datur enim confirmatio ad tollendam erubescentiam, quam quis potest habere in confessione veræ fidei christianæ; sed sedes erubscentiæ est in fronte, in qua rubor apparet; ergo vnctio fieri debet in fronte. Quòd autem fiat etiam in alijs partibus, hoc non est de essentia confirmationis, sed tantùm ex consuetudine, & præcepto Ecclesiarum, quæ iuxta diuersos ritus vngere consueuerunt diuersas partes; nam vt colligitur *ex gen. Conc. Constantinop. I. can. 7*; vngebantur frons, oculi, os, & aures; *ex Cyrillo* autem frons, aures, nares, & pectus; *ex Euchologio Græcorum* frons, oculi, nares, os, aures, pectus, manus, & pedes; *ab Armenis* additur vnctio scapularum; attamen omnes consentiunt solam vnctionem, quæ fit supra frontem, perficere hoc sacramentum; alias verò vnctiones non esse essentiales, sed tantùm integrales. Tandem hæc vnctio immediatè fieri debet per ipsam manum Episcopi, non mediante aliquo instrumento; sic namque præcipitur *in Pontificali Romano*; significata enim est per impositionem manus, vt testatur *Innoc. III. vbi s*; impositio autem manus importat immediatum contactum, vt constat. Qui verò non pollice dextro, vt præcipit *Pontificale*, sed sinistro inungeret, validè conferret, sed peccaret. Ita *communiter omnes apud Basil*; *et Gibb.*

10 Prob. 2. p. concl. Apostoli verè, & propriè confirmationem ministrarunt, vt docet *D. Dion. de Hier. Eccl. c. 4*; *et Fabianus*, *et omnes alij* relati *in sup. art*; per manus impositionem, & per vnctionem chrismatis; ergo materia proxima confirmationis vsi sunt Apostoli; nam quòd manus imponerent, & orarent, vt descenderet Spiritus Sanctus cum sensibilibus donis, & cum maiori plenitudine gratiarum, hoc solùm importat aliquod superadditum ipsi unctioni; non autem ipsam excludit vnctionem, vt cõstat; & ideo vsi sunt vnctione, & impositione manuum, etiam quando dederunt Spiritum Sanctum cum sensibilibus donis. 2. Si Apostoli vsi non fuissent vnctione, vel fuisset, quia nulla mentio fit chrismatis, sed tantùm impositionis manuum *in Act. Apost*; vel quia balsamum ob raritatem *haberi* non potuit ab Apostolis omnino pauperibus; vel quia ob dignitatem Apostolicam congruum erat, vt faciliori modo confirmarent; vel tandẽ, quia *Innoc. III. c. vnic. de sacra vnctione* dicit per manuum impositionem designari confirmationem; *Flor. vbi s.* ait *loco impositionis manus, dari in Ecclesia confirmationem*; inter significatiuum autem, & significatum debet dari diuersitas, vt constat; & illud, quod ponitur loco alterius, debet esse diuersum ab illo: & tandem *Innoc. IV. ep. ad Episcop. Tuscul.* inquit confirmationem repræsentare manus impositionem; repræsentãs autem debet esse diuersum à repræsentante; sed neutrum probat. Non 1; quia ea, quæ pertinent ad vsum sacramentorum, secretissima, vt potè sacratissima, tenebantur, & tradebantur tantùm oretenus, vt docet *D. Dion*; ne infideles, & impij eis abuterentur sacrilegè; tum quia *scriptura* solet plures actiones coniunctas vna tantùm expressa nominare, vt de instructione *Eunuchi* testatur *S. P. Aug. lib. de fide, & operib. c. 2.* Non 2; quia vt diximus *ex D. Hier.* multa balsami copia nascebatur *in Palestina*; tum quia discipuli, qui conuertebantur ab Apostolis, pretium suarum facultatum ab ipsis diuenditarum offerebant Apostolis, ex quo arguitur non fuisse ita pauperes, vt non habuerint ad comparandam modicam balsami quantitatem. Non 3. quia aliter idem esset dicendum etiam de alijs sacramentis, quòd scilicet fuerint ministrata sine debita materia, & forma. Non 4; quo vnicè nititur *ne-*

Her

ster Basil; nam, vt docet *S. P. Aug. lib. 3. cont. Donatist. c. 16*; diuersitas sacramenti confirmationis, quod modò datur, & quod dabatur ab Apostolis per manus impositionem, est solùm penes collationem visibilem, & inuisibilem Spiritus Sancti, non autem penes substantiam ipsius sacramenti; ait namque: *Non enim temporalibus, & sensibilibus miraculis attestantibus per manus impositionem modò datur Spiritus Sanctus; sicut antea dabatur ad commendationem rudis fidei, & Ecclesiæ primordia dilatanda. Quis enim nunc hoc expectat, vt ij, quibus manus ad accipiendum Spiritum Sanctum imponuntur, repentè incipiant linguis loqui? Sed inuisibiliter, & latenter intelligitur per vinculum pacis eorum cordibus Diuina charitas inspirari, vt possint dicere: Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*, & mox: *Cùm ergo aliud sit sacramentum, quod habere etiam Simon Magus potuit; aliud operatio Spiritus, quæ in malis hominibus etiam fieri solet, sicut Saul habuit prophetiam; aliud operatio eiusdem spiritus, quam nisi boni habere non possunt; sicut est finis præcepti charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, quilibet hæretici, & schismatici accipiant; charitas, quæ cooperit multitudinem peccatorum, proprium donum est catholicæ vnitatis, & pacis, nec est in omnibus, quia nec eius sunt omnes.* Quibus verbis quatuor distinguit in collatione Spiritus Sancti, qui per sacramentum confirmationis communicatur; nempe ipsum sacramentum, quod communiter datur bonis, & malis; & effectum sacramenti, qui est communis bonis, & malis, & ab illis semper recipitur; vt est caracter, & effectum, qui solis bonis confertur, vt est charitas, quæ datur solùm existentibus intra vnitatem Ecclesiæ, non autem hæreticis, & schismaticis, qui extra illam sunt, & tandem signa sensibilia externa, quibus visibiliter confertur Spiritus Sanctus; vt donum linguarum, tonitrua, flammæ, venti, aeris mutationes; quemadmodum conferebatur tempore Apostolorum; quo dabatur visibilibus signis, nunc autem solùm inuisibiliter, & latenter confertur; quibus verbis expressè docet totam diuersitatem inter confirmationem ab Apostolis per manus impositionem, & nunc per signationem collatam esse solùm penes signa visibilia, & inuisibilia, quia tunc conferebatur Spiritus Sanctus visibiliter, & manifestè, nunc autem inuisibiliter, & latenter, & præter hanc nullam aliam diuersitatem agnoscit, & per hanc optimè saluari obiectam diuersitatem; nam illa visibilis collatio Spiritus Sancti significabat inuisibilem collationem nostro tempore faciendam vsque ad consummationem sæculi, seu collatio confirmationis per signa sensibilia significabat collationem faciendam sine signis, vt inquit *Innoc. III*; & loco illius collationis per signa sensibilia posita est collatio sine signis, vt docet *Flor*; & quòd collatio visibilis Spiritus Sancti repræsentabat collationem inuisibilem faciendam nostro tempore, vt inquit *Innoc. IV*.

11 Conf. Si impositio manus per Apostolos facta non fuisset verum sacramentum confirmationis, vt docet *Basil. n.* 10; quia fuit sine debita materia, & forma, sine qua non est verum sacramentum; sed fuisset solùm figura, & symbolum confirmationis; & in hoc sensu deberent intelligi Pontifices, & *Conc. Flor*; sequeretur. 1; quòd cùm figura sit imperfectior figurato, & non conferat gratiam ex opere operato; vt constat de sacramentis veteris legis, quę figurę fuerunt sacramentorum nouę legis; & de baptismo *Ioannis*, qui fuit figura baptismi Christi; maius, & dignius esset sacramentum, quod celebratur ab Apostolorum successoribus, quàm quod ipsi celebrarunt Apostoli; sed conf. est absurdum; ergo & ant. 2. Sequeretur, quòd figurę sacramentorum non cessassent, nisi post mortem Apostolorum, quod nullus dixit. 3. Licitum esset dicere, quòd Apostoli etiam alia sacramenta in figura tantùm ministrassent; quod totam Ecclesiæ doctrinam euerteret. 4. Sequeretur *Pontifices, SS. PP*; *& Concilia* non rectè arguere solos Episcopos esse ordinarios ministros confirmationis, quia soli Apostoli, quorum Episcopi sunt successores, ministrarunt confirmationem per impositionem manus, vt colligitur *Act. 8; &* 19; hoc enim arguunt *Euseb. ep. 3; Innoc. I. ep. 1. c. 3; Io. III. ep. ad Episcopos Germaniæ, Damasus, & Leo, vbi sup; S. Cypr. ep. 75; S. Hier. dialogo 3. cont. Luciferianos, S. P. Aug. lib. 15. de Trin. c. 26; Dam. lib. 4. de fide c. 10; Emiss. hom. in Pentecost, S. Isidor. lib. 2. de officijs Eccles. c.* 26; nec impositionem manus vocarent sacramentum; vt *S. P. lib. 3. de bapt. vbi sup; Tertull. lib. 1. cont. Marcion; D. Cypr. ep. 27; &* 70; *& Concilia* superiùs allata. Prob. seq. Si per impositionem manus potestate ordinaria non contulissent confirmationem, sed tantùm de potentia extraordinaria, & ex dispensatione speciali contulissent illius effectum; non posset inferri, quòd soli Episcopi sint ministri ordinarij confirmationis; quamuis enim posset deduci, quòd soli Episcopi de potentia extraordinaria, & ex dispensatione speciali possent confirmationem conferre sine debita materia, & forma; non tamen, quòd illi soli possint conferre cum debita materia, & forma: vt ex eo, quòd *Dauid*, & eius pueri manducauerint ex dispensatione speciali panes propositionis, quod non licebat, nisi sacerdotibus, valet quidem inferre, quòd Reges illius successores tantùm ex dispensatione speciali idem potuerint agere; non tamen quòd hoc potuerint de potentia ordinaria; ita à pari. Præterea ex eo, quòd circuncisio, & baptismus eundem effectum causauerint, tantùm figuratiuè circuncisio vocata fuit baptismus; & sic si impositio manus vocaretur confirmatio, quia eundem causauit effectum; tantùm figuratiuè, non propriè, vt lo-

loquuntur *Pontifices, SS. PP; & Concilia*; confirmatio diceretur.

12 Tandem potestas collata Ecclesiæ visibili ad conferendam gratiam est tantùm per sacramenta ita, vt Pontifex nec de lege communi, nec de lege speciali valeat gratiam extra sacramenta conferre; quod euidenter monstratur ex eo, quòd Apostoli, qui die Pentecostes modo extraordinario sine chrismate, & sine determinatis verbis confirmati fuerunt linguis igneis, non *à Petro*, vel à se ipsis inuicem, sed ab ipso Spiritu Sancto gratiam confirmationis acceperunt; quo satis apertè indicatur nulli vnquam homini, nec etiam inter ipsa Ecclesiæ primordia concessum fuisse gratiam extra sacramenta à Christo instituta conferre: & ratio est. Quia gratiam extra sacramenta conferre est proprium illius, qui habet potestatem instituendi sacramenta; vt diximus *art. 1. n.10*; sed nec de lege communi, nec de lege speciali fuit vlli homini collata potestas instituendi sacramenta; hanc enim sibi soli Christus reseruauit; vt expresse docet *S. P. Aug. tract. 5. & 6. in Io*; ergo nec de lege communi, nec de lege speciali vlli homini vnquam fuit concessum extra sacramenra à Christo instituta gratiam conferre; & ideo nec Apostolis ex dispensatione fuit concessum gratiam confirmationis sine chrismate, & sine debita forma per solam, & siccam manus impositionem tribuere.

13 Collig. 1. impositionem manus coniunctam cum vnctione chrismatis fuisse sacramentum; quia fuit cum debita materia, & forma; disiunctam verò ab vnctione non fuisse sacramentum; vnde impositio manus super ægrotos non erat sacramentum. 2. Manus impositionem factam fuisse ab Apostolis cum quibusdam precibus, quas fundebant, vt daretur Spiritus Sanctus visibiliter, idest cum donis, & signis sensibilibus, ad ædificationem Ecclesiæ, cuius fundamentum tunc primitus positum erat, vt ex doctrina *S. P. Aug. sup.* tradita manifestum est; nunc autem talem solemnitatem in confirmatione cessasse, cùm Ecclesia firmiter ædificata iam fuerit.

A R T. V.

Quæ sit forma confirmationis Latinorum, Græcorum, & Armeniorum?

1 Forma confirmationis, quæ seruatur *apud Latinos*, traditur *in Conc. Flor. in decr. vnion. Armen.* his verbis: *Signo te signo crucis, confirmo te chrismate salutis*; & hanc ab antiquis temporibus seruatam fuisse colligitur *ex S. Ambr. lib. de ijs, qui initiantur c.7*; vbi inquit: *Signauit te Deus Pater, confirmauit te Christus Dominus, & dedit pignus Spiritus in cordibus tuis*. Eam tradit in terminis *Fund. Doct. Æg. lib. de caract. q.1. fol.34. col. 3*; *D. Tho. & omnes alij communiter*. Rationem reddit *idem D. Tho*; nam causa efficiens confirmationis est Trinitas; ideo exprimuntur tres Diuinæ Personæ; effectus autem est caracter, quo Christianus declaratur miles Christi ad pugnandum contra fidei hostes; ideo dicitur: *Signo te*; tandem quia alter effectus est roboratio animæ; ideo dicitur: *Confirmo*.

2 Verùm in antiquissimo libro, qui inscribitur *Ordo Romanus*, in quo ponuntur omnes ceremoniæ, & ritus seruandi in officijs Ecclesiasticis, & in administratione sacramentorũ, forma confirmationis, quæ *apud Latinos* habebatur antiquitus, est: *Confirmo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; amen*. Nec quidquam obtinet, quod ait *Sua*; & ex eo *noster Gibb*; nempe antequam prædicta verba proferantur ab Episcopo, in oratione, quæ præmittitur, dici: *Consigna eos, Domine, signo crucis*; nam, vt optimè notat *noster Basil*; hæc verba proferuntur generaliter super omnes confirmandos, ideo non possunt pertinere ad formam, quæ proferri debet supra singulos in particulari; tum quia proferuntur, antequam materia applicetur; forma autem debet cum materia coniungi, vt fiat vnum, vt constat; ideo quanuis hæc verba præmittantur; attamen ineptè infertur habere rationem formæ.

3 Item *in edicto Constantini to.1. Conciliorum post vitam S. Syluestri* habetur, quòd forma, qua idem *S. Syluester* eundem confirmauit, fuit hæc: *Signet te Deus sigillo fidei in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti consignatione fidei*. Nec officit, quod respondent *Recentiores*, nempe illud edictum censeri commentitium; & *Constantinum* non retulisse formam adæquatè. Primum, inquam, non officit; quia, vt *ex Bellarm.* notat *Binius*, quanuis quantùm ad id, quod habet *de Patriarchatu Constantinopolitano, & Romano* fuerit à *Græcis* corruptum; quantùm tamen ad ea, quæ refert de baptismo, & confirmatione, nullus vnquam ipsum mendosum existimauit; conuenit enim cum ijs, quæ ab omnibus narrantur historicis. Neque secundum; quia in hoc edicto minutissima quæque recensentur; & ideo uon est verisimile; quòd qui exorcismnm, catechismum, trinam mersionem, vestem candidam &c. retulit, confirmationis formam detruncatam enarret.

4 Forma apud Græcos seruata (omisso illorum errore, de quo *in sup. art. n.1.*) hæc est: *Signaculum donationis Spiritus Sancti; amen*. Ita colligitur, teste *Basil. ex omnibus Euchologijs Græcorum* tum impressis, tum manuscriptis; & *ex Conc. Constantinop. 1*; quod fuit *Conc. II. gen. can.9*; vbi dicitur: *Signatos, siue vnctos primùm sancto chrismate, et frontem, et oculos, et nares, et os, et aures, et eos signantes dicimus: Signaculum doni Spiritus Sancti*. Quibus verbis expressè refert formam confirmationis *à Græcis* tunc seruatam, & seruandam. Nec valet, quòd responderi solet, scilicet *Conc.* non expressisse integrã formam huius sacramenti, quia veteres PP. solliciti

liciti erant, ne huiusinodi mysteria euulgarentur. Non valet, inquam; nam vt inquit *Basil;* quamuis cùm loquerentur ad populum, illa occultare studerent; non tamen quando *in Conc.* materiam, & formam sacramentorum debebāt præscribere; & ideo sicut enumerant partes vngendas, ita formam tradere debuerunt, qua talis vnctio esset facienda. Tum quia necessitas occultandi fidei mysteria, ne ab infidelibus blasphemarentur, iam cessauerat; fides enim iam erat euulgata; sicuti modò, ex quo fides est propagata, nulla est necessitas occultandi eius mysteria, quæ liberè publicantur ab omnibus.

5 Neque obstat, quòd *D.Greg. lib.6. ep.31.* asserat *canones huius Concilij* non esse receptos ab Ecclesia Romana; nam *D. Greg.* intelligendus est quantùm ad ea, quæ continentur *can.* 5. de præcedentia Sedis *Constantinopolitanæ* post *Romanam*; nam quoad alios canones habetur approbatio *c.7. quoniam sancta dist.16; et c. sancta octo ibid; et c. de libellis dist.* 40; vbi *Leo IV.* enumeratis *canonibus*, quibus Ecclesia Romana vtitur in iudicando, recenset etiam *canones huius Concilij*. Præterea *idem Greg. lib.9. ep.61.* meminit huius consuetudinis, quæ priùs statuta erat etiam *in Conc. Laodic. c.7; Arelaten. I. c.8; et Arelaten. II. can. 17; et ab Euseb. Papa ep.3.* propè finem; *et Leone I. ep.36; et D. Basil. ep. ad Amphiloch;* & *Bessarion*; cuius auctoritas magna fuit *in Conc. Flor. in tract. de sacram. Eucharistiæ* expressè asseruit per hæc verba: *Signaculum doni Spiritus Sancti*; perfici secundùm *Græcos* sacramentum confirmationis. Quam formam *nec Innoc. III; aut IV; neq; Greg. X. in Conc. Lugdun; nec Eug. in Flor.* reprobarunt; *nec Clem. VIII. in instructione ad reformandos abusus Græcorum*, quam refert *Naldus summa v. christianus*, illam reformauit, sed præcepit confirmationem dandam esse sub conditione, quando probabiliter dubitari potest, an *ob Episcopis Græcis* fuerint baptizati. Neque obstat, quòd Pontifex asserat dandam esse sub forma *Latinorum*; loquebatur enim *de Græcis*, qui in Italia morabantur, & confirmari debebant ab Episcopis Latinis, qui alia forma, quam latina, vti non debent.

6 Ratio autem allata *à D. Tho.* probat etiam hanc formam *Græcorum* sufficientem fuisse (inquit *Basil.*) 1. Quia exprimitur caracter, cùm dicitur *signaculum*; exprimitur gratia, cùm dicitur *doni*, vel *donationis*; & exprimitur causa efficiens, cùm dicitur *Spiritus Sancti*, cui attribuitur vis sanctificandi. Nec est eadem ratio, quæ est de baptismo; nam expressio Diuinarum Personarum præcepta fuit à Christo Domino *Matt. vlt*; & congruum fuit, quia per Trinitatis confessionem, quæ est primum fundamentum fidei, & radix omnium aliorum mysteriorum, primò intramus per baptismum in Ecclesiam; at quia in confirmatione roboramur ad fidem iam acceptam in baptismo in nomine Diuinarum Personarum; & robur appropriatur Spiritui Sancto; ideo aptè, & sufficienter nominatur solus Spiritus Sanctus. Et quamuis *Flor.* asserat exprimendas esse Diuinas Personas; attamen rectè intelligitur hoc esse tantùm de necessitate præcepti, non sacramenti. Sicuti quamuis *idem Flor.* asserat formam sacramenti ordinis esse: *Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro viuis, & mortuis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; & sic de formis aliorum ordinum; & tamen nullus asserit ad validitatē sacramenti ordinis necessariam esse expressionem Diuinarum Personarum; quamuis tradatur *à Flor.* Ita à pari. Idem dicendum de sacramento pœnitentiæ, quod quamuis in praxi ministretur *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; omnes tamen communiter asserunt talem expressionem non esse de necessitate sacramenti.

7 Neque officit 1; quòd in hac forma non exprimitur verbum. 2. Quòd non exprimatur actio ministri. Non 1; quia illud nomen *signaculum* est nomen verbale, quod implicitè continet verbum; deriuatur enim à verbo *signo*, & facit sensum: *Confero tibi signum &c*; sicut enim, cùm quis exhibet pecuniam pauperi dicens: *En pecunia*; per actionem exhibitiuam pecuniæ exprimit verbum dandi illam; ita à pari. Et hic modus loquendi reperitur etiam *in scriptura*; nam *Hebr. 9.* dicitur: *Hic sanguis testamenti*; vbi subticetur verbum *est*; quod in pluribus alijs Ecclesiæ ritibus videtur, vt cùm dicitur: *Lumen Christi*: *Gloria in excelsis Deo*: *Gloria Patri, & Filio &c.* Nec 2; vt enim discurrit *noster Lusit.* apud *Basil*; actiones practicæ sufficiēter insinuāt personam dantis; quamuis illam non exprimant, vt cùm Rex donans alicui Ciuitatem dicit: *Hæc ciuitas tua*; sufficienter exprimit personam Regis illam dantis; ita à pari. Hæc *Basil.*

8 Addit *Farnacq. hîc c.3. q.1.* hanc formam *Græcorum in officio S. baptismatis* contento in *Euchologijs Græcorum* haberi: *Sacerdos oratione hac terminata baptizatum sancto vnguento vngit, crucis signum faciens in fronte, & in oculis, & in naribus, & in vtraque aure, & in pedibus dicens: Signaculum doni Spiritus Sancti, amen*. Idem habetur *in Gryptoferrato Bessarioni* adscripto; & *in Barberino S. Marci*.

9 Forma tandem, qua vtuntur *Armeni*, vt videre est apud *Clem. Galanum; & in Syn. Leopolen. anno* 1689; cuius examini *cum alys Consultoribus* interfuimus, est hæc: *Vnguentum suaue in nomine Iesu Christi effusum est super te, signaculum Diuinorum, & cælestium donorum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, amen*. Quæ forma abundè explicatur ex dictis de forma *Græcorum*, à qua videtur esse desumpta. *His supp.*

10 Controuersia est inter *DD*; an omnia verba allata *à Flor.* sint de necessitate, vel solùm de congruitate huius sacramenti.

Respondent *nostri Basil; & Farnacq.* solùm illa

illa verba, quæ correspondent formæ *Græcorum* esse de necessitare sacramenti contra *nostrum Gibb; Sua; Bellarm; & alios*, Ratio est; quia inuerisimile est formam, qua vsi sunt *Græci*, & quam probauerunt, vel non reformarunt tot *Pontifices*, *& PP;* validam non fuisse, & ideo continuisse, quidquid ad illius essentiam requiritur, ac propterea quæcunque addita sunt in forma, qua vtuntur *Latini*, esse tantùm de integritate, non de necessitare sacramenti.

11 Hinc inferunt. 1. non esse necessariam expressionem crucis, quia hanc non habet forma *Græcorum*, neque *vetustissimus Ordo Romanus*; tum quia vnctio ipsa, quæ fit in forma crucis, sufficienter exprimit illam esse signum crucis. *Est cont. Sua; Putean; Valent; & alios* asserentes necessariam esse expressionem crucis, quæ est vexillum fidei, cuius militiæ adscribitur cōfirmatus. Sed hoc benè saluatur per vnctionem in forma crucis, qua minister dicit se signare.

12 Inferunt. 2. non esse necessaria illa verba *chrismate salutis* propter easdem rationes; & quia sicut non est necessarium in baptismo exprimere aquam, qua fit baptismus; ita non est necessarium exprimere chrisma, quo fit confirmatio; sufficienter enim exprimitur per verbum *signo*, quod appellat materiam, qua signat, quæ materia est chrisma. Est *cont. Sua; & nostrum Lusit.*

13 Inferunt, 3. non esse necessarium geminare verbum, *signo, & confirmo*; ipsum enim signare est confirmare; tum quia *in edicto Constantini* habetur tantùm *signo*, *& in ordine Romano* habetur tantùm *confirmo*. *Est cont. Sua; & nostrum Lusit.* asserentes hæc verba non esse sinonyma, & ideo esse necessariò exprimenda, quibus tamen respondet *Basil*; quòd licèt *signo* abstrahendo à materia, qua signat, scilicet à chrismate, non sit idem sinonymè, *ac confirmo*; attamen si sumatur, prout cadit supra materiam, qua signat, idem omnino significat, *ac confirmo*.

14 Inferunt. 4. expressionem Diuinarum Personarum non esse necessariam necessitate sacramenti, sed tantùm necessitate præcepti, vt dictum est supra; aliter sequeretur in Ecclesia *Græcorum* nunquam fuisse verum sacramentum confirmationis; tum quia expressio Trinitatis solùm essentialis est in forma baptismi propter rationem adductam; tum quia si hoc probaretur *ex Flor*; probaretur etiam esse necessariam in sacramento ordinis. Est *cont. Alen. & cōt. Recentiores ferè omnes*.

15 Inferunt 5. parùm referre, quòd verba formæ proferantur per modum indicatiui, vel per modum deprecatiui; habetur enim *in edicto Constantini: Signet te Deus &c; & S. Greg. lib. sacramentor.* illam tradit his verbis; *Omnipotens sempiterne Deus &c; consigna eos signo crucis in vitam æternam, amen; & Amalarius Fortunatus lib. 1. de Eccl. officijs c. 27.* docet antiquitus formam confirmationis fuisse deprecatiuè traditam, & refert *S. P. Aug. lib. 15. de Trin*; vbi inquit de Apostolis; *quòd orabant, vt veniret in eos Spiritus Sāctus, quibus manus imponebant; non ipsi eum dabāt. Quem morem in suis Præpositis etiam nunc seruat Ecclesia*; quod sæpè videtur innuere *in libris cōt. Donatist.* Est *cont. Vasq.* dicentem verbum deprecatiuum non indicare superioritatem ministri; & ideo non indicare personam superioris, cui tamen respondet *Basil*; quòd licèt Episcopus deprecans Deum se ostendat inferiorem Deo, cuius est minister; attamen se ostendit superiorem confirmato, quia Dei minister est confirmato superior. Additur formam sacramenti extremæ vnctionis, qua dicitur *Indulgeat tibi Deus etc;* esse deprecatiuam, & tamen confertur cum sacramento fortitudo ad tolerandam mortem, & ad vincendas diaboli insidias; ita à pari.

16 Dices. Etiam baptismus, & ordo sunt signacula; imprimunt enim caracterem; ergo forma *Græcorum* non est propria confirmationis.

Resp. dist. ant. Sunt signacula militiæ, neg; consecrationis, conc; signaculum autem, prout cadit supra chrisma, vt sumitur in præsenti, dicitur tantùm primo modo, vt *sup.* dictum est.

A R T. VI.

An confirmatio sit necessaria ad salutem?

1 NEcessarium necessitate medij, quæ dicit exigentiam alicuius, sine quo finis vllo modo haberi non potest, importat præceptum naturale, vt vocant; quia illud mediū ex sua natura obligat ad illud eligendum ad hoc, vt finis obtineatur; sic gratia dicitur necessaria ad salutem in baptismo, vt diximus *de bapt. q. 2. art. 9.* Vltra necessitatem præcepti naturalis, quæ oritur ex necessitate medij; datur necessitas præcepti Diuini, vel Ecclesiastici, quod obligat ad illud, cùm est possibile, non autem simpliciter, & absolutè. Quæritur in præsenti, an, & quomodò obligemur ad suscipiendam confirmationem?

2 Certum est *apud omnes* confirmationem non esse necessariam necessitate medij ad salutem, adeoq; nullum extare præceptum naturale obligans ad illam suscipiendam; nam cùm necessitas medij, seu præcepti naturalis obliget omnes, & singulos, vt diximus de necessitate baptismi vel in re, vel in voto; cùmq; de fide sit paruulos post baptismum immediatè expirantes gloriam consequi, deducitur confirmationem non esse necessariam simpliciter necessitate medij, vel præcepti naturalis. Dubium ergo restringitur ad necessitatem præcepti Diuini, vel Ecclesiastici.

3 Prima sententia vult nullum esse præceptum Diuinum, aut Ecclesiasticum sub pecca-

to

to mortali obligans ad suscipiendum hoc sacramentum, etiamsi commodè suscipi possit, seclusa tamen contemptu. *Ita Sua. disp. 38. sect. 1.* referens *Scot; Ledesm; Adrian; & alios. Noster Gibb. hic disp. 16. dub. 6;* apud quem *Valen; Gonet; alij. Caiet.* autem vult dari præceptum obligans solùm sub veniali. Idem docet *Nauarr. in Sum. c. 22. n. 9.*

4 Secunda sententia docet dari præceptum Diuinum, & Ecclesiasticum, non quidem obligans omnes, & singulos, sed aliquos tantùm sub mortali, quando est opportunitas illam suscipiendi, & instat occasio resistendi hostibus fidei. Deducitur *ex Fund. Doct. Æg. de Renunc. Papæ c. 10. p. 6. fol. 15; col. 1.* Eum sequuntur *noster Basil. hic p. 5. c. 2;* vbi pluribus ostendit hanc esse *D. Tho.* sententiam; *& noster Faruacq. hic c. 5. q. 2.* Ex alijs *Estius hic dist. 7; & apud Sua. Dur; Gabr; Marsil; Turrecrem; Vualden; & alij; & apud Gibb. Scot. dist. 7. q. 2; Ricard. ibid. art. 5. q. 1; Petrus Soto lect. 2; & Bellarm. lib. 1. de sacram. c. 22.*

5 Vnica concl. Sacramentum confirmationis est necessarium ad salutem necessitate præcepti Diuini, & Ecclesiastici, non quidem singulis, sed tantùm aliquibus.

Hæc concl. videtur definita *à Trid. sess. 7. de sacram. in gen. can. 4;* vbi statuitur: *Si quis dixerit sacramenta nouæ legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua &c; licèt omnia singulis necessaria non sint, anathema sit.* Arguitur autem sic. Huic propositioni: *Omnia sacramenta nouæ legis necessaria sunt ad salutem; licèt omnia singulis necessaria non sint;* contradictoriè opponitur hæc propositio: *Aliquod sacramentum nouæ legis ad salutem necessariũ non est, et nec singulis, nec omnibus necessarium est;* prima enim propositio est vniuersalis affirmatiua; & secunda particularis negatiua; sed *Concilium* asserit omnia sacramenta nouæ legis esse necessaria ad salutem; propositio enim indefinita in materia necessaria æquiualet vniuersali; *licèt omnia singulis necessaria non sint;* ergo contradictoriè *ad Concilium* loquitur asserens confirmationem, quæ est vnũ ex sacramentis nouæ legis, necessariam non esse ad salutem nec singulis, nec omnibus. Atqui hæc necessitas nequit esse necessitas medij, quę obligat omnes, & singulos, vt diximus; ergo est necessitas præcepti.

6 Prob. 2. ex continua Ecclesiæ praxi; nam *Act. 2.* audientes Apostoli, quòd *Samaritani* recepissent verbum Dei, & baptizati fuissent, miserunt *Petrum, et Ioannem,* vt eis manus imponerent, & confirmarent; *et Act. 19. Paulus Ephesios* à se baptizatos statim confirmauit; *et Melchiades in ep. ad Episcopos Hispaniæ,* & habetur *de consecr. dist. 5. c. 1. Spiritus Sanctus;* docet: *Victuris necessaria sunt confirmationis auxilia; et S. P. Aug. serm. 47. de Verb. Domini; et tract. 33. in Io.* inquit: *Ideo Christus nos vnxit, quia luctatores contra Diabolum fecit;* ait enim *Melchiades vbisupra,* quòd per confirmationem *non tantùm contra hostes fidei externos, sed et contra internos, et quæcunque vitia, ad tentationes homo fidelis instruitur; et Conc. Araus. 1.* statuit: *Necessaria habeatur chrismatio repetita;* quod habent etiam *Illibert. can. 38; & Laodic. can. 48. Oportet baptizatos post baptismum sacratissimum chrisma percipere; et S. Cypr. ep. 70; Vngi quoq; necesse est eum, qui baptizatus sit; et Vrbanus ep. ad omnes Christianos,* quæ habetur *de consecr. dist. 5. c. omnes;* inquit: *Omnes fideles post baptismũ debent accipere Spiritum Sanctum, vt plenè christiani inueniantur;* Christianos enim dici à chrismate docet *S. P. Aug. lib. 17. de Ciu. Dei c. 14.* asserẽs *omnes chrismate vnctos rectè Christianos vocari;* quod habet etiam *Conc. Aurelianen. can. 3.* dicens *absolutè christianum non censeri sine confirmatione,* quia confirmatio est perfectio baptismi, qui est initium vitæ christianæ. Tandem colligitur hæc necessitas *ex Innoc. I. ep. ad Decent. c. 3; et ex Greg. I. lib. 3. ep. 9;* vbi præcipitur baptizari infantes, & confirmari. Verba autem *necesse est, debet, oportet,* necessitatem significant, quæ necessitas, cùm non sit naturalis, necessariò debet esse præcepti. Ratio *Fũd. Doct. Æg.* est. Illud est necessariũ ad salutẽ, sine quo vita spiritualis acquisita defendi, & conseruari nõ potest; sed sine confirmatione aliqui nequeunt defendere, & conseruare vitã spiritualem in baptismo acquisitam; nam nisi roborentur ad pugnandũ contra hostes fidei internos, & externos machinantes eis mortem, spiritualem vitam animæ conseruare non possunt; infirmi enim, & imbecilles ab hostibus fortissimis vincuntur, & deijciuntur, vt constat; ergo confirmatio est necessaria ad salutem, non quidem omnibus, & singulis, sed tantùm aliquibus, scilicet illis, quibus paratum est bellum internum, vel externũ cum hostibus fidei. Hinc patet non esse necessariam infantibus decedentibus post baptismũ; isti enim, cùm expertes sint vsus rationis, nullam luctam cum hostibus animæ possunt habere. Neque illis, qui sua culpa hoc sacramentum non receperunt; videntur enim illud habere saltem in voto, ita nanque sunt dispositi, vt si opportunitatem illum recipiẽdi habuissent, libentissimè recepissent. Illis tamen, quibus opportunè fuit oblatum, & omiserunt recipere, necessarium esse concluditur. Explicat *Fund. Doct.* exemplo vitæ naturalis; sicut enim puer iam natus debet confirmari, vt vitam conseruet; nisi enim fascijs stringeretur, vt membra robur accipiant, faciliter eius corpus dissolueretur; ita post vitam spiritualem in baptismo acquisitam debent fideles roborari, vt eandem tueantur contra omnia molimina, quæ illam machinantur dissoluere; sed confirmatio roborat animam ad conseruandam vitam spiritualem; ergo confirmatio est necessaria. Hæc tamen paritas non est ita accipienda, vt æqualiter extendatur ad omnes; nam certum est omnibus necessariã

esse roborationem corporis, ut vitam naturalem conseruent; non tamen omnibus necessarium esse sacramentum confirmationis, vt vitã spiritualem tueantur; sed solùm ijs, qui diu viuere debent inter hostes fidei; & ratio disparitatis est; nam vita naturalis corporis necessariò habet contraria, quibus impetitur, & ideo contra illa necesse est roborari omnes, qui vitam naturalem debent seruare; at verò vita spiritualis non habet in omnibus contrarietatem spiritus, vt diximus de paruulis, atque alijs pacificè viuentibus; ergo sacramentum confirmationis non est omnibus, & singulis, sed tantùm aliquibus necessarium.

7 Ex dictis *collig*. sacramentum confirmationis non simpliciter omnibus, sed tantùm secundùm quid, scilicet supposita hostium lucta, necessarium esse ad salutem.

8 Obijc. 1. cont. 1. p. concl. asserentem confirmationem non esse simpliciter, & absolutè omnibus necessariam *ex Clem. Rom. ep. 4.* docente: *Omnibus festinandum est sine mora renasci Deo, & demum consignari ab Episcopo, idest septiformem gratiam Spiritus Sancti percipere, quia aliter perfectus christianus esse non potest*, quod habet etiam *Vrban. vbi s. & Conc. Aranxc. 1. c. 12; et D. Cypr. vbi s.* ait necesse est baptizatum accipere chrisma, ut habere in se Christi gratiam possit; *et D. Greg. lib. 12. ep. 31.* ait confirmationem, quæ probari non potest factã fuisse, iterandam esse, *ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat*; & ratio est. Effectus confirmationis est roborare animam, ne in puncto mortis vincatur à diabolo; sed nullus absolutè potest consequi æternam salutem, nisi in puncto mortis vincat diabolum; ergo nullus potest sine confirmatione salutem consequi, & ideo confirmatio est omnibus ad salutem absolutè, & simpliciter necessaria.

Resp. allegatos *PP.* loqui tantùm de illis, qui luctam cum hostibus fidei possunt habere; qui propterea egent gratia confirmationis ad illos vincendos, & qua perficitur gratia baptismi ita, vt perfecti christiani, idèst perfecti Christi milites sine illa esse non possint. Non autem asserunt sine confirmatione salutem æternam aequiri non posse, sicut asserunt de baptismo; ideo non loquuntur de necessitate absoluta, & simpliciter, sed tantùm ex suppositione, quòd sint grauissimæ tentationes vincendæ; constat antem has tentationes grauissimas non esse in omnibus æqualiter; ideo non est omnibus necessaria. Ad rationem dist. ma. Ne vincatur à diabolo grauissimè tentante circa fidem, conc. circa vitæ innocentiam, neg; gratia enim baptismi datur ad innocentiam, & gratia confirmationis ad fidem seruandam vt asserunt SS. PP. & quia non omnes habent grauissimas tentationes circa fidem, præcipuè illi, qui sine sua culpa confirmationem non receperunt; ideo non omnibus necessaria est confirmatio.

9 Obijc. 2. cont. 2. p. concl. Non est præceptum obligans sub mortali ad id, quod melius est in vita spirituali; ad illud enim datur consilium, non præceptum; sed confirmatio est ad id, quod melius est; quia importat solum gratiæ augmentum; ergo ad confirmationem non datur præceptum obligans sub mortali. 2. Nullum est fundamentum asserendi dari præceptũ confirmationis, non quidem *in sacra scriptura*; quia *nullus textus* potest afferri; nec ex illius institutione, quia instituta est tantùm ad fortiùs profitendam fidem; ideo tantùm ad melius esse, neque ex traditione, quia nec *in Concilijs*, neq; *in SS. PP.* ulla fit mentio huius præcepti; omnia enim, quæ possunt adduci, optimè explicantur de consilio, non de præcepto; ergo sine vllo fundamento est nostrum assertum. 3. Si esset aliquod præceptum, maximè Ecclesiasticũ; nam si esset Diuinum, haberetur *in scriptura*; sed non est Ecclesiasticum; quia Ecclesia non ponit præceptum circa sacramenta, nisi determinaudo tempus, vt patet de sacramento pœnitentiæ, & eucharistiæ; nullum autem est tempus determinatum pro sumenda confirmatione; ideo nullum est præceptum Ecclesiasticum. 4. Si circa hoc sacramentum daretur præceptum omnibus morituris administrari deberet; sed cons. est falsum; nam *Melchiades c. Spiritus Sanctus de consecr. dist.* 5. testatur hoc non esse morituris necessarium; ergo idem.

Resp. ad 1. neg. mi; nam eucharistia importat gratiæ augmentum, & tamen de illa sumenda datur præceptum. Ad 2. neg. ant; satis enim patet *ex Act. & Trid; & PP. sup.* allatis dari hoc præceptum; præterea id constat ex praxi, & consuetudine Ecclesiæ, quæ est altera lex. Ad 3. dicitur esse præceptum Diuinum, non quidem omnibus, & singulis, sed aliquibus, vt dictum est; & Ecclesiasticum inductum à consuetudine. Circa tempus autem dicitur, quòd in primitiua Ecclesia erat mos confirmandi statim post baptismum; vt patet *ex Greg. 1. lib. 3. ep. 9. & Tertull. de bapt. c. 7. & ordine Romano*; quia tunc vigebat persecutio fidei, ideo necesse erat baptizatos munire hoc sacramento, vt fidem possent defendere. Postea dilata fuit ad perfectam ætatem, in qua viget ratio, vt habetur *c. ieiuni de consecr. dist.* 5. non est autem præfixum tempus determinatum, sicut nec præfixum est alijs sacramentis singulis non necessarijs. Ad 4. neg. ma; tunc enim omnibus morituris administrari deberet, quando omnibus esset necessariũ; sicut est baptismus &c. at quia solùm aliquibus est necessarium, ideo non debuit dari præceptũ de administrando illud omnibus.

10 Obijc. 3. Per gratiam baptismi sufficienter homo munitur ad vincendum Diabolum; ergo non est necessaria confirmatio. 2. Secluso cõtẽptu nulla potest esse causa peccati; ergo idẽ.

Resp.

Resp. ad 1. dist. ant. Munitur ad vincendũ Diabolum tentantem grauissimè circa fidem, neq; circa alia, conc. Ad 2. dicitur vix posse nõ esse contemptum; cùm enim potest, & negligit sumere confirmationem, saltem virtualiter contemnit ipsam, tanquam superfluam. Sed adhuc admisso non esse contemptum, dicitur peccare, quia periculo se exponit non vincendi tentationes contra fidem, contra quas Christus instituit confirmationem; & Ecclesia illam omnibus offert.

QVÆST. II.

De effectibus confirmationis.

DVo sunt effectus proprij, & præcipui confirmationis, scilicet gratia roborans ad fortiter confitendam fidem coram hostibus fidei; & character Christi milites declarans eos, qui sunt confirmati. De vtroque agendum est.

ART. I.

Quam gratiam conferat confirmatio?

1 OMisso Raymundi errore, qui, vt refertur *in Directorio Inquisitorum p. 2. q. 19.* censuit confirmationem ex natura sua conferre gratiam remittentem peccatum originale, & per consequens gratiam regenerantem; putabat enim peccatum originale in confirmatione, non in baptismo deleri. Quem errorem satis reiecimus *de bapt. q. 3. art. 1.*

2 Supponimus gratiam, quam confert confirmatio, esse quidem sanctificantem, non autem primam, quam non causat per se, sed per accidens, & materialiter ratione indispositionis subiecti inuoluntariè, & inculpabiliter illam indispositionem habentis. Primum fusè ostendimus *de sacram. in com. q. 2. art. 2. §. 5;* & secundum, *ibid. q. 3. art. 2.* Tertium autem, quod pariter supponimus, scilicet confirmationem validè, & licitè acceptam postea remoto obice causare gratiam, explicuimus *ibid. q. 6. art. 2; et de bapt. q. 3. art. 2;* proportionaliter enim de baptismo, & de confirmatione est loquendum. Quærimus igitur in præsenti, cuius naturæ, & virtutis sit hæc gratia, quam causat confirmatio; & in quo distinguatur à gratia baptismi, & aliorum sacramentorum?

3 Hæretici nostri temporis dixerunt confirmationem, quæ primis Ecclesiæ temporibus vocata est *manus impositio*, nullam aliam gratiam contulisse, nisi donum linguarum, aut aliud simile donum visibili signo collatum.

4 Vera tamen sententia, quam omnes catholici docent, asserit effectum primarium, & principalem confirmationis esse gratiam roborantem ad confitendam Christi fidem intrepidè coram quibuscumque inimicis, secundarium verò effectum esse characterem, de quo *in seq. art.* agemus; cæteros verò effectus, vt donum linguarum, gratia sanitatis &c; esse effectus minùs præcipuos, & comitantes, nec non separabiliter subsequentes; quia confirmatio sine illis potest conferri, vt expressè docet *S. P. Aug. lib. 3. de bapt. cont. Donatist. c. 16;* non tamen potest esse sine gratia roborante, aut sine charactere. *Ita Fund. Doct. de Renunt. Papæ c. 5. fol. 5. col. 3; et c. 12. fol. 19. col. 2; et de caract. q. 1. fol. 34. col. 3; et q. 2. fol. 35. col. 2; et communiter omnes.*

5 Vnica concl. Effectus primarius, & proprius confirmationis est gratia roborans ad attestandam, & profitendam Christi fidem intrepidè, & inerubescenter contra impugnatores illius siue internos, siue externos.

Prob. 1. ex illo *Act. 1. Accipietis virtutem superuenientis Spiritus Sancti in vos, et eritis mihi testes in Ierusalem, et in omni Iudæa, et Samaria, et vsque ad extremum terræ;* quibus verbis Christus promisit Apostolis gratiam ad attestandam ei us fidem, quam accepturi erant in die Pentecostes, quo debebat per Spiritum Sanctum sacramento confirmationis consecrari; vt explicat *S. P. Aug. lib. 2. cont. lit. Petil. c. 32;* ex quo sic arguitur. Gratia, quam acceperunt Apostoli die Pentecostes, est gratia roborans ad attestandam, & profitendam Christi fidem intrepidè, & inerubescenter coram eius inimicis, vt erant *Iudæi*, & omnes infideles, qui erant per totum Orbem dispersi; in virtute enim illius gratiæ fidem etiam martyrio attestati sunt; sed in sacramento confirmationis nobis datur gratia, quæ die Pentecostes data fuit Apostolis, quia Apostoli illa die sacramentum confirmationis, quamuis modo extraordinario, acceperunt; ergo in sacramento confirmationis nobis datur gratia roborans ad attestandam, & profitendam Christi fidẽ intrepidè, & inerubescenter corã eius inimicis. 2. *Tertull. lib. de Resurrect. carnis* inquit: *Caro signatur, vt anima muniatur;* muniri autem, & roborari idem est. *Fabian. ep. 2.* ait *baptismum sacri chrismatis vnctione perfici, & confirmari. Vrban. ep. ad omnes Episcopos: Cùm Spiritus S. infunditur, cor fidelis ad prudentiam, et constantiam dilatatur. Melchiad. ad Episcopos Hispaniæ* de hoc sacramẽto ait: *quòd baptizatis augmentum tribuat ad gratiam, quod ad pugnam roboret, et confirmet, quòd ad* ago-

agones, et prælia huius mundi armet, et instruat; S. P. Aug. tract. 33. in Io. Ideo Christus nos vnxit, quia luctatores fecit contra Diabolum; Innoc. II. c. vnico de sacra Vnctione Confirmatio dicitur; quia per eam Spiritus S. ad augmentum datur, et robur; Conc. Flor. in decr. vnien. Effectus huius sacramenti est, quia in eo datur Spiritus S. ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes. Tandem omnes SS. PP. docent gratiam baptismi in hoc distingui à gratia confirmationis; quòd illa datur per ordinem ad acquirendam innocentiam per peccatum primi hominis deperditam; quapropter gratia regenerans appellatur; quia per illam à morte peccati ad vitam spiritualem renascimur; ista verò datur per ordinem ad tuendam, seruandamque fidem in baptismo receptam contra omnes impugnatores illius. Ex quibus sic. Ille est proprius, peculiaris, & principalis effectus confirmationis, qui illi primariò competit, prout ab omnibus alijs sacramentis distinguitur; proprium enim definitur, quod vni, et soli competit; sed gratia roborans &c. primariò competit confirmationi, prout ab omnibus alijs sacramentis distinguitur; vt claret ex allatis textibus, qui roborare ad fidem attestandam, & tuendam contra inimicos illius tribuunt soli confirmationi; ergo gratia roborans ad fidem attestandam &c. est primus, peculiaris, & proprius effectus confirmationis.

6 Quæres; an gratia, quæ confertur in confirmatione, sit perfectior gratia, quam causat baptismus?

Resp. illam pleniorem dici, quia gratiam baptismi perficit, & consummat; tum quia Apostoli pleniorem gratiam acceperunt, cùm die Pentecostes fuerunt confirmati, quàm cùm fuerunt baptizati; tum quia, vt arguit Melchiades vbi sgratia confirmationis confert ur per digniorem ministrum, nempe per Episcopum; vt insi gratia autem baptismi in casu necessitatis confertut etiam per laicum; ergo ex his rectè deducitur gratiam confirmationis esse pleniorem, & perfectiorem quàm gratia baptismi. Quamuis hæc ratione necessitatis, & virtutis remissiuæ peccatorum maior illa sit dicenda.

A R T. II.

An confirmatio imprimat caracterem indelebilem; ob quem iterari non possit?

1 EX eo, quòd aliquod sacramentum caracterem indelebilem imprimat, rectè arguunt SS. PP; & DD. illud iterari non posse; sicuti ex eo, quòd caracterem non causet, iterari posse monstratur, vt patet de pœnitentia, eucharistia &c. Sed caracterem non imprimi etiam à sacramentis illum causantibus, nisi cùm validè conferuntur, certum est apud omnes; propterea cùm inualidè collata sunt, quia caracter non est impressus, illa sacramenta repeti debent, non tamen dicuntur propriè iterari, quia antea validè collata non sunt. Constans igitur est SS. PP. doctrina, vt diximus de bapt. q. 2. art. 7; quòd quoties aliquod sacramentum inualidè collatū est, tunc debet validè conferri, quia sacramentum inualidè collatum sacramentum non est; at verò sacramentum validè, quanuis illicitè, collatum, quia vel collatum est extra Ecclesiam, vt fit ab hæreticis, vel susceptum est cum obice ad gratiam, iterandum non est, quia licèt in collatione illius gratia communicata non fuerit ob impedimentum peccati, quod pugnat cum illa; attamen communicatus fuit caracter, qui cum peccato non pugnat, & qui repeti non potest, ne deformetur, vt arguit S. P. Aug. locis cit. vbi s. Hoc supp. tanquam certissimo.

2 Donatistæ in Aphrica, vt refert S. P. Aug. & Firmilianus Archiep. Neocesarien. teste D. Basil. hæreticos reuertentes, vel venientes ad fidem, quanuis ritè baptizatos, & confirmatos, iterum baptizabant, & confirmabant. Posteriores autem Græci hæreticos siue natos, siue educatos in hæresi, siue in hæresim lapsos nō baptizabant, sed tantùm confirmabant, quia putabant, vt refert Armenop. in compend. canonum, peccato hæresis caracterem confirmationis, non baptismi, deleri. Idem docuerunt Iob monachus, & Nic. Cabasilas apud nostrum Basil. hic p. 3. c. 1. n. 2; vbi refert etiam Gabr. Philadelphium asserentem baptismum tantùm, & sacerdotium imprimere caracterem, non autem confirmationem.

3 Io. Maldonat. p. 1. de confirm; & Io. Morin. de pœnit. lib. 9. c. 11. nominis similitudine decepti circa hoc nomen manus impositio, quòd confirmationē tātū significare putauerūt, scripserunt S. P. Aug. in ea fuisse sententia, vt existimaret baptismum datum ab hæreticis repetendum nō esse, quia effectus baptismi est facere fideles, & christianos, quod etiam apud hæreticos fieri potest; confirmationem autem datam ab hæreticis repetendam esse, quia proprius effectus confirmationis est dare Spiritum Sanctum, quod fieri nequit inter hæreticos.

4 Vnica concl. Confirmatio imprimit caracterem indelebilem, ac propterea iterari non potest, sicut baptismus, & expresse traditur à S. P. Aug.

Prob. 1. p. concl. ex scripturis allatis de bapt. vbi s; ex quibus sic arguitur. Baptismus imprimit caracterem indelebilem, ratione cuius iterari non potest; sed confirmatio eodem modo se habet, ac baptismus; ergo confirmatio imprimit caracterem indelebilem, ratione cuius iterari non potest. Ma. patet ex Hebr. 9; & 13; Rom. 6. allatis vbi s. Prob. mi. In tantùm baptismus iterari non potest, in quantum est figura mortis, & resurrectionis Christi, qui non potest iterum mori, & resurgere, vt docet Apost. ibid; sed etiam confirmatio est figura aduentus visibilis Spiritus San-

Sancti die Pentecostes super Apostolos, qui aduentus iterari non potest; ergo etiam confirmatio imprimit caracterem, ratione cuius est indelebilis. 2. Ideo baptismus imprimit caracterem indelebilem, quia consecrat baptizatum in seruum Christi, & semel consecratus manet semper consecratus, vt habetur *Leuit. vlt*; sed etiam per confirmationem baptizatus consecratur in militem Christi, cuius militiæ caracterem accipit ad pugnandum contra fidei hostes, ergo etiam confirmatio imprimit caracterem, ratione cuius iterari non potest.

5 Prob. 2. ex Summis Pontificibus; nam *lib. 3. constit. Apostol. c. 16.* vocatur hoc sacramentum *sigillum infrangibile*, quod idem est, ac indelebile; *Greg. I. lib. 12. ep. 31.* prohibet baptismum, & confirmationem iterari; idem habet *Greg. III. ep. 4. ad Bonif*; & habetur *c. de homine de consecr. dist. 5*; *& Innoc. III. c. pastoralis de sacramentis non iterandis.* Et ex *Conc. Taracon. I. can. 6*; & habetur *de consecr. dist. 5. c. dictum*; *Cabilonen. II. can. 22*; *Flor. in decr. vnion*; *& Trid. sess. 7. de sacram. in gen. can. 9.* Ex *SS. PP. Naz. or. in S. baptisma*; *Basil. in adhortatione ad baptismum*; *Chrysost. hom. 3. in ep. 2. ad Cor*; *Cyrill. Hierosol. in fine præfat. ad catecheses, & omnes alij communiter*, qui clarissimè asserunt signaculum impressum per chrisma manere in bonis, & in malis, nedum in hac vita, sed etiam post mortem; ergo ex communi sensu totius Ecclesiæ confirmatio imprimit caracterem indelebilem, ratione cuius iterari non potest.

6 Prob. 2. p. concl. *ex S. P. Aug. lib. 2. cont. lit. Petil. c. 104.* docente: *In hoc vnguento sacramentum chrismatis vult interpretari, quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse baptismus, sed potest esse, et in hominibus pessimis, in operibus carnis vitā cōsumentibus, et regnū Cælorum non possessuris.* Ex quibus sic. In tantùm baptismi caracter est indelebilis, & iterari non potest, in quantùm semel impressus manet in bonis, & in malis; sed S. P. *Aug.* manifestè docet caracterem confirmationis semel impressum manere in bonis, & in malis, imò & in pessimis; ergo manifestè docet caracterem confirmationis esse indelebilem, & iterari non posse. Item *in ps. 30. conc. 3.* inquit: *Non sine causa signum suum Christus in fronte nobis figi voluit, tanquam in sede pudoris, ne Christi opprobrio christianus erubescat*; *& lib. 2. cont. 2. ep. Gaudent. c. 4.* ait: *Nec in desertore violamus caracterem regium*; ex quibus deducitur in ipsius sententia caracterem confirmationis esse indelebilem, atque adeò iterari non posse. Tandem *lib. 3. cont. Donatist. c. 16*; ex quo loco arguunt *Maldonat. et Morin. S. P. Aug.* sensisse confirmationem posse iterari, apertè colligitur oppositum, si eius verba intelligantur, docet enim *ibid*; quòd in sacramento confirmationis aliud est ipsum sacramentum, quod etiam *Simon Magus* potuit habere; & aliud est effectus Spiritus Sancti, qui etiam in malis hominibus fieri potuit; vt *Saul* habuit prophetiam, quæ est operatio Spiritus Sancti; & aliud est effectus eiusdem Spiritus Sācti, quem soli boni possunt habere; & hic est charitas, quæ *diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum.* Quo supposito asserit *S. P.* quòd manus impositio (per quam infunditur charitas per Spiritum Sanctum, cùm hæretici reducuntur ad vnionem Ecclesiæ, & ideo ad charitatem, quæ essentialiter est vnio, & vinculum pacis) repeti potest; nam ista manus impositio nihil aliud est, quàm oratio super hominē, quæ potest iterari; quia potestas, quæ data est *Petro* absoluendi à peccatis, vt reducat ad vnitatem charitatis peccatores, iteratur; verba eius sunt hæc: *Cùm ergo sit aliud sacramentum, quod habere etiam Simon Magus potuit; aliud operatio spiritus, quæ in malis hominibus etiam fieri solet, sicut Saul habuit prophetiam; & aliud operatio eiusdem spiritus, quam nisi boni habere non possunt; sicut est finis præcepti charitas &c*; & mox: *Manus autem impositio, non sicut baptismus repeti non potest, quid enim est aliud, nisi oratio super hominem? Nam quæ in typo vnitatis Petro Dominus dedit potestatem, vt id solueretur, in terris, quod ille soluisset, manifestum est, quod illa vnitas etiam columba perfecta sit dicta.* Arguit autem hoc ex illo 1. *Cor. 12. Omnia hæc operatur vnus, atque idem spiritus diuidens singulis, prout vult.* Ex quibus sic. Illa manus impositio, per quam Spiritus Sanctus operatur charitatem, quæ manet in bonis tantùm hominibus non est confirmatio, sed est reconciliatio ad vnitatem Ecclesiæ, quæ fit per sacramentum pœnitentiæ; sed hæc reconciliatio repeti potest, sicut repeti potest ipsa pœnitentia; ergo illa tantùm manus impositio, quæ non est confirmatio, sed est reconciliatio, potest iterari, vt ex doctrina *S. P. Aug. ab Aduersarijs* obiecta euidenter colligitur.

7 Obijc. 1. *hæretici. Canon 47.* Apostolorum prohibet quidem baptizatum rebaptizare, non tamen vnguento iterum vngere. 2. *Conc. II. gen. can. 9.* iubet nonnullos hæreticos ad Ecclesiam venientes per confirmationem reconciliari, non per baptismum. Quod habent etiam *nonnulli SS. PP. & Summi Pontifices.* Item habet *D. Basil. ep. canonica ad Amphiloch. can. 1. & 47*; vbi ait: *Qui cùm baptismate illorum ad Ecclesiam se adiungunt, à fidelibus inungantur, & sic ad mysteria nostra accedant.* Idem habetur *in Euchologijs Græcorum*, in quibus, cùm recipiuntur hæretici ad fidem, post nonnullas orationes recitatur forma confirmationis; & ratio est. Quia baptismus dicit potentiam ad operandum; & confirmatio dicit bonum motum, qui tollitur per hæresim; ergo tollitur effectus confirmationis; & ideo in veniente ad fidem est iteranda.

Resp. ad 1; quòd sicuti ille *canon* ex eo, quòd non dicat ordinatos non esse reordinandos,

dos, non infertur ordinationem esse iterabilem; ita ex eo, quòd non dicat confirmatos non esse reconfirmandos, sed tantùm asserat baptizatos non esse rebaptizandos, non infertur confirmarionem esse iterabilem. Ad 2. dicitur *Conc.* loqui de illis hæreticis, qui confirmati erant inualidè, & qui contemnebant confirmationem, vt erant *Nouatiani*, & *Chotari*, de quibus *in illo canone* est sermo; & in hoc sensu locuti sunt SS. PP; & *Summi Pontifices. Ad D. Basil; & ad Euchologia Græcorum* respondet *noster Basil.* consuetudinem fuisse apud *Græcos* vngendi chrismate hæreticos venientes ad fidem absque eo tamen, quòd cõfirmationem conferrent; dicitur enim *in ijsdem Euchologijs*, quòd conuersus ad fidem septem diebus debebat manere in precibus, octaua autem die debebat ablui, & chrismate vngi; sicut autem illa ablutio non erat repetitio baptismi; ita neque illa vnctio confirmationis; conferebatur enim sine forma. Ad rationem dicitur caracterem tum baptismi, tum confirmationis esse potentiam ad operandum, vt diximus *de sacram. in com. q. 4. art. 2*; ideo si remanet vnus, remanere debet & alter.

8 Quæres. 1; an caracter confirmationis distinguatur realiter à caractere baptismi?

Resp. affirmatiuè. Est *cont. Altisiodor. in Sum. lib. 4. tract. 4. c. 2*; traditur tamen à *Fund. Doct. Æg. de renunc. Papæ c. 5. fol. 5. col. 3; & c. 10. p. 1. fol. 11. col. 3; & de coractere q. 1. fol. 34. col. 3; & sæpe alibi; Argent. dist. 7. q. 1. art. 2*; vbi docet caracterem baptismi esse in essentia animæ; & caracterem confirmationis esse in voluntate; *Basil. hic p. 3. c. 2; & omnibus alijs communiter.* Ratio *Fund. Doct.* est. Potentiæ, quæ ordinantur ad effectus specie, & numero diuersos, realiter distinguuntur inter se; nam potentia specificatur, & distinguitur ab actu; sed caracter baptismi, & confirmationis sunt potentiæ ordinatæ ad effectus specie, & numero diuersos; ergo realiter distinguuntur inter se. *Vid. vbi* §. 2. Ex eo, quòd confirmatio sit perfectio baptismi, non sequitur, quòd baptismus, & confirmatio sint vnum tantùm sacramentum; de fide enim est esse duo sacramenta realiter diuersa, quia constant ex materia, & forma diuersa; ergo ex eo, quòd caracter confirmationis sit perfectio caracteris baptismi, non sequitur, quòd sit vnus tantùm caracter.

9 Inst. Si caracter confirmationis differret specie à caractere baptismi, maximè, quia per illum homo destinatur ad bellum pro fide; sed etiam hoc præstat baptismus; vngitur enim baptizatus inter scapulas ad significandam pugnã, quam debet habere contra hostes animæ, vt docet *D. Ambr. lib. 1. de sacram. c. 2*; ergo non distinguitur. 2. Gratia per confirmationem collata non distinguitur à gratia baptismi; ergo idem dicendum de caractere.

Resp. ad 1. neg. mi; & ad prob. infert. dicitur, quòd vngitur inter scapulas ad pugnandum contra omnia vitia generaliter, & contra omnes hostes animæ; per caracterem autem confirmationis designatur miles peculialiter contra hostes fidei; ideo hic est diuersus ab illo. Ad 2. dist. ant. Si sermo sit de gratia habituali, conc; sed ex hoc nequit inferri esse eundem caracterem, aliter cùm omnia sacramenta causent eandem gratiam habitualem, essent vnum, & idem sacramentum realiter. Si sermo sit de gratia virtualiter sumpta, neg.

10 Quæres 2. an caracter confirmationis necessariò supponat caracterem baptismi?

Resp. affirmatiuè; nam vt diximus *de bapt. q. 2. art. 9. n. 5.* baptismus est ianua omnium sacramentorum, & vt loquitur *Fund. Doct*; est ratio recipiendi omnia alia sacramenta; & ideo sine illo hæc nõ recipiuntur. Tũ quia confirmatio est perfectio baptismi; perfectio autem supponit perfectibile.

11 Inst. Gratia confirmationis non supponit necessariò gratiam baptismi; nam *Act. 10.* Spiritus Sanctus, qui datur per confirmationem, datus est *Cornelio, & eius socijs*, antequam baptizarentur; & *Ananias Act. 9.* confirmauit *Paulum* per manus impositionem, antequam illum baptizaret; & multi catechumeni tanta fortitudine fuerunt præditi, vt mortem subierint pro fide, antequam suo sanguine baptizarentur; ergo nec caracter supponit caracterem.

Resp. neg. ant. Ad 1. prob. dicitur, quòd *Cornelius* iam habebat baptismum in voto; & ideo descendit super illũ Spiritus Sanctus; prout datur in baptismo, non prout datur in confirmatione. Ad 2. dicitur, quòd *Ananias* imposuit manus supra *Paulum*, vt visum reciperet; & quãuis subiungat: *Et implearis Spiritu Sancto*; attamen est ita intelligendum, vt significetur: *Et per baptismum implearis Spiritu Sancto.* Ad 3. dicitur, sicut ad 1; nam illi catechumeni iam habebant baptismum in voto, & receperant gratiam confirmationis etiam sine sacramento confirmationis; nam Deus non alligauit virtutem suam sacramentis, vt etiam extra sacramenta illam non possit conferre, vt docet *Fund. Doct. proposit. 24. de sacram. Altar.*

12 Ex dictis sequitur nedum caracterem, sed etiam gratiam confirmationis supponere caracterem, & gratiam baptismi.

QVÆ-

QVÆST. III.

De ministro, & subiecto confirmationis.

DVas quæstiones coniungimus sub vna veluti generica; vnaquæq; enim illarum non continet, nisi vnum articulum; qui licèt ab aliquibus diuidatur in plures; attamen quia in illis eadem res agitur, & ratio versatur, à nobis est inseparatim tradendus.

ART. I.

Quinam sit minister ordinarius, & delegatus confirmationis?

1 PHotius Patriarcha Constantinop. docuit non solos Episcopos, sed etiam omnes simplices sacerdotes esse ministros ordinarios confirmationis. *Ita in ep. Encyclica ad patriarchales Orientis sedes.* Eundem errorem docuit *Vuicleff lib. 4. Trialogi c. 14;* & refertur *sess. 8. in Conc. Constant. errore* 28. Idem tenuit *Caluin. lib. 4. Instit. c. 19. §. 10; Kemnit. p. 2. examinis; & Luth;* vt diximus *de sacram. in com. q. 5. art. 1. n. 1.* Ex catholicis idem docuit *Armacan. lib. 11. de qq. Armenorum c. 4.* Alij autem dixerunt, quòd licèt sacerdotes non possint in præsentia Episcopi ministrare confirmationem, in illius tamen absentia sine commissione validè ministrant, quanuis illicitè. *Ita Ferrar. 4. cont. gent. c. 65; Caiet. in c. 8. Act. Apost; Dur. in 4. dist. 7. q. 3. n. 12. apud nostrum Basil. hic p. 4. c. 2. n. 2;* vbi etiam refert *Ruardum Tapper,* qui tamen *à nostro Faruacq.* vindicatur. *Salmer. in Act. Apost. tract. 16.*

2 *Alij* è contra docent simplicem præsbiterum neq; ex dispensatione posse confirmationē ministrare; sed diuiduntur. *Aliqui* enim volunt nec ex dispensatione Episcopi, nec Summi Pontificis id posse. Refertur *Adrian. VI. in 4. de confirm. art. 3;* qui tamen vindicatur *à nostro Faruacq.* asserente eum loqui in sententia *Duri* qui hoc docuit explicitè. Refertur etiam *D. Bon. art. 1. q. 3; Gabr. q. 1. art. 2. concl. 3; Maior q. 1; Castro de heresib. v. confirmatio; Estius in hac dist. 7. §. 22; & alij apud nostrum Basil.* Alij verò ex dispensatione Summi Pontificis, & Episcopi id posse. *Ita noster Basil. hic p. 4. c. 3;* apud quem *Ledesma hic dist. 7. q. 1. art. 11; Layman, Salmer. vbi s; Abulen. in c. 6. Matth. q. 87; Sot. in 4. dist. 27. q. 1. art. 4; Sanch. lib. 3. de matrim. disp. 62. n. 3; & noster Aragon. 2. 2. q. 88. art. 2; & Farnacq. hic c. 4. q. 5; & aly.*

3 Communior tamen sententia docet solum Episcopum esse ministrum ordinarium, simplicem verò præsbiterum ex dispensatione Summi Pontificis, non autem Episcopi. Deduci potest *ex Fund. Doct. Æg. de sacram. Altaris proposit.* 24; vbi docet, quòd sicuti determinata est materia omnium sacramentorum, quæ habetur vel *ex scriptura*, vel ex traditione, aut consuetudine; ita determinati sunt ministri eodem modo; & cùm ex praxi Ecclesiæ, quæ ne quit esse, nisi ex traditione, habeatur solos Episcopos ordinariè, sacerdotes verò ex commissione Summi Pontificis; ideo ex eius doctrina deduci potest ista sententia. Eā docent *nostri Lusit. hic art. 11. concl. 2; Putean. dub. 7. concl. 2; Gibb. hic dub. 7; & 8;* ex alijs *Sua; Valent; Sot; Bellarm; Palud, Capr; Sylvester, Nauarr; Couarruuias, & alij ferè omnes.*

4 Vnica concl. Solus Episcopus est ordinarius minister confirmationis; simplex verò sacerdos ex dispensatione tantùm Summi Pontificis, non autem Episcopi, sine qua nec licitè, nec validè confirmationem conferret.

Prob. 1. pars concl; quę definita est *à Flor. in decr. vnion; et à Trid. sess. 7. de confirmat. can. 3.* docente: *Si quis dixerit sanctæ confirmationis ordinarium ministrum non esse solùm Episcopum, sed quemuis simplicem sacerdotem, anathema sit;* & habetur *ex Innoc. III. c. quantò de consuetudine;* vbi ait ministerium confirmationis ab Apostolorum tempore solis Pontificibus reseruatum fuisse. Idem habet *Innoc. III. ep. ad Episc. p. Tusful, & Eusеb. 1. ep. 3; et* refertur *c. manus de consecr. dist. 5; et Innoc. 1. ep. 1. c. 3; et alij inf.* allegandi, qui hoc colligunt *ex Act. 8;* vbi Apostoli miserunt *in Samariam* ad confirmandos *Samaritanos* iam baptizatos *à Philippo Diacono Petrum, et Ioannem,* qui erant Episcopi.

5 Nec valet, quod respondet *noster eximius Christianus Lupus* ad calumniam 4. *Photij;* scilicet *Innocentium* locurum fuisse de confirmationibus daudis in posterum, non de iam datis; nec quod *ex Basil. Faruacq;* scilicet, quòd Pontifex loquatur tantùm de præsbiteris *latinis Constantinopoli* commorantibus, non autem de præsbiteris *Græcis.* Non valet, inquam; nam ab Apostolis descendit tam orientalis, quàm occidentalis Ecclesia; & ideo non solùm *Latini,* sed etiā *Græci;* ergo ex eo, quòd Pontifex asserat *Latinos* non posse confirmationem conferre, quia solis Apostolis, qui erant Episcopi, *in scripturis* hæc potestas legitur reseruata; necessariò concludit etiam *de Græcis;* & ideo nedum de confirmationibus dandis, sed etiam de datis. Tum quia traditiones ductæ ex Apostolis obligant nedum *Latinos, sed etiam Græcos;* quia fidei doctrinam ab illis omnes sumpsere; & quanuis consuetudo particularis, & propria, quæ est in Ecclesia *Latina,* Ecclesiam *Græcam* non obliget; quia particularis est, & instituta ab Episcopis particulari-

bus; attamen consuetudo vniuersalis obligat totam Ecclesiam; quia censetur deriuare ab Apostolis, qui totam docuerunt Ecclesiam; sed consuetudo confirmandi per solos Episcopos asseritur ab adductis Pontificibus deriuasse ab Apostolis; ergo est consuetudo vniuersalis, & consequenter obligans totam Ecclesiam, & ideo *Latinos simul, et Græcos.*

6 Idem habetur *lib. 3. Constit. Apostol. c. 16*; vbi postquam dictum est Episcopum, vel presbyterum baptismum ministrare debere, subiungitur: *Postea Episcopus baptizatos chrismate vngat*; quibus verbis soli Episcopo potestatem confirmandi tribuit. Nec refert, quòd presbyter non possit sine licentia Episcopi confirmare; nam in præsentia Episcopi nec potest sine illius venia baptizare, tamen potestatem baptizandi tribuit Episcopo, & presbytero; at verò potestatem confirmandi soli tribuit Episcopo; ex quo deducitur presbyterum nec ex se ipso, nec de licentia Episcopi posse confirmare. Idem tradit *Melchiades ep. ad Episcopos Hispaniæ*, et habetur *c. 2. de his de consecr. dist. 5*; vbi inquit confirmationem magnum esse sacramentum, quia *maioribus, idèst Summis Pontificibus, est accommodatum, quod nisi à maioribus perfici non potest*; et *Euseb. ibid. c. 3. Manus quoque impositionis sacramentum magna veneratione tenendum est, quod ab alijs perfici non potest, nisi à Summis Sacerdotibus; nec tempore Apostolorum ab alijs, quàm ab ipsis Apostolis legitur, aut scitur peractum esse; nec per alios, quàm per illos, qui eorum tenent locum, vnquam perfici potest, aut fieri debet*; quibus verbis potestatem hanc tribuit solis Apostolis, & Episcopis, qui sunt Apostolorum successores; et *Damasus ep. de chorepiscopis*, qui erãt tantùm presbyteri, inquit: *Quòd autem solis Apostolis, eorumq; successoribus proprij sit officij tradere Spiritum S; liber Actorum Apostolorum docet; præsertim cum nullus ex septuaginta discipulis, quorum isti* (idèst chorepiscopi) *in Ecclesia speciem gerunt, legatur donum Spiritus Sancti per manus impositionem tradidisse*. Idem habet S. *Leo I. ep. 88. de chorepiscopis*, et *Innoc. I. ep. 1. ad Decentium c. 3*; et *Io. III. ep. 1*; vbi repetit eadẽ *Damasi* verba. Idem statuunt *Concilia*; vt *Illibert. can. 77. Si quis diaconus regens plebem sine Episcopo aliquos baptizauerit, Episcopus eos perficere debebit*; et *Hispalen. II.* refert verba S. *Leonis I. sup.* allata *de chorepiscopis*; et *Parisien. sub Ludouico, et Lothario c. 27*; et *Flor. in decr. vnion. Ordinarius minister est Episcopus, vt cùm cæteras vnctiones simplex sacerdos valeat exhibere, hanc non nisi Episcopus debet conferre*; et *Trid. sess. 7. can. 2. de confirmat.* et *sess. 23. c. 4.* definit presbyteros inferioris Episcopis non habere potestatem confirmandi; et *can. 7. eiusdem sess. 23.* statuit: *Si quis dixerit Episcopos non esse presbyteris superiores, vel eos non habere potestatem confirmandi, et ordinandi; vel eã, quam habent, illis esse cum presbyteris communem, anathema sit*. Idem docent *communiter* SS. *PP*; vt *D. Cypr. ep. 73. ad Iubaian*; *S. Chrisost. hom. 18. in Acta*; *S. Epiphan. hær. 21*; *Beda Act. 8*; *S. Isidor. lib. 2. c. 24*; *et omnes alij*; tandem *S. P. Aug. lib. 15. de Trin. c. 26.* testatur, quòd morem Apostolorum dandi Spiritum S. per manus impositionem *in suis Præpositis*, idèst Episcopis, *etiam nunc seruat Ecclesia*.

7 Ratio autem sumitur *ex eod. S. P. Aug. lib. 1. cont. Crescon. c. 30*. Potestas conferendi caracterem militiæ residet in solis Ducibus, non in gregarijs militibus; vt constat; quia solius Ducis est conscribere milites; sed posse confirmare dicit potestatem conferendi caracterem militum Christi ad pugnandum contra fidei hostes; ergo posse confirmare residet in solis Ducibus militiæ Christianæ, qui sunt Episcopi. 2. Ministerium perfectius exigit potestatem maiorem; sed confirmare importat ministerium perfectius, quàm sit baptismus; est enim *perfectio baptismi*; ergo confirmare dicit potestatem maiorem, quàm sit illa, per quam confertur baptismus; atqui potestatem baptismi habet simplex sacerdos; ergo potestatem confirmandi ordinariè solus habet Episcopus.

8 Obijc. *Photius*. 1. *Ananiam* confirmasse *Paulum*. 2. *ep. 1. ad Tim. 4.* dicitur: *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum præsbiterij*. 3. *S. Ignat. ep. 13.* inter munera sacerdotis enumerat manus impositionem; quod habet etiam *D. Ambr. lib. 3. de sacram. c. 2.* asserens ad inuocationem sacerdotis dari Spiritum Sanctum. 4. Simplicem sacerdotem non posse confirmare non colligitur neque *ex scripturis*, neque *ex SS. PP*; neque *ex Concilijs*; ergo omnino gratis asseritur. 5. Potest sacerdos eucharistiam, quæ est quid maius, ministrare; ergo multò magis confirmationem. 6. *S. Hier. cont. Luciferianos* ait, quòd confirmationem ab Episcopis ministrari spectat *ad honorem potiùs sacerdotij, quàm ad legis necessitatem*.

Resp. ad 1. fuisse solutum *in sup. art. n. 11*. Ad 2. dicitur Apostolum loqui de gratia, quæ data fuit *Timotheo*, cùm ordinatus fuit presbiter; nam etiam in ordinatione manus imponitur. Ad 3. dicitur *SS. Ignatium, & Ambr*; loqui de sacerdote magno, qui est Episcopus; & qui dicebatur *Sacerdos* antonomasticè; vt legitur *apud S. Sidonium Apollinarem lib. 9. ep. 3. ad Faust*. Ad 4. neg. ant; colligitur enim *ex Act*; *Summis Pontificibus, & SS. PP*; vt dictum est. Ad 5. neg. cons; aliter simplex sacerdos posset etiam ordinare, cùm ordo sit quid minus, quàm eucharistia. Hoc ergo concludit tantùm de ijs, quæ subordinantur eidem potestati. Ad 6. dicitur *S. Hier.* nihil aliud velle, quàm quòd confirmatio non est sacramentum tantæ necessitatis, sicut baptismus; ideo non debuit eius minister esse ita communis.

9 Prob. 2. pars concl; quòd scilicet simplex sacerdos possit licitè, & validè ex dispensatione confirmationem ministrare. 1. *Ex Greg. lib. 9. ep.*

26;

26; & habetur *c. peruenit dist. 95.* vbi cùm prius prohibuisset, ne presbiteri confirmarent, quæ prohibitio habetur *ep. 3. ad Ianuar*; postea videns ex hac prohibitione scandalum ortum fuisse, inquit: *Sed si hac de re aliqui contristantur, vbi Episcopi desunt, vt præsbiteri etiam in fronte tangere debeant, concedimus*; nec dici potest *cum Estio Gregorium* loqui de contactu chrismatis in baptismo, non in confirmatione; nam *Greg.* in hac *ep. 26.* reuocat prohibitionem factam *ep. 3*; hęc autem prohibitio erat de non confirmando, vt expresśè habetur. Nec minùs dici potest tunc sacerdotes simul Episcopos fuisse; nam expresśè habet: *Vbi desunt Episcopi, præsbiteri in fronte tangere debeant*; si præsbiteri autem fuissent Episcopi, iam non defuissent Episcopi, vbi præsbiteri non deerant; vel vbi deerant illi, defuissent & isti. Prẹterea hanc potestatem concessit *Io. XXII*; *Nic. IV*; *Eug. IV*; *& Leo X*; *imò & Adrian. VI*; vt refert *Pallau. hist. Trid. lib. 9. c. 7*; quanuis *Adrian.* in minoribus contrarium docuerit. Item *Greg. XIII.* dispensauit *cum PP. Societatis*; & mos antiquissimus est apud *Græcos, & Armenios*, qui simul baptismum, & confirmationem conferunt, simplices sacerdotes confirmare, quod nunquam vetuit Apostolica Sedes; imò & *apud Latinos Abbas Montis Cassini* ex antiquissima concessione nedum ordines minores, sed etiam confirmationem confert. Tandem *Flor. in decr. vnion.* inquit: *Legimus tamen aliquando per Apostolica Sedis dispensationem ex rationabili, & vrgente admodum causa simplicem sacerdotem chrismate per Episcopum confecto administrasse confirmationis sacramentum.* Ratio sumi potest ex *Fund. Doct. Æg. lib. cont. Exempt. c. 14.* In tantùm potestas ordinandi nequit committi simplici sacerdoti; in quantùm generare sibi similem non cõpetit, nisi magno, & perfecto; puer enim, qui est homo paruus, nequit sibi similem generare; ideo solus Episcopus, qui est sacerdos magnus, & perfectus, quia habet per consecrationem Episcopalem perfectionem caracteris sacerdotalis, potest alios sacerdotes generare; non autem simplex sacerdos, qui est sacerdos paruus; sed roborare potest competere etiam paruis, qui possunt vnctionibus fortificare; ergo confirmare, quod est roborare, potest etiam simplici sacerdoti committi.

10 Dices: 1. *Innoc. III. c. 4. de consuetudine* ait, *quòd fideles debent potiùs sacramento confirmationis carere, quàm illud à præsbiteris petere*; & *alij Pontifices sup.* allati asserunt potestatem confirmandi solis Episcopis conuenire. 2. Nullus potest instituere materiam, & formam sacramentorum; ergo neque ministrum. 3. Vel ordinare conuenit Episcopo ratione iurisdictionis; vel ratione consecrationis? Non primum; aliter Episcopus electus, non consecratus posset confirmare; & confirmans non sibi subditum nulliter confirmaret; vtrumque autem est falsum. Si secundum; vel ratione caracteris sacerdotalis, & sic etiam simplex sacerdos esset minister ordinarius, quod est falsum. Vel ratione caracteris Episcopalis; & sic simplex sacerdos nullo modo posset confirmare, quia caracter Episcopalis ei non conuenit. 4. Ea, quæ sunt consecrationis, non consecrato committi non possunt; vt habetur *c. 9. aqua de consecr. Eccl.* ergo si confirmare competit Episcopo ratione consecrationis, nequit committi simplici sacerdoti, cui nequit competere consecratio Episcopalis.

Resp. ad 1. sermonem esse de præsbitero non habente potestatem, nec commissionem; alij autem Pontifices loquuntur de potestate ordinaria, non ex commissione. Ad 2. neg. cons. quanuis enim eadem ratio sit de ministro ordinario, qui fuit à Christo institutus, non tamen de ministro extraordinario; vt patet de ministris ordinum minorum, qui ex commissione possunt institui à Pontifice; & de ministro extraordinario baptismi; licèt enim Christus instituerit solùm sacerdotem, vel diaconum, Pontifex tamen in casu necessitatis instituit etiam laicos; nam minister est causa extrinseca sacramentorum, ideo institutio illius non pertinet ad institutionem sacramentorum. Ad 3. dicitur potestatem confirmandi inchoatiuè competere ratione caracteris sacerdotalis, completiuè verò, & perfectiuè ratione caracteris Episcopalis; qui est perfectio caracteris sacerdotalis; ex quo sequitur non sacerdotem non posse confirmare; sacerdotem verò posse inchoatiuè, non cõpletiuè quoad actum secundum; perfectio autem suppletur ex dispensatione Pontificis; & per hoc patet ad 4. nam confirmare non committitur non consecrato, committitur enim sacerdoti, qui est consecratus, quanuis non sit completiuè consecratus.

11 Prob. 4. p. concl; quòd scilicet ex sola cõmissione Summi Pontificis, non Episcopi, possit simplex sacerdos confirmare; ex allatis *textibus* prob. sic. Illud, quod in tota Ecclesia est reseruatum solis Episcopis, præsbitero simplici à solo Summo Pontifice potest ex commissione concedi; sed potestas conferendi confirmationem in tota Ecclesia fuit semper reseruata solis Episcopis; ergo potestas conferendi cõfirmationem præsbitero simplici à solo Summo Pontifice potest ex commissione concedi. Prob. ma. Potestas in totam Ecclesiam habetur à solo Summo Pontifice; quia ipse solus habet plenitudinem potestatis; Episcopi verò sunt in partem sollicitudinis Ecclesiarum; sed quod in tota Ecclesia est reseruatum solis Episcopis, præsbitero simplici potest ex commissione concedi à solo habente potestatem in totam Ecclesiam; sicuti quod est reseruatũ in aliqua Ecclesia particulari, nequit committi præsbitero simplici illius Ecclesiæ, nisi ab Episcopo habente potestatem in totam illam Ecclesiam; ergo quod in tota Ecclesia est reseruatum solis Episcopis, præsbitero simplici potest ex commissione concedi à solo Summo Pontifice.

tifice. Mi. patet *ex textibus* allatis; nam illud, quod non potuit conferri, nisi à solis Apostolis, & eorum successoribus, qui formabant totam Ecclesiam, in tota Ecclesia fuit reseruatum solis Episcopis; soli enim Apostoli, & eorum successores sunt, & fuerunt Episcopi; sed confirmatio à solis Apostolis, & eorum successoribus potuit conferri; vt declarant *auctoritates* allatæ; ergo potestas conferendi confirmationem solis Episcopis in tota Ecclesia fuit reseruata. Tum quia illud, quod præsbiteris negatur à Summo Pontifice, nequit illis committi ab Episcopo; sed potestas conferendi confirmationem præsbiteris negatur à Summo Pontifice; vt patet *ex Euseb.* statuente: *Ab alijs perfici non potest, nisi à summis sacerdotibus*; ergo potestas confirmandi præsbiteris nequit committi ab Episcopis.

Nec dici potest reseruatā fuisse solis Episcopis potestatem ordinariam; non autem fuisse illis prohibitum, ne potestatem ex commissione conferrent præsbiteris. Nam cōtra est; quia illud propriè dicitur reseruatū alicui, quod ex cōmissione potest alteri conferri; nam potestas ordinandi, quæ nequit conferri præsbitero ex commissione, non dicitur reseruata Episcopo, sed Episcopo propria; & absolutio à censuris, quæ potest ex commissione conferri præsbitero, dicitur Episcopo reseruata; sed potestas ordinaria confirmandi nequit communicari præsbitero simplici; ergo non ipsa potestas ordinaria, sed ipsa actualis collatio confirmationis dicitur reseruata; sicut non ipsa potestas absoluendi, sed actualis absolutio reseruata dicitur. Nec tandem ipsa actualis collatio, prout exit à potestate ordinaria, dici potest reseruata; quia sic nequit esse alteri communis; sed prout exit à potestate ex commissione. Præterea falsum est, quòd per talem reseruationem nō fuerit prohibitum Episcopis delegandi potestatem ex commissione; ipsa enim reseruatio formaliter prohibitio est; nam sicuti ex eo, quòd Episcopus reseruet solis parochis potestatem absoluendi à quibusdam censuris, intelligitur illis prohibere, ne talem facultatem alijs committant; ita ex eo, quòd tota Ecclesia reseruauerit solis Episcopis potestatem confirmandi, censetur illis prohibuisse potestatem delegandi; quæ propterea remansit in solo capite Ecclesiæ habente plenitudinem potestatis in illam.

12 Inst. Quod potest Papa in toto Orbe, potest Episcopus in sua diœcesi, nisi illud per Pontificem sit reseruatum, vel spectet ad fidem; nam Episcopus in sua diœcesi est pastor ordinarius; sicut Pontifex in toto Orbe; sed Pontifex potest dispēsare in toto Orbe, vt simplex sacerdos confirmet; ergo & Episcopus in sua diœcesi. 2. Præsbiteri *Græci* ex dispensatione confirmarunt; nam cùm ex antiquissima consuetudine immediatè post baptismum confirment; cumque Episcopus nequeat esse præsens omnibus locis suæ diœcesis, necesse fuit committere sacerdotibus potestatem confirmandi; sed hoc non fuit ex dispensatione Summi Pontificis; nam Pontifices sæpe ab illis quæsierunt, quomodò id agerent; ergo fuit ex dispensatione suorum Episcoporum.

Resp. ad 1. neg. cons; nam Pontifex habet plenitudinem potestatis, quæ à nullo potest limitari; Episcopus autem habet potestatē subordinatam, quæ fuit à potestate plenaria limitata, vt potestas confirmandi sit ipsi dumtaxat reseruata; vt diximus. Ad 2. neg. mi; licèt enim aliqui Pontifices à Græcis quæsiuerint, qua auctoritate confirmarent; attamen non sequitur, quòd illam à Pontificibus prædecessoribus non acceperint; sed tantùm quòd illam ab illis, qui quæsiuerunt, non habuerint; & ideo edoceri petierint, qua commissione id agerent? Quòd si Episcopi dispensare potuissent, hoc non quæsiuissent Summi Pontifices; promptè enim respondissent se confirmare, quia eorum Episcopi talem potestatem eis conferre potuissent; cui nō acquieuissent Summi Pontifices declarantes hanc potestatem tempore Apostolorum fuisse reseruatam solis Episcopis; & ideo probabile est respondisse se confirmare ex consuetudine antiquissima concessa, vel saltem tolerata à Summis Pontificibus.

13 Prob. 4. p. concl; quòd scilicet sacerdos sine dispensatione nec validè, nec licitè valeat confirmare. Habetur expressè *de consecr. d. st. 5. c. 3.* manus quoque ex Euseb. statuente: *Nec ab alijs, quàm per illos, qui eorum* (idèst Apostolorum) *tenent locum, nunquam* confirmatio *confici potest, aut fieri debet. Nam si aliter præsumptum fuerit, irritum habeatur, & vacuum; & inter Ecclesiastica sacramenta nunquam reputabitur*. Ex quo sic arguitur. Illud, quod sine potestate confertur, illicitè, quia potestas præsumitur, quod non licet; & inualidè confertur; vt laicus absoluens à peccatis sine potestate absoluendi, nedum illicitè, sed etiam inualidè sacramentum pœnitentiæ conferret; sed simplex sacerdos absque dispensatione non habet potestatem confirmandi; si enim eam haberet, esset ordinarius minister; nam qui non habet potestatem ex dispensatione, & aliunde illam habet, ordinariè habet; ergo simplex sacerdos absque dispensatione confirmans nedum illicitè, sed etiam inualidè sacramentum confirmationis conferret.

14 Obijc. 1. Præsbiter ratione ordinis habet sufficientem consecrationem ad conferendam confirmationem, vt constat *ex Conc. Aransic. I. can. 2*; vbi dicitur, quòd in mortis articulo, si desit Episcopus, possint hæretici à præsbiteris cum chrismate confirmari; *& ex Innoc. I. ep. 1. c. 6.* habetur Episcopum posse dare auctoritatem præsbiteris ad confirmandos energumenos; *& c. præsbiter dist. 95.* cauetur, ne præsbiteri præsente Episcopo consignent; quod habetur etiam com-

c. nunc tempore de consecr. dist. 4. Tum quia *Græci præsbiteri* confirmant; ergo habent sufficientem consecrationem ad confirmandum. 2. *Canones allati* eodem modo videntur loqui de baptismo, & confirmatione; nullus enim præsbiter potest baptizare præsente Episcopo, nisi de eius licentia; sed absque commissione baptismus confertur validè; ergo & confirmatio. 3. *Clem. Rom. lib. 7. constit. Apostolic. c. 23.* nominat Episcopum, & præsbiterum ministrum confirmationis. 4. Nunquam dicitur confirmationem esse iterandam, quamuis dicatur esse irritam, inanem, & vacuam; hoc enim non significat illam esse inualidam; nam *c. qui vult 1. q. 1.* de præsbitero simoniacè ordinato dicitur *Sacerdos non est, sed inaniter dicitur*; & *Sixtus II. ep. 2.* de Episcopo ordinante in aliena diœcesi ait: *Irrita sit eius ordinatio*. Idem habetur *c. in multis 2. q. 1. & c. in plerisque clement. de elect. & c. prouida ibid.*; hæc enim verba intelliguntur solùm quantùm ad exercitium, non quantùm ad collationem ordinis.

Resp. ad 1. dist. ant. Habent consecrationem inchoatiuè conc. perfectiuè, neg. Ad *Conc. Arausic.* dicitur *ibid.* non agi de vnctione confirmatiua, sed reconciliatiua, vt fusè ostendit *noster Basil.* tres enim vnctiones fiebant vna ante baptismum in pectore, & humeris; altera pòst baptismum in vertice; & alia in fronte; vnctionem verticis instituit *Syluester*; cùm enim multi post baptismum morerentur sine confirmatione ob absentiam Episcopi, *S. Papa* instituit illam sanctam vnctionem, vt illa adiuuareretur anima contra dæmones, quæ tamen non est confirmatio. Hoc refert *S. Damasus in Pontific.*; *Strabo, Rabban*; *& alij*. Idem dicitur *ad Innoc. & ad 1. præsbiter*. Ad 2. neg. ma. nullus enim canon dicit baptismum esse irritum, sicut dicit de confirmatione, imò dicit esse validum, sed illicitum, quòd de hac non dicitur. Ad 3. neg ant. dum enim agit de confirmatione, ait solum Episcopum vngere debere. Ad 4. dicitur, quòd aliud est aliquod sacramentum esse irritum [illegible] potestatis, & hoc procùldubio est inualidum, vt loquuntur *canones* de confirmatione; & aliud ob alium quemlibet defectum; & hoc est validum quantùm ad collationem; & inane quantùm ad exercitium.

15. Collig. 1. consuetudinem *Græcorum* non esse reprobandam, tanquam illicitam; quia etiã ante schisma fuit in vsu; *& noster Basil.* asserit *D. Dion. de Eccl. Hierar. 5.* illius meminisse; quanuis hoc nonnisi obscurè colligi possit; quia primis illis temporibus simul fuerunt sacerdotes, & Episcopi ordinabantur; ideo ægrè ostendi potest ex hoc hanc consuetudinem ex Apostolis descendisse. Ratio ergo, ob quam tanquam licita potest admitti, est; quia vel fuit ex concessione, vel saltem ex permissione *Summorum Pontificum*, vt diximus.

16. Collig. 2. Diaconum, & multò minùs subdiaconum, aut clericum non posse etiam ex commissione confirmationem conferre, quia allati *canones* loquuntur solùm de sacerdote, quem dicunt esse capacem huius ministerij; quod intelligendum esse priuatiuè ita, vt nullus alius ab ipsis sit capax: *Omnes* consentiunt.

17. Collig. 3. quòd etiamsi requiratur rationabilis causa, vt hæc dispensatio sit licita; attamen si absque rationabili causa concedatur à Summo Pontifice hæc potestas; collatio confirmationis est valida. *Ita noster Gibb.*; quia ad valorem sufficit, quòd potestas fuerit concessa; & quamuis sine rationabili causa sit concessa; attamen non sit, quòd non sit concessa; sed tantùm, quòd non fuerit rationabiliter concessa; quod non tollit veram rationem concessionis, quæ sufficit ad valorem, & veritatem collationis.

ARTIC. II.

Quis sit capax suscipiendi confirmationem?

1 VNica concl. Solus, & quilibet baptizatus est capax recipiendi confirmationem.

Prob. 1. pars concl. 1. *ex Act. 8. & 19.* vbi Apostoli inquisierunt, an *Samaritani*, *& Ephesij* baptizati essent, vt illis conferre possent confirmationem; & die Pentecostes super Apostolos, & discipulos iam baptizatos descendit Spiritus Sanctus illos extraordinario modo confirmans. 2. Quia vt diximus *de bapt. q. 2. art. 9. n. 17*; baptismus est *ianua omnium sacramentorum*, & confirmatio est perfectio baptismi; perfectio autem supponit perfectibile, vt notum est; ergo solùm baptizatus est capax suscipiendi confirmationem. Obiectiones solutas *vid. de bapt. vbi sup.* Tandem habetur *de consecr. dist. 5. c. 4.* nouissimè.

2. Quoad 2. part. concl. est dubium de infantibus, amentibus, & energumenis. Quoad 1. tamen prob. ex consuetudine, quæ fuit primis Ecclesiæ temporibus, & etiam nunc viget *apud Græcos*, qua immediatè post baptismum paruulis confirmationem conferri iam diximus. Quanuis enim infantes nullam pugnam sint habituri cum hostibus fidei; attamen priuari non debent gratia confirmationis, & caractere, qui post mortem manet ad ornatum. Ex quo infertur etiam constitutis in mortis articulo iam iam morituris confirmationem posse conferri propter eandem rationem. Quoad amentes verò, si aliquando rationis interuallum habeant, certum est *apud omnes*; in illo enim interuallo tentari possunt in fide. Si autem sint perpetuò amentes, prob. ex eo, quòd amentes comparantur infantibus, qui vsum rationis non habent, nec sunt habituri, quia in infantia sunt morituri; sed illi sunt capaces confirmationis; ergo & isti. Tum quia sunt capaces baptismi; ergo & confirmationis, quæ est

est perfectio baptismi. Quoad energumenos prob. ex eo, quòd sint capaces eucharistiæ; ergo & confirmationis. Idem arguitur ex paritate baptismi. Tum quia sæpe in susceptione confirmationis energumeni liberati sunt à Dæmonibus; vt refert *D. Naz. or. 1. in Iulian; Lactant. lib. 4. Diuinar. Instit. c. 27; Prudent. in Apotheosi, & D. Bern. in vita S. Malachia*.

3 Quæres 1; an accedens ad hoc sacramentum debeat esse ieiunus?

Resp. antiquitus à ieiunis accipi morem fuisse; quia sumebatur simul cum baptismo, imò cum eucharistia. Modò autem confirmatio confertur etiam post prandium; nam Pontificale antiquum asserit confirmandos debere esse ieiunos ex honestate, non de necessitate sacramenti. Ob eandem rationem nec Episcopi debent esse ieiuni; vt colligit *noster Faruacq.*

4 Quæres 2; quænam dispositio prærequiratur?

Resp. prærequiri statum gratiæ; cùm enim confirmatio sit sacramentum viuorum, non debet, nisi existentibus in gratia conferri. Quòd si aliquis sit conscius peccati mortalis non confessi, debet conteri; vt diximus *de sacram. in com. q. 3. art. 2*; quoties confitendi opportunitas deest.

5 Quæres 3; an confirmatio debeat præmitti ordinationi?

Resp. affirmatiuè. *Ita Trid. sess. 23. c. 4.* statuens: *Prima tonsura non initientur, qui sacramentum confirmationis non susceperint.* An autem peccet mortaliter; qui data opera suscipit priùs ordines, quàm confirmationem? Resp. *noster Faruacq. cum Nugno, & alijs* affirmatiuè, quia est in materia graui. Sed *noster Gibb. cum Sot; Nauarr; Suar; & alijs* respondet negatiuè; quia Conc. non imponit aliquam censuram, aut verbum, ex quo colligatur strictum præceptum. At ad obligandum ad peccatum mortale non est necessarium imponere censuram; nulla enim censura imponitur laicis fornicantibus &c; nec est necesse declarare tale præceptum esse rigorosum præceptum; aliter ferè nullum præceptum rigorosum haberetur; cùm ferè nullibi talis declaratio habeatur.

6 Quæres 4; an ad confirmationem requiratur patrinus?

Resp. affirmatiuè; quia confirmatus eget instructore, qui eum doceat in ijs, quæ spectant ad Christi militiam. Patrinus autem debet esse baptizatus, & confirmatus; vt habetur *de consecr. dist. 4. c. 100*; aliter non posset eum instruere. Non debet esse excommunicatus, interdictus, vel grauioribus facinoribus alligatus; imò nec pater, nec mater, aut maritus, vel vxor illius, qui confirmatur; vt diximus de patrino baptismi *q. 4. de bapt. 5.* Contrahitur spiritualis cognatio; vt *ibid*; vbi alia *vid*; cùm enim confirmatio sit perfectio baptismi; ideo eo modo de ipsa, sicut de baptismo, est loquendum; eadem enim ratio est de vtroque.

DE EVCHARISTIA.


YSTERIORVM miraculum (inquit *S. Io. Chrisost. serm. 61. ad pop. Antioch.*) in quo admirationis meta conspicitur, explicandum subsequitur. Sacramentum eò sacratius, quo secretius; quod fide discitur, & ratione ignoratur, vt fidei meritum credendi arduitate augeatur; & difficultatis excessus rationis comprobetur defectu. Etenim si præsentis vitæ conditio rationem cogit, [illegible]nsum, ceu pedagogum, à quo edoceatur, sectetur; quomodò in hoc sacramento nedum præ[illegible]eut in alijs mysterijs; sed & contra sensum valet cognoscere ita, vt quod ille negat, asserere, & quod ille asserit, ipsa negare non ambigat? At omnem difficultatem soluunt multiplicia signa in veteri testamento præmissa, quæ menti ad credendum tot conuenientia argumenta suppeditant, quot repugnantia ei sensus offert sophismata. Quòd *Abraha Gen. 14*; qui Pater gentium fuit dictus, panem, & vinum obtulerit *Sacerdos Dei Melchisedech* gratias de hostium redditurus victoria; quid aliud significandum præsetulit, quàm quòd Christus æternus Sacerdos, & Deus secundum ordinem *eiusdem Melchisedech*; vt postea *ps. 109. Dauid* explicuit, corpus suum, & sanguinem sub panis, & vini speciebus in ara crucis obtulerit Patri gratias agens de hostium victoria, quos Pater ei dedit in manibus, vt vinceret; & nos suos commilitones muniret, suæque victoriæ participes secum in triumphum adduceret? Quid *Phase*, seu transitus Domini, quo *Exod. 12.* oblatus fuit Agnus paschalis absque macula, post excussum *captiuitatis Ægyptiacæ* iugum, post direptas, reportatasque *Ægyptiorum* diuitias, vt Deo liberatori *per Moysen* beneficium libertatis redderetur, & gratia; quid aliud præsignauit; quàm quòd Christus, cuius *Moyses* gessit figuram, post expugnatam Inferorum *Ægyptum*, post redemptionem filiorum *Adæ*, qui sub peccati iugo gemebant captiui, post auulsa hostium spolia, obtulit semetipsũ Agnum immaculatum non sine proprij sanguinis effusione; vt Patri beneficium, & eucharistiam, idèst *bonam gratiam* referret? Quid manna, quod *Exod. 16.* pluit è Cœlo ad saturandos filios *Israel* post transitum maris rubri in deserto esurientes; cùm deficientibus vitæ alimentis ineuitabilis immi-

immineret interitus; non terrena alimenta è terræ fructibus compacta conseruandis hominibus ex terra compositis congrua, sed dape cęlesti, qua vita Angelorum seruatur; non enutrientia iuxta naturæ leges corruptibilem vitam, sed supra naturæ vires mirabiliter immortalitatem donantia; non vnius saporem dumtaxat, sed cibi cuiuslibet suauitatem tribuentia; non corporali, sed spirituali substantia pascentia corpora simul, & spiritus: Quid innuit, nisi eucharisticum panem vitæ spiritali, quæ in aquis baptismi initiatur, nutriendæ institutum, quo non cauetur humana mortalitas, sed Angelica participatur æuiternitas; non intra Cœli ambitum, à quo excluditur omnis corruptionis necessitas; sed in deserto huius terrenæ mansionis, vbi corruptio naturali edicto grassatur; non vbi corpus vita spiritus viuit; sed vbi spiritus corpore aggrauante commoritur; panem sine corruptione pascentem; cibum sine fastidio replentem; edulium sine deperditione restaurans; alimentum, quod non conuertitur in edentis substantiam, sed in semetipsum transmutat edentem, quod non seruat veterem, sed nouam vitam enutrit nulla morte amittendam? Quid panes propositionis, de quibus *Exod.* 25. fit mentio, quibus nonnisi sacerdotibus solùm vesci licebat; quid nisi eucharisticum panem indicarunt, quem manducare non licet, nisi *genus electum*, *gens sancta*, *Regale sacerdotium*, vt 1.*Pet.*2. describitur? Quid subcinericius panis, quo confortatus *Elias* vsque ad montem Dei ambulauit; quid præmonstrauit, nisi hoc cęleste viaticum, quo pergentes ad patriam, quæ domus Dei est in summitate Cœlorum locata, ne in via deficiamus, reficimur? Quid tot oblationes frugum terrestrium, tot sacrificia sanguinis effusione conspersa in veteri Testamento descripta, quid figurarunt, nisi hunc eucharisticum panem è Cœlis missum, sed in terris natum, quo tantummodò vita frui datur æterna, sanguine proprio subactum, cuius oblationem, quotquot fuerunt, antiquæ oblationes signarunt? Quid Regum deliciæ, quid mensæ omni voluptate exundantes, quid vindemiæ, conuiuia, de quibus est sermo *Isaiæ* 25; nisi Diuinam hanc escam monstrarunt, quæ sub panis, & vini corticibus cuiuscumque dulcedinis, & suauitatis plenitudinem offert? Hæc, & alia innumera Diuinis prædicta *Scripturarum* oraculis ad ea credenda nos ducunt, quæ cognosci nequeunt per sensus; vt ratio sensuum pedagogiam excutiens insensibilia incipiat attingere; sic enim solummodò vera Sapientia, quę circa sempiterna versatur, acquiritur. Exuentes igitur sensuum carnalium velamina ingrediamur spiritalem illam domum, in qua Christus vera Dei Sapientia posuit mensam, miscuit vinum, & panem obtulit, spiritale significatum, intelligentiamque inquirentes sub corporali panis, & vini latentem vmbraculo, quousque excussis his vmbris lux illa cęlestis nunquam occisura illucescat.

Q V Æ S T. I.

De significatione, institutione, & necessitate Eucharistiæ.

QVanuis eucharistia ratione rei contentæ, quę est corpus, & sanguis Christi Domini, alia sacramenta dignitate, & excellentia antecellat; attamen postquam tractatum est de baptismo, & de confirmatione, de illa agere solent *DD*; *Concilia*, *Catechismi*, *& Ritualia*; quoniam fideles post baptismum, & confirma[illegible]nem immediatè eucharistiam suscipiebant antiquitus; vt referunt *SS.PP*; inter quos *S.Ambr.li*[illegible] *sacram.c.*2. Hunc igitur ordinem seruantes de illa in præsenti tractabimus. Ordinem autem quæstionum, & articulorum ita instruere studebimus, vt præmittantur ea, ex quorum cognitione alia inferuntur; rectus enim doctrinæ ordo claritatem rebus affert non modicam.

A R T. I.

Quotuplex sit significatio nominis, & quanam sit res significata per sacramentum eucharistia?

1 QVoad 1. tribus potissimum nominibus (inquit *Fund. Doct. Æg. de corp. Christi col.*2.) appellatur hoc sacramentum. 1. Dicitur *eucharistia*, idèst *bona gratia*; in quantùm continet Christum fontem omnium gratiarum; seu *gratiarum actio*; in quantùm, cùm Christus illud instituit, gratias egit Patri eo, quòd in illo oblationem suæ passionis, & mortis acceptauerit in redemptionem generis humani; vt habetur *Ephes.*5. *Obtulit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suauitatis*; propter quod *in Conc. Nic. can.*13. *Symbolum gratiarum actionis* vocatur. 2. Dicitur *Synaxis*, idèst *adunatio*, seu *congregatio*; quoniam est sacramentum pacis, & vnitatis; in quantùm continet Christum, in quo omnes fideles, tanquam viua illius membra, vniuntur; legitur enim *Ephes.* 2. *Ipse est pax nostra, qui fecit vtraq; vnum*; *& Io.*12. *Christus moriturus erat non solùm pro gente, sed vt Filios Dei, qui dispersi erant, congregaret in vnum*; pro-

propter quod 1.*Cor.* 10.appellatur etiam *communio*; quod nomen vsitatissimum est in Ecclesia, ita, vt illi, qui ab huius participatione sacramenti ob grauissimum aliquod crimen prohibentur, *excommunicati* dicantur. 3. *Viaticum* appellatur, quia continet Christum, qui *Io.* 1. dixit: *Ego sum via*; vel quia hoc sacramentum instituit, cùm regressurus esset ad Patrem, vt nos, cùm transituri sumus ex hac vita, hoc sacramento muniret. Vlteriùs insignitur etiam alijs nominibus, vt *sacrificium, hostia*, & *oblatio*, quia institutum, & oblatum fuit in remissionem peccatorum. Tandem vocatum fuit *Mysteriorum Mysterium*, quia ob eius summam venerationem adeò secretum tenebatur antiquitus, vt nedum infidelibus, sed nec etiam ipsis catechumenis, quibus Diuinorum mysteriorum celebrationi interesse non permittebatur, reueretur occultum.

2. Porrò *heretici* nostri temporis alio nomine hoc sacramentum, quàm vocabulo *cœna Domini* appellare non solent; quia *Apost.* 1. *Cor.* 11. sic illud putant vocasse; quo postea demonstrare contendunt nec sacrificium esse, nec debere asseruari, nec à ieiunis esse sumendum, & alia huiusmodi, quæ confutabuntur inferiùs. Quoniam tamen in expositione *omnium* ferè *scripturarum* tanquam omnino obcæcati infeliciter decipiuntur; ideo etiam in hoc falluntur, & aberrant à veritate; nam *cœna Dominica*, cuius mentionem *loc.cit.* facit Apostolus, non significat Eucharistiæ Sacramentum; sed refectionem quandam antiquitus cum Eucharistia coniunctam; vt enim referunt *Iustin; Tertull; Clem;* & *Ignat*, Christiani primis Ecclesiæ temporibus ad imitationem cœnæ à Christo institutæ instituebant quandam comestionem diuitibus, & pauperibus communem ad fouendam charitatem, & pacem; quæ refectio *charitas* dicebatur. Nam cœna, quam Christus instituit, tria complexa est. 1. Esum agni Paschalis, qui *cœna legalis* dicebatur 2. Refectionem communem, qua omnes simul ad sobrietatem comedebant. 3. Conuiuium sacrum, in quo eucharistiam instituit; quod tamen conuiuium *in scripturis* nunquam *cœna* appellatur; sed post cœnam institutum dicitur; vt *Luc.* 22. *similiter, & calicem postquam cœnauit, &c.* Primi ergo Christiani non esum agni Paschalis, qui abrogatus iam fuerat; sed refectionem communem instituebant, cuius abusum, non vsum, reprehendit Apostolus eo, quòd diuites non expectatis pauperibus inebriabantur in huiusmodi cœna; & pauperes postea superuenientes, & nihil inuenientes esuriebant; quod erat contra charitatem. Falsum igitur est, quòd *Apostolus* nomine *cœnæ* eucharistiam significauerit; atque adeò nec nos *cœnæ* nomine vti debemus ad illam significandam. Hæc quantùm ad significationem nominis occurrerunt dicenda.

3. Quantùm ad significationem rei plura conspiciuntur in sacramento eucharistiæ, nempe actio conuersiua panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi; verba consecrationis; species sacramentales; & corpus, ac sanguis Christi; quæritur igitur, quænam ex his essentialiter eucharistiæ sacramentum constituant; & quænam propriè nomen obtineant sacramenti? Quamuis autem quoad verba satis dictum fuerit *de sacram.in com.q.*2.*ar.*2; attamen *hic* simul reliqua sunt explicanda.

4 Ratio autem dubitandi est. 1. Quia eucharistia non consistit in vsu, sed in esse permanente, & in facto esse; nam quamuis cætera sacramenta, tunc solùm sanctificandi vim habeant, cùm quis illis vtitur; eucharistia tamē in hoc excellit alia sacramenta, & peculiare habet, quòd immediatè post consecrationem etiam ante vsum, & post vsum in hostijs, & particulis consecratis, quæ reseruantur, reperitur verum corpus, & sanguis Domini Nostri Iesu Christi; vt docet *Trid. sess.* 13.*c.*3; & *can.*4; & ideo non videtur componi ex verbis, quæ transeunt; implicat enim, quòd res permanens, sicut est eucharistia, componatur ex partibus transeuntibus, vt sunt verba; quæ licèt *à Conc.Flor.* appellentur forma; attamen dicenda sunt forma extrinseca; quia non manent in eucharistia. Imò quoniam eucharistia potest considerari vel in fieri, vt cùm consideratur consecratio; vel in facto esse, vt cùm consideratur, vt res permanens post ipsam consecrationem; verba sunt forma ipsius consecrationis, quæ non fit, nisi per verba, tanquam per formam; & per panem, & vinum, tanquam per materiam; sicut autem post consecrationem substantia panis, & vini, quia non remanet, non est materia eucharistiæ; ita verba, quia non remanent post consecrationem, non sunt forma eucharistiæ; atque adeò solæ species panis, & vini videntur pertinere ad rationem essentialem sacramenti eucharistiæ secundùm esse permanens consideratæ, & esse res propriè significatas per hoc nomen *eucharistia*; & solùm propriè obtinere nomen sacramenti. Hanc sententiam tenuit [illegible] *apud Mast. hic disp.*3.*q.*1; vbi *n.* 4. refert *Alen, D. Tho; D. Bon; Mair; Bassol; Tatarer; Rad; Fab. Gauat, Brancat; Aretin; Hiquœum, Ponc; & omnes alios Scotistas*, vno excepto *Centino*, qui docet eucharistiam consistere in aggregato ex speciebus, & corpore; ac sanguine Christi Domini in recto importato.

5. Insuper quoniam *SS.PP.* corpus, & sanguinem Christi expressè vocant sacramentum; vt *S.P.Aug.ep.*23.& *D.Greg.c.multi* 1.*q.*1; & *de consecr. dist.* 2. *c. hoc est*; vbi dicitur hoc sacramentū ex duobus constare, scilicet visibili elementorum specie, & inuisibili carne Domini Nostri Iesu Christi; & *Trid. vbi s. c.*5; & *can.*6; ait hoc sacramentum esse adorandum, quod non de speciebus præcisè, sed tantùm de corpore, & sanguine Domini nostri sub speciebus existente potest intelligi; & communis vsus loquendi omnium

omnium fidelium nomine eucharistiæ intelligit corpus, & sanguinem Christi sub speciebus panis, & vini; tum quia sacramentum eucharistiæ fit, & incipit esse in altari per ipsam consecrationem; quod de ipsis speciebus verificari non potest, quia erant ante consecrationem; & ideo verificatur solùm de corpore, & sanguine Christi, ut est sub speciebus; tandem quia illud, quod gratiam continet, & confert, non sunt solæ species; sed corpus, & sanguis Christi sub speciebus; ideo res in recto significata per hoc nomen eucharistia videtur esse corpus, & sanguis, quatenus sub speciebus panis, & vini existit. Ita sentiunt *Vasq. Coninch; Amic; Lug, Merand; Capr; Caiet; Valent; Sua; & alij apud istos*. Alij tamen, vt *Mastr. n. 18*; asserunt corpus, & sanguinem Christi importari tantùm connotatiuè. Idem aiunt noster *Gibb; Sot; Bellarm; Gran; Gonet; & alij*.

6 Item quia *Flor. in decr. vnion.* primò ait omnia sacramenta perfici rebus, tanquam materia; & verbis, tanquam forma; secundò loquens de eucharistia in speciali ait, quòd verba Saluatoris sunt forma huius sacramenti; ideo hoc nomen *eucharistia* videtur appellare nedum supra materiam, quæ sunt species panis, & vini, sed etiam supra formam, quæ sunt verba à Christo prolata ita, vt essentialiter componatur ex illis, tanquam ex partibus intrinsecis, & essentialibus. *Ita ex nostris Gibb. hic disp. 18; Bernardin; & alij. Ex alijs Sua; Gran; & alij*; qui asserunt corpus, & sanguinem Christi importari tanquam terminum huius sacramenti, non tanquam quid essentiale ipsum constituens.

7 Præterea quoniam ad rationem eucharistiæ essentialiter requiritur, vt corpus, & sanguis Christi contineatur sub speciebus panis, & vini; quod fieri nequit, nisi per actionem conuersiuam substantiæ panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi; ideo actio conuersiua considerata, non quidem, vt se tenet ex parte agentis, sic enim præcedit saltem natura hoc sacramentum, sed vt se tenet ex parte ipsius sacramenti passiuè recepta, quatenus per ipsam corpus, & sanguis Christi ponitur sub speciebus, videtur esse de ratione formali eucharistiæ. *Ita noster Gibb. vbi s. dub. 2*, apud quem *Caiet; Marsi; Dur; Sot; Viguer; Lup; & Bernal.*

8 Tandem quia de ratione sacramenti est esse signum practicum effectiuum eius, quod significat; & causatiuum gratiæ; cùm autem species non efficiant conuersionem substantiæ panis, & vini in substantiam corporis, & sanguinis Christi; nec causent gratiam, quæ causatur solùm à corpore Christi iuxta illud *Io. 6. Qui manducat me, ipse viuet propter me*; ideo videtur nomen eucharistiæ non appellare species panis, & vini. *Ita refertur sensisse Vualden; & Marsi. & Gabr*; qui dixerunt totam essentiam sacramenti eucharistiæ in verbis consecrationis consistere, vt refert. *Gibb. dub. 1. n. 2.*

9 Nostra sententia sequenti conclusione explicatur, qua conciliantur *Concilia, SS. PP.* & rationes *sup.* allatæ.

10 Vnica concl. Nomine *eucharistia*, vt est sacramentum tantùm, si sumatur in fieri, significantur species, & verba externè sonantia, ex quibus, tanquam ex partibus essentialibus, conficitur; si verò sumatur in facto esse, seu in esse permanente, significantur species realiter, & verba virtualiter manentia, seu virtus verborum, quæ manet; ex quibus essentialiter etiam in facto esse componitur. Nomine autem *eucharistia*, vt est res sacramenti, & sacramentum simul, significatur tantùm corpus, & sanguis Christi. Tandem vt est res sacramenti tantùm, significatur corpus Christi mysticum, & gratia in hoc sacramento collata. *Ita Fund. Doct. Æg. in c. firmiter de summa Trin. fol. 4. col. 1; & in c. cùm Martha de celebr. missar. fol. 12. col. 1; & seq; Hug. de S. Vict. lib. 2. de sacram. p. 8. c. 7; Mag. sent. in hac dist. 8*; & habetur expressè *ex Innocent. III. de celebr. vbi s; D. Tho. hic art. 1. ad 2. & omnes Theologi antiqui*; & manifestè traditur *à S. P. Aug. ep. 23; tract. 26. in Io; & serm. ad infantes, & sæpissimè alibi; pro cuius explicat.*

11 Notat *Fund. Doct. vbi s.* quòd sicuti in omni sacramento, ita in eucharistia tria assignantur; scilicet aliquod, quod est sacramentum, seu signum tantùm; alterum, quod est simul sacramentum, & res significata; & aliud, quod est tantùm res significata; non autem sacramentum, seu signum. Illud est sacramentum, seu signum tantùm, quod non significatur per aliud, sed aliud solùm significat; vt in eucharistia sunt species panis, & vini, quæ non significantur per aliud, vt constat; & significant corpus Christi verum, quod continent; nec non corpus Christi mysticum, quod est congregatio fidelium; sicut enim panis ex multis frumenti granis, & vinum ex multis vuarum racemis conficitur; ita ex multis fidelibus per fidem, & charitatem vnitis corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia, formatur. Illud est sacramentum simul, & res significata, quod significatur per sacramentum, & aliud à se ipso distinctum significat; vt est corpus Christi in eucharistia, quod significatur per species, sub quibus continetur; & significat corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia; sicut enim plura membra corporalia, realiter vnita verum, & naturale Christi corpus efficiunt, ita plures fideles spiritaliter vniti per charitatem componunt Ecclesiam, quæ est corpus mysticum, cuius caput est Christus; vt ait *Apostol. Rom. 12. Multi enim vnum corpus sumus in Christo*; & vlteriùs gratiam significat, quæ ipsum dignè suscipientibus datur. Tandem res tantùm significata, cui nequit applicari hoc nomen *Sacramenti*, quia nihil aliud à se ipsa distinctum significat, est ipsum corpus Christi mysticum, quod nihil aliud significat; & gra-

tia, quæ pariter nihil aliud repræsentat. Ex hac doctrina apparet, quomodò corpus, & sanguis Christi existens sub speciebus rectè sacramentum dicatur; & quomodò sacramentum dici nequeat; dicitur enim sacramentum, quod simul est res significata; non autem dicitur sacramentum, quod est tantùm sacramentum, & non res significata. Igitur

12 Prob. 1. pars concl. quæ à nullo negatur. Ex illis essentialiter constat fieri alicuius rei, sine quibus nec esse, nec intelligi potest; sed sine verbis externè sonantibus, aut sine speciebus panis, & vini nequit esse, nec intelligi fieri ipsius sacramenti eucharistiæ, deficiente enim alterutro non fit; ergo verba externè sonantia, & species panis, & vini sunt partes essentiales, ex quibus essentialiter constat eucharistiæ sacramentum in fieri. 2. Si eucharistia in fieri considerata non constaret tantùm ex speciebus, & verbis, maximè, quia nequit esse, aut intelligi etiam sine actione, quæ constituit ipsum fieri rei; sed hoc non obstat; quia si actio sumatur ex parte agentis, est extrinseca rei, quæ fit, & ideo res ex illa intrinsecè non componitur; si autem sumatur ex parte rei, quæ fit, nihil aliud est, nisi ipsa res in fieri; vnde sicuti res naturalis in fieri non dicitur componi ex actione; ita dicendum in casu. Tum quia licèt alia sacramenta, quæ consistunt in vsu, vt indicat *Trid. sess. 13. c. 3*; constent ex actione externa, qua materia remota applicatur; vt baptismus ex ablutione, qua aqua baptizato applicatur; attamen eucharistia, cuius fieri debet permanere, & durare in facto esse, nequit constare ex eo, quod datur tantùm in fieri, & non durat in facto esse, cuiusmodi est actio ex parte agentis, quæ cessat; ergo idem.

13 Prob. 2. pars conclus. 1. *ex Flor. vbi s.* Materia, & forma sunt partes intrinsecæ, ex quibus essentialiter in facto esse constat compositum; sed *ex Flor.* species sunt materia, & verba sunt forma, ex quibus constat eucharistia; quanuis enim pro materia nominet panem, & vinum; quorum substantia est materia tantùm remota, quæ desinit esse; sicut peccata sunt materia remota pœnitentiæ, quia per ipsam destruuntur; attamen in pane, & vino sunt etiam species, quæ remanent destructa substantia; & sunt materia proxima huius sacramenti; forma autem est proxima, vt patet; ergo species, & verba sunt partes intrinsecæ, ex quibus in facto esse sacramentum eucharistiæ componitur. 2. Redarguitur illa distinctio de consecratione in fieri, & de eucharistia in facto esse. Ex materia, & forma, ex qua res componitur in fieri, componitur etiam in facto esse; vt constat de rebus naturalibus; & ratio est; quia essentia rei eadem est in fieri, & in facto esse; essentia enim, in quocumque statu consideretur, semper eadem est, quia componitur ex iisdem prædicatis essentialibus; sed species, & verba sunt materia, & forma, ex quibus componitur essentialiter consecratio, seu eucharistia in fieri *per Scotum apud Mastr. vbi s.*; ergo sunt etiam materia, & forma, ex quibus componitur in facto esse. 3. Quanuis verba sint causa efficiens conuersionis panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi; attamen sunt forma ipsius sacramenti, vt docet *Conc.*; & nullus diceret esse causam efficientem ipsius sacramenti, nisi *contra Conc.*; repugnat enim formam, ex qua aliquod componitur, esse causam efficientem illius, quia repugnat causam formalem esse causam efficientem; verba autem sunt forma eo modo, quo species sunt materia; ideo sicuti species sunt materia, ex qua hoc sacramentum componitur; ita verba sunt forma, ex qua tanquam ex altera parte componitur; sed forma, ex qua aliquod essentialiter componitur, est quid intrinsecum illi, quod ex illa componitur; ergo species, & verba sunt partes intrinsecæ, ex quibus eucharistia componitur. 4. Si verba non essent de compositione physica intrinseca eucharistiæ, sequeretur eucharistiam esse sacramentum physicè informe; quia in illo esset quidem materia physica, nempe species, non tamen forma physica, nempe verba; nam significatio est forma tantùm metaphysica, vt dicebamus *de Sacram. in com. vbi s.* sed conf. est *cont. Flor.* statuens sacramenta constare ex materia, & forma physica; ergo idem. 5. Determinatiuum formale, per quod materia eucharistiæ fit signum sensibile gratiæ nutrientis substantialiter, & accidentaliter, pertinet essentialiter ad constitutionem sacramenti eucharistiæ; sed verba consecrationis sunt huiusmodi; ergo pertinent essentialiter ad constitutionem sacramenti. Ma. constat; quia nihil est magis essentiale rei, quàm forma, quæ est *quod quid erat esse rei*; ab illa enim sumitur formaliter essentia; vt patet de forma physica; sed determinatiuum formale, per quod materia eucharistiæ fit signum sensibile gratiæ nutrientis, est forma; nam species secundùm se, & ex sua natura non sunt determinatæ, vt sint signa gratiæ nutrientis; quia esse signum gratiæ nutrientis est ex gratia, non ex natura; adeòque determinantur solùm per formam; formæ enim, quæ est actus, essentialiter competit determinare; ergo determinatiuum formale materiæ eucharistiæ essentialiter spectat ad constitutionem illius. Mi. etiam liquet; quia verba consecrationis ita determinant species panis ad significandam solùm gratiam nutrientem; sicut verba baptismi determinant aquam ad significandam gratiam regenerantem; sed verba baptismi determinant aquam, vt sit formaliter signum gratiæ regenerantis; ergo, & verba consecrationis determinant species, vt sint formaliter signum gratiæ nutrientis. 6. Euellitur principalis ratio. In tantùm verba consecra-

tionis

tionis non sunt de intrinseca constitutione eucharistiæ; in quantùm verba consistunt in fluxu; eucharistia verò in esse permanente; sed hæc ratio nihil obtinet; nam quanuis verba secundùm sonum sensibilem externè formatum fluant, & transeant; manent tamen secundùm virtutem, per quam species determinantur, vt sint signa sensibilia gratiæ nutrientis; vt diximus *ex S.P. loc.cit. de sacram. in com. vbi;* sed ex illo, quod manet secundùm virtutem in aliquo composito, rectè dicitur illud componi; rectè namque dicitur mixtum in facto esse ex elementis componi, quamuis elementa maneant in mixto solùm secundùm virtutem, non secundùm formam; ergo quamuis verba consecrationis non maneant secundùm sonum sensibilem externè prolatum; quia tamen manent secundùm virtutem, rectissimè dicitur eucharistiam ex verbis etiam in facto esse componi.

14 Dices 1. Verba sunt causa efficiens eucharistiæ, ait enim *Flor. vbi; Forma huius sacramenti sunt verba Saluatoris, quibus hoc sacramentum conficitur;* verbum autem *conficitur* designat causam efficientem; ergo non sunt causa formalis intrinseca. 2. *Ex Trid. sess. 13. c. 5.* hoc sacramentum est adorandum; *& c. 6.* est seruandum, manducandum, deferendum ad infirmos; quæ nequeunt verbis competere. 3. Nullum ens permanens constituitur intrinsecè ex aliquo transeunte; sed eucharistia est sacramentum permanens, & verba sunt transeuntia; ergo ex istis intrinsecè non componitur. 4. Signum practicum nutritionis spiritualis debet esse tale, vt sit applicabile illi, quem habet nutrire; & vt applicatum nutriat eum, cui applicatur; sed verba non sunt applicabilia, quia non sunt, cùm transierint; neque habent nutrire; ergo non habent rationem signi sensibilis nutritionis spiritualis; & ideo non habent rationem sacramenti. 5. Virtus verborum est tantùm quid morale; ergo non sufficit ad compositionem physicam sacramenti, quod est quid physicum.

Resp. ad 1. neg. ant; nam quanuis verba sint causa efficiens conuersionis, non sunt tamen causa efficiens formæ ipsarum specierum, sed sunt forma, ex qua, & ex speciebus fit sacramentum. *Flor.* autem vsum est verbo *conficere*, quod non significat solam causam efficientē, sed etiā formalē, imò etiam materialem; dicitur enim, quòd ex materia, & forma conficitur, idest fit, compositum. Ad 2. dicitur *Trid. c. 5.* loqui de sacramento, quod est simul sacramentum, & res; *vt inf. & c. 6.* loqui de sacramento ratione materiæ solùm, non ratione formæ; non est autem necesse, quòd ea, quæ dicuntur de sacramento ratione materiæ, dicantur etiam ratione formę; aut è contra; quia de baptismo dicitur ratione materiæ, quòd abluat corpus realiter, & per talem ablutionem mundetur anima; non tamen dicitur, quòd per verba corpus abluatur realiter. Idem constat de alijs compositis; nam de homine dicitur, quòd ratione materiæ sit corporeus, visibilis &c; non tamen ratione animæ; ita à pari. Ad 3. dist. mi. Verba sunt transeuntia secundùm sonum sensibilem, conc; secundùm virtutem, neg. Ad 4. dist. ma. Signum practicum materiale, conc; formale, neg; vt patet de verbis baptismi, quæ non sunt applicabilia per modum lotionis realis, sicut applicabilis est aqua, quæ est materia; ita à pari quanuis verba consecrationis non applicentur per modum nutrientis; quia tamen determinant nutriens corporale, ut sit etiam nutriens spirituale; sicut verba baptismi quanuis non lauent realiter animam, quia tamen determinant aquam, ut etiam animam lauet; dicitur esse signum sensibile gratiæ lauantis; ideo verba consecrationis dicuntur signum sensibile gratiæ nutrientis. Ad 5. neg. ant; est enim quid physicum; ut diximus *de Sacram. in com. q. 3. art. 1. n. 19; & seqq.*

15 Prob. 3. p. concl. *ex Innoc. III; & alijs SS. PP. n. 3. relatis;* præsertim *ex S. P. Aug. ep. 23.* docente: *Sacramentum corporis Christi corpus Christi est; sacramentum sanguinis Christi sanguis Christi est.* Ratio est. Illud habet veram rationem sacramenti, quod est signum sensibile rei sacræ; sic enim definitur sacramentum; sed corpus, & sanguis Christi, prout existit sub speciebus, est signum sensibile rei sacræ; quanuis enim secundùm se ipsum præcisè nequeat sentiri, quia est modo insensibili sub speciebus; attamen ratione specierum, quæ sensibiles sunt, sensibile dicitur, dicitur enim corpus manducari, & sanguis fundi, & bibi; quæ sunt actiones sensibiles. Nec requiritur, ut contendit *Mastr;* quòd ad hoc, ut aliquod sit sacramentum, debeat esse signum sensibile uel per se ipsum, uel per aliquod naturaliter sensibiliter illud manifestans, non autem tantùm ex Diuina institutione; ut est contritio, quæ licèt sit insensibilis, manifestatur tamen per fletum, & dolorem sensibilem, qui cum illa naturaliter coniungitur; & illam manifestat; in quantùm immittit in sensum aliquo modo speciem illius; species autem panis, & vini eodem modo immittunt speciem, postquam sunt consecratæ, ac antequam essent consecratæ; & ideo nullo modo immittunt speciem corporis Christi. Non requiritur, inquam; nam fletus, & dolor non minùs potest esse à contritione, quàm ab alia quauis animi anxietate ob aliquod damnum temporale receptum; ergo sicuti fletus, & dolor externus nequit determinari ad manifestandam sensibiliter contritionem, nisi per verba exteriùs prolata, quæ testantur talem dolorem esse effectum contritionis, & non alterius passionis animi; & hoc sufficit, vt contritio sit signum sensibile requisitum ad veram rationem sacramenti; ita quanuis species secundùm se sint

sint determinatæ ad manifestandum sensibiliter corpus, & sanguinem Christi; attamen per verba consecrationis sensibiliter prolata sufficienter determinantur ad illud sensibiliter manifestandum ita, ut possit habere veram rationẽ sacramenti, quod est simul sacramentũ, & res sacramenti; ergo corpus Christi, prout est sub speciebus, est verum sacramentum, & res sacramenti. *Vid. alias rationes n. 3. vbi sup.* Nec ex eo, quòd sit simul sacramentum, & res sacramenti, deducitur, quòd sit tantùm impropriè, & secundùm quid sacramentum; ut arguunt *Gibb. & Mastr.*; sicuti ex eo, quòd homo sit simul animal, & rationale, non deducitur, quòd sit rationalis tantùm impropriè, & secundùm quid; habet enim veram, & propriam rationem, per quam constituitur rationalis; ita ex eo, quòd corpus Christi sit simul sacramentum, & res sacramenti, non deducitur, quòd sit sacramentum tantùm impropriè, & secundùm quid; habet enim veram rationem signi sensibilis rei sacræ, per quam constituitur in ratione sacramenti propriè sumpti.

16 Dices 1. *Trid. sess. 13. can. 1.* statuit corpus & sanguinem Christi contineri in sacramento eucharistiæ; ergo ipsum non est sacramentum, aliter diceretur contineri in se ipso. 2. Res significata per sacramentum nequit esse pars essentialis ipsius sacramenti; sed corpus Christi est res significata per sacramentum; significatur enim per species panis; ergo corpus Christi nequit esse pars essentialis sacramenti. 3. Character baptismi v.g. qui est sacramentum, & res, non est pars essentialis baptismi; quia baptismus non componitur ex verbis, ablutione, & charactere; character enim est effectus, non pars essentialis baptismi; ergo à pari. 4. *Mastr.* Implicat idem esse signum, & signatum; hoc enim est correlatiuum illius; & correlatiuum nequit esse de essentia relatiui; sed corpus Christi est signatum per nomen sacramenti eucharistiæ; ergo implicat, quòd sit sacramentum.

Resp. ad 1. quòd quando *Concilia, et SS. PP.* asserunt corpus Christi contineri in sacramento, loquuntur de sacramento, quod est sacramentum tantùm; sic enim sunt species, vt determinatæ per verba. Ad 2. dist. ma. Res significata nequit esse pars sacramenti, quod est sacramentum tantùm, conc. quod est simul sacramentum, & res, subdist. si sit significata per ipsum sacramentum, quod est etiam res, conc. ideo corpus Christi mysticum, & gratia, quæ significantur per corpus Christi, nequeunt esse pars essentialis constitutiua corporis Christi; si sit significata per aliud, quod est tantùm sacramentum, neg. Ad 3. conc. totum; sed neg. supp. sicut enim character nequit esse pars essentialis baptismi, qui est sacramentum tantùm; est tamen sacramentum simul, & res; ita corpus Christi nequit esse pars constitutiua specierum, & verborum, quæ sunt sacramentũ tantùm; est tamen simul sacramentũ, & res. Ad 4. dicitur, quòd si implicaret idẽ esse signũ, & signatum, implicaret idem esse sacramentum, & rem, quod tamen docet Pontifex. Dist. igitur ma. Secundùm eandem rationem, conc. secundùm diuersam, neg. nam corpus Christi per ordinem ad species est res signata, per ordinem ad corpus Christi mysticum est signum.

17 Vlt. pars concl. liquet ex se ipsa; nam gratia, & corpus Christi mysticum, quæ sunt res significatæ per sacramentum eucharistiæ, non significant aliud; aliter non essent res tantùm, sed essent res, & sacramentum simul; ergo nequeunt propriè sacramentum appellari, quod essentialiter est signum alterius.

18 Collig. ex dictis, quòd species panis, & vini, vt determinatæ per verba consecrationis, dicuntur sacramentum simpliciter, idèst tantùm; corpus verò, & sanguis Christi dicuntur etiam, non tantùm, sacramentum; quia sunt etiam res sacramenti; vnde si *simpliciter* significet idem, ac *tantùm, & per omnem modum*, non dicuntur sacramentum simpliciter; si autem significet idẽ, ac *propriè*, dicuntur sacramentum simpliciter; quia significant sensibiliter gratiam sanctificantem &c.

A R T. II.

An Eucharistia sit verum sacramentum, & quando fuerit à Christo Domino immediatè institutum?

1 Ferè *omnes hæretici* huius temporis concedunt eucharistiam esse verum sacramentum à Christo Domino immediatè institutum *in nocte cænæ*; quod proinde *cænam* appellant; quamuis autem penes nomen hoc fateantur; attamen quantùm ad rem significatam illud impugnare conantur; vt *inf.* videbimus. Soli *Equites Templarij*, vt refert *Fund. Doct. Æg. li. b. cont. exempt. c. 21*; illud apertè negarunt.

2 Vnica concl. Est dogma fidei eucharistiam esse verum sacramentum nouæ legis ab alijs distinctum à Christo Domino *in nocte cænæ* immediatè institutum. *Ita Fund. Doct. Æg. sup. p. salut. Ang. fol. 14. col. 2*; vbi postquam dixit esse vnum ex septem sacramentis à Christo institutis, ait, quòd *Matth. 26.* legitur institutum, cùm dicitur: *Accipite, & manducate: Hoc est corpus meum. Hoc facite in mei commemorationem.* Idem fatentur omnes Catholici, imò etiam hæretici, qui licèt aliqua sacramenta reijciant; attamen eucharistiam, tanquam verum sacramentum, confitentur; vt constat *ex Caluin. lib. 4. instit. c. 19. S. 18; Zuingl. lib. de vera, & falsa relig. Luther. de captiuit. Babyl. Melanct. in locis communibus; Kemnit. in 2. p. exami. & alijs.*

3 Hæc veritas fidei habetur *Io. 13. Surgit à cæna*

cœna &c; & Matth.26.Cœnantibus autem illis accepit Iesus panem &c; & 1.*Cor.*11.*Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem*; & definita est *in Conc.Constan.sess.*13; *Lateranen.c.*1; *Flor. in decr. vnionis et Trid.sess.*7.*de sacram.in gen.can.*1; *et sess.* 13.*per totam*; *et ab Innoc.III.in c.firmiter de summa Trin; et fide Catholica; et ab alijs Summis Pontificibus, et Concilijs; et SS.PP. communiter*; qui hoc probant nedum *ex scripturis* euangelicis, in quibus compertissimè legitur huius sacramenti institutio, sed etiam ex traditione Apostolica; *vt S.P.Aug.ep.*118; *et de doctr. Christ. lib.*3.*c.*9, *et sæpe alibi*; vbi ait, quòd pauca signa nostræ libertatis *ipse Dominus, et Apostolica disciplina nobis tradidit, vt est baptismi sacramentum, et consecratio corporis, et sanguinis Domini*. Formatur autem ratio sic à *Conc.Flor.vbi s.* Signum sensibile gratiæ sanctificantis per modũ spiritualis nutritionis, & alimenti est verũ sacramentum distinctũ ab alijs sacramentis, quę diuerso modo sanctificant; sic enim definitur, & distinguitur sacramentũ; sed eucharistia est signum sensibile gratiæ sanctificantis per modũ spiritualis nutritionis, & alimenti; nam eucharistia significat carnem, & sanguinem Christi, quibus reficimur per ordinem ad acquirendam vitam æternam; dicitur enim *Io.*6. *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*; illud autem, quod nos reficit per ordinem ad habendam vitam æternam, sanctificat nos, quia vita ęterna non acquiritur, nisi per gratiam sanctificantem, & distinguitur ab omni eo, quòd non sanctificat per modum nutritionis, & refectionis, vt est quodlibet aliud sacramentum, vt patet; constat enim ex diuersa materia, & forma; ergo eucharistia est verum sacramentum distinctum ab alijs sacramentis.

4 Conf. Cibus naturalis est verum signum nutritionis vitæ naturalis distinctum ab alijs signis conferentibus vitam naturalem, vt sunt actio generatiua, roboratiua, sanatiua, confortatiua in puncto mortis, regulatiua in ordine morali, & multiplicatiua in ordine naturali; sed eucharistia est cibus spiritualis per ordinem ad vitam supernaturalem se habens, sicut cibus naturalis per ordinem ad vitam naturalem; ergo eucharistia est verũ signum nutritionis vitę spiritualis; & per consequens verum sacramentum distinctum ab alijs sacramentis conferẽtibus diuersimodè vitam spiritualem; vt sunt baptismus, qui illam confert per modum regenerantis; & confirmatio, quæ se habet per modum roborantis; & pœnitentia, quæ per modum sanantis; & extrema vnctio, quæ in articulo mortis illum cõfortat; & ordo, qui confert ministeria mediorum ad vitam spiritualem; & matrimonium, quod ordinatur ad multiplicationem fidelium, quibus competit vita spiritualis.

5 Quòd autem eucharistia instituta fuerit immediatè à Christo Domino, habetur expresse *Matth.*26; *Marc.*14; *Luc.*22; *et* 1.*Cor.*11; vbi legitur hæc institutio; quæ sic prob. Materia, & forma sacramenti eucharistiæ determinata fuit ab ipso Christo immediatè *in nocte cœnæ*; legitur enim, quòd *accipiens panem etc; et dixit: Hoc est corpus meum*; & sic de calice; sed eucharistia tunc est instituta, quando materia, & forma illius fuit determinata; ergo eucharistia fuit à Christo immediatè instituta in nocte cænæ. Ma.patet; quia si tunc non determinasset materiam, & formam, nec panis fuisset corpus, nec vinum fuisset sanguis Christi; in tantùm enim panis, & vinum fiunt corpus, & sanguis Christi vi verborum, in quantùm determinatum est, vt ex illis sic fiant; quemadmodum in tantùm ex materia, & forma fit hoc compositum, in quantùm materia determinatur per formam, & forma ex se determinata est ad faciendum hoc, non aliud, compositum. Mi constat ex dictis *de bapt.q.*2.*art.*2. Idem traditur *à Trid.sess.*13.*c.*2.

6 Obijc.1. Confirmatio auget, & roborat vitam spiritualem, vt possit contra fidei hostes præliari; sed eucharistia idem præstat; nam alimentum, quod deseruit ad nutriendum, deseruit etiam ad augendum, & roborandum; ipsa nanque nutritio auget, & roborat substantiam aliti; ergo vel confirmatio, & eucharistia non distinguuntur; vel alterum illorũ superfluit 2. Eucharistia *cibus est grandium*, idest adultorum; sed in grandibus cibus non auget substantiam aliti; reparat enim tantummodò partes deperditas; ergo & eucharistia non auget gratiam, & ideo per hoc ab alijs sacramentis non differt.

Resp.ad 1.dist.ma. Confirmatio auget, & roborat vitam per modum vnctionis, conc; per modum nutritionis, neg; & sic distincta mi.neg. cons; nam sicuti vnctio, qua fortificabantur Atletæ, corroborabat per modum vnctionis; & hæc roboratio distinguebatur à roboratione, quæ fiebat per cibum per modum nutritionis; & neutra erat superflua; ita à pari. Ad 2.neg.cons; nam in vita naturali datur status augumenti, ideo in tali statu ampliùs non augetur; at in vita spirituali non datur status, dum sumus in via, quia semper sumus in motu, qui statui repugnat. Status ergo est vita beata, quæ sola est terminus vitæ spiritualis supernaturalis, & in qua est summa, ac perfecta quies, cui repugnat moueri ad vlterius augumentum, & perfectionem.

ART. III.

Qua die cœna Domini fuerit instituta?

1 QVamuis in Ecclesia certum sit tam in pane azymo, quàm in fermentato confici eucharistiæ sacramentum; sufficit enim, quòd panis triticeus sit materia, quæ conuerti debet in corpus Christi; sicut sufficit, quòd vinum sit materia, quæ conuerti debet in sanguinem; vnde cùm tam panis azymus, siue non fermentatus, quàm fermentatus sit absque dubio

dubio panis triticeus, nullum est dubium, quòd vterque sit materia sufficiens; attamen vt appareat, an Christus eucharistiam instituerit in pane azymo, vel fermentato; & propterea *Latini* congruentiùs vtantur pane azymo, quàm *Graci* pane fermentato, quia illi, non isti, Christum imitentur; inquiritur in præsenti; qua die, seu an in vespera terminante tertiamdecimam diem; & initiante quartamdecimam diem lunæ mensis *Nisan*; qui correspondet *Martio*: vel potiùs in vespera terminante quartamdecimam, & immediatè antecedente quintamdecimam diem eiusdem mensis, qui dicebatur primus mensis, quia *Hebræi*, antequam in *Ægyptum* descenderent, ab æquinoctio veris, quod in illo mense euenit, annum inchoabant; quanuis postea *in Ægypto* morantes supputationem *Ægyptiacam* secuti ab æquinoctio autumnali annum inceperint; quam consuetudinem retinuerunt, usquedum *Moyses* post egressum *ex Ægypto* statuit mensem *Nisan* debere esse primum in mensibus anni, ut habetur *Exod.* 12; quia in illo à seruitute *Ægyptiaca* liberati fuerunt; licèt supputationem *Ægyptiorum* retinuerint quoad res ciuiles, & quoad tempus *Iubilai*, ut testatur *Ioseph lib.1. antiquit. c.* 2; propter quod annus sacer ab illis incipiebatur *à Martio*; annus verò ciuilis *à Septembri*.

2 Menses *Hebræorum, sicut & Arabum*, teste *Alphagrano* à nouilunio incipiebant; cùm primùm enim sacerdos lunam nouam videbat splendescere, statim pronunciabat noui mensis initiũ; quapropter *apud illos* dies mensium erant dies Lunæ, unde cùm *Exod.* 12. præcipitur esus agni Paschalis die quartadecima mensis primi; idem significat, ac luna quartadecima ad vesperam post æquinoctium vernum; Insuper dies etiam *apud Hebræos*, sicut apud nos, tripliciter fuit acceptus. 1. Vt erat dies legalis, seu sacer; & hic incipiebat à vespera ad vesperam; ut in solemnitatibus celebrandis, de quibus *Leuit.* 23. dicitur: *A vespera ad vesperam celebrabitis Sabbatha vestra*; sicut etiam hodie obseruat Ecclesia. 2. Vt erat dies naturalis; & hic à media nocte antecedente ad mediam noctem subsequentem supputabatur; ut in ieiunijs seruat Ecclesia. 3. Vt contraponitur nocti; & hic incipit à Solis ortu ad occasum. Hic sermo est de die Lunari, & legali, qui incipit à prima vespera ad secundum vesperam.

3 Præsens autem difficultas consistit in hoc; an præceptum datum Hebræis *Exod.* 12; quòd scilicet antequam egrederentur *de Ægypto* decima die Lunæ mensis primi, idèst *Martij*; tolleret unusquisque agnum, & seruaret eum usque ad quartamdecimam diem eiusdem mensis, qua ipsum immolaret ad vesperam; & ederet carnes nocte illa assas igni, & azymos panes cũ lactucis agrestibus; & postquam ingressi fuissent terram promissionis singulis annis ritu perpetuo eadem die eiusdem mensis idem agerent; & extenderent illam solemnitatem ad septem dies, idèst à die quartadecima usque ad diem vigesimam primam; in quibus diebus debebant comedere panes azymos; propter quod illi septem dies vocabantur *dies azymorum*; dicitur enim *ibid. Primo mense quartadecima die mensis ad vesperam comedetis azyma usque ad diem vigesimam primam eiusdem mensis ad vesperam*. Immolatio autem, & esus agni Paschalis, qui fiebat quartadecima die, vocabatur *Phase Domini*, quod significat idem, *ac Pascha*, seu *transitus Domini*; vnde *septem dies azymorum* erant dies *Paschales* perpetuò obseruati *ab Hebræis*. Difficultas, inquam, est; an vespera quartædecimæ diei sumenda sit pro vespera antecedente quartamdecimam diem, & terminante diem tertiamdecimam; si enim sic sumatur, sequitur eucharistiam institutam fuisse die tertiadecima Martij in secunda vespera illam terminante; vel sumenda sit pro secunda vespera terminante quartamdecimam diem, & immediatè antecedente quintamdecimam diem; sic namque eucharistia instituta fuit die quartadecima *Martij*.

4 Prima sententia putat Christum celebrasse cœnam, & Pascha vno die ante tempus præscriptum à lege, scilicet die tertiadecima mensis primi; vt veritas responderet *figuræ*; idèst Christus, qui est verus agnus, occideretur die quartadecima, qua agnus typicus immolari consueuerat; adeoque eucharistiam institutam fuisse in pane fermentato, quia dies azymorum, quæ est quintadecima, nondum aduenerat. *Ita Orig. in Matth.* 35; *S. Chrisost.*; *& Theophylact. in Io.* 18; *Euthym. in Matth.* 26; *Niceph. lib.* 1 *hist. Eccl. c.* 23; *& communiter omnes Græci*. Ex quo factum est, quòd *Græci* post schisma damnent *Latinos*, tanquam præuaricatores institutionis Diuinæ.

5 Secunda censet Christum instituisse cœnam, & pascha die quartadecima in vespera terminante eandem diem iuxta legis præscriptum; *Iudæos* tamen eo anno postposuisse solemnitatem paschalem in diem quintamdecimam ad vesperam; vel quia ex quadam traditione habebant, quòd quando dies azymorum cadebat in diem Veneris, ne duobus diebus continuis tenerentur vacare ab operibus seruilibus, illis licebat pascha transferre in Sabbathum subsequens. *Ita Rupert. in Leuit.* 13; *& in Matth.* 26; *Burgen. in addit. ad Lyran. ibid.*; *Maldonat.*; quibus adhæret *Estius hic dist.* 8. §. 8. Vel quia *Iudæi* ea die nimis intenti procurandæ morti Christi contra legem pascha in diem sequentem transtulerunt.

6 Tertia vult instituisse cœnam, & pascha die quartadecima, sed in vespera illam antecedente, & terminante diem tertiamdecimam; & tunc incepisse dies azymorum; ac propterea Christum consecrasse in pane azymo; & crucifixum fuisse die quartadecima. *Ita Oleast. Leuit.*

23; *Stella Luc.* 22; *Scaliger de emendat. tempor*; sed præcipuè *nostri Legionenses Aloysius lib. de agno typico*, *& nepos eius Basilius* eximij *Salmantinæ Vniuersitatis* fulgores.

7 Communis tamen sententia docet Christum eodem die à lege præscripto in vespera diei quartædecimæ terminante eandem diem quartamdecimam, & immediatè antecedente diem quintamdecimam celebrasse Pascha, immolasse agnum, & instituisse eucharistiam. *Ita expressè S. P. Aug. ep. 86. ad Casulan*; quem sequuntur *nostri Bernardin*; *& Gibb*; apud quem *D. Ambr. ep. 83*; *D. Tho*; *Hug. de S. Vict*; *Abulen*; *Sua*; *Vasq*; *Bellarm*; *& alij*.

8 Vnica concl. Christus celebrauit Pascha, & cęnam instituit in vespera terminante quartamdecimam diem Martij, & immediatè antecedente quintamdecimam diem, qua fuit crucifixus; quapropter Ecclesia tam occidentalis, quàm orientalis ex Christi institutione primis temporibus conficiebat eucharistiam in azymo. Verùm postea exorta hæresi *Ebionitarum*, *& Nazaræorum*, qui simul cum euangelio legalia seruanda esse docebant, ad extirpandam hanc hæresim nedum *Græci*, sed etiam *Latini* pane fermentato vsi sunt; sed hac hæresi extincta Ecclesia *Latina* redijt ad morem pristinum consecrandi in azymo, & *Græca* consuetudinem consecrandi in fermentato retinuit.

Prob. 1. Ex *Matth. 26. Prima autem die azymorum accesserunt discipuli ad Iesum dicentes: Vbi vis, paremus tibi comedere Pascha? At Iesus dixit: Ite in ciuitatem ad quendam, & dicite ei: Magister dicit: Tempus meum prope est: Apud te facio Pascha cum discipulis meis; & fecerunt discipuli, sicut constituit illis Iesus, & parauerunt Pascha. Vespere autem facto discubuit cum duodecim discipulis suis.* Idem habetur *Marc. 14. Prima die azymorum, quando Pascha immolabant, dicunt ei discipuli &c.* *& Luc. 22. Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha.* Ex quibus sic arguitur. Prima dies azymorum incepit à vespera terminante quartamdecimam diem, antecedente quintamdecimam diem *Martij*; vt habetur *Leuit. 23. & Exod. 12. Mense primo, decimaquarta die mensis ad vesperam comedetis azyma vsque ad diem vigesimamprimam eiusdem mensis ad vesperam*; quamuis enim solemnitates festorum *apud Hebræos* inceperint à vespera antecedentis diei, sicut incipiunt *apud Christianos*; attamen nullus diceret, quòd vespera tertiædecimæ diei, quæ antecedit quartamdecimam diem, sit vespera diei quartædecimæ; sicut nullus diceret, quòd vespera Sabbati sit vespera antecedens Sabbathum, aliter vespera Sabbati non antecederet immediatè diem dominicũ; ideo vespera quartædecimæ diei est illa, quæ terminat quartamdecimam diem, & immediatè antecedit quintamdecimam diem; sed Christus celebrauit Pascha, & instituit cęnam prima die azymorum ad vesperam, quando *Pascha Hebræi immolabant*; ergo Christus celebrauit Pascha, & cęnam instituit vespera terminante quartamdecimam diem & antecedente diem quintamdecimam *mensis Martij*.

9 Prob. 2. Eadem vespera debuerunt *Hebræi* singulis annis ex præcepto Dei immolare, & manducare agnum, quo illum immolauerunt, & manducauerunt *in Ægypto*; & eodem die debuerunt celebrare *Phase, seu Pascha*, quo *ab Ægypto* exierunt; phase nanque, seu Pascha significat *transitum Domini*, idèst transitum à captiuitate in libertatem liberante Domino; sed *in Ægypto* immolarunt, & manducarunt agnum vespera terminante quartamdecimam diem; & antecedente quintamdecimam; ergo *Hebræi* ex præcepto Dei debuerunt agnum comedere vespera terminante quartamdecimam diem, & antecedente quintamdecimam diem. Ma. constat *Exod. 12. Habebitis autem hanc diem in monumentum, & celebrabitis eam solemnem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno.* Prob. mi; nam summè diluculò quintædecimæ diei *ab Ægypto* exierunt, vt habetur *Num. 33. Profecti sunt de Ramesse mense primo quintadecima die mensis primi*; exierunt autem summo mane eiusdem noctis, qua comederunt agnum; tum quia iussi sunt comedere agnum succincti renes, habentes calceamenta in pedibus, & baculos in manibus, & festinantes; atque adeo proximè parati ad iter habendum in ultima vigilia noctis; quod non fuisset necessarium, si adhuc per unam diem integram debuissent *in Ægypto* morari; tum quia eadem nocte, qua comederunt agnum, occisi sunt primogeniti *Ægyptiorum*, qui propterea coegerunt *Hebræos*, ut statim exirent, ne omnes morerentur; nec illis [illegible]tùm temporis concesserunt, ut farinam iam aqua conspersam fermentarent, quam propterea secum tulerunt, & ex ea fecerunt subcinericios, & azymos panes; si habuissent autem diem concessum ad egrediendum, illam fermentassent, ut constat; tum quia de nocte illa, in qua comederunt agnum, & occisi sunt primogeniti *Ægyptiorum*, dicitur *Exod. 12. Nox illa est obseruabilis Domino, quando eduxit eos de terra Ægypti*; quibus verbis manifestè traditur *Hebræos* summo mane eiusdem noctis, qua comederunt agnum, exijsse *ab Ægypto*; ergo *Hebræi in Ægypto* immolarunt agnum vespera terminante quartamdecimam diem, & immediatè antecedente quintamdecimam diem. Atqui illa vespera fuit initium primæ diei azymorum, quæ, utpotè ecclesiastica, incipiebat à vespera antecedentis diei; quia fuit initium diei quintædecimæ, quæ erat prima dies azymorum; *Hebræi* enim egredientes *ab Ægyptijs* illa die inceperunt comedere azymos compactos ex farina aqua conspersa, quam secum tulerant, ut diximus; ergo Christus, qui cænam legalem instituit vespera antecedente primam diem azymorum,

vt

vt patet ex allatis *textibus*, immolauit agnum in vespera terminante quartamdecimam diem, & immediatè præcedente quintamdecimam diem.

10 Prob. 3. *ex S. P. Aug. ep. 86. vbi sup.* docente: *Considerato euangelio ipsa quarta Sabbati, quam vulgò feriam quartam vocant, consilium reperiuntur ad occidendum Dominum fecisse Iudæi. Intermisso autem vno die, cuius vespera Dominus Pascha cum discipulis manducauit, qui finis fuit eius diei, quem vocamus quintam Sabbati; deinde traditus est ea nocte, qua iam ad sextam Sabbati, qui dies passionis eius manifestus est, pertinebat.* Hic dies primus azymorum fuit à vespera incipiens. *Sed Matthæus Euangelista quintam Sabbati dicit fuisse primam diem azymorum, quia eius vespera sequente futura erat cęna Paschalis, qua cęna incipiebat azymum, & ouis immolatio manducari. Ex quo colligitur quartam Sabbati fuisse, quando ait Dominus: Scitis, quia post biduum Pascha fiet, & Filius hominis tradetur, vt crucifigatur.* Ex quibus sic. Vespera, quæ fuit finis feriæ quintæ, & immediatè præcessit feriam sextam, in qua Christus fuit crucifixus, fuit terminus diei quartædecimæ, & immediatè anteceßit quintamdecimam diem; sed Christus instituit cęnam in vespera, quæ fuit finis feriæ quintæ, & immediatè præcessit feriam sextam, quæ dicitur sexta à Sabbatho præcedente; ergo Christus instituit cęnam in vespera terminante quartamdecimam diem mensis, & immediatè præcedente quintamdecimam diem. Mi. patet *ex textu* euangelij; quo dicitur Christum eadem nocte immediatè post cęnam fuisse *à Iudæis* captum, & die ad illam noctem sequente fuisse crucifixum; crucifixus autem fuit feria sexta, quæ immediatè subsecuta est ad feriam quintam [illegible] ergo vespera, in qua Christus cęnam instituit, [illegible]it finis feriæ quintæ, & immediatè præcessit feriam sextam. Prob. ma. Prima dies Paschalis fuit dies quintadecima mensis *Martij*; quia prima dies Paschalis debuit correspondere primæ diei, qua populus egressus fuit *ab Ægypto*; prima autem dies, qua egressus est *ab Ægypto*, fuit quintadecima dies; ut diximus *ex Num. 33*; tunc enim egressus est *de Ægypto*, cùm profectus est *de Ramesse*, quæ erat ciuitas metropolis prouinciæ *Gessen*, quæ *à Pharaone* assignata fuerat *Hebræis*, vt in illa habitarent, vt dicitur *Gen. 47*; *de Ramesse* autem profectus est die quintadecima; vt legitur *Num. vbi sup.*; tum quia *Leuit. 23.* expressè habetur: *Quintadecima die mensis huius solemnitas azymorum Domini est. Septem diebus azyma comedetis. Dies primus erit vobis celeberrimus &c*; ideo prima dies Paschalis azymorum fuit quintadecima dies mensis Martij; sed vespera, quæ fuit finis feriæ quintæ, & præcessit feriam sextam, anteceßit primum diem Paschalem; nam Christus, inquit *S. P. Aug.* feria quarta ait: *Post biduum Pascha fiet*; dies autem post duos dies à feria quarta est feria sexta, vt patet; tum quia *Matth. 26.* quinta Sabbathi dicitur primus dies azymorum, idest primus dies Paschalis; quoniam à vespera feriæ quintæ incipiebat dies Paschalis, qui duraturus erat vsque ad vesperam feriæ sextæ; ergo vespera, quæ fuit finis feriæ quintæ, & immediatè præcessit feriam sextam, in qua Christus fuit crucifixus, fuit terminus diei quartædecimæ, & immediatè anteceßit quintamdecimam diem. Idem habet *D. Ambr. ep. 83.*

11 Conf. 1. Primus dies festus azymorum fuit dies quintadecima Martij; vt diximus *ex Leuit. 23. & Num. 33*; sed vespera, in qua Christus cœnam instituit, immediatè anteceßit primum diem festum azymorum; nam die sequente immediatè ad illam vesperam fuit Christus occisus, & dimissus *Barabbas*; quem solùm in die festo debebat dimitti; ergo vespera, in qua Christus cœnam instituit, immediatè anteceßit quintamdecimam diem. Atqui vespera immediatè antecedens quintamdecimam diem fuit terminus quartædecimæ diei, vt notum est; ergo vespera, in qua Christus cœnam instituit, fuit terminus diei quartædecimæ, & immediatè præcessit quintamdecimam diem.

12 Conf. 2. Vespera, quæ immediatè præcessit septem dies azymorum terminatos ad diem vigesimamprimam *Martij* inclusiuè sumptam, fuit terminus diei quartædecimæ, & immediatè anteceßit quintamdecimam diem; sed cœna fuit instituta in vespera præcedente septē dies azymorum, qui terminati sunt ad diem vigesimamprimam *Martij* inclusiuè; ergo cœna fuit instituta in termino diei quartædecimæ, & immediatè ante quintamdecimam diem. *Mi.* constat *ex Exod. 12. & Leuit. 23. vbi sup.* Prob. ma. ex calculo dierum; nam à vespera terminante quartamdecimam diem ad vesperam terminantem quintamdecimam diem habetur primus dies; à vespera terminante quintamdecimam diem ad vesperam terminantem sextamdecimam diem habetur dies secundus; à vespera terminante sextamdecimam diem ad vesperam terminantem decimamseptimam diem habetur dies tertius; ab hac ad vesperam terminantem diem decimamoctauam habetur dies quartus; ab hac ad vesperam terminantem diem decimamnonam habetur dies quintus; ab hac ad vesperam terminantem diem vigesimam habetur dies sextus; & ab hac ad vesperam terminantem diem vigesimamprimam habetur dies septimus; ergo vespera, quæ immediatè præcessit septem dies azymorum terminatos ad diem vigesimamprimam, fuit terminus diei quartædecimæ, & immediatè anteceßit quintamdecimam diem; aliter si fuisset terminus diei tertiædecimæ, ab illa ad vesperam terminantem diem vigesimamprimam fluxissent octo dies; dies enim non componitur solùm ex prima vespera, sed ex prima, & secunda.

13 Obijc. 1. *Græci*. Primus, & vltimus dies azy-

azymorum erant festa solemniora, quàm alij dies intermedij; vt diximus *ex Leuit.* 23; sed dies immediatè subsecutus ad institutionem cœnæ, in quo Christus mortuus est, non fuit festus; decreuerant enim *Iudæi in Concilio*, in quo mortem Christi statuerant, illum non comprehendere, & occidere in die festo, ne fieret tumultus in populo iuxta illud *Matth.* 26; *& Marc.* 14. *Non in die festo, ne fortè tumultus fieret in populo*; ergo cœna instituta non fuit in vigilia primæ diei Paschalis, quæ fuit quinta decima Martij; & per consequens instituta fuit in vespera terminante non quartam decimam, sed tertiam decimam diem. 2. *Io.* 13. legitur: *Ante diem festum Paschæ sciens Iesus, quia venit hora eius &c. Cœna facta surgit &c.* Ex quo sic. Dies ante festum Paschæ fuit tertiadecima, nam die quarta decima incepit Pascha; sed Christus cœnam instituit ante diem festum *Pascha*; ergo illam instituit die tertiadecima. 3. *Io.* 18. habetur *de Iudæis*: *Non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha*; ex quo sic. Die, qua crucifixus fuit Christus, *Iudæi* non manducauerant Pascha, sed debebant illud in vespera illius diei comedere; ergo nox præcedens non fuit nox Paschatis, & ideo non fuit quartadecima. 4. *Io.* 19. dicitur: *Erat autem Parasceue quasi hora sexta*; quando crucifixus fuit Christus; sed *Parasceue* significat diem præparatoriam ad diem solemnem Paschatis; ergo non fuit crucifixus die Paschatis; & ideo nox præcedens, in qua cœnam instituit, non fuit prima Vespera Paschæ terminans diem quartamdecimam, sed fuit vespera terminans tertiam decimam diem. 5. Die, quo Christus fuit crucifixus, *Ioseph* mercatus est syndonem *Marc.* 15; & mulieres aromata *Luc.* 23; fuit facta crucifixio, depositio de cruce, & alia opera seruilia, quæ primo die azymorum erant prohibita. Tum quia nocte præcedente *Iudæi* comprehenderunt Iesum, die sequente accusauerunt, & reum sanguinis iudicarunt; quæ non licebant die Paschatis; quapropter *Herodes* non est ausus occidere *Petrum* diebus azymorum, sed illum seruauit *volens post Pascha producere eum populo*. Tum quia licet *Pilatus* non obligaretur lege *Iudæorum*; attamen erat illi *à Romanis* prohibitum constituere vadimonia, quibus obligaret *Iudæos* ad comparendum in iudicio, & exercere iudicia in eorum festis diebus; vt refert *Ioseph. lib.* 16. *c.* 10. ergo dies, quo Christus fuit crucifixus, non fuit primus dies azymorum, qui erat festus celeberrimus. 6. Immolatio agni Paschalis fuit typus mortis Christi; sed agnus Paschalis fuit immolatus die quartadecima in vespera; ergo & Christus mortuus est die quartadecima; atqui cœna fuit instituta nocte præcedente, quæ fuit terminus diei tertiæ decimæ; ergo fuit instituta in vespera terminante tertiam decimam diem.

Resp. ad 1. neg. mi. Ad prob. infert. dicitur, quòd Christus, qui passus est, quia voluit, passus est etiam, quando voluit non obstantibus *Iudæorum* consilijs; vt docet *S. P. Aug. tract.* 119. *in Io.* Nam cùm *Io.* 14. vellent *Iudæi* Christum apprehendere, quia tamen ipse noluit, quia *nondum venerat hora eius*; ideo ipsum non apprehenderunt; & ideo quanuis *Iudæi* decreuissent eum non occidere in die festo; attamen quia ipse die festo mori voluit; ideo non obstantibus eorum consilijs die festo mortuus est. Ad 2. dicitur, quòd primus dies festus Paschæ fuit dies, in quo Christus fuit crucifixus; & ideo rectè dictum est; quòd ante diem festum Paschæ cœnam instituerit, quia illam instituit nocte præcedente illum diem; sic vespera sabbathi sancti dicitur ante diem festum Paschæ, quanuis in ipsa celebrari incipiatur solemnitas Paschalis. Ad 3. neg. ant. Nam *Iudæi* noluerunt introire in prætorium, non quidem, vt manducarent agnum Paschalem, quem nocte præcedente iam comederant; dicitur enim *Marc.* 14. *Prima die azymorum, quando Pascha immolabant*; quod non nisi *de Iudæis* dictum est; ex quo euidenter colligitur *Iudæos* eadem die, qua Christus, Pascha immolasse; *& Luc.* 22. de nocte, qua Christus Pascha immolauit, dicitur: *Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha*; idêst in qua erat præceptum omnibus *Iudæis*, vt occiderent, & immolarent agnum Paschalem, ut habetur *Exod.* 12; & ideo *Iudæi* non loquebantur de comestione agni Paschalis, quem nocte præcedente iam comederant iuxta præceptum Domini; sed de comestione aliarum victimarum Paschalium, quæ illis septem diebus offerri solebant; ut habetur *Leu.* 23; *& Num.* 28; quæ victimæ etiam voca[illegible]tur *Phase*, seu *Pascha*; vt dicitur *Deut.* 16; atque adeò noluerunt in prætorium ingredi, ne contaminarentur, ut possent has victimas manducare. Ad 4. resp. *Estius cum Ruperto Iudæos* distulisse Pascha ad sabbatum, quia ex traditione habebant, quòd quando occurrebant duo festa continuo celebranda, in quibus ab operibus seruilibus abstinendum erat, tunc primum festum transferebant in secundum; quia difficile erat carnes animalium vsque ad tertium diem incorruptas seruare; & sic respondent etiam ad 5. Addunt nomine *parasceue Pascha* non posse intelligi de præparatoria sabbati; quia præparatio nequit dici, nisi de illo die, cuius dicitur præparatio; non dicitur autem *parasceue* sabbati, sed *parasceue Pascha*. Sed hæc non concludunt; quia si *Iudæi* distulissent primum diē azymorum ad secundum diem, debuissent dies azymorum protrahere usque ad diem vigesimam secundam *Martij*, ut essent septem dies; quod nunquam factum fuisse legitur; atque adeò falsa est illa traditio; tum quia *Pilatus* illis non dimisisset *Barabbam*; tum quia non fuisset necesse occidi Pascha eo die, quo il-

lum Christus occidit; ut dicitur *Luc.22.* potuisset enim transferri in sequentem diem. Omissa igitur hac responsione dicitur nomine *parasceue* rectè intelligi præparationem ad sabbatum; dicitur enim *Marc. 15. Erat parasceue, quod est ante Sabbatum*; dicitur autem *parasceue Paschæ*, non verò *ante Pascha*; præparatio autem propriè dicitur solùm de illa die, quam antecedit, non de die, in quam incidit; vnde cùm incidit in Pascha, rectè dicitur *parasceue Paschæ*, non *ad Pascha*. Proprium autem solius sabbati erat habere parasceuen; non autem alterius festiuitatis; quia solùm in sabbato prohibitum erat cibos communes coquere, & ignem accendere; adeoque die antecedente debebant cibi præparari; ac propterea dies antecedens *parasceue*, idèst præparatoria dicebatur. In alijs autem festiuitatibus, quamuis solemnioribus, vt erant primus, & vltimus azymorum, non erat prohibitum cibos coquere, & ignem accendere; de his enim duobus diebus habetur *Exod. 12. Nihil operis facietis in eis, exceptis his, quæ ad vescendum pertinent*. Vel dicitur *cum S. P. Aug. lib. 3. de consensu Euangelist. c. 13; & tract. 117. in Io.* ibi non esse sermonem de parasceue, idèst præparatione Paschæ *Iudæorum*, sed Paschæ Christianorum; Pascha autem Christianorum fuit immolatio, seu mors Christi; vt dicitur. *1. Cor. 5. Pascha nostrum immolatus est Christus*. Dicitur ergo: *Erat autem parasceue Paschæ hora quasi sexta*; quia *ab hora nona noctis, in qua principes sacerdotum inceperunt præparare mortem Christi dicentes: Reus est mortis, vnde congruenter accipitur cepisse præparationem veri Paschæ, cuius vmbra erat Pascha Iudæorum, vsque ad horam tertiam, qua crucifixum esse Christum Marcus Euangelista testatur*, [illegible] *hora sunt, tres nocturnæ, & tres diurnæ*. Ad 3. dicendum illa opera non fuisse seruilia; nam *Num. 15.* quidam colligens ligna die Sabbati fuit apprehensus, & iussu Dei lapidatus; *& Tob. 2. quidam Israelita* in platea iugulatus *ab ipso Tobia* die festo fuit sublatus, & nocte sepultus. Imò ipsi *Principes sacerdotum* die sabbati comparuerunt *ante Pilatum* instantes, vt custodiretur sepulcrum; refertur enim *Matth. 27. Altera die, quæ est post parasceuen* (quæ dies sabbati fuit) *conuenerunt Principes sacerdotum, & Pharisæi ad Pilatum dicentes: Domine recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc viuens: Post tres dies resurgam: Iube ergo custodiri sepulcrum*. Ex lege ergo *Romanorum* non poterant *Iudæi* diebus festis cogi ad iudicia; poterant tamen sponte comparere. Ad 6. dist. ma. Immolatio agni Paschalis fuit solùm typus immolationis cruentæ ipsius Christi, neg. cruentæ, & incruentæ, conc. Vtraque ergo immolatio debuit compleri eadem die; incruenta nocte antecedente; & cruenta die sequente; sic enim figura fuit adæquatè completa; secus autem non nisi inadæquatè adimpleta fuisset.

14 Obijciunt 2. *nostri Legionenses cum alijs*. 1. Nox, in qua *Hebræi* exierunt *de Ægypto*, non potuit esse illa, in qua agnum immolarunt, & comederunt; quia *Exod. 12.* præceptum erat, vt nocte illa, qua comedissent agnum, non exijssent ostium domus suæ vsque mane; ideo non illa, sed alia nocte exierunt, cùm certum sit eos nocte exijsse; tum quia ipsa eadem nocte non potuerunt *Hebræi* petere *ab Ægyptijs* vasa argentea, & aurea, quæ secum tulerunt; non enim est verisimile, quòd post stragem primogenitorum iuerint *Ægyptij* statim *ad Hebræos*, & coegerint ad exeundum; & illi petierint vasa, & vestes, quę omnia tam modico tempore fieri non poterant. Tum quia incredibile est, quòd tot millia hominum potuerint tam breui temporis spatio congregari *in Ramesse*; vt omnes simul exirent; ergo verisimilius est, quòd exierint nocte sequentis diei; ergo Christus immolauit agnum vespera terminante tertiam decimam diem.

Resp. hoc fuisse *sup.* solutum; neg. enim antec. Ad 1. prob. infert. dicitur, quòd summo mane exierunt, summum autem mane est vltima pars, seu vigilia noctis; ideo dicuntur nocte exijsse; non tamen exierunt nocte ante mane, sed nocte in mane; ideo præceptum seruarunt, & exierunt. Ad 2. dicitur, quòd *Ægyptij* videntes stragem suorum puerorum statim ingressi sunt domos *Hebræorum*, & coegerunt eos, vt immediatè egrederentur; mori enim etiam ipsi timebant post suos filios. Tunc *Hebræi* petierunt vestes, & vasa, quæ illis *Ægyptij* statim dederunt, & statim exirent. Ad 3. dicitur *omnes Hebræos* fuisse antea admonitos *per Moysen*, vt comederent festinanter, cum baculis in manibus, & proximè parati ad iter habendum; quod frustraneum fuisset, si illa nocte exire non debuissent; vt *sup.* diximus.

15 Obijc. 2. Octo numerandi sunt dies azymorum; ergo ratio ducta ex numero septennatio non probat. Prob. antec. 1. *ex Ioseph lib. 4. antiquit. c. 12; ex Isidor. Pelusiot. lib. 3. ep. 120; ex Vict. Antioch. in Matth. 16; & ex Leon. IX. ep. 8. ad Michael. Constantinop. Imperat. apud Baron. anno 1054. n. 11*; vbi non negat Christum instituisse cœnam in vespera diei tertię decimæ, sed negat præuenisse tempus à lege præscriptum, & vt directè *Græcos* impugnet, octo dies azymorum admittit. 2. Duplex fuit Pascha *Iudæorum*; primum fuit immolatio agni, quæ incepit ad vesperam diei tertiæ decimæ; alterum fuit festiuitas azymorum, quæ ad vesperam quartæ decimæ incepit; nam in festis hic fuit mos, vt in memoriam vnius rei gestæ vna die festum vnius diei tantùm celebraretur; *vt sabbatum, neomenia, immolatio agni Paschalis, Pentecostes, festum tubarum, & expiationis*; vnde cùm immolatio agni fuerit in memoriam beneficij accepti, quando Angelus interficiens primogenitos

nitos

nitos *Ægyptiorum*, & pertransiens domos *Hebræorum* illæsos illos reliquerit, quod factum fuit vna nocte; ideo vna die debuit celebrari. At in memoriam rei gestæ pluribus diebus, vt liberationis *ab Ægypto*, quæ facta fuit pluribus diebus, festum etiam *azymorum* plurium dierum debuit institui; vt patet de festo *tabernaculorum*, *& enceniorum*; ergo quando *scriptura* enumerat tantùm septem dies azymorum, loquitur excludendo primum festum Paschale immolationis agni.

Resp. hæc omnia fuisse euidenter reiecta. Ad 1. neg. ant; inauditum enim fuit *ante nostros eruditissimos Legionenses* octo fuisse dies integros azymorum. Ad 1. prob. dicitur *illos PP.* loqui de octauo die incepto pro completo; vt videre est *apud Ioseph lib. 3. c. 20*; vbi docet diem immediatè sequentem ad vesperam, in qua immolatus est agnus, fuisse quintam decimam; & in hoc sensu etiam *alij* loquuntur eo prorsus modo, quo *S. P. Aug. lib. 3. de doctr. Christ. c. 35.* ait intelligendos esse duos Euangelistas, nempe *Lucam 9.* dicentem: *Post dies octo; & Matthæum 17.* dicentem: *Post dies sex*; quòd ille *integros*, *& omnes, & totos, sed solos medios computauit; & iste partem nouissimam diei, ex quo id Christus prædixit futurum; & partem primam diei, quo id ostendit impletum.* Sic de tribus diebus, quibus Christus iacuit in sepulcro *per tropum Synecdoche, quo à parte totũ, aut à toto partem facit intelligi: Pars enim nouissima diei, in qua passus est, nisi pro toto die accipiatur, adiuncta etiam nocte præterita; & nox, in cuius parte vltima resurrexit, nisi totus dies accipiatur, non possunt esse tres dies, & tres noctes, quibus se in corde terræ prædixit futurum:* Cùm ergo dicitur septem fuisse dies azymorũ, intelligendi sunt integri; cùm autem octo, intelligenda est pars diei præcedentis per figuram *synecdoche*. Ad 2. neg. ant. Ad prob. infert. dicitur; quòd licèt immolatio agni fuerit diuersa ab alijs sacrificijs, quæ fiebant diebus azymorum; non tamen sequitur immolationem agni factam fuisse vno die ante; nam immolatio agni facta fuit nocte præcedente immediatè primam diem azymorum, & septem subsequentibus diebus alia sacrificia facta fuerunt.

16 Obijc. 3. *ijdem*. Vespera *apud Hebræos* sumebatur pro initio diei, non pro termino; habetur enim *Gen. 1. Factum est vespere, & mane dies vnus; sed Exod. 12.* præcipitur immolatio agni die quartadecima in vespera; ergo hoc intelligendum est de vespera antecedente, non subsequente.

Resp. neg. ma; constans enim est *SS. PP. & DD.* sententia, inter quos *S. Ambr. lib. 2. Hexam. c. 10*; primum diem creationis incepisse à luce, & terminasse in nocte; antequam enim *scriptura* diceret: *Factum est vespere, & mane dies vnus*, iam dixerat: *Appellauitque lucem diem, & tenebras noctem*; quibus verbis prius nominauit diem primò creatum, & posteà noctem, quæ diei successit; sensus igitur illorum verborum est: *Ex die terminato in vespera; & ex nocte terminata in mane factus est vnus dies.*

17 Obijc. 4. *ijdem*. Ex traditione Ecclesiastica habetur diem *Pentecostes*, qua Spiritus S. descendit *super Apostolos*, fuisse Dominicam; sed hoc esse non potuisset, nisi primus dies azymorum, seu Paschalis incidisset in sabbatum; nam cùm *iuxta Leuit. 23. & Deut. 9.* ab altera die sabbati, idèst à secunda die azymorum, numerandi sint quinquaginta dies; si sabbatum fuisset secunda, non prima dies azymorum, à sabbato inclusiuè numerus dierum esset incipiendus, & sic *Pentecostes* fuisset die sabbati; & dies Dominicus, quo cecidit Spiritus S. fuisset quinquagesimus primus; ergo dies, qua passus est Christus, fuit quartadecima; & vespera, qua cænam instituit, fuit terminus diei tertiæ decimæ.

Resp. omissis responsionibus *Cornelij à Lapide, Bellarm, Vasq. & aliorum*; quòd dies *Pentecostes*, qua cecidit Spiritus Sanctus, est festum celebrandum à Christianis post quinquaginta dies à Resurrectione Christi, quæ est nostrũ Pascha; cùm enim festum sabbati iam translatum fuisset per Christum in diem Dominicum, quo Christus resurgens transijt de morte ad vitam; & hunc diem nobis præcepisset, vt Pascha nostrum celebrandum; ideo vnum diem transferre debuit etiam *Pentecosten*, vt compleretur numerus quinquagenarius mysticè in vmbris veteris legis descriptus. Dies ergo *Pentecostes* Christianorum, in quo cecidit Spiritus Sanctus, numerari debet à Paschate Christianorum, quod est dies Dominica, in qua Christus ab inferis resurrexit. Sic respondet S. P. *Aug. lib. 32. cont. Faust. c. 11. & 12.* docens: *I[illegible] sanè dies Pascha solemnitatis nostræ ad diem celebrationis vmbraticæ Iudæorum non occurrit, vt & Dominicam diem, qua Christus resurrexit, complecteremur*; & mox: *Pentecosten etiam, idèst à passione, & resurrectione Domini quinquagesimum diem celebramus, quo nobis Spiritum S. Paracletum, quem promiserat, misit; quod futurum etiam per Iudæorum Pascha significatum est, cùm quinquagesimo die post celebrationem ouis occisæ Moyses digito Dei scriptam legem accepit in monte*; & deinde: *Si vultis nosse, quare non illud ritu Iudaico celebremus; quia illa erat venturi veri præfiguratio; hæc completi commemoratio.* Vid. ep. 119. ad Ianuar.

18 Obijc. 5. *Asiani* dicti *Quartadecimani* damnati fuerunt, quia more *Iudæorum* celebrabant *Pascha* Luna quartadecima *Martij*; vt patet ex *institutione S. Vict. ad Desiderium Ep. Viennensem apud Baron. to. 12. in appendice to. 3*; vti statuitur Pascha à Christianis celebrandũ esse à quintadecima vsque ad vigesimam primam *Martij* inclusiuè ita, vt si quartadecima cadat in diem Dominicum, tunc differendum est Pascha vsque in sequentem Dominicam; sed ratio huius est;

quia dies passionis Domini est ieiunandus, vt habet *D.Ambr.ep.83*;ergo supponitur Christum passum fuisse luna decimaquarta; & consequenter instituisse cęnam luna decima tertia. 2.*S.Epiphan.hær.40.*ait: *Oportebat Christum in quartadecima die immolari*; ergo passus est die quartadecima.

Resp. *Quartadecimanos* damnatos fuisse *ab Aniceto,Pio, & Vict. in Conc.Ephes;Chalced; & Rom. sub Sylu; & in alijs apud Coriol. annot.super Conc. Rom.III.sub Sylu*; quia Pascha *Iudeorum*, quod erat figura, fuit abrogatum, & substitutum est Pascha Resurrectionis, vsque ad quod est ieiunandum; & hoc est, quod intendit ratio allata; quæ propterea non supponit Christum passum esse luna quartadecima. Ad 2. dicunt *aliqui* legendum esse *immolare,non immolari*;vel si legendum est *immolari*, intelligitur de immolatione typica, quæ facta fuit in agno Paschali.

19 Collig. ex dictis eucharistiam institutam fuisse in vespera terminante quartam decimam diem. Hymnus autem, quem Christus simul cum Apostolis dixit,fuit psalmus: *In exitu Israel de Ægypto*, quem Hebręi post immolationem Agni recitare tenebantur.

A R T. IV.

An Christus instituerit Eucharistiam in re permanente, vel in actione transeunte?

1 DIximus *art. 1. cum Fund. Doct. Æg. de corp. Christi fol.16. col. 3.* eucharistiam consistere in aliqua re permanente;& in hoc distingui ab alijs sacramentis, quæ solùm in vsu, seu in actione, per quam conferuntur, consistunt. Quoniam tamen *hæretici nostri temporis* hoc negant; ideo est à nobis probandum.

2 *Post Nestorianos Caluin. lib.4. instit.c.17.S. 37;& 39*; & eius asseclę *Petrus Martyr. lib. cont. Gardinerum, Crocius de vnit.Eccl. c.26;Ames.in Bellarm. eneruato* asseruerunt sacramentum eucharistiæ non consistere in aliqua re permanente,sed in actione transeunte, scilicet in sumptione, aut manducatione.Idem docent *Lutherani; inter quos Melancton; Brent; Kemnit; & alij apud Gibb. hic disp.18.dub.vlt.§.1.* Discrepant tamen, quòd *aliqui* putant consistere in sola sumptione; *alij* verò in omnibus illis actionibus, quas gessit Christus in vltima cæna; scilicet in benedictione, fractione, distributione, & sumptione. Vt hæresis hæc reijciatur.

3 Vnica concl. Eucharistiæ sacramentum non consistit formaliter in aliqua actione transeunte, sed in re permanente. Sic fuit definitum *in Trid.sess.13.c.3.*statuente: *Illud in eucharistia excellens, & singulare reperitur, quòd reliqua sacramenta tunc primùm sanctificandi vim habent; cùm quis illis vtitur; at in eucharistia ipse sanctitatis Auctor ante vsum est; & can. 3.* anathematizat asserentes corpus, & sanguinem Christi esse tantùm in vsu, dum sumitur, non autem ante, vel post sumptionem; nec in hostijs, aut particulis, quæ remanent, & asseruantur.

4 Prob.1.ex verbis consecrationis sic. In illo, quo fit sacramentum,consistit eucharistia; sed ipso vsu, aut sumptione non fit sacramentū; ergo in vsu, aut sumptione non consistit eucharistia. Ma. patet; nam alia sacramenta fiunt tantùm in ipsa actione, in qua proferuntur verba; ideo consistunt in vsu, seu in actione, qua applicatur materia remota simul cum forma; quæ actio dicitur materia proxima, vt diximus *de bapt. q.2.art.5*; ergo à pari. Prob. mi. Tunc solùm, cùm proferuntur verba consecrationis supra debitam materiam, fit sacramentum eucharistiæ; sicuti fiunt alia sacramenta in prolatione formæ supra debitam eorum materiam; tū quia si non fieret sacramentum, cùm proferentur verba, sequeretur, quòd verba pro eo tunc essent falsa; non enim verum esset, quòd pro eo tunc esset corpus Christi; quia tunc solùm est corpus Christi, quando per conuersionem fit sacramentum; sed in ipso vsu, aut sumptione non proferuntur verba consecrationis;tum quia Christus semel tantùm, & simul protulit verba consecrationis; Apostoli autem non sumpserunt simul, sed successiuè de manu Christi eucharistiam; ideo necesse est, quòd verba non fuerint prolata in ipso vsu,aut sumptione actuali eucharistiæ; implicat enim, quòd actio transiens, seu verba transeuntia coexistant pluribus actionibus successiuis, vt constat; tum quia ex praxi Ecclesiæ constat priùs tempore proferri verba consecrationis aliquando per horæ quadrantem, aut semihoram, vt in missis solemnibus, aliquando per horam integram,vt in liturgijs *Græcorum, & Armenorum*; & hoc ex immemorabili consuetudine ab Apostolis ducta; antequam frangantur species, distribuantur, & sumantur; ergo in ipso vsu, aut sumptione non fit sacramentum.

5 Conf. *ex S.P.Aug.in ps.33.conc.1.* docente de Christo communionem præbente Apostolis: *Ferebatur Christus in manibus suis,quando commendans ipsum corpus suum ait: Hoc est corpus meum; ferebat enim illud in manibus suis.* Ex quo sic. Quando panis,& vinum erat in manibus Christi, tunc non erat sumptio, aut vsus; sed tunc erat sacramentum,quia erat corpus, & sanguis Christi; ergo ante sumptionem est sacramentum.

6 Prob.2.*ex Conc.Nicen.I.c. de Diuina mensa* statuente: *Fide intelligamus situm in sacra illa mensa agnum illum Dei tollentem peccata mundi incruentè à Sacerdotibus immolatum; quod habent etiam Conc.VI.Constantinop.act.8;Trullan.can.26; & 102; Arelaten.II.can.15; Turonen.II.c.3; Hispalen.II.c.7; Toletan.XIII.c.5; Nic.II.act.2; Lat.c. 1; Constan.sess.13; Flor.sess.25; & Trid. vbi s. ex D. P.Aug.lib.3.de Trin.c.10;*sed in mensa, seu in

Altæ-

Altari adhuc non est sumpta eucharistia; ergo antequam sumatur, in ea est verum corpus; & sanguis Christi etiam ante sumptionem, & vsum.

7 Prob. 3. ex immemorabili consuetudine deferendi eucharistiam ad infirmos, vt definit *Trid. sess. 13. c. 6.* & habetur *c. 92. presbiter de consecr. d. st. 2*; quæ consuetudo statuta fuit *in Conc. Nic.* decernente, quòd in absentia Sacerdotis Diaconi infirmis eucharistiam porrigant; vt videtur inter canones *Concilij Niceni à Ruffino* relatos *lib. 10. Hist. c. 16*; quos canones esse authenticos testatur *S. Cyrill. ep. ad Conc. Carthag.* quæ est in fine *act. Conc. Aphricani*. Hanc consuetudinem fluxisse ab Apostolis testantur *Iustin. Martyr Apologia 2; S. Dion. Alexandrin. ep. ad Fabiū apud Euseb. lib. 6. hist. c. 36; Tertull. lib. 2. ad Vxorem; D. Naz. de obitu S. Gorgoniæ; D. Basil. ep. ad Cæsareā; S. Cypr. serm. de lapsis; D. Ambr. in or. de obitu Satyri sui fratris c. 7; & al.*; Ex quo sic arguitur. Id, quod asseruatur in Ecclesia pro infirmis, & ad illos defertur; est iam confectū, antequā ab illis sumatur; vt patet de oleo infirmorum; & etiam de remedijs naturalibus; non enim remedia, quæ applicantur infirmis, dicuntur confici, cùm illis applicantur, sed sunt confecta, antequam ad illos deferantur, aliter cùm feruntur à non habente potestatem illa conficiendi, nullo modo conficerentur; sed eucharistia post consecrationem asseruatur pro infirmis, & ad illos defertur, etiā à diaconis, qui non habent potestatem illam conficiendi; ergo eucharistia est iam confecta, antequam sumatur; aliter nullo modo conficeretur, cùm à Diaconis ministratur.

8 Prob. 4. *ex S. P. Aug. lib. 19. cont. Faust. c. 16; & tract. 8. in Io.* Omne sacramentum, quod aliqua consecratione fit, statim per ipsam consecrationem producit suum effectum, qui manet etiam post ipsam consecrationem; vt patet de baptismo, & ordinatione, quæ per ipsam consecrationem imprimunt caracterem, qui manet etiam post susceptionem sacramenti; sed eucharistia est sacramentum, quod consecratione conficitur; ergo per ipsam consecrationem producit suum effectum, qui manet etiam post illam. Arqui effectus consecrationis est conuersio substantiæ panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi manentibus speciebus panis, & vini; ergo corpus, & sanguis Christi post consecrationem immediatè incipit esse, & manet, quousque manent species panis, & vini.

9 Prob. 5. *ex Fund. Doct. Æg. vbi sup. col. 4.* In illa tantùm actione, quæ producitur à ministro, consistit sacramentum; in tantùm enim dicitur sacramenti minister, in quantùm ponit actionem, qua fit sacramentum; sed sola consecratio, seu prolatio verborum, non autem sumptio est actio ministri sacramenti eucharistiæ; ergo in consecratione, non in sumptione consistit sacramentum eucharistiæ. Ma. constat; causa enim abluens, seu ablutionis, & prolationis verborum, formæ baptismi est minister, & sic de alijs. Mi. etiam est euidens; nam causa actiua alicuius actionis sortitur actiuam denominationem illius; vt causa actionis generatiuæ dicitur causa generans, & actionis calefactiuæ dicitur calefaciens; sed sacerdos non dicitur sumens eucharistiam, dicitur tamen consecrans, seu proferens verba consecrationis; ergo consecratio, non sumptio, est actio ministri eucharistiæ. Tum quia si sumptio constitueret eucharistiam, conficeretur sacramentum ex intentione sumentis, non consecrantis; sed cons. est absurdum, & contra Ecclesiæ doctrinam; ergo & ant. *Vid. Fund. Doct. vbi sup.*

10 Insuper eodem modo loquendum est de cibo spirituali, quo loquimur de cibo naturali; nulla enim alia est via inuestigandi res supernaturales, quàm per res naturales, vt docet. *Apost*; sed cibus naturalis præsupponitur in esse cibi nutritiui, antequam actu sumatur; si enim talis non sit, per ipsam sumptionem talis non fit; vt lapis per sumptionem, non fit panis; ergo & cibus spiritualis præsupponitur in esse cibi spiritualis nutritiui, antequam actu sumatur; sed eucharistia est cibus spiritualis nutritiuus animæ; ergo præsupponitur in esse eucharistiæ iam confecta, antequam actu à suscipiente sumatur; & ideo non consistit in vsu, aut sumptione; sed in esse permanente ante sumptionem, & post sumptionem vsque ad consummationem, & corruptionem specierum.

Tandem probari solet ex adoratione latriæ, qua post consecrationem ante sumptionem colitur hostia, cùm eleuatur, & cùm in altari asseruatur; vt *inf.* dicemus; adoratio autem latriæ competit soli Deo, & Christo, qui est Deus, & homo. Item ex præsentia reali corporis, & sanguinis Christi sub speciebus panis, & vini; vt *inf.* quoque ostendemus.

11 Obijc. 1. Christus non consecrauit panem, nisi postquam illud dedit manducandum Apostolis; & vinum, postquam illud dedit bibendum; habetur enim de pane: *Accepit Iesus panem, & benedixit, deditque discipulis suis & ait: Accipite, & comedite: Hoc est corpus meum*; & de vino: *Accepto calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes; & ait illis: Hic est sanguis meus*; ergo ante sumptionem actualem eucharistia non est; & ideo in illa formaliter consistit. 2. In illa actione consistit eucharistia, quæ fuit à Christo instituta; sed à Christo fuit instituta benedictio, gratiarum actio, fractio, distributio, sumptio, comestio, & bibitio; ergo eucharistia in his omnibus actionibus consistit.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad prob. insert. dicitur, quòd si consecratio fuisset facta eo ordine, quo narratur, sequeretur, quòd consecratio vini fuisset facta, quando iam erat in stomacho Apostolorum; dicitur enim: *Biberunt ex illo omnes*; posteà *Iesus ait illis: Hic est sanguis meus*; sed nemo

mo hoc assereret;quoniam materia consecranda debet esse præsens sensibiliter sacerdoti;vt verificetur: *Hic est sanguis &c.* ergo nemo potest asserere consecrationem factam fuisse eo ordine, quo narratur *ab Euangelistis*. Sed dicendum, quòd Apostoli nonnulla antepofuerunt, vt breuitatem seruarent, quæ posteriori ordine facta sunt. Ad 2.dist.ma.Quæ fuit instituta,tanquam materia, vel tanquam forma, conc; sed neg.mi; nam instituit etiam ablutionem pedum, & tamen nullus diceret in hac eucharistiam consistere; & in baptismo præcepit, vt irent, & docerent; & tamen ire, & docere non spectant ad essentiam baptismi, sed tantùm sunt actiones circunstantes, baptismum. Tanquam actiones circunstantes vel præuiæ, vel subsequentes, neg; & in hoc sensu conc.mi;& neg.cons.

12 Obijc.2. Christus non præcepit eucharistiam seruandam esse, & deferendam ad infirmos;præcepit tamen comestionem, bibitionem &c; ergo non licet eucharistiam seruare, & ad infirmos deferre; & quanuis in his actionibus non consistat, consistit tamen in comestione &c.2.Cetera sacramenta consistunt in actione; ergo & eucharistia; omnia enim sacramenta sunt eiusdem rationis 3. Sacramentum est quædam ceremonia gratiã causans, & significans; sed ceremonia consistit in actione; ergo idem. 4.Sumptio eucharistiæ est signum sensibile gratiam significans, & causans; ergo est formaliter sacramentum. Prob.ant. Sumenti eucharistiam promittitur gratia *Io.6.Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*; vita autem æterna est gratia. Tum quia aliæ actiones non causant gratiam, nisi prout coniunctæ cum sumptione;ergo in sola sumptione consistit.

Resp.ad 1.neg. ant; ex eo namque, quòd Christus præceperit eucharistiam ab omnibus esse sumendam, implicitè præcepit, vt seruetur, & ad infirmos feratur, aliter quamplures fine illius sumptione decederent. Ad 2.neg. cons; & ad prob.infert. dist. Sunt eiusdem rationis generica; idest habent significare,& causare gratiam, conc;specificæ, neg; nam eucharistia habet causare, & significare gratiam per modum cibi nutrientis; cùm autem cibus sit talis etiam ante sumptionem, & etiam post sumptionem vsque ad corruptionem accidentium,vt diximus; ideo eucharistia debet habere modum permanentis sub speciebus; aliter cibi rationem habere non posset. Ad 3.dist.ma. Est quædam ceremonia,seu ritus sacer substantialiter gratiam significans, & causans, conc; seu ritus sacer accidentaliter gratiam significans, neg; & dist.mi. Ceremonia, seu ritus substantialis in fieri consistit in aliqua actione,conc;in facto esse, neg; vniuersaliter mi. Ad 4.neg.ant. Ad prob.dicitur,quòd sicuti suscipienti baptismum promissa est vita æterna *Io. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c*; & tamen ipsa susceptio non est signum sensibile gratiæ, & non est sacramentum, sed susceptio sacramenti; aliter si esset sacramentum, esset susceptio sui ipsius; ita susceptio, seu sumptio eucharistiæ non est sacramentum, seu signum sensibile gratiæ; quanuis sit id, quo gratia in sacramento suscipitur. Ad aliud dicitur actionem consecratiuam significare, & causare gratiam mediante sumptione,tanquam applicatione,recipiendam; vt dicitur de baptismo,& alijs sacramentis;rectè enim dicitur formam ignis causare calorem in ligno, quanuis calor in ligno non causetur, nisi mediante susceptione eiusdem caloris.

13 Obijc. 3. Quanuis extrema vnctio instituta sit per modum remedij, quod debet esse tale, antequam applicetur; attamen hoc sacramentum consistit in vsu; ergo quanuis eucharistia instituta sit per modum cibi; attamen in sumptione debet consistere. 2. Eucharistia præcisa manducatione non confert gratiam iuxta illud: *Nisi quis manducauerit &c*; ergo in illa solùm consistit.

Resp.ad 1.neg.2.part.ant; scilicet quòd extrema vnctio sit remedium, antequam applicetur; nam tunc solùm est remedium, quando supra debitam materiam profertur forma, tunc enim solùm est sacramentum, & per consequens remedium;eucharistia autem est cibus,antequam applicetur,quia forma prolata est ante applicationem. Ad 2. respondent *aliqui* neg. ant; quia si eucharistia introduceretur miraculosè in stomachum, non per os; adhuc gratiam causaret. Vel neg. cons; nam præcisa applicatione ignis ad lignum non habetur combustio; & tamen applicatio non est causa combustionis, nisi lato modo.

14 Not. tamen, quòd licèt consuetudo seruandi eucharistiam in sacrario sit adeo antiqua, vt eius meminerit *Conc. Nic.I. c. 13; Rhemen.c.2; Lat. sub Innoc. III. c. 26; Ancyr. c.6;Carthag.IV. c.77;& Agath.c.15*;attamen *S. Basil. ep. ad Patritiam* refert antiquitus asseruatam fuisse domi à quolibet etiam plebeio; & in eremis à solitariam vitam agentibus, vt eam in puncto mortis, tanquam viaticum, assumerent. *Vid.*etiam *Tertull.lib.ad Vxorem, & lib. de orat; S.Cypr. serm. de lapsis;S.Clem.Alexand.lib.1.Stromatum; Orig.hom. 13.in Exod; D.Ambr.or.1.de obitu fratris sui Satyri;Naz.or.funeb.sororis; D.Hier. apolog. ad Pamach.c.6.* Mos etiam fuit *à Romanibus Pontificibus* eucharistiam mitti ad Episcopos in symbolum pacis, ac communionis *teste Irenæo ep. ad Vict. Papam apud Euseb. lib. 5. c. 24; & S.P.Aug.lib.2. contr.lit. Petil.c.23*. Verùm hic mos ob periculum fuit sublatus; & retenta est consuetudo seruandi illam in sacrario ad morientium viaticum,& ad quotidianum vsum fidelium. Deducitur autem hæc consuetudo *ex 1.Paralip.9.*vbi panes propositionis, qui erant figura eucharistiæ, seruabantur de Sabbato in Sabbatum. Tandem religiosè indu-

inductum fuisse morem deferendi hoc sacramentum in processionibus publicis peculiari festo declarat *Trid. vbi sup. c. 5*; cuius rei typum habemus *in veteri Testamento*; vbi iussu Dei area circumlata est ad impetrandam opem, & misericordiam Dei; vt *Ios. 2; & 6; & 1. Reg. 4; & 14; & 2. Reg. 6*; arcam autem figuram fuisse eucharistiæ probat *S. P. Aug.* super illud *ps. 98. Adorate scabellum pedum eius*.

15 Obijc. *Kemnit. 1. Reg. 4.* ex eo, quòd arcã absque Dei mandato circumduxissent ad exercitum, arca capta est, sacerdotes cęsi; & exercitus profligatus; ergo non est licitum &c.

Resp. hæc euenisse non propter arcæ adductionem, quæ Deo fuit semper gratissima, sed propter eorum grauissima scelera, ob quæ sic puniti fuerunt.

§. 1.

An Christus in eucharistia sit adorandus?

16 EX dictis *in sup. art.* inquit *Fund. Doct. de Corp. Christi fol. 16. col. 4*; sequi Christum in eucharistia etiam ante vsum esse adorandum adoratione latriæ; ideo resolutio huius quæsiti, tanquam corollaria, est subnectenda.

17 *Caluinistæ*, qui negant realem præsentiam Christi in eucharistia, negant etiam Christum esse in illa adorandum adoratione latriæ. *Lutherani* verò, qui concedunt vel tota actione cœnæ, vel saltem tempore sumptionis esse præsentem, asserunt quoque pro eo tunc esse adorandum. Quannis nonnulli *Lutherani*, quia censent corpus Christi esse tantùm sub speciebus vini; negant Christum in illis esse adorandum, quoniam latria debetur solùm toti Christo, qui sub neutra specie totus continetur. *Alÿ* verò concedunt totum Christum contineri in eucharistia, vt manducetur, non vt adoretur; in Cœlo enim solummodò continetur, vt adoretur; nam eum instituit eucharistiam dixit: *Accipite, & manducate*; non autem: *Accipite, & adorate*. *Alÿ* tandem concedunt Christum in eucharistia cultu latriæ esse adorandum; negant tamen hanc adorationem esse extendendam ad ipsum sacramentum, nempe ad species panis, & vini; quapropter vocant nos *artolatras*, seu *panis adoratores*.

18 Vnica concl, Eucharistiæ sacramentum est adorandum adoratione latriæ. Ita definitum fuit *in Conc. Trid. sess. 13. c. 5; & can. 6. Si quis dixerit in sancto eucharistia sacramento Christum vnigenitum Dei Filium non esse cultu latria etiam externo adorandum &c. vel nõ publicè, vt adoretur, populo proponendum; & eius adoratores esse idololatras, anathema sit; & c. 5. Omnes Christifideles pro more in catholica Ecclesia semper recepto latria cultum, qui verò Deo debetur, huic sanctissimo sacramento in veneratione exhibeant; & in Conc. Vien. vt in Clement. tit. de reliq. & de venerat. SS. O excellentissimum sacramentum, ò adorandum, venerandum &c.* Hanc esse traditionem scribit *S. Basil. lib. de Spir. S. c. 24; D. Dion. de Eccl. Hier. c. 1; S. Clem. lib. 2. constit. c. 5; & lib. 8. c. 2; S. Alex. Papa ep. 1; Orig. hom. 5.* in diuersa euangelij loca; *S. Cyril. catech. 5. Mystagog; & Chrisost. hom. 24; 36; & 41. in 1. Cor; & hom. 8. in Matth; & ser. de S. Philogonio; & lib. 6. de Sacerdotio; in cuius liturgia sicut, & in illa S. Basil. sæpè adoratio eucharistiæ præcipitur*. Euidenter probatur *ex scripturis*; nam *Matth. 4.* Christus Dominus reijciens diabolum inquit: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies; & ps. 98. Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est*; super quod *S. P. Aug.* ait: *Cęlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum; hanc autem terram adorari à christianis in eucharistiæ sacramento; vbi corpus Christi adoratur de terra sumptum*; & mox: *Nemo autem illam carnem manducat, nisi priùs adorauerit. Inuentum est, quemadmodum adoretur scabellum pedum Domini; & non solùm non peccemus adorando, sed peccemus non adorando*; & ratio est: Naturæ humanæ, qua velatur Diuinitas, debetur adoratio latriæ; ergo & speciebus sacramentalibus, quibus velatur Christus Dominus, debetur adoratio latrię; nam intantùm naturæ humanæ assumptæ à Verbo debetur latria, inquantùm adoratio, sicut & honoratio, primariò respicit personam terminantem naturam humanam; hæc autem persona est Filius Dei, cui latria debetur; sed etiam adoratio Christi in sacramento primariò respicit, & terminatur ad personam Christi existentem sub speciebus; secundariò autem, & ordinatiuè ad species sacramentales, quatenus referuntur ad Christum, quem sub se continent; sicuti eadem reuerentia, qua honoratur Rex, honorantur vestes, & diadema, sub quibus continetur persona Regis, cum hoc tamen discrimine, quòd Rex honoratur ratione sui, vestes autem, & diadema non honorantur ratione sui; sed ratione Regis, quem vestiunt; ergo eucharistia adoranda est adoratione latriæ. *Vid. to. 5. q. 12. art. 1.*

19 Præterea quanuis sub speciebus panis ex vi verborum fit solà caro Christi; attamen propter naturalem connexionem, seu concomitantiam ibi etiam est sanguis, anima, & Diuinitas; & sic de speciebus vini; *vt inf.* dicemus; ergo totus Christus sub illis reperitur. Tum quia licèt reperiretur sola caro, quia tamen reperiretur, vt terminata à persona infinita Christi, ratione cuius ei debetur latria, quæ illi non debetur nec ratione sanguinis, nec ratione animæ, sed ratione Diuinitatis, vt constat; ideo etiam esset cultu latriæ adoranda.

20 Tandem ex eo, quòd Christus venerit vt saluum faciat, quod perierat, non vt adoretur; non valet arguere, inquit *Fund. Doct. vbi sup.* quòd Christus non fuerit in hac vita adorandus; Angeli enim in hoc Mundo illi ministrarunt; & eum adorarunt; ergo licèt Christus eucharistiam

stiam instituerit, vt māducetur, non valet eucharistiam non esse adorandam, vt *heretici* asserunt.

21 Obijc. 1. Idololatria committitur non solùm, quando relicto Deo creatura adoratur; sed etiam quando creatura æquè adoratur, ac Deus; sed catholici æquè colunt species, ac Christum; ergo sunt idolotatræ. 2. Si species possent adorari cultu latriæ, quando Christus est sub illis, omnis creatura posset cultu latriæ adorari, quia Deus est in omni creatura; sed conf. est absurdum; ergo & ant. 3. Aliquando contingit Christum non esse sub speciebus vel defectu ordinationis, vel defectu intentionis sacerdotis, vel defectu materiæ; ergo saltem tunc idololatria committitur.

Resp. ad 1. dist. 2. part. ma. Quando creatura æquè adoratur, ac Deus per se, & in ordine ad se, conc; per ordinem ad Deum, quem continet, neg; & neg. mi; nam catholici colunt Christum per se, & primariò, & ratione sui; species verò non ratione sui, sed quatenus continent Christum; ideo non æquè colunt. Ad 2. neg. seq; nam Christus specialissimo modo est sub speciebus ita, vt valeat de illis enunciari, quòd sint corpus Christi; at verò Deus est in omnibus creaturis communiter illas conseruando ita, vt non valeat de illis dici, quòd sint Deus; ideo neque adorandæ sunt, vt Deus. Ad 3. neg. conse; quamuis enim hostia non sit consecrata; attamen quia morali quadā certitudine persuasus vnusquisque illam adorat, tanquam consecratam, ideo idololatriam non committit; scit enim certum esse secundùm fidem; quòd si sit consecrata, est adoranda. *Gentilis* autem licèt cogitet idola, quæ adorat, esse verum Deum; attamen quia nullam certitudinem moralem desumptam ex certitudine fidei penitus habet, ideo actum idololatriæ committit. *Alij* dicunt adorationem hostiæ, sicut & reliquiarum esse conditionatam saltem implicitè; idest si consecrata, si sancta est, adoramus; & hoc sufficit ad idololatriam euitandam.

A R T. V.

An, & quomodò eucharistia sit omnibus necessaria ad salutem?

1 Quæritur de necessitate medij, & præcepti; scilicet de illa, quæ importat aliquod positiuum, sine quo vllo modo salus haberi non potest; vt est gratia &c; & de ea, quæ solùm remouet peccatum, sine cuius remotione salus nequit haberi; cùm enim adest præceptum, si non adimpleatur, peccatur, & habens peccatum salutem consequi non potest; quia tamen aliquando præceptum non adimpletur etiam sine peccato; vt cùm adest impotentia simpliciter illud adimplendi, ideo necessarium necessitate præcepti non est necessarium simpliciter, quoniam etiam sine illo, cùm adest impotentia, salus potest haberi.

2 Necessarium necessitate medij adhuc duplex est; aliud in re tantùm, vt gratia, quæ, nisi habeatur in re, salus obtineri non potest; aliud vel in re, vel in voto; quod vel habetur actualiter; vel saltem in desiderio; vt cùm baptismus desideratur, quando in re haberi non potest. Insuper necessarium in voto aliud est in voto explicito, vt cùm illud desideratur in se ipso; aliud in voto implicito; vt cùm ponitur aliquod, in quo illud virtualiter continetur, qualis est contritio, in qua continetur desiderium pœnitentiæ. Tandem necessarium in voto implicito aliud est in voto proprio illius, cui illud est necessarium; vt habens actum contritionis habet votum pœnitentiæ proprium, quia à se ipso elicitum. Aliud est in voto alieno, vt in voto Ecclesiæ; quemadmodum infans dicitur credere in fide Ecclesiæ; ita dicitur desiderare vitam æternam in voto Ecclesiæ.

3 Aliqui Armeni apud Guido *de herr.* & *Vualden. lib. de Sacram. cap. 91.* putauerunt Eucharistiæ sumptionem actualem in re esse paruulis necessariam propter illam Domini sententiam, *Io. 6. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Hanc opinionem *aliqui* minùs intelligentes affinxerunt *S. P. Aug.* quia allatum *textum* sæpe extendit etiam ad paruulos. Sed quantùm hallucineutur, dicemus.

4 *Alij* negant simpliciter eucharistiam in re, vel in voto esse necessariam necessitate medij ad salutem. Ita *Sua; Vasq; Val; Lug. apud quos Dur; Alen; Gabr; Palud. & alij*.

5 *Alij* docent Eucharistiam in voto saltem implicito, vel proprio, vel alieno, scilicet Ecclesiæ, non verò in voto explicito, & proprio esse necessariam paruulis, & adultis ad salutem. *Ita noster Gibb. hic disp. 20. dub. 2*; apud quem *D. Tho. hic art. 3; Sot; & omnes alij Thomistæ communiter*; quibus fauet *Estius hic dist. 12. §. 8; & 9*.

6 Quoad necessitatem autem præcepti aliqui ex opposito putant non dari præceptum Diuinum obligans adultos ad sumendam eucharistiam. Referuntur *D. Bon; Alen; Gabr; Ferrar; & Sylvestr. apud Vasq. disp. 213. c. 1; & apud nostrum Gibb. hic disp. 32. dub. 1*.

7 Cæteri tamen omnes asserunt adultos ex præcepto Diuino, & Ecclesiastico obligari ad sumendam eucharistiam. *Ita Gibb. vbi s. apud quem D. Tho. hic q. 80. art. 11. Dur; Palud; Caiet; Sot; Ledesma, Sua; Vasq; Lug. apud quos alij*.

8 Vnica concl. Eucharistia, vt est res Sacramenti solùm, est omnibus, etiam paruulis simpliciter necessaria necessitate medij ad salutem; & in hoc sensu locuti sunt *S. Innoc. I; & S. P. Aug*; cùm de necessitate Eucharistiæ sermonem fecerunt; vt autem est sacramentum tantùm, vel vt est sacramentum, & res sacramenti simul, est solis adultis necessaria necessitate præcepti Diuini, & Ecclesiastici. Deducitur ex ijs, quæ diximus *cum Fund. Doct. art. 1. num. 10; & 11;*

D. Tho;

D.Tho;& alijs cit.n.5; licèt rem aliter explicent.

9 Prob.1. pars concl.1. ex illis *textibus Io.6*; quibus eucharistiæ necessitas videtur probari: *Nisi manducaueritis carnem meam, & biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam in vobis*; & rursus: *Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum; & panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*; & mox: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem; & qui manducat me, & ipse viuet propter me*. Arguitur autem sic. Illud, sine quo vita æterna haberi non potest, est simpliciter necessarium necessitate medij ad salutem æternam; sed sine eucharistia mysticè suscepta, & vt est res sacramenti tantùm, vita æterna haberi non potest; ergo eucharistia mysticè accepta, & vt est res Sacramenti tantùm, est simpliciter necessaria necessitate medij ad saluté. Ma.constat; est enim definitio necessarij simpliciter sumpti. Prob. mi. ex allatis *textibus*. Absque eo, quòd incorporetur corpori Christi, vita æterna haberi non potest; implicat enim, quòd sine vita habeatur vita; & ideo implicat, quòd sine corpore Christi, quod vita est, vita habeatur, & sicut implicat quòd Christus viuat sine Patre; ita implicat, quòd nos sine Christo, qui nos regenerauit ad vitã, viuamus; sed sine eucharistia mysticè accepta, & ut est res Sacramenti tantùm, nemo potest mysticè incorporari corpori Christi; quia corpus Christi mysticum est res significata, & causata, & ideo est effectus solius eucharistiæ, vt diximus *art. 1. vbi s.* ergo sine eucharistia, vt est res sacramenti tantùm, & ideo vt mysticè accipitur pro corpore Christi mystico, vita æterna haberi non potest.

10 Conf. 1. Nullus absque eo, quòd fiat membrum mysticum corporis Christi, potest consequi vitam æternam; quia vita æterna potest haberi solùm per Christum, qui *Io. 1.* dixit: *Ego sum via, veritas, & vita*; & *10. Ego veni, vt vitam habeant, & abundantiùs habeant*; sed sine eucharistia, ut est res sacramenti tantùm, nullus potest effici membrum mysticum corporis Christi; quia illius est vnire corpori mystico Christi, cuius est vnita corpori reali; vniens enim corporaliter vnit etiam spiritualiter, ut constat; ergo sine eucharistia, ut est res sacramenti tantùm, nullus consequi potest vitam æternam; & & ideo, ut est res sacramenti tantùm, est omnibus, etiam paruulis, simpliciter necessaria necessitate medij ad salutem.

11 Conf. 2. Quotiescumque aliquis *textus sacræ scripturæ* nequit literaliter accipi, necessariò debet intelligi mysticè; aliter nullam veritatem haberet, quod repugnat; sed allati *textus*, quibus dicitur eucharistiam esse *mundi vitam*, & per consequens omnium hominum, quia omnes homines pertinent ad mundum; ut arguit *S. P. Aug. de pecc. merit. lib. 1. c. 20*; nequeunt literaliter accipi; nam Christus Dominus, postquam illa protulit verba, subiunxit: *Verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus, & vita sunt*; quibus manifestè docet allatos *textus* ab ipso prolatos spiritaliter mysticè esse accipiendos; saltem in paruulis, qui per aquam baptismi regenerantur ad vitam, & baptizantur in Spiritu Sancto; tum quia *1. Cor. 11*; ubi sermo est de manducatione literali, & corporali eucharistiæ, dicitur: *Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat*; constat autem paruulos non non posse se ipsos probare, cùm sint expertes rationis, qua solùm potest quis se ipsum probare; ideo allati *textus* pro paruulis nequeunt corporaliter accipi; ergo solùm mysticè sunt accipiendi, prout eucharistia est res sacramenti tantùm, efficiens membrum spiritaliter vnitum corpori mystico ipsius Christi.

12 Prob. 2. ratione, quam *S. Tho.* desumpsit *ex S.P. Aug. vbi s.* Quotiescumque fit vnum cum intentione ordinata ad faciendum alterum, tunc illud vnum dicitur realiter fieri, & illud alterum dicitur spiritaliter fieri; ut cùm quis lauat manus cum intentione ordinata ad comestionem; tunc dicitur realiter abluere manus, & spiritaliter comedere, quia in mente existit volitio comedendi, quæ est comestio spiritalis interna; sed baptismus confertur per ordinem ad manducandam eucharistiam; quia baptismus confertur per ordinem ad incorporandum Christo, & uniendum, tanquam membrum, Capiti ipsum baptizatum; incorporare autem, & vnire Christo baptizatum est effectus proprius eucharistiæ, quæ manducando unit corporaliter, & mysticè; ergo quotiescumque confertur baptismus, dicitur corporaliter baptizari; & spiritaliter manducari corpus, & sanguis Christi; quod corporalirer fit per sumptionem actualem eucharistiæ, ad quam ordinatur baptismus.

13 Dices. Efficere membrum mysticum corporis Christi est effectus baptismi, non eucharistiæ; quia per fidem, spem, & charitatem, quæ sunt effectus baptismi, membrum Christi quisquis efficitur; ergo falsum est eucharistiam corpori mystico Christi inserere.

Resp. neg. ant; quamuis enim in baptismo quisquis efficiatur membrum Christi mysticum, attamen non fit ratione ipsius baptismi, cui propriè conuenit à peccatis abluere; sed ratione eucharistiæ, ad quam ordinatur baptismus, ut diximus; nam eucharistiæ solius proprium est Christo vnire, & incorporare; quod alijs sacramentis competit ratione eucharistiæ, ad quam ordinantur. Vel dist. ant. Est effectus baptismi quatenus est radix eucharistiæ; nam vt diximus *de baptis. q. 3. art. n.* ; quatenus radix omnium sacramentorum, habet causare omnes effectus illorum; secus, neg.

14. Prob. 2. pars concl. *ex lib. 3. de pecc. merit. c. 4*; vbi S. P. asserit: *Nonne veritas sine* ulla

vlla ambiguitate proclamat non solùm in Regnum Dei baptizatos paruulos intrare non posse, sed nec vitam aeternam non posse habere praeter Christi corpus, cui, vt incorporentur, sacramento baptismatis imbauntur; *et lib. 1. de pecc. merit. c. 20. Ecclesiastica regula, qua baptizatos infantes fidelium numero adiungit*; constat autem, quòd numerus, seu communio fidelium eorpus Christi mysticum est, cui, inquit *S. P. Aug.* per baptismum solum aggregantur infantes; & hoc modo explicat *textum Io. Nisi manducaueritis etc*; quem *sup.* proposuit. Eodem modo explicat eundem *textum* de spiritali, seu mystica manducatione, idèst de re tantùm significata per eucharistiam; *tract. 25; 26; et 27. in Io; et lib. 3. de doctr. Christ. c. 16;* & serm. quodam de infantibus, quem refert *Beda in c. 10. Cor. 1; et noster S. Fulgentius fidelissimus S. Patris Augustini discipulus lib. de bapt. Aethiopis* prope finem, & habetur *c. quia passus 35. de consecr. dist. 2; et dist. 4. c. 129. nulli est*; vbi dicitur: *Nulli est aliquatenus ambigendum vnumquemque fidelium corporis, sanguinisque Domini participem fieri, quando in baptismate membrum Christi corporis efficitur: Nec alienari ab illius panis, calicisque consortio, etiamsi antequam illum panem comedat, et calicem bibat, de hoc saeculo in vnitate corporis Christi constitutus abscedat; sacramenti quippe illius participatione, ac beneficio non priuatur, quando ipse hoc, quod ipsum sacramentum est, inuenitur.* Quae verba referens *S. Fulgent. vbis.* inquit: *Arbitror, Sancte Frater, disputationem nostram praeclari Doctoris Augustini auctoritate firmatam: Nec cuiquam aliquatenus esse ambigendum etc*; ex quibus infertur allata verba esse *S. Patris Aug*; non *S. Fulgentij*; illis enim verbis auctoritatem *S. Patris* adducit; & ideo si illa verba *S. Patris* non essent, illius auctoritate disputationem suam nequaquam firmaret. Docet igitur S. P; quòd spiritalis comestio corporis Christi, qua unimur, & incorporamur corpori mystico ipsius Christi, est omnibus necessaria ad salutem; quam vnionem, & incorporationem facit baptismus virtute tamen eucharistiae; vt docet Apost. *Rom. 6; et 1. Cor. 12; et Colos. 2.* Praeterea hoc prob. ex eo, quòd *S. P. Aug; et S. Innoc. Papa ep. ad PP. Conc. Mileuit*; quae *inter Augustinianas est 93*; docent baptismum solum paruulis ad salutem sufficere; quod expressè habetur *lib. 1. de pecc. merit. c. 19; et 21; et 22; et lib. 2. c. 28; et lib. 3. cont. Iul. c. 25; et lib. 1. cont. duas ep. Pelagianor. c. 22; et lib. de dono Perseu. c. 12; et ep. 23*; vbi ait *paruulum semel perceptam baptismi gratiam non amittere, nisi propria impietate aetatis accessu iam malus euaserit*; & quòd *paruulus recusans, et abyciens eucharistiam*, seu manducationem corporalem eucharistiae, *nihil ex hoc patiatur detrimenti quantùm ad vitam animae*; quae doctrina est toti Ecclesiae communis; vt enim diximus *cum Fund. Doct. de bapt. q. 3. art. 1. n. 8; et 9*; vbi plurimis *textibus scripturarum, Concil. Flor; et Trid; et S. P. Aug.* ostendimus per baptismum ita remitti omnia peccata, & purgari animam, vt si statim moriatur, euolet directè, & immediatè ad Regnum coelorum; quod fusissimè probat *idem S. P. vbis; et innumeris alijs in locis.* Ergo non docuit eucharistiam quantùm ad manducationem corporalem, & sensibilem, seu vt est sacramentum tantùm, vel vt res, & sacramentum simul, esse omnibus necessariam; sed tantùm eucharistiam, ut est res sacramenti tantùm, quae praestatur per baptismum, ut diximus, virtute intentionis eucharistiae, esse omnibus necessariam. Quam altissimam, solidissimamque doctrinam non percipiens *grammaticus Erasmus, et alij pauci* in doctrina *S. Patris* parum versati, vel ei aliqualiter infensi nimis crassè, & materialiter accipientes scripserunt *ipsum, et Innoc.* sensisse materialem manducationem eucharistiae esse omnibus, etiam paruulis necessariam.

15 Sed horum tarditatem, qua mentem *istorum SS. PP*; imò *et aliorum*, qui *textum Io. Nisi manducaueritis etc.* explicuerunt de manducatione spiritali, non corporali; *est D. Basil. ep. 141; D. Prosper sent. 339; D. Bern. lib. de diligendo Deo, et in exposit. ps. 90; Alcuin. in Io*; assequi non valuerunt, horum, inquam, tarditatem, & supinam, crassamque ignorantiam reprehenderunt PP. *Conc. Trid*; nam, ut refert *Card. Pallauic. ex actis originalibus eiusdem Concilij in hist. lib. 17. c. 12. n. 9*; à PP. *Concilij non mediocri subtilitate fuerant expensa, et exagitata varia SS. PP. Augustini, et Innocentij Papae circa hanc quaestionem dicta; et grauiter reprehensa Erasmi temeritas* eo, quòd asseruisset eucharistiae necessitatem fuisse *ab Innocentio* assertam: quapropter *sess. 21. c. 4.* referentes doctrinam *S. P. Aug. sup.* allatam statuunt: *S. Synodus docet paruulos vsus rationis carentes nulla obligari necessitate ad sacramentalem eucharistiae communionem; siquidem per baptismi lauacrum regenerati, et Christo incorporati adeptam in filiorum Dei gratiam illa aetate amittere non possunt. Neque ideo tamen damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando seruauit; vt enim Sanctissimi illi PP. sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt; ita certè eos nulla salutis necessitate id fecisse sine controuersia credendum est.* Quibus verbis *Concilium* definit *S. Patris Aug.* sententiam à nobis *sup.* explicatam; nam dum ait; quòd *paruuli per baptismi lauacrum regenerati, et Christo incorporati adeptam gratiam amittere non possunt*; statuit eucharistiam spiritaliter ministratam in baptismo; vt est res sacramenti efficiens membrum corporis Christi, esse necessariam ad gratiam fidelium adipiscendam, quae non conceditur, nisi fidelibus Christi corpori mystico incorporatis. Cùm autem *asserit paruulos nulla necessitate obligari ad sacramentalem eucharistiae communionem*; definit eucharistiam, ut est sacramentum tantùm, vel ut est res sacramenti, & sacramen-

mentum simul sacramentaliter, idest sensibiliter, & corporaliter manducandum, & bibendum, non esse necessarium necessitate medij ad salutem; quod asserimus dumtaxat in nostra conclusione.

16 Dices 1. S. P. *Aug. lib. 1. de pecc. remiss. c. 20.* ait, quòd si Christi sententia: *Nisi manducaveritis etc.* non conuenit paruulis; quia non conuenit, nisi illis, qui illam audierunt, eadem ratione potest dici, quòd *frustra etiam ætas maior id curat*, idest quod nec etiam adultis conuenit. Idem habet *c. 24; et lib. de pecc. orig. c. 18; & lib. 3. cont. Iul. c. 12; & lib. 4. cont. duas ep. Pelagianor. c. 4; & ep. 106; & 107; & serm. 8. de verb. Apost; & alibi*. Idem tradit *Innoc. I. vbi s.* ergo apertè sentiunt eucharistiæ corporalem sumptionem esse etiam paruulis necessariam. Ratio est. Sine reali sumptione cibi corporalis nequit diu vita corporalis continuari; ergo neque sine sumptione reali cibi spiritualis vita spiritualis potest conseruari.

Resp. *S. Patrem Aug.* non posse aliter intelligi, ac ipse se explicat; ideo est intelligendus, vt diximus; secus manifesta vi traheretur contra se ipsum. Idem dicitur *de S. Innoc*; qui loquitur in eodem sensu, in quo loquitur *S. P. Aug.* apertè namque asserit velle adimere eucharistiam paruulis esse *velle baptismum cassare; cùm prædicant hoc habere, quod in eos creditur non nisi baptismate conferendum*; & ideo eucharistia, de qua loquitur, per baptismum confertur; quæ nequit esse, nisi eucharistia, vt est res sacramenti solummodò. Ad rationem neg. cons; & disparitas est; quia cibus corporalis, vt est res cibi, seu effectus cibi, non datur; eucharistia autem etiam, vt est res sacramenti, datur, & habet enutrire; ideo hæc, non ille potest suppleri.

17 Inst. Si eucharistia, vt res sacramenti, suppleretur, vel hoc esset in voto proprio suscipiẽtis, aut ministrantis; vel in voto Ecclesiæ? Non 1; quia suscipiens, aut ministrans aliquando eucharistiæ non recordatur. Nec 2; quia votum Ecclesiæ, aut parentum non sufficit, ut paruulus non baptizatus dicatur habere baptismum in uoto; ergo à pari.

Resp. suscipientem, si sit adultus, ministrantem, & Ecclesiam, iuxta cuius intentionem minister baptizat, semper intendere incorporare baptizatum fidelium numero, & ideo corpori mystico ipsius Christi; consequẽter licèt nõ intendat eucharistiam, ut est sacramentum sensibiliter manducandum, illam tamen intendit, ut est res sacramenti; & hoc modo est necessaria.

18 Dices 2. Eucharistia supponit primam gratiam, cùm sit sacramentum uiuorum; ergo non est medium ad illam obtinendam; & ideo non est necessaria ad salutem. 2. *Concilia, & SS. PP.* docent duo solùm sacramenta esse necessaria ad salutem, baptismum scilicet, & pœnitentiam; ergò eucharistia non est necessaria. 3. Si eucharistia esset finis omnium sacramentorũ, sequeretur, quòd etiam extrema vnctio ad illam ordinaretur; sed cons. est falsum; nam extrema vnctio est vltimum sacramentum; de ratione autem vltimi est ad aliud non ordinari; aliter non esset vltimum; ergo ratio allata non probat.

Resp. ad 1. dist. ant. Eucharistia, vt est res sacramenti, neg; vt est sacramentum tantùm; vel vt est sacramentum, & res sacramenti simul, conc. Ad 2. dist. eodem modo ant; *Concilia* enim, & *SS. PP.* loquuntur de sacramentis, vt sunt sacramenta tantùm; vel vt sunt sacramenta, & res sacramenti simul; non autem, vt sunt res significata tantùm; sic enim asserunt etiam eucharistiam esse necessariam, *vt sup.* vidimus. Ad 3. neg. min; nam etiam extrema vnctio, licèt non ordinetur ad sumptionem realem eucharistiæ, ordinatur tamen ad immediatam vnionem cum Christo, quæ vnio est eucharistia, vt res sacramenti tantùm.

19 Prob. 3. p. concl; et 1. de præcepto Diuino; nam *Luc. 22; & 1. Cor. 11*; quando Christus eucharistiam instituit, eius quoque sumptionem præcepit dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*; quibus verbis generaliter præcepit & Apostolis, vt consecrarent; & fidelibus, vt sumerent; sic enim peractum erat in cæna; & totum illud, quod in cæna actum fuerat, Christus præcepit esse faciendum, & ideo præcepit etiam sumptionem. Quod deducitur *Exod. 12*; vbi immolatio *Agni paschalis* præcipitur omnibus: *Omnis cœtus filiorum Israel faciet illud*; & *num. 9.* præcipitur phase sub pæna exterminationis animæ, nisi illo purgata fuisset; sed illud fuit figura eucharistiæ; ergo eodem modo eucharistia est præcepta. Item prob. ex illo *Io. 6. Nisi manducaueritis &c*; quibus verbis ferè *omnes DD. catholici* agnoscunt præceptum Diuinum impositum adultis de sumenda eucharistia. Quanquam autem *Estius hic dist. 12. §. 8.* asserat *hoc textu* nihil concludi, quia intelligendus est de manducatione spirituali, non corporali, vt *sup.* diximus; attamen hoc non officit; nam idem *textus* potest secundùm diuersas rationes diuersos sensus habere, & diuersimodè accipi; vnde si iste *textus* intelligatur de omnibus etiam paruulis, seu de manducatione spirituali, intelligendus est spiritualiter, non corporaliter, vt diximus. Si verò intelligatur de solis adultis; vel potiùs si intelligatur de manducatione corporali, non spirituali, tunc rectè intelligitur eucharistiam adultis fuisse præceptam. Quòd autem intelligi possit etiam de manducatione corporali, patet *ex Trid. sess. 13. c. 2*; vbi illa verba: *Qui manducat me, et ipse viuet propter me*; de manducatione corporali exponit; quanuis si sumatur generaliter de omnibus, non possit de manducatione corporali, sed tantùm spirituali intelligi,

ligi, *vt sup.* diximus *ex S.P.Aug.* Ratio etiam est, Lex Christi est nobis præcepta, vt illam seruemus; sed sacramenta omnia sunt principaliora mysteria, quæ continentur in lege Christi; ergo sunt nobis à Christo præcepta. Non tamen omnibus, & singulis omnia pręcipiuntur, vt patet de matrimonio, & ordine, quæ præcipiuntur tantùm aliquibus; baptismus verò omnibus etiam paruulis; reliqua verò solis adultis, qui sunt capaces præcepti, cùm ratione sunt præditi.

20 Tandem præceptum ecclesiasticum colligitur ex consuetudine Ecclesiæ, qua ab antiquis temporibus fideles sumere eucharistiam singulis festis diebus solebant; & qua infirmis, antequam ex hac vita discederent, hoc sacramentum tanquam viaticum, quo anima in puncto mortis confortatur contra inuisibiles hostes; fuit ministratum. Non quòd *antiqui PP.* existimauerint eucharistiam esse ad salutem necessariam simpliciter; sed quia sciebant ea animam contra tentationes muniri. Verùm tepescente deuotione fidelium statutum fuit *à Fabiano Papa*, vt habetur *de consecr. dist.3.c. etsi non frequentiùs; et in Conc. Agathen. can.81*; vt saltem ter in anno, scilicet in festis Paschæ, Pentecostes, & Natiuitatis Domini eucharistia à fidelibus sumeretur. Tandem magis frigescente pietate sancitum fuit, vt omnes adulti saltem semel in anno tempore passionis, & resurrectionis Dominicæ eucharistiam sumant sub pæna interdicti ab Ecclesia, & priuationis sepulturæ. *Ita Conc. Lateran. sub Innoc.III. constit. omnis vtriusque sexus; et Trid. sess.13.can.9. Si quis negauerit omnes, et singulos Christifideles vtriusque sexus, cum ad annos discretionis peruenerint, teneri singulis annis saltem in Paschate ad communicandum iuxta præceptum sanctæ Matris Ecclesiæ, anathema sit.*

21 Quæres 1; an etiam infideles hoc præcepto obligentur?

Resp. præcepto Ecclesię infideles non obligari; quia Ecclesia *non iudicat de ijs, qui foris sunt.* Quantùm autem ad præceptum Diuinum dicitur obligari remotè & mediatè, non autem proximè, & immediatè; quia pręcepto Diuino obligantur ad suscipiendum baptismum, quo suscepto obligantur ad eucharistiam sumendam; non autem obligantur ad sumendam eucharistiam sine baptismo, quia ad ipsam *nemo ritè, nisi baptizatus, accedit*; inquit *S.P. Aug. lib.1. de pecc. merit. c.20.* Nullus autem potest obligari ad id, quod non debet; & ad id, quod ei non licet; ideo infideles non obligantur ad sumendam eucharistiam immediatè, quia nec debent, nec eis licet illam sumere ante baptismum.

22. Quæres 2; an hoc præceptum obliget pueros baptizatos, & perpetuò amentes?

Resp. negatiuè. *Ita Trid. sess.21.c.4; et can.4*; vbi statuit paruulis, antequam ad annos discretionis perueniant, eucharistiam necessariam non esse. Nomine autem *annorum descretionis* aliqui intelligunt annos quatuordecim, *vt Vguer*; alij duodecim, *vt Sot*; alij decem ad duodecim, *vt Caiet; et Tolet*; sed meliùs dicitur cum *nostro Gibb; et alijs* non posse assignari determinatam regulam communem omnibus, quia aliqui habentes organa magis disposita, & temperamentum fortius perueniunt citiùs ad vsum rationis; quàm alij stupidiores habentes organa minùs disposita, & temperamentum minùs ęquilibratum. Standum est ergo iudicio parochorum, & parentum, qui statum infantium diligenter explorare tenentur.

23 Quęres 3; an qui eucharistiam sumpsit tempore Paschatis incidens in articulum mortis teneatur denuò illam sumere?

Resp. affirmatiuè *cont. Palud; Caiet; et Ledesm. apud Sua.* sentientes hoc præceptum, quatenus Diuinum est, obligare semel tantùm in vita ita, vt qui semel eucharistiam sumpsit in vita, non teneatur ex præcepto Diuino illam sumere, nec etiam in mortis articulo; *et cont. D.Bon; Syluest; et Armill.* putantes nullam esse obligationem sumendi eucharistiam in mortis articulo ex præcepto Diuino, sed tantùm ex consuetudine, aut præcepto ecclesiastico. Traditur tamen *à nostro Gibb; Sua; Vasq; Lug; Gonet; et alijs ferè communiter*; & prob. *ex Conc. Nic.* relato *in c. de his 26.q.6. Si fortè quis recedat ex corpore, necessario vitæ suæ non defraudetur viatico*; & ratio est. Eucharistia instituta est per modum cibi spiritualis in ordine ad nutriendam vitam animæ; ergo sicuti ex præcepto naturæ toties obligamur ad sumendum cibum naturalem, quoties pereclitatur vita corporis; ita ex vi institutionis eucharistiæ præcepto Christi obligamur ad illam sumendam in articulo mortis, in quo est maius periculum amissionis vitæ animæ.

24 Quæres 4; an qui paulò, antequam in mortis articulum incideret, eucharistiam sumpsit, teneatur denuò illam pro viatico sumere?

Resp. negatiuè *cum Gibb; Sua; Coninch; Laym; Fillsucio; Diana; et Lug. cont. Vasq*; quod est intelligendum, si post sumptionem eucharistiæ nullum commisit peccatum; tunc enim habet in se viuos omnes effectus eucharistiæ, qui sufficiunt ad hostes vincendos; præceptum autem non obligat ad sumendam eucharistiam in præciso mortis articulo, sed paulò ante, vel pro toto illo tempore, quo virtualiter durat in suis effectibus

25 Hinc qui manè communicauit ex deuotione, si vespere læthaliter vulneretur, vel mortali morbo corripiatur, non tenetur illam sumere per modum viatici, quia non licet bis in die communicare, vt constat *ex c. sufficit de consecr. dist.1*; vbi prohibetur sacerdotibus plures missas vno die celebrare, præterquam *in Natiuitate Domini*, de quo *inf.*; quod multò magis

gis

gis laicis prohibitum esse censetur.

26 Quæres 5; an extra mortis articulum teneamur ex præcepto Diuino sæpè eucharistiam sumere?

Resp. affirmatiuè *cum iisdem*; & quanuis regula assignata *à Sua*. illam sumendi saltem ter, vel quater in anno nulla ratione, vel auctoritate probetur; attamen quando adest periculum amissionis vitæ spiritualis, & ab ipso periclitante cognoscitur; & nulla alia est via tale periculum euadendi; vt eùm ob infirmitatem non potest se flagellis cruentare, ieiunare &c. & aliunde adest opportunitas sumendi eucharistiam (non enim est post prandium, aut nocte) præceptum Diuinum censetur obligare; quia instituta fuit ad nutriendam vitam animæ, ne deficiat; & ideo quando cognoscitur periculum deficiendi, obligatur ad illam sumendam; sicut diximus de cibo naturali.

27 Quæres 6; an qui præuidet se tempore Paschali impediendum esse à communione, illam anticipare teneatur?

Resp. affirmatiuè *cum Gibb; Vasq; Lugi & alijs cont. Azor; Suа; & alios*. Ratio est. *In Conc. Lat. & Trid.* duo præcipiuntur, scilicet, vt singulis annis, & vt tempore Paschali (quod communiùs incipit *ab hebdomada sancta vsque ad Dominicam in Albis*; quamuis in aliquibus locis totum tempus quadragesimæ, vt *Conimbriæ*, includat) eucharistia sumatur; ergo quando tempore Paschali ob aliquod legitimum impedimentum quis excusatur; attamen alio tempore præceptum implere tenetur.

28 Dices. Non potens die Dominico audire sacrum non satisfacit præcepto illud audiens die feriali; ergo à pari.

Resp. neg. paritatem; quia præceptum de audiendo sacro non extenditur ad totam hebdomadam; sicut præceptum de sumenda eucharistia extenditur ad totum annum; dicitur enim *Christifideles teneri singulis annis*; si autem præceptum de audiendo sacro haberet Christifideles *teneri singulis hebdomadibus*; tunc satisfaceret præcepto, etiansi præueniret. Paritas ergo debet sic fieri. Non valens vltima hora diei Dominicæ audire sacrum ob aliquod impedimentum superuenturum tenetur anticipare; quia toto die Dominico obligatur; ita non valens communicare in Paschate tenetur præuenire &c.

29 Quæres 7; an qui in Paschate ob aliquam causam culpabilem, vel inculpabilem neglexit sumere eucharistiam, maneat liber ab obligatione vsque ad subsequens Pascha?

Resp. negatiuè. *Est cont. Syluest; Sot; Med; Tolet; Valent; & alios apud Dianam*. Traditur tamen *à Nauarr; Sua; Azor; Vasq; Conimb; Laym; Lugi; & Gibb*; qui asserit dari duo præcepta; vnū communicandi in Paschate, & ab hoc præcepto manere liberum; & alterum communicandi infra annum; & ab hoc constringi. Cæterùm non est necessitas distinguendi duplex præceptum; vnum enim præceptum poterit extendi ad Pascha, & ad totum annum; vt si præciperetur auditio Missæ hora decima, vel per totum diem, si hora decima sit impedimentum; sed præceptum communionem sumendi est huiusmodi, vt dictum est; ergo quanuis esset obligatio sumendi eucharistiam in Paschate; attamen manet obligatio illam sumendi, cùm primùm in eo anno poterit.

30 Quæres 8; an per communionem sacrilegam quis satisfaciat huic præcepto?

Quanuis aliqui affirmatiuè respondeant; attamen contraria sententia est omnino tenenda; quia affirmatiua damnata fuit *ab Innoc. XI. fel. record. proposit. 55.*

31 Quæres 9; an melius sit sumere eucharistiam frequenter, imò & quotidie; quàm raro?

Resp. 1. melius esse frequenter sumere eucharistiā secundùm se consideratam; quia vt docet *D. Ambr. lib. 4. de sacram. c. 6*; si frequentia sunt peccata frequens, quoq; debet esse medicina illa remittens; & ideo eucharistia, qua effunditur sanguis in remissionem peccatorum, frequenter est sumenda, vt remittantur, quæ frequenter committuntur, peccata. 2. Ratione indispositionis melius est raro illam sumere; cùm enim quis se indispositum, imò nauseantem illum diuinissimum cibum noscit, potiùs debet abstinere, quàm sumere; & à fortiori, si sciat se esse in peccato, & non possit ab illo mundati, quia non sentit se conteri, vel atteri taliter, vt possit dignè pœnitentiæ sacramentum recipere. Hinc *D. Ambr. vbisup; & S. P. Aug. serm. 18. de verb. Domini* quotidie sumenti inquiunt: *Sic viues, vt quotidie merearis accipere*. 3. Ita potest hoc sacramentum laudabiliter, & meritoriè frequentari; sicut potest laudabiliter, & meritoriè non frequentari. *Ita S. P. Aug. ep. 118*; quia frequentatio est actus deuotionis, & amoris; non frequentatio est actus humilitatis, & reuerentiæ; vtroque autem actu honoratur eucharistia. Sic Christum honorauit *Zachaus*, qui illum *excepit gaudēs in domum suam*; non minùs, quàm *Centurio*, qui indignum se existimauit, vt Christum exciperet; vnde *S. P.* concludit: *Ille honorando non audet quotidie sumere; & ille honorando non audet vllo die prætermittere. Contemptum solùm non vult cibus ille, sicut manna fastidium*. Quanquam autem vterque sit actus bonus, attamen melior est actus sumendi, quàm non sumendi; quia melior est actus amoris, quàm humilitatis. 4. Eucharistiæ frequentia maximè conuenit sacerdotibus; qui sunt mediatores inter Deum, & homines; vnde isti tenentur sic viuere, vt quotidie mereantur accipere. 5. Sæculares laicos curis sæcularibus distractos, tepidos, & ad peccata venialia propensos, si sine congruenti deuotione accedant, consultius est non frequentare quotidie ob periculum irreuerentiæ, & quòd id agant ex quadam tantùm con-

sue-

suetudine; quod debent confessores aduertere; & à quibus sumere debent consilium. Si autem nullum sit periculum irreuerentiæ, sed potius augeatur reuerentia, & deuotio, potest iuxta locorum consuetudines ad communionem quotidianam admitti; vt suader *S. P. Aug. vbi sup.*

32 Dices. 1. Agnus Paschalis, qui fuit figura eucharistiæ, semel tantùm in anno sumebatur. 2. Ecclesia præcipit tantùm semel in anno esse sumendam. 3. Multi *in Scripturis* laudantur, quia indignos se existimauerint.

Resp. agnum Paschalem fuisse figuram mortis, & passionis Domini, quæ semel in anno commemorari debet; ideo semel in anno sumi debuit. Præterea hoc probaret sacerdotes non debere nisi semel celebrare. Ad 2. dicitur Ecclesiam id fecisse ob indeuotionem multorum. Ad 3. dicitur, quòd abstinere, & frequentare ex diuerso motiuo bonum est, & laudabile, vt diximus de *Zachæo, & Centurione*; quamuis laudabilius sit frequentare ob multos fructus, & gratias, quas percipiuntur ex receptione; dummodò tamen cum reuerentia, & deuotione congrua frequentetur, vt dictum est.

QVÆST. II.

De materia, & forma eucharistiæ.

DE remota eucharistiæ materia, quæ per formam consecrationis destruitur, est agendum; acturi deinceps de proxima, quæ manet in sacramento iam facto. Nedum enim id, ex quo constat compositum, & in composito permanet, materiam vocamus; sed etiam illud, quod præsupponitur ad productionem compositi, & per formam nouiter aduenientem destruitur, materiam appellare solemus. Sic peccata, quæ per formam absolutionis tolluntur, materiam remotam pœnitentiæ vocamus; & in naturalibus lignum, quod præsupponitur, & destruitur per formam ignis, materiam ignis vocamus; at cum hoc discrimine; quòd materia ligni mutatur; materia autem remota sacramentorum desinit esse, vt *inf.* dicemus. Materiam igitur, quæ necessariò præsupponenda est eucharistiæ, & formam essentialem, per quam fit, in præsenti declarandam suscipimus.

ARTI. I.

Quænam sit materia remota, seu transiens consecrationis corporis Christi?

1 REfert *S. P. Aug. de hær. hær. 26; & 27. Cataphryges; & Pepuzianos* sensisse materiã ex qua fit corpus Christi in sacramento eucharistiæ, esse panem ex farina, & sanguine è corpore infantis anniculi extracto compactum; *hær.* verò 28. ait *Artoritas* sensisse panem, & caseum esse materiam offerendam, quia oblationes factæ à primis hominibus ex fructibus terræ, & ouium fuerunt; *hær.* tandem 46. refert etiam *Manichæos* semine humano panem consperisse sacrilegè. Hos errores proscripserunt *Alex. I. in ep. ad omnes Orthodoxos; Conc. Carthag. IV. can. 24; Tiburien. can. 19; Flor. in decr. vnions & c. non oportet, & c. in sacramento de consecr. dist. 2; & de Sum. Trin. c. firmiter; & de celebr. Missar. c. cum Marthæ*; vbi statuitur, nequid aliud in sacramento eucharistiæ assumatur præter panem, & vinum, vt Christus instituit; alioquin nulla prorsus, & irrita est consecratio. Congruentia autẽ, ob quã Christus potiùs elegerit fructus terræ, vt sunt panis, & vinum, quàm carnem, & sanguinem animalium occisorum, vt essent symbola, & signa huius sacramenti, est; quia, vt diximus *ex Fund. Doct. de Sum. Trin. fol. 4. col. 2*; licèt caro, & sanguis animalium expressiùs repræsentent Christi passionem; attamen quia hoc sacramentum, vt docet *S. P. Aug. lib. 7. de bapt. c. 50*; significat etiam Ecclesiæ vnitatem, quæ est corpus mysticum Christi; quod à carne, & sanguine nequit significari; aptissimè autem significatur à pane, & vino, quæ ex multis granis conficiuntur; sicut Ecclesia formatur ex multis fidelibus. Tum quia caro, & sanguis sacrificium cruentum tantùm significat; symbola autẽ eucharistiæ debent etiã repræsentare sacrificiũ incruentũ, quod in altari offertur; ideo congruentissimè panis, & vinum, tanquam symbola, assumpta fuerunt. Tandem *col. 1. ibid.* docet; quòd *sicut ex cibo, & potu est perfecta refectio corporalis; sic in hoc sacramento deuotè, & debitè suscepto est perfecta spiritualis refectio*; quæ per carnem, & sanguinem perfectè significari non potest; nam gustata carne, & sanguine adhuc sitis manet explenda, & ideo perfecta non habetur refectio.

2 Vnica concl. Materia remota, ex qua fit corpus Christi, est panis triticeus vsualis confectus ex vero tritico, siue sit azymus, siue sit fermentatus. *Ita Fund. Doct. vbi sup; & omnes catholici communiter.*

Prob. 1. *ex Matth. 26. Cœnantibus illis accepit Iesus panem &c*; sed ille panis fuit panis vsualis, & triticeus; fuit enim panis, qui communiter edebatur in mensa; & ideo fuit panis triticeus, qui vsualis, & communis est; nam panis ex alia materia non est vsualis, & communis, sed extraordinarius, & particularis solùm pro tempore penuriæ, quã non constat fuisse, cùm Christus hoc

hoc sacramentum instituit; ergo materia remota, ex qua fit Christi corpus in sacramento eucharistiæ; & sine qua non fit, est panis triticeus, vsualis confectus ex vero tritico. Hanc veritatem definiuerunt *Conc. Flor. in decr. vnion; Lat; Triburten; Vormatien; & Innoc. III. de celebr. Miss. c. cùm Marthæ*: & habetur *etiam de consecr. dist. 2. c. in sacramento; & c. in sacrificando; & sæp. alibi.* Accedit *catechismus Rom*; qui asserit hoc haberi *ex traditione Apostolica*. Tum quia eodem modo accipiendæ sunt *Scriptura*, cùm loquuntur de pane, qui est materia consecrationis corporis Christi; ac cùm loquuntur de vino, quod est materia consecrationis sanguinis; & de aqua, quæ est materia baptismi; sed nomine *vini* intelligitur verum vinum de vite, & excluditur omne aliud vinum, quod fit ex alijs fructibus terræ, vt vinum granatorum &c; & nomine *aquæ* intelligitur aqua elementaris naturalis, & excluditur quælibet alia aqua artificialis; ergo nomine *panis* intelligendus est panis triticeus, qui solus est vsualis. Tum quia nomine *panis* absolutè dicti intelligitur panis absolutè dictus; sed quilibet alius panis diuersus à pane triticeo non est panis absolutè dictus, quia cæteri panes dicuntur panes cum addito, vt panis ordeaceus, panis milij &c; ergo idem.

3 Prob. 2. pars concl; quæ est *cont. aliquos Græcos* asserentes panem azymum non esse materiam sufficientem consecrationis; & *cont. aliquos Armenos* sentientes in pane fermentato non fieri consecrationem. *Ex Flor. decr. 2. Item* (supple *definimus*) *in azymo, siue fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici; sacerdotesque in altero ipsum Domini corpus conficere debere; vnumquemque scilicet iuxta suæ Ecclesiæ siue occidentalis, siue orientalis consuetudinem*. Idem priùs statuerant *Leo IX. ep. ad Michaelem Ceruiarium Patriarcham Constantinop.* damnans ipsum, & *alios Græcos* asserentes in azymo eucharistiam non confici. Ratio est. Panis verus triticeus est materia idonea eucharistiæ, vt dictum est; sed tam panis azymus, quàm panis fermentatus est verus panis triticeus; vterque enim est ex farina triticea & aqua naturali, & puro igne concoctus; ergo tam panis azymus, quàm fermentatus est materia idonea eucharistiæ. Prob. ampliùs mi. Quòd panis fermentatus sit verus panis triticeus, constat ex communi modo loquendi; panis enim fermentatus, quem vsualiter edimus, verus panis absolutè dicitur; & de azymo dicitur *Luc. 24. Accepit Iesus panem, benedixit, fregit, & porrigebat illis*; hunc panem autem fuisse azymum deducitur ex eo, quòd tunc erat tertia dies azymorum, in qua panes fermentatos comedere non licebat; & de vtroque dicitur *Leuit. 7. Offerent panes absque fermento &c; panes quoque fermentatos cum hostia gratiarum*; ex quibus colligitur panem azymum, & fermentatum iuxta modum loquendi Diuinarum scripturarum esse verum panem triticeum; & ideo vtrumque esse veram, idoneamque materiam eucharistiæ. *Vid. in sup. q. art. 3.* Tum quia panis azymus, & fermentatus non differunt substantialiter, vt colligitur ex odore, sapore &c; parua enim quantitas fermenti non est sufficiens ad diuersificandam substantiam; nam maior quantitas semper vincit minorem quantitatem, vt patet; ergo vterque est materia idonea eucharistię.

4 Tandem prob. simul vtraque pars. Solus panis excellens inter omnes panes, & nutriens excellentiori modo est materia idonea eucharistiæ; eucharistia enim est nutritiuum spirituale excellentissimum, quod eminet omnibus alijs cibis spiritualibus, quibus pascitur anima; vt est verbum Dei, quod pariter *in scripturis, & à SS. PP.* dicitur cibus animę; & alia dona spiritualia, quibus quomodocunque reficitur, ideo eucharistia debet significari per panem alijs excellentiorem, & excellentiùs nutrientem; sed panis triticeus seu azymus, siue fermentatus est excellentior quolibet alio pane, & magis nutritiuus, vt constat; ergo solus panis triticeus siue azymus, siue fermentatus est materia idonea eucharistiæ.

5 Collig. 1. *cont. Paludan.* amylum non esse materiam idoneam eucharistię; est enim humor lacteus expressus ex tritico macerato, & corrupto, neque habet odorem, aut saporem panis; & ideo non est substantialiter panis.

Idem dicendum de farina triticea aqua naturali elixata, & non cocta ad ignem, sed desiccata ad Solem, vt quælibet Italicè *pasta*; & de farina oleo, butyro frixa; aqua rosacea, lacte, vel quocunque alio liquore confecta; vel ouis, saccaro, similibusque ingredientibus composita; hęc enim panis vsualis non est; nam panis est aliquod mixtum, quod essentialiter constat ex his, & non alijs miscibilibus; vnde si varietur aliquod miscibile, ex quo componitur, non adest essentia panis; cùm autem aqua naturalis sit alterum miscibile; ideo si loco illius ponatur quilibet alius liquor, non remanet ampliùs panis essentia; quidquid dicat *Caiet.*

6 Collig. 2. *cont. Caiet; Gabr; Palud; & Estium* panem ex farre, zea, seu spelta, auena, secali, cicere, milio, hordeo, & similibus non esse materiam idoneam huius sacramenti; quia hic non est panis triticeus vsualiter antonomasticè dictus, & excellenter nutritiuus; ideo est omnino ineptus ad significandam eucharistiam, quę excellentissimè nutrit; & non est vera materia iuxta proprium modum loquendi *scripturarum* accepta.

7 De siligine autem est distinguendum; æquiuocè enim hoc nomen accipitur; nam *aliqui* nomine siliginis intelligunt quandam speciem tritici altissimam, & selectissimam; siligo enim dicitur *à seligendo*, quia sit verum *triticum selectum*; & in hoc sensu est vera materia.

Aly

Alij verò nomine siliginis intelligunt quandam speciem frumenti tritico inferiorem, vulgò dictam *secali*; *alij* verò interpretantur *auenam*; quę verè, & propriè non est triticum; & hæc materia idonea non est; sicut nec quæuis alias species frumenti à tritico specie diuersa propter rationes allatas.

8 Dices 1. *Conc. Carthag. III. c.* 24; quod refertur *c. in sacram. de consecr. dist.* 2; statuit; *ne aliud in hoc sacramento offeratur, quàm de vuis, et frumentis*; sed nomine frumenti intelligitur omne granum habens aristas; vt ait *Plin. lib.* 18. *hist. c.* 7; ergo panis ex quolibet ex allatis est idonea materia 2. Ex semine tritici aliquando generātur alia frumenta, vt siligo, auena, vt testatur *Plin*; sed generans gignit sibi simile in specie; ergo alia frumenta sunt idonea materia eucharistiæ; non enim à tritico sunt specie diuersa.

Resp. ad 1; quòd licèt frumentum eum addito dicatur de omnibus granis aristas habentibus; attamen absolutè dicitur solùm de tritico, quod est nobilius inter alia; nam *Gen.* 44. habetur: *Implete saccos eorum frumento*; idèst tritico. Ad 2. dicitur triticum non generare, sed degenerare in auenam, siliginem, idèst secalim, aut auenam &c; ideo non esse eiusdem speciei; sicuti narrat *idem Plin.* de multis alijs plantis, herbis, & floribus. Quando autem *D. Tho.* ait siliginem esse materiam idoneam, intelligendus est siligine, prout est vera species tritici.

9 Si tamen pauca quantitas horum frumentorum, vel leguminum immisceretur farinæ triticeæ ita, vt non varietur essentia panis, non officeret validitati sacramenti; magna autem quantitas, quia variatet essentiam, materiam redderet ineptam.

10 Sed nedum essentia panis, & quantitas est attendenda; verùm etiam qualitas; cauendum enim est, ne panis, qui est consecrandus, corruptus sit, vel incipiat corrumpi; nam si sit corruptus, non est materia idonea, quia non est ampliùs panis secundùm substantiam; cùm quælibet corruptio sit mutatio substantiæ in substantiam. Si verò incipiat corrumpi, retineat tamen veram panis essentiam, rata est consecratio; sed consecrans grauissimè peccat ob irreuerentiam sacramenti; si tamen casus necessitatis, quo debeat statim sumi, non excuset.

11 Objic. 1. cont. 2. p. concl. Panis *Gracè* dicitur *artos*, quod deriuatur à verbo, quod significat *eleuare, seu tollere*; hoc autem dicitur solùm de pane fermentato, qui tantùm intumescendo eleuatur; ergo azyma non est verus panis. 2. *Apost. 1. Cor.* 5. inquit: *Modicum fermentum totam massam corrumpit*; sed panis corruptus non est materia idonea; ergo solus azimus est materia, remota eucharistiæ.

Resp. ad 1. *cum D. Tho.* etiam *azyma Gracè* dici à verbo, quod significat *tollo*; non quia intumescendo eleuetur; sed quia nutriendo eleuat, & attollit hominem ad statum perfectum. Ad 2. dicitur, quòd modicum fermentum totam massam farinæ corrumpit, si diu relinquatur; non tamen illam corrumpit, si statim coquatur, vt fit in pane; si enim massa fermentata fermento, quamuis modico, diu relinquatur, tota fit fermentum, quod est inhabile, vt panis fiat; & in hoc sensu loquitur *Apost*; si tamen statim coquatur, quia desiccatur ille humor corruptiuus; ideo non corrumpitur, sed fit verus, & optimus panis, vt experientia demonstrat.

12 Collig. sacerdotes *Latinos* teneri ex præcepto Ecclesiastico ad consectandum in pane azymo; *Gracos* verò in fermentato. Est contra *Luthero Caluinistas* sentientes esse liberum cuilibet sacerdoti consecrare in alterutro; *& cont. Scot. in* 4. *dist.* 11. *q.* 6; *& Gabr. in can. missæ lect.* 14. asserentes etiam *Græcos* teneri ad consectandum in pane azymo; quia omnes tenentur Christum imitari, qui in pane azymo consecrauit; & tenēturse conformare consuetudini Ecclesiæ Romanæ. *Mastr.* tamen *Scotum* excusat, quia scripsit *ante Concilium Flor*; *Hiquens* autem, & *Gauat.* explicant ipsum sensisse *Gracos* peccare, non quia consecrant in fermentato, sed quia putant id esse de necessitate sacramenti; & *Latinos* errare consecrantes in azymo; quæ expositio quantùm sit longè à verbis *Scoti*, videant, qui legunt. Prob. tamen *ex ep. Leonis IX. vbi*; *& ex Innoc. III. lib.* 4. *de sacr. altaris mysterio c.* 33; *& ex Conc. Flor. vbi s.* statuente vnumquemq; teneri seruare ritum suę Ecclesiæ. Quòd autem Christus consecrauerit in azymo, non est regula obligans ad sic celebrandum; nisi traditio Apostolica id suadeat; sicut enim ex eo, quòd Christus consecrauerit calicem in vino albo, non obligat ad non celebrandum in vino rubro; ita à pari.

13 Dices. *In* 6. *Syn. can.* 11. prohibetur Christianis iudaizare; celebrare autem in azymo est ritum *Iudæorum* imitari, & ideo iudaizare.

Resp. quòd consecrare in azymo est Christum imitari, non *Iudaos*, qui alijs ceremonijs azymos conficiebant, non consecrabant.

14 Collig. vlt. etiamsi *Graci* transeuntes sint apud *Latinos*, *& Latini apud Gracos* teneri ad seruandum ritum suæ Ecclesiæ. Habetur expressè *in ep. Leonis vbi s*; & ratio est; quia nec *Gracus* censetur transijsse ad Ecclesiam *latinam*, nec Latinus ad *Gracam*.

ART. II.

Quænam sit materia remota consecrationis sanguinis?

1 A *Quarij*, vt refert *S. P. Aug. de hær.* 64; putabant aquam solam esse materiam remotam consecrationis sanguinis. Idem senserunt

runt *Ebionitæ apud Epiphan. hær. 30. Lactarij* verò, qui damnantur *in Conc. Braccar. III*; lac materiã esse dixerunt; *Armeni* è contra solum vinum adhibendum esse voluerunt; ut testantur *Niceph. lib. 18. hist. c. 53; & Syn. Trull. Caluinistæ apud Bellarm. lib. 4. de euchar. c. 10.* dixerunt mixtionem aquæ cum vino esse blasphemam, hæreticam, & sacrilegam. *Luth.* uerò esse figmentum humanum pessimam habens significationem; *Kemnit.* autem, *& Gerard.* aiunt liberum esse miscere aquam in illis regionibus, in quibus uina sunt fortia. Catholica sententia *sequenti concl.* qua reijcientur omnes *hæreticorum* blasphemè sentientiũ absurditates *textibus Diuinarum Scripturarum, Conciliorum, SS. Patrum*, & vnanimi *DD.* consensu, explicabitur.

2 Vnica concl. Materia remota consecrationis sanguinis est uinum de uite, cui modicissima pars aquæ fuit admixta, quæ non est de necessitate sacramenti. *Ita Fund. Doct. Æg. de celebr. missar. p. 2. fol. 15. col. 4; & seqq; & communiter omnes catholici.*

Prob. 1. pars concl. *ex Matth. 26; & Marc. 14; & Luc. 22*; ubi post quam Iesus accepit calicem in manus, & illum consecrauit, dixit: *Dico autem vobis; non bibam amodò de hoc genimine vitis*; super quod *S. Io. Chrisost. hom. 83. in Matth.* inquit: *De genimine vitis inquit, quæ certè vinum, non aquam, producit; ut quo hæresim eorum euellere voluit, qui aqua in his mysterijs utuntur.* Ex quo sic. Illa est materia remota consecrationis sanguinis, quæ fuit à Christo determinata, & qua Christus usus est in institutione illius sed uinum de uite, & non aliud, fuit à Christo determinatũ, ut esset materia remota consecrationis sanguinis; quia illud fuit ab ipso determinatum, quo usus est in illius institutione; uino autem uitis, & non alterius rei, usus est in ipsa institutione consecrationis sanguinis, vt patet ex dicto *textu*; sicut enim quia Christus vsus est pane, vt esset materia consecrationis corporis sui; ideo panis est materia essentialis; ita dicendum de vino; ergo vinum vitis, & non aliud est materia consecrationis sanguinis. Idem statutum fuit *in Conc. Carthag. III. can. 24; Flor. in decr. vnion; Lat. sub Innoc. III*; & refertur *c. firmiter de sum. Trin; & Trid. sess. 13.* per totam; & habetur *de consecr. dist. 2. in pluribus canonib.* Ratio autem est; quia, vt diximus de pane, vinum est excellentissimum nutritiuum, & figuratiuum sanguinis ob generositatem, caliditatem &c; ergo debuit assumi, vt symbolum sanguinis, qui sumitur, vt nutriamur in vita spirituali excellentissimo modo.

3 Ex hoc infertur ceruisiam, vinum pomorum, & aliorum fructuum; imò & vinum de omphacio, vulgò *agresta*, aut vinum adustum, seu aquam vitæ, aut acetum non esse materiam idoneam; quia vinum aliorum fructuum non est vinum de vite; & licèt vinum *de agresta*, vt vocant, sit de vite, sicut & aqua ardens, & acetum; attamen succus agrestinus non est vinum in facto esse, sed in fieri remoto; debet enim malto tempore transmutari; & aqua ardens, & acetum est vinum trasmutatum in aliam substantiam; non enim hæc omnia vim nutriendi habent, nec eundem colorem, saporem, odorem &c; vt constat experientia; ideo non habent essentiam vini, & per consequens non sunt materia remota consecrationis sanguinis.

4 Mustum autem expressum ex vua matura est materia idonea; vt habetur *ex Iul. Papa de consecr. dist. 2. c. cùm omne*; vbi permittitur, quòd in casu necessitatis botrus exprimatur in calice; & ex eo admixta aqua fiat consecratio; & ratio est; quia mustum omnium iudicio est verum vinum, quamuis non perfectè purgatum à suis fecibus; ergo est materia idonea. Verùm extra casum necessitatis peccaret mortaliter, qui musto in consecratione vteretur, quia materia adhuc impura vteretur ad significandum sanguinem Christi purissimum. Hoc docet etiã *D. Tho. hic art. 5*; vua tamen non expressa, quanuis matura, non est materia sufficiens; quia sic non est materia potabilis, sed comestibilis; & à nemine vua vinum censetur, nec nutrit eodem modo, ac vinum, vt constat. Idem dicitur de vino intincto in pane. Si tamen vino admixta sit aqua, vel alius quilibet liquor ita, vt species, & essentia vini remaneat, valida est consecratio, vt diximus de musto, cui sunt plures impuritates admixtæ, quæ vini essentiam non tollunt. Secus verò, si tanta sit mixtio, vt vini essentia non maneat.

5 Vinum autem congelatum esse idoneam materiam consecrationis negant *Armilla, Henriquez, Nugn; Alan; Ledesma, & alij*; affirmant autem *Gibb; Syluest; Angel; Sua; Vasq; Valent; Coninch; Granad; Lug; & alij Theologi ferè communiter.* Sed tutior est sententia *Estij* distinguentis; si recens est congelatio, vt potè in calice facta, postquam positum est vinum ita, ut maneat essentia, & uirtus uini, quod propterea potest faciliter liquefieri, est idonea materia; & in hoc sensu est indubium loqui *Gibb; & alios*; & prob. Illa substantia, sub cuius speciebus manet sanguis Christi, est materia idonea consecrationis; quoniam enim sub speciebus aceti non manet sanguis Christi, ideo acetum non est materia idonea consecrationis; quia manere in consecratione est quoddam continuum consecrari; nã *conseruatio est continuata productio*; sed sub speciebus congelatis uini manet sanguis Christi; rubrica enim *Missalis* præcipit, quòd si in hyeme species uini congelentur in calice, admotis calefactiuis externis debent liquefieri, & reuerenter sumi; & ideo supponit in speciebus congelatis manere sanguinem; aliter præciperet, ut uinum aliud de nouo consecretur, ut sacrificij haberetur integritas; ergo uinum congelatum est

est materia idonea consecrationis. Si uerò uinum à multo tempore sit congelatum ita, ut ui frigoris destructa sit essentia, & virtus uini, tunc est ineptum consecrationi, quia non est ampliùs uini substantia, quæ sola est apta, ut consecretur.

6 Dices 1. Sub speciebus vini existentibus in pane intincto manet sanguis Christi, & tamen vinum existens in pane intincto non est materia idonea consecrationis, ut tenetur *communiter*; ergo non est eadem ratio couseruationis, & consecrationis. 2. Ideò vinum intinctum in pane, & existens in vua nou est materia consecrationis, quia vinum existens in pane, & in vua non est proximè, sed tantùm remotè potabile; quia scilicet potest exprimi, & potabile fieri; sed etiam vinum congelatum est huiusmodi; ergo idem. 3. Aqua congelata non est materia idonea baptismi; ergo à pari.

Resp ad 1. neg. mi; vinum enim unitum, & mixtum cum pane, & existens in vua non est sola vini substantia, sed mixta notabiliter ita, ut dici non valeat: *Hæc est vini substantia*; quod requiritur ad valorem sacramenti; at viuum congelatum est sola vini substautia, ideo est apta consecrationi; & per hoc patet ad 2; nam vinum exiltens in pane, & in vua vinum absolutè dici non potest; quia non est sola vini substantia; at vinum congelatum est sola vini substantia. Ad 3. neg. consi; aqua enim baptismi debet abluere, cùm baptismus in ablutione, & prolatione verborum consistat; at eucharistia non consistit in ablutione; ideo non est paritas.

7 Prob. 2. pars concl. *ex S. Alex. I. epist. 1; Iul. I. de consecr. dist. 2. Innoc. III. lib. 4. de Sacro Altaris mysterio c. 32; Conc. Carthag. III. can. 24; Braccar. III. c. 1; Triburien. can. 19; Lat*, & habetur *de celebr. missar. c. cum Martha; & c. in quadam; Flor. in decr. vnion; & Trid. sess. 22. c. 8; & can. 9*; ubi damnantur asserentes aquam non esse vino admiscendam in calice. Triplex ratio affertur *à Fund. Doct. vbi s.* In consecratione calicis debemus conformari Christo consecranti; passionem ipsius repræsentare; & significare effectum proprium ipsius eucharistiæ; sed in admixtione aquæ cum vino habentur hæc tria; ergo in consecratione calicis admixtio aquæ est necessaria. Ma quoad 1. prob. Christus in consecratione calicis vino admiscuit aquam; ut testantur *S. Clem. lib. 8. constit. c. 17; Alex. I. ep. 1. c. 4. relatus c. in sacramento de consecrat. dist. 2; Iustin. Apolog. 2; Irenaus lib. 1. c. 9; & lib. 5. c. 1; S. Cypr. lib. 2. ep. 3; Iul. I. vbi s. & alij* asserentes hoc haberi ex traditione Apostolica; sed tenemur conformari Christo, qui *Io. 13.* inquit: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis*; ergo tenemur vino aquam in calice admiscere. Prob. 2. pars. E latere Christi transfixo fluxit sanguis, & aqua; vt habet *scriptura*; sed in consecratione calicis commemoratur mysterium sanguinis, qui fluxit è latere Christi; vt docet *S. P. Aug. & communiter SS. PP*; & vt idem Christus præcepit: *Hoc facite in mei commemorationem*; ergo in consecratione vino est aqua admiscenda. Prob. 3. pars, quam tradit *Innoc. III. vbi s.* Vnio populi fidelis cum Christo est effectus significatus à sacramento Eucharistiæ; vt diximus *in sup. q. art. 1. n. 105* sed aqua significat populum; vt docet *S. P. Aug. ep. 57. ad Dardan; & alibi*; & vinum significat Christum, qui dixit se vitem *Io. 15*; ergo aqua, & vinum in calice sunt vnienda.

8 Dices 1. *Melchisedech* non miscuit vinum cum aqua; sed sacrificium *Melchisedech* fuit figura eucharistiæ; ergo in eucharistia aqua vino non est permiscenda. 2. *Aliqui* asserunt Auctorem huius mixtionis fuisse *Alex. I*; ergo non habetur *ex traditione Apostolica*.

Resp. ad 1. sacrificium *Melchisedech* fuisse symbolum imperfectum; & ideo non debuisse omnia exprimere. Ad 2. dicitur plus valere testimonium *SS. PP; & DD*; quàm auctoritatem vnius, vel alterius *priuati scriptoris*. Præterea dicitur *Platinam* asserere, quòd *S. Alex.* fuerit primus, qui sanxit decreto aquam esse miscendam; hoc autem non probat antecedenter non fuisse traditionem; ut videtur *apud S. Clem; & alios vbi s.*

9 Prob. 3. pars concl. *cont. Armacan. lib. 9. de qq. Armenor. ex Fund. Doct. vbi s.* asserente: *Quamuis si non apponeretur aqua, in solo vino posset fieri sacramentum; licèt peccaret sic faciens*; quod docent *omnes catholici* communiter; & prob. *ex Euangelistis*, qui mentionem aquæ non faciunt, sed solum vinum nominant; ergo signum est, quòd solum vinum est de necessitate sacramenti, aqua autem solùm de integritate; aliter omisissent referre aliquod, quod est de essentia sacramenti, quod non est dicendum. Idem statuit *Innoc. III. vbi s; & D. Bern. ep. 69.* Tum quia *Flor.* asserit *materiam huius sacramenti esse panem triticeum, & vinum de vite; cui ante consecrationem modicissima aqua admisceri debet*; & hoc, ut conuertatur in vinum ante consecrationem; ut explicat *Innoc. III. vbi s*; qui iudicat probabiliorem sententiam asserentium aquam transmutari in vinum; ut dicemus *in seq. art*; materia autem essentialis sacramento non debet transmutari in aliam substantiam, antequam fiat sacramentum; aliter non ipsa, sed substantia, in quam conuerteretur, esset de necessitate sacramenti; ergo idem. Tum quia aqua non est nutritiua; sed materia necessaria debet esse nutritiua, cùm debeat significare gratiam nutrientem, quæ confertur per hoc sacramentum; ergo idem.

10 Dices 1. *S. Cypr. ep. 63. ad Cecil.* ait vinum solum non esse offerendum, neque aquam solam; sicut non offertur farina sola, aut aqua sola; sed aqua, & farina sunt de necessitate sa-

sacramenti, ergo & aqua cum vino. *à Iul. I. vbis.* docet, quòd si offerretur vinum solum, *sanguis Christi inciperet esse sine nobis*. 3. Si Christus non miscuit aquam cum vino propter necessitatem, hoc fecit vel propter vini potentiam, vel propter calorem regionis: ergo vbi nec vinum est adeò potens, nec aer tam calidus, potest licitè vinum solum offerri.

Respi ad 1. omnem similitudinem secum ferre semper aliquam dissimilitudinem; Ideo *S. Cypr.* ita est intelligendus; quòd sicuti aqua sola, vel farina offerri non potest ex necessitate sacramenti; ita aqua, aut vinum solum offerri non potest ex necessitate præcepti; quanuis hæc necessitas ab illa necessitate distinguatur. Ad 2. dicitur, quòd si vinum sine aqua offerretur, inciperet Christus esse sine nobis mysticè; quia non haberetur mystica significatio vnionis fidelium cum Christo. Ad 3. dicitur Christum aquam miscuisse ad significandam aquam, & sanguinem, quæ fluere debebant ex ipsius latere post mortem percutiendo; & vnionem fidelium cum ipso, vt diximus.

11 Aqua autem vino admiscenda debet esse naturalis, non artificialis, quæ propriè aqua non est, sed liquor similis aquæ; tum quia Christus vsus fuit vino limphato aqua naturali, vt communiter solet vinum misceri.

§. 1.

An aqua immediatè conuertatur in vinum?

12 INnoc. III. *in c. cùm Marthæ de celebr. miss.* interrogatus *ab Episcopo Lugdunen*; an in consecratione aqua simul cum vino in sanguinem conuertatur; respondit triplicem opinionem tunc temporis fuisse *inter Theologos*. Prima fuit *aliquorum* asserentium vinum in sanguinem; & aquam, quæ simul cum sanguine fluxit è latere Christi, conuerti. Secunda fuit *aliorum* docentium aquam priùs conuerti in vinum, & postea in sanguinem; & ideo aquam mediatè solùm, non immediatè, in sanguinem conuerti. Tertia *aliorum* opinantium aquam nec in vinum, nec in sanguinem conuerti, sed etiam post consecrationem remanere substantiam aquæ accidentibus vini circumfusam, ex quibus assumit vini saporem. Secundam sententiam obsoletis alijs duabus tenuerunt *omnes DD. Scholastici antiqui*, & maior pars *Recentiorum*. Eam docuit *Fund. Doct. Æg. in c. cùm Marthæ, Argent; Putean; Basil. Legionen; Bernardin; Gibb; & omnes nostri communiter*. Ita etiam *Alen; D. Bon; D. Tho; Scot; Dur; Gabr; Palud; Sua; Vasq; Valent; Azor; Conimbr; Gonet cum omnibus Thomistis, Scotistis, & alijs quamplurimis*.

13 Nouissimis tamen temporibus eruperunt *aliqui Neoterici* sustinentes aquam non conuerti priùs in vinum, & mediante vino in sanguinem; sed tam vinum, quàm aquam immediatè in sanguinem conuerti. Ita *Aresius, Coninch, Lug. Caspen; Bernal, Morand; & alij pauci*. Quod dupliciter potest contingere. 1. Quia vinum non habet virtutem conuertendi aquam in se ipsum ut tenent *athomistæ, & quidam alij pauci*. 2. Quia ob temporis breuitatem, vel vini debilitatem talis conuersio ante consecrationem fieri non possit.

14 Vnica concl. In consecratione aqua immediatè in vinum conuertitur, & in vinum conuersa in sanguinem; nec aliter potest conuerti.

Prob. *à Fund. Doct.* 1. auctoritate *eiusdem Innoc*; qui referens secundam opinionem, quam iudicat probabiliorem inquit: *Aqua cum vino transubstantiatur in sanguinem, cùm in vinum transeat mixta vino*; quibus verbis assignat rationem, quare in sanguinem transit; quia scilicet mixta vino transit in vinum, & vinum in sanguinem; ergo si aqua non transiret in vinum, non transubstantiaretur, seu conuerteretur in sanguinem. Formatur autem sic ista ratio. Sola materia consecrationis calicis conuertitur in sanguinem; sed solùm vinum est materia sola consecrationis; ergo solùm vinum conuertitur in sanguinem. Ma. constat; sicut enim sola materia consecrationis corporis conuertitur in corpus; nam si poneretur duæ hostiæ; una ex tritico, altera ex fabis, sola hostia ex tritico conuerteretur; aliter materia sacramentorum non esset determinata, sed quælibet posset pro libito assumi, & consecrari; ita à pari. Prob. mi. Christus Dominus *Matth. 26.* assignans materiam calicis solum vinum nominauit: *Non bibam amodò de hoc genimine vitis, & Concil. Lat. IV. sub Innoc. III. in c. firmiter de sum. Trin.* assignans materiam consecrationis corporis, & sanguinis ait: *Verum Christi corpus, & sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis, & vini veraciter continetur, transubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem potestate Diuina*. Quòd si solùm vinum non esset materia consecrationis calicis, insufficienter illam declararet *Concilium*, quod non est dicendum eo præsertim tempore, quo omnia mysteria Diuina erant omnibus promulgata. Idem habet *Carthag. III. sub Siricio c. 24; & Trid. sess. 13. c. 4. Sancta hæc Synodus declarat per consecrationem panis, & vini conuersionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi Domini nostri; & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis eius*; & innumera alia Concilia, *& SS. PP*; in quibus legitur solùm vinum esse materiam, quæ consecratur in sanguine, & in sanguinem conuertitur; nunquam verò hoc dicunt de aqua; & quanuis *Flor.* asserat modicissimam aquam esse vino admiscendam; attamen *inferiùs* agens de conuersione asserit, quòd *verborum virtute substantia panis in corpus Christi, & substantia vini in sanguinem conuertuntur*; nullam autem aquæ facit mentionem: Ex quibus sic

prob. eadem mi. Solum illud, quod in consecratione conuertitur in sanguinem, est materia consecrationis calicis; sed solum vinum est huiusmodi, vt habetur ex verbis Christi Domini, *& Concilijs, ac PP*; ergo solum vinum est materia consecrationis. Tum quia illud solùm est materia consecrationis calicis, quod habet rationem nutritiui; solum enim nutritiuum naturale potest significare nutritiuum spirituale; sed solum vinum est nutritiuum, non aqua à vino distincta, quæ nequit habere rationem nutritiui, nisi conuersa sit in aliquod, quod ex sua natura est nutritiuum; & ideo vel solum vinum purum, vel vinum limphatum, in quod aqua est conuersa, habet rationem nutritiui; sicut quia sola caro viuens est sensitiua, ideo alimentum, quandiu non est conuersum in carnem, quanuis vnitum non sentit; quando autem est conuersum in carnem, est sensitinum; ita quia vinum est nutritiuum, non aqua; ideo aqua, quanuis vino unita, si non sit in vinum conuersa, non est nutritiua; ergo solum vinum vel purum, vel in quod aqua est conuersa, est materia consecrationis.

15 Nec valet dicere, quòd vinum per se est materia consecrationis,&est nutritiuum;aquam verò per accidens, prout ex ipsa, & vino fit potus aptus ad nutrimentum. Non valet, inquam; nam ex aqua,& vino non potest fieri potus aptus ad nutritionem,nisi aqua in vinum vertatur; solum enim vinum est nutritiuum; sicut quia lapis non est nutritiuus, ideo quanuis uniatur pani, & in ipsum non vertatur, non est nutritiuus; ut diximus de alimento, quod quia secundùm se non est sensitiuum; ideo quanuis uniatur carni, si tamen in ipsam non vertatur, nunquam est sensitiuum; ergo à pari.

16 Nec pariter obstat,quòd *Innoc.* dicendo probabiliorem esse sententiam asserentem aquā simul cum vino in sanguinem verti docuerit simul has duas sententias;quarum una docet verti immediatè; & alia mediatè; ut glosant *Coninch. & Lug.* Non obstat, inquam; nam *Innoc.* probabiliorem iudicat eam sententiam, quæ asserit aquam simul cum vino in sanguinem conuerti, quia *aqua transit in vinum*;ut refert *ibid*; sed hæc sententia nequit intelligi, nisi de illa, quæ docet aquam immediatè conuerti in vinum,& mediatè in sanguinem; ergo ineptè distrahitur *Innoc.* ad approbandam etiam sententiam asserentem aquam immediatè in sanguinem verti.

17 Prob. 2. *ex eod. Fund. Doct. Sacerdotale iuxta Conc. Trid. sanctiones* emendatum, & auctoritate *tot summorum Pontificum tract.* 10. *primæ partis de euchar. c.* 2. habet; *Aqua verò, quæ in calice vino miscetur,debet esse in modica quantitate, quoniam in vinum conuerti oportet*; quod habet etiam *catechism. Rom*; quo explicatur mens *Trid; Flor; & aliorum Conc*; nec non & consuetudinis Ecclesiæ, quæ parum aquæ, seu tres guttas circiter (inquit *Fund, Doct.*) solet, & iubet miscere non ob aliud, nisi, ut faciliùs, & breuiùs fiat conuersio aquæ in vinum;ergo opposita sententia opponitur consuetudini Ecclesiæ, & doctrinæ *Conciliorum*; & ideo (inquit *Fund. Doct.*) tanquam periculosa est dimittenda. Tum quia si aqua immediatè verteretur in sanguinem, sequeretur,quòd adhuc posita magna aquæ quantitate, & modico vino valida esset consecratio; utraque enim esset materia apta, & immediata consecrationis; sed cons. est absurdum, quod à nullo admittitur, & utraque posset designari; quia vinum non esset tam modicum,ut non posset videri; ideo si videretur, designaretur; ergo & ant.

18 Prob. 3. Illud, quod immediatè conuertitur in corpus, vel in sanguinem Christi, est essentiale actioni conuersiuæ, sine qua non fit sacramentum; quia terminus *à quo* conuersionis est essentialis conuersioni; sine ipso enim nequit esse, nec intelligi conuersio; ut patet de generatione substantiali naturali; sed aqua non est essentialis conuersioni vini in sanguinem, ut diximus *n sup. art. n.* 2; ergo non conuertitur immediatè in sanguinem. Tum quia sub speciebus illius substantiæ, quæ conuertitur in sanguinem, post consecrationem manet sanguis; sed sub speciebus aquæ non est sanguis; docet enim *Trid.* esse tantum sub *vini speciebus*; si autem esset etiam sub speciebus aquæ, insufficienter, & inadæquatè explicaret existentiam sanguinis sub speciebus; & sic deficeret in doctrina; ergo idem. Tum quia si aqua immediatè conuerteretur in sanguinem, posset validè sine vino consecrari; sicut quia vinum immediatè conuertitur in sanguinem, sine aqua validè consecratur. At omphacium, seu *agresta*, ut vocant, quia debet prius conuerti in vinum,& postea in sanguinem; ideo validè non consecratur; nam illud validè consecratur in sanguinem, quod est terminus immediatus conuersionis in sanguinem, sicut illud validè mutatur in generatione substantiali, quod est terminus *à quo* generationis substantialis; illud autem,quod immediatè conuertitur in sanguinem, est terminus immediatus *à quo* conuersionis in sanguinem; & ideo validè etiam sine alio consecratur; sed aqua sine vino nequit validè consecrari, ut docet fides; ergo aqua non conuertitur immediatè in sanguinem.

19 Nec dici potest, quòd aqua, ut coniuncta cum vino, conuertatur,non autem, ut à vino disiuncta. Nam contra est. Quoties duæ substantiæ ita se habent,ut ex illis æquè immediatè generari possit alia substantia;tunc nedum simul illæ duæ substantiæ possunt mutari in tertiam substantiam; sed quælibet illarum etiam disiunctim potest in illam mutari; ut patet euidenter ex caseo, & carne corruptis; quoniam enim ex illis simul sumptis possunt generari vermes; ideo etiam ex singulis vermes possunt oriri; ergo si aqua, & vinum æquè immediatè conuerteren-

tererentur in sanguinem, posset utrumque singillatim validè consecrari.

20 Nec potest responderi hoc pendere solùm ex voluntate Christi; qui voluit, quòd non fiat conuersio in sanguinem, nisi ex aqua, & vino unitis; & ideo exemplum adductum non valere. Contra enim est; nam aqua non ponitur in vino ex præcepto Christi, sed ex præcepto Ecclesiæ; ut diximus *in sup. art*; ergo falsum est, quòd Christus decreuerit ex aqua, & vino solùm fieri conuersionem. 2. Quamuis vinum, & aqua sint terminus conuersionis unitim; attamen solum vinum sine aqua sufficit ad valorem consecrationis; ergo idem dicendum de aqua.

21 Prob. 4. *ab eodem B. Doct. Æg.* ex proprietate significationis. Christifideles ita volunṫur, tanquam membra, Christo Capiti, ut conuertantur in ipsum corpus morale Christi, ut diximus *sup. ex Apost*; sed aqua in calice miscetur vino ad significandam Christifidelium unionem cum Christo; ergo ita illi unitur, ut conuertatur in vinum.

22 Prob. 5. *à Fund. Doct.* ratione naturali. Cùm parua quantitas unius miscibilis minùs actiui coniungitur cum magna quantitate alterius miscibilis magis actiui; tunc minùs actiuum conuertitur in substantiam magis actiui; si enim gutta vini, quod est magis actiuum, quàm aqua, proijciatur in magnam aquæ quantitatem, quæ est minùs actiua, quia minùs perfecta, & ideo minoris virtutis, quàm vinum; statim in aquam conuertitur; quod euidenter probatur ex eo, quòd nulla arte illa gutta vini possit ab aqua separari; hoc enim est signum euidens conuersionis in aquam; nam si non esset conuersa, posset aliquo artificio separari; ideo à fortiori parua quantitas miscibilis minùs actiui coniuncta cum magna quantitate actiuioris, & potentioris miscibilis statim conuertitur in substantiam illius; sed in calice simul cum vino, quod est miscibile potens, & magis actiuum, & in maiori quantitate, ponitur modicissima pars aquæ, quæ est miscibile debile, & minùs actiuum, quàm vinum; ut experiuntur illi, qui magnam vini quantitatem deglutiunt; ergo modicissima pars aquæ in calice posita simul cum vino conuertitur statim in vini substantiam.

23 Obijc. 1. plures auctoritates SS. PP. absolutè dicentium aquam simul cum vino consecrari, & in sanguinem verti, nulla facta mentione conuersionis aquæ in vinum; ergo absolutè docent aquam in sanguinem conuerti immediatè; aliter eorum locutio esset falsa, & inepta; sicut falsò diceretur aliquis ex eo, quòd manducat agnum, qui herbam comedit, herbam in se ipsum conuertere. 2. *Conc. Triburien.* præcepit, ut tertia pars aquæ poneretur in calice; sed tanta aquæ portio non poterat adeò breui tempore in vinum conuerti; ergo non est necesse, ut aqua in vinum vertatur.

Resp. ad 1. *SS. PP.* egisse contra eos, qui negabant aquam conuerti in sanguinem asserentes eam manere in propria natura, & solum vinum conuerti; ideo eis satis fuit asserere aquam in sanguinem conuerti absque eo, quòd ostenderent priùs in vinum conuerti; abstinebant enim, quantùm poterant, à quæstionibus philosophicis; cùm poterant traditione, & auctoritate Ecclesiæ, *& scripturarum* sufficienter probare; nam illis tempus non sufficiebat alijs rebus non parum occupati; ut frequenter protestatur *S. P. Aug.* Nec eorum locutio inepta dicitur, quamuis aqua non sit ampliùs aqua; sicut non dicitur ineptè cibum in carnem conuerti; quamuis cùm conuertitur, non sit ampliùs cibus, sed chylus. Herba autem non ita propriè dicitur conuerti in hominem comedentem agnum, quia non est conuersio immediata. Ad 2. dicitur, quòd *Conc. Tribur*; quod fuit Prouinciale, fuit correctum per *Conc. Flor*; quod fuit Generale. Additur, quòd tunc adhiberi potuit vinum adeò generosum, ut duæ partes vini breuiter unam partem aquæ potuerint conuertere; vel saltem hoc *illi PP.* iudicauerint; quod tamen ad maiorem securitatem, & ut assignetur regula pro toto Orbe, etiam in illis regionibus, in quibus vinum est debile, *à Conc. gen.* fuit emendatum, quod pro aliqua tantùm prouincia erat statutum.

24 Obijc. 2. Christus immediatè ante consecrationem posuit aquam in vino; & talem quantitatem posuit, quantam homines sobrij solent gustare, qui sumunt plus aquæ, quàm vini; ergo illa aqua non potuit in vinum conuerti. 2. Certum est secundùm fidem aquam, & vinum in sanguinem conuerti; dubium autem est *apud Philosophos*, an aqua verti possit in vinum, vt testatur *Innoc. vbi sup*; sed in fidei mysterijs non debemus vti opinionibus dubijs, sed certis; ergo debemus asserere aquam verti immediatè in sanguinem, non in vinum. 3. Si aqua deberet in vinum conuerti, deberet semper interponi tempus inter mixtionem, & consecrationem ad hoc, vt fiat talis conuersio; sed cons. est falsum; nam Ecclesia obligat sacerdotem ad ponendam aquam immediatè ante consecrationem, quando oblitus fuit illam priùs miscere; ergo idem. 4. Potest contingere, quòd tempore consecrationis aqua nondum sit in vinum conuersa; sed in tali casu conuerteretur in sanguinem; totum enim, quod est in calice, in sanguinem verti debet, vt verificetur forma: *Hic est calix &c*; quibus verbis significatur totum illud, quod est in calice, conuerti in sanguinem; tum quia totum, quod est in calice, proponitur populo adorandum & ideo si non esset conuersum, idololatria committeretur; ergo necesse est, quòd aqua in illo casu vertatur immediatè in sanguinem.

Resp. ad 1. neg. ant. eadem facilitate, qua di-

dicitur;vt enim habetur in liturgiâ *D. Iacob*;seu cuiuſcumq; illa ſit; Chriſtus interpoſuit multas actiones inter aquæ mixtionem & conſecrationem. Nec talem potum dedit ad refectionem corporis, ſed animæ; ideo modicam quantitatem tribuit,quæ, etſi modiciſſima aqua permixta,conuenit etiam ſobriè ſumentibus. Ad 2. dicitur eſſe certum ſecundùm fidem aquam in ſanguinem verti, non tamen eſſe certum ſecundùm fidem aquam verti immediatè in ſanguinem; ſed certius eſt naturaliter verti immediatè in vinum; hoc enim exceptis pauciſſimis omnes ferè fatentur; ſed in myſterijs Diuinis vti debemus ijs, quæ certiora ſunt; ergo debemus fateri aquam conuerti in ſanguinem, ſed priùs conuerti in vinum,& poſteà in ſanguinem;hoc enim eſt certius, quia eſt certius ſecundùm rationem naturalem, & aliunde ſaluatur certitudo fidei. Ad 3.neg.mi;& ad prob.inſert. dicitur,quòd illa particula *ſtatim*, quæ ponitur *à rubrica*, ſignificatur, quòd ſacerdos abſque eo, quòd repetat orationes iam recitatas *poſt offertorium*, debet procedere ad conſecrationem; non tamen,quòd non debeat tantiſper immorari,vt fiat cõuerſio; quæ tamen fit quaſi inſtantaneè propter paruitatem materiæ conuertendæ conſtat enim,quòd ſi proijciatur in ignem modica ſtupa, ferè momento abſumitur, quia modica eſt; ſi autem quantitas magna inijceretur, longiori tempore flamma duraret;ita dicendum de aqua,quæ,cùm modiciſſima ſit, ferè momentaneè conuertitur. Ad 4.neg.mi. Ad 1.prob dicitur, quòd illa particula *hic* cadit tantùm ſupra materiam, quę eſt conuertibilis, & ideo tantùm ſupra vinum; & hoc ſufficit ad verificandam formam; aliter ſi eſſet oleum etiam in calice in modiciſſima quãtitate, deberet illud conuertere ad formam verificandam, ſi caderet ſupra totum,quod eſt in calice; quod tamen nemo dicere auderet. Ad aliam diſt.ant Totum, quod eſt conſecratum in calice, proponitur adorandum,conc;quod non eſt conſecratum,neg; aliter ſi muſca fortuitò reperiretur in calice, muſca adoranda proponeretur. Nec idololatria committitur, quia populus ſolum ſanguinem adorat, non ea, quæ ſanguis non ſunt; propterea metallum calicis non adorat,quamuis ei cum ſanguine oſtendatur. Præterea ſicuti ſi in hoſtia reperiretur caſualiter granum milij; vel paruiſſima pars ligni, aut terræ; nec milium, nec lignum, nec terra, ſed tantùm partes hoſtiæ, quæ ſunt ex tritico, conſecrarentur;ita à pari.

25 Inſt. cont. 2. Naturaliter aqua non conuertitur in vinum;nam ſi vinum mixtum aqua ſtilletur,ab illo aqua ſeparatur; quod non fieret, ſi fuiſſet conuerſa; ergo concluſio in falſitate fundatur.

Reſp. neg. ant. Ad prob. inſert. reſp. *Fund. Doct.* aquam, quæ diſtillatur ex vino, eſſe humorem aqueum exiſtentem in vino, non aquam puram,& elementarem; nam ſi diſtilletur vinum purum, exit pariter aqua. Imò ex hoc magis probatur mixtio;nam vinum aqua mixtum, ſi ab eo per diſtillationem ſeparetur aqua, ſtatim corrumpitur; quod eſt ſignum euidens illam aquam diſtillatam eſſe humorem aqueum, ſeu humidum conſeruatiuum vini, quod propterea ſine illo corrumpitur;ſi autem eſſet aqua priùs mixta cum vino,vinum non corrumperetur; quia nihil de illius integritate ab eo eſſet ſeparatum;idcirco euidenter hoc probat mixtionem.

26 Obijc. 3. Si aqua non conuerteretur in ſanguinem immediatè, nec conuerteretur mediatè;nam in tantùm non conuertitur immediatè, inquantùm *Concilia* dicunt materiam conſecrationis eſſe vinum de vite ex vuis expreſſum; aqua autem in vinum conuerſa non eſſet vinum de vite expreſſum ex vuis, vt patet; ideo nec etiam vt in vinum conuerſa, eſſet materia conſecrationis; & ſic non poſſet in ſanguinem verti;ſed hoc eſt contra *Concilia, & SS. PP.* aſſerentes aquam cum vino in ſanguinem conuerti; ergo aqua immediatè conuertitur. 2. Si miſceatur pani aliqua materia comeſtibilis,quæ ex tritico non eſt, conſecratur ſimul cum pane; quia cum illo efficit panem vſualem,qui eſt materia apta conſecrationi; ergo à pari. 3. Si gutta aquæ inijceretur in calicem iam conſecratum, verteretur in ſanguinem; ergo immediatè.

Reſp. ad 1.neg.ſeq.ma. Ad prob.inſert.dicitur,quòd *Concilia* aſſerunt illud,cui debet admiſceri aqua, debere eſſe vinum de vite,& hoc eſſe materiam per ſe conſecrationis; non autem aiunt illud, quod conuertitur in vinum de vite, debere eſſe vinum de vite; aliter non indigeret conuerti. Ad 2.neg.ant, aliter materia conſecrationis non eſſet determinata, ſed quodlibet comeſtibile poſſet conſecrari. Ad 3. *Fund. Doct. vbi ſup. fol.* 14.neg.etiam,quòd gutta vini immiſſa in calicem conſecratum conuertatur in ſanguinem,illa enim non conuerteretur, ſed circunfuſa maneret; nec accidentia vini priùs ſeparata à ſubſtantia per illam guttam ſubſtentarentur; quia nequeunt accidentia vnius ſubiecti tranſire ad aliud ſubiectum. Quòd autem non conuerteretur, conſtat; quia conuerſio in ſanguinem non fit, niſi virtute verborum, dum actu proferuntur; verba autem conſecrationis iam tranſierunt, ergo multò minùs conuerteretur aqua; etianſi virtute accidentium vini conuerteretur in vinum.

27 Obijc. 4. Sacerdos poſt ſumptionem calicis cenſetur ab Eccleſia ieiunus ita, vt poſſit aliam Miſſam celebrare; vt in feſto *Natiuitatis Domini*; ergo Eccleſia iudicat aquam in ſanguinem verti, etianſi non conuertatur in vinum.

Reſp. neg. conſ. Eccleſia enim iudicat ſacerdotem ieiunum, quia iudicat aquam conuerſam fuiſſe in vinum, & vinum in ſanguinem; non quia iudicat aquam in ſanguinem immediatè fuiſſe

fuisse conuersam. Præterea dicitur, quòd sicuti si adesset paruissima quantitas milij in hostia, illa ieiunium nou frangeret; quia *modica non frangunt*; ita si aliqua pars aquæ subtilissima non esset in vinum conuersa; neg. tamen supp; quia tam modica aqua facillimè vertitur.

30 Obijc. 5. Si aqua verteretur in vinum, sequeretur; quòd vinum non amitteret vires, cùm aqua perfunditur; sed conf. est falsum, vt constat experientia; ergo & ant. 2. Vinum non habet virtutem conuertendi omnes partes aquæ in se ipsum, vt partes crassas; sicut videmus in igne respectu ligni, & in animali respectu cibi; non enim conuertunt partes terreas, & excrementitias; ergo saltem illæ partes crassæ conuertuntur in sanguinem immediatè. 3. Corpora simplicia non nutriunt, quia non conuertuntur in mixta; sed vinum est corpus mixtum, & aqua est corpus simplex; ergo aqua in vinum non vertitur. 4. Ita vinum est succus vitalis elaboratus intra vuam per virtutem nutritiuam; sicut sanguis est succus elaboratus in iecore animalis; sed sanguis separatus ab animali non habet virtutem conuertendi guttam aquæ in se ipsum; ergo neque vinum.

Resp. ad 1. neg. seq; nam omne agens agendo repatitur, & ideo debilitatur ita, vt si continuetur actio, tandem cedere cogatur. Ad 2. neg. ant; in hoc enim mixtio à generatione distinguitur; quòd in generatione partes excrementitiæ eijciuntur; in mixtione autem omnes partes miscentur, vt notum est. Ad 3. neg. ma; in tantùm enim corpora simplicia non nutriunt; in quantum nequeunt conuerti in carnem animalis; non tamen ex hoc sequitur, quòd non possint conuerti in aliud mixtum; constat enim, quòd terra conuertitur in herbam, & tamen nequit conuerti in carnem animalis immediatè, sed tantùm mediatè, postquam in herbam conuersa est; sic aqua nequit immediatè conuerti in carnem animalis, sed solùm mediatè, postquam conuersa est in vinum. Ad 4. neg. ma; nam sanguis separatus ab animali non retinet calorem; quia si bibatur, non calefacit; sicut calefacit vinum; ideo vinum ratione caloris virtualis innati potest aquam conuertere; non autem hoc potest sanguis defectu caloris.

ART. III.

Soluuntur dubia circa simultatem consecrationis, præsentiam, & quantitatem panis, & vini?

1 Quoad 1. dicendum non esse de necessitate sacramenti, sed tantùm de necessitate præcepti Diuini, & Ecclesiastici, quòd vtraque species successiuè consecretur ita, vt si solus panis consecraretur, ille verè esset consecratus; & idem de vino. Ita communiter *omnes DD. catholici* contra quosdam relatos *ab Innoc. III. lib. 4. de offic. Missæ c. 23.* putantes ad validitatem sacramenti necessariò requiri, vt vtraque species consecretur. Et prob. *ex D. Bern. ep. 69*; nam panis consecratus ante consecrationem vini adoratur adoratione latriæ, & est de fide in pane ritè consecrato esse corpus Christi etiam ante consecrationem calicis; & idem dicendum esset de vino, si consecraretur ante consecrationem panis; aliter non verificaretur forma consecrationis panis, cùm profertur; quia tunc vinum non est consecratum; & sic verificaretur solùm, quando non est, & post aliquod tempus ab eius prolatione; sicque faceret sensum: *Hoc erit corpus Christi*; non autem: *Hoc est corpus Christi*; quia pro illo tunc, quo forma proferretur, non esset corpus Christi; sed futurum, esset pro eo tempore, quo consecraretur vinum; verba autem de futuro nullam efficaciam actualem habent, quod est contra rationem formalem sacramentorum, quæ sunt signa actualiter effectiua gratiæ; ergo non est de necessitate sacramenti, quòd successiuè immediatè species panis, & vini consecrentur. Tum quia species panis, in qua est verum sacramentum, quod adoratur, & sumitur à fidelibus, consecratur sine speciebus vini; ergo vnum potest esse sine alio, & ideo potest etiam fieri. Tum quoties plures causæ partiales seorsim producunt plures effectus partiales distinctos constituentes vnum totum integrale; tunc vna potest validè suum effectum producere sine alia; vt constat de causis producentibus ligna, lapides, calcem &c; ex quibus integratur domus; ergo idem. Tum quia *Trid. sess. 13. c. 3.* statuit ex vi verborum, quibus consecratur panis, esse sub speciebus illius verum corpus Christi; ergo & independenter à consecratione calicis.

2 Dices 1. Sub vna tantùm specie non est integrum conuiuium, quod essentialiter constat ex cibo, & potu; ergo sub vna tantùm specie non est eucharistia, quæ instituta est per modum conuiuij. 2. Consecratio panis, & vini est de essentia Missæ, vt est sacrificium, ergo & eucharistiæ, quæ est sacrificium euangelicæ legis. 3. Vtraque species essentialiter spectat ad essentiam eucharistiæ; non enim alterutra accidentaliter se habet. 4. In extrema vnctione sunt plures formæ partiales; sicut in eucharistia, & tamen non suum effectum partialem non causant, nisi cùm ponitur vltima; ergo à pari.

Resp. ad 1. *cum Fund. Doct. in c. cùm Martha de celebr. miss. p. 2. fol. 14. col. 1. & alibi*; dist. ant. Sub una tantùm specie non est integrum conuiuium quoad rem significatam, neg; est enim corpus, & sanguis Christi; illud quidem ex ui uerborum, iste uerò per concomitantiam, seu coniunctionem naturalem; quoad modum significandi, conc; quia sub una tantùm specie ex ui uerborũ non significatur, quod est sub altera specie; hoc tamen non tollit, quòd non possit sine alia consecra-

secrari, quia sufficit ibi esse totum Christum quantùm ad rem significatam, ut *inf.* dicemus de communicantibus sub una tantùm specie. Ad 2. dicitur, quòd licèt de ratione eucharistiæ, ut est sacrificium, sit consecratio utriusque speciei, quia sacrificium debet explicitè repræsentare immolationem corporis, & sanguinis, ut *inf.* attamen non est de ratione eucharistiæ, ut est sacramentum tantùm; quia cõmunicans sub una specie tantùm; uerũ recipit sacramentum, ut docet *Trid*; nam de ratione sacramenti esse tantùm signum rei sacræ; quod conuenit utrique speciei seorsim sumptæ. Ad 3. dist. Vtraque essentialiter spectat ad sacramentum eucharistiæ absolutè sumptum respectu sui proprij effectus, & per ordinem ad totum integraliter sumptum, conc; sumptum comparatiuè, & disiunctim per ordinem ad effectum alterius speciei singillatim acceptæ, neg; quanuis enim species uini sit necessaria per ordinem ad confectionem sanguinis explicitè, & ad confectionem eucharistiæ, prout explicitè integratur ex corpore, & sanguine; non tamen est essentialis ad confectionem corporis singillatim sumptam; quia corpus incipit esse sub speciebus panis solùm ex ui uerborum: *Hoc est corpus meum.* Ad 4. uel omisso ant; de quo *inf.* neg. consẽquam per formam partialem uni sensui applicatam non confertur per concomitantiam, & implicitè effectus alterius formæ applicatæ alteri sensui; & ideo non habetur totum sacramentũ nec explicitè, nec implicitè. At per consecrationem panis u. g. habetur corpus ex ui uerborum, & sanguis per concomitantiam, ideo implicitè habetur totum sacramentum. Vel neg ant; nam per uerba ad oculos applicata ucrè tolluntur reliquiæ peccatorum per oculos commissorum; & ideo non expectant formam applicandam ad nares, & ad alias partes, ut causent suum proprium effectum partialem. *Sed de hoc suo loco.*

3 Prob. 2. pars; quòd scilicet consecratio sub utraque specie sit de præcepto Diuino, & ecclesiastico *cont. Adrian; Alex; Nauar. & alios* substinentes esse tantùm de præcepto ecclesiastico. *Ex 1. Cor. 11*; ubi postquam Christus consecrauit sub utraque specie, & utramque tradidit sumendam Apostolis ab ipso sacerdotij caractere initiatis, eis præcepit: *Hoc facite in meam commemorationem*; idèst consecrate, & sumite; ut explicat *Trid. sess. 22. c. 1.* dicens: *Corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulit; ac sub earumdem rerum symbolis Apostolis, quos tunc noui Testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit; & eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem; uti semper Catholica Ecclesia intellexit, & docuit.* Ex quibus verbis elatè habetur præceptum Christi esse, vt sacerdotes eucharistiam conficiant, & sumant sub vtraque specie; & hoc semper Ecclesiam sensisse. Tum quia sacerdotes ex præcepto Christi tenentur offerre sacrificium incruentum, quod est figura sacrificij cruenti; sed sacrificium cruentum non fuit celebratum sine corpore, aut sine sanguine; ergo sacerdotes tenentur offerre corpus, & sanguinem. Atqui tenentur etiam sumere illud, quod offerunt; quanuis consimile possint seruare; sumptio enim est pars sacrificij; ergo ex præcepto Christi tenentur consecrare, & sumere vtranque speciem. Præceptum autem Ecclesiasticum habetur de consecr. *dist. 2. c. comperimus*; vbi præcipitur vtranq; speciem esse sumendam.

4 Dices 1. Christus *Luc. 24.* cõsecrauit panẽ sine vino; vt exponit *S. P. Aug. lib. 3. de consensu Euang. c. 25*; ergo possunt sacerdotes alterutram speciem solùm consecrare. 2. Sacramentũ eucharistiæ est repræsentatiuum passionis Christi; canit enim Ecclesia: *Recolitur in eo memoria passionis*; sed in alterutra specie saluatur sacramentũ; ergo altera tantùm species repræsentat Christi passionẽ; & ideo altera tantùm species habet rationẽ sacrificij. 3. Consecratio panis non depẽdet à consecratione vini, vt dictum est; sed post consecrationem panis potest sacerdos non consecrare vinum; vel quia mutus repente efficitur; vel quia aliquo alio morbo, aut etiam morte corripitur; ergo idem.

Resp. ad 1; quòd licèt *Mastr. cum Carthus. Iansen. & Euseb.* iudicent probabilius esse Christum non præbuisse illis discipulis panem consecratum, quia nec fit mentio consecrationis; nec discipulis satis firmis in fide, imò dubitantibus de eius Resurrectione, atque adeò indispositis eucharistiam debuisset tribuere; attamen improbabiliter iudicatur, quia ex benedictione, quæ aliquando idem sonat, ac consecratio; fractione, & porrectione panis facta, sicut in cæna ipsum cognouerunt; aliter ipsum cognoscere non potuissent. Resp. igitur *Bellarm.* Christum, qui habebat potestatem excellentiæ, dispensasse; & aliunde sacerdotes tenentur solùm sumere vtranque speciem, quando consecrant ipsi; quia tenentur solùm consecrare in Missæ sacrificio, quod non fit, nisi cum consecratione vtriusque speciei; non autem tenentur, quando non celebrant missam, vt in cæna Domini, in puncto mortis, & in alijs communionibus priuatis. *Alij* asserunt Christum consecrasse vtranque speciem, quanuis vtranque non nominet. Ad 2. dist. ma. Explicitè in vtraque specie, vel explicitè quoad vnum in vna specie, & implicitè quoad aliud, conc; explicitè quoad immolationem corporis, & oblationem sanguinis in vna tantùm specie, neg. Ad 3. dist. ma. Non dependet in ratione sacramenti, conc; in ratione sacrificij, neg. Ad mi. dicitur; quòd in illo casu vocandus est alius sacerdos, qui sacrificium perficiat. *Sed de hoc inf.* de sacrificio missæ.

5 Col-

5 Collig. Summum Pontificum non posse dispensare, vt fiat consecratio in vna tantum specie; est enim iuris Diuini.

6 Quoad 2. dicendum materiam consecrandam debere esse præsentem ita, vt sit in prospectu consecrantis; & ab ipso tangi possit, si velit. *Ita D. Tho. in 4. dist. 11. q. 2. art. 1. ad 3. q. apud Gibb;* qui idem docet. Vnde rectè præsentia requisita ad validitatem consecrationis assignatur altare visuale, in quo missa celebratur. Ratio communis est; quia pronomina *Hoc, & Hic* significant materiam determinatam in prospectu loquentis positam; nam de ea, quæ non est præsens, dicitur: *Illud, & ille*; ergo ad verificandam formam consecrationis requiritur præsentia materiæ, quæ sit in prospectu consecrantis ita, vt ab illo tangi possit, si velit. Sed sacramentum non est validum, nisi verificetur forma, qua fit; ergo ad validitatem sacramenti eucharistiæ requiritur supradicta præsentia.

7 Sequitur 1. sacerdotem non consecrare hostiam à tergo ipsius existentem, vel ad latera in tabula aliqua positam, vel in quocunque alio loco ab altari seiuncto; tunc enim hostia non est præsens conspectui sacerdotis.

8 Sequitur 2. validè consecrare particulas reclusas in pixide, quas non videt, potest tamen videre, & tangere; & sic etiam vinum palla coopertum; est enim præsens modo, quo dictum est. Si tamen esset præsens solùm secundum aliquas partes, & secundùm alias esset longissimè distans, non consecraret totum; vt docent *Sua; Coninch; Gibb; & alij cont. Vasq;* & hoc quia secundùm illas partes non esset præsens, cùm non possent cadere sub sensum, atque adeò non esset præsentia sensibilis, quæ requiritur ad rationem sacramenti. Et quanuis sit maior connexio inter partes continuas etiam remotissimas, quàm inter discretas præsentes; quia tamen requiritur præsentia, ideo istæ, licèt discretæ, consecrantur; illæ verò, quanuis continuæ, non consecrantur.

9 Sequitur 3. ad validitatem sacramenti eucharistiæ necessariò determinandam esse materiam per intentionem consecrantis; hanc enim determinationem significant eadem pronomina *Hoc; Hic*; ideo qui ex decem hostijs in altari existentibus determinaret solùm octo consecrare non determinando, quas excluderet, neutram consecraret, quia neutram determinaret. Si tamen decē detulisset ad altare intendens omnes consecrare; & in puncto cōsecrationis vnius tantùm recordaretur, omnes consecraret; tum quia illa intentio, quæ non esset retractata, virtualiter duraret; tum quia intendit consecrare illud, quod habet præsens in altari. Sic gutta vini, quæ inaduertenter in pede calicis remansit, cùm proiectum fuit in calicem, non remanet consecrata; quia Sacerdos non intendit consecrare, nisi quod est intra calicem. Tandem si particula non consecrata casu decidat inter consecratas, & non possit discerni, illa absolutè non est consecrabilis; quia non est determinabilis; tunc autem debet sub conditione consecrari totum, quòd est in pixide, & non est consecratum. *Ita noster Gibb. hic disp. 21. dub. 7.* Sed hæc consecratio conditionata videtur æquiualere huic, qua intenderet absolutè consecrare eam particulam, quæ non est consecrata.

10 Quoad 3. dicendum materiam quantumcunque magnam, ita tamē præsentem secundùm omnes suas partes, vt possit tangi, esse validè consecrabilem; & materiam quantumuis paruam ita tamen, vt sit sub tanta quantitate sensibili, sub qua potest conseruari substantia panis, esse pariter consecrabilem. Ratio 1. est. Res, quæ non est præsens secundùm omnes suas partes, quanuis illæ partes continuentur partibus, quæ sunt præsentes, non dicitur simpliciter præsens; v. g. quanuis aer *Romanus* continuetur cum aere *Indico*; attamen aer *Indicus* non dicitur mihi præsens ex eo, quòd sit præsens mihi aer *Romanus*; sic dicitur de terra, & aqua, quæ continuatur; & secundùm aliquas partes dicitur præsens, non verò secundùm alias; ergo materia panis, & vini sola, quæ est præsens secundùm omnes suas partes ita, vt secundùm omnes possit tangi, est consecrabilis; aliter non dicitur simpliciter præsens; & aliunde potestas consecrandi non est restricta ad hanc, vel illam quantitatem; hæc enim restrictio non habetur *in scripturis*; in quibus potiùs habetur; quòd Christus consecrauit panem, qui fractus fuit sufficiens pro omnibus Apostolis; ex quo deducitur, quòd posset consecrari panis, qui posset frangi, & distribui multis millibus hominum.

11 Ratio 2. est; nam forma panis, & vini habet terminum suæ paruitatis; qui si ampliùs minuatur, non est ampliùs sufficiens ad continendam eam formam; sed sola materia panis, & vini, scilicet quæ est coniuncta cum forma panis, & vini, est consecrabilis.

12 Sequitur materiam, quæ sensu percipi nequit; quia nequit tangi, videri, & odorem, saporem, ac alias qualitates panis, & vini non habet, non esse consecrabilem; caret enim accidentibus, sub quibus solùm conseruatur materia panis, & vini; & ideo sine illis non est materia panis, & vini, quæ sola consecrabilis est. Et quanuis illa materia, prout coniuncta alteri parti, esset sensibilis, & haberet omnia accidentia panis, & vini; & sic esset consecrabilis; attamen diuisa non est ampliùs consecrabilis; quia cùm non habeat illa accidentia, non est ampliùs eadem substantia, quæ solis accidentibus potest dignosci; quidquid dicat *Lug;* qui oppositum sentit. Non requiritur tamen, quòd sit perceptibilis ab habentibus debilissimos sensus; sed sufficit, quòd secundùm se sit sensibilis, & perceptibilis ab habentibus sensus perfectos, & sa-

nos; sic enim potest cognosci, quòd sit vera materia panis, & vini.

ARTICVLVS IV.

Quænam sit forma consecrationis panis?

1 OMisso *Catharino*, & *Aliacen*; qui putauerunt saltem incertum esse; an Christus in consecratione verba protulerit; vel sola potestate excellentiæ consacrauerit; manifestè nanque reijcitur ab *Apost.* 1. *Cor.* 11. *Accepit Iesus panem*, & *fregit*, ac *dixit*: *Hoc est corpus meum*; quod habet etiam de calice. Idem asserunt Euangelistæ, vt *Luc.* 22. *Accepto pane gratias egit*, & *fregit*, & *dedit eis dicens*: *Hoc est corpus meum*, & de calice: *Similiter* & *calicem postquam cœnauit dicens*: *Hic est calix* &c; & *Marc.* 14. *Dedit eis*, & *ait Sumite*: *Hoc est corpus meum*; & *de calice*: *Et ait illis*: *Hic est sanguis meus*, *Idem habet Matth.* 26; super quod *Conc. Trid. sess.* 13. *c.* 1. ait Christum instituisse euchatistiam verbis à se prolatis; & *Flor. in decr. vnion.* ait formam eucharistiæ esse verba à Christo prolata; quibus euidenter concluditur Christum in consecratione verbis vsum fuisse, & ratio est. Cùm Christus eucharistiam instituit, determinauit materiam, & formam, & vtranque docuit Apostolos, quos sacerdotes ordinauit; ergo sicut materiam sensibiliter ostendit, ex qua eucharistia conficitur; ita etiam formam sensibiliter indicauit; & per consequens verba, quæ formam constituunt, protulit.

2 Certum est Christum in institutione eucharistiæ plures actiones habuisse, nempe gratiarum actionem, eleuationem oculorum, benedictionem panis, consecrationem, fractionem panis, & distributionem; habetur enim in canone missæ: *Qui pridie, quàm pateretur, accepit panem in sanctas, & venerabiles manus suas, & eleuatis oculis in Cælum ad Te Deum Patrem suum omnipotentem, Tibique gratias agens benedixit, fregit, deditque Discipulis suis, accipite, & manducate ex hoc omnes: Hoc est enim corpus meum.* Certum quoque est non omnia ista verba esse de necessitate sacramenti, sed aliqua tantùm de congruitate; non enim in omnibus liturgijs omnia leguntur; sed aliqua omissa, alia uariata, & aliqua sunt superaddita, vt videre est in liturgia *Armenorum*, in qua dicitur: *Accipiens panem in sanctas, Diuinas* (quod additum est contra *Nestorium* negātem Christum esse Deum) & *immaculatas*, & *honorabiles manus suas, benedixit, gratias egit, fregit, dedit suis electis, & discumbentibus Discipulis dicendo: Accipite; manducate: Hoc est corpus meum, quod pro vobis, & multis distribuitur in expiationem, & remissionem peccatorum.* Quæ variatio videtur etiam in liturgia, quæ attribuitur, licèt à multis censeatur apocrypha, *D. Iacobo*; & in liturgia *D. Basilij*, qua *ferè omnes Graci* utuntur; & in illa *D. Io. Chrisostomi*, qua *plures alij Græci* utuntur; & *in missa Æthiopū*, quæ fertur composita à *S. Matthæo Apostolo*; & in liturgijs *S. Marci Euangelistæ*, *S. Ioannis Euangelistæ*, *S. Eustasij*, *S. Ioannis Patriarchæ*; & tandem in Missa, qua *Mozarabes in Hispania* utebantur, quæ dicitur composita *à S. Leandro, vel S. Isidoro*; ut habetur *to.* 2. *Auctuarij Bibliotheca PP.* prope finem. Si autem omnia verba, quæ *in canone Missæ*, qua nos utimur, & quæ censentur *à D. Petro* composita, & ordinata, ut testatur *Fund. Doct. Æg. de celebr. miss. fol.* 8. *col.* 1; exceptis verbis: *Hoc est corpus meum*, quæ protulit Christus in institutione, & quæ profert sacerdos ex persona Christi, ut docet *Flor.* & *communiter SS. PP.* Si hæc omnia verba, inquam, essent de necessitate sacramenti, sequeretur tot Ecclesias, tot sanctos, imò & Apostolos ipsos, qui non omnia illa protulerunt, inualidè confecrasse; quod est impium; & ideo dicendum aliqua ex illis esse de necessitate, & aliqua tantùm de congruitate sacramenti. Videndum ergo, quomodò omnia ista se habeant?

3 *Aliqui* volunt omnes actiones, siue quæ præcedunt consecrationem; ut gratiarum actio, & benedictio; siue quæ subsequuntur; vt fractio, & distributio, esse unam, & eandem actionem cum consecratione; quia 1. *Cor.* 10. habetur: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est*; quod pariter de pane dicendum est; nam *multi SS. PP.* eucharistiam uocant *panem benedictionis*. Tum quia benedictio Dei efficax est; ergo aliquid efficit in pane; quod nequit esse, nisi corpus Christi. *Alij* asserunt gratiarum actionem, & benedictionem esse unam, & eandem actionem, distinctam tamen ab actione consecratiua. *Ita D. Bon; Maldonat. in Matth.* 26; & *Caiet. ibid;* & *ex nostris Basil. Legion. de agno typico*, *Bernardin;* & *Gibb. hic disp.* 22. *dub.* 1. Ratio est. 1. Quia *Matth;* & *Marc.* aiunt Christum panem benedixisse, non autem gratias egisse; *Luc.* uetò, & *Paul.* asserunt solùm gratias egisse, non autem mentionem faciunt benedictionis; ergo unum, & aliud sumunt pro eodē. 2. Quia *Matth.* 15. de septem panibus, & duobus piscibus dicitur, quòd Christus gratias egit; at *Marc.* 8. dicitur benedixisse; ideo benedicere, & gratias agere pro eodem accipiunt. Sic *Gen.* 14. *Melchisedech* iisdem verbis benedixit *Abraha*, & gratias egit Deo; & ratio est; quia benedicere, & gratias agere apud *Hebræos* idem significat. Quòd autem benedictio, & gratiarum actio distinguatur à consecratione, colligitur *ex Trid. sess.* 13. *c.* 1; ubi dicitur, quòd consecratio fuit post benedictionem; idem autem nequit esse post se ipsum; ideo necessariò distinguitur.

4 Sed isti modi dicendi ad præsens quæsitum nihil uidentur conferre; siue enim illæ actiones distinguantur, siue non; adhuc inquirendum manet, quænam ex illis uerbis sint de necessitate; & quæ de congruitate sacramenti eucharistiæ

charistiæ: Præterea videntur uera non esse; nam gratiarum actio est de beneficio accepto; benedictio autem essentialiter non supponit beneficium acceptum; ut constat; *Abraham* enim benedixit filijs, à quibus nullum beneficium acceperat; imò sancti benedicunt etiam eos, à quibus nullum beneficium accipiunt; ergo benedictio, & gratiarum actio ex sua ratione formali videntur distingui. Præterea benedictio carnium, ouorum, & cæterorum, quæ populo distribuuntur, non est consecratio; quod constat etiam de simplici benedictione panis; ergo falsò dicitur non distingui à consecratione. Item gratiarum actio præcedit benedictionem, & benedictio consecrationem; sicut consecratio fractionem, & distributionem; ergo sicuti fractio, & distributio distinguuntur à consecratione, quia ad illam sequuntur; ita distinguitur consecratio à benedictione, & benedictio à gratiarum actione. Ad 1. autem dicitur panem consecratum vocari panem benedictionis, quia uerè benedictus est, & affert nobis Dei benedictionem; imò ipsa benedictio potest dici consecratio materialiter, quatenus coniuncta est cum consecratione; non autem formaliter, quia potest haberi sine illa, vt dictum est. Ad 2. dicitur benedictionem Dei esse efficacem, quia producit effectus, quos diximus *de sacram. in com. q. 7. art. 2*; non tamen ex hoc infertur habere uim consecrandi. Ad 3. resp. *Fund. Doct. vbi s*; quòd Apostoli, & Euangelistæ suppleuerunt se ipsos; nam vnus dixit, quod alter omisit; ut quòd eleuauerit oculos, nullus Euangelistarum asserit; additum tamen fuit *à D. Petro*; cui Christus commisit potestatem ordinandi ritus, quibus proferenda est forma sacramentorum; ideo ex eo, quòd unus Euangelista referat benedictionem, alter gratiarum actionem, non sequitur, quòd benedictio, & gratiarum actio sint idem. Sicuti ex eo, quòd *Matth.* referat *in remissionem peccatorum*; alij non referant; non sequitur, quòd remissio peccatorum sit idem, ac consecratio; & sic de benedictione panum, & piscium, & gratiarum actione. Ad *Melchisedech* dicitur ijsdem verbis benedixisse *Abrahæ*, & Deo; ut patet *ex textu*; non autem gratias egisse. Item falsum est *apud Hebræos* idem significare benedicere, & gratias agere; quanuis aliquando materialiter dicantur ad inuicem, quando coniunguntur. His igitur omissis, quæ ad rem præsentem non spectant.

5 *Omnes catholici* concedunt sacerdotem omittentem aliquod verbum *in canone* mortaliter peccare; sed tamen validè consecrare, si illud verbum non sit de essentia ipsius formæ; ut si omittatur particula *enim*.

6 *Caluin; Bucer; Luther; & eorum asseclæ* asserunt ad conficiendam eucharistiam non requiri verba determinata; sed sufficere quæcumque per modum exhortationis, uel concionis, dummodò sint sufficientia ad excitandam fidem in audientibus, per quam hoc sacramentum conficitur.

7 *Quidam Græci Recentiores* volunt præter verba: *Hoc est corpus meum* essentialiter requiri quandam orationem, qua invocatur Spiritus Sanctus, ut panem in corpus, & vinum in sanguinem Christi conuertat; quæ oratio ab ipsis recitatur post verba consecrationis.

8 *Omnes catholici* consentiunt formam consecrationis panis in illis tantùm quatuor verbis consistere: *Hoc est corpus meum*. *Aliqui* tamen volunt, quòd licèt verba præcedentia: *Qui pridie, quàm pateretur &c*; non sint constitutiua formæ, sunt tamen necessaria, ut conditio, *sine qua non* fit validè sacramentum; sicut enim applicatio agentis ad passum non est de essentia formæ, est tamen ita necessaria, ut sine ipsa non introducatur forma; ita quanuis illa verba præcedentia non ingrediantur essentialiter formam; sunt tamen ita necessaria, tanquam conditio determinans modo sensibili prolationem formæ fieri ex persona Christi; ut sine ipsis uerba formæ non applicarentur personæ Christi; neque illud pronomen *meum* posset intelligi de corpore Christi; sed verba formæ intelligerentur, ut prolata ab ipso sacerdote; & pronomen *meum* verificaretur de corpore sacerdotis; adeòque sacramentum non fieret. *Ita Scot. in 4. dist.* 8. *q. 2. §. de secundo*; quem secuti sunt *plures Scotistæ apud Mastr*; quanuis *Tataret.* asserat eum locutum fuisse disputandi gratia; quia se remittit meliori iudicio. *Alij* verò iudicant saltem verba: *Accipite, & manducate*; cùm fuerint à Christo prolata, esse de essentia formæ; quibus consensit *Kemnit.*

9 *Alij omnes* fatentur *communiter* sola verba: H*oc est corpus meum*; esse de essentia formæ; & quibuscumque alijs omissis fieri sacramentum. *Ita Fund. Doct. Æg. de celebr. miss. fol. 7. col. 2*; qui testatur hanc esse communem sententiam; quam sequuntur *omnes Thomistæ, & cæteri Scotistæ cum Mastr; & omnes alij*.

10 Vnica concl. Forma consecrationis panis sunt tantùm illa verba: *Hoc est corpus meum*; & ipsis tantùm à Sacerdote prolatis cum intentione conficiendi sacramentum, prætermissis quibuscumque alijs, fit consecratio panis in corpus Christi. *Ita B. Doct. Æg. vbi s.* asserens: *De forma conuersionis panis sunt quatuor verba tantùm; videlicet: Hoc est corpus meum. Quia si aliquod istorum verborum prætermitteretur, non esset sacramentum; & non fieret conuersio panis in corpus. Si autem solùm ista verba à sacerdote proferantur cum intentione conficiendi, vt communiter ponitur, fieret conuersio panis in corpus Christi; & virtute illorum verborum sub speciebus illis, sub quibus erat vera substantia panis, inciperet esse vera substantia corporis Christi.*

11 Prob. 1. ex *Flor. in decr. vnion. Sacra-*

menta tribus perficiuntur, videlicet rebus, tanquam materia; verbis, tanquam forma; & persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia. Quorum si aliquid desit, non perficitur sacramentum. Ex quo sic arguitur. Ad confectionem sacramenti sufficit forma, & materia, & intentio faciendi, quod facit Ecclesia; & nihil aliud requiritur, sed tantùm illa verba: *Hoc est corpus meum*; sunt forma eucharistiæ; ergo ad confectionem eucharistiæ sufficit prolatio horum verborum supra debitam materiam cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia; & nullorum aliorum verborum prolatio requiritur. Mi. constat; nam sola illa verba, quæ protulit Christus Dominus, sunt forma eucharistiæ; sicut solus panis, quem adhibuit, est materia; nullus enim alius potest materiam, & formam determinare; quia nullus potest sacramenta instituere præter ipsum; cætera autem verba sunt purè historica prolata ab Apostolis, & Euangelistis per ordinem ad narrandum factum institutionis eucharistiæ, ut patet, ergo tantùm illa verba: *Hoc est corpus meum*; sunt forma consecrationis panis. Ma. traditur *à Conc*; si enim alia verba requirerentur præter prolata à Saluatore, illis tantùm non perficeretur sacramentum; sicut si requireretur alia materia, illa tantùm, qua Christus usus est, non perficeretur; sed conf. est falsum; ergo & ant. Tum quia ad productionem compositi naturalis sufficit forma, & materia, & actio agentis, qua forma applicatur, & unitur materiæ; ergo ad confectionem sacramenti, quod est compositum supernaturale constans ex aliquo, tanquam materia;& ex aliquo, tanquam forma; ut docet *Con.*; sufficiunt res, quæ est panis, & verba Saluatoris, & intentio agendi, quod agit Ecclesia, quæ est actio agentis; & nihil aliud requiritur.

12 Conf. 1. Ideo requiruntur verba præcedentia, quia forma uniri debet materiæ; & sacerdos debet determinari ad loquendum ex persona Christi, non ex persona propria ad hoc, ut illud pronomen *meum* intelligatur de corpore Christi, non de corpore sacerdotis; sic enim solùm fit hoc sacramentum; vt dicunt *Aduersarij*; sed per solam intentionem agendi, quod facit Ecclesia, formà applicatur materiæ; & persona sacerdotis determinatur ad loquendum ex persona Christi; Ecclesia enim intendit loqui ex Christi persona; quia intendit facere, quod fecit Christus; non potest autem facere, quod fecit Christus, nisi loquatur ex Christi persona, ut constat; tum quia sicut per solam actionem agentis naturalis forma vnitur materiæ;& agens determinatur ad agendum, ut Dei instrumentum; tum quia per solam prolationem verborum baptismi determinatur baptizans ad loquendum ex persona Christi; non enim minùs baptizans, quàm consecrans loquuntur ex persona Christi; vt docet *S. P. Aug. tract.* 5; *& 6. in Io*; dicitur namque *Io. 1. Hic est, qui baptizat*; quod non verificaretur, nisi baptizans ex persona Christi loqueretur; ergo etiamsi cætera verba omittantur, adhuc per intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, sacerdos determinatur ad loquendum ex persona Christi. Tum quia sicut Angelus *Exod. 3.* dicens: *Ego sum Deus patris tui*, locutus est ex Dei persona absque eo, quòd præmitteret se velle loqui ex Dei persona, ut volunt SS. PP; inter quos *S. Ambr*; & *S. P. Aug*; ita à pari.

13 Dices *ex Lug.* Si quis diceret: *Ego parochus N. te baptizo &c*; validè baptizaret; ergo non loquitur ex Christi persona.

Resp. dist. ant. Si faciat sensum; quòd parochus tanquam Christi minister ex persona Christi baptizat, & remittit peccata, conc; tunc enim loquitur ex Christi persona. Si faciat sensum, quòd loquens ex propria persona, non ex persona Christi baptizat, neg; *ipse enim est, qui baptizat*; ut inquit *Io. vbi s.*

14 Conf. 2. *ex Fund. Doct. Æg.* Illa tantùm verba sunt de necessitate sacramenti, quæ sunt significatiua simul, & causatiua effectus proprij illius sacramenti; sacramentum enim definitur signum causatiuum gratiæ; sed solà verba prolata à Saluatore sunt significatiua simul, & causatiua corporis Christi sub speciebus panis: alia verò addita ab Apostolis sunt tantùm *significatiua*, non causatiua; & ideo sunt tantùm de congruitate; nam dare virtutem verbis causandi gratiam est tantùm proprium illius, qui instituit sacramentum; solus autem Christus instituit sacramenta, ideo solus Christus proferendo verba dedit eis virtutem causandi gratiam; non verò Apostoli aliter instituissent sacramenta; ergo illa tantùm verba, quæ prolata fuerunt à Saluatore, sunt de necessitate sacramenti; cætera verò solùm de congruitate.

15 Prob. 2. Illa solùm, quæ semper inuariata consistunt, sunt essentialia; sicut illa, quæ variantur salua remanente essentia rei, sunt accidentalia; essentialia enim sunt illa, sine quibus res nec esse, nec intelligi potest; & accidentalia, sine quibus res potest intelligi, & esse; sed illa sola verba: *Hoc est corpus meum*: sunt inuariata apud omnes, & semper inuariata manserunt; ut videre est in omnibus liturgijs siue *Græcorum*, siue *Armenorum*, siue *Æthiopum*, siue *Latinorum*; cætera autem verba siue præcedentia, ut *Qui pridie, quàm pateretur &c*; siue interposita, ut particula *enim*; quæ non habetur *apud Armenos, & Græcos*; siue subsequentia; ut oratio *Græcorum*; sunt variata, non enim habentur in omnibus liturgijs, ut constat; & aliunde in omnibus his verum eucharistiæ sacramentum fuit confectum; non enim est dicendum, quòd *Sanctissimi Patres*, ut Apostoli, *S. Basil*; *S. Io. Chris*; *& aly pyssimi Viri*, qui has liturgias composuerunt, tradiderint ritum nullum, cassum, & irri-

irritum; ergo sola verba: *Hoc est corpus meum*; sunt de necessitate sacramenti; cætera uerò solùm de congruitate.

16 Tandem prob. ex communi praxi Ecclesiæ, quæ statim post verba prædicta proponit hostiam adorandam tam *apud Græcos*, quàm *apud Latinos*; ergo ex vi illorum verborum consecratur panis in corpus Christi; aliter adorandus non esset. Tum quia si ex vi illorum verborum non transubstantiaretur panis in corpus Christi, verba illa nec efficacia essent, nec veritatem haberent, nec significarent; quia eo tunc non esset corpus Christi sub panis speciebus; sed quodlibet ex his est falsum, & absurdum; ergo & id, unde sequitur. Ex hoc sequitur, quòd licèt illa verba: *Accipite, & comedite*; & ea: *Quod pro vobis tradetur*; fuerint à Christo prolata; attamen non sunt de necessitate sacramenti; quia non significant actionem, qua corpus Christi fit sub speciebus panis; sed actionem, qua Christus corpus iam existens sub speciebus panis tradidit comedendum; & ideo hæc actio iam supponit consecrationem; quia non traditur, nisi consecratum; & traditio corporis Christi in mortem iam supponebat ipsum corpus Christi existens; ergo illa verba non significant actionem, qua corpus Christi incipit existere, ubi non erat; & per consequens non sunt consecratoria. Denique est communis *SS.PP.* sententia consecrationem fieri præcisè per illa verba: *Hoc est corpus meum*; & hoc semper tenuit Ecclesia. *Ita Iustin. in 2. Apolog.* prope fiuem; *Irenæus lib. 1. c. 1*; *Tertull. lib. 4. in Marcion*; *Greg. Nissen. or. catechet. c. 37.* post medium; *Chrysost. homil. de prodit. Iuda* prope finem; *& homil. 5. in Matth.* inquit; *Dixit Christus: Hoc est corpus meum, & rem simul cum verbo perfecit*; *D. Ambr. lib. 4. de Sacram. c. 4*; *Alex. I. epist. 1. decretali*; *S. P. Aug. ep. 59*; *D. Dam. lib. 4. de fide c. 14*; *Innoc. III. de celebr. miss. c. cùm Martha*; *& omnes alij communiter*; & tandem *PP. Conc. Trid. sess. 13. c. 1*; *& 3*; *& Flor. in decr. vnionis*. Nec unum in oppositum potest adduci; ergo opposita sententia est *contra omnes SS. PP*; & communem sensum Ecclesiæ.

17 Obijc. *Græci*. *In liturgijs S. Iacobi, S. Basilij, & S. Io. Chrysostomi* immediatè post verba: *Hoc est corpus meum*; *& Hic est sanguis meus*; habentur hæc verba: *Emitte spiritum tuum, & fac hunc panem pretiosum corpus Christi tui*; *quod verò in hoc calice est, pretiosum sanguinem Christi tui*; ergo isti sanctissimi Viri senserunt per verba antecedentia non fieri consecrationem. Tum quia *S. Basilius ibid.* post verba *Hoc est corpus meum*; *Hic est sanguis meus*; inquit: *Proponentes antitypa sancti corporis, & sanguinis tui te obsecramus, vt veniat Spiritus Sanctus &c*; ergo supponit adhuc non esse corpus, & sanguinem Christi; antitypa enim significat symbolum, antequam sit in eo corpus Christi; & si per illa verba non venit consecrator Spiritus Sanctus, nondum facta est consecratio.

Resp. ad 1. sensum illius orationis esse; ut panis fiat nobis pretiosum corpus, & sanguis Christi; idèst ut nos incorporemur corpori, & sanguini Christi iuxta illud *Apost. Multa membra unum corpus sumus in Christo*. Hunc autem fuisse sensum *PP. Græcorum* colligitur *ex Flor*; ubi confessi sunt eucharistiam perfici per illa verba: *Hoc est corpus meum*. Ad 2. dicitur corpus Christi existens sub speciebus panis rectè dici *antitypa* respectu corporis mystici, quod significat; & respectu unionis, qua illi debemus incorporari; tamquam membra ipsius.

18 Obijc. 2. *Scotistæ*. Verba sacramentalia debent ex vi propriæ significationis formaliter significare illud, quod efficiunt; ergo vt efficiant corpus Christi, debent ex vi sua, & non tantùm ex intentione ministri illud significare; sed non possunt significare corpus Christi, nisi coniungantur cum verbis præcedentibus, quibus significatur illa verba proferri ex persona Christi; quia pronomen *meum*, nisi coniungatur cum verbis præcedentibus, demonstrat personam loquentis, vt cùm dicitur: *Doctrina mea non est mea*; quantumuis intendatur proferri ex persona Christi; attamen ex vi sermonis refertur ad personam loquentem; ergo verba præcedentia sunt de necessitate sacramenti modo, quo dictum est. 2. *Hiquæus*. Intentio non facit, ut oratio significet illud, quod ex natura sua non significat; nam quia hæc vox *panis* ex natura sua, idèst ex institutione primi imponentis, significat cibum compositum ex tritico; quanuis proferens hanc vocem intendat significare *lignum*, illud tamen non significat; quia oratio est significatiua non ex intentione proferentis, sed ex institutione primi imponentis; sed hæc oratio: *Hoc est corpus meum*; ex institutione primi imponentis significat corpus ipsius loquentis; ergo nisi determinetur per verba præcedentia, nequit verificari de corpore Christi. Tum quia intentio est occulta, & non manifestatur, nisi ex vi sermonis; ergo non potest determinare verba, vt faciant alium conceptum in mente audientium. Tum quia hoc videtur docere Ecclesia, quæ præcipit, quòd casu, quo debeat noua hostia consecrari; incipiendum est à verbis: *Qui pridie &c*; ergo sentit etiam hæc verba esse de necessitate sacramenti. 3. *Lauræa*. Si intentio proferentis posset determinare verba, ut significent aliud, quàm illud, quod ex sua natura significant, sequeretur, quòd baptizans *v. g. Petrum* intendens baptizare *Paulum*, baptizaret *Paulum*, non *Petrum*; sed cons. est falsum; ergo & ant. Tum quia verba ab imponente sunt determinata ad significandum aliquod, præter quod nequeunt aliud significare; sed hæc verba: *Hoc est corpus meum*; sunt determinata ab imponente significatione vocibus ad significandum corpus loquentis,

tis non alterius; ergo intentio nequit efficere, ut hæc verba aliud significent, quàm corpus loquentis, vt Auber. Determinatio sacerdotis ad loquendum ex persona Christi debet fieri per aliquod signum sensibile; quod nequit esse, nisi verba, quibus protestatur se loqui ex persona Christi; nam eucharistia est simul sacramentum, & sacrificium; & de ratione sacrificij est, vt sit oblatio externa facta soli Deo, in qua aliqua res sensibilis Deo consecratur; hæc autem oblatio nequit fieri, nisi verbis præcedentibus consecrationem rei sensibilis; ergo in hoc sacramento verba sensibilia debent præcedere consecrationem sensibilem rei, quæ consecratur. 5. *Alij*. Sine præcedentibus verbis forma consecrationis non habent perfectum sensum; quia particula *enim* continuat verba consecrationis cum verbis præcedentibus; nam facit propositionem causalem, & hipoteticam, quæ verum sensum non habet, nisi etiam verba præcedentia proferantur; sed verba consecrationis, ut causent, quod significant, debent habere perfectum sensum; ergo idem.

Resp. hæc omnia in idem redire; & ideo vnica responsione dissolui. Dicitur ergo, quòd aliud est determinare sensum verborum ad significandum aliud ab illo, quod ex impositione, & institutione significant; & aliud determinare personam illa verba proferentem; ideo quamuis intentio non sufficiat ad determinandum, ut panis significet lignum; attamen sufficit ad determinandam personam, quæ profert hanc vocem *panis* absque eo, quòd sensibiliter externè declaretur, quòd proferens hanc vocem *panis* ex persona illius loquatur. Frequentissimè hoc habetur *in scriptura* nedũ *Exod.3*; vt *sup.* diximus; sed disertissimè *in ps. 21*; vbi inducitur Christus loquens ex persona peccatoris: *Deus Deus meus, respice in me; quare dereliquisti me?* Quæ verba in cruce reperijt: *Longè à salute mea verba delictorum meorum*; ut fusè explicat *S. P. Aug. ep. 120*; & tamen Christus nec propheticè inductus *in psalmo*, nec realiter existens in cruce priùs sensibiliter externè protestatus est se loqui ex persona peccatoris, non ex propria persona. Alia innumera habemus exempla *in scriptura*. Ad 1. dist. 2. pars conf. Ita, ut intentio non determinet personam, quæ induci à loquente intenditur, neg: ita, ut supposita inductione personæ, cuius vice loquitur, non determinet ipsa verba ad significandum aliud ab illo, quod ex primaria impositione significant, conc; & neg. mi. subsumpta quoad omnes partes; nam pronomen *meum*, vel *mea* determinatum per intentionem illius, cuius vice loquitur, significat personam, ex qua loquitur, non quæ loquitur. Ad 2. dist. mi. Hæc oratio: *Hoc est corpus meum*; ex natura sua significat corpus loquentis tantùm, neg: etiam, conc; significat enim corpus vel loquentis, si intendat loqui ex se ipso; vel corpus illius, ex cuius persona loquitur; si intendat loqui ex alterius persona. Ad aliud dicitur, quòd licèt audientes non intelligant aliquem loqui ex persona alterius; attamen non sequitur, quòd sic non loquatur, non enim quis fit loquens ex eo, quòd audiatur; sed è contra auditur, quia loquitur. Ad aliud dicitur Ecclesiam præcipere, ut in casu nouæ hostiæ, vel vini consecrandi incipiatur à *Quipridie*; vt commemorentur omnes actiones à Christo peractæ in institutione eucharistiæ; non quòd iudicet ab illis pendere validitatem illius. Ad 3. dicitur intentionem determinare personam, cuius vice baptizans loquitur, non autem posse determinare personam baptizatam esse aliam ab illa, quæ abluitur; sic enim falsificaretur forma baptismi; quia illa persona, quam intenderet baptizare, non ablueretur, sed alia. Ad 4. neg. ant. Ad prob. infert. dicitur eucharistiam tam in ratione sacramenti, quã in ratione sacrificij consistere in rebus sensibilibus; quòd autem fiat, & offeratur ex persona Christi, fieri posse per solam intentionem sacerdotis; imò sicuti quando offert illam, vt sacrificium, non declarat se sensibiliter illam offerre ex persona Christi; sed solùm intendit hoc facere, quia intendit facere, quod fecit Christus; ita quando illam conficit in ratione sacramenti, non est necesse, quòd sensibiliter protestetur se loqui ex persona Christi, sed sufficit intentio. Ad 5. dicitur, quòd sicuti particula *enim* non est de necessitate sacramenti, vt *omnes* concedunt; ita nec illud, quod connectit, & præsupponit, est de necessitate, sed tantùm de congruentia.

ART. V.

Quænam sit forma consecrationis calicis?

1 Conueniunt omnes hæc verba: *Hic est calix sanguinis mei* seu *Hic est sanguis meus*; esse de necessitate sacramenti in consecratione calicis; illud enim nomen *calix* omissum sacramentum non inualidaret. Difficultas est circa cetera verba, quibus utitur Ecclesia Latina: *Noui, & æterni testamenti, mysterium fidei; qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*.

2 *Aliqui* volunt omnia verba prædicta esse essentialia consecrationi, quia sine ipsis, vel sine aliquibus illorum non fieret. *Ita Capr; Heruaus, D. Antonin; Syluest; Paludan; Armilla, Petrus Soto, Gonet; & alij*; qui putant hanc esse *D. Tho.* sententiam *3. p. q. 78. art. 3. in corp.* Consentit etiam *noster Argent.*

3 *Alij* censent illa esse essentialia: *Qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Ita Amic; Pasqualig; & alij*.

4 *Alij* tandem docent esse tantùm de necessitate præcepti, non sacramenti. Ita videtur docere *Fund. Doct. de celebr. Miss*; postquam enim retu-

retulit sententias *fol.8. col.3. inf. fol.13. col.4.* ait vinum conuerti in sanguinem, quando sacerdos cum intentione conficiendi profert illa verba: *Hic est calix sanguinis mei*, & quamuis in editione moderna additum sit *&c*; attamen in aliquibus exemplaribus vereribus non reperitur. Idem docent *nostri Bernardo; & Gibb; ex alijs D. Bon; Scot; Caiet; Ledesma; Sot; Bellarm; Valent; Sua; Lug; Io. à S. Tho; & alij*, qui docent idem docuisse *S. Tho.* [illegible].

5 Vnica concl. Verba necessaria necessitate sacramenti in consecratione calicis sunt hæc: *Hic est calix sanguinis mei*; vel *Hic est sanguis meus*; cetera verò sunt tantùm de necessitate præcepti.

Prob. 1. Verba necessaria necessitate sacramenti in consecratione panis prolata à Christo Domino sunt tantùm: *Hoc est corpus meum*; vt ostensum *in sup. art.*; cetera verò ab ipso prolata; vt *Quod pro vobis tradetur &c.* sunt tantùm de necessitate præcepti; ergo eodem modo loquẽdum de verbis in consecratione calicis; nam ideo illa verba solùm: *Hoc est corpus meum*: sunt necessaria necessitate sacramenti, quia ex vi, & veritate ipsorum sub speciebus panis incipit esse corpus Christi, & per illa significatur conuersio panis in corpus Christi; aliter postquam prolata sunt, veritatem non haberent, quod implicat; sed eadem est ratio de verbis consecrationis calicis; si enim postquam fuerunt prolata, non fuisset facta conuersio vini in sanguinem Christi, antequam proferantur verba subsequentia, vera non essent; quia pro eo tunc non verificaretur, quòd sub speciebus vini esset Christi sanguis; ergo illa solùm sunt necessaria necessitate sacramenti.

6 Inst. 1. Quanuis ea verba: *Ego te baptizo*; sufficienter significent ablutionem animæ; attamen etiam reliqua verba: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; sunt necessaria necessitate sacramenti, quia baptismus nedum est institutus ad significandam spiritualem ablutionem animæ, sed etiam ad protestandam fidem Trinitatis Diuinarum Personarum; atqui etiam euchatistia instituta est significandam nedum conuersionem vini in sanguinem per modum nutritionis, sed etiam Christi passionem, quę principaliter significatur per sanguinis effusionem, quę passionem ultimò terminauit; ergo eadem ratione hæc sunt de necessitate sacramenti. 2. Quanuis uerba subsequentia non sint de essentia, & ideo sine illis possit haberi conuersio, seu consecratio; attamen sunt de substantia; quia quando proferuntur, simul cum uerbis præcedentibus causant consecrationem, euadunt enim partes essentiales; ut quanuis particula *Ego* in baptismo, & pœnitentia non sit de essentia sacramenti; quia sine illa fit sacramentum; attamen quando profertur simul cum alijs uerbis concurrit partialiter ad effectum sacramenti; sicut manus, & pes non sunt de essentia hominis; attamen simul cum alijs partibus integrant substantiam hominis; ergo à pari.

Resp. 1. ad 1. dist. mi. Euchatistia instituta est ad significandam Christi passionem, & hæc non significatur per prolationem sanguinis separatim à prolatione corporis, neg; & hæc significatur per prolationem huius uocis: *sanguinis* separatim à prolatione huius uocis *corpus*, neg; nam passio Christi ultimò terminata est per separationem sanguinis à corpore; & ideo cùm sanguis nominatur separatim à corpore, sufficienter significatur; uerba autem subsequentia tantùm explicant, & magis extendunt illam significationem; ideo non sunt de necessitate sacramenti. Ad 2. neg. ant; illa enim particula *Ego* non causat, sed tantùm explicat uerbum *baptizo*, quod causat gratiam simul cum uerbis subsequentibus. Ad illud de manu, pede &c. dicitur, quòd si explicetur, ut est explicandum, probat pro nobis; nam manus, pes &c. sunt partes integrales materiæ, non formæ, quæ est indiuisibilis anima rationalis; unde ita si ante consecrationem separetur particula uini, uel panis, quæ particula est pars integralis materiæ, non tollitur consecratio; sicuti si separetur manus, pes &c. quæ sunt partes materiæ hominis, non tollitur essentia hominis. At si separaretur rationalitas ab animalitate, uel uitalitate, quæ constituunt formam hominis indiuisibilem, tolleretur essentia hominis; ita à pari.

7 Prob. 2. Illa uerba solùm sunt essentialia, sine quibus consecratio sanguinis fieri nequit; sed sine uerbis *noui, & æterni &c.* consecratio fieri potest; non autem sine illis: *Hic est calix sanguinis mei*; seu *Hic est sanguis meus*; ista enim habentur *in omnibus liturgijs*; illa uerò *in aliquibus liturgijs* non habentur omnino; in alijs autem partim nõ habentur, & partim mutantur; nam in liturgia *S. Eustasij, & S. Ioannis Patriarchæ*: *Hic est sanguis meus*; in Liturgia *S. Basilij*, qua cõmuniùs utuntur *Græci*: *Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro vobis, & multis effunditur, & spargitur in expiationem culparum, & remissionem, atque in vitam æternam*; in Liturgia *S. Ioannis Chrisost.* *Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro vobis, et pro multis effunditur in remissionem peccatorum*; in Missa Æthiopum, quæ fertur composita *à D. Matthæo*: *Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis effunditur, & pro redemptione multorum*; in Liturgia *Armeniorum*: *Hic est sanguis meus noui voti, qui pro vobis, & multis effunditur*; tandem in Missa, qua *Mozarabes in Hispania* utebantur: *Hic est calix noui testamenti in meo sanguine, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*; ergo illa sola: *Hic est sanguis meus*: sunt essentialia; subsequentia uerò non sunt necessaria; aliter *in tot Liturgijs SS. Apostolorum, & Sanctorum Episcoporum* nulla fuisset consecratio; quod nemo dicere auderet.

8 Objic.

8 Obijc. 1. Illa verba: *Noui testamenti*: interponuntur alijs verbis essentialibus, & complent sensum bonum, ut habetur *apud D. Luc. & in Missa Mozarabum*; ergo sunt essentialia; non enim supponunt consecrationem iam factam. 2. *Innoc. III. c. cum Martha* asserit hanc formam, prout habetur in canone Missæ, fuisse ab Apostolis traditam, & Apostolos illam à Christo accepisse; & *Fund. Doct. Æg.* asserit congruum esse, quòd Christus reseruauerit *D. Petro*, tanquam eius Vicario tradere, & docere formas sacramentorum à Christo institutas, & prolatas; & *Catechismus Roman.* docet omnia illa verba formam componere; & *B. Pius V.* iussit expungi sententiam *Caietani* asserentis solùm ea verba: *Hic est sanguis meus*: esse necessaria. 3. *S. Tho. vbi sup.* asserit verba subsequentia esse de substantia, seu de essentia; nam *q. 60. art. 8.* inquit; quòd si quis subtrahat aliquod de substantia sacramenti, non facit sacramentum; ergo omnia verba, quæ habentur in canone, sunt necessaria.

Resp. ad 1. *cum Fund. Doct. vbi sup.* aliqua verba, quæ non sunt essentialia, anteponi, alia interponi, & alia postponi; & quamuis non supponant consecrationem, illam tamen non conficiunt, quia non sunt essentialia, & ideo talem virtutem non habent; ut constat de particula *enim*, de nomine *calix &c.* Dicuntur autem complere sensum verborum essentialium explicatiuè, non essentialiter. Ad 2. resp. *Fund. Doct.* Apostolos, & præcipuè *D. Petrum* tradidisse formas sacramentorum quoad verba, quæ sunt de necessitate, & de congruitate. Idem dicitur *ad Catechismum Romanum*, qui assignat formam, prout includit ea verba, quæ sunt de necessitate sacramenti, & de necessitate præcepti. *Ad B. Pium* dicunt iussisse expungi, quia putauit talem sententiam non esse ad mentem *S. Tho.* Ad 3. resp. *Idem ipsum S. Thomam* apertè docere hanc sententiam *art. 1. ad 4*; ubi ait, quòd *si sacerdos sola verba prædicta proferret* (nempe *Hic est sanguis meus*) *cum intentione conficiendi hoc sacramentum, perficeret sacramentum*. Quando ergo ait esse de substantia, intelligendus est de substantia integrali, ut manus, pes &c; quæ sunt de congruitate substantiæ, non de substantia. Cùm autem sumit substantiam pro essentia, tunc loquitur de necessitate, non de congruitate substantiæ.

9 Obijc. 2. Sanguis Christi non est sub speciebus vini, nisi prout significatur effusio illius pro redemptione generis humani; sed hæc significatio habetur solùm per verba subsequentia; ergo sunt necessaria. 2. Ecclesia *Latina* semper usa est omnibus illis verbis; & non profert calicem adorandum, nisi postquam sacerdos omnia illa verba protulerit; ergo idem. 3. Tutior est sententia asserens omnia illa verba esse essentialia; sed in materia sacramentorum tutior pars est asserenda; ergo idem. 4. Si prædicta verba non essent necessaria, essent superflua, & ideo liberè possent omitti.

Resp. ad 1. neg. min. vt *sup.* dictum est; nam hæc significatio habetur etiam per sanguinem separatim nominatum à corpore, per illa autem verba magis explicatur, quæ explicatio essentialiter necessaria non est. Ad 2. neg. cons. nam in consecratione panis sacerdos recitat etiam particulam *enim*, antequam ipsum proponat populo adorandum, & tamen hæc particula non est essentialis. Ad 3. neg. mai. alìter si quis protulisset sola verba: *Hic est sanguis meus*: tutius esset illum non adorare, quòd nemo diceret. Ad 4. neg. assumptum; sicut enim quamuis accidentia non sint de essentia compositi, non tamen sunt superflua, quia sunt in ornamentum illius; ita à pari.

A R T. VI.

De prolatione, significatione, veritate, & efficientia verborum consecrationis.

1 PLura *hic* mouentur, quæ, quia sunt de modo significandi, & potiùs pertinent *ad Philosophos*, breuiter sunt resoluenda; sunt enim parui momenti.

2 Quæritur 1; an verba consecrationis à sacerdote proferantur merè recitatiuè, historicè, & materialiter; ut volunt *Dur. Maior, Okam, Salmeron, Catharin. & alij*; vel tantùm significatiuè, & formaliter, non autem recitatiuè, & historicè; ut volunt *Gabr. Mars. & Vasq.*

Resp. proferri simul recitatiuè, significatiuè, & causatiuè; sed cum hoc discrimine: quòd quando sacerdos profert illa verba recitatiuè, & significatiuè, loquitur, vt homo; cùm autem illa profert causatiuè, loquitur ex persona Christi, ut innititur virtuti Diuinæ. *Ita Fund. Doct. Æg. de celebr. Miss. fol. 8. col. 1.* inquiens: *Proferre verba, vt sunt significatiua, est hominis, vt homo; nam ex institutione nostra habent verba, quòd significent &c. Sed proferre verba, vt sunt factiua, non est hominis, vt homo; sed vt homo innititur virtuti Diuinæ, &c; nam de Deo dictum est; quòd suum dicere est suum facere iuxta illud ps. 148. Ipse dixit, & facta sunt. Quòd ergo ex persona Christi dicendo hæc verba: Hoc est corpus meum: ita fiat, non potest hoc esse per humanam potentiam, quia homini non competit, quòd suum dicere sit suum facere, nec quòd dicat, & facta sint; sed per Diuinam potentiam homini Diuinitus collatam; quæ potentia est tantùm sacerdotalis, & per sacramentum ordinis imprimitur à Deo in animam sacerdotis &c. Et quia soli sacerdotes habent characterem sacerdotalem, soli sacerdotes habent potestatem conficiendi. Alij ergo homines possunt proferre illa verba, vt sunt significatiua, sed non, vt sunt effectiua; nam non sacerdos illa verba proferens per ea poterit aliquid significare, nihil tamen conficiet.* Ex quibus formatur hæc ratio. Qui repetit verba ab alio prolata, & intendit efficere id, quod illa verba significant, nedum reci-

recitatiuè, historicè, & materialiter, sed etiam formaliter significatiuè, & effectiuè se habet in prolatione illorum verborum; sed sacerdos proferens verba consecrationis repetit verba à Christo prolata, & intendit efficere id, quod illa verba significant; ergo sacerdos proferens verba consecrationis nedum recitatiuè, historicè, & materialiter, sed etiam significatiuè formaliter, & effectiuè se habet. Mi. constat; quia sacerdos non consecrat, nisi repetat verba à Christo prolata, quibus solùm annexa est virtus consecrandi; & si non intendat significare, & efficere corpus Christi, sed corpus suum sub speciebus panis, verè non consecrat. Prob. ma; nam recitare propriè loquendo est recantare verba ab alio aliàs prolata, & ideo est illa repetere; & formaliter significare, & efficere id, quod dicit, est formaliter intendere sensum illorum verborum, quæ profert; & causare illud, quod per ea verba significatur; ut constat; ergo qui repetit uerba ab alio prolata, & intendit efficere id, quod illa uerba significant, nedum recitatiuè, sed etiam formaliter significatiuè, & effectiuè profert illa uerba. Tum quia si ad consecrationem sufficeret uerba merè recitatiuè, historicè, & materialiter, sicut psitacus uerba profert humana, proferre; sequeretur, quòd sacerdos etiam loquens ex persona propria consecraret; quando enim aliquis recitat alterius uerba, non est necesse, quòd illa recitet ex illius persona, sed potest illa ex persona propria referre; sed conse. est *contra Flor. in decr. union. contra S. Ambr. lib. 4. de sacram. c. 4. & 5. & S. P. Aug. lib. 3. de Trin. c. 4; & alios SS. PP*; ergo & ant. Imò sequeretur, quòd non sacerdos recitans illa verba consecraret; si enim ad consecrationem sufficeret illa verba merè recitatiuè proferre, & non requireretur efficere, & significare id, quod efficitur; nihil deficeret laico ad hoc, ut consecraret, habet enim potentiam ad recitanda illa verba præcisè; nec requireretur potestas ad conuertendum panem, & vinum in corpus, & sanguinem Christi; quia non deberet significare formaliter hanc conuersionem à se ipso ministerialiter factam; sed conse. est euidenter falsum; ergo & ant.

3 Obijc. 1. Si sacerdos proferret verba consecrationis significatiuè, sequeretur. 1. Quòd hæc verba: *Hoc est corpus meum*; demonstrarent corpus sacerdotis, non Christi; illud enim pronomen *meum* significat corpus loquentis, qui est sacerdos. 2. Quòd illa verba: *Qui pro vobis effundetur*; significarent sanguinem Christi esse adhuc fundendum; & quòd sanguis Christi esset fundendus pro alijs, non pro ipso sacerdote. 3. Quòd *Auctores* tenentes oppositam sententiam nunquam consecrassent; sed hæc omnia sunt absurda; ergo & id, unde sequuntur.

Resp. neg. seq; nam sacerdos proferens illa verba, & intendens efficere id, quod illa significant, loquitur ex Christi persona, tanquam illius minister; ideo illud *meum* cadit supra Christi corpus, non sacerdotis; & ea verba *pro vobis* cadunt super eos, pro quibus Christus fudit sanguinem, qui pro illo tunc, quando Christus ea verba protulit, erat fundendus, non fusus; & *Auctores oppositi* habentes intentionem faciendi, quod Christus instituit, verè cōsecrant; & quod verbis negant, docent in praxi; nam intendere efficere, quod Christus instituit, est nedum recitatiuè proferre verba à Christo instituta, sed etiā formaliter significare, quod per illa conficitur; quia Christus verè intendit formaliter significare, & efficere id, quod illa verba significant.

4 Obijc. 2. Si sacerdos proferret verba consecrationis simul recitatiuè, & significatiuè, loqueretur nedum nomine Christi, sed etiam nomine proprio; sed hoc est falsum; quia impossibile est, quòd quis simul, & semel loquatur nomine proprio, & nomine alterius, qui enim refert verba alterius, refert tantùm, quod alter asseruit, non tamen asserit, quod ille asseruit; ergo sacerdos non profert simul verba recitatiuè. 2. Verba Christi recitatiuè prolata significant corpus Christi sub illis numero speciebus, sub quibus fuit in cęna, sed sacerdos proferens verba consecrationis non significat corpus Christi sub illis speciebus, sub quibus fuit in cœna, sed sub alijs numero distinctis; ergo ea verba non profert recitatiuè. 3. Ex eo, quòd quis recitet opinionem alterius, non dicitur illam assertiuè proferre; aliter quis recitans mendacium alterius mentiretur; & recitans hæresim esset hæreticus. 4. Implicat, quòd eadem vox significet diuersas materias; sed si verba consecrationis proferrentur recitatiuè, & assertiuè; illa vox *Hoc* prout recitatiuè prolata, significaret species panis, sub quibus fuit in cęna; & prout assertiuè dicta, significaret species, sub quibus est in manu sacerdotis; ergo implicat verba consecrationis simul recitatiuè, & assertiuè; seu significatiuè proferri. 5. Sacerdos proferens sola verba: *Hoc est corpus meum*: conficit sacramentum; sed tunc profert tantùm significatiuè, non recitatiuè; quia loquitur ex persona Christi tantùm; ergo idem.

Resp. ad 1. neg. mi; nam quis potest alterius verba referre illis consentiendo; & ideo illa recitare, & asserere, ut cùm quis recitat orationem Dominicam, recitat verba Christi, & simul petit à Deo, quæ in illa oratione petijt Christus. Ad 2. neg. mi; eadem enim vox secundùm diuersas rationes res diuersas significat; ut cùm quis dicit se velle instituere cęnam, sicut *Petrus* instituit; illa vox *cœna* significat institutionem cęnæ præsentis, & cęnam *Petri*, quæ sunt diuersæ numero. Ad 3. dist. Si consentiat ei, quod recitat, neg; si non consentiat, conc. Ad 4. neg. ma; ut dictum est ad 2. Ad ult. neg. mi; quamuis enim loquatur ex persona Christi; consentit tamen ex propria persona ei, quod loquitur ex Christi persona; ideo etiamsi tantùm illa verba proferret, recitatiuè se haberet, quia verba à Christo prolata repete-

peteret, quod propriè est recitare. Præterea quanuis loquatur ex persona Christi; attamen loquitur, ut minister Christi; & prout loquitur, ut Christi minister, loquitur ex propria persona; quia Christus non est sui ipsius minister.

5 Collig. *cont. Mastr.* essentiale esse sacramento, quòd verba consecrationis proferantur nedum significatiuè, assertiuè, effectiuè, sed etiam recitatiuè; quia non fit sacramentum, nisi à Sacerdote repetantur, & ideo recitentur verba à Christo prolata; atque adeo etiamsi omittantur omnia verba præcedentia consecrationē, adhuc verba consecratoria recitatiuè etiam proferri; quia à Christo prolata fuerunt; & in hoc sensu à sacerdote, vt ab eius ministro, recitantur; quanuis, vt habent vim conferendi gratiam, proferantur ex Christi persona.

6 Quæres 1; quid appellet, seu quid formaliter significēt hæc pronomina *Hoc*, *&* *Hic*?

Resp. hæc pronomina non significare panem, & vinum, prout sunt figuræ corporis, & sanguinis Christi; ut volunt *Caluinistæ*; neque prout in pane, & vino est corpus, & sanguis Christi, ut dicunt *Lutherani*; est enim de fide panem, & vinum non manere; & ideo ibi non esse, *vt inf.* videbimus. Neque sumi adiectiuè, prout scilicet significant aliquid adiacens corpori, & sanguini Christi; ut dixerunt *Vasq*; *Merat*; *Amic*; *Caspen*; *& alij*. Ratio est; quia tunc significant adiectiuè, quando coniunguntur immediatè cum aliquo substantiuo, ut cùm dicitur *hoc corpus*; tunc enim verè adiacet alteri; at in casu per se sumuntur sine aliquo substantiuo; nullus enim alius terminus ante verbum cum eis coniungitur; tum quia per se sola habent rationem subiecti, quod est substantiuum; ergo non sumuntur adiectiuè. Neque demonstrant panem, & vinum transubstantiandum in corpus, & sanguinem Christi; ut voluit *Alex.* Nam hæc pronomina demonstrant id, in quod conuertitur panis, & vinum; & de quo per verbum substantiuum prædicatur corpus, & sanguis Christi, ut constat; sed panis, & vinum non sunt id, in quod conuertitur panis, & vinum, conuersio enim fit in corpus, & sanguinem; non in panem, & vinum; neque de pane, & vino substantiuè prædicatur corpus, & sanguis Christi; ut diximus contra *Caluinistas*, *& Lutheranos*; ergo hæc pronomina non significant panem, & vinum transubstantiandum in corpus, & sanguinem Christi. Neque significant indiuiduum vagum, quod potest determinari ad corpus Christi; ut censent *Sua*; *Auersa*, *Lug*; *Gibb*; *& alij*. Nam hæc pronomina nunquam vagè significant; nisi addatur particula disiunctiua *vel* dicendo: *Hoc, vel illud, vel illud &c*; & certè hoc est discrimen, quod reperitur inter hanc propositionem: *Hic est liber meus*; & istam: *Aliquis liber est meus*; quòd prima significat certum, & determinatum librum; secunda verò significat librum tantùm indeterminatum; sed cùm dicitur: *Hoc est corpus meum*; significatur corpus Christi determinatè, aliter non fieret consecratio; ergo illud pronomen *Hoc* non sumitur vagè. Neque significant ens particulare determinatum, quod contrahitur ad corpus Christi; ut vult *Scot. apud Mastr. hic disp. 3. q. 8. art. 2. à n. 192*; ubi ait, quòd sensus est: *Hoc ens est corpus meum*. Implicat enim, quòd aliquod singulariter determinatum, quod est ultimò determinatum, ulteriùs determinetur; aliter non esset ultimò determinatum, & ideo nec singulare, quod ex communi conceptione significat aliquod ultimò determinatum.

7 Dicendum itaque *cum Fund. Doct. Æg. de Sacram. Altaris proposit. 42*; *Gibb*; *Sua*; *Lug*; *Auersa & alijs communiùs* pronomina *Hoc*, & *Hic* appellare corpus, & sanguinem Christi per modum termini communis ita, ut faciat sensum: *Contentum sub hoc*; idèst sub his speciebus, *est corpus meum*, eo prorsus modo, quo dicitur: *Contentum in hoc marsupio est aurum*. Significant autem per modum termini communis; quia pro eo tunc non intelligitur corpus Christi in facto esse positum, sed ponendum sub speciebus panis immediatè post prolationem verborum. Prob. 1. pars; nam pronomen *hoc*, & *hic* illud appellant, cum quo concordantur; sed pronomen *hoc* nequit concordari cum pane; quia neutrum cum masculino non concordat; concordat tamen cum corpore, quod pariter est neutrum; & pronomen *hic* nequit ob eandem rationem concordari cum vino; concordat tamen cum sanguine, uel cum calice; cùm uterque sit masculini generis; ergo pronomina *hoc*, *& hic* appellant, & demonstrant corpus, & sanguinem Christi. Prob. 2. pars *ex Fund. Doct. vbi s.* Hæc est differentia inter propositiones operatiuas, & non operatiuas illius, quod enunciant; quòd non operatiuæ supponunt rem iam esse, cùm proferuntur; operatiuæ verò non supponunt rem esse, quam enunciant, sed faciunt illam esse; vnde cùm incipiunt proferri, res concipitur quodammodò in fieri, seu in confici, & de illa pro illo tunc in confici enunciatur; postquam autem completè enunciata est, res est in facto esse; ergo pronomina *Hoc*, & *Hic*, cùm primùm proferuntur, appellant corpus, & sanguinem Christi, non quidem pro eo tunc positum in facto esse sub speciebus, sed quodammodò in fieri, & in confici, seu ponendum sub speciebus, illæ enim propositiones sunt proculdubio operatiuæ; vt docet *S. P. Aug. tract. 80. in Io. Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum*; & de fide est per hæc verba verè fieri sacramentum; ideo essentialiter sunt factiua, seu operatiua. Eodem prorsus modo loquendum, quo loquimur de naturali composito in fieri.

8 Dices 1. Idem significatur per pronomen *Hoc* in verbis consecrationis, quod significatur

in

in verbis antecedentibus à Christo immediatè prolatis: *Accipite, & comedite ex hoc omnes*; sed per istud non significatur corpus Christi, quod tunc non est, nec per illud conficitur; ergo neque per illud. 2. Si pronomen *hoc* significaret corpus Christi, propositio esset identica, & sinonyma; atque adeo nugatoria; idem enim esset omnino subiectum, & prædicatum; sed conſ. est falsum; ergo & ant. 3. Licèt pronomen *Hoc* possit sumi substantiuè; attamen pronomen *Hic* debet sumi adiectiuè; quia illud, quod sumitur substantiuè, poni debet solùm in neutro genere. 4. Si pronomen *Hoc* significaret corpus Christi, verba consecrationis essent falsa; quia cùm profertur pronomen *Hoc*, corpus Christi adhuc non est sub speciebus panis.

Resp. ad 1. neg. mi; illa enim verba: *Accipite &c.* fuerunt à Christo prolata post verba consecrationis; quanuis narrentur, vt antecedenter prolata; non enim est necesse, ut res narretur eo modo, quo facta est; ut discurrit *S. P. Aug.* de creatione, quæ facta fuit vnico temporis momento, & non potuit, nisi pluribus instantibus narrari. Igitur priùs debuit Christus panem, & vinum consecrare, & posteà tradere accipiendum, & comedendum; quanuis hoc factum narrari debuerit ordine præpostero, ut actionem totam describeret, & posteà formam promulgaret. Ad 2. neg. ma; nam tunc esset propositio sinonyma; si diceretur: *Corpus meum est corpus meum*; at quanuis *Hoc* appellet *corpus meum*, non est sinonyma; quia sunt diuersæ rationes, quibus significatur corpus Christi per pronomen *Hoc*; & per illa verba *corpus meum*; nam *Hoc* significat communiter; & *corpus meum* significat singulariter, quæ rationes, licèt sint idem realiter, differunt tamen virtualiter, quod sufficit ad tollendam sinonymiam; vt patet de animalitate, & rationalitate in homine. Ad 3. neg. assumptum; nam tunc *hoc*, & *hic* sumuntur adiectiuè, quando immediatè coniunguntur cum substantiuo; vt cùm dicitur: *Hoc corpus est meum*; at verò quando immediatè non coniunguntur cum substantiuo, sed per se singillatim sumuntur, substantiuè accipiuntur, etiamsi masculinè accipiantur; vt cùm dicitur *homo iustus*, tunc iustus sumitur adiectiuè, cùm verò dicitur: *Iustus ex fide viuit*; tunc *iustus* sumitur substantiuè, quamuis sit masculini generis. Ita à pari. Ad 4. neg. pariter assumptum; nam cùm sacerdos loquatur ex persona Christi, cuius dicere est facere; & non ex propria persona, cuius dicere non est facere; ideo pronomen *hoc* appellat corpus, quod ex vi illorum verborum fit sub speciebus panis; dicere enim Dei est operatiuum teste Apost. *Rom. 4. Vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt.*

9 Ex his habetur solutio alterius dubij, quod mouetur à Theologis; scilicet verba consecrationis esse vera de præsenti ex rigore sermonis, non autem solùm esse vera ex intentione Christi; vt refertur sensisse *Gabr. & Scotum*; quanuis *Mastr.* ipsum in oppositum referat. Ratio est. Ad verificandam propositionem factiuam de præsenti sufficit, quòd per illam fiat, quod enunciatur; sicut ad verificandam de præsenti propositionem non operatiuam sufficit esse id, quod per illam demonstratur; sicut enim veritas propositionis non operatiuæ ordinatur ad esse; ita veritas propositionis operatiuæ ordinatur ad fieri; sed per verba consecrationis verè fit corpus Christi sub speciebus panis, & vini; ergo in omni rigore est vera de præsenti. Tum quia ad verificandam propositionem non requiritur, vt totum illud, quod per ipsam enunciatur, sit, cùm profertur vnus tantùm terminus illius propositionis, sed sufficit, vt sit, cùm tota propositio profertur; vt ad verificandum, quòd aliquod sit compositum ex materia, & forma, non requiritur, quòd materia, & forma simul exprimantur, sed sufficit, vt exprimantur successiuè; tunc enim integra habetur descriptio compositi; ergo quanuis cùm profertur: *Hoc est*; pro eo tunc non sit corpus Christi sub speciebus panis; attamen quia post integram prolationem totius propositionis est ibi corpus Christi; ideo in rigore sermonis est vera. Tum quia licèt intentio loquentis sufficiat ad verificandam propositionem in sensu loquentis; non tamen sufficit ad illam verificandam in sensu naturali, & obuio, quem exhibent ipsæmet voces; sed verba consecrationis sunt vera in sensu naturali, & obuio, quem exhibent verba; ergo sunt vera nedum ex intentione Christi, sed etiam ex vi ipsius sermonis.

10 Dices 1. Tunc propositio est vera, quando eius partes sunt veræ; sed partes huius propositionis; *Hoc est corpus meum*: non sunt veræ, nisi ex intentione Christi; nam quando profertur: *Hoc est*; tunc est verum illud pronomen, cùm cadit supra illud, quod appellat; tunc autem corpus Christi, super quod cadit, non est sub speciebus panis; & ideo non est verum secundùm se, sed tantùm ex intentione Christi; ergo verba consecrationis in rigore sermonis non sunt vera. 2. Tunc oratio est vera, quando existit, aliter esset vera, quando non esset; & quando est, esset falsa; sed cùm prolata est, non existit; ergo tunc non est vera. 3. Verba consecrationis non habent veritatem, nisi post aliquod tempus, quo prolata sunt; nam tunc habent veritatem, cùm percipi possunt ab audientibus, quod nequit esse, nisi post aliquod tempus à prolatione: tum quia debent per aliquod tempus discontinuari ab alijs verbis, quæ possent adiungi; vt si quis dicat: *Christus non est realiter in hostia secundum Caluinum*; non est hæreticus; & ideo ut sit hæreticus post prolationem illorum verborum: *Christus non est realiter in hostia*; debet dari morula, qua censeatur non loqui

loqui *secundùm Caluinum*; ergo verba consecrationis non habent veritatem, cùm proferuntur, nec statim, ac prolata sunt.

Resp. hęc omnia fundari in ignorantia propositionis operatiuæ. Ad 1. dist. mi. Partes huius propositionis non sunt veræ veritate appellante aliquod suppositum præcedenter in esse, conc; appellante aliquod in fieri, neg; nam cùm profertur: *Hoc est*: tunc demonstratur corpus Christi in fieri sub speciebus, non autem supponitur esse sub illis. Ad 2. dist. ma. Tunc oratio est vera formaliter in fieri, quando existit, conc; materialiter in facto esse, neg; nam veritas materialis est in rebus etiam, postquam verba prolata sunt; quia in illis est conformitas ad intellectum, qui illa verba protulit; cùm autem verba proferuntur, tunc est veritas rei, quæ est in fieri, non in facto esse. Ad 3. neg. ant. Ad prob. dicitur, quòd propositio non emendicat veritatem ab audiente, sed illam sumit à conformitate rei ad intellectum; nam propositio prolata, etiamsi non audiatur, adhuc tamen est vera. Ad aliam dicitur, quòd licèt ueritas propositionis non percipiatur ab audiente, nisi post aliquod tempus ab eius prolatione; attamen secundùm se ipsam immediatè est uera, cùm profertur intentione debita illam proferendi; unde qui intenderet proferre tantùm: *Christus non est realiter in hostia*; statim post prolationem horum uerborum internè esset hæreticus; quanuis externè non posset dignosci, nisi post aliquam moram temporis.

11 Quæritur 2; an verba consecrationis operentur solùm, vt significatiua; vt vult *Scot. cum suis apud Mastr. disp. 9. art. 2*; quibus adduntur *Vasq; Lug. & aly Neoterici*; vel nedum vt significatiua, sed etiam, vt vera; vt volunt *ex nostris Gibb; Bernardin; & Legionen. ex S. Tho. hic art. 5. in corp*; quem sequuntur *omnes Thomistæ*; præter quos *Sua. disp. 58. sect. 6; Coninch; Amic; & alij*?

Resp. verba consecrationis operari nedum vt significatiua, sed etiam, vt vera. Ratio primi est; quia vt diximus *de Sacram. in com. q. 2. art. 1. §. 4*; sacramenta sunt signa practica illius, quod significant, & ideo vt significatiua, seu quatenus sunt signa, causant, & operantur id, quod significant, vt docet *Fund. Doct. loc. cit. Vid.* rationes *ibid.* Ratio secundi petitur 1. *ex Trid. sess. 13. c. 4*; vbi ex veritate verborum consecrationis infert conuersionem panis in corpus Christi; ergo veritas verborum est operatiua. Nec valet respondere *cum Mastr. ex Vasq*; quòd scilicet *Trid.* colligat præsentiam realem corporis Christi ex veritate verborum à posteriori, tanquam ex effectu. Non valet, inquam: nam *Conc.* infert corpus Christi esse sub speciebus panis; quia vera sunt verba, virture quorum sub speciebus panis efficitur, & significatur; sed hoc est per causalitatem, & à priori; sicut si quis diceret aerem esse illuminatum, quia Sol verè illum illuminat; adduceret rationem à priori, non à posteriori, vt patet; ergo *Trid.* ex veritate verborum à priori, & per causam infert realem præsentiam corporis Christi. 2. Quod causat entitatem, causat etiam veritatem transcendentalem, quæ sequitur ad illam entitatem; uam causans essentiam causat etiam passiones illius iuxta illud axioma: *Qui dat esse, dat etiam consequentia ad esse*; sed uerba consecrationis causant corpus Christi sub speciebus panis; ergo causant etiam veritatem transcendentalem, secundùm quam uerè dicitur esse sub speciebus panis. Atqui veritas transcendentalis non causatur, nisi à veritate formali: sicuti entitas materialis effectus non causatur, nisi à ratione formali causandi, quæ est in causa; ergo veritas formalis verborum consecrationis causat veritatem transcendentalem, quæ sequitur ad corpus Christi, prout sub speciebus existit; & per consequens verba etiam, vt vera, causant formaliter, non autem causantur à corpore Christi. 3. Pro illo priori, pro quo verba intelliguntur operatiua, sunt vera; sunt enim verba Christi, qui est ipsa ueritas, à qua non possunt esse uerba, nisi sint uera; ergo non desumunt, sed communicant ueritatem sacramento, & ideo illud causant in ratione ueri. 4. Quanuis veritas sumatur ex conformitate *rei ad uerba* loquentis; non tamen est necesse, quòd illa res actualiter existat, antequam verba loquentis sint formaliter uera, sed sufficit, quòd res in esse obiectiuo sit conformis ipsis verbis, ut diximus *to. 1. q. de Verit. art. 3*; aliter Verbum Dei, per quod causat creaturas, non esset formaliter uerum, nisi postquam causatæ sunt creaturæ; & intellectus creatus cogitans se uelle statuam producere uerus non esset, nisi postquam statuam produxit; & cùm produceret statuam, pro illo priori ueram statuam non produceret; imò nec uerè produceret; neque omne, quod est in effectu, produceret; quia non produceret ueritatem transcendentalem, quæ in illo est; & effectus haberet aliquid in se, quod non esset à producente; quæ omnia sunt absurda; & manifestè falsa. 5. Si effectus productus ab aliqua causa non produceretur ab illa in ratione ueri, neque produceretur in ratione boni, & unius; & ideo neq; in ratione entis, atque adeò nullo modo produceretur; ista enim omnia ita sunt essentialiter connexa, ut ad inuicem conuertenter dicantur; sed cons. est falsum; ergo & ant.

12 Obijc. 1. *Scot. apud Mast.* Causa saltem natura debet præcedere effectum secundùm eam rationem, secundùm quam causat; sed oratio non est uera, nisi postquam posita est à parte rei res, quam enunciat; ex eo enim, quòd res existit, dicitur vera; sicuti ex eo, quòd non existit, dicitur falsa; ergo oratio, nequit, ut uera, causare effectum, quem enunciat 2. In omni

pro-

propositione priùs natura intelligitur significatio, quàm ueritas; quia discipulus priùs apprehendit significationem propositionis, & posteà ueritatem; pro eo autem tunc, quo apprehendit significationem, apprehendit significationem, ut neutrum, idèst neque ueram, neque falsam; imò propositio retinens eandem significationem potest esse uera, & falsa, si sit in materia contingenti; ut cùm dicitur: *Petrus currit;* ergo uerba consecrationis causant ratione significationis, non ueritatis. 3. Potuisset Deus instituere aliquam orationem non significatiuam, ad cuius prolationem fieret consecratio; ergo ueritas non est de essentia consecrationis.

Resp. hæc potiùs probare, quàm improbare nostram sententiam. Ad 1. dist. ma. Causa in actu primo debet præcedere effectum, conc; & neg. mi; in actu secundo, neg; & conc. mi; sicut enim causa non dicitur causare in actu secundo, nisi cùm ponitur effectus; & tamen est prior effectu, quia illum præcedit in actu primo; ita quamuis uerba non sint uera in actu secundo, nisi cùm ponitur effectus, attamen dicuntur etiam, ut uera, præcedere; quia in actu primo, prout habent conformitatem ad effectum in esse obiectiuo, cui postea correspondebit esse à parte rei, sunt uera. Ad 2. dicitur, quòd licèt apprehendatur priùs significatio, quàm ueritas propositionis, non sequitur, quòd propositio non sit simul significatiua, & uera; sicut licèt priùs homo cognoscatur, ut animal, quàm rationale, non sequitur, quòd non sit simul animal, & rationale. Vnde quanuis significatio, & ueritas in propositione se habeant, ut genus, & differentia, quia eadem significatio potest esse uera, uel falsa; attamen non sequitur, quòd si causat, ut significatiua, non causet, ut uera; sed potiùs sequitur, quòd causet; sicut enim homo producens hominem non producit tantùm, ut animal, sed etiam ut homo; ita à pari. Ad 3. dicitur ant. esse falsum salua essentia sacramenti de facto à Deo instituti, quod essentialiter est *signum gratiæ &c.* Præterea omisso ant. dicitur, quòd in eo casu nec etiam causaret, ut significatiua; ergo sicuti ex eo, quòd Deus potuerit determinare orationem non significatiuam, quæ non causaret, ut significatiua, quia significatiua non esset, non arguitur, quòd de facto non causet, ut significatiua; ita à pari de ueritate.

13 Modus autem, quo ueritas uerborum causat, colligi potest ex dictis *to. 2. de scient. Dei q. 3. art. 1;* eodem modo, quo scientia causat res, vt scibiles sunt; ita ueritas uerborum Christi causat sacramentum, quatenus uerum.

14 An autem uerba consecrationis in sensu literali, vel figurato sint accipienda, *in seq. q.* dicemus.

ART. VII.

An eucharistia sit vnum sacramentum? Vbi an communicans sub vna tantùm specie totum sumat eucharistiæ sacramentum?

1 CErtum est eucharistiam, vt est sacramentum simul, & res sacramenti, esse vnum sacramentum specie, & numero; sic enim significat Corpus Christi, quod est vnum numero, licèt replicatum in pluribus locis sub pluribus panis speciebus; vt *inf.* dicemus *cum Fund. Doct. Æg.* Dubium ergo est de eucharistia, ut est sacramentum tantùm, scilicet de speciebus panis, & uini, prout significant corpus, & sanguinem Christi; an scilicet species panis, & uini constituant unum sacramentum specie infima, uel tantùm subalterna; & nedũ constituant unum sacramentum in specie infima, sed etiam numero ita, ut omnes species consecratæ existentes in mundo sint vnum tantùm numero sacramentum? Non procedit autem quæstio de vno vnitate indiuisibilitatis, ut est Angelus; constat enim species esse diuisibiles, imò & diuisas inter se, corporeæ enim sunt; neque de vno continuitatis, species enim vini sunt discretæ à speciebus panis; neque de vnitate compositionis naturalis; sic enim illa solùm sunt vnum, quæ se habent, vt materia recipiens & forma recepta, species autem vini non recipiuntur in speciebus panis, ut liquet. Loquimur ergo de unitate integritatis, & perfectionis eo modo, quo exercitus, ciuitas, & domus est vna, quia constat ex pluribus partibus, quibus integratur, & perficitur.

2 *Aliqui* volunt ex speciebus panis, & vini resultare vnum sacramentum in specie subalterna, duo autem in specie athoma; sicut septem ordines sunt vnum sacramentum in specie subalterna, seu genere proximo, sunt autem septem sacramenta in specie athoma; idem dicitur de pluribus unctionibus, ex quibus constat extrema vnctio. *Ita Aureol; Maior, & Gabr. apud Suar;* quibus additur *Gauat. recens Scotista apud Mastr. hic disp. 3. q. 2. n. 34.*

3 *Alij* concedunt eucharistiam esse vnum sacramentum in specie athoma, sed litigant de eius vnitate numerica contendentibus *aliquibus* esse vnum numero tantùm in omnibus hostijs sacramentum; ut *Sua; Lug; Orland; Bald; & alij* asserentibus *alijs* tot esse sacramenta numero distincta, quot sunt sumptiones à diuersis hominibus factæ; ut *Sot; Bellarm; Valent; Gonet; alijs* tandem dicentibus vnitatem numericam, desumi ab vnitate formæ ita, vt omnes hostiæ per vnicam formam consecratæ sint vnum numero sacramentum. *Ita Granad. tract. 1. disp. 4. n. 8.*

Nostra

Noſtra verò ſententia docet euchariſtiam eſſe vnum ſacramentum in ſpecie athoma, & eius vnitatem numericam ſumi ex vnitate ſpecierum conſecratarum. *Collig. ex Fund. Doct. Æg. de celebr. miſſ. fol.* 11. *col.* 3; *&* 4; *& Quodl.* 1. *q.* 4; vbi docet, quòd in omnibus hoſtijs eſt idem numero corpus Chriſti, & ab omnibus idem numero ſumitur; at verò ſpecies panis, & vini multiplicantur ad multiplicationem dimenſionum, ſeu quantitatis, per quam diuiduntur; ex diuiſione enim oritur multiplicatio, vt patet; ideo euchariſtia, vt ſacramentũ tantùm, quia ſic accepta importat ſolas ſpecies, vt diximus *q.* 1. *art.* 1; multiplicatur numero ad multiplicationem ſpecierũ; ſed vt eſt ſacramentum ſimul, & res ſacramenti, eſt una numero; quia ſic importat corpus Chriſti, quod eſt unum numero. Hanc ſententiam, quanuis non ſub hac claritate, non enim diſtinguunt, ut eſt diſtinguendum de euchariſtia, ut eſt ſacramentum tantùm; & ut eſt ſacramentum, & res ſacramenti ſimul, docent *noſter Gibb; Vaſq; Petr. Corneio; Maſtr; apud quem plures Scotiſtę, & alij*.

4 Vnica concl. Euchariſtia, ut eſt ſacramentum tantùm, eſt unum ſpecie infima, & multiplex numero iuxta multiplicitatem ſpecierum. At ut eſt ſacramentum ſimul, & res ſacramenti, eſt unum numero; & communicans ſub una tantùm ſpecie ſumit totum, & integrum ſacramentum, quod eſt ſimul ſacramentum, & res ſacramenti; & ſumit uerum ſacramentum; non tamen totum, quod eſt ſacramentum tantùm.

Prob. 1. pars *ex Flor. in decr. vnion; & Trid. ſeſſ.* 7. *can* 1; abſolutè ſtatuentibus ſeptem tantùm eſſe ſacramenta; quod nequit intelligi de ſacramentis in genere, quia ſacramenta in genere ſunt tantùm duo; ſcilicet ſacramentum mortuorum, & ſacramentum uiuorum. Tum quia *Flor.* aſſerit materiam huius ſacramenti eſſe panem triticeum, & uinum de uite; formam uerò uerba, quibus panis, & uinum conuertuntur in corpus, & ſanguinem Chriſti; & *Trid. ſeſſ.* 21. *c.* 4. ait hoc ſacramentum in duabus ſpeciebus, ſcilicet panis, & uini inſtitutum fuiſſe; ſicut autem ex eo, quòd ſacramentum mortuorum diuidatur in baptiſmum, & pęnitentiam, non aſſerit eſſe unam materiam, & formam illius, adeoq; unum ſacramentum; ita è contra ex eo, quòd ſtatuat eſſe unam materiam conſtantem ex pane & uino, quemadmodum una eſt materia confirmationis conſtans ex oleo, & balſamo; & unam formam, qua conuertitur panis, & uinum in corpus, & ſanguinem Chriſti; euidenter infertur euchariſtiam eſſe unum tantùm ſacramentum in ſpecie athoma. Idem docent *SS. PP*; qui loquuntur de euchariſtia in ſingulari docentes eam conſtare ex ſpeciebus panis, & uini; ut *S. P. Aug. lib.* 19. *cont. Fauſt. c.* 14; *& lib.* 5. *cont. Donatiſt. c.* 20; *& de doctr. Chriſt. lib.* 3. *c.* 9; ubi uocat euchariſtiam *celebrationem corporis, & ſanguinis Chriſti; & Gelaſ. Papa de conſecr. diſt.* 2. *c.* 11. *comperimus* mandat ſacerdoti, ut ſumat utranque ſpeciem; *quia diuiſio vnius, eiuſdemque myſterij ſine grandi ſacrilegio peruenire non poteſt*. Si autẽ eſſet duplex ſacramentum, poſſet vnum diuiſim ab alio ſumi; ſicut quia ſeptem ſunt ordines, ſingulatim, & diuiſim ſine ſacrilegio ſumuntur; quanuis omnes ordines vnum tantùm ſint ſacramentum, vt docet communior ſententia. Sic quia eſt vnum ſacramentum viuorum in genere; nullus ait materiam eius eſſe ablutionem, contritionem, & accuſationem peccatorum; ergo cùm dicitur materiam euchariſtiæ eſſe panem, & vinum, apertè innuitur eſſe vnum ſacramentum in ſpecie athoma.

5 Prob. 2. ratione. Ab vnica re ſignificata immediata, totali, & adæquata, quanuis compoſita ex pluribus ſpeciebus inadęquatis, nequit ſumi, niſi vnica ſpecies infirma ſacramenti; nam quanuis homo componatur ex carne, & ſanguine, & oſſibus, quæ ſunt ſpecies diuerſæ; attamen quia ſunt partes inadæquatę, ideo homo non eſt multiplex ſpecie; ſed euchariſtia, vt eſt ſacramentum tantùm, immediatè reſpicit vnicã rem totalem, & adęquatam, nempe Chriſtum, prout eſt vnum compoſitum ex carnę, & ſanguine, quæ ſunt ſpecies inadæquatæ componentes ipſum compoſitum, quod fit ex carne, & ſanguine, vt conſtat; ergo euchariſtia, *vt eſt* ſacramentum tantùm, non eſt, niſi vnicum ſacramentum in ſpecie infima.

6 Conf. Ex diſtinctione ſpecierum integrantium, & conſtituentium vnicum totum nequit ſumi diſtinctio ſpecifica illius totius; ſed ſpecies panis, & vini integrant, & conſtituunt vnicum ſacramentum euchariſtię; vt loquuntur *Concilia, & SS. PP*; qui aſſerunt ſacerdotes conſecrantes, & ſumentes ſpecies panis ſine ſpeciebus vini non perficere totum ſacramentum euchariſtiæ; ſed conficere ſolùm imperfectum ſacramentum, quod verum non eſſet, ſi ſpecies panis, & vini ſimul ſumptæ non conſtituerent vnicum tantùm ſpecie infima ſacramentum; ex eo enim, quòd baptiſmus, & pænitentia conſtituant vnum ſacramentũ genericum mortuorum; non ſequitur, quòd baptizans, & non abſoluens, conficiat ſacramentum imperfectum; ſed tantùm, quòd conficiat ſacramentum baptiſmi, & non penitentię; ergo ex diſtinctione ſpecierum panis, & vini nequit deſumi, quòd euchariſtia ſit duplex ſacramentum ſpecie infima.

7 Prob. 3. Ex eo, quòd conuiuium conſtet ex potu, & cibo, non ſequitur, quòd ſit duplex conuiuium reficiens corporis vitam; ergo ex eo, quòd euchariſtia, vt eſt ſacramentum tantùm, conſtet ex ſpeciebus panis, & vini, non ſequitur, quòd ſit duplex conuiuium reficiens ſpiritalẽ animæ vitam; ita enim ſe habet conuiuium ſpiritale per ordinem ad refectionem animæ; ſicut ſe habet conuiuium corporale per ordinem

ad re-

ad refectionem corporis; sed eucharistia, ut est sacramentum tantùm, est conuiuium spiritale reficiens animam; canit enim Ecclesia: *O sacrum conuiuium*; ergo quamuis eucharistia constet ex cibo, & potu, attamen est vnicum sacramentum totale reficiens animam.

8 Dices. 1. *Trid. vbi supra contra Acatholicos* docet sub altera tantùm specie sumi totum, integrum, verumque sacramentum; ergo duæ species sunt duo sacramenta totalia, & adæquata, specie infima diuersa. Item Ecclesia *in canone Missæ* inquit: *Quem pura, & sancta refecerunt sacramenta*; *& in quadam collecta*: *Purificent nos Deus, sacramenta, quæ sumpsimus*. Tandem Concilia, *& SS.PP.* species panis, & vini sacramenta plurali numero appellant.

Resp. omissa sententia *Petri Corneji* asserentis unam speciem seorsim ab alia non participare totam essentiam sacramenti, sed solùm inadæquatè, sicut anima participat naturam hominis; anima enim non participat adæquatè naturam hominis, quia prout separata, non includit corpus ratione connexionis naturalis, & concomitantiæ; sicut una species, quamuis ab altera separata, aliam includit; ideo sicuti si anima hoc modo includeret corpus, participaret totam essentiam hominis; ita quia vna species sic alteram includit, participat totam rationem sacramenti. Item omissa responsione *nostri Gibb; Bellarm; Lug; & aliorum* asserentium quamlibet speciem participare essentiã sacramenti, & cũ altera specie integrare vnũ sacramentũ perfectũ, si enim ex se ipsa nõ constituit sacramentũ perfectũ; iam non participat totã essentiam sacramenti; & ideo nequit dici absolutè sacramentum, sed solùm cum addito: scilicet pars sacramenti:

Resp. igitur *Trid.* loqui de sacramento, quod est simul sacramentum, & res sacramenti; quælibet enim species continet totum Christũ, & per consequens corpus, & sanguinem Christi; vnum quidem ex ui uerborum, & alterum per concomitantiam; non autem loqui de sacramento, quod est sacramentum tantùm, quia species panis non continent species vini, vt notum est. Ideo inquit *sub altera tantùm specie sumi totum, atque integrum Christum*; & cùm addit *vtrumque sacramentum*; vel loquitur de sacramento, quod est simul res significata; vel loquitur de sacramento inadequatè sumpto, quod est verum sacramentum inadæquatum ex parte modi significandi, quia sensibiliter non significat id, quod significatur per alias species; adæquatum tamen ex parte rei significatæ, quæ per naturalem concomitantiam continet etiam rem significatam per illas. Ad *canonem, & collectam* dicitur species appellari sacramenta inadæquata, quæ constituunt vnum sacramentum adæquatum, & perfectum; non tamen propter hoc appellanda sunt duo sacramenta specie diuersa, quia diuersitas specifica non attenditur penes significata inadæquata, vt dictum est; sed vnum sacramentum adæquatum, & perfectum; quapropter *in illa eadem collecta* subditur: *Præsta, vt hoc tuum sacramentum &c.* vt optimè aduertit *S. Tho.* In hoc sensu locuti sunt *SS.PP. & Concilia*.

9 Dices iterum. 1. Quamuis vna tantùm species ex parte modi significandi non significet integrum sacramentum, quia panis non significat sanguinem; attamen ex parte rei significatæ per naturalem concomitantiam vtrumque significat; ergo vnaquæque species constituit integrum sacramentum; sed sunt duæ species specie distinctæ; ergo & duo sacramenta specie distincta. 2. Ex duplici materia, & duplici forma specie distinctis constituuntur duo composita specie distincta; multiplicatio enim specifica habetur à forma; sed species panis, & vini habent materiam, & formam specie diuersam, vt patet; ergo constituunt duo sacramenta specie diuersa. 3. Species panis, & vini differunt materialiter; quia sunt accidentia substantiarum specie diuersarum; & formaliter, quia species panis significant corpus; & species vini sanguinem; ergo constituunt duo sacramenta specie diuersa. 4. Eucharistia non constituitur in ratione sacramenti per ordinẽ ad id, quod ponitur per concomitantiam; quia cùm sacramentum sit signum, non constituitur, nisi per ordinem ad id, quod significat; non significat autem id, quod ponitur per concomitantiam; aliter poneretur ex vi significationis, non per concomitantiam; sed corpus, & sanguis sunt duæ species diuersæ; ergo species panis, & vini sunt duo sacramenta specie diuersa. 5. Eucharistia prædicatur de speciebus panis, & vini non tanquam de indiuiduis, differunt enim specie; ergo prædicatur de ipsis tanquam de duabus speciebus distinctis; non enim potest prædicari de illis, tanquam de partibus illam integrantibus; quia totum nequit prędicari de parte: vt nequit dici: *Anima est homo*.

Resp. ad 1. neg. 2. part. ant; quamuis enim res significata per species panis importet per naturalem concomitantiam rem significatam per species vini; attamen falsum est, quòd species panis significent sanguinem concomitari corpus; ideo aliud est sanguinem connecti cum corpore; & aliud hanc connexionem significari per species panis. Primum conc; secundum neg. Ad 2. dist. ma. Ex duplici materia, et forma adæquata, conc; sed neg. mi; inadæquata, neg; sanguis enim, et caro cõponunt corpus hominis; et in sententia probabili sanguis non est animatus, ideò habet diuersã formã, & tamẽ sanguis, & caro non constituunt duo composita specie diuersa. Ad 3. dist. ant. Et sunt duo inadæquatè constituentia vnum compositum totale adequatum, conc; et sunt duo adæquatè, neg. Ad 4. eodem modo dist. mi. Sunt duæ species inadæquatè constituentes vnũ compositum adæquatum

tum,conc; adæquatè constituentes duo composita adæquata totaliter diuersa, neg. Ad 5. dist. ant. Prædicatur in recto,& totaliter,neg;in obliquo, et inadæquatè, conc; sic autem totum prædicatur de parte,vt constat.

10 Prob.2.pars concl. Vnitas numetica eucharistiæ, vt est sacramentum tantùm, desumitur à materia signata quantitate, non à forma; nam ex pluralitate ablutionum, quæ sunt materia proxima baptismi,vt diximus *suo loco*, etiam cum vnitate formæ; vt cùm plures simul baptizantur, sunt plures numero baptismi. Item non desumitur ex corpore Christi, quod est res significata,quia à re significata desumitur vnitas formalis, non materialis, vt diximus; implicat enim, quòd à forma sumatur id, quod conuenit materiæ; quia dantur plura numero signa eiusdem rei significatæ, vt constat de die iudicij, quem plura numero signa præcedent. Neq; sumi potest à sumptione; quia sicuti essentia eucharistiæ,vt est sacramentum tantùm,non dependet à sumptione, sed illam præcedit; hostia enim consecrata est verum sacramentum, antequam sumatur; ita vnitas numerica, quæ est passio essentiæ,quia cum illa conuertitur,à sumptione non dependet; ergo vnitas numerica eucharistiæ, vt est sacramentum tantùm, sumitur ab vnitate numerica specierum consecratarum. Tum quia eucharistia, vt est sacramentum tantùm, importat solas species, vt sunt signum sensibile corporis Christi existentis sub ipsis; sed ratio signi sensibilis corporis Christi multiplicatur numero ad solam multiplicationem specierum consecratarum; valet enim: *Istæ numero species sunt signum sensibile corporis Christi; illæ species sunt signum sensibile &c*; & sicut istis numero speciebus non competit esse signum sensibile per rationem signi sensibilis existentis in alijs speciebus; nam præcisis alijs speciebus adhuc istæ species sunt signum sensibile; ideo ratio numerica huius signi sensibilis, quæ existit in his speciebus, habetur ab vnitate numerica harum specierum independenter ab alijs speciebus; & sic de ratione numerica existente in alijs speciebus; ergo vnitas numerica eucharistiæ, vt est sacramentum tantùm, habetur ab vnitate numerica specierum; atqui ab eodem sumitur multiplicatio, à quo sumitur vnitas; quia multiplicatio non est, nisi multiplex vnitas; ergo à multiplicatione numerica specierum sumitur multiplicatio numerica eucharistiæ, vt est sacramentum tantùm. Tandem vnitas numetica relationis sumitur ab vnitate numerica subiecti, non autem termini correlatiui; nam idem homo potest esse pater plurium filiorum; ergo à multiplicatione numerica subiecti habetur multiplicatio numerica relationis; hinc plures filij dicuntur respectu eiusdem patris. Atqui subiectum, in quo fundatur ratio signi sensibilis corporis Christi, sunt species, vt patet; ergo vnitas, & multiplicatio numerica signi sensibilis corporis Christi, & consequẽter eucharistiæ, vt est sacramentum tantùm, habetur ab vnitate, & multiplicitate numerica specierum.

11 Dices 1. *Apost.* 1. *Cor.* 10. inquit: *Vnum corpus sumus omnes, qui de vno pane, & de vno calice participamus; & ad Hebr.* 10. *Vna hostia, non multa; sicut enim, quod vbique offertur, vnum est corpus, & non multa corpora; ita & vnum sacrificium; & S. Ambr. lib. de his qui initiantur c. 9. Sacramentum, quod accipis, corpus Christi est*; ergo multiplicatio numerica eucharistiæ non sumitur à multiplicatione specierum, sed corporis Christi. 2. Si Christus assumpsisset plures humanitates, non esset plures homines; & si paries haberet plures albedines, non esset plura alba; ergo à pari. 3. Sequeretur sacerdotes sumentes tres partes hostiæ, vel plures hostias, & particulas sumere plura sacramenta; & multiplicem gratiam accipere; quodlibet enim illorum suum effectum causaret; & sic deferentes in pixide plures particulas deferre plura sacramenta; sed cons. est falsum; ergo & ant. 4. Ex multiplicatione numerica materiæ pœnitentiæ non multiplicatur numero sacramentum pœnitentię; vt cùm quis bis confitetur eadem peccata, & bis dolet de illis; idem dicendum de trina ablutione baptismi; ergo a pari. 5. *Ex eo, quòd* quis sumat plures cibos, & plura frusta panis, non dicitur sumere plura conuiuia; ergo ex eo, quòd sumat plures particulas consecratas, non dicitur sumere plura sacramenta eucharistiæ, quæ est spirituale conuiuium. 6. Ex speciebus panis, & vini, quæ sunt discontinuæ, integratur vnum numero sacramentum; ergo à fortiori ex pluribus hostijs.

Resp. ad 1. primum locum *Apostoli* intelligi de corpore mystico, quod est congregatio fidelium; sicut autem corpus Christi mysticum non est vnum physicè, sed tantùm moraliter; ita panis, quem comedunt omnes, est vnus tantùm moraliter, non physicè. Secundus locus procedit de eucharistia, vt est sacramentum simul, & res significata, & in hoc sensu loquitur S. *Ambr*; sic autem est vnum sacramentum, quia est vnum corpus Christi, vt mox dicemus. Ad 2. neg. 1. pars ant; vt diximus *to. 5. q. 1. art. 4. §. 1.* Sed dato etiam in opposita sententia neg. cons; nam homo constituitur iuxta hanc sententiam per naturam, & suppositum; ideo quia vnum tantùm esset suppositum, vnus tantùm esset homo. At eucharistia, vt signum tantùm, constituitur ex ipsis speciebus consecratis, ideo ad multiplicationem numericam specierum consecratarum multiplicatur numericè. Ad aliud dicitur, quod probat, non improbat; nam ideo plures albedines in vno pariete non essent plura alba; quia album non multiplicatur numero, nisi ad multiplicationem numericam subiectorum

rum

rum; sed subiectum, in quo est signum sensibile corporis Christi, sunt species, non corpus Christi; ergo eucharistia, vt signum sensibile corporis Christi, non multiplicatur, nisi ad multiplicationem specierum. Ad 3. dist. 1. pars ant. Sumerent plura sacramenta, vt plura, neg; nam in ipsa sumptione vniuntur in vnam refectionem; sicut quamuis ante comestionem sint plures cibi; attamen quando comeduntur, vniuntur in vnam refectionem; ita à pari. Ad aliud dicitur, quòd sicut non est inconueniens dicere, quòd sacerdos in pixide deferat plures hostias; ita non est inconueniens dicere, quòd deferat plura numero sacramenta loquendo de sacramento, quod est sacramentum tantùm. Quia tamen nomine sacramenti tunc potiùs significatur corpus Christi, quod est simul sacramentum, & res sacramenti; ideo in hoc sensu dicitur vnum tantùm deferri. Ad aliud neg. multiplicem gratiam recipere; sicut enim lignū à pluribus numero ignibus simul combustum non recipit plures formas ignis, quamuis separatim à quolibet illorum possit formam ignis recipere; ita à pari. Ad 4. dist. ant. Ex multiplicatione numerica materiæ pœnitentiæ, vt determinatæ per formam, non multiplicatur numero pœnitentia, neg; nam si quis bis accuset peccata, & bis absoluatur, bis suscipit sacramentum pœnitentiæ. Vt non determinatæ per formam, conc. Vnde si quis simul plures baptizet, & absoluat vnica prolatione verborum baptismi, & absolutione, quia sunt plures numero materiæ pœnitentiæ, & baptismi, ideo sunt plura numero sacramenta. At in eodem homine ablutio repetita non censetur multiplex materia, quia est idem subiectum. Idem dicitur de dolore, & accusatione peccatorum. Ad 5. dicitur, sicut ad 3. Ad 6. neg. cons; sicut enim ex anima, & corpore fit vnum per compositionem, quod nequit fieri ex duplici anima numericè distincta, nec ex duplici materia; ita ex speciebus panis, & vini fit vnum sacramentum, quia sanguis, & caro vniuntur ad componendum vnum integrum corpus hominis; at duplex caro, vt duplex, sic non vnitur.

12 Prob. 3. pars concl. ex dictis. Eucharistia, vt est sacramentum simul, & res sacramenti, est corpus, & sanguis Christi; quod est res significata per species panis, & vini; & significat corpus mysticum, quod est Ecclesia; sed corpus Christi est vnum numero in omnibus hostijs; in tantùm enim (inquit *Fund. Doct. de celebr. miss. fol. 11.*) multiplicaretur numero in multis hostijs; in quantū cōuerteretur in illas; at substantia panis cuiuslibet hostię cōuertitur in corpus Christi, quod est vnum numero, ideo in illis non multiplicatur numero, sed vnum numero remanet multiplicata solùm præsentia locali; ergo eucharistia, vt est sacramentum simul, & res sacramenti, est vnum numero sacramentum in omnibus hostijs.

13 Vlt. pars ex dictis etiā euidenter ostenditur. Nam in vnaquaque specie continetur totus Christus, imò totus in tota, & totus in qualibet parte hostiæ eo modo, quo anima tota continetur in toto corpore, & tota in qualibet parte corporis; vt statuit *Trid. sess. 13. c. 1; & 3; & can. 3; & sess. 21. c. 3; & can. 3; & Constan. sess. 13. & Flor. in decr. vnion;* & hanc fuisse semper traditionem in Ecclesia seruatam testatur *Trid. & Syn. Ephes. ep. ad Nestor.* ait sumentes eucharistiam sumere non quidem carnem cōmunem, sed carnem viuificantem, vt potè ipsius Verbi propriam, & Diuinitati coniunctam; quod asserit etiam de sanguine; *& S. P. Aug. tract. 25. in Io.* inquit: *Non ergo Moyses dedit panem de Cælo; Deus dat panem. Sed quem panem? Fortè manna? Non. Sed panem, quem significabat manna, ipsum scilicet Dominum Iesum.* Idem docet *in ps. 33*; vbi inquit, quòd in cæna Christus tenuit se manibus suis; *D. Cyrill. Alex. lib. 4. cont. Iouinian. c. 13, & communiter omnes alij SS. PP; & DD.* Itaq, quælibet species continet totum Christum; quia ex vi verborum consecrationis panis conuertitur in corpus Christi, prout est in Cælo; si quis autem consecrasset in triduo mortis, conuertisset panem in corpus sine sanguine, & sine anima, vt docet *Fund. Doct. vbi s*; corpus autem Christi in Cælo est coniunctum cum sanguine cum anima, & cum diuinitate; nam Christus postquam resurrexit, ampliùs non moritur; & ideo eius corpus ampliùs non separatur à sanguine, & ab anima; & idem dicendum de sanguine; non tamen species panis continet speciem vini; ergo sumens vnam tantùm speciem sumit totum Christum; & ideo integrum sacramentum, quod est simul res sacramenti; non tamen sumit totum sacramentum, quod est sacramentum tantùm. *Vid. Fund. Doct. Theor. 50.*

14 Dices 1. Cibus, & potus sunt partes conuiuij; ergo laici, qui priuantur calice, priuantur aliqua parte eucharistiæ; & ideo iustè conqueruntur *A catholici. 2. Io. 6.* præcipitur, vt sumatur corpus, & sanguis. 3. Maior fructus percipitur ex sumptione vtriusque; aliter sacerdos post sumptionem panis sumens calicem non sumeret sacramentum; quia illud iam sumpsisset.

Resp. ad 1. neg. cons; sicuti enim qui sumeret panem vino intinctum non priuaretur altera parte conuiuij; ita à pari. Ad 2. eodem modo dicitur præcipi carnem, & sanguinem coniunctam, nam postea de sola carne dicitur, quòd illam manducans habet vitam æternam; ex quo colligitur integra refectio spiritalis. Ad 3. neg. assumptum; in tantùm enim sumens calicem non recipit gratiam, quia illam iam recepit sumendo panem; sicut dicitur de pænitentia collata iam habenti gratiam. *Vid. q. 1. art. 5.*

QVÆST. III.

De conuersione, seu transsubstantiatione panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi.

MVlta congerunt *hic Recentiores*, quæ vel *ad puros Philosophos* spectant; vel ad rem præsentem non pertinent. Deinde neglecto doctrinæ ordine prioribus posteriora anteponunt. Illa præstringere, quantùm cognitioni huius mirabilis, & singularis conuersionis satis erit; hæc verò suis locis aliqualiter aptare studebimus. Primò de actione conuersiua, per quam desinit esse substantia panis, & vini; actio enim ordine naturæ præcedit; deinde de desitione, quæ est terminus *à quo*; postcà de præsentia corporis, & sanguinis Christi, quæ est terminus *ad quem*; tandem de accidentibus panis, & vini, quæ manent, & sub quibus latet substantia corporis, & sanguinis Christi, agemus.

ARTI. I.

Quid sit hæc conuersio, & quinam termini illius?

DVo proponuntur in titulo, quæ *in duobus* §. explicabimus.

§. 1.

Quænam conditiones requirantur ad veram conuersionem?

1 QVamuis clarè, & distinctè quiditatem conuersionis panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi non possimus cognoscere; quia non esset *mirabilis*, *& singularis*, vt eam appellat *Trid. sess.* 13. *can.* 2; si posset euidenter agnosci; attamen saltè negatiuè, afferendo scilicet discrimina, quæ sunt inter hanc, & alias conuersiones naturales, declarare conabimur.

2 Conuersio genericè sumpta definitur *transitus vnius in aliud*. Alia est accidentalis; per quam substantia transit de vno accidente ad aliud; vt cùm aqua frigida conuertitur in calidam. Alia substantialis, per quam vna substantia transit in aliam; vt cùm aqua conuertitur in aerem, aer in ignem &c. Conuersio substantialis diuiditur in conuersionem, quam vocant *formalem*; & est illa, qua desinit esse vna forma, & materia, quę erat sub illa, transit ad esse sub alia; & hæc est generatio substantialis; & in conuersionem, quam vocant *totalem*; qua desinit esse tota substantia præcedens, & incipit esse tota alia substantia; & hæc reperitur solùm in hoc sacramento; propter quod *singularis* appellatur. Ad conuersionem substantialem nonnullæ conditiones assignantur.

3 Prima est, quòd debet esse inter terminos positiuos; quorum alter sit terminus *à quo*, & alter terminus *ad quem*; in hoc enim distinguitur conuersio à creatione, quæ est ex nihilo, & ideo ex termino *à quo* merè negatiuo; & ab annihilatione, quæ est ad nihilum, & ideo ad terminum merè negatiuum; vt docet *Fund. Doct. Theor.* 34. *de sacram. Altaris*.

4 Dices. Generatio naturalis est conuersio formalis, vt dictum est; & tamen requirit solùm, vt terminus *à quo* sit priuatio; ergo conuersio non requirit vtrumque terminum positiuum.

Resp. *Bellarm.* generationem, & mutationes accidentales non esse verè, & propriè conuersiones; quia reuera nna forma non conuertitur in aliam. *Noster Gibb.* ait non omnem generationem esse conuersionem; sed solam generationem, quæ fit per agentia naturalia; nam si Deus creet materiam primam, illamque præuijs accidentibus disponat, & deinde in illam introducat formam equi *v. g.* illa esset generatio, nec tamen esset propriè conuersio.

5 Sed neutra responsio videtur vera; nam mutatio aquæ in vinum *in Cana Galilea*; & mutatio uxoris *Loth* in statuam sàlis vocantur absolutè conuersiones; de hac enim ait *Scriptura*: *Gen.* 19. *Versa est in statuam salis*; & eodem modo loquitur *S. P. Aug. lib.* 16. *de Ciu. Dei c.* 30; *& de alia alij SS. PP*; nec vlla ratio cogit ad asserendum eos loqui de conuersione impropriè sumpta, ideo sine ullo fundamento hoc tantùm asseri potest; sed istæ fuerunt tantùm conuersiones formales, ut constat; ergo conuersiones formales sunt veræ conuersiones. Item si Deus crearet materiam solam, & ex illa educeret formam; illa eductio non esset generatio; quia implicat Deum generare creaturam; cùm illius sit tantùm creator, & loquuntur *omnes Scripturæ*. Tum quia *generatio vnius est corruptio alterius*; & ideo illa eductio deberet fieri ex corruptione accidentium, cùm quibus illa materia esset creata; illa autem accidentia sunt quid positiuum; & per consequens etiam illa eductio haberet terminum *à quo* positiuum.

6 Ex hac prima conditione infert *Mastr. hic q.* 12. *art.* 1. *n.* 175; quòd licèt per conuersionem totalem definat esse tota substantia panis, & vini quantùm ad materiam, & formam; non tamen talis conuersio est annihilatio, quia non habet

habet pro termino nihil, sed corpus Christi, in quod conuertitur. Si autem quæratur, an desitio panis secundùm se præcisè considerata sit anihilatio; respondet *Scotum* in hoc fuisse problematicum; quanuis ferè *omnes Scotistæ* asserant ipsum docuisse partem affirmatiuam. Sed ad hoc est dicendum, quòd præcisa conuersione in corpus Christi, non est ampliùs conuersio, sed simplex destructio; & ideo idem est dicēdum, quod diceretur de destructione panis absque eo, quòd in aliud conuerteretur, sed in nihil reduceretur, & hæc sine dubio esset anihilatio. Docet ergo *Fund.Doct.Theor.* 34; *&* 40; quòd substantia panis non anihilatur; quia corpus Christi non esset in hostia; nam corpus Christi non potest esse in hostia, nisi vel per motum localem, scilicet per descensum è Cœlo, quomodò de facto non est in hostia, vt docet fides; vel per conuersionem panis in ipsum; id autem, quod anihilatur, non conuertitur, ut constat.

7 Secunda conditio est, ut terminus *à quo* conuersionis desinat esse simpliciter; nam quod manet cum alio, non dicitur in illud conuerti, sed cum illo coniungi; ut docet *idem Fund. Doct. vbi sup. Theor.* 40; hinc *S.P. Aug. lib.* 18 *de Ciu.Dei c.* 18. ait conuersiones illas, quibus Dæmonis arte, *Arcades* in lupos, socij *Diomedis* in aues, comites *Vlyssis* in belluas, & homines per mulieres stabularias mutati sunt in iumenta, non fuisse veras conuersiones; quia homines non desinebant esse simpliciter, sed aliò transportabantur; *& S.PP. communiter* docent naturam Diuinam in Christo non fuisse conuersam in humanam naturam; quia non desijt esse, sed tantùm ei fuit unita.

8 Tertia conditio est, ut terminus *ad quem* vel incipiat esse simpliciter, vel saltem incipiat esse per conuersionem in ipsum ipsius termini *à quo* desinentis ex vi positionis illius; & ideo aliquo modo fiat; quia conuersio essentialiter est actio, qua ex uno fit aliud; ut docet *Fund. Doct. Æg. vbi sup; & seq.*

9 Quarta est, ut inter desinentiam termini *à quo*, & positionem termini *ad quem* sit aliqua connexio ita, ut terminus ad quem ponatur ex vi desitionis termini *à quo*; nam si eodem tempore, quo desinit esse *Petrus*, crearetur Angelus in eodem loco, non diceretur *Petrus* conuersus in Angelum. Hæc autem connexio debet esse physica, & ex sua natura ita, ut ratione conuersionis repugnet substantiam præcedentem remanere ad positionem alterius. Est *cont. Scot. apud Mastr. vbi sup. à n.* 285; *Suar; Vasq; Coninch; & Lug;* traditur tamen *ab omnibus alijs, & à Fund. Doct. vbi sup.* Ratio est. Conuersio essentialiter requiritur, ut substantia præcedens desinat esse, ut diximus; & ut substantia subsequens incipiat esse, aliter si nulla substantia inciperet, non esset conuersio, sed anihilatio; ergo ad rationem formalem conuersionis requiritur essentialiter, ut terminus *à quo* desinat, & terminus *ad quem* incipiat. At illud, quod requiritur essentialiter, est de essentia, seu natura rei; ergo desitio, & positio ex natura rei debent esse connexæ ita, ut repugnet salua manente conuersione substantiam conuersam manere; & substantiam, in quam fit conuersio, non incipere. Tum quia si Deus decerneret sub forma visibili assumpta destruere Angelum, & sub eadem ponere hominem, esset inter desitionem Angeli, & positionem hominis moralis connexio; & tamen quia non est repugnantia naturalis, quòd homo, & Angelus maneant sub eadem specie visibili; Angelus non diceretur conuersus in hominem; ergo idem.

10 Dices *cum Mastr.* Sola connexio moralis est sufficiens, ut positio unius sit causa desitionis alterius; ergo est sufficiens ad conuersionem. 2. *Cum Lug.* Si canonicus fiat Monachus, rectè dicitur conuersus in Monachum; & tamen est sola repugnantia moralis inter monachatum, & canonicatum, scilicet ex decreto Pontificis; ergo idem.

Resp. ad 1. neg. cons; ad conuersionem enim requiritur, quòd sit causa physica, non tantùm moralis, ut diximus. Ad 2. dicitur, quòd conuersio canonici in monachum est tantùm moralis, ideo sufficit ad illam connexio moralis, quæ tamen non sufficit ad conuersionem physicam; imò rectè arguitur ex hoc, quòd sicuti ad conuersionem moralem requiritur connexio moralis; ita ad conuersionem physicam requiritur connexio physica. Sed hoc impertinens est ad rem præsentem; concedit enim *Lug;* quòd inter desitionem panis, & positionem corporis Christi in eucharistia est connexio physica.

11 Quinta conditio est, quòd detur aliquod commune termino *à quo*, & termino *ad quem*, quod commune simul perseueret cum utroque termino; & respectu cuius uterque terminus repugnet simul esse. Conueniunt *omnes* hoc de facto euenire in eucharistia; ut habet *Fund. Doct. proposit.* 32. *Scot.* tamen *apud Mastr. vbi sup. n.* 288; *Caiet; Granad. Gonet. & alij* aiunt non esse necessarium hoc commune vtrique termino ad conuersionem totalem; & ideo quòd species panis remaneant in eucharistia, accidentaliter se habere ad conuersionem. Ratio *istorum* est; nam non minùs esset conuersio substantialis, si etiam accidentia conuerterentur in corpus Christi simul cum substantia panis, quàm modò. Addunt neque requiri Identitatem loci, sed sufficere, quòd vnum producatur ex vi desitionis alterius. *Noster Gibb. hic, & Laurea* volunt requiri saltem eundem locum, seu idem spatium; & ratio est; quia ratio immutans aliquem terminum debet esse indistans ab eo; quia nullum agens potest agere indistans; ergo saltem identitas loci requiritur, ut unum per actionem conuersiuam in aliud dicatur conuerti; aliter ex eo, quòd Deus decreuisset *Antichristū* esse post *Petrum*, vel post

post mortem alicuius Sancti immediatè præcedentis productionem *Antichristi*, diceretur *Petrus*, vel ille Sanctus conuersus *in Antichristum*. Rationabiliùs ergo docent alij, vt *D.Tho.4.cont. Gent.c.63*; *Sot.dist. 9.q.2.art. 2.ad 3*; *Dur*; *Sua*; *Vasq*; *Valent*; *Coninch*; *Lug*; & videtur idem docere *Fund.Doct.Æg. vbisup*; *& de celebr. Miss.fol. 11. col.1*; vbi docet posse Deum cõuertere vnam substantiam totaliter in aliam, quia potest vnam destruere; & aliam totaliter producere,& ponere sub speciebus alterius; & ratio est; quia si sufficeret identitas loci, posset Deus destruere aliquem Diabolum existentem in aliquo loco, & in illo producere aliquem hominem sanctum; non tantum diceretur conuertere Diabolum in hominem sanctum. Tum quia si ad conuersionem totalem sufficeret Deum nolle producere unam rem in uno loco, nisi post destructionem alterius rei in alio loco; nulla esset ratio, cur etiã ad conuersionem partialem non sufficeret nolle producere vnam formam in vna materia, nisi post destructionem alterius formæ in alia materia; ita enim conuersio partialis est ex non esse vnius partis; sicut conuersio totalis ex non esse totius; & sicut de essentia conuersionis totalis tantùm est, quòd Deus nolit unam rem totaliter producere, nisi post destructionem totalem alterius; ita de essentia conuersionis partialis esset tantùm, quòd Deus nollet unam rem partialiter producere, nisi post destructionem partialem alterius rei; quemadmodum quia de essentia veræ productionis totalis, quæ est creatio, èst solum, quòd producatur ex non esse simpliciter, idèst ex non esse materiæ, & formæ; ideo de essentia veræ productionis formalis, seu partialis, sicut est generatio, est, quòd producatur res solum ex non esse vnius partis, nempe formæ, non autem etiam ex non esse materiæ; ita loquendum uniformiter de conuersione totali, & partiali. Sed ex eo, quòd Deus nolit v.g. producere aurum in India, nisi corrumpatur flos in Italia; vel producere hominem, nisi moriatur bellua; nemo diceret florem in aurum, & belluam in hominem conuerti, nisi loquendo, vt poetæ, qui vt *sup.* diximus, fabulati sunt socios *Vlyssis* in belluas conuersos fuisse, quia belluæ post mortem illorum natæ sunt, quod abhorret omnino à veritate naturali, & modo loquendi *Philosophis* proprio; ergo idem. Si autem accidentia simul cum substantia desinerent esse, & inciperet alia substantia cum suis accidentibus etiam in eodem loco; non esset propriè conuersio, sed anihilatio vnius, & creatio, vel adductio altetius; nam conuersio est transitus, qui nequit esse, nisi per medium vtrique extremo commune. Sed de hoc *ad Philosophos*; impertinens enim est ad rem præsentem; in qua docet fides remanere accidentia panis, & vini, sub quibus est ex vi verborum corpus, & sanguis Christi; & ideo in hac conuersione mirabili dari aliquod commune termino *à quo*, & *ad quem*.

12 Sexta conditio est, vt sit actio. Est *cont. Vasq.* dicentem, quòd licèt in conuersione substantiali interueniat aliqua actio destructiua, vel productiua, vel adductiua; attamen in nulla ex illis actionibus consistere veram conuersionem; sed tantùm consistere in relatione, qua substantia desinens refertur ad substantiam, quæ illi succedit, non tantùm secundùm locum, sed secundùm aliquod esse substantiale, & hanc esse relationem rationis fundatam in substantia. Oppositum docet *Fund.Doct.vbisup. Theor.4*; *& omnes alij* excepto *Turrian.* teste *Gibb.* Ratio est. 1. Illud, per quod aliquid fit, est formaliter actio; ut notum est; sed per conuersionem panis in corpus Christi fit corpus Christi, vt loquuntur *Conc. & SS.PP*; ergo conuersio est actio. 2. Illud, quod requirit formaliter pro termino *à quo* desitionem alicuius substantiæ, & pro termino *ad quem* confectionem alterius, est formaliter actio; actio enim est via ex non esse ad esse; sed conuersio est huiusmodi, vt diximus; ergo est actio. 3. Relatio substantię desinentis ad substantiam succedentem supponit conuersionem, supponit enim desitionem, quæ non fit, nisi per conuersionem; ergo conuersio nequit formaliter in illa relatione consistere; sed in actione, ad quam sequitur illa relatio. 4. Conuersio panis in corpus Christi est aliquid reale à parte rei, vt docet fides; ergo nequit consistere in relatione *rationis*, *quæ est* aliquid existens tantùm in intellectu.

13 Dices. Actio debet esse in aliquo subiecto; sed conuersio non est in pane, qui destruitur; neque in corpore Christi, quod non mutatur; neque in accidentibus, quia conuersio substantialis debet terminari ad substantiam; ergo non est actio.

Resp. neg. 2. part. mi; nam conuersio, seu actio conuersiua terminatur ad esse sacramentale, quod ex vi illius habet corpus Christi sub speciebus. Hæc, & quæuis alia obiectio soluitur ex comparatione conuersionis formalis, seu partialis.

14 Septima conditio est, vt sit ad substantiam terminata. Est *cont. Okam*; *Scot*; *Bellarm*; *& Vasq*; traditur tamen *ab omnibus alijs*, inter quos *Fund.Doctor vbisup.Theor.1;2;34; & alibi.* Ratio est. Terminus *ad quem* debet correspondere termino *à quo*; principium enim, & finis ad inuicem sibi respondent; sed terminus *à quo* conuersionis est substantia, quæ desinit; ergo terminus *ad quem* est substantia, quæ per illam incipit esse. 2. In hoc distinguitur conuersio substantialis ab accidentali; quòd hæc terminatur ad accidens; illa ad substantiam; actio enim specificatur à termino, & ab illo denominatur; vnde sicuti conuersio accidentalis essentialiter terminatur ad accidens, aliter accidentalis dici non posset; ita dicendum de conuersione substantiali.

15 Dices 1. Conuersio alimenti non termina-

natur ad substantiam; non enim terminatur ad animam, ut patet; neque ad materiam, quæ est iam producta; ergo à pari. 2. Substantia corporis Christi existit ante conuersionem; ergo nequit ad illam terminari.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad prob. dicitur terminari ad materiam informatam ab anima, prout reparabilem per substantiam alimenti. Ad 2. dist. ant. Existit sacramentaliter sub speciebus, neg; naturaliter, conc.

16 His, quæ conuersioni generaliter sumptæ conueniunt, addi possunt aliqua, quæ tantùm conuersioni eucharisticæ sunt propria. 1. Panis conuertitur solùm in corpus, non in animam, aut in sanguinem, vel in accidentia corporis, & multò minùs in Diuinitatem; quanuis enim hæc omnia sint sub speciebus panis ex vi naturalis connexionis, quam habent cum corpore; non tamen sunt ex vi verborum, quibus fit conuersio; & idem dicendum de vino; vt docet *Fund. Doct. vbi sup. Theor.* 32. Imò totus panis conuertitur in totum corpus, & totum vinum in totum sanguinem; quia corpus est sub speciebus panis ratione substantiæ, non ratione quantitatis; ideo est sub illis modo indiuisibili; & per consequens est totum in toto, & totum in qualibet parte specierum; indiuisibile enim, quod caret partibus, necessariò est totum. 2. Hæc mirabilis conuersio ad nullum genus mutationis naturalis reducitur; ut docet *Fund. Doct. Theor.* 40. in fine; omnis enim mutatio naturalis, vel est generatio, & corruptio; in qua manet materia, tanquam subiectum cōmune; in hac autem conuersione nō manet materia panis. Vel est alteratio, in qua manet materia, & forma substantialis; in hac autem conuersione non manet materia, nec forma panis. Vel est augumentum, quo substantia, in quam fit conuersio, augetur; substantia autem Christi non augetur in hostia. Vel tandem est motus localis, quo derelinquitur locus præcedens, & nouus acquiritur; corpus autem Christi, cùm incipit esse in hostia, non desinit esse in Cœlo; ideo non incipit esse in hostia per motum localem, seu per adductionem de vno loco ad alium. Ideo hæc conuersio rectissimè appellata est *transubstantiatio*, ut distinguatur ab alijs conuersionibus naturalibus; quia in hac solùm manentibus accidentibus substantia panis, & vini non manet, sed conuertitur in substantiam corporis, & sanguinis Christi. 3. Panis, & vinum in instanti prolationis verborum conuertuntur in corpus, & sanguinem Christi; non autem resoluuntur in nihil; quod quomodò fiat, quanuis difficillimum sit explicatu, propter quod *mirabilis, & singularis hæc conuersio* appellatur, *cum B. Doct. Æg.* satagemus describere.

§. 2.

Quinam sit terminus formalis huius conuersionis?

17 Quæritur, an hæc transubstantiatio, siue conuersio producat aliquem terminum, vel non; & quinam sit terminus, ad quem immediatè terminatur?

18 *Scot. hic dist. 11. q. 3. §. Quantùm apud Mastr. hic q. 12. art. 2. n.* 299; ubi refert *D. Bon; Maior; Rubion, Mairon, Alen; Aliacen; Ric; Bellarm; Vasq; Turrian; Auers; Bec; & ex Scotistis Ponc; Hiquaeum, Lauream, & alios*, ait transubstantiationem non esse actionem productiuam, nec conseruatiuam, sed adductiuam, vel translatiuam; & actionem, per quam Christus ponitur in sacramento, esse tantùm productiuam præsentiæ sacramentalis Christi ad species panis, & vini; & hanc adductionem non esse per motum localem, sed per aliam quandam simplicem mutationem, per quā Christus non desinit esse in Cœlo, nec successiuè aduenit transeundo per medium; sed tantùm fit præsens speciebus, in quo solùm consistit huius sacramenti mysterium. Sic explicat *Mastr. vbi sup. n.* 298; qui subdit terminum formalem transubstantiationis esse substantiam corporis Christi secundùm suum esse præexistens, relationem verò præsentialitatis fundatam in corpore Christi esse terminum concomitantem, quatenus transubstantiatio adductiua includit quandam mutationem simplicem ad præsentiam specierum; vult enim, quòd sicut transmutatio differt ab actione transmutatiua, quia transmutatio dicit ordinē solùm ad terminum *à quo*, non autem ad agens; actio verò dicit ordinem etiam ad agens; ita transubstantiatio differt ab actione transubstantiatiua ob eandem rationem. Sic tot verborum mæandris suam sententiam implicat, dum explicat *Mastr. Alij* tamen hanc sententiam tenentes asserunt terminum formalem transubstantiationis esse præsentiam corporis Christi ad species; ipsam verò substantiam corporis Christi esse terminum materialem.

19 Sed hæc sententia excepto, quòd asserit terminum formalē transubstātiationis esse substantiam corporis Christi, vndequaque falsa est; nec vllam habet veritatis apparentiam. 1. Conuersio adductiua, seu translatiua ex vi vocabulorum nihil aliud importat, nisi ductionem substantiæ præxistentis ad alium locum; quod pariter significat translatio, idēst latio de vno loco ad alium; sic *Gen. 2.* Deus, postquam creauit animalia, *adduxit ea ad Adam, vt videret, quid vocaret ea*; quod significat ducere de vno loco ad alium; & *4. Reg. 15. Transtulit eos in Assyrios*; vbi sermo est de translatione eo modo, quo *hic* sumitur; sed adductio, & translatio de vno loco ad alium locum nequit esse sine transitu, vt patet ex ipso vocabulo *translationis*; qui transitus est motus localis; ergo conuersio adductiua, seu translati-

latiua propriè importat motum localem; quod tamen negant *Aduersarij*. 2. Si Deus destrueret vinum in vase existens adducens postea aquam præexistentem, supposito, quòd illam non adduxisset, nisi post destructionem vini, nullus Philosophus diceret illud vinum fuisse in aquā conuersum; implicat enim conuerti aliquod, quod non est; quod namque conuertitur, transit de vno esse ad aliud; & id, quod non est, nequit transire de esse, quod non habet, sed tantùm de non esse ad esse; in quo transitu amittit quidem esse, quod habebat; sed acquirit esse, quod non habebat; ergo simplex adductio non est conuersio. 3. Ex eo, quòd homo anihiletur à Deo, & eidem loco, in quo erat ille homo, aer succedat, ex vi desitionis hominis, quatenus scilicet vult Deus, vt aer tantùm succedat ex desitione hominis, nemo diceret, quòd ille homo sit versus in aerem, aliter non esset anihilatus, quia non esset versus in nihil; ergo conuersio non importat solam successionem secundùm locum, seu adductionem. 4. *Scripturæ*, *Concilia*, & SS. PP. asserunt ex pane vi verborum confici, fieri, & effici corpus Christi; qui Apostolis præcepit, vt *facerent*, non vt solummodò *dicerent*, ad ostendendum ea verba non esse tantùm significatiua, sed etiam factiua corporis Christi; sed adductio non significat effectionem, confectionem aut factionem, vt notum est omnibus; ergo notum est pariter adductionem non esse trāsubstantiationem. Ex quo patet inanitas etiā illius distinctionis, qua transubstantiatio distinguitur ab actione transubstantiatiua; si enim per transubstantiationē fit corpus Christi ex substātia panis; consequens est, quòd transubstantiatio sit effectiua; constat namque, quòd per transubstantiationem, quæ non est effectiua, nihil efficitur. Præterea nihil est notius *apud Philosophos*, quàm per calefactionem formaliter significari actionem calefactiuam, per ignitionem actionem ignefactiuam, per generationem actionem generatiuam, per alterationem actionem alteratiuam, & sic de reliquis; ergo distinguere transubstantiationem ab actione transubstantiatiua est contraire, & subuertere modum loquendi *omnium Philosophorum*, & *Theologorum*; & consequenter adimere sensum tot sententijs; & decisionibus ab ipsis statutis in alijs tractatibus; & ideo est subuertere quoad plures conclusiones Philosophiam, & Theologiam. 5. Adductio, & translatio de vno loco ad alium semper est cum desertione loci, in quo priùs erat; nam quando occupatur nouus locus absque desertione alterius, propriè loquendo, vel est extensio, si nouus locus est indistans à priori loco, vt cùm substantia augetur, vel est replicatio substantię in duobus locis distantibus, vt patet ex vi vocabulorum; ergo impropriè, & cum abusu vocabulorum transubstantiatio dicitur adductio, seu translatio. Sic successio vnius substantiæ ex vi desitionis alterius præcisè non est formaliter conuersio vnius in aliam; potest enim substantia spiritualis succedere corporali ex vi desitionis illius; quia scilicet vult Deus illam producere solùm, quando desinit ista; & tamen corporalia non conuertūtur in spiritualia, vt docet *Fund. Doct. Theor. 32*; & *communiter Philosophi ex S. P. Aug. 7. sup. Gen. ad lit. c. 12*; ergo idem. 6. Adductio est actio accidentalis formaliter, est enim per ordinem ad vbi formaliter; sed cōuersio substantiæ in substantiam est actio formaliter substantialis, vt fatetur *Mastr*; nam conuersio accidentis in accidens *transaccidentatio* potiùs dici debet; ergo idem.

20 Dices 1. In eucharistia non dicitur corpus Christi mutari, confici, fieri, & effici; sed è contra panis dicitur mutari, confici, fieri, & effici corpus Christi; ergo corpus Christi tantùm adducitur. 2. Si adduceretur vna substantia ad locum alterius absque eo, quòd illa desineret, illa adductio non esset conuersio; sicut si produceretur, & illa non desineret, illa productio non esset conuersio; ergo conuersio distinguitur ab actione adductiua, & productiua; ex quo infert *Mastr.* errorem esse *in Philosophia* confundere conuersionem cum actione adductiua, vel productiua. 3. In hac conuersione non producitur corpus Christi, sed producitur sola præsentia localis ad species; nā *corpus Christi* est præexistens; ergo conuersio non est actio productiua substantiæ nouiter productæ, *sed* tantùm adductiua substantiæ iam præexistentis. Prob. ant. Per corruptionem specierum non desinit esse corpus Christi secundùm esse substantiale, sed tantùm secundùm præsentiam localem, quam habebat ad has species, antequam corrūperentur; ergo idem. 4. Ad veritatem verborum consecrationis sufficit præsentia localis; ex eo enim, quòd corpus Christi existat localiter sub speciebus panis, verè dicitur: *Hoc est corpus meum*; ergo idem.

Resp. ad 1; quòd licèt corpus Christi non dicatur mutari; quia illud solùm mutatur, quod conuertitur in aliud; corpus autem Christi non conuertitur in panem, sed panis in corpus; attamen dicitur corpus Christi effici, fieri, & confici ex pane; aliter non saluaretur conuersio, vt dictum est; vnde neg. 2. pars ant. Ad 2. dicitur esse solemnem æquiuocationem in ant; quamuis enim non omnis productio sit conuersio, vt patet de productione, quæ non supponit desitionem rei præcedentis; attamen productio, qua vnum fit aliud desinendo esse, quod erat, est vera conuersio; & oppositum huius falsitatem esse euidenter ostendit *Philosophia*. Ad 3. dist. ant. Non producitur simpliciter ita, vt ante hanc conuersionem non habeat esse in rerum natura, conc; non producitur sub his speciebus, neg; si enim idem *Petrus* numero, qui est *in India*, reproduceretur *Romæ*, verè produceretur *Romæ*, quan-

quanuis priùs esset in rerum natura. Ad prob. dist. ant. eodem modo. Non desinit esse secundùm esse substantiale sub his speciebus, neq; sub alijs speciebus, & in Cælo, conc. Ad 4. neg ant; non enim potest verificari sub his speciebus esse corpus Christi, nisi ex vi verborum producatur sub illis idem numero, quod est in Cælo, & sub alijs speciebus; non enim potest adduci de Cælo, aliter desineret esse in Cœlo, vt dictum est.

21 *Sot. hic dist. 9. q. 2. art. 4.* asserit per conuersionem produci solùm quendam modum substantialem, quo corpus Christi est sub speciebus, & illas substentat. *Ita etiam Pallac; Alan; Albertin; Valent; Amic; Caspensi & plures alij Recentiores*; qui diuersimodè hunc modum explicant; *aliqui* enim dicunt esse modum, quo conseruat species in genere causæ efficientis; *& alij* vnionem corporis Christi ad species.

22 Sed contra est. 1. Nam *Scriptura, Concilia, & SS. PP.* asserunt per hanc conuersionem effici corpus ex pane; sed ille modus non est corpus, vt patet; quis enim diceret, quòd corpus efficiatur ex eo, quòd acquirat modum aliquem v. g. sessionem, stationem &c; ergo hæc sententia non congruit *Scripturis, Concilijs, & SS. PP.* 2. Nequit corpus vniri speciebus, nisi vel adducatur de loco, in quo existit, ad locum, in quo sunt species; vel producatur idem numero sub illis; sed primum dici nequit; vt ostensum est; ergo dicendum est secundum; & ideo non producitur solus modus, sed etiam ipsa substantia corporis Christi; & sic valent omnes rationes adductę contra primam sententiam. 3. In tantùm attingens vnionem inter materiam, & formam dicitur substantiam compositam producere; in quantùm illa vnio est substantialis, & sine ipsa nequit esse illa substantia composita; sed vnio corporis Christi ad species non est substantialis, sed accidentalis; de facto enim substantia corporis Christi est in Cœlo sine tali vnione; tum quia vnionem corporis ad locum esse accidentalem ipsi corpori, per se notum est; sicuti notum est attingens vnionem corporis ad locum non efficere substantiam corporis; ergo attingens vnionem corporis Christi ad species non dicitur substantiam corporis Christi ex pane efficere. 4. Conuersio essentialiter dicit mutationem substantiæ panis in corpus Christi, vt constat; sed hæc mutatio non est productio modi tantùm, sed substantiæ; nisi velimus vocabulis ludere; ergo idē.

23 His rationibus reijcitur sententia *Lug.* asserentis per conuersionem non produci, sed tantùm introduci sub speciebus substantiā corporis Christi; & ideo conuersionem esse tantùm introductiuam corporis Christi; non quòd sit aliqua vnio, sed tantùm vinculum quoddam, quo corpus Christi vnitur ad species, & illas substentat. Eisdem, inquam, rationibus reijcitur; differt enim solis verbis à præcedente; quia quòd introducitur, adducitur; & quid est uinculum, nisi vnio? Item introduci non est confici &c.

24 *Sua hic disp. 50. sect. 4; & 6.* vult conuersionem secundùm se esse actionem productiuam corporis Christi, sed quia illud inuenit iam productum, & præexistens in rerum natura, ideo est illius tantùm conseruatiua. Hanc sententiam tanquam de mente *Scoti* tenent *Aretin; & Faber disp. 45. n. 50; & 51; de quo vid. Mastr. hic n. 297.*

25 Sed quamuis corpus Christi existat in Cęlo secundùm propriam quantitatem, non tamen existit sub speciebus panis ex vi propriæ quantitatis, & primæ productionis factæ per virtutem Spiritus Sancti in vtero *Beatiss. Virginis*; sed ex vi verborū efficaciā habentiū ex virtute Diuina; & aliunde nequit de Cœlo adduci, & introduci, *vt sup.* ostensum est; ergo vt saluetur efficacia verborum, & modus loquendi *Scripturarum, Conciliorum; & SS. PP.* asserentium ex pane effici corpus Christi, quod non saluatur per adductionem, quæ non est effectiua, & non est propriè conuersio; & vt saluetur existentia realis, & physica corporis Christi sub speciebus panis *contra Hæreticos* asserentes sub illis existere tantùm figuratè, *vt inf.* necessariò dicendum est conuersionem esse actionem productiuam corporis Christi sub speciebus panis iam præexistentis in Cœlo secundùm propriam quantitatem. 2. Actio conseruatiua supponit actionem productiuam, & per consequens supponit rem, quæ conseruatur, iam existere; sed conuersio panis in corpus Christi nō supponit corpus Christi existere sub speciebus, cùm per illam fiat existens; ergo nequit esse actio conseruatiua. 3. Reijcitur omnibus alijs rationibus, quibus reiecta est conuersio adductiua, seu translatiua.

26 Nostra sententia docet per transubstantiationem verè produci sub speciebus panis, tanquam effectum formalem, idem numero corpus Christi, quod est præexistens in Cęlo; nec aliter saluari posse conuersionem, quam docent *Flor; & Trid;* & idem dicendum esse de sanguine. *Ita Fund. Doct. Æg. de sacram. Altaris Theor. 1. 2; & 33; Gibb. disp. 25. dub. 5. §. 4;* apud quem *Bernardin; & omnes alij ex nostris*. Idem docet *S. Tho. q. 75. art. 4; & 8; & q. 2. art. 1; Caiet; & alij Thomistæ; Gabr. hic dist. 11. art. 3. dub. 2; & in can. Missæ lect. 40; Sua; Conimb; Granad; & alij; pro cuius resol.*

27 Notat. *B. Doct. Theor. 1. vbis;* quòd hæc est differentia inter agens naturale creatum, & Deum; quòd agens naturale agit per motum, & transmutationem; Deus autem agit sine motu, & transmutatione; nam agens naturale agit, vt vt instrumentum Dei; instrumentum autem essentialiter agit, vt motum; ideo agit per motum in se ipso à causa principali receptum. Deus verò, cùm sit primum agens immobile, agit si-

nemo-

ne motu in se ipso recepto, & ideo sine trasmutatione prævia ad effectum ab ipso producendum. Ex hoc oritur, quòd agens naturale in agendo attingit materiam, vt quantam; nam cùm sola quantitas sit partibilis, ideo sola quantitas est subiectum motus; propter quod scribitur 6.*Phys.t.c.32.* quòd *nullũ impartibile mouetur*. Deus autẽ in agendo attingit materiã, vt quid; nam quiditas, seu essentia materiæ, sicut essentia cuiuslibet rei, est indiuisibilis; & ideo materia, vt quid, est terminus formalis actionis Dei, quæ est instantanea, & indiuisibilis, cùm sit sine motu.

28 Ex hoc sequitur, quòd agens naturale non possit eandem numero formam, quæ fuit corrupta, reproducere; quia de ratione numerica motus est continuatio sine intercisione, vt constat; vnde cùm agens naturale agat per motum; si motus, quo vna forma iam fuit producta, est intercisus; implicat, quòd per vnum, & eundem motum illam formam eandem reproducat; per diuersum autem motum diuersa forma producitur; & ideo implicat, quòd agens naturale eandem numero formam semel productam reproducat; quapropter *lib.2.de gen.t.c.*70. dicitur: *Quorum substantia deperit, non redeunt eadem numero*. Deus verò, quia non agit per motum per diuersas actiones intercisum, sed per vnam, & eandem actionem ab æterno in Deo perseuerantem omnia producit; & aliunde attingit materiam, vt est quid, & vt quid, est indiuisibilis; ideo potest eandem numero formam semel productam reproducere, vt docet fides; idem enim numero corpus reproducetur in die resurrectionis mortuorum. Non posset autem reproducere eandem numero formam, nisi posset conuertere vnam materiam in aliam; nam vnitas numerica formæ essentialiter dependet ab vnitate numerica materiæ; quia in materia ligni nequit esse forma auri &c. Tum quia, vt dicebamus, in die iudicij materiam corporum iam transmutatam in materiam terræ conuertet in illam eandem numero materiam, quæ informabatur ab anima, antequam ab illo corpore separaretur. Sed agens naturale eadem ratione, ob quam non potest eandem formam reproducere, non potest & eandem materiam.

29 Tandem concludit *Fund.Doct.* quòd eadem ratione, qua potest Deus eandem numero materiam, & formam iam corruptam reproducere; potest etiam eandem numero materiam actu existentem in alio loco producere; & efficere, quòd ab eadem forma, quæ simul cum eadem materia alibi existit, informetur; & sic replicare idem numero corpus in duobus locis. Nam in tantùm potest eandem numero materiã semel corruptam reproducere; in quantùm attingit materiam, vt est quid; & materia, vt est quid, est vna numero omnium habentium eam; vt habetur 1.*de gen.t.c.* 1; omnis enim distinctio est per formam; sed materia, vt est quid, nedum est vna numero cum materia iam corrupta, sed etiam cum materia actũ existente; ergo eadem ratione, qua potest eandem numero materiam iam corruptam reproducere, poterit etiam reproducere eandem numero materiam actu alibi existentem; & ideo potest substantiam panis conuertere in corpus Christi; ex quo sequitur euidenter hoc mysterium non esse contra naturalem rationem. *Hoc supp.*

30 Vnica concl. Transubstantiatio essentialiter est actio, qua per veram efficientiam ex pane, & vino conficitur, seu reproducitur sub speciebus eadem numero substantia corporis, & sanguinis Christi, quæ præexistit in Cælo; atque adeò terminus formalis transubstantiationis est substantia corporis, & sanguinis Christi, vt reproducta sub speciebus panis, & vini.

Prob. 1. ex dictis. Illud, quo aliquid iam existens ex alio verè dicitur confici, est vera actio, qua per veram efficientiam dicitur confici, & reproduci; sed transubstantiatio *ex scriptura, Concilijs, & SS.PP.* est illud, quo aliquod iam existens verè dicitur confici, fieri, & effici; ergo transubstantiatio est vera actio, qua per veram efficientiam aliquod iam existens ex alio verè dicitur confici, & reproduci. Atqui illud, quod per transubstantiationẽ dicitur confici, & reproduci ex alio, est substantia corporis, & sanguinis Christi iam existens in Cœlo, quæ ex pane, & vino dicitur vi verborum consecrationis eadem numero confici, & fieri sub speciebus panis, & vini; ergo transubstantiatio essentialiter est actio, qua per veram efficientiam ex pane, & vino conficitur, seu reproducitur sub speciebus eadem numero substantia corporis, & sanguinis Christi, quæ præexistit in Cœlo; ex quo sequitur terminum formalem transubstantiationis esse substantiam corporis Christi, vt reproductam sub speciebus; terminus enim formalis actionis est ille, qui per illam producitur. Ma. constat; quia vera actio dicitur à vero fieri, effici, & confici; sicut intellectio dicitur ab intelligi; destructio à destrui &c; verum autem fieri, confici, & effici est verum produci; ex eo namque, quòd *in scripturis* dicitur, quòd *Verbum factum est*; vt habetur *Io.* 1; significatur esse productum in carne; quod non posset euidenter monstrari, si fieri, effici, & confici non esset formaliter idem, ac produci. Prob. mi. *ex* 1.*Cor.* 11; vbi postquam Christus panem consecrauit, & distribuit Discipulis ordinans illos sacerdotes dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*; idẽst facite corpus meum ex pane verba à me prolata proferendo. Idem habent SS.PP. communiter, vt Iraneus initio *lib.5.cont. hæreses* ait: *Panem percipere Verbum Dei, & fieri corpus Christi*; S.Ambr. *lib.4.de sacram.c.4. Vbi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi; & habetur de consecr. dist.2.c.54. pacis est*; S.Hier. *ep. ad Heliodor. & altera ad Euagrium* inquit: *Sacerdotes sacro ore cor-*

corpus Christi conficiunt haud dubiè non aliunde, quàm ex pane; & in Isaiam 62; & Ezechiel. 26. De tritico panis cœlestis efficitur; S. P. *Aug. lib. 3. de Trin. c. 4*; & habetur *de consecr. vbi sup. c. 59. corpus, & sanguis: Vt sit tam magnum Sacramentum, nisi operante inuisibiliter Spiritu Dei; cùm per hæc omnia, quæ per corporales motus in illo opere fiunt, Deus, operetur*; illud autem, quod operatur Deus in sacramento, & fit per corporales motus, est corpus Christi, vt patet. Idem habet *ibid. c. 10*; vbi ait, quòd infantes non nouerunt, quomodò corpus Christi *conficiatur* in sacramento; *& serm. de verbis Euangely*, quem refert *Beda in 1. Cor. 10*; & habetur *de consecr. vbi sup. c. 60. Non omnis panis, sed accipiens benedictionem Christi fit Corpus Christi*; *& serm*; qui incipit: *Veritas, quæ est Christus*; & refertur *à Mag. sent*; & habetur *de consecr. vbi sup. c. 71. cùm in figura: Voluit Dominus hunc panem, & vinum in mysterio verè carnem suam, & sanguinem suum consecratione Spiritus Sancti potentialiter creari*; & mox: *Corpus Christi & veritas, & figura est; veritas, dum corpus Christi, & sanguis virtute Spiritus Sancti ex panis, & vini substantia efficitur*. Idem habet *serm. 28. de verbis Domini*.

31 Resp. *Mastr.* 1. SS. PP. asserere panem fieri, creari, & confici corpus Christi, non autem corpus Christi fieri, creari, aut confici; dicunt enim panem mutari, & conuerti in corpus Christi; non verò corpus Christi mutari, & conuerti in panem. 2. Explicandos esse, quòd corpus Christi efficiatur, & fiat sub speciebus.

Sed contra 1. est; nam asserunt corpus Christi fieri *ex, & de pane*; vt *S. Ambr. S. Hier. & S. P. Aug*; ergo nedum asserunt panem fieri corpus Christi; sed etiam fieri ipsum corpus Christi; illud enim, quod ex alio fit, verè dicitur effici. Asserunt namque panem mutari in corpus, non è contra; quia panis fit corpus per conuersionem in ipsum; corpus autem non fit per conuersionem in panem. Sicut aqua facta est vinum per mutationem in ipsum; vinum verò non est factũ per mutationem in aquam; sed ex aqua. Ad 2. dicitur *SS. PP.* absolutè loqui, ideò non licere eos interpretari cum addito, præsertim si catholicum sensum habeat eorum locutio, vt in casu. Prætereà corpus Christi nequit fieri sub speciebus, nisi sub illis producatur; quia nequit adduci, vt *sup.* diximus; ergo idem.

32 Prob. 2. Conuersio vnius substantiæ in aliam sub speciebus substantiæ conuersæ, sub quibus priùs non erat substantia; in quam fit conuersio; est illius productiua; sed transubstantiatio est conuersio substantiæ panis, & vini in substantiam corporis, & sanguinis Christi, quæ ante conuersionẽ non erat sub speciebus panis, & vini; vt docent *SS. Iustin. apologia 2; Cyrill. Hierosol. catech. 4; Basil. in Liturgia; Greg. Nissen. in vita Moysis; Ambr. de ijs qui initiantur c. 9; Hier. com. in Galat. 5; Chrysost. hom. de euchar; & in Liturgia; Eusèb. Emissen. hom. 5. de Paschate; Cyrill. Alex. ep. ad Calosyrium; Chrysolog. serm. 160; Greg. Magn. hom. 14. in euang; Damasc. lib. 4. de fide c. 14; Isidor. lib. 1. de officys Eccl. c. 18; & Concilia contra Berengarium* coacta, ut *Vercellen. in Italia; duplex Turonen. in Gallia; triplex Romanum sub Leone IX; sub Nicolao II; & sub Greg. VII; & Placent. sub Vrbano II; & Lat. sub Innoc. III; Constan. Flor; & Trid. sess. 13. c. 4; & can. 2*; ergo transubstantiatio est productiua corporis, & sanguinis Christi sub speciebus panis, & vini. Ma; in qua solùm est difficultas, prob. ex dictis. Substantia nequit conuerti in aliam substantiam, quæ actu non est sub speciebus substantiæ conuersæ; illa enim conuerteretur in nihil, non in substantiam, quia nihil esset sub illis speciebus; non enim esset substantia, quæ desinit; neque substantia, in quam fit conuersio. Neque substantia conuertens potest fieri sub speciebus substantiæ conuersæ per adductionem, seu translationem, quia fieret per motum localem, secundùm quem fit successio, non conuersio substantialis; neque per conseruationem; quia conseruatio supponit esse, vt diximus *sup*; ergo remanet, quòd solùm fit sub speciebus per productionem.

33 Prob. 3. Sacramenta essentialiter sunt productiua, & causatiua illius, quod significant; aliter non sunt sacramenta, vt diximus *de sacram. in com. q. 3. art. 1. S. 5; & 6*; sed verba consecrationis, quibus fit transubstantiatio, significant corpus, & sanguinem Christi sub speciebus panis, & vini; & cum illis constituunt sacramentum eucharistiæ; ergo verba consecrationis, quibus fit transubstantiatio, sunt causatiua corporis, & sanguinis Christi sub speciebus panis, & vini. Atqui causare, & producere idem omnino significat; ergo sunt productiua corporis, & sanguinis Christi.

34 Prob. 4. ratione *Fund. Doct. sup.* allata. Virtus diuina potest producere eundem numero effectum nedum iam destructum, vt docet fides de resurrectione corporum; sed etiam actu existentem in alio loco; eadem enim ratione, vt diximus, qua potest reproducere effectum iam destructum, potest etiam producere effectum actu existentem; tum quia sicuti potest replicare præsentiam in diuersis locis, vt docet fides; ita potest replicare productionem in illis; sed in sacramento eucharistiæ fit transubstantiatio in virtute Diuina, fit enim ex persona Christi, quæ est Persona Diuina, cui competit virtus Diuina; ergo in sacramento eucharistiæ producitur idem numero effectus actu existens in alio loco; qui effectus est substantia corporis, & sanguinis Christi.

35 Obijc. 1. *Mastr.* Implicat eundem effectum produci pluribus actionibus totalibus; ergo implicat idem numero corpus Christi semel productum in ventre *Beatissimæ Virginis* iterum produci per actionem sacerdotis. Ant. non potest

test negari saltem, quando effectus iam præsupponitur existens; omnes enim communiter asserunt tunc non posse iterum produci. 2. Idem corpus potest replicari in diuersis locis per solam adductionẽ,& per solam productionem plurium vbicationum, quibus formaliter constituitur in pluribus locis; ergo, vt corpus Christi cõstituatur sub pluribus speciebus, non est necesse multiplicare actiones productiuas. 3. Sequeretur Christum quotidie incarnari alio modo, quàm sit incarnatus in vtero Virginis; & quotidie destrui, & annihilari destructis speciebus; & prout est in hostia, non esse Filium Beatissimæ Virginis; sed hæc sunt absurda; ergo & id, ex quo sequuntur. 4. Nulli creaturæ potest competere vis creatiua etiam instrumentaliter; sed corpus Christi nequit produci, nisi per creationem; ergo idem.

Resp. ad 1. dist. ant. Pluribus actionibus totalibus agentis principalis, conc. instrumentalis, neg. actio autem Dei, qui est agens principale producens corpus Christi in hostia, vna est ab æterno perseuerans; quamuis actiones sacerdotum, qui sunt agentia instrumentalia, multiplicentur; ideo plures sacerdotes in ordinatione consecrant eandem numero hostiam. Ad prob. neg. assumptum; nam *Fund. Doct. vbi sup.* & *omnes Auctores* docentes nostram sententiam tenent effectum præexistentem posse reproduci in diuersis locis, & ideo falsum est assumptum. Ad 2. neg. ant; vt *sup.* diximus. Ad 3. resp. *ex SS. PP. Aug. & Ambr.* relatis *de consecr. dist. 2. c. 50. 51. & 71.* quòd licèt Christus semel natus, & passus sit; attamen quotidie iteratur eius natiuitas, & passio in sacramento. Neg. igitur sequela, aliud est enim quotidie iterari incarnationem, & mortem Christi in sacramento modo indiuisibili sacramentali; & aliud incarnari simpliciter, quod significat assumptionem corporis, quod non habebat. Neg. etiam, quòd destruatur, & annihiletur; quia destrui, & annihilari importat deperditionem esse simpliciter; Christus autem, licèt desinat esse sub speciebus corruptis, non tamen desinit esse simpliciter, quia non desinit esse in Cœlo. Neg. pariter non esse Filium Beatissimæ Virginis, prout producitur in hostia; sic enim tantùm iteratur eius productio, qua factus est Filius Virginis. Ad 4. dist. ma. Vis creatiua instrumentalis indirecta, neg; directa, conc. *Vid. de sacram. in com. q. 3. art. 1.*

36 Obijc. 2. *alij*. Noua actio numericè distincta ab alia actione exigit terminum numericè distinctum; sed transubstantiationes sunt nouæ actiones numericè distinctæ inter se, quia fiunt à pluribus sacerdotibus, aut in pluribus hostijs; & distinguuntur ab actione, qua Christus fuit productus in vtero Virginis; & ab illa, qua conseruatur in Cœlis; ergo non possunt habere pro termino idem corpus Christi numero. 2. Plures actiones numero distinctæ nequeunt recipi in eodem numero effectu; ergo idem. 3. Actio, quæ efficienter procedit ab aliquo agente, nequit esse productiua ipsius agentis; quia causa efficiens debet esse prior effectu; sed actio transubstantiatiua procedit efficienter à corpore Christi, vt à causa instrumentali coniuncta Diuinitati; ergo nequit esse productiua corporis Christi. 4. Quando partes alicuius compositi actu existunt, non est necesse, vt producantur in esse, sufficit enim illas vniri; sed partes eucharistiæ, scilicet corpus Christi, & species actu existunt; ergo non est necesse, vt producantur, sed sufficit eas vniri; quod potest fieri per adductionem.

Resp. ad 1. dist. ma. Noua actio principalis, conc; instrumentalis, neg. Transubstantiationes ergo sunt tantùm diuersæ inter se, prout sunt actiones sacerdotum, quæ differunt; non autem, prout sunt actio Dei; qui vnica actione in ipso immanente producit corpus Christi ad positionem actionis sacerdotis; actio autem transiens, cùm importet solùm ipsum esse substantiale corporis Christi, quod est idem numero in omnibus hostijs, ideo vna, & eadem est; & quãuis per diuersa numero instrumenta deferatur, & diuerso tempore ponat effectum; attamen non multiplicatur; quia nec recipitur in instrumentis inhæsiuè, & subiectiuè, tanquam accidens; nec tempore mensuratur, cùm sit purè spiritualis, & indiuisibilis; vt *sup.* diximus *cum Fund. Doct.* Ad 2. eodem modo dist. ant. de pluribus actionibus agentis principalis, conc; instrumentalis, neg; aliter sequeretur, quòd in die iudicij non produceretur idem numero corpus, quod fuit destructum, quia esset diuersa actio, cùm sit futura in diuerso tempore, loco &c. Actio igitur creaturæ, quæ est in tempore, mensuratur à tempore; actio verò Dei, qui sola æternitate mensuratur, & est supra omne tempus, tempore non mensuratur, quamuis fiat in tempore. Ad 3. eodem modo dist. de agente principali, conc. ma; instrumentali, neg; sicut enim vnus malleus factus per alium malleum potest esse instrumentum conficiendi malleum, à quo factus est, si ille deformatus sit; & si idem numero posset replicari; ita à pari quia corpus Christi potest replicari; ideo idem potest esse instrumentum replicationis. *Alij* huic obiectioni respondent solam animam Christi, non totam humanitatem, esse instrumentum consecrationis. *Ita noster Bernardin. & Gibb.* sed hoc non videtur verum, vt diximus *to. 5.* vbi ostendimus totam humanitatem esse causam redemptionis meritoriam gratiæ &c. Ad 4. dist. ma. Si illud compositum non debeat replicari in diuersis locis, conc; si debeat replicari, vt in eucharistia, neg.

37 Obijc. 3. Actio reproductiua corporis Christi etiam instrumentaliter nequit conuenire creaturæ; quia creatura nequit agere sine præsupposito subiecto; actio autem reproductiua cor-

corporis Christi non præsupponit subiectum; quia non recipitur in corpore Christi in Cœlo existente, neque in aliquo alio; ergo corpus Christi non reproducitur. 2. Quanuis actio reproductiua non repugnaret creaturæ; attamen non est necessaria ad saluãdum hoc mysterium; fides enim tantùm docet in eucharistia fieri conuersionem substantiæ panis in substantiam corporis Christi; ad saluandam autem hanc conuersionem sufficit, quòd substãtia corporis Christi succedat substantiæ panis; sicut ad saluandam conuersionem alimenti in substantiam hominis non est necesse, vt producatur anima rationalis; sed sufficit, vt producatur nouus modus vnionis partialis, qua anima vniatur materiæ alimenti; ergo idem.

Resp. ad 1. neg. ant. loquendo de actione instrumentali indirecta, vt diximus. Ad prob. infert. dicitur, quòd sicut actio generatiua hominis dicitur instrumentaliter indirectè terminari ad creationem animæ rationalis, quanuis non recipiatur in ipsa anima, sed in corpore, cui anima vnitur; ita actio instrumentalis indirectè reproductiua corporis Christi recipitur in aere, tanquam in subiecto, est enim vox naturalis, quæ in aere recipitur, & ad prolationem illius reproducitur corpus Christi à Deo, qui agit sine præsupposito subiecto. *Vid. de sacram. in com. vbi sup.* Ad 2. neg. ant. Ad prob. infertam dicitur, quòd terminus formalis conuersionis alimenti in homine non est anima rationalis, sed materia, quæ de nouo ex cibo mutatur in materiam corporis humani, quæ superadditur materiæ corporis humani, cui postea anima vnitur; est enim hæc conuersio partialis, ideo terminatur solùm ad partem; vnde sicuti ad conuersionem alimenti non sufficit, quòd quocunque modo succedat substantiæ alimenti substantia corporis animati; nã si Deus produceret in corpore humano ad desitionem alimenti partem corpori superadditam, non diceretur alimentum conuersum in substantiam corporis; ita si ex substantia panis non fieret substantia corporis Christi, non diceretur conuersa in corpus Christi; cum hoc tamen discrimine, quòd conuersio alimenti est partialis; conuersio autem panis totalis.

38 Quæres; an cùm dicitur substantiam panis conuerti in substantiam corporis Christi, nomine *substantiæ panis* intelligatur sola materia, ita, vt sensus sit materiam panis conuerti in materiam corporis Christi; & formã panis in animã Christi; & nomine *substantia corporis Christi* intelligatur sola materia, ex qua cõponitur Christus?

Resp. *Fund. Doct. Theor.* 1. nomine *substantia panis* intelligi totum compositum ex materia, & forma panis; & nomine *corporis Christi* intelligi solam materiam organizatam cum modis quantitatis; vt docet *Theor.* 28. *ad* 31. Ratio primi est; quia sicut forma panis potest à Deo conuerti in potentiam materiæ; à qua extracta est; quando enim aliqua forma corrumpitur, tunc cedit, redit, & conuertitur in potentiam materiæ, in qua erat, antequam ab illa educeretur; ita tota substantia panis, prout dicit compositum ex materia, & forma, potest à Deo conuerti in substantiam corporis Christi; materiam quidem reducendo ad purum quid, in quo non differt à materia corporis Christi; & formam panis reducendo ipsam in potentiam illius materię, quæ est corpus Christi; si enim potest Deus conuertere formam panis in materiam panis; cùm materiã panis possit conuertere in materiã corporis Christi; poterit etiã formã panis conuertere in materiã corporis Christi. Ratio secundi est; nã ratio corporis, quod est altera pars cõpositi, dicitur solùm per respectum ad formam animalis, lapis enim, qui est inanimatus, dicitur componi ex materia, & forma; non autem ex corpore, & forma; animal autem dicitur componi ex corpore, & anima; vnde corpus, quod est altera pars compositi physici, ex communi vsu loquendi dicitur solùm per respectum ad animam. Anima autem, cùm habeat diuersas operationes, quæ non exercentur, nisi diuersis organis; ideo exigit materiam organizatam; propterea definitur *actus corporis organici potentia vitam habentis*. Hæc autem organizatio non importat accidentia superaddita materiæ, quia nullum accidens ponitur in definitione substantiæ, aliter accidens ingrederetur essentiam substantiæ, & sic non esset accidens; ideo importat solam diuersitatem partium materiæ, quæ diuersitas est modus relictus à quantitate indistinctus tamen realiter à substantia materiæ; vt constat de sigillatione relicta in cera à sigillo, quæ non distinguitur ab ipsa cera; prædicamenta enim ex eo, quòd vniantur, communicant sibi suos modos. Ex hoc explicatur, quomodò tota substantia panis conuertatur in totum corpus Christi, hoc est in omnes partes substantiales materiæ organizatæ; non autem conuertatur in accidentia, aut in animam, vt *sup.* diximus. Ratio huius est; nam corpus, vt communiter dicitur, tripliciter sumitur. 1. Matematicè, & sic dicit trinam dimensionem quantitatis. 2. Metaphysicè, & sic dicit compositum ex materia, & forma, quod ponitur in recta linea prædicamentali, in qua non ponitur, nisi totum; partes enim ponuntur ad latera; in quibus ponuntur membra diuidentia. 3. Physicè, & sic dicit materiam organicam, quæ est subiectum animæ simul cum illa constituens animal, quod propterea dicitur constare ex corpore, & anima, in quibus verbis sumitur corpus, vt quid distinctum ab anima. Sed cùm dicitur panem conuerti in corpus Christi, nomine *corporis* nequit intelligi quantitas corporis Christi, quia substantia nequit conuerti in accidens; tum quia quantitas corporis Christi esset in hostia cum eadem extensione, quam habet in Cœlo; neque

potest intelligi corpus compositum ex anima, & corpore; quia *Trid.* docet substantiam panis ex vi verborum conuerti in corpus Christi, & solùm per concomitantiam poni animam sub speciebus panis, & ideo panem non conuerti in animam; neque prout corpus est compositum ex anima,& forma corporeitatis; nam in eodem composito physico implicat dari plures formas non subordinatas;formę autem subordinatę non distinguuntur realiter; important enim solùm gradum metaphysicum; vt dicitur *in Physicis*; ergo nomine *corporis* significatur sola materia organica, quæ dicit diuersos modos relictos à quantitate.

39 Ex his reijciuntur *Gabr; Marsi; & Maior* asserentes nomine *corporis* intelligi materiam primam; nomine enim *corporis* significatur caro, vt habetur *Io.6. Qui manducat meam carnem &c;* materia autem prima non est caro. Reijciuntur *Caiet; Dur; & Ferrar.* asserentes nomine corporis intelligi corpus metaphysicè acceptum; nam corpus metaphysicè acceptum est compositum, vt diximus; tum quia nomine *corporis* significatur corpus indiuiduale Christi Domini; corpus autem metaphysicum est corpus abstrahens ab omni corpore. Reijciuntur *Scotistæ* admittentes formam corporeitatis; vt diximus; & de quo *in Physicis.* Reijciuntur *Sua; Granad; Gonet, & alij* asserentes significari materiam, & formam substantialem communem animę rationali,& formę cadauericæ; nam si significaretur forma secundū gradum communem,ex vi verborum poneretur forma secundùm aliquam rationē,quod est *cont. Trid;* tum quia ratio corporis sumitur contradistinctè ab anima; ratio autem formæ non contradistinguitur ab anima,quia ratio generis non contradistinguitur à differentia, sed cum illa identificatur; tum quia corpus realiter differt ab anima, & sic illa forma constituens corpus realiter ab anima differret, & ideo plures formæ realiter distinctæ essent in animali. *Sed de hoc ad Philosophos.*

A R T. I I.

An substantia panis, & vini post consecrationem remaneat in eucharistia?

1 Etsi ex dictis *in sup. art.* §. 1. apertè colligatur ex natura conuersionis inferri substantiam panis, & vini, quæ conuertitur in corpus, & sanguinem Christi, vt docet *Trid;* necessariò desinere esse, atque adeò non remanere simul cum corpore Christi; attamen quia *hæretici* conuersionem negant, in præsenti probanda est. Diuiduntur autem; nam *Caluinistæ* volunt substantiam panis, & vini remanere, quia censent verba consecrationis figuratè, non propriè esse accipienda. *Lutherani* verò asserentes verba consecrationis esse propriè accipienda negant conuersionem dicentes panem simul coniungi cum substantia corporis Christi; & hoc sufficere ad verificanda verba consecrationis; ac propterea docent consecrationem fieri, non per conuersionem, sed per *impanationem*, quia substantia corporis Christi vnitur substantiæ panis; & utraque simul remanet. *Caluinistæ* reijcientur *in seq. art;* vbi probabitur præsentia realis corporis Christi. *Lutherani hic* sunt refellendi. Quoniam autem *aliqui catholici* sentiunt substantiam panis non secundùm se totam remanere, sed secundùm aliquid; ideo *in duos* §. hunc secamus articulum, vt vtranque sententiam distinctè improbemus.

§. 1.

Reijcitur impanatio, & vbiquitas Lutheranorum?

2 Berengarius *Archidiaconus Ecclesiæ Andegauensis in Gallia circa annum* 1051. *Pater Sacramentariorum* dictus, quia duplicis hæresis circa eucharistiam exortæ fuit auctor; primò docuit corpus Christi esse in eucharistia, sicut res significata est in signo; ac propterea verba consecrationis figuratè solùm, non propriè, & literaliter esse accipienda. Hanc hæresim, quam *ipsemet Berengarius* conuictus abiurauit *in Conc. Lat. II. sub Nic. II;* vt habetur *de consecr. dist.* 2. c. 41. *Ego Berengarius*; exsuscitauit *Vuicleff anno* 1370. damnatus *in Conc. Const.* & tandem *Caluinista cum Caluino, Zuingl; Caroloftad; Æcolompadi; Bullinger; Beza* circa annum 1525. qui propterea vocantur *sacramentarij*. At conuictus *Berengarius* fateri præsentiam realem Christi in eucharistia lapsus est in alium errorem; cæpit enim docere simul cum corpore, & sanguine Christi integram remanere panis, & vini substantiam. Hanc hæresim, quam *idem Berengarius* coactus fuit pariter abiurare *in Conc. Rom. sub Greg. VII;* secutus est *Rupertus Abbas Tuitien. in Io. 6.* asserens panem, & vinum immediatè assumi à Verbo Diuino eo modo, quo assumpta fuit humanitas; vnde sicuti ratione vnionis ad humanitatem hic homo dicitur Deus; sic ratione vnionis ad panem panis dicitur,& fit corpus Christi; non quidem humanum, & carneum, sed panaceum. *Ioannes* autem *Parisien.* teste *nostro Argent. inf; & Vvaldensi de sacram. c. 65.* dixit panem, & vinum vniri bipostaticè, non Verbo, sed carni, & sanguini; atque adeò assumi à Verbo mediante carne, & sanguine. Tandem hunc errorem amplexi sunt *Lutherani cum Luthero de capt. c. de eucha; Brentius autem,Kemnit; Illiric; Smidelin; & alij Lutherani cum Luthero lib. de cœna Domini* dixerunt Christum esse in eucharistia per vbiquitatem, non per incarnationem; quando enim duæ res sunt vnitæ inseparabiliter, & indistanter; tunc vbi est vna,est etiam alia;aliter non essent modo

dicto

dicto vnitæ; substantia autem corporis, & sanguinis Christi est vnita inseparabiliter, & indistanter cum Verbo, quod est vbique, ideo etiam ipsa est vbique.

3 Omnes catholici oppositum sentiunt; aliqui tamen differunt in assignanda ratione; nam *Scoti Dur; Palud; Okam; Alliacen; & ex nostris Argent. dist. 11. q. 1. art. 2; Mastr; & communiter Scotistæ* asserunt, quòd licèt substantia panis non remaneat; attamen hoc non probatur præcisè ex veritate verborum consecrationis, sed tantùm adiuncta veritate *Conciliorum, Ecclesiæ, & SS.PP*; nam si maneret substantia panis simul cum substantia corporis Christi, verum esset dicere: *Hoc est corpus meum*; & *Hic est panis*; vnde illa verba: *Hoc est corpus meum*; sunt indifferentia ad duplicem sensum, scilicet coniunctum cum substantia, & separatum à substantia panis. Addit *Mastr*; quòd licèt supposita præsenti institutione Diuina, qua voluit Christus verba consecrationis significare desitionem panis; & supposita institutione naturali, qua panis non significat aliquid in se ipso contentum; sicut marsupium significat nummos, & dolium vinum; ex veritate verborum in praxi probaretur desitio panis; attamen ex veritate merè speculatiua, qua potuisset Deus instituere panem significare coniunctam substantiam corporis Christi, non probatur; unde deducit quæstionem ad modum loquendi; nihil enim aliud intendunt *cæteri DD.* docentes ex veritate verborum præcisè probari desitionem substantiæ supposita præsenti institutione practica.

4 Vnica concl. Substantia panis, & vini in sacramento eucharistiæ non remanet; & ex veritate practica verborum consecrationis rectè reprobatur impanatio.

Hanc veritatem tradunt *SS. PP. communiter*, qui de hoc sacramento scripserunt; *vt Iustin. apolog. 2; Tertull. in Marcion; Cypr. serm. de cœna Domini; Cyrill. Hierosol. catech. 4; Greg. Nissen. serm. catechetico de Diuinis sacramentis; Ambr. lib. de ijs, qui initiantur c. 9; & in ps. 134; S.P.Aug. serm. 28. de verbis Domini, & sæpe alibi*; Idem statuerunt *Conc. Vercellen; duplex Conc. Turonen; triplex Rom; Lateran. sub Innoc. III*; & habetur *in c. firmiter de summa Trinit; & fide catholica; Constant. sess. 8; & in Bulla Martini; Flor. in decr. vnionis; & Trid. sess. 13. c. 4; & can. 4.* Sed hæc testimonia faciunt continuam traditionem in Ecclesia, quæ habetur à primis sæculis usque ad nostra tempora; ergo ex traditione habetur substantiam panis, & vini post consecrationem in eucharistia non remanere.

5 Prob. 2. *ex Trid. vbis. cap. 4.* asserente: *Quoniam Christus corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit; ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque iam denuò S. Synodus declarat per consecrationem panis, & vini conuersionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi etc.* Ex quibus sic. Conuersio unius totius substantiæ in aliam substantiam, nequit stare cum permanentia substantiæ conuersæ; aliter si substantia conuersa remaneret in propria essentia, iam non esset conuersa; ut cùm calx vnitur cum lapide, non dicitur conuerti in lapidem; sed *Trid.* declarat semper persuasum fuisse in Ecclesia, quòd ex quo Christus dixit id, quod offerebat sub specie panis, esse corpus suum, tota substantia panis fuit conuersa in substantiam corporis sui; ergo *Trid.* ex sola veritate verborum colligit substantiam panis non remanere.

6 Inst. *Argent.* 1. Ex eo, quòd simul cùm substantia corporis Christi maneant species panis, adhuc habetur veritas verborum; ergo à pari. 2. *Mastr.* Si aliqua gutta aquæ in calice non esset conuersa, & si aliquod granum milij in hostia non esset conuersum, adhuc haberetur veritas verborum; ergo ex veritate verborum non colligitur desitio panis. 3. *Idem Concilium* tantùm asserit ex veritate illorum verborum, supposita Christi institutione, qua declarauit non remanere substantiam panis, quam institutionem communicauit Apostolis, & per Apostolos Ecclesiæ, ex testimonio eiusdem Ecclesiæ non remanere substantiam panis; ergo non colligit id ex veritate præcisa verborum. 4. Quando plura continentur sub aliquo, tunc potest verè unum tantùm significari non significato alio; ut quia sub speciebus panis continetur humanitas, Diuinitas, sanguis, & anima; potest demonstrari unum sine alio; sic quia in Diuina natura continentur tres personæ Diuinæ, potest demonstrari Pater non demonstrato Filio, aut Spiritu Sancto; ergo si sub speciebus panis contineretur substantia panis, & corporis Christi, verè demonstraretur corpus Christi absque exclusione panis; quamuis enim sub illis speciebus esset etiam substantia panis; attamen verum esset, quòd sub illis esset corpus Christi.

Resp. ad 1. neg. cons; nam illud pronomen *hoc* significat substantiam, non accidens; ideo dicendo: *Hoc est corpus meum*; significat illam substantiam, quæ latet sub illis accidentibus, esse substantiam corporis Christi, non panis. Ad 2, neg. cons; cùm enim dicitur: *Hoc est corpus meum*; vel *Hic est sanguis meus*; significatur, quòd illud, quod continetur sub speciebus panis, & vini, est corpus, & sanguis Christi; milium autem, & aqua non conuersa non continentur sub speciebus panis, & vini, sub quibus continetur corpus, & sanguis Christi; sed solùm iacet circumfusa, & vnita; ideo vera sunt verba. At si substantia panis, & corpus Christi continerentur sub iisdem speciebus panis, non esset verum absolutè, quòd contentum sub speciebus panis sit corpus Christi. Ad 3, dicitur *Concilium* absolutè colligere desitionem panis ex veritate verborum, nec verbum facere institutionis Christi, sicut

ficut nec Chriftus declarauit fe, quòd voluit illis verbis fignificare defitionem panis;fed fimpliciter illa verba protulit; ex quorum veritate præcisè colligit *Trid.* defitionem panis. Ad 4. dift. ant. Poteft unum fignificari non fignificato alio per accidentia, quæ funt propria illius, quod fignificatur, conc; & cùm accidentia panis fint propria fubftantiæ panis, tunc fignificaretur fubftantia panis, fi maneret; non fubftantia corporis Chrifti; per accidentia, quæ non funt propria,neg. Significatur autem Diuinitas, anima &c; non ex vi fignificationis verborum, fed ex vi connexionis cum corpore; ficut fignificatur Perfona Diuina ratione identitatis cum effentia; fubftantia autem corporis Chrifti non connectitur naturaliter cum fubftantia panis; ideo fi hæ duæ fubftantiæ effent fimul, dicendo *hoc*, quod latet fub his accidentibus, demonftraret fubftantiam panis,quam propriè demonftrant illa accidentia; non fubftantiam corporis Chrifti, quam non demonftrant, nifi cùm defijt panis fubftantia.

7 Conf. 1. In tantùm marfupium, arca, dolium &c. poffunt fignificare nummos,vinum inclufum in fua fubftantia, in quantùm ex inftitutione humana habent illud continere; fed panis ex inftitutione humana non habet continere corpus Chrifti; neque ex inftitutione Diuina; nam quia fubftantia marfupij, vel dolij continet fubftantiam argenti, vel vini, valet tantùm: *Hoc marfupium, vel dolium continet argentum, vel vinum*; non autem valet: *Hoc marfupium eft argentum: Hoc dolium eft vinum*; Chriftus autem non dixit: *Hic panis continet corpus meum*, fed dixit: *Hoc eft corpus meum*; idèft *hoc*, quod latet fub his fpeciebus, *eft corpus meum*. Quod fi diceretur de marfupio: *Hoc, quod latet fub his accidentibus, eft argentum*; fignificaretur fubftantiam marfupij non effe fub illis; ergo fi panis remaneret poft confecrationem,verba veritatem non haberent.

8 Conf. 2. Quando duo realiter diftincta vniuntur, & manent diftincta, tunc unum in altero nequit prædicari fubftantiuè de alio; ut quia in incarnatione humanitas unitur Diuinitati, nequit dici; *Humanitas eft Diuinitas*; fic in homine anima non eft corpus; fed in euchariftia fubftantia panis, fi remaneret, effet unita, & diftincta à fubftantia corporis Chrifti; aliter non remaneret, tranfiret enim in identitatem; ergo non effet vera hæc prædicatio: *Hic panis eft corpus Chrifti*; fed hoc effe falfum conuincitur ex verbis confecrationis; nam de pane, quem Chriftus accepit in manus fuas, dixit: *Hoc eft corpus meum*; quod nequit verificari, fi panis remaneat in fua natura; ergo ex veritate verborum euidenter colligitur conuerfio panis in fubftantiam corporis Chrifti, & per confequens panem non manere.

9 Prob. 3. reijciendo omnes modos vnionis. Si panis remaneret in euchariftia, vel per vnionem hipoftaticam, vel per vbiquitatem, vel per fimplicem coniunctionem? Neutrum dici poteft; ergo nullo modo remanet. Ma continet modos dicendi *Aduerfariorum*; nec videtur poffe dari alium modum vnionis, qui non fit reducibilis ad aliquem ex iftis. Prob. mi. Illud tantùm,quod eft affumptum à Perfona Verbi, dicitur hipoftaticè vnitum; hipoftafis enim fignificat perfonam; & hipoftaticè vniri fignificat vniri perfonæ; fed panis non eft affumptus à Perfona Verbi; quia *quod femel affumpfit, nunquam dimifit*; ergo panis non eft hipoftaticè vnitus. Tum quia panis ex vi verborũ vniretur corpori Chrifti,non Verbo;ergo non effet hipoftaticè vnitus. Neque fecundum; nam terra coniuncta eft cum aere, & aqua; & tamen terra non eft, vbi eft aer, & aqua, ergo ex eo, quòd humanitas fit coniuncta cum Verbo,quod eft vbique,non fequitur, quòd humanitas fit vbique. Tum quia quod eft vbique, nequit moueri de loco ad locum, & nequit dici non effe in aliquo loco; fed humanitas Chrifti, fiue quando erat mortalis, fiue facta immortalis poft mortem fe mouit de loco ad locum, & in aliquo loco non fuit; vt colligitur ex euangelio; dicitur enim *Io. 6. Cùm vidiffet turba, quòd Iefus non effet ibi*; quod dictum fuit, antequam moreretur; & poft mortem *Marc. 16. Surrexit, non eft hîc*; & *Act. 1. Eleuatis manibus ferebatur in Cælum*; ergo humanitas Chrifti non eft vbique. Tum quia ex eo, quòd Deus fit vbiq;& in omni re,nequit de omni re prædicari; ex eo enim, quòd Deus fit in aqua, & terra, nequit dici aqua, & terra eft Deus; fed de illo, quod eft fub accidentibus panis, prædicatur corpus Chrifti; ergo corpus Chrifti non eft fub accidentibus panis ratione vbiquitatis. Neque tertium; nam præter id, quod dictum eft, quòd quoties duæ fubftantiæ impermixtim vniuntur, vna nequit fubftantiuè affirmari de alia; ficue de pane affirmauit Chriftus, quòd ex vi verborum *fit corpus meum*; dicitur vlteriùs, quòd hæc coniunctio vel effet per iuxtapofitionem, & hoc non; quia corpus Chrifti non effet fub fpeciebus panis; ficut ex eo, quòd terra ponatur iuxta aerem, non eft fub fpeciebus aeris; vel effet per penetrationem; & hoc non; quia ex eo, quòd corpus Chrifti penetrauerit lapidem fepulcri, non potuit dici pro eo tunc, quòd lapis effet Chriftus; nec quòd corpus Chrifti effet fub fpeciebus lapidis; ficut aqua penetrans terram,vel fpongiam non eft fub fpeciebus terræ, vel fpongiæ; fed nullus videtur effe alius modus coniunctionis; ergo ex omni ea pite arguitur,quòd fubftantia panis non maneat.

10 Obijc. 1. Euchariftia *in fcripturis* dicitur panis; vt 1. *Cor.* 10. *Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini*; & c. 11. *Quicunque manducauerit panem hunc; & quotiefcunque manduca-*

ducabitis panem hunc; & *Probet autem se ipsum homo, & de pane illo edat*; sed hæ propositiones essent falsæ, si substantia panis non maneret; ergo dicendum, quòd maneat. 2. Prob. *ex PP*; nam *Irenæus lib.4.cont.hær.c.34.* ait eucharistiam ex duabus rebus terrena, & cœlesti esse compositam; *Cypr.lib.2.ep.3.* dicit eucharistiam constare ex farina, & aqua; *Cyrill.Hierosol.catech.2.* docet eucharistiam post consecrationem non esse nudum panem; *S.P.Aug.lib.16.de Ciu. Dei c.37.* ait in sacramento manere frumentum, & vinum; *& S.Gelas.Papa lib.de duabus naturis: Sacramentum corporis, & sanguinis Domini Diuinum est, & tamen non desinit esse substantia panis, & vini*.

Resp. eucharistiam vocari panem *in scripturis, et à SS.PP.* ferè semper cum addito, scilicet *panem viuum, cælestem, Diuinum*, quo significatur Christus, non panis inanimatus. 2. Dicitur panis, quia ex pane facta est; qua ratione homo dicitur *puluis*, quia ex puluere effectus est. 3. Quia retinet speciem visibilem panis; quomodò Angelus *Gen.8.* dictus fuit vir, quia speciem viri habebat. 4. Propter easdem operationes, quæ sunt nutrire, confortare &c. 5. Propter analogiam; sicut enim panis corporalis corporaliter nutrit; ita eucharistia nutrit spiritualiter. *Ad Irenæum* dicitur nihil aliud velle, quàm quòd eucharistia componitur ex materia terrena, quæ transit, & conuertitur; & ex materia cælesti, in quam conuertitur: idem asserit *S.Cypr.* Ad *Cyrill.* dicitur eucharistiam non esse nudum panem in sua substantia, sed esse corpus Christi, in quod panis transit; vt explicat cathechesi 4. Ad *D.P.Aug.* dicitur manere frumentum, & vinum quoad accidentia, non quoad substantiam, vt docet *de verbis vbis.* Ad *Gelas.* dicitur illum librum esse *cuiusdam Gelasij Cæsariensis*, cuius meminit *D.Hier. de scriptoribus Eccl*; non *Gelasij Papæ*; nam vt obseruat *Baron. anno 496*; in illo libro laudatur *Eusebius Cæsariensis*, cuius libros damnauit *Gelasius Papa*.

11. Obijc. 2. In eucharistia manet sapor, odor panis, & omnes illius operationes, vt nutritio, refectio &c; ergo manet substantia panis, à qua sunt istæ operationes. 2. Panis, & viuû sunt materia consecrationis; sed materia, cùm sit pars intrinseca, manet in composito; ergo idem. 3. In sacramento nequit esse aliquid falsitatis; sed accidentia panis significant substantiam panis; ergo debet esse substantia panis; aliter falsò significarent.

Resp. ad 1. neg. cons. Ad prob. infert. dicitur illas operationes esse à substantia panis mediantibus accidentibus; ideo quia manent accidentia, manent etiam illæ operationes. Ad 2. dist. ma. Sunt materia transiens, conc; manens, neg; materia autem, quæ est intrinseca, est illa, quæ manet, non illa, quæ transit. Ad 3. dist. mi. Significant substantiam panis extra sacramentum, conc; in sacramento, subdist. Significant substantiam panis, quæ fuit, & transijt, conc; quæ remanet, neg.

12 Collig. ex dictis repugnare etiam de potentia Dei absoluta corpus Christi poni sub speciebus panis per actionem conuersiuam non destructa substantia panis. Est *cont. Scot; Dur; Gabr; Sua; Vasq; Granad; Mastr; & alios Scotistas* asserentes fieri potuisse, vt Christus remanente substantia panis haberet præsentiam sacramentalem ad species eiusdem rationis cum illa, quam de facto habet. Ratio est. Ad rationem conuersionis requiritur formaliter, vt terminus *à quo* vertatur in terminum *ad quem*, vt diximus *art. 1. §. 1*; in hoc enim distinguitur conuersio à successione; nisi velimus poeticè, aut mysticè loqui; non autem in sensu philosophico, iuxta quem solùm hic conuersionem vsurpamus; sed implicat simul remanere, & desinere substantiam panis; vt notum est; ergo implicat etiam de potentia absoluta corpus Christi poni sub speciebus per actionem conuersiuam eo modo, quo de facto ponitur, remanente panis substantia; atque adeò remanere præsentiam eiusdem rationis, quæ per hanc conuersionem ponitur. Tum quia si simul cum aqua *in Cana Galilæa* positum fuisset vinum, nemo diceret aquam illam conuersam in vinum, sed aquam mixtam vino; ergo idem. Tum quia quando forma vnitur materiæ, non dicitur conuerti in materiam; sic quando Christus penetrauit lapidem sepulcri, non fuit conuersus in lapidem. Tum quia etsi vnum corpus possit adduci ad locum alterius, non tamen dicitur in hoc illud conuerti; sicut ex eo, quòd Diabolus sit in corpore obsessi, non dicitur homo conuersus in Diabolum; nihil enim est magis alienum à modo loquendi *Philosophico*, quàm modus disserendi, qui impugnatur. Tandem si esset possibile corpus Christi esse præsens speciebus eo modo, quo de facto est; non bene inferret *Trid.* substantiam panis non remanere ex reali præsentia ipsius corporis Christi; nam realis præsentia corporis Christi non inferret necessariò, & essentialiter desitionem panis; ergo quamuis corpus Christi possit simul esse cum substantia panis localiter penetratiuè, & habere præsentiam realem ad illam; attamen nequit esse eo modo, quo est in eucharistia, scilicet per conuersionem panis in ipsum; & ideo nequit habere eandem præsentiam, quę specificatur, & variatur à termino *ad quem*; quamuis enim idem corpus Christi sit præsens lapidi penetrato, & speciebus in hostia; attamen hæc præsentia est diuersæ rationis ab illa; quia terminus illius est substantia lapidis penetrati; terminus verò huius sunt species sine substantia.

13 Inst. *Mastr.* Eadem esset actio eductiua formæ ignis de potentia materiæ, quæ fieret etiam manente termino *à quo* positiuo; ac illa, quæ fit destructo termino *à quo*; ergo à pari. 2.

Cor-

Corpus Christi non fit præsens formaliter per desitionem panis; negatio enim nequit esse ratio constitutiua alicuius positiui; vt est præsentia; ergo idem. 3. Quantitas corporis Christi de facto est præsens quantitati panis; sed in casu esset præsens quantitati panis; ergo esset eadem præsentia. 4. Haberet easdem conditiones, quas de facto habet; ita enim esset præsens, vt non desineret esse in Cęlo; esset totum in toto, & totum in qualibet parte; & esset inseparabiliter præsens speciebus panis; ergo idem. 5. Ad rationem propriæ conuersionis non requiritur desitio termini *à quo*; sicut ad rationem veræ generationis non requiritur destructio termini *à quo* in illorum sententia, qui censent formas elementorum fuisse primò eductas de potentia materiæ.

Resp. ad 1. omisso ant. neg. cons; quamuis enim admittatur nō esse de ratione eductionis, quòd præsupponatur terminus *à quo* positiuus corruptus; est tamen de ratione essentiali conuersionis; aliter si nihil supponeret, nihil esset conuersum; & si non desineret esse, non conuerteretur, & mutaretur in aliud; implicat enim aliquod manere, & mutari, seu conuerti. Ad 2. dist. ant. Non fit præsens per desitionem panis præcisè, conc; potest enim Deus annihilare panem absque eo, quòd substituat sub illius speciebus corpus Christi; per conuersionem positiuam, quæ essentialiter supponit desitionem panis, neg. Ad 3. dicitur substantiam, non quantitatem corporis Christi, esse præsentem quantitati panis præcisè; in casu autem esset præsens quantitati, & substantiæ; ideo non esset eadem præsentia. Præterea quamuis ratio formalis terminatiua præsentiæ esset eadem; non tamen esset eadem ratio effectiua, quæ est actio conuersiua; vt quamuis quantitas corporis sit præsens quantitati loci; non tamen effectiuè fit pręsens, nisi per motum, vel quia producitur in illo loco; vel quia mouetur ad illum locum; sic quamuis esset eadem ratio repletiua, non tamen esset eadem actio effectiuè constituens sub speciebus. Ad 4. neg. ant; non enim esset ibi per conuersionem. Ad 5. dicitur, sicut ad 1.

§. 2.

An substantia panis etiam totaliter desinat?

24 DVr. *hic dist.* 11. *q.* 3. vult, quòd licèt tota substantia panis desinat; attamen non desinit totaliter; quia remanet materia prima panis, quæ transit ad informari ab anima Christi; sicut in generatione naturali desinit esse totum compositum præcedens, & tota materia illius, & forma desinit; aliter non desineret totum; attamen materia non desinit totaliter, quia remanet materia prima, quæ transit, vt informetur à forma geniti. *Scot. ibid. q.* 6; *Maior q.* 1; *& Gabr. q.* 2. asserunt manere formam panis, & vini; putant enim esse accidentalem, seu artificialem. *Ban.* 1. *p. q.* 4. *art.* 2. *dub.* 2. ait manere existentiam panis, & vini, qua existunt accidentia. *Godefredus* verò vult remanere solam subsistentiam. *Ceteri* autem *Theologi* communiter docent nihil horum remanere.

25 Vnica concl. Substantia panis, & vini tota, & totaliter desinit ita, vt sola accidentia remaneant. Ita definitum fuit *in Trid. sess.* 13. *c.* 4; *& can.* 4; vbi damnat negantes *conuersionē totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis, & vini*; et *in Conc. Constan. in Bulla Martini V.* damnatur primus error *Vuicleff* asserentis: *Substantia panis materialis, et similiter substantia vini materialis manent in sacramento Altaris*; & secundus error, qui erat: *Accidentia panis, et vini non manent sine subiecto*. Ex quibus sic. Implicat in terminis dicere, quòd remaneant sola accidentia, & quòd remaneat materia prima, forma, vel existentia substantialis, aut subsistentia; si enim præter accidentia aliquod horum remanet, iam non remanent sola accidentia; & si accidentia dumtaxat remanent, nihil horum remanet; particula enim *dumtaxat*, & *sola* excludit essentialiter consortium alterius, vt constat; sed est definitum de fide in eucharistia manere sola accidentia duntaxat; ergo nihil aliud, quodcunque illud sit, dummodo sit substantiale, remanet. 2. In hoc differt conuersio totalis à conuersione formali, seu partiali, ut est generatio naturalis; quòd in illa nihil prorsus remanet substantiæ præcedentis; in ista remanet materia prima, quæ transit ad materiam secundam v. g. ligni; & informatur à forma ligni; aliter inter has duas conuersiones nullum posset assignari discrimen; sed conuersio, quæ fit in eucharistia, est totalis; ergo nihil penitus remanet substantiæ panis, & vini. 3. Si remaneret materia, vel informaretur ab anima; & esset distincta à materia corporis Christi. Vel non informaretur, nec esset distincta. Non primum; quia eadem forma nequit informare duas materias specie diuersas, aliter poneretur in duplici specie, quod repugnat. Nec secundum; quia implicat materiam existere informem; illa enim non esset ampliùs materia panis, sed materia nullius rei. Sicuti implicat, quòd duo realiter distincta realiter identificentur. Sic dicendum de forma, & existentia substantiali; forma enim materialis est inseparabilis simpliciter à materia, aliter materialis non esset, & existentia substantialis non esset actus, quo existit substantia, per ipsam enim existerent etiam accidentia. *Sed de his ad Philosophos*.

26 Obijc. *Dur. SS. PP.* asserentes conuersionem fieri eo modo, quo alimentum conuertitur in substantiam aliti; & quo aqua versa est in vinum;

num; ſed in his conuerſionibus remanſit materia; ergo & in euchariſtia.

Reſp.SS.PP.afferre exempla conuerſionum formalium;quia non datur alia conuerſio totalis præter hanc,quæ fit in euchariſtia.

17 Inſtat *Scot.* Panis conſtituitur per formam artificialem, quæ eſt accidentalis; ſed formæ accidentales remanent; ergo & forma panis.

Reſp.neg. ma; nam farina aqua compacta vi caloris tranſmutatur in tertiam ſubſtantiam, quæ eſt panis;quòd ſi tantùm accidentaliter differret, poſſet panis iterum reduci in farinam; quod falſum eſſe docet experientia.

18 Inſt.*Ban.* 1.Ex eo,quòd *Conc.* afferat manere accidentia, afferit remanere exiſtentiam, qua exiſtunt,& remanent. 2.Accidentia exiſtunt per ſe, non enim exiſtunt in alio; ſed exiſtentia per ſe eſt ſubſtantialis; ergo idem. 3.Exiſtentia panis nequit conuerti in exiſtentiam Chriſti, in quo eſt ſola exiſtentia Diuina; ergo idem.

Reſp.ad 1.diſt.Afferit remanere exiſtentiam quoad modum,conc; quoad rem, neg; vt *inf.* dicemus. Ad 2.eodē modo diſt.mi. Exiſtentia per ſe quantùm ad rem,conc; quoad modum, neg. Ad 3.dicitur, quòd ſicuti forma panis nequit conuerti in animam Chriſti; quia corporale nequit verti in ſpirituale; attamen dicitur conuerti in materiam,quia reducitur in potentiam materiæ; vt habet *Fund.Doct.Theor.*1; ita exiſtentia conuertitur in potentiam materiæ, in quam conuertitur forma panis, ad quam ſequitur, & cuius eſt actus exiſtentia.

A R T. III.

An detur vera, & realis præſentia corporis, & ſanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis, & vini?

1 BEccan.in Manuali lib.3.c.6.n.42. ait primum, qui non credidit realem præſentiam corporis, & ſanguinis Chriſti in euchariſtia, fuiſſe *Iudam*; & hoc colligit ex verbis Chriſti Domini *Io. 6. Sunt quidam in vobis, qui non credunt*; nempe præſentiam corporis mei in euchariſtia, de qua tunc ſermo erat; qui ſermo videbatur durus aliqnibus, propterea non credebatur; & inter alios fuit *Iudas*, de quo ait *S. P. Aug.tract.*27.*in Io.Ibi fuit & Iudas, qui manſit ad inſidiandum,non ad intelligendum*; quem propterea,quia obſtinatus erat in incredulitate, vocauit Chriſtus Diabolum: *Vnus ex vobis Diabolus eſt.* Nou habetur tamen *ex ſcriptura*, quòd *Iudas* ſuam hæreſim exteriùs protulerit, ſed ſolùm in corde retinuit. Inſurrexerunt poſteà *Simoniani, & Menandriani* circa annum Chriſti 77; qui negauerunt carnem, & ſanguinem Chriſti eſſe in euchariſtia, quia putabant ipſum veram carnem,& verum ſanguinem non habere; quod dicendum eſt quoque *de Manichais*, qui corpus phantaſticum Chriſto tribuerunt. Inter eos tamen, qui veram carnem, & ſanguinem crediderunt in Chriſto,primus,qui negauit realem præſentiam in euchariſtia, fuit *Berengarius*, vt diximus *in ſup.art*;quem ſecutus eſt *Vnicleff.*& deinde *Zuinglius*, & *Zuingliani*, qui *ſacramentarij* dicti ſunt. Quibus adiunxerunt ſe *Caroloſtadius, Æcolompadius, Bulingerus, Caluinus, & Caluiniſta* aſſerentes corpus, & ſanguinem Chriſti eſſe in euchariſtia figuratè, & myſticè, vt in figura, & in ſigno; ac propterea illa verba Chriſti Domini: *Hoc eſt corpus meum: Hic eſt ſanguis meus.* vera eſſe tantùm in ſenſu figurato, & myſtico eo modo, quo dicitur:*Petra autem erat Chriſtus: Ego ſum vitis*; non autem in ſenſu proprio, & literali; vnde ſicut illa verba: *Petra autem erat Chriſtus*: nullum alium ſenſum poſſunt habere, quàm quòd petra erat ſignum, & figura Chriſti, qui ſecundùm ſuam præſentiam realem non erat in petra,ſed in ſe ipſo; ita hæc verba: *Hoc eſt corpus meum*: nullum alium ſenſum habent,quàm quòd panis eſt figura,& ſignum corporis Chriſti,quod tantùm eſt in Cœlo ſecundùm realem præſentiam; quod propterea realiter non manducatur, nec percipitur, ſed tantùm per fidem.

2 Vnica concl.Catholica veritas fatetur eſſe articulum fidei corpus, & ſanguinem Chriſti verè, realiter, & ſubſtantialiter per realem præſentiam eſſe in euchariſtia. Hoc fusè probae *Fund. Doct. Æg. de celebr.Miſſ. fol.*10; *& de corp. Chriſti col.*1; *&* 2; *& Quodl.* 1.*q.*4; *& communiter omnes alij DD.catholici.*

Prob.1.*ex Apoſt.ad Gal.*4.docente hoc eſſe diſcrimen inter ſacramēta veteris,& nouæ legis; quòd illa erant elementa infirma, & vacua, quia, inquit *Flor.in decr.vnion*;non continebant, quod ſignificabant; iſta verò continent, quod ſignificant; ſed euchariſtia ſignificat corpus, & ſanguinem Chriſti; ergo verè, realiter, & ſubſtantialiter continet corpus,& ſanguinem Chriſti; ac propterea corpus, & ſanguis Chriſti eſt realiter, & ſubſtantialirer præſens ſpeciebus panis, & vini; aliter nullum eſſet diſcrimen inter ſacramentum veteris, & nouæ legis; illa enim continebant tantùm in figura. Hoc diſcrimen declaranit Chriſtus *Io.*6. dicens: *Hic eſt panis dè Cælo deſcendens*: *Non ſicut manducauerunt Patres veſtri manna*; & deinde: *Non Moyſes dedit vobis panem de Cælo, ſed Pater meus dat vobis panem de Cælo verum*; ſed *Moyſes* dedit panem in figura, quia manna fuit figura panis euchariſtici; & Patres antiqui manducauerunt corpus, & ſanguinem Chriſti in figura,& per fidem; & tamen non manducauerunt panem verum, qui de Cælo deſcendit, quem manducant euchariſtiam ſumentes; ergo corpus, & ſanguis Chriſti eſt verè, & realiter in euchariſtia; aliter non eſſet panis verus, ſed figuratus; nec plus dediſſet Chriſtus, quàm *Moyſes*; quod verbis Chriſti expreſsè repugna-

pugnat. Insuper quòd Christus loqueretur de sua carne, & sanguine literaliter, clarè colligitur ex eo, quòd discipuli audientes hæc verba dicebant: *Durus est hic sermo*; non autem durus eis visus fuisset, si figurata locutio fuisset; vt constat de alijs figuris, & parabolis, quas eis Christus proposuit, quæ illis duræ visæ non sunt; quod clarè demonstrant ea verba: *Litigabant ergo Iudæi ad inuicem dicentes, quomodò potest nobis carnem suam dare ad manducandum*; de pane autem etiam, prout est figura corporis sui, nullum potuisset esse litigium, quomodò possit dari ad manducandum, vt constat; ergo corpus, & sanguis Christi est realiter, & substantialiter præsens in eucharistia. Deinde idem prob. ex verbis institutionis eucharistiæ: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus*; quæ verba, si metonymicè dicta fuissent de corpore, & sanguine pro figura corporis, & sanguinis, vt volunt *hæretici*, à Christo explicata fuissent Apostolis; quibus *datum est nosse mysteria Regni Cælorũ*; vt dicitur *Matth.* 13; & quibus Christus *interpretabatur scripturas, quæ de ipso erant*; vt dicitur *Luc.* 24; tum quia omissio talis explicationis induxisset Ecclesiam in idololatriam; sed hæc explicatio non habetur *in scriptura*, neque constat ex traditione; ergo hæc verba intelligenda sunt literaliter. Tum quia in calice, quem Christus tradidit bibendum Discipulis, erat sanguis, qui fundendus erat pro illis in remissionem peccatorum; sed sanguis effundendus erat verus, & proprius sanguis Christi; ergo sub speciebus vini fuit verus, & realis sanguis Christi; & idem dicitur de corpore.

3 Prob. 2. ex traditione vniuersalis Ecclesiæ; nam S. *Andreas*, vt legitur in eius passione, Iudici præcipienti, vt Idolis immolaret, respondit *se quotidie immolare omnipotenti Deo agnum immaculatum, cuius carnes postquam omnis populus credentium manducauerit, & sanguinem biberit, agnus, qui sacrificatus est, integer perseuerat, & viuus*; & S. Ignatius D. Io. *Discipulus ep. ad Rom. Panem Dei volo, panem cælestem, qui est caro Iesu Christi Filij Dei viui, & potum volo sanguinis eius*, S. Dion. de Hier. Eccl. c. 3. testatur per eucharistiæ mysterium *Christum signari simul, & sumi*; si autem esset tantùm signum, & non res significata, significaretur tantùm, & non sumeretur; *Iustin. apolog. 2. Cibum illum, qui à nobis vocatur eucharistia, cùm benedictus fuerit, ipsius Iesu incarnati carnem, & sanguinem esse edocti sumus*; *Irenæus lib. 4. c. 32. aduersus hæreses* ex veritate corporis, & sanguinis Christi in hoc sacramento probat veritatem incarnationis; *Tertull. lib. 2. ad vxorem* reputat nefas esse hoc sacramentum infidelibus ostendere, qui panem hunc, non Christum, sed panem communem esse credunt; *Orig. hom. 38. in Luc. Manna in ænigmate cibus erat; nunc autem in specie caro Verbi Dei verus est cibus*; *Hil. de Trin. lib. 8. De veritate carnis, & sanguinis non est relictus ambigendi locus*; *Cyrillus Hierosol. catech. 4. Non panem iubemur gustare, sed quod sub speciebus panis est, corpus Christi*; *Greg. Nyss. serm. catechistico de Diuinis sacramentis: Panem in Deè Verbi corpus credimus immutari*; *Naz. in S. Pascha: Absque confusione comede corpus, & sanguinem bibe, si vitæ desiderio teneris; neque sermonibus, qui de carne habentur, fidem deneges*; *Chrisost. hom. 60. & 83. in Matth. Quòd Christus semetipsum nobis commiscet, & non fide tantùm, verum, & reipsa nos suum efficit corpus*; *Ambr. lib. 4. de sacram. De pane fit caro Christi*; *Hier. ep. ad Damas. Saluator, cuius quotidiè carne vescimur, cruore potamur*; S. P. *Aug.* vt habetur *de consecr. c. 71. vtrum in figura: Corpus Christi & veritas, & figura est; veritas, dum corpus Christi, & sanguis virtute Spiritus Sancti ex panis, & vini substantia efficitur; figura verò est id, quod exteriùs sentitur*: Idem habet *serm. 28. & 59. de verbis Domini*; & *lib. 3. de Trin. c. 4.* & *lib. 22. cont. Faust. c. 10.* & *in ps. 33. 93.* & *94.*; *Leo serm. 16. de ieiunio septimi mensis: Nihil prorsus de veritate corporis Christi, & sanguinis ambigatis.* Idem habent *S. Greg. hom. 22. in euangelia*; *Chrisol. serm. 5. de filio prodigo*; *Fulgent. lib. 2. ad Monymum*; *Dam. lib. 4. de fide c. 14.* & *omnes DD*; qui *Berengary* hæresim vno ore execrarunt; ergo ex continua Ecclesiæ traditione habetur corpus, & sanguinem Christi verè, & realiter, non tantùm figuraliter esse sub speciebus panis, & vini.

4 Prob. 3. *ex Conc. Nic. I. in doctrina, & can. 14. alias 18*; *Arelaten. can. 15*; *Ephes. ep. ad Nestor*; *Alex. ep. ad eundem Nestor*; *VI. Syn. Gen. c. 3*; *VII. Syn. act. 6.* & *alys cit. in sup. art. §. 2. n. 32*; præsertim *Lat. IV*; & habetur c. *Firmiter de summa Trin*; *Constant*; *Flor*; & *Trid*; & alijs, quàm pluribus.

5 Prob. 4. ex innumeris ferè miraculis, quibus hæc veritas fuit Diuinitus confirmata; vt quòd non semel apparuerit puer in hostia, quòd Bruta animalia genuflexerint, & cætera huiusmodi, quæ videri possunt *apud SS. Cypr. serm. de lapsis*, *Ambr. in orat. funebri fratris sui*, *Naz. or. funebri in sororem Gorgoniam*, *Chrisost. lib. 6. de sacerdotio*, *S. P. Aug. lib. 22. de Ciu. Dei c. 8*; *Bern. in vita Malachiæ*, *Cæsarium in Dialogis*, *Amphiloch. in vita Basily*, *Optat. lib. 2. cont. Donatist*; *Sozomen. lib. 8. c. 5*; & *S. Greg. Magn. lib. 3. Dialog. c. 3.* Ex quibus sic arguitur. Quod est à Deo attestatum miraculis, vt credatur, & adoretur, est à nobis firmiter credendum, vt verum; Deus enim nequit patrare miraculum ad attestandam falsitatem, & inducendam idololatriam; vt diximus *to. 4. de fide q. 1. art. 3. §. 2*; sed quòd corpus, & sanguis Christi sit realiter præsens secundùm suam substantiam speciebus panis, & vini, est à Deo attestatum miraculis, vt habetur ex allatis *SS. PP. & DD*; qui vt fide dignissimi habentur ab omnibus; ergo quòd corpus, & sanguis Christi sit realiter præsens secundùm suam substantiam speciebus panis, & vini, est à nobis firmiter credendum, vt verum. Præterea quod tanta veneratione

asser-

asseruatur ne pereat, aut effundatur, vel offendatur, grauissimis pœnis constitutis in delinquentes, & irreuerenter tractantes, aut offendentes, tanquam in sacrilegos offensores, & iniurios corpori, & sanguini Christi, est corpus, & sanguis Christi secundùm suam substantiam, & non tantùm secundùm figuram; nam etiam panis benedictus, qui catechumenis olim dabatur, erat figura corporis Christi, & in memoriam passionis eius dabatur; & tamen ille panis nec tanta veneratione asseruabatur, nec si decidebat in terram, pœnæ erant constitutæ in eos, è quorum manibus contingebat decidere; nec erat corpus Christi; imò catechumenis interdicebatur, ne sacrificio interessent, & ne eucharistiam aspicerent; propter quod nesciebant, quid Christiani in sacramento comederent, vt testatur *S.P. Aug. tract.* 11; *& 96. in Io; et lib. 2. de pecc. merit. c.* 20; *et* 26; *et lib.* 10. *de Ciu. c.* 6; *et hom.* 42. *inter* 50; *et in ps.* 39; *et* 109; *et serm.* 46. *de temp; et sæpissimè alibi*; sed eucharistia summa veneratione asseruatur, ne in terram decidat, effundatur, & pereat constitutis pœnis in delinquentes; vt constat *ex Clem. Rom. ep.* 2; *ex decreto Pij I*; quod habetur *de consecr. dist.* 2. *c.* 26; *ex Conc. Arelaten. ibid. c. qui bene*; *Toletan. III. can.* 11; *Matisconen. II. can.* 6; *Tertull. lib. de corona militis, Orig. hom.* 13. *in Exod*; *Cyrill. Hierosol. catech.* 8; *S.P. Aug. hom.* 26. *inter* 50; ergo in eucharistia est verum corpus, & sanguis Christi.

6 Prob. 5. Vera conuersio substantiæ panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi importat veram, & realem præsentiam substantiæ corporis, & sanguinis Christi; sicut vera conuersio substantiæ aquæ in substantiam vini importat veram, & realem præsentiam substantiæ vini; nam si in hydrijs *Cana Galileæ* non fuisset vinum secundùm suam substantiam, aqua non fuisset conuersa, sed mansisset intransmutata secundùm suam substantiam; sed sub speciebus panis virtute verborum consecrationis fit vera conuersio substantiæ panis, & vini in substantiam corporis, & sanguinis Christi; ut docet Ecclesia, Concilia, & SS.PP. relati *art.* 1; ergo sub speciebus panis, & vini est vera, & realis præsentia substantiæ corporis, & sanguinis Christi.

7 Obijc. 1. *Io.* 6. postquam Christus promisit vitam æternam manducantibus carnem, & bibentibus sanguinem eius, cùm *Iudæi* murmurarent, quomodò posset eis dare carnem suam ad manducandum, & sanguinem ad bibendum, respondit: *Verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus, & vita sunt*; quibus ostendit verba de carne, & sanguine esse intelligenda spiritualiter, & figuratè, non realiter, & propriè; & sic intelligit S.P. *Aug. tract.* 27. *in Io. & in ps.* 98; *& serm.* 28. *de verbis Domini; & tract.* 13. *in Io.* inquit, quòd credere est manducare corpus Christi. 2. *Matth.* 24. habetur: *Si quis dixerit; Ecce hic est Christus, nolite credere; & Io.* 12. *Pauperes semper habetis vobiscum, me autem non semper habebitis*; quæ non possunt exponi, nisi de præsentia reali; nam de spirituali habetur *Matth. vlt. Ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.* 3. *Ad Coloss.* 2. *Quæ sursum sunt, quærite, non quæ super terram*; ergo Christus non est in sacramento, quod est super terram. 4. *In secreta* 2. *Missæ Natiuitatis Domini* rogatur, *vt hæc terrena substantia conferat, quod Diuinum est.*

Resp. ad 1. in illis verbis: *Qui manducat meam carnem &c.* esse sensum simul realem, & spiritualem; realem quidem, quia in sacramento realiter est caro Christi; spiritualis autem, quia non est ibi extensa per ordinem ad locum, sed modo indiuisibili; vnde ad reijciendam cogitationem carnalem *Iudæorum* cogitantium carnem Christi esse manducandam per partes, sicut manducantur aliæ carnes (inquit *S. P. Aug. in ps.* 98.) dixit Christus illa verba esse spiritaliter accipienda; non tamen ad excludendam præsentiam realem modo indiuisibili, & spirituali. *Vid. Fund. Doct. Æg. de celebr. missar. vbi*; ubi inquit non implicare, quòd idem secundùm diuersas rationes sumatur literaliter, & spiritaliter; ut patet de morte Christi, quæ literaliter accipitur, prout dicit separationem animæ à corpore; & spiritaliter, prout significat, quòd nos in ipsa mortui sumus peccatis. Ad aliud dicitur *S. P. Aug.* loqui de eucharistia, ut est res sacramenti tantùm; vt diximus *q.* 1. *art.* 5. Ad 2. dicitur loqui de præsentia visibili, non inuisibili; loquitur enim *in primo textu contra pseudoprophetas*, qui prædicabunt Antichristum esse Christum; *& in secundo* loquitur de ea præsentia, qua potest corporaliter vngi; quomodò non est præsens in sacramento. Ad 3. dicitur *Apostolum* docere non esse quærenda terrena, & temporalia; Christus autem, quanuis sit in terra; attamen non est de terra homo terrenus; sed de cœlo homo cœlestis. Ad 4. dicitur, quòd *illa secreta* recitatur ante consecrationem, & ideo rectè dicitur, vt fiat Diuina per consecrationem.

8 Obijc. 2. Hæ locutiones sunt figuratæ: *Petra erat Christus*: *Ego sum vitis*; ergo, & istæ: *Hoc est corpus meum*: *Hic est sanguis meus*; nam istæ intelligendæ sunt, sicut intelligitur ista: *Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine*; in hac autem est duplex figura. 1. Quia dicitur calix pro vino, & sumitur per metonymiam continens pro contento. 2. Dicitur testamentum pro figura, seu signo testamenti; si enim vinum, vel sanguis esset propriè testamentum, renouaretur in singulis missis, & in singulis Christus moreretur; quia ad testamentum necesse est, ut intercedat mors testatoris. Præterea Christus, postquam consecrauit, dixit: *Non bibam ampliùs de hoc genimine vitis &c.* ergo etiam post consecrationem vinum fuit in calice.

Resp. neg. conf; aliter sequeretur omnia, quæ de Christo in euangelijs dicuntur, esse figuratè accipienda; quod est inauditum, & blasphemum. Ad prob. infert. neg. assumpt; sicut enim (inquit *Becc.*) si quis diceret: *Bibe hunc calicem*; metonymicè loquitur; qui autem dicit: *Bibe hoc vinum*; propriè loquitur; ita à pari. Ad id de testamento dicitur, quòd testamentum duo importat, scilicet voluntatem, seu promissionem, aut pactum testatoris; & instrumentum authenticum, in quo continetur voluntas testatoris, & quo applicatur ius ad hæreditatem; & in hoc vltimo sensu eucharistia est testamentum; dat enim nobis ius ad hæreditatem, quæ est vita æterna, cùm contineat Christum, qui est ipsa vita. Nec sequitur in singulis missis fieri nouum testamentum, & Christum mori; sed tantùm commemorari, & repeti idem testamentum, & eadem mors; ut Christus præcepit: *Hoc facite in meam commemorationem*. Ad aliud dicitur illa verba prolata fuisse ante consecrationem, vt colligitur *ex Luc.* Sed etiamsi dicta fuissent post consecrationem, resp; quòd sicuti etiam eucharistia dicitur panis. 1. Quia retinet accidentia panis. 2. Quia ex pane confecta est. 3. Quia est panis spiritualiter nutriens; ita dicendum de vino.

9 Obijc. 3. illud 1. *Cor.* 10. *Omnes eandem escam spiritualem manducauerunt*; sed illi manducauerunt in figura; ergo & nos. 2. *Io.* 12. *Vbi sum ego; illic & minister meus erit*; sed minister non est in eucharistia; ergo neque Christus. 3. *SS. PP.* vocant eucharistiam *symbolum, figuram, & signum corporis Christi*; vt *S. P. Aug. cont. Adimant. c.* 12. *Hoc est corpus meum, cùm signum daret corporis*; quod repetit *in ps.* 3. loquens de *Iuda*.

Resp. ad 1. *S. P. Aug. in ps.* 77. *Idem in mysterio cibus, & potus illorum, qui noster; sed significatione idem, non specie; quia idem ipse Christus illis in petra figuratus, nobis in carne manifestatus.* *Iudæi* ergo Christum manducauerunt tantùm in figura, quia non erat adhuc in carne; nos autem ipsum manducamus in carne, quia in carne est nobis manifestatus. Ad 2. retorq. Sed minister est in terra, ergo & Christus. Vel sed Christus est tantùm in cœlo; ergo & minister est tantùm in cœlo. Illa verba igitur significant, quòd minister sequens Christum gloriam consequetur cum Christo. Ad 3. dicitur *SS. PP.* loqui de speciebus, quæ sunt sacramentum tantùm, & vt sacramentum, sunt signum, figura, & symbolum corporis, & sanguinis Christi.

10 Obijc. 4. Propositiones sacramentales sunt sacramentaliter accipiendæ; ergo figuratè. 2. Repugnat corpus Christi manducari; & in ventrem ire, & egredi; ergo idem. 3. Repugnat corpus extensum esse in aliquo loco modo inextenso; extensio enim partium corporis in ordine ad locum est effectus formalis quantitatis, quæ est inseparabilis à corpore; ergo idem. 4. Corpus non potest esse totum in toto, & in qualibet parte loci; hoc enim est proprium solius spiritus; vt patet de anima rationali; ergo idem. 5. Non potest idem corpus esse in pluribus locis; docet enim *S. P. Aug. tract.* 30. *in Io. Corpus Domini, quod resurrexit, in vno loco esse potest*; habetur namque *Matth.* 28. *Surrexit, non est hic*; de quo *vid. eundem S. P. Aug. ep.* 57. *ad Dardan*; ergo idem. 6. Repugnat substantiæ, quòd alteri actualiter inhæreat, ergo & accidentibus, quòd actu per se existant.

Resp. ad 1. dist. ant. Quantùm ad id, quod significant, conc; quantùm ad id, quod realiter continent, neg; nam cùm dicitur: *Ablutio baptismi significat gratiam regenerantem*; figuraliter accipitur baptismus; cùm autem dicitur: *Gratia baptismalis mundat à peccatis*; non accipitur figuratè, sed propriè. Ad 2. resp. *Fund. Doct. vbis.* corpus Christi spiritaliter, non carnaliter manducari, vt putabant *Capharnaitæ*; spiritaliter autem manducari est simul cum speciebus in stomachum traijci, in quo durat, vsquedum durant species; quando autem species corrumpuntur, resultat materia propria illis speciebus corruptis, quæ scilicet resultaret, si species illæ essent cum substantia panis; & deinde fœces illius materiæ emittuntur; non autem emittuntur solæ species. Dicitur etiam spiritaliter manducari, idèst fructuosè, quia recipitur gratia in comedente species à corpore Christi causata. Ad 3. resp. *idem Fund. Doct. ibid.* dist. ant. Si sit in loco mediante quantitate, quæ est extensa, conc; si mediante substantia, quæ est inextensa, neg. Cùm igitur corpus Christi sit in hostia ratione substantiæ, quæ est indiuisibilis; est in hostia formaliter ratione illius, in quod substantia panis per se primò conuertitur; ratione namque solius conuersionis ponitur in hostia; sed id, in quod primò, & per se substantia panis conuertitur, est substantia, non quantitas corporis Christi; ergo est in hostia ratione substantiæ, non quantitatis, & per hoc patet ad 4; nam ratio, ob quam spiritus est totus in toto, & totus in qualibet parte loci, est, quia est indiuisibilis; indiuisibile enim nequit diuidi, & extendi ad diuisionem, & extensionem loci; ergo id, quod est in loco ratione substantiæ, quæ est indiuisibilis, est totum in toto, & totum in qualibet parte loci. Ad 5. resp. *idem ibid.* dist. ant. Non potest idem corpus esse in pluribus locis circumscriptiuè, conc; sicut enim res per vnam essentiam nequit esse in duplici specie; ita per vnam quantitatem nequit esse in duplici loco; & in hoc sensu loquitur *S. P. Aug. loc. cit*; sic etiam nequit esse in pluribus locis definitiuè; quia sic esse in loco est ita limitari ad vnum locum, vt non sit extra fines, seu terminos illius, vt patet ex terminis. Non potest esse in pluribus locis determinatiuè sacramentaliter, neg; sic enim esse in

loco

loco est esse in loco ratione specierum, sub quibus sacramentaliter existit; & ideo ad multiplicationem specierum existentium in pluribus locis est in pluribus locis. Ad 6. neg. cons; nam accidentia recipiunt modum existendi à substantia; sicut cera à sigillo; ideo possunt separari cum illo modo, & existere; at substantia non recipit modum inhærendi alteri ab accidentibus; ideo nequit actu inhærere. Vel dicitur, quòd natura humana in Christo substantia est, & tamen habet modũ accidentis; quia substentatur per subsistentiam Verbi Diuini, vt diximus *to. 5.*

ART. IV.

Quomodò explicanda sit existentia corporis, & sanguinis Christi in speciebus, & in loco?

1 MOdus, quo corpus Christi existit in speciebus, non eodem modo explicatur *à DD;* qui modum existendi rerum naturalium aspiciunt, nec mentem in hoc supra omnem modum, qui rebus naturalibus competit, eleuandam esse cognoscunt.

2 Duo quæruntur *in titulo;* per quid corpus Christi reddatur præsens loco specierum; & per quid reddatur præsens speciebus? Quoniam tamen connexa sunt; nam corpus Christi est præsens loco specierum, quia est præsens speciebus; ideo simul sunt resoluenda.

3 Prima sententia vult præsentiam corporis Christi ad species non resultare, aut fundari in aliqua vnione physica reali, vel formali, vel effectiua, sed tantùm in vnione morali orta ex Diuina voluntate statuente, quòd corpus Christi inseparabiliter maneat sub speciebus, donec fuerint incorruptæ. *Ita Scot. in 4. dist. 10. q. 1; & Mastr. hic qu. 10. art. 1. num. 220; Gabr; Conimb; & alij.*

4 Secunda vult inter corpus Christi, & species dari quandam vnionem formalem physicam absque imperfectione inhærentiæ; sicut anima vnitur corpori absque eo, quòd dependeat ab illo. Tribuitur etiam *Scoto dist. 9. q. 2. art. 1. ad 2; & 4; Bellarm. lib. 3. de euchar. c. 18; Valent; Albertin; Vasq; & ex nostris Lusit. lib. 11. de Beat. q. 8. art. 3.*

5 Tertia vult esse vnionem effectiuam mutuam, qua corpus Christi, vt instrumentum Diuinæ potentiæ, conseruat accidentia sine subiecto in genere causæ efficientis, non autem in genere causæ materialis receptiuæ; & qua species attrahunt indissolubiliter intimè corpus Christi, quocumque ferantur; vt magnes attrahit ferrum. *Ita Sua. hic disp. 47. sect. 3. concl. 2; & disp. 58. sect. 1; Lug. disp. 6. sect. 2.*

Quoad aliud *noster Gibb. disp. 23. dub. 2;* apud quem *Lug; Gonet; Dur; Stets; & alij*, vult corpus Christi constitui formaliter præsens loco quem occupant species panis per vbi intrinsecum sacramentale, quod acquirit, quando verba consecrationis completè sunt prolata.

6 Nostra docet præsentiam corporis Christi ad species resultare ex actione conuersiua, per quam substantia formaliter vnitur speciebus panis, tanquam simplici continenti absque inhæsione, & informatione; ac propterea esse in loco specierum solùm per accidens, scilicet per ubi intrinsecum receptum in speciebus. Primum colligitur *ex Fund. Doct. Æg. locis cit. to. 1. de Immensit. Dei art. 2. n. 3; & to. 2. q. 2. de loco Ang. art. 2. n. 8; 16; & 17;* vbi satis explicatum fuit, in quo consistat præsentia. Consentiunt *noster Bernardin; & Gibb. disp. 23. dub. 3; & plures alij.* Secundum verò docet *idem Fund. Doct. de sacram. Altaris Theor. 3; & 5; & sæpe alibi* pro cuius resol.

7 Not. *ex Fund. Doct. Theor. 3. vbis,* quòd substantia non comparatur ad locum, nisi prout est quanta vel quantitate virtutis, vel quantitate molis; nam substantia, prout substantia est præcisè, comparatur solùm ad speciem (loquendo de substantia creata) quæ componitur ex genere, & differentia, tanquam ex terminis definientibus, & limitantibus ipsam; substantia enim creata siue corporalis, siue spiritualis terminatur ad certum genus, & ad certam differentiam, ac ad certam indiuiduationem. Solus autem Deus, qui est substantia infinita, non habet terminos claudentes, & limitantes eius essentiam, & ideo non componitur ex genere, & differentia. Ratio autem est; quia cùm ratio substantiæ sit essentialiter intrinseca rei existenti per se, ideo non comparatur per se, nisi ad terminos intrinsecos, qui sunt genus, & differentia; ergo ad terminos loci non comparatur nisi per quantitatem, quæ est extra substantiam, cùm sit accidens ei superadditum. Tum quia loco conuenit formaliter extensio, cùm definiatur *superficies corporis continentis;* ergo ratio, per qua res ponitur formaliter in loco, debet esse extensio vel molis, vel virtutis; quælibet enim ratio formalis specificatur à suo termino formali; extensio autem est quantitas, vt dicitur in eius definitione. Ideo Deus ratione immensitatis; quæ est quantitas virtualis infinita, replet loca infinita; Angelus ratione quantitatis virtutis replet locum definitiuè finitum. Corpus verò ratione quantitatis molis adæquat circumscriptiuè locum finitum.

8 Ex hac doctrina, quæ *ex vera Philosophia* supponitur, explicari potest modus, quo corpus Christi est sub speciebus; cùm enim sit sub illis ratione substantiæ, quia est modo indiuisibili; non autem ratione quantitatis, quia non est sub illis modo extenso; ideo corpori Christi ratione illius, quo ponitur in sacramento, non competit nisi determinatio ad certum genus, differentiam, & indiuiduationem; non autem ei competit

petit determinatio ad talem locum; & per consequens secundùm se est indifferens, vt sit in illo, & in alio loco. Quia tamen species, sub quibus existit, & continetur, sunt in loco; ideo solùm ratione ipsarum ei potest competere esse in loco; & quia species multiplicantur, & sunt in pluribus locis; ideò potest corpus Christi, prout est sub speciebus, esse in pluribus locis. Et quanuis sub speciebus non solùm sit substantia, sed sed etiam quantitas corporis Christi, quia sub illis est totus Christus; attamen sicut substantia, quia in cœlo est in loco ratione quantitatis, quę est extensa; ideo quanuis secundùm se sit indiuisibilis, & inextensa, attamen est in loco modo extenso, & diuisibili; ita quanuis quantitas corporis Christi secundùm se sit extensa, & diuisibilis; attamen quia sub speciebus est ratione substantiæ, quę est inextensa, & indiuisibilis, ideo est sub speciebas modo inextenso, & indiuisibili.

9 Deducitur ex hoc, quòd sicut corpori Christi, vt est sub speciebus, nequit competere esse in loco modo extenso, & diuisibili, licèt habeat concomitanter annexam quantitatem; ita nequit competere vbicatio, quæ non competit rei, nisi ratione quantitatis, per quam solùm comparatur ad locum, per ordinem ad quem tantummodò vbicatio sumitur, vt constat.

10 Non sequitur tamen ex hoc (inquit *Fund. Doct. Theor.* 5.) quòd corpus Christi existens sub speciebus vnius hostiæ non sit determinatum ad locum, in quo est illa hostia; nam quod nullo modo est determinatum ad locum, nec per se, nec per accidens mouetur localiter; ideo enim Deus, qui existit in nobis, motis nobis non mouetur, quia ita existit in nobis, vt non determinetur ad locum, in quo nos sumus, repugnat namque substantiæ, & magnitudini infinitæ ita determinari ad vnum locum, vt non sit in omni loco. At corpus Christi sub speciebus existens mouetur per accidens ad motum illarum; quia defertur simul cum illis de vno ad alium locum; ideo est determinatum ad locum, aliter esset in omni loco. Hoc tamen non obstante corpus Christi non est circumscriptiuè in loco, quia non est in illo ratione quantitatis molis; nec definitiuè, quia non est in illo ratione quantitatis virtutis; aliter si alterutro modo esset in loco, non posset esse in pluribus locis; ita enim res per quantitatem molis, vel virtutis comparatur ad locum; sicut per substanciā comparatur ad speciem; sed res per vnicam substantiam nequit esse in pluribus speciebus; ergo per vnicam quantitatem nequit esse in pluribus locis. Si ergo corpus Christi non esset in speciebus ratione substantię, sed ratione quantitatis molis, vel virtutis, ita esset determinatum ad locum specierum, vt neque Diuinitus posset esse in alijs speciebus existentibus in alio loco; ideo quia est in speciebus ratione substantiæ, quæ non est ratio, ob quam res definitur ad locum; sequitur, quòd ita sit determinatum ad locum talium specierum, vt possit etiam esse in alijs speciebus, & consequenter simul esse in pluribus locis plurium specierum.

11 Quadruplex igitur est modus existendi in loco. Primus est per immensitatem replendo, & continendo locum; & hic competit Deo, qui nec determinatur, nec definitur, nec circumscribitur à loco. Secundus est ratione substantiæ, quæ, quia non est infinita, sed habet terminos ipsam limitantes, qui sunt genus, & differentia, determinatur ad locum, non enim est in omni loco; ideo potest moueri de vno ad alium locum; & hic competit corpori Christi; quod tamen non est definitiuè in loco specierum, vt censent *Auctores oppositi*; aliter non posset esse sub pluribus speciebus; nam definitio importat terminos, extra quos res nec etiam Diuinitus esse potest; vt quia substantia hominis definitur ad esse animal, & rationale; ideo nec etiam Diuinitus potest esse extra genus animalitatis, & extra differentiam rationalitatis; ideo si corpus Christi definiretur ad hunc numero locum; nec etiam Diuinitus remanendo in hoc loco posset esse simul in alio. Et quanuis esse in loco definitiuè accidentaliter competat; esse autem animal rationale competat essentialiter substantiæ hominis; hoc tamen tantùm facit, quòd res existens in loco possit mutari ad alium locum, quia esse in loco ei competit accidentaliter, & ideo amissibiliter; substantia verò hominis non potest mutari ad aliud genus, & differentiam. Non tamen facit, quòd existens definitiuè in vno loco possit simul esse in alio loco; aliter non ita clauderetur terminis illius loci, vt non posset esse extra illos; quod est contra essentiam definitionis, nam si non esset contra essentiam definitionis esse actu simul extra terminos illius; non esset ratio, cur substantia hominis simul esse non posset in pluribus spediebus saltem Diuinitus; quod nullus diceret. Tum quia sicut per vnam substantiam res comparatur ad vnam speciem ita, vt non possit simul esse extra illam; ita per vnam quantitatē virtutis res comparatur ad vnum locum, vt non possit simul esse in alio. Ideo si corpus Christi esset in loco per quantitatem virtutis, seu definitiuè, nō posset simul esse in pluribus locis, nec sub pluribus speciebus. Quia tamen est in loco solùm ratione specierum, cùm sit in illis; ideo multiplicatis speciebus est simul in pluribus locis. Tertius est per quantitatē virtutis, per quam res definitur ad locum eo modo, quo dictum est; & hic competit substantię spirituali. Quartus est per quantitatem molis, per quam circumscribitur à loco; & hic competit substantiæ corporeæ, prout existit in loco per quantitatem. Hac doctrina congruenter explicatur modus, quo corpus Christi existit in speciebus, & in pluribus speciebus; quod non nisi difficulter explicatur

ab

ab alijs DD. Vid. eundem Fund. Doct. de celebr. miss. & Quodl. 1. q. 4. & sæpe alibi.

12 Tandem notandum est discrimen, quod tradidimus *to. 1. vbi*; inter fieri præsens effectiuè, & esse præsens formaliter; constat enim, quòd corpus fit præsens effectiuè alicui loco, in quo priùs non erat, per motum localem; & forma, seu ratio formalis, per quam est formaliter in tali loco, est quantitas. *His not.*

13 Vnica concl. Per actionem conuersiuam corpus Christi fit præsens effectiuè speciebus absque vlla inhærentia, & informatione; ratio autem formalis, qua fit præsens, est ratio substantiæ; & mediantibus tantùm speciebus est in loco specierum determinatiuè, non definitiuè, absque vllo prorsus *vbi* intrinseco in ipso corpore Christi recepto.

Prob. 1. pars concl. ex dictis *to. 1. & 2. vbi s.* Ratio, per quam aliquod efficitur præsens alicui, in quo anteà non erat, vel est actio productiua, vt si Deus crearet aquam in nase, in quo anteà non erat; vel est actio adductiua de vno ad aliud continens, vt *ibid.* dicebamus; sed corpus Christi non ponitur effectiuè sub speciebus per actionem adductiuam, vt satis diximus, *art. 2*; ergo effectiuè ponitur per actionem productiuam illius. 2. Per illud aliquod dicitur fieri præsens alicui, per quod acquirit esse in illo, præsens enim importat habere *præ se ens*; quia sumitur propriè à differentia temporis indicatiui, quæ formaliter importat actualem existentiam rei, vt dicebamus *vbi s*, sed per actionem conuersiuam corpus Christi acquirit esse actu sub speciebus panis; actio enim est via ad esse; idest qua acquiritur esse; ergo per actionem conuersiuam corpus Christi fit præsens speciebus panis. Tum quia in hoc distinguitur formaliter præsentia à futuritione, & præteritione, quæ sunt aliæ differentiæ condiuidentes tempus; quòd præsens importat esse actuale existentiæ; futurum autem dicit tantùm potentiam ad habendum esse; & præteritum dicit esse habitum non existens; ergo per illud habetur formaliter præsentia, per quod formaliter habetur esse; *distinctiuum enim formale, & constitutiuum idem sunt*; sed per actionem conuersiuā corpus Christi habet esse sub speciebus; per ipsam enim ei communicatur existentia; sicuti per actionem productiuam substantiæ ei communicatur existentia actualis; ergo per actionem conuersiuam corpus Christi fit præsens speciebus. Tandem præsentia, quam dicit corpus Christi ad species, est illa, quam dicit contentum ad continens; *Trid.* enim loquens de corpore Christi sub speciebus ait tantùm *præsens esse, & contineri sub illis*; sed per actionem conuersiuam formaliter intelligitur corpus Christi contineri sub speciebus; ergo per illam præcisè intelligitur præsens speciebus.

14 Dices 1. Actio conuersiua non manet, est enim actio transiens; præsentia autem manet etiam post actionem conuersiuam; ergo præsentia nequit constitui per actionem conuersiuam. 2. Præsentia corporis Christi sub speciebus spectat ad prędicamentum *Vbi*; ergo non potest constitui per actionem, quæ est diuersum prædicamentum.

Resp ad 1. dist. ant. Actio conuersiua non manet in fieri, conc; in facto esse, neg; nam actio nihil aliud est, quàm res in fieri, & in motu ad esse; quæ res posteà manet in facto esse. Ex hoc magis prob. concl; nam effectiuè rem constitui pręsentem est rem fieri præsentem; esse autem præsentem in facto esse est retinere illud esse, quod per fieri factum fuit pręsens; sicut effectiuè generari est fieri rem genitam; esse autem genitum in facto esse est habere esse genitum, in facto esse; & habere esse genitum in facto esse est habere esse genitum iam terminatum; sed actio conuersiua importat fieri corporis Christi sub speciebus panis; & esse in facto esse importat ipsum esse substantiale corporis Christi sub speciebus; ergo ab actione conuersiua effectiuè habetur præsentia corporis Christi sub speciebus; & formaliter in facto esse ab ipsa substantia corporis Christi actualiter existente sub illis, quæ non distinguitur à suo fieri, seu ab actione, nisi sicut terminus à via. Ad 2. neg. ant; quamuis enim præsentia habeat etiam modum *Vbi*, & ad illud modaliter spectet; prædicamenta enim communicant sibi suos modos; attamen formaliter spectat ad tempus. *Vid. vbi s.*

15 Prob. 2. reijciendo alias sententias. Potest aliquid esse alteri præsens absque eo, quòd sit illi vnitum moraliter, aut physicè, vt constat; *Petrus* enim verè dicitur physicè, idest secundùm esse physicum præsens *Paulo* absque eo, quòd sit vnum moraliter, vel physicè cum illo; ergo quælibet vnio impertinens est ad veram præsentiam. Sic Deus est omnibus rebus intimè præsens, & tamen non constituit aliquod vnum cum illis; ergo idem. Tum quia quod solùm moraliter vnitur cum alio, non dicitur physicè esse in loco illius, nec physicè moueri ad motum illius; sed corpus Christi dicitur physicè esse in loco specierum, & simul cum illis ad alium locum mutari; ergo non est solùm moraliter vnitum illis; & sic reijcitur prima sententia. Item vnio physica est per ordinē ad constituendum vnum physicum; nam vel est per compositionem, & constituit vnum compositum; vel est per aggregationem, & constituit vnum aggregatum; vt est vnus aceruus lapidum; sed præsentia corporis Christi speciebus non constituit vnum per compositionem, quia species in eo non recipiuntur inhęsiuè; nec per aggregationem; nam sicuti ex eo, quòd Angelus contineatur in corpore hominis præsentialiter, non constituit vnum aggregatum cum homine; ita à pari; ergo præsentia corporis Christi non

sti non habetur formaliter ab vnione formali, qua formaliter constituitur vnum. Si autem nomine vnionis formalis intelligeretur intima cõtinentia omnino indistans à speciebus, esset nugatio; intima enim continentia est formaliter præsentia; & sic diceretur, quòd præsentia à præsentia desumitur, & in præsentia fundatur. Tertia tandem falsa est; quia efficere, quod est operari, supponit esse, ad quod essentialiter sequitur; ergo efficere, quòd species existant sine subiecto, supponit corpus Christi esse sub speciebus; & ideo supponit præsentiam ad species.

16 Quòd autem corpus Christi sit formaliter præsens speciebus ratione substantiæ, prob. 1. Quia, vt dictum est, per illud res constituitur formaliter in facto esse, quod se habet, vt terminus actionis, seu fieri ipsius rei; forma enim est terminus formalis specificans actionem, vt constat; sed substantia corporis Christi est terminus formalis actionis conuersiuæ, ad ipsam enim formaliter terminantur verba consecrationis, quæ explicant actionem conuersiuam; ergo substantia est ratio formaliter constituens corpus Christi sub speciebus. 2. Corpus Christi non constituitur sub speciebus per quantitatem molis; quia per illam esset sub illis modo extenso; nec per quantitatem virtutis; aliter non posset simul esse sub speciebus numero distinctis; ergo per solam rationem substantiæ.

17 Prob. altera pars concl. ex dictis. Per illud solùm, per quod ordinatur ad locum, res est in loco; nam esse in alio dicit essentialiter ordinem ad illud, præciso enim tali ordine res consideratur absolutè secundùm se, non respectu alterius; sed corpus Christi solùm per species ordinatur ad locum; est enim in speciebus solùm ratione substantiæ, vt docet *Trid. sess. 13. c. 1*; quæ nullo modo ordinatur ad locum, vt diximus; ergo corpus Christi est in loco solùm mediantibus speciebus. Prob. ampliùs ma. Nam sicuti id, per quod res ordinatur ad calefaciendum, est ratio formalis calefaciendi; ita id, per quod res ordinatur ad locum, est ratio formalis existendi in loco. Mi. constat; nam in tantùm corpus Christi existit in loco, in quantùm existit sub speciebus; non enim esset in loco specierum, nisi esset sub illis; quia vnum corpus non est in loco alterius, nisi sit in illo; vel sub superficie illius; sed corpus Christi est sub speciebus tantùm ratione substantiæ, quæ per se non ordinatur ad locum; ergo remanet, quòd ordinetur ad locũ tantùm ratione specierũ, sub quibus existit. 2. Quod non est in loco circũscriptiuè, vel definitiuè, nequit recipere in se *vbi* circumscriptiuũ, definitiuum; sed corpus Christi non est in loco circumscriptiuè, vel definitiuè; ergo nequit recipere in se *vbi* circumscriptiuum, vel definitiuum; & ideo est in loco solùm ratione specierum, sub quibus existit. Ma. est nota; nam sicut quantitas molis est receptiua *vbi* circumscriptiui; ita quantitas virtutis est receptiua *vbi* definitiui; & ideo quod non est in loco per quantitatem molis, vel virtutis, nequit in se recipere vbi circumscriptiuum, vel definitiuum. Hinc anima rationalis, licèt sit in corpore, quod est in loco circumscriptiuè, nequit tamen in se ipsa recipere *vbi* circumscriptiuum; & corpus Christi, licèt habeat annexam quantitatem molis, quia tamen per illam non existit sub speciebus, quæ existunt in loco circumscriptiuè; ideo nequit recipere in se ipso *vbi* circumscriptiuum; ergo quod non est in loco circumscriptiuè, vel definitiuè, nequit recipere in se ipso *vbi* circumscriptiuum, vel definitiuum. Mi *sup.* probata est; nam illud est in loco circumscriptiuè, vel definitiuè, quod est in loco per quantitatem molis, vel virtutis; sed corpus Christi non est in loco per quantitatem molis, vel virtutis, sed tantùm ratione substantiæ, vt docet etiam *D. Tho. q. 76. art. 5*; aliter non posset esse simul in pluribus locis; ergo non est in loco circumscriptiuè, vel definitiuè, sed tantùm determinatiuè, *vt sup.* diximus.

18 Obijc. 1. cont. 1. part. concl. Actio conuersiua non sufficit ad faciendum, quòd corpus Christi moueatur ad motum specierum; quia non sufficit ad efficiendum, quòd calefiat, infrigidetur, alteretur, & corrumpatur ad calefactionem, infrigidationem &c. ipsarum specierũ; ergo vltra actionem conuersiuam debet dari vnio ad species, in qua fundetur eius præsentia ad locũ. 2. Quod nequit mouere aliquod per se, nequit illud mouere per accidens; vt qui nequit mouere lapidem per se sumptum, nequit illum mouere existentem in arca; ergo si sacerdos nequit mouere corpus Christi per se ipsum præcisè, nequit etiam illud mouere per accidens, prout est in speciebus.

Resp. ad 1. neg. ant; actio enim conuersiua sufficit ad hoc, vt ponatur corpus Christi loco substantiæ panis sub speciebus illius determinatè, & ideo ad hoc, vt moueatur ad motum illarum. Ad prob. dicitur, quòd neque vnio *ab Aduersarijs* asserta sufficit ad calefactionem, alterationem &c. ipsius corporis Christi, & tamen sufficit ad motum. Ratio autem est; quia motus per accidens est per ordinem ad locum, qui est quid extrinsecum; calefactio autem est per ordinem ad ipsum subiectum intrinsecè; ideo ille potest fieri per aliquod extra illud existens; hæc autem nequit fieri, nisi per aliquod intra subiectum existens. Ad 2. dist. ant. Si illud aliud per se contineatur intra sphæram potentię motiuæ, vt patet de lapide, conc; si non contineatur per se, sed tantùm ratione alterius, cui annectitur, vel sub quo est, vt in casu, neg; nã agens corporeum nequit per se mouere Angelum, vel animam localiter; quia potentia motiua agentis corporei habet pro obiecto solum corpus; potest tamen mouere, quatenus existit in corpore.

19 Obijc.

19 Obijc. 2. *Gibb.* cont. alteram part. concl. Mutatio de contradictorio in contradictorium nequit intelligi abſque mutatione extrinſeca, ſaltem vnius extremi; ſed cùm ſpecies conſecrantur, corpus Chriſti mutatur de non eſſe præſens ad eſſe præſens ſpeciebus panis, & loco ipſarum; ſpecies autem, & locus non mutantur; ergo neceſſe eſt corpus Chriſti mutari per acquiſitionem noui *vbi*. 2. Relatio ſimilitudinis nequit fundari, niſi in qualitate ab altero extremo nouiter acquiſita; ergo relatio præſentiæ nequit fūdari, niſi in nouo *vbi* nouiter acquiſito. Sed corpus Chriſti poſt conſecrationem acquirit nouam relationem præſentiæ ad locum; ergo acquirit nouum *vbi*. 3. Corpus Chriſti ad motum ſpecierum verè mouetur localiter; ergo acquirit nouum *vbi* ſibi intrinſecum; terminus enim motus localis eſt *vbi*. Tum quia mutari eſt aliter intrinſecè ſe habere, quàm anteà ſe habebat; aliter etiam Deus poſſet dici, quòd mutatur, ſi mutatio extrinſeca ſufficeret; ergo corpus Chriſti nequit mutari etiam per accidens, niſi aliter ſe habeat intrinſecè per ordinem ad locum, quàm anteà ſe habebat; hoc autem eſt acquirere nouum *vbi* intrinſecum. 4. Poteſt Deus conſeruare corpus Chriſti præſens tali loco etiam corruptis ſpeciebus; ſed tunc haberet *vbi* intrinſecum independenter à ſpeciebus; ergo & illud de facto habet. Prob. mi. Ita Deus coexiſtit cuilibet rei per ſuam immenſitatem, ſicut exiſtit per ſuam æternitatem; ſed nequit coexiſtere per æternitatem, niſi res in aliqua duratione exiſtat; ergo neque per immenſitatē, niſi ſit in aliquo loco. 5. Poteſt Deus facere, quòd corpus Chriſti deſinat eſſe ſub ſpeciebus illas conſeruando; ſed tunc non deperderet, niſi præſentiam ad locum; ergo corpus Chriſti independenter à ſpeciebus habet præſentiam ad locum.

Reſp. ad 1. mutationem intrinſecam corporis Chriſti eſſe productionem eſſe ſubſtantialis ſub ſpeciebus. Diſt. igitur mi. Corpus Chriſti mutatur de non eſſe præſens ad eſſe præſens ſpeciebus per productionem ſui eſſe ſubſtantialis ſub illis, conc; per acquiſitionem noui *vbi*, neg. Sic diſt. Mutatur ad eſſe præſens loco ſpecierum per ſe, neg; mediantibus ſpeciebus, conc. Ad 2. neg. conſ. nam relatio præſentiæ ad ſpecies fundatur in eſſe ſubſtantiali nouiter ſub illis producto; & relatio præſentiæ ad locū fundatur in ipſis ſpeciebus, quibus mediantibus ſolùm eſt præſens loco. Sic diſt. mi. ſubſumpta. Corpus Chriſti acquirit nouam relationem præſentiæ ad locum in ſe ipſo, neg; in ſpeciebus, conc. Ad 3. diſt. ant. Mouetur localiter per accidens, quatenus determinatè exiſtit ſub aliquo, cui competit eſſe in loco, & per ſe localiter moueri, cōc. per ſe, neg; illi enim non competit eſſe in loco, & ideo nec localiter moueri; quia eſſe in loco competit ſolùm ratione quantitatis, non ratione ſubſtātiæ. Ad aliud dicitur, quòd mutari per accidēs eſt mutari in alio, & ideo extrinſecè. Deus autem nequit ſic localiter mutari; quia exiſtit in omnibus locis, vt diximus; at corpus Chriſti eſt determinatè in loco ſpecierum, quia eſt finitum, & limitatum, & ideo mutatur ad mutationem illarum. Igitur corpus Chriſti aliter ſe habet ratione ſpecierum, non ratione ſui; quia ratione ſui exiſtit tantùm ſub ſpeciebus, ſub quibus eſt in hoc, & in alio loco, & ideo ratione ſui indifferenter omnino ſe habet ad loca. Ad 4. neg. ma. tunc enim corpus Chriſti eſſet nullibi; implicat enim, quòd aliquod conſtituatur in loco ſine ratione formali conſtitutiua in loco, & neg. mi. Ad prob. diſt. ma. Eodem modo ex parte rei, neg; diuerſo modo, conc; nam duratio rei nihil aliud eſt realiter, quàm eſſe rei continuatum, ideo nequit coexiſtere rei, niſi duret, aliter coexiſteret rei, quæ non exiſtit; at locus diſtinguitur realiter ab eſſe rei, ideo poteſt Deus coexiſtere per immenſitatem replendo rem abſque eo, quòd ſit in aliquo loco, ſuppoſito tamen, quòd res ſit in loco, coexiſtit ipſi, & loco. Ad 5. diſt. mi. Deperderet præſentiam ad locum, quam haberet ratione ſpecierum, conc; ratione ſui, neg.

§. 1.

Inferuntur aliqua ex dictis.

20 Multa *hic* congerunt *Recentiores*, quæ vel inferuntur, vel ſoluuntur facili ter ex dictis, ideo breuiter ſunt perſtringenda.

21 Infertur 1. præſentiam corporis Chriſti ad ſpecies eſſe indiuiſibilem; quia eſt ratione ſubſtantiæ, quæ eſt indiuiſibilis. *Vid. Fund. Doct. Æg. de celebr. Miſſ. fol.* 10. *col.* 3; & 4; & *de corp. Chriſti col.* 1; *et* 2; *et Quodl.* 1. *q.* 4. Hoc tamen non obſtante eſt totum in tota hoſtia, & totum in qualibet parte hoſtiæ, vt docet *Trid. ſeſſ.* 13. *c.* 3; *et can.* 3; *et Hil. Papa de conſecr. diſt.* 2. *c. vbi pars, et Fund. Doct. de ſacram. Altaris Theor.* 9. Ratio eſt. Subſtantia, quia ſecundùm ſe indiuiſibilis eſt, eſt tota in toto, & tota in qualibet parte, in toto enim ligno eſt tota ſubſtantia ligni, quia in illo ſunt omnia prædicata eſſentialia conſtituentia eſſentiam ligni; quæ, ſi lignum diuidatur, reperiuntur etiam in qualibet parte ligni; ſed corpus Chriſti eſt ſub ſpeciebus ratione ſubſtantiæ; ergo eſt totum in tota, & totum in qualibet parte hoſtiæ. Ex hoc inferri poteſt corpus Chriſti eſſe quodammodò virtualiter extenſè in hoſtia, quatenus exiſtit in omnibus partibus hoſtiæ, quæ ſunt extenſæ.

22 Sed quæres 1; an totum corpus Chriſti ſit in qualibet parte hoſtiæ etiam ante diuiſionem hoſtiæ; ſubſtantia enim ligni non videtur eſſe tota in qualibet parte ligni ante diuiſionem ipſius?

Resp. affirmatiuè. Est *cont. Altisiodor.* Ratio est; nam in tantùm substantia ligni ante diuisionem non est tota in toto, & tota in qualibet parte ligni, quia substantia ligni recipit in se quantitatem, per quam extenditur in partes, quarum vna non est in alia; & ideo si loquamur de totalitate physica extensa substantiæ, non est tota in toto, & tota in qualibet parte; at si loquamur de totalitate metaphysica, prout dicit sola prædicata essentialia, substantia etiam ante diuisionem est tota etiam in qualibet parte; sed corpus Christi non recipit in se quantitatem hostię, nec ab illa extenditur, sed est in illa tantùm ad modum substantiæ; ergo est totum in tota, & totum in qualibet parte hostiæ etiam ante diuisionem hostiæ.

23 Quæres 2; an sit etiam in parte indiuisibili, & punctali hostiæ?

Resp. negatiuè. Est *cont. nostrum Gibb. disp. 27. dub.* 2; vbi refert *Sua; Valent; Gonet; & alios*; quibus adhæret *Mastr. q. 11. art. 1. n.* 240. Traditur tamen *à nostro Fund. Doct. Æg. vbi sup. Theor.* 11. Ratio est. Ibi tantùm est corpus Christi, vbi erat, & sub quo conseruabatur substantia panis; sed hæc non erat, nec conseruabatur in puncto indiuisibili matematicè; nam forma panis trahit secum inseparabiliter quantitatem; & materia nunquam absoluitur à quantitate; ideo vbi non est quantitas, ibi non est nec materia, nec forma; in puncto autem indiuisibili matematico non est quantitas; quia punctus lineæ non est linea; & sic in illo non est materia, nec forma; ergo corpus Christi non est in puncto indiuisibili. In rebus igitur materialibus datur minimum *quod non*; nam potest esse tam modica materia, vt si vlteriùs diuidatur, non remaneat ampliùs illa forma, sed alia succedat, vnde illa minima materia, quæ nequit vlteriùs diuidi seruata forma, quam habet, vocatur indiuisibile physicum, & in hoc est corpus Christi, quia in illo est substantia panis; si autem vlteriùs diuidatur, corpus Christi in illa non est, quia in illo esse non potest substantia panis. Sic videmus in embrione non esse animam, quia in illo non est quantitas ad illam conseruandam necessaria; nec Angelus potest esse in puncto, vt diximus *to. 3. q. 2. de loco Ang. art.* 4; ergo nec substantia panis à fortiori potest esse in puncto matematicè indiuisibili; quia, vt diximus, substantia panis nequit absolui à quantitate; & ideo in illo nequit esse corpus Christi; nam si corpus Christi posset esse, vbi non est substantia panis, non esset ratio, cur corruptis speciebus non remanet corpus Christi; intantùm enim non remanet, inquantùm sub illarum corruptione nequit manere substantia panis. Tum quia punctus est purus modus, non enim est substantia, aut quantitas, aliter extenderetur, sicut extenditur substantia, vel quantitas; nec est qualitas; quia spectat reductiuè ad quantitatem, cùm sit vnio, vel terminus partium ipsius, & ideo sicut vnio, vel terminus rei est modus; ita & punctus; sed in eo, quod non est quantitas, vel qualitas panis, corpus Christi nequit subiectari; ergo idem.

24 Inst. *Gibb.* 1. Christus est præsens, præsentia quadam continua partibus hostiæ; ergo est etiam in punctis continuantibus species. 2. Impossibile est Angelum coexistere continuè partibus temporis nostri, nisi coexistat instantibus continuantibus nostrum tempus; ergo à pari. 3. Substantia panis habet sua indiuisibilia substantialia continuantia partes diuisibiles ipsius; ergo etiam in illis est corpus Christi. 4. Corpus Christi est in speciebus ratione substantiæ, quæ est indiuisibilis; ergo est in indiuisibili.

Resp. ad 1. neg. ant; nam præsentia corporis Christi, cùm non sit quantitatiua, nec est continua, nec discreta. Est igitur solùm virtualiter æquiualenter continua, quatenus modo indiuisibili coexistit quãtitati diuisibili. Ad 2. dist. ant. Nisi coexistat instantibus, vt distinctis à partibus temporis, neg; vt sunt idem, ac partes temporis, conc; sic corpus Christi coexistit punctis specierum, vt sunt idem, quod species; non vt contradistinguuntur ab illis. Ad 3. neg. supp; supponitur enim punctos esse entitates substantiales, quod est falsum; sunt namque vniones partium substantiæ, & ideo non sunt, *nisi modi* indistincti à partibus; vt diximus *to. 1. q. 5. art.* 1. Ad 4. neg. cons; licèt enim substantia sit indiuisibilis, non tamen recipitur in indiuisibili, vt dictum est, ideo nec corpus Christi, quod recipitur ratione substantiæ, & modo indiuisibili; idest modo, quo recipiuntur substantiæ indiuisibiles, non recipitur in indiuisibili.

25 Infertur 2. præsentiam, qua mediante corpus Christi est præsens partibus loci, esse diuisibilem, & extensam; est enim præsentia specierum, quæ, vtpotè desumpta à quantitate panis, est extensa, & diuisibilis.

26 Infertur 3. præsentiam, qua corpus Christi coexistit speciebus, esse vnam, non tot præsentias, quot sunt partes proportionales specierum; vt vult *Mastr. vbi sup. n.* 235. Ratio est; quia præsentia desumitur ab esse; sed est vnum esse substantiale corporis Christi sub vno composito specierum; ergo vna tantùm præsentia. Item sicut vna est præsentia animæ ad omnes partes corporis; ita à pari. Item quanuis multiplicentur numero imagines in speculo, si scindatur in plures partes; attamen dum integrum, & vnum est, vna tantùm imago conspicitur; ergo quanuis si species scindãtur in partes, multiplicentur pręsentiæ; attamen dum vnum sunt, vna tantùm in illis est corporis Christi præsentia.

27 Infertur 4. partes corporis Christi in sacramento esse extensas, & distinctas in ordine ad se ita, vt caput non sit manus &c; non tamen esse extensas in ordine ad locum; nam vt docet *Fund. Doct. Theor.* 6; sicut qualitas potest comparari

rari ad subiectum, & ad obiectum, seu terminum; v.g. calor ad ignem, quem reddit formaliter calidum; & ad lignum, quod potest terminare actionem calefactiuam; ita quantitas potest comparari ad subiectum, quod extendit in partes; & ad locum, qui terminat talem extensionem; ergo sicut qualitas potest afficere subiectum absque eo, quòd calefaciat lignum; ita quantitas corporis Christi potest illud extendere in ordine ad se, & non in ordine ad locum; si per Diuinam potentiam ponatur in aliquo existente in loco ratione substantiæ, non ratione quantitatis. Hoc autem nequit competere virtuti creatæ, quæ nequit attingere rem, vt est quid, sed vt est quanta, vt *sup.* diximus. Hinc corpus Christi in sacramento eandem figuram habet, quam habet in Cœlo quoad partes in ordine ad se, non quoad illas per ordinem ad locum.

28 Infertur 5; quòd si loquamur de præsentia corporis Christi, prout importat relationem ad species, vt ad conterminum, cui coexistit in ratione substantiæ, non in ratione quantitatis, est supernaturalis simpliciter, seu secundùm substantiam; quia illa relatio secundùm suam quiditatem, seu rationem formalem oritur ab actione transubstantiatiua, tanquam à ratione fundandi, quæ secundùm suam entitatem pertinet ad ordinem gratiæ, & ideo est supernaturalis simpliciter; tum quia relatio rei ad locum per rationem substantiæ est propria ipsius Dei, qui est in loco per suam immensitatem, seu operationem, quæ non differt à sua substantia; ideo secundùm suam rationem formalem est ordinis Diuini, & supernaturalis eo modo, quo diximus *to.1.de Inuisib.Dei q.1.art.4.* Si verò loquamur de subiecto huius relationis, seu de re, quæ est præsens, non est supernaturalis secundùm substantiam, sed solùm secundùm modum; quia res, quę est præsens specicbus, est quiditas, seu substantia corporis Christi, quæ entitatiuè est supernaturalis, & modaliter supernaturalis, quia glorificata, seu ad statum gloriæ translata.

29 Infertur 6; quòd homo viator nequit naturaliter cognoscere corpus Christi esse in sacramento; intellectus autem substantiæ separatæ potest illud cognoscere secundùm entitatem, non secũdùm modum, quo existit sub speciebus; probabile tamen est illud Dæmonibus à Deo cęlari. *Ita Fund.Doct.vbi sup.Theor.* 19. Ratio primi est; quia homo in statu viæ cognoscit per accidentia; sed accidentia panis indicant substantiam panis, non substantiam corporis Christi; ergo per illa nequit homo in statu viæ cognoscere substantiam corporis Christi. Ratio secundi est. Substantia corporis Christi secundùm entitatem est ordinis naturalis, vt diximus; sed intellectus substantiæ separatæ potest cognoscere quamlibet entitatem ordinis naturalis; ergo potest corpus Christi cognoscere secundùm entitatem; modum autem, quo existit in sacramento, nequit cognoscere, quia, cùm sit supernaturalis, est supra ordinem naturæ, & ideo à potentia naturali nequit cognosci. Tandem partus Virginis fuit cęlatus Diabolo, qui tamen potuisset cognoscere Matris virginitatem, & hoc propter tanti excellentiam mysterij; ergo probabilissimum est, quòd tam excellens sacramentum à Deo abscondatur Dæmonibus. *Vid. to.3. q.4. de Ang.art.* 10.

30 Infertur 7. Christum, vt est in hostia, ab oculo corporeo videri non posse etiam Diuinitus propter triplicem rationem, quam affert *Fund.Doct.vbi sup.Theor.* 15. Primò quia implicat potentiam ferri extra suum obiectum formale specificatiuum; sed obiectum specificatiuum oculi est color; ergo implicat oculum ferri extra colorem. Atqui oculus videns Christum, vt est in hostia, tenderet formaliter extra colorem; nam in tantùm tendit formaliter in colorem; in quantùm color est id, in quod primò, & immediatè tendit; & mediante colore tendit in quantitatem, & mediante quantitate in substantiam; in eucharistia autem id, quod primò attingitur, est substantia, & mediante substantia attingitur quantitas, & cetera accidentia, quæ sunt in corpore Christi; & ideo oculus tendens in corpus Christi, vt est in hostia, primò, & immediatè tenderet in substantiam, & mediante substantia in quantitatem, quæ immediatè adhæret substantiæ; & mediante quantitate in colorem, qui non adhæret substantiæ, nisi mediante quantitate; & per consequens non tenderet formaliter, quia non tenderet primò in colorem; sed tantùm materialiter, quia tenderet in illum mediante substantia; sicut videns parietem album dicitur videre substantiam parietis materialiter, non formaliter. Nam si oculus non tenderet primò in substantiam corporis Christi, sed in colorem, & mediante colore in substantiam, iam non tenderet in ipsum, vt est in eucharistia, sed vt est in Cęlo; quia in eucharistia est mediante substantia, quæ est ratio formalis primaria ipsum constituens sub speciebus panis; in Cœlo autem è contra se habet, quia illic est mediante quantitate, quæ primò exhibet sensui colorem; ideo primò videtur color, & mediatè quantitas, & substantia; ergo implicat etiam Diuinitus oculum corporeum videre Christum, vt est in hostia. 2. Ex modo, quo fit visio, prob. Visio fit per modum piramidis; sed corpus Christi, vt est in hostia, nequit videri per modum piramidis; ergo corpus Christi, vt est in hostia, nequit videri ab oculo corporeo. Ma. constat *ex Optica*. Mi. prob. Piramis essentialiter habet pro basi lineam extensam; sed corpus Christi in hostia non habet esse extensum, vt diximus; ergo corpus Christi in hostia nequit habere modum piramidis, & ideo sic nequit videri. 3. Ex parte medij sic. Nullum corpus potest videri, nisi immediatè attin-

attingat medium, quo fit visio; hinc imago latens sub velo nequit videri ab oculo, quia imago non attingit aerem, qui est medium, quo fit visio; impeditur enim à velo; sublato autem velo videtur; sed corpus Christi, vt est in hostia, non attingit immediatè aerem; velatur enim à speciebus, sub quibus existit; ergo nequit videri.

31 Inst. *noster Gibb.* 1. Corpus Christi, vt est in hostia, est quantum, lucidum, & coloratum; ergo potest videri. 2. Diuisibilia videntur ab intellectu modo indiuisibili; ergo indiuisibilia possunt videri ab oculo modo diuisibili saltem de potentia absoluta.

Resp. ad 1. neg. ant; quanuis enim corpus Christi in se ipso sit quantum &c; attamen in hostia non est modo quanto, quia non est in ipsa modo extenso. Sicut licèt corpus Christi in se ipso sit substantia; attamen non est in Cœlo, vt est substantia; ita quanuis in se ipso sit quantum; attamen non est in hostia, vt quantum; & ideo nequit videri, vt quantum; sicut in Cœlo nequit ob oculo videri, vt substantia; quanuis in se ipso sit substantia. Ad 2, neg. cons; nam intellectus videt per speciem intelligibilem, quæ indiuisibilis est; oculus verò videt per speciem materialem, & diuisibilem ad modum piramidis, vt diximus, quæ essentialiter debet in basi esse extensa, & diuisibilis.

32 Sed petes; an Christus, prout est in hostia, videat se ipsum existentem in hostia?

Resp. *Fund. Doct. Theor.* 16; *&* 17. negatiuè propter tres rationes allatas; attamen vt est in hostia, videt se ipsum existentem extra hostiam; quia illa species, quam recipit oculus Christi extra hostiam, est in oculo Christi existentis in hostia; idem enim Christus, & idem oculus est in hostia, & extra hostiam. Idem dicendum de alijs operationibus sensitiuis, & vegetatiuis, quæ requirunt obiectum, modum, & medium extensum. Secus dicendum de operationibus intellectualibus, quæ non fiunt per conuersionem ad phantasmata.

33 Inferes 8; quòd cùm Deus ad sanandam incredulitatem aliquorum effecit, vt puer appareret in hostia non solùm per immutationem speciei in oculo; quod potuit contingere, quando aliqui tantùm, non omnes, illum puerum conspexerunt; vel per immutationem specierum panis in speciem carnis; tunc verè Christus fuit sub illis speciebus; quia non potuit eos, qui illum adorarunt, decipere, neque ad illis ostendendam veritatem huius sacramenti potuit vti mendaci miraculo, quo illos in idololatriam induceret, etiam motiuo veritatem hanc confirmandi. Verum tamen est illas species carnis non esse proprias Christi species, sub quibus exisrit in cœlo; sic enim descendisset; ac propterea partes corporis Christi non esse ita describendas, vt apparent partes speciei pueri ita, vt caput Christi sit in capite pueri, manus in manu &c; sed ita, vt totus Christus sit in toto illo puero, & totus in qualibet parte pueri; quia est in illo mediante substantia, & ideo totus in toto, & totus in qualibet parte, vt diximus; non autem est in illo mediante propria quantitate, secundùm quam est solùm in cœlo. Tandem corpus Christi est in illo puero mutatis speciebus tantùm ex dispensatione speciali, non de lege communi, qua decreuit esse sub speciebus panis. *Ita Fund. Doct. Theor.* 23; 24; *&* 25.

34 Inferes 9; quòd sub specie panis ex vi verborum est sola materia cum modis quantitatiuis, & qualitatiuis, quibus fit corpus organicum; & per concomitantiam est quantitas, alia accidentia coniuncta cum quantitate, & sanguis, & anima, imò & Diuinitas, seu Persona Verbi Diuini; & sub speciebus vini ex vi verborum est solus sanguis; & per concomitantiam est etiam corpus, & omnia alia recensita; vt docet *Trid. sess.* 13. *c.* 3. *contra Lutheranos, & Caluinistas*, qui hanc concomitantiam irrident; & *cont. Acatholicos*, qui communionem sub vtraque specie censent necessariam; & ratio est; quia consecratur corpus Christi viuum, subsistens &c; ergo vt connectitur cum anima, qua viuit, cum Verbo, quo subsistit &c.

35 Infertur vlt. præsentiam sacramentalem Christi ad species de facto secundùm præsentem ordinationem supponere Christi præsentiam extra sacramentum siue in cœlo, siue in terra. Quia hoc sacramentum de facto institutum est ab ipso Christo extra sacramentum existente; institutū enim fuit tempore legis euangelicæ, postquam Christus *in carne est nobis manifestatus*; ut loquitur S.P. *Aug. in ps.* 77; & ideo postquam incarnatus fuit in vtero *B. Virginis*, & ideo postquam fuit existens extra sacramentum.

36 Sed quæres; an hæc præsentia sacramentalis ita pendeat à præsentia naturali ipsius Christi in se ipso extra sacramentum, ut sine hac illa esse non posset?

Resp. quæstionem esse inter *Caiet, Gonet, & alias Thomistas* ex vna parte, & *Scotistas* ex alia; illis negantibus; his affirmantibus. Sed ut obseruat *Mastr. hic q.* 9. *art.* 3; lis est de nomine; nam *Thomistæ* contendunt præsentiam naturalem Christi extra sacramentum esse necessariam simpliciter; *Scotistæ* verò aiunt existentiam substantialem simpliciter esse necessariam, non autem existentiam substantialem cum tali modificatione, siue in tali loco, ut in cœlo, vel in terra; siue cum extensione ad locum; quamuis enim corpus Christi absolueretur ab omni loco; adhuc tamen posset fieri consecratio, quia adhuc esset existens in rerum natura; non enim existentia in loco est de essentia existentiæ rei in rerum natura, sed modus accidentaliter superaddi-

additus; nam consecratio ita facta fuit, cùm existebat in terra, sicut cùm modò existit in cœlo; & ita fieri potuisset in triduo, cùm eius anima separata erat à corpore, quàm cùm coniuncta est corpori; ex quo sequitur præsentiam sacramentalem pendere quidem à præsentia naturali simpliciter, non autem à præsentia secundùm quid, scilicet vel totali, vel in hoc, aut in alio loco. Quòd autem existentia Christi in rerum natura sit necessaria ad præsentiam sacramentalem, ex eo prob; quòd sacerdos ex persona Christi profert verba consecrationis, quibus Christus fit præsens sacramento; non posset autem Christus loqui ore sacerdotis, nisi esset existens in rerum natura. An autem aliter à Deo potuisset institui, dicitur, quòd Deus potest multa facere, quæ nos non valemus cognoscere, & inuestigare non possumus; cùm ægrè ea, quæ fecit, attingere valeamus; quod magis est necessarium scitu; scire enim magis debemus, quæ fecit pro nobis, quàm ea, quæ potuisset efficere.

A R T. V.

An, & quomodò accidentia maneant sine subiecto?

1 QVamuis definire, in quo consistat quiditas accidentium, *ad Philosophos* spectet; attamen pro resolutione eorum, quæ ad præsentem rem pertinent, aliquod est summariè dicendum.

§. 1.

Quid nomine accidentium significetur?

2 EA, quæ manent in eucharistia post consecrationem, aliquando vocantur *accidentia*; vt patet *ex Conc. Constant. in 2. errore Vvicleff*; aliquando *species, vt Trid. sess. 13. c. 4*; quia ducunt in cognitionem substantiæ panis, quam repræsentant. Vtroque autem nomine eadem res significatur.

3 Inter *Aristotelicos, & Epicureos* antiquitùs fuit grauissima lis, contendentibus istis accidentia non esse, nisi diuersam situationem, dispositionem, figuram, diuisionem, & ordinationem athomorum, ex quibus omnia componi asserebant; odores autem non esse, nisi exhalationes earumdem athomorum è corporibus exeuntium; negabant enim omnem formam siue inanimatam, siue vegetatiuam, siue sensitiuam, siue rationalem.

4 *Aliqui ex Philosophis catholicis* eandem sententiam secuti etiam *in celebrioribus Vniuersitatibus* negauerunt omnem formam excepta anima rationali, quam definitum fuit *in Conc. Vienen. & Lat.* esse purum spiritum, & formam hominis; asserentes cæteras alias ex athomis fieri. *Alij* verò exceperunt etiam animam sensitiuam; habentur enim de ista *plures textus in scriptura, & apud SS. PP.* Consequenter ad hoc negant verum motum generationis, corruptionis, alterationis, augmentationis, & diminutionis solum motum localem admittentes. Varijs autem dicterijs sententiam *Aristotelis* notant appellantes eam *rancidam*; quo tamen etiam propriam exibilant; nam si illa antiquitate temporis rancida appellari meretur; etiam ista, quæ non multùm distat ab illa, *mucida* ob eandem rationem dici potest. Isti igitur asserunt species, quæ manent in eucharistia, nihil aliud esse, nisi species apparentes, intentionales, sicut sunt illæ, quæ apparent in Iride, vel in collo columbæ.

5 *Cæteri* tamen *omnes DD.* fatentur accidentia esse entitates reales realiter distinctas à substantia, quæ *substantia* dicitur eo, quòd illis substat, & ea sustentat in esse; accidentia enim naturaliter, cùm sint entis entia, indigent substantiæ inhærere, atque ab ea sustentari; quia ei tribuuntur, tanquam instrumenta, quibus exercet suas operationes. Propterea accidentia, quæ manent in eucharistia, esse veras entitates reales miraculosè à Deo sustentatas in esse sine subiecto.

6 Vnica conclus. Sententia *Athomistarum* doctrinæ fidei non congruit.

Prob. 1. *Epicuri, & Democriti* sententia, prout ab ipsis ponebatur, fuit reprobata *ab Apostolo Act. 17;* cùm enim *Athenas* primùm ingressus fuisset, vt refert *S. P. Aug. ep. 56. ad Dioscorum*; licèt multiplices *Philosophorum* sectæ in ea Ciuitate vigerent; duæ tamen alijs eminebant, *Stoica* nempe in bonis animæ, seu in virtutibus; & *Epicurea* in bonis corporis humanam felicitatem constituens; hæc namque ex athomis affirmans omnia componi animæ immortalitatem; imò animam ipsam etiam rationalem negabat. Hanc sententiam, vtpotè fidei catholicæ aduersam, inquit *S. P. Aug.* reiecit *Apostolus*, nedum prout mores, scilicet hominis fœlicitatem, verumetiam prout naturalem concernit veritatem; vt apertè colligitur ex verbis ipsius *Apostoli*. Quatuor namque præcipuè *Epicurei* docebant. Primò ignotum esse, an sit, & quid sit Deus; propterea alij Deum negantes *in Atheismum* ruebant; alij aerem, alij aquam, alij terram Deum esse asserebant; vt testatur *S. P. Aug. vbis. 2.* Hanc mundialem molem esse à se ipsa affirmabant. 3. Ipsam à se ipsa continuò moueri propter athomos igneas, seu sales, vt vocant, *alcalicos* volantes, & discurrentes, quos animantibus vitam inspirare dicebant. 4. Animam etiam rationalem, quam in athomis igneis constituebant, mortalem esse docebant. Hæc omnia primò generaliter reiecit *Apostolus* inquiens; *Viri Athenienses per omnia quasi superstitiosiores vos video.* Deinde specialiter singula. Primum quidem de Dei existentia: *Inueni, & aram, in* qua

qua scriptum est: Ignoto Deo. Quod ergo ignorantes colitis, ego annuncio vobis. Secundum de mundi creatione: *Deus, qui fecit mundum, & omnia, quæ in eo sunt.* Tertium de motu: *In ipso enim viuimus, mouemur, & sumus.* Quartum de animæ immortalitate. *Suscitans eum à mortuis.* Ex quibus apertè deducitur Apostolum *Epicureorum* sententiam nedum quoad id, quod pertinet ad vitam moralem, sed etiam quoad ea, quæ spectant *ad philosophiam naturalem* reiecisse; Dei namque existentiam, mundi creationem, & motum, ac animæ immortalitatem ad *philosophiam naturalem* pertinere nemo potest ambigere. Quapropter *S. P. Aug. vbi s.* concludit: *Qua in re mihi satis videtur demonstratum esse errores gentium siue de moribus, siue de natura rerum, siue de ratione inuestiganda veritatis.* Quos errores ait *per Apostolum* penitus fuisse compressos, atque eradicatos; & vix *in Scholis Rethorum* commemorari, non *Philosophorum* defendi: *Quos iam certè nostra ætate sic obmutuisse conspicimus, vt vix iam in Scholis Rethorum commemoretur tantùm, quæ fuerint eorum sententiæ; certamina tamen etiam de loquacissimis Græcorum gymnasijs eradicata, atque compressa sunt;* ergo sustinere hanc sententiam, etiam prout circa veritates naturales versatur, est contra doctrinam *ab Apostolo* traditam; & ideo hæc sententia doctrinæ fidei non consonat.

7 Prob. 2. Negare veras productiones herbarum, & plantarum, & veras generationes animalium est contra fidem; docet enim *Scriptura Gen.* 1. *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen; & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum;* & mox: *Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terram;* quas non fuisse veras productiones, vt contradistinctas à motu locali, salua fide non licet asserere; sicut creationem cœli, & terræ, quæ *ibid.* narratur, non esse veram productionem ex nihilo contradistinctam à motu locali salua fide affirmari non potest; sed sententia *Athomistarum* negat veras productiones herbarum, & plantarum, & veras generationes animalium; admittit enim solum motum localem, qui non est generatio, vt notum est; nemo enim diceret, quòd quando aliquod mouetur secundùm totam suam substantiam de vno loco ad alium, generetur aliud; & ideo neque cùm mouetur secundùm partes ipsius; ergo sententia *Athomistarum* est contra fidem. 2. Negare, quòd *Deus vsque nunc operatur* producendo herbas, plantas, animalia &c. est contra fidem; habetur enim *Io.* 5. *Pater meus vsque nunc operatur; & ego operor;* sed sententia *Athomistarum* negat operationem Dei, qua quotidie producit herbas, plantas, animalia &c; asserit enim Deum solùm miscere materiam iam creatam, & nouas combinationes athomorum ordinare; mixtio autem, & ordinatio materiæ iam productæ non est productio, vt constat; ergo sententia *Athomistarum* est contra fidem.

8 Prob. 3. *ex Concilijs.* Nam *Vienen. sub Clem. V; & Lateran. V. sub Leone X. sess.* 8. statuit animam rationalem esse formam corporis, & esse immortalem; & præcipiunt Lectoribus, vt explicantes *Philosophorum* principia *ab Epicureis* dissentiant; sed *Athomistæ*, quanuis non circa animam rationalem, attamen circa alia *Epicureis* consentiunt; ergo contra præceptum *Concilij*. Præterea *Conc. Constan. sub Martino V.* in Bulla, quæ incipit: *Inter cunctas;* damnat errores *Vuicleff;* quorum primus erat *substantia panis materialis, & similiter substantia vini materialis manent in sacramento Altaris;* sed sententia *Athomistarum* asserit manere substantiam panis, & vini; quia asserit colores, odores, & sapores panis, & vini esse corpuscula substantialia constituentia substantiam panis, & vini; constat autem experientia, quòd etiam post consecrationem manent colores, odores, sapores, quantitatem &c. panis, & vini; manentibus autem constitutiuis substantiæ certum est manere substantiam constitutam; ergo asserit, quod damnat *Concilium*. Secundus error *Vuicleffi* erat; *Accidentia panis, & vini non manent sine subiecto;* sed hæc sententia non admittit accidentia extra subiectum, non enim illa distinguit à substantia; eorum autem, quæ non distinguuntur, nequit vnum manere sine alio; quia idem maneret sine se ipso; ergo necessariò asserit cum accidentibus panis, & vini, quæ manent, manere quoque substantiam; quod fuit *à Concilio* damnatum. Insuper prædicta *Concilia*, sicut *& Flor; ac Trid.* definiunt substantiam panis, & vini conuerti in corpus, & sanguinem Christi; sed sententia *Athomistarum* negat hanc conuersionem; concedit enim solùm motum localem athomorum, per quem mutantur corpuscula, & per talem mutationem resultat nouus color, odor, sapor, & figura; per conuersionem autem hanc manent hæc omnia; ergo negat, quod definiunt *Concilia*.

9 Dices. *Trid. sess.* 13. *c.* 2. asserit: *Manentibus dumtaxat speciebus panis, & vini;* nomine autem *specierum* significatur tantùm externa repræsentatio rei, quæ potest esse, etiamsi nihil physicè remaneat rei, quæ repræsentatur.

Sed contra est; nam *Trid.* intelligi nequit de speciebus merè intentionalibus, vt sunt colores in collo columbæ; debet enim intelligi de speciebus, quæ realiter tanguntur, manducantur, gustantur, corrumpuntur, & nutriunt; huiusmodi autem esse nequeunt species merè intentionales; Apostolis enim *Luc.* 24. putantibus Christum esse spiritum dixit; *Palpate, & videte; quia spiritus carnem, & ossa non habent;* quibus rectè probatur species intentionales, quibus aliquod repræsentatur, non esse tangibiles, & ideo nec gustabiles, nec corru-

pti-

ptibiles physicè, nec nutritiuas; sicut sunt species panis; ergo *Trid.* intelligi debet de speciebus realibus, quæ idem sunt, quòd accidentia realia. Præterea nomine *specierum* nequit *Trid.* intelligere, nisi quod intellexit *Constant*; aliter vnum *Concilium* alteri contradixisset, quod non est dicendum maximè *de Concilijs Generalibus*; sed *Constantien.* intellexit *accidentia*; ergo, *&* *Trid.* Præterea D. Ambr. relatus à *Mag. dist.* 12. inquit in hoc sacramento veritatis non esse illusionem sensuum, sicut in præstigijs magorum; illuderentur autem, si appareret, & non essent vera accidentia; ergo idem.

10 Tandem *in Biblioth. PP. to. 26. fac.* 24. referuntur propositiones *Mag. Nicolai de Vltricuria* primùm *Romæ* damnatæ, & deinde *Parisijs* ab ipso abiuratæ; quarum 37; quæ totam continet *Athomistarum* sententiam, hæc erat: *Item quòd in rebus naturalibus non est, nisi motus localis disgregationis, & congregationis. Ita quòd quando ad talem motum sequitur congregatio corporum naturalium athomalium, colliguntur ad inuicem, & sortiuntur naturam vnius suppositi, dicitur generatio; quando segregantur, dicitur corruptio; & quando per talem motum athomalio cum aliquo supposito, quæ sunt talia, quòd nec aduentus eorum videatur facere ad motum suppositi; vel ad id, quod dicitur operatio naturalis eius, tunc dicitur alteratio. Istum articulum assero hæreticum, & repeto falsum.* Idem habet *propositione* 42. *de præmio bonorum, & punitione malorum*; ergo hæc sententia in Scholis catholicis non est toleranda.

11 Neque obstat, quòd *aliqui* hanc *Epicuri* sententiam cum doctrina fidei concordare contentur; manifestum enim est, quòd non concordant in re, sed in nomine tantùm; nullo namque modo possunt eam concordare, nisi in re ipsa conueniant; sententia autem concordans tantùm in nomine, & discordans in re significata per nomen à catholicis substineri non debet.

12 Collig. ex dictis accidentia esse veras entitates physicas, & sensibiles realiter distinctas à substantia, & separabiles saltem per Diuinam potentiam, illi extrinsecè inhærentes, & ab illa substentatas secundùm ordinem naturæ, quem videmus. Ita autem inter se ordinantur, vt accidens sensibile, quòd immediatè inhæret, & afficit substantiam, sit quantitas, quæ illam extendit, & in partes diuisibilem reddit; qualitates autem recipiuntur immediatè in quantitate, & mediante quantitate in substantia; si enim immediatè reciperentur in substantia, non reciperentur diuisibiliter, & extensè; quia substantia præcisa quantitate est indiuisibilis, & inextensa; nec quantitas posset illas extendere; intantùm enim extendit substantiam in quantùm in illa recipitur; at non reciperetur in qualitatibus, quia sic non extenderet substantiam; ergo ad hoc, vt quantitas extendat substantiam, immediatè debet recipi in illa; & ad hoc, vt extendat qualitates, debet illas in se ipsa immediatè recipere; vnde quantitas est media inter substantiam corpoream, & qualitates. *Sed de his ad Philosophos.*

§. 2.

Resoluitur articulus.

13 VVicleff, *Luther*; *& eorum asseclæ* asserunt accidentia non manere sine subiecto, quia volunt manere cum illis substantiam. Hos reiecimus *art.* 2. §. 1; & sufficienter ostendimus manere accidentia sine substantia, & per consequens sine subiecto, quod est simpliciter subiectum; nam si sermo sit de subiecto, quod ita est subiectum aliquorum, vt etiam ipsum subiectetur in alio; quemadmodum diximus de quantitate, in qua recipiuntur immediatè qualitates, & ipsa recipitur in substantia; certum est non omnia accidentia manere sine subiecto proximo, & immediato. At si sermo sit de subiecto simpliciter, quod scilicet ita est subiectum aliorum, vt non subiectetur in alio, quemadmodum est substantia; constat ex dictis *loco cit.* omnia accidentia in eucharistia manere sine subiecto principali radicali; quia manent sine substantia.

14 Quoad modum, quo accidentia existunt in eucharistia, dicunt *aliqui* existere per solam Dei actionem extrinsecam, qua accidentia conseruantur extra subiectum, quæ actio solet vocari creatio, non quia accidentia producat ex nihilo, sed quia independenter à subiecto conseruat. Negant præterea modum perseitatis intrinsecum accidentibus. Referuntur *Scot. dist.* 12. *q.* 1; *& 6. ad* 1; *Sot. dist.* 10. *q.* 2. *art.* 2; *Bellarm. lib.* 3. *c.* 24; *Arau*; *Io. à S. Tho*; *Valent*; *Granad*; quibus accedunt *alij*, inter quos *Gibb*; vbi refert *Bernardin.*

15 Nostra sententia docet accidentia existere sine subiecto per modum existentiæ à substantia in ipsis causatum, & à Deo supra ordinem naturæ seruatum. *Ita Fund. Doct. Æg. de sacram. Altaris Theor.* 37; *&* 38; *Caiet*; *Ferrar.* 4. *cont. Gent. c.* 66; *Naz*; *Aluarez*, *Sua*; *Vasq*; *Lug. Gonet*, *& ferè omnes alij Thomistæ.*

16 Recolendum id, quod diximus *to.* 5. *q.* 1. *art.* 8. *n.* 8; *&* 9; scilicet subiectum nedum esse causam materialem receptiuam accidentium, sed etiam concurrere in genere causæ efficientis dupliciter in ordine ad illa substentanda in esse actualis existentiæ. 1. Causando in ipsis modum existentiæ; sicut sigillum ex eo, quòd ceræ imprimatur, imprimit in illa modum proprium, quem habet; ex eo enim, quòd duæ res vniantur, communicant sibi suos modos proprios ad inuicem. 2. Conseruando illa in esse; sicut sigillum impressum aquæ, vel oleo, aut cuivis alteri materiæ fluidæ imprimit quidem modum, quem

quem habet, ſiue propriam figuram, non tamen illa naturaliter conſeruare poteſt ablato ſigillo. Sic ſubſtantia vnita accidentibus communicat quidem modum exiſtendi; non tamen poſſunt naturaliter accidentia conſeruari ablata ſubſtantia; ſed tantùm ſubſtantia poteſt illa ſeruare in eſſe, dum illi manent coniuncta. Cùm igitur Deus poſſit facere ſe ſolo, quidquid facit cum cauſis ſecundis efficientibus; poterit etiam facere, vt accidentia deſtructa ſubſtantia conſeruentur cum illo modo exiſtendi, quem ex coniunctione ad illam receperunt. Sicut poteſt facere, quòd aqua, vel oleum ſeruet illum modum, ſeu figuram impreſſam à ſigillo, etiam ablato ſigillo; nulla enim penitus in hoc repugnantia aſſignabilis eſt. Nam agentia creata ſe habent reſpectu Dei, ſicut organa, ſeu inſtrumenta reſpectu cauſæ principalis, vt docent *communiter SS.PP; & DD*; ſed in tantùm agens creatum, v. g. faber nequit agere ſine malleo id, quod poteſt agere mediante malleo, in quantum in malleo eſt aliqua virtus, quæ non eſt in manu fabri, vt durities, ponderoſitas &c; cùm ergo nulla virtus actiua ſit in creatura, quæ non ſit in ipſo Deo, à quo, & in quo eſt omnis virtus; ideo poteſt Deus facere ſe ſolo in genere cauſæ efficientis, quod facit ſimul cum ſubſtantia creata.

17 Vnica concl. Accidentia euchariſtica exiſtunt ſine ſubiecto per modum exiſtentiæ receptum à ſubſtantia Diuinitus a Deo ſeruatum etiam deſtructa ſubſtantia.

Prob. 1. Modus exiſtendi per ſe extra ſubiectum eſt modus proprius ſubſtantiæ, quæ in hoc diſtinguitur ab accidente; ſed accidentia euchariſtica habent modum exiſtendi per ſe extra ſubiectum; de illis enim verè prædicatur, quòd exiſtant ſine ſubiecto; ergo habent modum proprium ſubſtantiæ.

18 Conſ. 1. Prædicamenta ad inuicem ſibi ſuos modos communicant; ſicut enim cera participat à ſigillo figuram ei propriam, quæ eſt modus illius; ita res vnius prædicamenti participat à re alterius prædicamenti modum proprium illius, vt ſcientia, quæ eſt qualitas, participat modum relationis, quo refertur ad ſcibile; ſed accidentia ſunt res alterius prædicamenti diſtincti à prædicamento ſubſtantiæ; ergo accidentia participant modum proprium ipſius ſubſtantiæ. Atqui modus proprius ſubſtantiæ eſt exiſtentia per ſe; ergo accidentia participant modum exiſtentiæ per ſe, prout cum ipſa ſubſtantia vniuntur; valet enim *album per ſe exiſtit*; *album* autem nedum dicit ſubſtantiam, ſed etiã albedinem, quæ eſt accidens, per quod ſubſtantia dicitur formaliter alba. Atqui Deus poteſt ſeruare illum modum exiſtendi, quem accidentia participant à ſubſtantia etiam deſtructa ipſa ſubſtantia; ſicut poteſt ſeruare modum ſigilli etiam ablato ſigillo; quamuis non ſecundùm naturæ ordinem; ergo poteſt ſeruare accidentia in eſſe exiſtentiæ abſque ſubiecto.

19 Conſ. 2. Subiectum in genere cauſæ efficientis efficit, vt accidentia exiſtant, & conſeruentur actu in rerum natura; ſed circa accidentia euchariſtica Deus facit, quod priùs efficiebat ſubiectum; ergo facit, quòd accidentia exiſtant, & conſeruentur in rerum natura. Atqui ſubiectum efficiendo, vt accidentia conſeruentur, ſolùm manutenet modum exiſtentiæ illis communicatum, & in illis receptum; ergo Deus efficiendo, quòd accidentia conſeruentur ſine ſubiecto in eſſe actualis exiſtentiæ, manutenet ſolùm modum exiſtentiæ in illis à propria ſubſtantia receptum. Ma. conſtat; quia ſubiectum non dat eſſe actuale exiſtentiæ in genere cauſæ materialis; nam in hoc genere recipit tantùm, & non dat; neque in genere cauſæ formalis; quia exiſtentia ſubiecti eſt quid ſubſtantiale, quod nequit recipi in accidente, & ideo nequit eſſe cauſa formalis, aut forma illius; neq; in genere cauſæ finalis, vt patet; ergo remanet, quòd cauſet, & conſeruet exiſtentiam ſolùm in genere cauſæ efficientis. Mi. etiam patet; nam quòd accidentia conſeruarentur in eſſe actualis exiſtentiæ ante conſecrationem, præſtabatur à ſubiecto; ſed poſt conſecrationem *Deus* efficit ſolùm, vt accidentia conſeruentur in eſſe actualis exiſtentiæ ſine ſubiecto; ergo *Deus* efficit ſine ſubiecto, quod priùs efficiebat ſubiectũ. Prob. mi. ſubsũpta. Subiectum cõmunicando eſſe exiſtentiæ accidentibus in genere cauſę efficientis debet in illis aliquid producere, per quod aliqualiter immutentur ad eſſe; cauſa enim efficiens aliquid ab ipſa tranſiens producit, aliter efficiens non eſt; ſed illud, quod producit ſubiectum in in accidentibus communicando eis eſſe actualis exiſtentiæ, nequit eſſe niſi modus exiſtentiæ; ſicut illud, quod efficienter producit ſigillum in cera, nequit eſſe, niſi modus proprius ſigilli receptus in cera; non enim poteſt eſſe aliquod ſubſtantiale, quod nequit recipi in accidente, vt diximus; neque accidentale; quia accidens, quod non habet exiſtere in ſe; nequit eſſe ratio, vt aliud exiſtat; ergo ſubiectum conſeruare accidentia in eſſe actualis exiſtentiæ eſt manutenere modum exiſtendi à ſubſtantia receptum; conſeruatio enim eſt continuata productio.

20 Conſ. 3. *ex eodem Fund. Doct.* Poteſt facere Deus, vt ſubſtantia habeat modum accidentis, qui modus eſt exiſtere, & ſubſiſtere per exiſtentiam, & ſubſiſtentiam alterius; vt conſtat in incarnatione, in qua natura humana non exiſtit, & ſubſiſtit per propriam exiſtentiam, & ſubſiſtentiam, ſed per alienam, nempe Perſonæ Verbi Diuini; ergo poteſt facere, quòd accidens induat modum proprium ſubſtantiæ, qui eſt exiſtere in ſe, & per ſe ſine ſubiecto.

21 Præterea implicat aliquod exiſtere ſine exiſtentia ſubſtantiali, vel ſine modo ab exiſtentia

stentia substantiæ recepto; sicut implicat ceram esse sigillatam sine sigillo, vel sine sigillatione à sigillo recepta; sicut enim sigillum imprimit ceræ modificationem, per quam cera, quæ erat indifferens, determinatur ad illam figuram; ita existentia substantię imprimit modum accidentibus, per quem accidentia, quæ erant indifferentia ad esse, & non esse actualiter, determinantur ad esse; sed accidentia eucharistica verè, & realiter dicuntur existere, & permanere in existentia semel à substantia recepta, vt docent fides, & experientia; ergo implicat accidentia eucharistica esse sine existentia substantiali, vel sine modo existentiæ. Atqui fides docet esse sine existentia substantiali, quia nihil substantiæ manet in illis post consecrationem, vt diximus; ergo remanent cum modo ab existentia substantiæ illis efficienter impresso, & Diuinitus in illis conseruato.

22 Tandem actio Dei conseruatiua vel efficit, vt accidentia conseruentur in esse, vel non? Secundum dici non potest; quia accidentia tantùm mendaciter dicerentur existere; non enim existerent secundùm se ipsa; quia illis non conuenit esse in se, sed in alio. Nec existerent per actionem Dei; quia illa non efficeret, vt conseruentur in esse. Si primum; ergo efficit, vt seruent existentiam à substantia receptam; hoc enim est conseruari in esse, & manere; vt constat. Sed non seruant existentiam; quæ est actus, & quid substantiale, cùm tota substantia depereat; ergo efficit, vt seruent modum existentię. Tum quia omnis negatio, quæ dicitur de re actualiter existente, fundatur super affirmationem illi oppositam; vt negatio irrationalitatis fundatur super rationalitatem oppositam irrationalitati; sed in accidentibus est negatio essendi in alio; de fide enim est accidentia non esse in alio; ergo hæc negatio fundatur in affirmatione opposita negationi essendi in alio. Atqui hæc affirmatio est ratio essendi in se, quæ est modus proprius substantiæ; ergo accidentia remanent cum modo recepto ab existentia substantiæ Diuinitus à Deo seruato. Demum de accidentibus prædicatur existentia; sed prædicatum debet inesse subiecto vel formaliter, vel saltem modaliter; aliter prædicatio esset falsa, vt notum est; ergo accidentibus inest existentia saltem modaliter, cùm illis realiter non insit.

23 Obijc. 1. Vel ille modus perseitatis esset substantialis, vel accidentalis? Primum dici nequit; cùm enim modus substantialis sit constitutiuus substantiæ, iam accidentia conuerterentur in substantiam. Si secundum; ergo ille modus nequit dare esse per se; quia modus accidentalis dat esse in alio, non in se. 2. Modus accidentis nequit communicari substantiæ; ergo à pari. 3. Repugnat forma accidentalis, quæ non possit inhærere subiecto; hæc enim est ratio formalis constitutiua accidentis; sed accidens cum modo existendi in se, & per se nequit inhęrere substantiæ; aliter simul esset in se, & in alio, quod implicat; ergo repugnat accidenti habere modum existentiæ proprium substantiæ. 4. Modus existentiæ, quem recipit accidens à substantia, est modus existendi in alio; aliter cùm esset coniunctum substantiæ, esset per se, quod repugnat; ergo ille modus non sufficit, vt accidens existat per se sine subiecto.

Resp. ad 1. illum modum esse substantialem effectiuè, quia productus est à substantia; per illum tamen accidens non euadit substantia; sicut modus relictus in cera à sigillo, qui in sigillo constituit sigillum, non efficit, vt cera euadat sigillum. Modus ergo existendi effectiuè sumptus, idèst efficiens, quòd aliquid existat, est constitutiuus substantiæ; non autem modus existendi passiuè sumptus, idèst quo efficitur, vt aliquod existat. Sicut sigillatio, qua efficitur, vt aliquid sigilletur, constituit sigillum; ipsa autem sigillatio passiuè sumpta non constituit sigillum. Ad 2. neg. ant; nam humanitas in Christo habet modum accidentis, & tamen non euadit accidens. Ad 3. dist. ma. Quæ non possit inhærere secundùm suam quiditatem, conc; & neg. mi; ratione alicuius modi ab extrinseco recepti, neg; sicut enim substantia, vt existens per existentiam alienam, nequit existere per propriam existentiam, vt patet in Christo; attamen non tollitur, quòd sit substantia, quæ importat posse existere per suam existentiam; quia sufficit, vt secundùm se præcisa aliena existentia possit existere per suam existentiam; ita à pari. Ad 4. dist. ant. Modus existendi, quem habet accidens à substantia, prout est cum ipsa coniunctum, est modus existendi in alio, conc; prout est ab ipsa separatum, neg. Substantia ergo, quantùm est ex se, dat modum existendi per se, non in alio, quia *nemo dat, quod non habet*; & ideo cùm non habeat modum existendi in alio, illum nequit dare accidentibus. Sed quia natura accidentis, vt substantiæ coniungitur, exigit, vt existat in alio; ideo per illum modum existentiæ à substantia receptum, prout cum illa coniungitur, existit in alio; prout verò est separatum ab illa, retinendo illum modum existit in se, non in alio. Sicut quantitas dat qualitati esse extensum; quia tamen qualitas ex sua natura petit extendi in quantitate, ideo non extenditur, nisi per extensionem quantitatis, cui inhæret. At si esset separata, extenderetur per modum receptum in se ipsa à quantitate. Ita à pari.

§. 3.

Quomodò accidentia eucharistica possint agere, & pati?

24 SEx quæri possunt de accidentibus eucharisticis. 1. An possint producere species intentionales, & sensus immutare? 2. An possint suscipere motum localem? 3. An possint suscipere motum alterationis? 4. An motum augmentationis, & diminutionis, seu condensationis, & rarefactionis? 5. An etiam motum generationis, & corruptionis? An tandem motum mixtionis valeant in se ipsis recipere? Et hæc, an sine miraculo fiant?

25 Ratio dubitandi est, quia ad rationem motus naturalis strictè sumpti tria essentialiter requiruntur; scilicet terminus *à quo*, terminus *ad quem*, & subiectum medium commune vtriq; termino. Quanuis autem hæc tria reperiantur in aliquo ex motibus assignatis; non tamen videtur, quòd reperiantur in omnibus; vt in obiectionibus patebit.

26 Vnica concl. Accidentia eucharistica sine vllo prorsus miraculo mouentur de vno loco ad alium; producunt species intentionales, quibus sensus immutant; alterantur, & alterant; rarefiunt, & condensantur; corrumpuntur; & ex eorum corruptione fit generatio nedum accidentalis, sed etiam substantialis; & tandem immisceri possunt alijs liquoribus. *Ita Fund. Doct. Æg. vbi s. proposit. 43. ad 49.*

27 Prob. 1. pars concl. ex dictis *cum Fund. Doct. vbi s. proposit. 42.* Illud, quod est in loco circūscriptiuè, potest moueri localiter; rectè enim assignatur terminus *à quo*, scilicet locus, à quo recedit; & terminus *ad quem*, idest locus, ad quem transfertur; & subiectum commune vtrique locationi, seu vbicationi, scilicet quantitas molis, per quam circumscribitur à loco: sed accidentia eucharistica sunt in loco circumscriptiuè; habent enim dimensiones quantitatiuas cōmensurabiles à loco; ergo possunt moueri motu locali propriè dicto; & hoc naturaliter, quia quantitas, per quam mouentur, naturaliter illis conuenit.

28 Prob. 2. pars *ex eod. ibid. proposit. 15.* Illud, quod est ratio formalis sentiendi se ipsum, & sentiendi alia à se ipso, producit species intentionales, quibus sensus immutantur; sed accidentia eucharistica sunt huiusmodi; hęc est enim differentia inter sensibile per accidens, sensibile commune, & sensibile proprium; quòd sensibile per accidens, vt est substantia; & sensibile commune; vt est figura, & magnitudo, quæ percipi possunt à pluribus sensibus, non percipiuntur, nisi habeant in se aliquam qualitatem; v.g. si esset quantū, quod non esset coloratū, non videretur; quod non esset sapidum, non gustaretur; quod non esset durum, vel molle, non tangeretur &c; sensibile autem proprium primò, & per se sentitur; etiam præciso quolibet alio; in accidentibus autem eucharisticis sunt qualitates sensibiles, ideo in illis sunt rationes formales sentiendi se ipsa, & alia à se; ergo producunt species intentionales, quibus sensus immutantur.

29 Dices. Quoties duo coniunguntur per accidens, tunc vnum nequit ducere in cognitionem alterius; vt constat de physica, & musica; sed accidentia ducunt in cognitionem substantiæ; ergo accidentia, & substantia non coniunguntur per accidens, sed per se saltem in productione speciei; & ideo accidentia sine substantia nequeunt producere speciem.

Resp. dist. ma. Si nullo modo sint inter se ordinata, vt physica, & musica, conc; si sint ordinata, vt substantia, & accidens, quæ ita se habent, vt accidens sit signum naturale substantiæ, neg; & dist. mi. Accidentia communia ducunt in cognitionem substantiæ, neg; propria, conc.

30 Prob. 3. pars *ex eodem proposit. 43.* Vbi potest naturaliter esse transitus de vna qualitate ad aliam cum subiecto communi vtrique qualitati, ibi potest naturaliter esse alteratio; sic enim alteratio definitur; sed in accidentibus eucharisticis potest naturaliter esse transitus de vna qualitate ad aliam cum subiecto communi; quia in ipsis datur quantitas, in qua subiectantur qualitates, & quæ transit de frigiditate in calorem; ergo in illis potest dari naturaliter alteratio. Quod autem dicitur de alteratione passiuè sumpta, de illa etiam actiuè accepta est dicendum; nam illud dicitur actiuè alterare, quod habet virtutem proximam inducendi aliquam qualitatem contrariam in subiectum; sed accidentia eucharistica habent virtutem proximam inducendi qualitatem contrariam in subiectum; quanuis enim accidens respectu productionis substantiæ sit causa instrumentalis; attamen respectu productionis alterius qualitatis est causa principalis, quia est eiusdem ordinis, & habet proportionem cum illa; ergo accidentia eucharistica possunt naturaliter alterari, & alterare.

31 Inst. *Actiones sunt suppositorum*, vt habetur 1 t. *Met. & lib. 1. de gen. t. c. 24.* hyle, seu materia in transmutationibus accidentalibus aliquo modo est subiectum. 2. Sicut materia est ratio recipiendi omnem formam; ita forma substantialis est ratio, & principium omnis actionis etiam accidentalis; sed in accidentibus eucharisticis non est materia, nec forma; ergo in illis nequit esse alteratio passiuè, vel actiuè sumpta. 3. Substantia coniuncta est causa principalis actionis accidentalis; ergo cessante actione sub-

substantiæ cessat etiam actio accidentis, quod est instrumentum, seu virtus substantiæ. 4. Quando species calefactæ recuperant frigiditatem, talis actio non est ab accidentibus; ergo idem dicendum de alijs actionibus.

Resp.ad 1.*Fund.Doct.actiones esse suppositorum, vel existentium*, quia ad agendum requiritur actualis existentia; ideo cùm accidentia Diuinitus existunt, possunt per se agere. Dicitur ergo materia *alyno modo* subiectum etiam alterationis, quia quantitas nequit naturaliter exiltere, nisi in materia, & ideo nisi sit coniuncta materiæ, nequit qualitates recipere. Sic ad 2.dicitur, quòd forma substantialis est principium etiam actionum accidentalium, quia nequeunt accidentia, cùm sint actus secundarij, existere in materia naturaliter, nisi supponant formam substantialem, quæ est actus primus. Ad 3.dist.ant.*cum eodem*. Substantia est principium actionis accidentalis per ordinem ad producendam formam substantialem, conc; tunc enim accidens se habet, vt instrumentum; per ordinem ad formam accidentalem, neg; tunc enim accidens est causa principalis. Ad 4. vel neg.ant.nam recuperatio propriç qualitatis pronenit à vi restitiua, quæ expellit naturaliter qualitates sibi contrarias; triplicem enim potentiam impressit Auctor naturæ rebus naturalibus, vt docet *Fund. Doct.lib.cont. exemptos c.14*; scilicet potentiam receptiuam, per quam recipit omnes perfectiones naturales, restitiuam, per quam expellit peregrinas, & contrarias impressiones, vt se ipsam conseruet; & actiuam, per quam elicit actiones sibi proprias. Vel neg.cons.non enim est par ratio de recuperatione in se ipsa qualitaris amissæ; & de productione qualitatis in alio; quanuis enim ad illam non habeat virtutem; attamen certum est qualitates, quas habet, ad istam sufficere; quia ad calefaciẽdum sufficit calor virtualis, qui est in accidentibus vini &c.

32 Prob.4.pars *ex eod.proposit.44*. Augmentatio, & diminutio duplex est; alia per additionem, vel per subtractionem materiæ; & hæc propriè reperitur solùm in rebus animatis, in quibus substantia alimenti conuertitur in substantiam aliti; & substantia aliti vi caloris naturalis secundùm partes deficit; & in hoc sensu non datur motus augmentationis, & diminutionis in accidentibus eucharisticis, quæ non sunt animata. Quia tamen augmentatio aliquo modo datur etiam in rebus inanimatis, vt cùm aqua iungitur vino; de hac dicemus in probatione sextæ partis concl. Alia est augmentatio, & diminutio, non quidem quantitatis in ordine ad se, sed in ordine ad locum; vt cùm eadem quantitas rarefacta occupat maiorem locum; & condensata minorem. De hac loquimur in præsenti; & difficultas est; quia quia cùm in accidentibus non detur subiectum commune, quod recipiat maiorem, vel minorem quantitatem; sicut enim non daretur motus ab albo in nigrum, nisi daretur subiectum commune albedini, & nigredini; ita videtur dari non posse motum ad quantitatem maiorem, vel minorem, nisi detur subiectum commune recipiens maiorem, & minorem quantitatem.

33 Notat igitur *Fund.Doct.* duplicem esse quantitatem, seu duplicem dimensionem in eadem quantitate; alia enim est dimensio interminata, per quam materia est tanta in ordine ad se; vt multa, vel pauca; alia est terminata; per quam occupat tantum locum, & non maiorem; videmus enim, quòd tanta est materia aquç conuersa in materiam aeris, quanta erat sub forma aquæ; & tamen materia illa sub forma aeris occupat locum decies maiorem, quàm occupabat sub forma aquæ; & sic dicendum de eadem materia conuersa in ignem, quæ occupat locum decies maiorem, quàm occupabat sub forma aeris, & centies, quàm sub forma aquæ. Dicitur autem quantitas interminata tantùm per ordinem ad locum; nam per ordinem ad se est terminata, vt sit tanta, & non maior. Hæc igitur quantitas interminata per ordinem ad locum est prior, & distinguitur realiter à quantitate terminata per ordinem ad locum. 1. Quia prius est rem esse in ordine ad se, quàm in ordine ad aliud, & quod potest separari ab alio, distinguitur ab illo; sed quantitas interminata est in ordine ad se; & terminata est in ordine ad alium, nempe ad locum; & illa potest separari ab ista; quia eadem quantitas in ordine ad se potest modò maiorem, si rarefiat; modò minorem, si condensetur, locum occupare; ergo illa est prior, & realiter distinguitur ab ista. 2. Quotiescunque duo sunt idem, tunc si agens naturale potest in vnum, potest & in aliud; sed agens naturale potest quidem immutare quantitatem terminatam, quia Sol medio calore efficit, vt materia aquæ, quæ occupabat minorem locum, conuersa in aerem occupet maiorem locum; non tamen potest immutare quantitatem interminatam, quia nequit facere, vt materia vnius grani milij sit tanta, quanta est materia vnius montis; ergo quantitas interminata distinguitur realiter à quantitate terminata. Ex hoc etiam sequitur, quòd illa sit prior; nam si quantitas terminata esset prior, sequeretur, quòd agens naturale immutans quantitatem terminatam immutaret & interminatam; mutato enim priore mutatur & posterius; nõ è contra.

34 Ex his sic prob. concl. In illis dari potest motus augmentationis, & diminutionis quoad locum, seu rarefactionis, & condensationis, in quibus est quantitas interminata, quæ est susceptiua maioris, & minoris quantitatis terminatæ, seu in ordine ad locum; sed in accidentibus eucharisticis est quantitas interminata; ergo in illis dari potest motus condensationis, & rarefa-

ctis ibidem his (supple dispositionibus) *quæ non minùs habent ordinem, & naturalem connexionem ad materiam, quàm habeant illæ dispositiones ad animam rationalem, naturaliter, & absque miraculo ibi habebit esse materia, non obstante, quòd solus Deus potest in productionem materiæ; & materia solùm à Deo habet esse immediatè per creationem.* Ex quibus apparet falsò adscribi *Fund. Doctori* opinionem oppositam.

37 Inst. *Vasq.* 1 Agens naturale nequit inducere formam, nisi in materiam à se dispositam; sed in casu materia à Deo producta non disponitur ab agente naturali; quia in eo instanti, in quo producitur, informatur forma; ergo agens naturale nequit educere formam ex speciebus. 2. Omnis generatio naturalis est ex non esse, seu ex priuatione; sed nulla priuatio præcessit in materia à Deo producta, quia in illa nulla fuit forma destruenda; ergo idem.

Resp. ad 1. neg. mi; nam agens naturale inducens in species dispositiones ad materiam, quibus afficitur materia in eo instanti, quo à Deo creatur, rectè dicitur materiam disponere; nec requiritur, quòd materia vltimò disposita præcedat tempore eductionem formæ; sed sufficit, quòd illam præeat præcedentia naturæ; quia in illo instanti, in quo materia est vltimò disposita, introducitur forma. Ad 2. neg. mi; nam priuatio est in materia solùm ratione dispositionum; hinc materia Cœli non habet annexã priuationem, quia nequit habere dispositiones cõtrarias ad formam, quam habet; in illo igitur priori naturæ, quo materia fuit sub dispositionibus ad formam vermium, dicitur fuisse sub priuatione.

38 Prob. 6. pars concl. *ab eod. proposit. 49. 1. Ex Innoc. III. c. cùm Marthæ de celebr. Miss. & de myst. Missæ lib. 4. c. 31*; vbi docet liquorem posse misceri speciebus vini consecrati; ergo accidentia eucharistica possunt alijs misceri liquoribus. 2. Quia in tantùm *Phil. c. de mixt.* ait accidentia non misceri, in quantùm per se non existunt, & ideo non sunt per se separabilia à subiecto, nec per se possunt misceri non mixtis substantijs; sed accidentia vini consecrati sunt per se miraculosè existentia; ergo possunt alijs liquoribus misceri. Non tamen miscentur sanguini Christi; quia mixtio est solùm diuisibilium; sanguis autem Christi non est diuisibiliter in eucharistia, sed indiuisibiliter.

39 Dices. Implicat, quòd vnum, & idem habeat esse separatum, & inseparatum à subiecto; sed si vnus liquor misceretur speciebus vini consecratis, vnum, & idem haberet esse simul separatum, & inseparatum à subiecto; ex illis enim fieret vna superficies, quæ simul esset separata à subiecto, & existeret in subiecto; ergo accidentia vini consecrati, & liquor non consecratus non possunt misceri.

Resp. *Fund. Doct.* dist. ma. Implicat, quòd vnum, & idem secundùm diuersas partes habeat esse in subiecto, & non habeat esse in subiecto, neg; secundùm easdem partes, conc; eadem enim superficies secundùm vnam partem potest esse alba, & calida; & secundùm aliam potest esse nigra, & frigida.

40 Ex hoc colligitur, quòd si aliquod commisceatur accidentibus consecratis ita, vt permaneat in sua natura, & species nullo modo immutentur, vt si gutta olei infundatur; sub illis remanet sanguis Christi, quia manet sub speciebus vini, quousque sub illis maneret vini substantia. Si autem vnum vertatur in aliud, iuxta varios modos conuersionis diuersæ resolutiones sunt afferendæ. Nam vel liquor appositus habet qualitates contrarias qualitatibus vini; vt v. g. si apponatur aqua, quæ est formaliter frigida; adeoque speciebus vini, quæ sunt virtualiter calidæ, contraria; & tunc si apponatur aqua in tanta quantitate, vt superet quantitatem specierum vini; tunc species vini conuertuntur in aquam; & desinunt esse species vini, & incipiunt esse sub forma aquæ, quæ magis extenditur per quantitatem vini sibi superadditam; quia contrarium fortius destruit, & conuertit in se ipsum contrarium minùs forte; & tunc desinit ibi esse corpus Christi. Si autem apponatur aqua in modicissima quantitate, tunc species vini conuertunt in vinum ipsam aquam; & forma vini educitur de materia aquæ disposita per vini accidentia. Illa tamen aqua non conuertitur in sanguinem Christi, sed in substantiam vini, quæ substantia non transit ad sustentanda vini accidentia, quæ manent sine subiecto, sed manet circumfusa illis accidentibus, vt docet *Innoc. III. vbi sup. & ex illo Fund. Doct. Æg.*; qui assignat rationem; quia nempe vnum accidens nequit naturaliter transire ad aliud subiectum etiam eiusdem speciei. Nec officit, quòd si infundatur gutta aquæ non benedictæ in magnam quantitatem aquæ benedictæ, fiat benedicta. Non officit, inquam; nam benedictio non conuertit substantiam rei benedictæ; ideo ex eo, quòd aqua non benedicta fiat vnum cum aqua benedicta, euadit benedicta. At aqua ex eo, quòd fiat vnum secundùm accidentia, non desinit esse substantia; ideo non euadit consecrata. Idem dicendum de vino rubro, præsertim in sententia eorum, qui tenent esse diuersæ speciei à vino albo; tunc enim si apponatur vinum rubrum in magna quantitate, conuertit species consecratas, & illas ita disponit, vt sub illis fiat forma vini rubri; & ideo ibi desinit esse corpus Christi. Idem similiter de vino albo potentiori, vt est vinum *Græcum, maluaticum, phalernum &c*; ista enim vina habent qualitates actiuiores, vt valeant alterare, & conuertere species debiliores vini albi consecrati.

41 An autem, si misceatur magna quantitas eiusdem vini non consecrati eiusdem omnino speciei, & virtutis, ibi desinat esse corpus Christi?

Christi? Resp. *Fund. Doct. ibid.* affirmatiuè cùm *D.Tho.hic art.8. cum omnibus Thomistis*, si tamen sit tanta quantitas vini appositi, vt peruadat omnes partes minimas specierum sacramentalium, & illas ita intersecet, & diuidat, vt in eis sic diuisis non possit ampliùs manere forma vini, si esset sub illis; tunc enim sanguis Christi, qui nequit esse sub illis speciebus, nisi quamdiu sub illis posset esse forma vini, sub illis esse desineret. Si verò non sit tanta quantitas, vt omnes partes minimas peruadat, & diuidat, sed tantùm aliquas, tunc desinit esse tantùm sub illis, quas peruadit, & diuidit; non verò desinit esse sub alijs, quas non diuidit. Dupliciter enim, inquit *Fund. Doct.* aliquod corrumpitur, & destruitur. 1. Per qualitates contrarias, vt dictum est. 2. Per diuisionem materiæ in partes minores minimis, in quibus nequit ampliùs illa forma conseruari: ergo in casu sanguis Christi, quamuis non primo modo; attamen secundo modo esse desineret. Quamuis enim quantitas matematicè sumpta sit diuisibilis in infinitum ita, vt nunquam deuenire possit ad partem indiuisibilem; attamē si physicè sumatur, potest ita diuidi in partes minimas, vt si illæ partes vlteriùs diuidantur, forma substantialis, quæ in illis præcedenter erat, conseruari non possit, vt supponimus *ex Physica*.

42 Obijc. *Dur. hic dist. 12. q. 3. n. 6; Sua. disp. 57. sect. 4; Vasq; Valent; Coninck; Lug; & aly Recentes*, qui negant *minimum physicum quod non*, & consequenter asserunt per commixtionem multi vini non consecrati eiusdem speciei non desinere ibi esse sanguinem Christi. Quia *Innoc.* dicit vinum appositum manere. 2. *Ex ordine Romano c. 4.* habetur solitum fuisse antiquis temporibus ex calice consecrato infundi à Diacono aliquas guttulas in aliud vas plenum vino non consecrato, vt ex illo populus partem sumens sanctificaretur. 3. Per mixtionem vnius aquæ cum alia non destruitur minor aqua; ergo à pari. 4. Sequeretur, quòd si duo calices consecrati misscerentur ita, vt vnus illorum contineret maiorem quantitatem vini, quàm alter, neuter maneret consecratus; quia illæ species idem agerent, ac si sub illis esset forma vini. 5. Sequeretur, quòd si in calice consecrato optimè clauso species agitarentur, partes illarum specierum sic diuiderentur, vt essent minores minimis; & ideo sub illis desineret esse corpus Christi. 6. Sequeretur, quòd si vna gutta vini, vel aquæ non consecratæ inijceretur in calicem consecratum, corrumperet omnes species consecratas; nam illud vinum, vel guttula aquæ conuersa in vinum intersecaret, & diuideret partem minimam specierum consecratarum propinquam, & illa aliam, & sic de reliquis.

Resp. ad 1. *Innoc.* loqui de minima parte vini non consecrati, vel saltem non in tanta quantitate, vt valeat omnes partes minimas diuidere. Ad 2. dicitur Ecclesiam nihil aliud intendisse, nisi quòd illud vinum ex contactu specierum aliquam sanctificationem contraheret, vt colligitur *ex locis cit.* non autem, quòd vinum non consecratum consecraretur, aut quòd manerent species consecratæ. Ad 3. dist. ant. Non destruitur per qualitates contrarias, conc; per diuisionem partium minimarum, neg; fit enim alia numero aqua. Ad 4. neg. seq; in tantùm enim accidentia liquoris non consecrati efficiunt, vt sub speciebus, quas conuertunt, desinat esse sanguis Christi in quantùm sub accidentibus non consecratis est forma substantialis illius liquoris, quæ transit ad conseruandas species conuersas in sua accidentia, at si vnus calix consecratus misceatur cum alio consecrato; etiamsi species illius conuertant species alterius; attamen sicut species conuertentes sunt sine subiecto; ita & species conuersæ; non enim adest forma substantialis, quæ transeat ad illas sustentandas. Ad 5. neg. assumptum; cùm enim inter partes specierum sic agitatas nihil mediet, quod non sit consecratum, ideo illæ species non diuiderentur. Ad 6. neg. seq; cùm potiùs sequatur oppositum; modica enim gutta vini apposita non habet tantam virtutem, vt possit partem propinquam vini intersecare, & diuidere, sed manet sic circumfusa speciebus consecratis; vt *ex Innoc.* iam diximus.

QVÆST. IV.

De effectibus, ministro, & subiecto receptiuo Eucharistiæ.

HÆC tria coniungimus, quia ferè omnia, quæ difficultatem habent apud Scholasticos, resoluta sunt *de sacram. in com. q. 3. 5. & 6;* vnde *hic* ea, quæ *à Moralistis* tractantur, breuiter expendemus.

ART. I.

Quinam sint effectus eucharistiæ?

1 CAluin. lib. 4. instit. c. 17. §. 41; Luther. de capt. Babyl. c. de eucharist. lib. de abroganda Missa, Kemnit. p. 2. exam. Trid. sess. 13. c. 2; & 71 & aly eorum asseclæ asserunt primum, & præcipuum effectum eucharistiæ esse remissionem peccatorum mortalium, & per consequens primum illius effectum esse conferre primam gra-

gratiam; & ideo posse licitè sumi in peccato mortali.

2 Hunc errorem in fide damnat *Trid. vbis. can.5;& c.7.* affert *aliquos Apostoli textus*, quibus illum reijcit; vt illud *1. Cor. 11. Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat; qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit*. Ex quo infert *Concilium* neminem sibi conscium peccati mortalis debere accedere ad eucharistiam sumendam, sed priùs debere seipsum per sacramentum pœnitentiæ expiare à peccatis. Colligitur etiam *ex veteri testamento*; nam *agnus Paschalis, & panes propositionis*, qui erant figuræ eucharistiæ, non poterant comedi, nisi à purificatis, & mundis, vt legitur *Num.9;& 1. Reg. 21.* Ratio autem est. Remittere peccata mortalia post baptismum commissa est effectus per se, & proprius pœnitentiæ, vt colligitur ex eius forma; ergo nequit esse effectus proprius, & per se eucharistiæ; sicuti enim quia remittere peccatum originale est effectus proprius baptismi, ideo nequit esse effectus alterius sacramenti; aliter non esset proprius, sed communis; ita à pari. *Vid. de sacram. in com. q. 3. art. 3.* Accedit congruentia, quam etiam adducit *Fund. Doct. de celebr. miss. fol. 4. col. 2.* Sicut se habet cibus, & potus in naturalibus; ita se habet eucharistia in vita spirituali, instituta enim est per modum cibi nutrientis animam; sed mortuus vitæ naturali nequit sumere cibum, & potum; ergo neque habens peccatum mortale, qui est mortuus vitæ spirituali, potest sumere eucharistiam.

3 Dices 1. In consecratione calicis dicitur: *Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*; ergo sanguis Christi, qui sumitur in eucharistia, remittit peccata. *2. Io. 6.* dicitur: *Qui manducat me, viuet propter me; & in quadam orat. Vt hoc sacramentum sit ablutio scelerum, sit vinorum, atque mortuorum remissio omnium delictorum*.

Resp. ad 1. sanguinem effusum fuisse in cruce in remissionem peccatorum; cùm autem Christus eucharistiam instituit, tunc erat fundendus, quia nondum Christus mortuus erat; ideo dixit in futuro; *Effundetur*. Ad 2. dicitur, quòd *ibid.* dixit Christus: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*; viuere autem in æternum est seruare vitam iam habitam; quod est proprium eucharistiæ, quæ cùm habeat rationem nutrientis, habet rationem seruantis vitam, quæ nutritione seruatur. Ad aliud dicitur eucharistiam remittere scelera, & delicta quoad pœnam, non quoad culpam; constat enim, quòd mortui non absoluuntur à culpa mortali, sed tantùm à pœnis ob mortalia contractis; vnde cùm Ecclesia eodem modo oret pro viuis, & pro mortuis, debet de pœna, non de culpa intelligi. Vel dicitur eucharistiam per accidens remittere etiã peccata mortalia, vt diximus *vbi sup. ar. 2.* Ideo.

4 Effectus eucharistiæ alius est per se peculiaris, & proprius; alius per accidens, & communis; vt diximus *ibid; & art. 3.*

5 Vnica concl. Effectus proprij, & per se quinque rectè enumerantur *à Fund. Doct. Æg. tract. de corp. Christi*, scilicet viuificatio animæ, augmentum gratiæ, & virtutum, iucundatio, & exhilaratio spiritus, confirmatio cordis contra omnes tentationes, & remissio peccatorum venialium; quibus additur specialis vnio fidelium cum Christo, & inter se; effectus verò per accidens est tribuere primam gratiam, & remittere peccata mortalia oblita.

Prob. 1. pars concl. Primus effectus habetur *Io. 6. Panis enim Dei est, qui de cælo descendit, & dat vitam mundo; & Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*; & quamuis commune sit omnibus sacramentis causare gratiam, quæ est vita spiritualis animæ; attamen peculiare est huic sacramento nutrire animam, confortare, & tribuere vires ad acquirendam vitam æternam, continet enim Christum, qui est vita æterna. Ex hoc sequitur eucharistiam tribuere speciale ius ad vitam æternam; iustum enim est, vt qui habet Christum in se, habeat vitam æternam. Secundus habetur *Isaiæ 10. Panis frugum terræ erit vberrimus, & pinguis*; vbertas autem, & pinguedo gratiæ augmentum ipsius importat. Ratio est. Omnia sacramenta viuorum conferunt augmentum gratiæ, & virtutum, quæ ad gratiam sequuntur, & cum gratia commensurantur; sed eucharistia est præcipuum sacramentum viuorum, quia in se continet Christum, qui est vita; ergo specialiter confert augmentum gratiæ, & virtutum. Tertius habetur *Gen. 49. Aser pinguis panis eius, & præbebit delicias Regum; & ps. 67. Parasti in dulcedine tua pauperi Deus; & Concil. Vienen. Clementina vnica: In hoc sacramento est omne delectamentum, & omnis saporis suauitas, ipsaque Domini dulcedo degustatur*. Ratio est; quia sicuti à cibo corporali sumitur dulcedo, & suauitas; ita à fortiori ab hoc cibo spirituali, qui infinitè superat cibum corporalem. Quartus habetur *ps. 103. Panis cor hominis confirmat; & ps. 22. Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me*; nam si tentationes vincuntur in nomine Christi, quem Dæmones fugiunt, & contremiscunt; multò magis Christi præsentia reali vincuntur, fugantur, & debellantur. Quintus habetur *Matth. 26. Hic est enim sanguis meus, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum; & Trid. sess. 13. c. 2. vocat eam antidotum, quo liberamur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præseruamur*; nam si peccatum veniale est languor naturæ; eucharistia, quæ est cibus spiritualis reficiens, & confortans animæ vires, tollit naturæ languorem, & debilitatem, & ideo peccata venialia. Ex hoc sequitur remittere pœnas peccatorum mortalium iam remissorum; si enim remittit venialia, remittit

etiam

etiam mortalia deleta, quæ connumerantur inter venialia, cùm sint materia sufficiens pœnitentiæ; cùm autem ea non possit remittere quoad culpam, quia sic iam sunt remissa, sequitur, quòd ea remittat quoad pœnam. Specialis unio cum Christo habetur 1. *Cor.* 6. *Qui adhæret Domino, vnus spiritus est*; & *Ephes.* 5. *Membra sumus corporis eius de carne eius*; ex quibus deducitur, quòd licèt per alia sacramenta Christo uniamur, quia confertur nobis gratia, qua Christo unimur; attamen ei non vnimur mediante eius carne reali, sicut vnimur per eucharistiam; hæc autem vnio licèt fiat per carnem; attamen non est carnalis, & physica, ut putauit *Mendoza*, sed spiritualis; ait enim *Apost*; quòd qui *adhæret Domino, vnus spiritus est*; non autem ait: *Vna caro est*. Ex vnione autem fidelium ad Christum sequitur vnio ipsorum inter se; de qua 1. *Cor.* 10. dicitur: *Vnus panis, & vnum corpus multi sumus omnes, qui de eius corpore participamus*; qui enim vniuntur in aliquo tertio, vniuntur inter se; & quamuis hæc vnio fiat etiam in baptismo; attamen hęc fit excellentiori modo, ut dictum est; & ideo baptismus inchoat hanc unionem, eucharistia verò illam perficit. Tandem quòd per accidens remittat mortalia, satis probatum est *de Sacram. in com. q.* 3. *art.* 2.

6 Ad hos effectus reducuntur alij quicumque enumerati à *SS. PP*; ut mentem renouare, munire, pascere, vegetare, purgare &c. Item beata resurrectio, & immortalitas corporis, quæ spectat ad perfectam, integramque hominis vitam, & cætera huiusmodi.

7 Obijciunt contra prædicta *Alen*; *Gabr*; *Gerson*, *Vasq*; & *Lug.* substinentes eucharistiam nec per se, nec per accidens causare primam gratiam. 1. Eucharistia non significat primam gratiam, quia significat solùm gratiam nutrientem, quæ est secunda gratia; ergo tantùm istam causat, non illam; sacramenta enim causant tantùm, quod significant. 2. Vt causet primam gratiam, necessariò requiritur ad illam aliqua dispositio; sed hæc dispositio non est contritio; quia hæc causaret primam gratiam, non eucharistia; neque attritio, quia hæc est dispositio solùm in baptismo, & pœnitentia; ergo idem.

Resp. ad 1. dist. ant. Non significat primò, & per se, conc; per accidens, & veluti materialiter, neg; significat enim Christum per modum cibi nutrientis; attamen Christus nedum est nutriens, sed etiam viuificans, cùm sit ipsa vita. Ad 2. neg. 2. pars mi; illa enim dispositio, quæ per se requiritur ad causam per se, sufficit ad causam per accidens; vt fossio terræ, quæ prærequiritur ad inueniendum thesaurum respectu intendentis illum inuenire; sufficit ad illum inueniendum respectu inuenientis per accidens. *Alia vid. vbis.*

8 Obijc. 2. *Dur*; *Sot*; & *Valent.* tenentes eucharistiam ratione sui non delere venialia, sed ratione contritionis, vel dilectionis Dei, quæ per eucharistiam excitatur. 1. Si eucharistia remitteret venialia, esset, quia per ipsam infunditur gratia sanctificans; sed hæc non tollit venialia, quia illis non opponitur; aliter per quodlibet peccatum veniale tolleretur gratia sanctificans; ergo non remittit venialia. 2. Non est maior ratio, cur remitteret aliqua, & non omnia venialia; sed non remittit omnia; aliter sumens eucharistiam esset sine peccato, quod est contra illud. 1. *Io.* 1. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*; & *Qui dixerit se peccatum non habere, mendax est*; ergo nullum remittit ex opere operato.

Resp. ad 1. dist. ma. Quia infunditur gratia nutriens, & tollens animæ languores, conc; aliter, neg. Cùm ergo venialia sint animæ languores, ideo tollit venialia. Nec sequitur ex hoc, quòd venialia possint tollere hanc gratiam; nam quamuis gratia sacramenti pœnitentiæ tollat venialia, per venialia tamen non tollitur; ergo à pari. Ad 2. neg mi; si enim quis accedat cum displicentia omnium venialium, omnia remittuntur. Ad illud *Io.* dicitur *ex S.P. Aug. tract.* 56. *in Io.* intelligendum esse, quòd sine quotidianis peccatis, quæ sunt venialia, vita ista non ducitur; non quòd omnia venialia remitti non possint.

9 Dispositio ergo requisita ad hoc, ut eucharistia deleat omnia venialia, est, quòd suscipiatur in gratia, & sine affectu, seu complacentia ad eadem peccata venialia, sed cum displicentia, & detestatione illorum; quia secundùm legem ordinariam peccatum non remittitur sine voluntaria retractatione peccatoris, loquendo de adultis; hæc tamen retractatio, sufficit, ut sit virtualis, quæ non sufficit ad illa remittenda extra sacramentum.

10 Quæres, quo, & quanto tempore eucharistia causet gratiam?

Resp. causare augmentum gratiæ in statu manducationis actualis; quia *Io.* 6. solis manducantibus promissa est vita; tum quia nutritio solùm ex manducatione consequitur; cibus enim non nutrit, antequam manducetur. Quod intelligitur de sumptione eucharistiæ in re; nam in voto causat gratiam, quando actu desideratur. Tunc autem censetur perfecta manducatio, quando cibus traijcitur in stomachum; ex quo posteà applicatur nutritioni.

11 Quamuis autem *Caiet*; *Suar*; *Valent*; *Lug*; *Coninch*, *Gonet*, & *aly* velint toto tempore, quo manent species in stomacho, augere gratiam, etiam si eadem dispositio perseueret; attamen *Gibb*; apud quem *Bernardin*; *Vasq*; *Sot*; *Grans*; & *aly* asserunt effectum eucharistiæ percipi solùm in ipsa sumptione; sic enim percipitur in alijs sacramentis; & *Io.* 6. promittitur gratia manducantibus, non autem conseruantibus eucharistiam; tum quia durante eadem dispositione non

non poteſt augeri forma, ad quam diſponit; ſi autem creſceret diſpoſitio, iam illud augmentum eſſet ex opere operantis, non ex opere operato, vt loquimur in præſenti; tum quia ſequeretur, quòd habens debiliorem calorem perciperet maiorem gratiam; ſic ſumens plures hoſtias, vel hoſtiam magis quantam, maiorem gratiam reciperet, quàm ſumens particulam ſimpliciter; & tandem ſumens ſpecies panis, & vini, quæ maius tempus exigunt, vt conſumantur, quàm ſolæ ſpecies panis, maiorem gratiam reciperet; quod foueret hæreſim *Acatholicorum*.

12 Dices 1. Cibus continuò nutrit. 2. Grauiùs peccat peccans immediatè poſt euchariſtiam; ergo plus meretur.

Reſp. cibum ſpiritualem conferre ſuum effectum in inſtanti; quod non conuenit cibo corporali. Ad 2. dicitur grauiùs peccare ob iniuriam, quam irrogat Chriſto præſenti; non quia maiorem gratiam impediat.

A R T. II.

Quinam ſit euchariſtiæ miniſter?

1 DVo munera competunt euchariſtiæ miniſtro; ſcilicet conficere corpus, & ſanguinem Chriſti; & vtrumque ſumere, ac diſpenſare fidelibus. Quoad primum munus iam diximus *q. 1. de ſacram. in com. art. 1.* ſolos homines viatores ſacerdotes de potentia Dei ordinaria eſſe euchariſtiæ miniſtros *contra Lutheranos*, qui dixerunt omnes homines cuiuſcumque ſexus, & conditionis ex vi baptiſmi habere poteſtatem conſecrandi euchariſtiam; neminem tamen debere munus hoc exequi, niſi in caſu neceſſitatis, & extra caſum neceſſitatis; niſi ex publica auctoritate Principis, vel magiſtratus ſit ritè vocatus, & deputatus, ne ſi quilibet velit publicè ſacramenta miniſtrare, oriatur confuſio.

2 Hanc hæreſim reiecimus *pluribus textibus Sacræ Scripturæ, & teſtimonys SS. PP; & Trid.* Quibus additur *Nicæn. I. can.* 18; vbi ſtatuit, quòd Diaconi non miniſtrent euchariſtiam preſbyteris, & rationem reddit: *Vt ab his, qui poteſtatem non habent offerendi, illi, qui habent, Chriſti corpus accipiant; & Lateran. IV. ſub Innoc. III. c. 1;* & habetur *c. firmiter de fide catholica: Hoc ſacramentum nemo poteſt conficere, niſi ſacerdos fuerit ritè ordinatus ſecundùm claues Eccleſiæ.* Prob. inſuper; quia Chriſtus dedit poteſtatem ſolis diſcipulis à ſe ipſo ſacerdotio initiatis in cœna; quibus præcepit: *Hoc facite in meam commemorationem.* 2. Quia ſi lex *Moſaica*, & ſacrificia, quæ offerebantur in ea, erant figuræ, & ideo minoris excellentiæ, quàm lex euangelica, & euchariſtia, quæ in ipſa conficitur, & offertur; & tamen in lege *Moſaica* ſoli ſacerdotes, non quilibet homo, poterant offerre ſacrificia; nec omnes conſtituebantur ſacerdotes ex vi circumciſionis, alioquin non illi ſoli, qui erant ex familia *Aaronis*, ſacerdotes fuiſſent; nec conſecrabantur, & inungebantur ſacerdotes à Principibus ſæcularibus, aut magiſtratibus, ſed ſolùm à Summo Pontifice; vt habetur *Exod.* 28; *Leuit.* 8 1; *et Num.* 8; à fortiori dicendum eſt, quòd ſoli ſacerdotes ritè conſecrati ab Epiſcopis, qui ſunt *Sacerdotes Magni*, quia poſſunt alios ſacerdotes generare, vt inquit *Fund. Doct. Æg;* poſſunt euchariſtiam conficere. Idem docent *communiter SS. PP; & DD; & Conc. Nicæn. vbiſ.* teſtatur hanc ſemper fuiſſe Eccleſiæ diſciplinam ab Apoſtolis traditam.

3 Inſt. *Luther. 1. Pet.* 2. habetur; *Tanquam lapides viui ſuperædificamini in ſacerdotium ſanctum;* & mox: *Vos autem genus electum, Regale ſacerdotium; & Apoc. 5. Feciſti nos Deo noſtro Regnum, & ſacerdotes.* 2. *Conc. Arelaten. can.* 15. prohibuit Diaconis, ne offerrent, ſeu conſecrarent; *& Ancyr. c.* 2. interdixit Diaconis, qui ſemel idolis immolauerant, vt abſtinerent à pane, ſiue calice offerendo; ergo ex his conſtat diaconos aliquando conſecraſſe. Idem deducitur *ex 1. Cor.* 14; vbi dicitur, quòd prophetare, docere, & concionari, quæ ſpectant ad munus ſacerdotis, omnibus licitum eſſe; ergo & conſecrare.

Reſp. ad 1. *D. Petrum* loqui de ſacerdotio ſpirituali; ait enim; *Offerre ſpirituales hoſtias;* quatenus ſcilicet populus ſimul cum ſacerdote externè loquente mentaliter offert ſacrificium Deo; inquit enim ſacerdos de adſtantibus miſſæ: *Vel qui Tibi offerunt hoc ſacrificium;* quod eſt intelligendum mentaliter tantùm; non enim externè proferunt verba oblationis, quæ profert ſacerdos. Vel dicitur, quòd ſicuti Regnum, & imperium nedum ſignificat Regem, & Imperatorem, ſed etiam ſubditos Regis, & Imperatoris, qui à Rege, & Imperatore reguntur, & gubernantur; ita omnes fideles dicuntur ſacerdotium, quia à Sacerdotibus reguntur, & gubernantur. Ad illud *Io.* dicitur, quòd loquitur de vigintiquatuor ſenioribus, qui offerunt Deo orationes fidelium, quod eſt munus ſacerdotis; & ideo non loquitur de omnibus fidelibus, ſed de ſolis ſacerdotibus. Vel dicitur loqui de ſacerdotibus ſpiritualibus, qui preces offerunt Deo; non enim loquitur de ſacrificantibus. Ad 2. neg. ant; nam inter offerre, & conſecrare longum diſcrimen eſt, vt diximus; quia etiam populus offert ſimul cum ſacerdote, & tamen non conſecrat. Multò magis ergo diaconus dicitur offerre ſimul cum ſacerdote, non tamen conſecrare. Et quanuis aliquando ſumatur offerre, prout idem eſt, ac conſecrare, vt patet *ex Conc. Nicæn. vbiſ;* attamen tunc dicitur de ſolis ſacerdotibus, vt conſtat *ex eodem* docente, quòd offerre, ſeu conſecrare competere ſolis ſacer-

sacerdotibus Ecclesiastica tradit disciplina; ex quo infertur falsum esse diaconos aliquando consecrasse. Offerre igitur aliquando sumitur, prout est panem, & vinum sistere Deo proferendo verba consecrationis, & hoc idem est, ac consecrare; aliquando solùm corde illam sistere Deo; & tunc non est consecrare; aliquando verò panem, & vinum iam consecratum exhibere, & ministrare populo fideli; & tunc non est pariter idem, ac consecrare. In hoc tertio sensu loquitur vtrumque *Concilium*. Ad illud *Cor*; quòd ad concionandum &c. non requiritur consecratio, sicut requiritur ad sacerdotium, vt diximus; ideo concionari competit quidem sacerdotibus, sed non priuatiuè; consecrare autem solis sacerdotibus priuatiuè conuenit; quia solus consecratus potest consecrare; sicut solus concionator potest concionari. *Vid. q.1. art. 4.*

4 Quoad aliud munus, nempe dispensandi eucharistiam fidelibus certum est ex officio, & potestate ordinaria competere solis Pastoribus; quia solus Pastor habet potestatem ordinariam pascendi, & nutriendi oues, & agnos sibi commissos. Hinc Summus Pontifex vbique terrarum eucharistiam dispensare potest *c. pater; c. ipsi 9. q. 3; c. qui se scit 2. q. 6; c. 2. de præb. in 6*; & Archiepiscopi, ac Episcopi respectiuè in suis *diœcæsibus c. omnes extra de maiorit; & obed; c. cùm Episcopus in 6. de offic. ordinarij*. Item parochus in sua parochia.

5 Ex commissione potest illud dispensare quilibet sacerdos. De diaconis, subdiaconis, clericis, & etiam laicis dictum est *q. 1. vbi s.* Nam diaconis antiquitus, cùm populo dabatur eucharistia sub vtraque specie, committebatur dispensatio sanguinis; vt colligitur ex verbis *S. Laurentij ad S. Sixtum Papam: Experire, vtrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici sanguinis dispensationem.* Non autem ait *Dominici corporis*; sed *Dominici sanguinis*; quia sola dispensatio sanguinis semper concedebatur etiam præsente sacerdote; cùm enim in dispensatione sanguinis non sit necesse tangere sanguinem; sufficit namque applicare calicem labijs sumentium; at dispensare corpus exigat contactum ipsius corporis; ideo potestas dispensandi sanguinem omnibus diaconis cōcedebatur; cùm autem nunc vsus sanguinis fuerit laicis subtractus, ideo hæc potestas eis non cōmittitur ampliùs. Potestas verò dispensandi corpus solùm in casu necessitatis, & in absentia sacerdotis concedebatur; vt habetur *ex Conc. Nic. vbi s.*

6 Subdiaconis verò, clericis, & laicis committebatur solùm, vt deferrent eucharistiam ad infirmos; vt legitur *apud Eusеb. lib. 6. hist. c. 36*; & tempore persecutionum Ecclesiæ committebatur laicis, vt secum deferrent eucharistiam opportuno tempore ab ipsis sumendam; à viris quidem nudis manibus; à fœminis verò nitido linteo coopertis; vt refert *Baron. anno Christi 57. n. 42.* Hæc autem consuetudo, quæ durante persecutione tolerabilis erat, cessante persecutione, intolerabilis euasit; quapropter sublata fuit *in Conc. Rhemen;* vt habetur *c. peruenit dist. 2. de consecr.* Quanuis ex dispensatione Summi Pontificis, vt *Pij V. Mariæ Stuart;* vt illam secum haberet in carcere, & antequam duceretur ad mortem, eam sumeret, sic etiam alijs potuit concedi.

7 Subdiaconis, clericis, & laicis etiam nunc licere in articulo mortis, quando nullus adest sacerdos, vel diaconus, eucharistiam sibimetipsis ministrare, & ad infirmos deferre docent *Sua; Layman, & Diana*. Communis tamen sententia id negat; & deducitur ex praxi Ecclesiæ; & ex eo, quòd realis eucharistiæ susceptio non est necessaria ad salutem.

8 Sacerdotem in mortis articulo posse per se ipsum absente alio sacerdote sumere eucharistiam etiam extra missam certum est *apud omnes*. An autem liceat etiam extra casum necessitatis deuotionis gratia, negat *Lug*; affirmant *Sua; Vasq; Diana, Gibb; & alij*; sicut enim potest alijs fidelibus; ita & sibi, qui pariter fidelis est, potest illud ministrare etiam, quando præsens est diaconus, qui nequit, nisi in absentia sacerdotis ministrare; tunc autem sacerdos est præsens. Tum quia die *Parasceues*, quo non celebrat missam, quia non consecrat, eucharistiam sumit. Tum quia potestas dispensandi competit sacerdoti ratione consecrationis sacerdotalis; nec aliud requiritur ad actualem dispensationem, nisi potestas iurisdictionis; vt habetur *c. 1. de priuileg. in Clement*; potestas autem iurisdictionis præsumitur; nam cùm sacerdos de licentia parochi dispensat fidelibus eucharistiam, præsumitur licentia etiam illam sumendi; quia talis licentia non est limitata ad alios tantùm. Nec obstat, quòd communio sacerdotis extra missam *à Concilijs* vocetur laica; nam tunc solùm dicitur laica, cùm sacerdos ab alio sacerdote communionem recipit; sic enim communicant laici; non autem est laica, sed sacerdotalis, cùm illam sibimetipsi ministrat; hoc enim efficit virtute consecrationis sacerdotalis.

9 Regulares in proprijs Ecclesijs possunt ministrare eucharistiam suis famulis sæcularibus in Monasterio habitantibus etiam die Paschatis; alijs verò toto anni tempore; vt habetur *ex Bullis Nicol. V; Leonis X; Iulij II; Pauli III; & aliorum*. Illis tamen vetatur sub excommunicatione eucharistiam deferre ad domum infirmi absque licentia parochi *c. 1. de priuil. vbi s.* Possunt tamen omnibus exteris, & peregrinis communionem etiam Paschalem præbere, & illi eam sumentes satisfaciunt Ecclesiæ præcepto; quia in propria parochia sumere non possunt. De alijs autem, qui propria habitant in parochia, communior sententia docet, quòd si communionem

nionem sumant in Ecclesijs Regularium in aliquo ex diebus Paschalibus, non satisfaciunt Ecclesiæ præcepto; nam *c. omnis vtriusque* præcipitur, vt omnes fideles communionem sumant in propria parochia; *& Leo X; ac alij Pontifices*, qui concesserunt *Mendicantibus* posse quouis anni die eucharistiam in suis Ecclesijs ministrare, Paschatis diem exceperunt. Hoc tamen non obstante oppositum substinent *Emanuel Rodriquez to. 2. qq. Regul. q. 56. art. 3; Fagundez de 3. præcepto lib. 1. c. 5. n. 13; noster Beia*, qui refert *Hier. à Sorbo*; quam sententiam *noster Gibb. satis probabilem* dicit. Ratio horum est. Non magis obligat præceptum communionis Paschalis, quàm annuæ confessionis; vt patet ex dicto *c. Omnis vtriusque*, & aliunde Parochus meliùs cognoscit consciẽtiam suorum agnorum ex confessione, quàm ex communione; sed confitentes *Mendicantibus* etiam inuitis parochis satisfaciunt præcepto; vt constat ex concessione *Sixti IV*; & opposita sententia, tanquam error, damnatur *à Io. XXII. extra vas electionis*; ergo idem de communione. Nec obstat *c. omnis vtriusque*, hæc enim priuilegia fuerunt post illud concessa. Nec aliquid facit clausula exceptiua diei Paschatis; nam *Nicol. V.* concessit *Ordini S. Hieronymi in Monasterio S. Mariæ de Guadalupe in Hispania*, vt licitè sine cuiusuis licentia possent quibuslibet ministrare eucharistiam etiam non excepto Paschatis die. Quod priuilegium fuisse posteà extensum *ad totum Ordinem prædictum à Pio IV; & Pio V.* probat *Fagundez*; ac deinde *ad singulos ordines Mendicantium*. Neque obstat coniectura *Lug.* reuocantis in dubium illud priuilegium eo, quòd dicatur concessum anno 1458; quo anno viuebat *Pius II.* successor *Nicol. V*; non obstat, inquam; nam facilè est *typographi* incuria irrepsisse errorem in numero, vt contingit sæpissimè. In hoc tamen praxi cuiusque Ecclesiæ standum esse, ne lites excitentur, & pax Ecclesiæ turbetur, docet *S. P. Aug. ep. 118.*

10 Quilibet sacerdos etiam curam animarum non habens tenetur in maioribus anni festiuitatibus vtrumque munus exercere, scilicet consecrare, & sumere in missa eucharistiam. *Ita D. Tho. q. 82. art. 10; & cum eo ferè omnes DD;* exceptis *D. Bon; Alen; Caiet; Diana, Lugi & alijs apud Sua*; qui docent sacerdotem grauiter non peccare semoto scandalo, & obligatione prouenieute ex præbenda, vel capellania &c. Prob. tamen. Christus in vltima cœna omnibus sacerdotibus à se ordinatis præcepit: *Hoc facite in meam commemorationem*; ex quibus verbis *Trid. sess. 22. c. 1.* agnoscit præceptum diuinum celebrandi omnibus sacerdotibus impositum. 2. Quilibet tenetur vti gratia sibi à Deo concessa, vt est potestas sacerdotalis, opportuno tempore; aliter illa gratia frustraretur, & vacua remaneret; quod est cont. *Apost. 2. Cor. 6; & Hebr. 5. Omnis Pontifex pro hominibus constituitur, vt offerat dona, & sacrificia*; vbi loquitur vniuersaliter de omnibus; sacrificium enim institutum est nedum ad obtinendum gratiæ augmentum, & vberiora gratiæ beneficia pro ipso sacerdote; sed etiã pro tota Ecclesia, imò pro viuis, & defunctis. Nec obstat 1; quod obijcit *Vasq*; scilicet sacerdotes ex vi ordinationis non obligari, quia in lege veteri omnes filij *Aaron* erant sacerdotes, & tamen certum est non omnes sacrificasse. Non obstat, inquam; nam vetera sacrificia instituta erant tantùm in expiationem eorum, qui illa offerebant; eucharistia verò longè illis præstanter instituta est etiam in beneficium sacerdotis, & totius Ecclesiæ; quo beneficio priuant, qui nunquam celebrant. Nec valet exemplum *Anachoretarum* in eremis viuentium, qui nunquam celebrabant; aut Regularium habentium obligationem recitandi officium in Choro, à qua obligatione aliqui eximuntur, vt arguit *Lug.* Non valet, inquam; nam aliud est abstinere humilitatis, & contemplationis causa, vt fecerunt sancti, aliud solo libertatis arbitrio; sicut enim non licet sæcularibus nunquam frequentare communionem ad exemplum *Anachoretarum*; ita multò minùs licet sacerdotibus. Item obligatio recitandi officium in Choro non afficit singulos; aliqui enim occupantur alijs officijs, ob quæ nequeunt Choro interesse. At nullus sacerdos ita occupatur, vt non possit pluries in anno celebrare.

11 Episcopi, & parochi obligantur applicare sacrificium pro populo sibi commisso diebus solemnibus, vt colligitur *ex Trid. sess. 23. c. 1*; alijs tamen diebus possunt applicare pro se, vel pro alijs. *Aliqui DD.* censent obligari solis præcipuis Domini festiuitatibus, quia *Trid.* indefinitè loquitur; alij etiam singulis Dominicis.

12 Valet applicatio sacrificij facta à sacerdote subdito etiam Regulari contra intentionẽ sui Prælati. Est *cont. Cordub; Ledesm; Gauant, Fraxinell.* Traditur tamen *communiùs ab alijs apud Sua; Vasq; & Lug.* Si enim quis baptizet contra voluntatem superioris, valet baptismus; nam sacerdos applicat, sicut & consecrat, tanquam Christi minister; ideo in hoc nequit impediri à voluntate superioris, à qua in hoc nõ dependet. *Vid. nostrum Gibb.*

13 Sacerdos nulli applicans sacrificium censetur illud relinquere applicandum Deo; ideo ipse percipit fructum, sicut in alijs operibus bonis, & percipit Ecclesia, & illi particulariter, quibus illud applicat Deus; quicquid dicat *Vasq.*

A R T. III.

De subiecto, & dispositione ad recipiendam eucharistiam?

1 SOlos homines viatores esse capaces recipiendi eucharistiam sacramentaliter diximus *de sacram. in com. q.6. art.1.* Item solos baptizatos diximus esse capaces aliorum sacramentorum *de bapt. q.2. art.9.* Item infantes, & amentes baptizatos posse fructuosè recipere eucharistiam diximus *de sacram. in com. vbis. & de bapt. q.5. art.2; & de confirm. q.3. art. 2*; nam perpetuò amentes computantur inter infantes, qui sunt impotes vsus rationis; sed antiquitus in baptismo conferebatur infantibus eucharistia, & hodie *à Græcis, & Armenis* confertur; quòd si infantes non fuissent capaces recipiendi eucharistiæ fructus, vacua, & inanis fuisset illius collatio; ergo idem dicendum de amentibus. Tum quia si fructuosè non conferretur infantibus, hoc esset ob defectum consensus; sed ad baptismum, & confirmationem sufficit consensus in alio; ergo & in amentibus. Quantùm ad energumenos, licèt antiquitus denegata illis fuerit; attamen posteà *in Conc. Araux. I. can. 14.* eis fuit concessa; & habetur etiam *ex antiquo sacerdotali Romano*; quando tamen nullum est periculum irreuerentiæ sacramenti; quod debet prudens Confessarius aduertere.

2 Quoad dispositionem necessariam ad susceptionem huius sacramenti *q.6. vbis. art.1; & q.3. art.2, & 3.* diximus *cum Trid. sess.13. c.7.* præmittendam esse confessionem sacramentalem, vt cum puritate cordis illam suscipiat; debet enim priùs probare se ipsum, & sic de pane illo edere, & de calice bibere, vt mandat *Apost*; hoc est debet suam conscientiam examinare, et si inueniat se reum peccati mortalis, tenetur illam probam ex mala reddere per sacramentum pœnitentiæ; si adsit copia confessarij. Præceptum autem expiandi priùs conscientiam est de iure Diuino; vt asserunt omnes *cont. Nauar; & Io. de Med*; nam *Trid. ibid.* ait *communicare volenti reuocandum est in memoriam eius præceptum: Probet autem se ipsum homo*; hoc autem præceptum accepisse *Apostolum* à Christo Domino testatur *idem Apost. Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis*; & quamuis *Conc.* affectat etiam consuetudinem Ecclesiasticam; attamen non ait hoc præceptum ab illa manare; sed *ab Apostolo*; ex quo constat fuisse à Christo Domino impositum; & per consequens esse iuris Diuini.

3 Si verò desit copia confessarij, posse sacerdotem celebrare cum sola contritione vrgēte tamen necessitate docet *Conc. ibid. Modò non desit copia confessoris. Quòd si necessitate vrgente sacerdos absque præuia confessione celebrauerit, quāprimùm confiteatur.* Ex quo sequitur 1. Sacerdotem, si inchoata missa recordetur peccati mortalis non confessi, teneri solùm ad actum contritionis, dummodò tamen non habeat confessarium assistentem, vt in missa solemni, & ei possit sine scandalo confiteri; quidquid enim dicant *Sua; & Coninch*, tunc tenetur confiteri; censetur namque habere copiam confessarij. 2. Si sacerdos infamiam incurreret abstinendo à celebratione. 3. Si non celebrando causa est, quòd alij non audiant missam in die festo, & ipse pariter non satisfaciat pręcepto; & aliunde confessarius haberi non possit. 4. Si timeat confessariū, qui solus est præsens, non seruaturum secretum; & inde infamiam, vel aliud graue damnum passurum. 5. Si parochus habeat necessitatem celebrandi ad conferendum viaticum moribundo; vel ad satisfaciendum præcepto communionis Paschalis. Tenetur tamen in omnibus his, alijsque casibus, cùm primùm poterit, vt præcipit *Conc; & Missale Romanum in regulis*, confiteri ratione præcepti nedum *Concilij*, sed etiam Christi, qui omnia peccata Ecclesiæ clauibus subijcienda esse præcepit.

4 Quæres; an qui omni conatu nititur elicere actum contritionis; & cognoscit se illum non habere, sed solam attritionē, possit licitè celebrare; cùm aliunde vrgeat præceptum audiendi missam, & nullus alius sit sacerdos, qui possit celebrare; & ideo nec sacerdos existens in peccato, nec populus possit satisfacere præcepto, nisi ipse celebret?

Resp; quòd hic casus videtur purè metaphysicus; nam sicuti certum est, quòd conscius peccati mortalis sacrilegè celebret, nisi omni conatu euitatur actum contritionis elicere; quia tenetur animā suam mundare à peccatis, vt diximus. Nec ratio euitandi scandalum; aut ne populus priuetur missæ auditione, qua satisfaciat præcepto, ipsum à peccato præseruat; nam vnum malum nequit alio malo euitari; aliter nō esset peccatum fornicari ad euitandum adulterium; & populus inculpabiliter priuaretur missæ auditione; inuincibiliter enim ignoraret parochum celebrare non posse; ita certum esse debet, quòd petens omni nisu, & conatu actum contritionis à Deo, illum consequitur; *fidelis enim est Deus, & potens ea, quæ promisit & facere*, vt docet *Apost. Rom.4*; de quo *S.P. Aug. de prædest. SS. c.10*; promisit autem, quòd petentes sint accepturi à Deo, quod petunt *Matth.7. Petite, & dabitur vobis; Io.16. Petite, & accipietis; & Marc. 11. Omnia quæcunque orantes petitis, credite, quia accipietis; & euenient vobis.* Non dixit autem *sperate*, sed *credite*, idèst *pro certo habete*, quòd accipietis: Hinc *S.P. Aug. de grat; & lib. arb. c.17.* inquit: *Quoniā vt velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.* Quod habet etiam commune proloquium: *Facienti, quod in se est* (ex viribus gratiæ) *Deus non denegat gratiam*, quæ petitur; quia nempe *fidelis est*; ideo quæ promisit

misit

misit, adimplet; *& potens est facere*; quod promisit; *& summè bonus est*; ideo diffundit sua dona in eos, qui toto, & puro corde illa petunt, præcipuè cùm ad animæ salutem sunt à petente ordinata; vt exponunt *SS.PP; & DD.communiter*; quod colligunt ex verbis ipsius Christi Domini *Luc.12. Quærite primùm Regnum Dei; & hæc omnia adijcientur vobis*; quibus docet animæ salutem nomine *Regni Dei* significatam esse oratione petendam. Nec valet respondere prædictos *textus* esse tantùm intelligendos de donis, quæ sunt necessaria, non quæ sunt vtilia ad salutem. Non valet. 1. Quia hi *textus* generaliter loquuntur; ideo non sunt restringendi. 2. Petentes gratiæ augmentum, quod potest esse tantùm vtile ad salutem, illud impetrant; vt docet *S.P. Aug.de grat. & lib.arb.vbi.s.* 3. Quia pro eo tunc actus contritionis est simpliciter necessarius ad salutem extra sacramentum; ergo si toto cordis conatu petatur, tenendum est à Deo donari. Igitur qui omni conatu nititur habere actum contritionis, illum toto corde petit à Deo, donum enim Dei est; atque adeò à Deo descendens; vt habetur *Iac.1*; & per consequens illum consequitur; vt *firma sit Dei promissio omni semini*; vt habet *Apost.ibid.* Quòd si non obtineat, est; quia toto cordis conatu non petitur; nec exeruntur omnes animæ vires, quas Deus donat petentibus; vt statuit *Conc. Araux II.* Dicere itaque, quòd peccator gratia Diuina instructus toto conatu nitatur habere actum contritionis, & illum non habeat, contradicit promissioni Dei, & ipsam infirmat; quæ tamen omnino firma est; ex quo sequitur hunc casum purè metaphysicum esse.

5 Qui autē conscius peccati mortalis absq; confessione, aut dolore, vel proposito in prædictis casibus eucharistiam sumit, grauissimum committit sacrilegium; nam hoc sacramentum significat vnionem cum Christo per fidem perfecta charitate formatam; sed indignè illud suscipiens reddit falsam hanc significationem; non enim habens peccatum vnitur cum Christo; ergo committit sacrilegium grauissimum. Tum quia indignè suscipiens peccat contra humanitatem Christi, quæ est in sacramento; & contra Diuinitatem, quæ humanitati per concomitantiam connectitur; ergo est contra charitatem utroque modo; & ideo est grauissimum. Accedens autem cum peccatis venialibus scienter, & absque vlla detestatione, aut dolore peccat venialiter, quidquid dicat *Vasq*; quia non accedit ea probatione, & puritate dispositus, qua decet ad tale sacramentum accedere. Non tamen propter hoc priuatur effectu principali eucharistię, qui est augmentum gratiæ habitualis; quanuis enim ex decentia, non tamen ex necessitate sacramenti renetur accedere sine venialibus; aliter cum solis venialibus accedens peccaret mortaliter; quia poneret obicem gratiæ, & cassaret sacramentum, quod est mortaliter peccare. Ob eandem rationem probatur falsam esse sententiam *Aleni Dur; Marsi; Syluestri; Palud.et Caiet.apud Vasquem* asserentium præter statum gratiæ necessariam esse deuotionem; quanuis enim ad decentiam sacramenti requiratur deuotio; non tamen necessaria simpliciter est ad essentiam; aliter indeuotus accedens mortaliter peccaret; vt dictum est; irrogaret enim iniuriam sacramento ipsum suo effectu principali frustrando. Tum quia non esset licitum illud ministrare infantibus, amentibus, & infirmis, qui deuotionis non sunt capaces; quod tamen in praxi obseruauit, & obseruat Ecclesia. Cùm autem *SS. PP; et DD.* docent necessariam esse deuotionem, & magnum charitatis feruorem intelligendi sunt de necessitate secundùm quid, scilicet quantùm ad decētiam; non simpliciter, seu quantùm ad essentiam.

6 Exigit ergo eucharistia in suscipiente munditiem à peccatis. Immunditia autem ex morbo naturali proueniens non impedit à communione; quanuis enim *c.tua nos de clerico ægrotante* prohibeatur, ne clericus leprosus accedat ab altare; attamen hoc est propter abominationem populi vitandam. Nec obstat, quòd *Leuit. 12.* ob aliquas immundiritias corporales prohiberentur aliqui in lege veteri ab assistentia sacrificij; vt fęminæ, quæ recenter pepererant, vel menstruatæ, aut fluxum sanguinis patientes; hæc enim ceremonialia per Christum abrogata fuerunt; vnde nec feminæ, nec viri habentes tales passiones prohibentur, ne eucharistiam suscipiant. Sola infirmitas, quæ habet annexum vomitus periculum, impedit ita tamen, vt infirmus saltem per horæ quadrantem species sacramentales retinere non queat; aliter ei potest conferri eucharistia; constans enim est medicorum doctrina, vt testantur *Gibb; et Lug;* species in stomacho etiam caloris mediocris nō durare, nisi per vnicum horæ minutum.

7 Quoad immunditiam, quæ prouenit ex pollutione, seu emissione seminis, dicitur cum cōmuniori sententia *cont.Nauarr; Ricard; Marsi; et Alen*; quòd si quis voluntariè se polluit, vel fornicationem, aut quodlibet aliud peccatum carnis commisit; etiansi peccatum confiteatur, eadē die debet abstinere à cōmunione, nisi aliqua necessitas vrgeat; & si extra necessitatem communicet, venialiter peccare ob irreuerentiam non præstitam. Hoc significatum fuit *Deut. 23; & 1.Reg.21*; vbi *Achimelech*, antequam concederet *Dauidi* panes propositionis, qui eucharistiæ erant figuræ, petijt, an continuisset ipse, & pueri eius à mulieribus? Si autem pollutio sit nocturna, tunc est distinguendum. Nam vel fuit voluntaria in causa, data enim fuit causa vel nimio cibo, & vino, vel cogitationibus lasciuis &c; & tunc idem dicendum, quod dictum fuit

fuit de illo, qui voluntariè se polluit. Vel fuit omnino inuoluntaria, vtpotè proueniens ab infirmitate, vel à Dæmone; & tunc non est abstinendum, ac si secuta non esset. De coniugatis dicitur, quòd post copulam coniugalem, præsertim si secuta fuit meræ voluptatis causa, debent illo die abstinere. Si tamen alter coniugum tantùm reddat, & non petat; ille potest communicare, non alter; ille enim censetur non fuisse commotũ libidine. Ratio autem, quare potiùs proper peccata carnalia, quàm propter alia, v.g. furtum, homicidiũ &c; sit abstinendũ, est; quia peccata carnalia important vnionem corporalem cum creatura, quæ magis directè impedit vnionem spiritualem cum Christo per charitatem.

8 Quæres; an peccatori petenti debeat denegari eucharistia?

Resp. peccatori publico, & notorio esse denegandam; peccator autem publicus, aut notorius est, qui per sententiam Iudicis, vel per confessionem in iudicio factam, vel per nororietatem facti, quod nulla tergiuersatione potest cęlari, peccator habetur *c. finali extra de cohabitat. clernor*. Peccatori autem occulto publicè petenti non est deneganda, etiamsi sacerdos sciat illum esse in peccato; quod probatur exemplo Christi, qui eucharistiam tradidit *Iudæ*, etiamsi certò sciret illum esse in peccato; habebat enim in corde proditionem, quam paulò post est executus; quidquid dicant *Gabr; Paludan; Dur; Ricard; Angel, et Adrian. apud Gibb.* Ratio etiam est; quia sacerdos tenetur de iure naturæ seruare famam proximi; ius autem naturæ præualet iuri positiuo. Si tamen peccator petat in occulto, est deneganda; quia tunc fama non læditur.

9 Præter corporis, & animæ puritatem requiritur ex præcepto Ecclesiastico ieiunium naturale ad sumendam eucharistiam ita, vt à media nocte, à qua incipit dies ecclesiasticus *iuxta Ecclesiam Romanam*, nihil prorsus, quantumuis modicum, per modum cibi, potus, aut medicinæ deglutiatur. *Ita ex Conc. Braccar. I. can.* 16; *& Braccar. II. can.* 10; *Toletan. VII. can.* 7; *Carthag. III. can.* 29; *Constant. sess.* 13; & habetur *c. ex parte de celebr. miss. ex Innoc. III*; vbi prohibetur, ne sacerdos debens celebrare bis in die sumat ablutionem.

10 Excipitur tamen à ieiunio 1. Infirmus in articulo mortis. 2. Necessitas perficiendi missam. 3. Cùm post expletum sacrificium apparent reliquiæ ex illo superstites, & ad illud pertinentes. Si tamen pertineant ad aliud sacrificium, debent in ciborio seruari. 4. Cùm est periculum, ne inferatur irreuerentia, aut vilipendium sacramento, vt quòd diriperetur ab infidelibus &c.

11 Sed dubium est; an Cardinalis, qui debet celebrare missam in nocte Natalis Domini, quæ celebratur ante mediã noctem; possit prandere media die vigiliæ absque dispensatione Pontificis?

Resp. *Cum Card. Delugo hìc disp.* 16. *sect.* 3. *n.* 55. Cardinalem, qui celebraturus est in nocte Natiuitatis in Sacello Pontificio, posse licitè sumere prandium in meridie vigiliæ, & hoc non obstante celebrare ieiunum, quanuis missam perficiat ante mediam noctem; atque adeò non indigere dispensatione Pontificis; qua possit non ieiunus celebrare. Ratio est. Quanuis Pontifex dispenset, vt Cardinalis possit celebrare ante mediam noctem, sine qua dispensatione nullo modo posset celebrare; attamen illa missa non pertinet ad diem vigiliæ, sed ad diem natiuitatis. 1. Quia si pertineret ad diem vigiliæ, Cardinalis die vigiliæ duas missas celebraret; & sic in prima missa mane vigiliæ celebrata non potuisset sumere ablutionem; intentio autem Pontificis dispensantis in anticipatione tẽporis non est, vt die vigiliæ celebrentur duæ missæ; sed vt ante tempus mediæ noctis celebretur prima missa diei natiuitatis. 2. Si missa celebrata in nocte pertineret ad diem vigiliæ, posset celebrans post illam missam sumere ablutionem, imò & cęnam, dummodò id faceret ante punctum medię noctis; & posteà die natiuitatis celebrare alias duas missas; quia verè *intra* diẽ natiuitatis esset ieiunus; quod tamen est contra rubricam; imò posset tres missas celebrare; quia priuilegium celebrandi tres missas die natiuitatis ad omnes extenditur, & nullum excipit; priuilegium autem celebrandi duas missas die vigiliæ non derogaret priuilegio omnibus concesso celebrandi tres missas die natiuitatis. 3. Certum est apud omnes illam esse primam missam diei natiuitatis; ideo certum est non pertinere ad diem vigiliæ. 4. Si pertineret ad diem vigiliæ, posset quis, cùm vigilia euenit die Dominico, omittere auditionem missæ mane, & nocte illam audiendo satisfaceret præcepto; quod nullus diceret. Ergo missa celebrara in nocte à Cardinali pertinet ad diem natiuitatis. Sed nequit pertinere ad diem, nisi Papa dispenset, vt pro illa nocte aliquantulùm anticipetur dies ad hoc, vt illa missa celebretur intra diem natiuitatis; statuere enim initium & finem diei est propriũ potestatis Papæ; ergo quanuis Cardinalis celebrans pransus sit in meridie vigilię; quia tamen nihil sumpsit post medium illius noctis anticipatum ex statuto Pontificis, celebraret ieiunus; ideo dispensatur solum tempus, non ieiunium. Tandem nimis periculosum esset Cardinali præsertim seni manere ieiunum per biduum, vt cogeretur manere, cùm vigilia Natiuitatis euenit die Dominica; Ecclesia autem non obligat cum vitæ periculo.

12 Quæres; an frustum ligni, carthæ, cretæ, vel alicuius alterius rei, quæ non nutrit, deglutitum frangat ieiunium?

Resp.

Resp. Gibb. affirmatiuè *cum D. Tho.*; sumuntur enim per modum cibi, vel potus, etiamsi non nutriant. Si tamen ore solùm mandantur, & nihil traijciatur in stomacum, non frangunt; vt tabacum &c. Neque obstat, quòd virtus spiritalis descendat; spiritualia enim non nutriunt, & ideo ieiunium non frangunt. *Sed de his alibi*.

QVÆST. V.

De Sacrificio Missæ.

DIximus *in superioribus* eucharistiam nedum institutam fuisse à Christo Domino, vt sacramentum nouæ legis, sed etiam, vt sacrificium; quia nedum instituta fuit, vt signum sensibile gratiæ nutrientis fideles, qui eam suscipiunt, & ideo, vt sumatur à fidelibus; sed etiam, vt offeratur Deo à fidelibus in expiationem peccatorum; & sicut ratio signi sensibilis gratiæ illam constituit formaliter sacramentum; sic ratio oblationis Deo cum alijs requisitis, vt dicemus, eam formaliter constituit sacrificium. Postquam igitur de ipsa, vt est sacramentum, discurrimus, modò, vt est sacrificium, est discurrendum; ita enim exacta, quæ potest haberi in hoc statu, notitia tradetur.

ART. I.

Quid, & quotuplex sit sacrificium?

1 SAcrificium communissimè sumptum definitur *à S. P. Aug. lib. 10. de Ciu. Dei c. 6. Omne opus, quod agitur, vt sancta societate inhæreamus Deo*; & in hoc sensu omnes actiones etiã internæ, quibus subijcimur, humiliamur Deo, vt supremo Domino vitæ, & mortis, dicuntur sacrificia; vt *ps. 50. Sacrificium Deo spiritus contribulatus*; & mox: *Sacrificium iustitia*. Sic eleemosinæ, & beneficia pauperibus communicata dicuntur sacrificia *Hebr. 13. Beneficentia, & communionis nolite obliuisci; talibus enim hostijs promeretur Deus*; & omne opus bonum communiter vocatur sacrificium *Eccli. 35. Sacrificium salutare est attendere mandatis, & discedere ab omni iniquitate*. In hoc sensu sacrificium sumitur, prout est idem cum oblatione, quæ generaliter dicitur de omni eo, quod Deo offertur, siue sit quid externum, & sensibile, siue sit actus internus, quo Deo, tanquam Domino, humiliamur.

2 Sacrificium propriè, & specialiter sumptũ definitur *oblatio externa alicuius rei permanentis sensibilis ritu mystico consecrata, & transmutata facta soli Deo à legitimo ministro in recognitionem suæ subiectionis, & protestationem Diuinæ excellentiæ, & dominij in vitam, & mortem cuiusuis creaturæ*. Dicitur *oblatio*, quæ est genus; quia omne sacrificium strictè sumptum est oblatio; non tamen omnis oblatio est sacrificium strictè sumptum; nam *ps. 39.* distinguitur sacrificium ab oblatione, tanquam species à genere: *Sacrificium, & oblationem noluisti*; tum quia *in scriptura* sacrificium à solo sacerdote fieri poterat; oblationes autem fiebant à qualiber persona; vt habetur *Exod. 25; & 35*. Et quanuis aliquando *offerre, et sacrificare pro eodem sumatur*; vt *Gen. 4. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui*; quod dicitur etiam *Gen. 8. de Noe*; attamen tunc oblatio non sumitur genericè in tota sua latitudine, sed specificè pro oblatione rei sensibilis, quæ semper additur; & sic idem significat, ac sacrificium; & in hoc sensu sumitur etiam *à pluribus Concilijs, Pontificibus, et SS. PP.* Dicitur *externa* ad excludendos actus internos virtutum, qui propriè non sunt sacrificia; nam sacrificium propriè dictum conficitur à sacerdote propriè dicto, & super altare propriè dictum; hinc *Saul* fuit Regno priuatus, & *Ozias* lepra percussus eo, quòd sacrificare præsumpserint, quanuis sacerdotes non essent; & de altari habetur *Exod. 27*; sed non omnes offerentes actus internos virtutum sunt sacerdotes; quia in veteri lege soli filij *Aaron* sacerdotes erant, & illis solis licebat sacrificare; & eo, quod est altare, super quod offerunrur actus interni, non est altare propriè dictum, quod sumitur pro re materiali externa, vt expressè sumitur *Exod. 27*; dicitur autem altare solùm allegoricè; ergo actus interni virtutum non sunt sacrificia propriè dicta. Neque obstat, quòd *S. P. Aug. vbi sup.* asserat, quòd *Omne opus bonum est verum sacrificium*. Non obstat, inquam; nam verum non opponitur allegorico, sed falso; vnde potest esse verum, & allegoricum, quanuis non sit proprium. Hinc *Io. 13.* dixit Christus *Ego sum vitis vera*; quod nequit intelligi ita, vt sit vitis propria, idest secundùm proprietatem, sed secundùm mataphoram, vt explicat idem *S. P. Aug. tract. 80. in Io.* Dicitur *rei permanentis*, vt excludantur quædam actiones transeuntes, ut genuflexiones, preces &c. Dicitur *sensibilis* ad excludendos actus internos, vt diximus. Dicitur *mystico ritu consecrata*; quia sacrificium importat oblationem rei Deo sacræ. Dicitur *transmutata*; quia in omni sacrificio propriè dicto debet dari aliqua destructio rei sacræ; illo enim repræsentatur, quòd Deus, vt Dominus, potest ad nihilum nostram vitam redigere, quæ in illa re, quæ sacrificatur, offertur. Dicitur *facta soli Deo*; quia sacrificium est actus latriæ, qui soli Deo debetur. Dicitur *à legitimo ministro*; quia solis sacerdotibus competit potestas sacrificandi; vt habetur

betur *Hebr.* 5. *Nec quisquam sumat sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron*; hinc sacerdotes in lege naturæ erant soli primogeniti, vt testatur *D. Hier. in qq. Hebraicis*; nec filij minores natu sacrificabant, nisi ex peculiari Dei instinctu, vt legitur *de Abel, Abraham, & Iacob.* Neque obstat, quòd sacrificare sit iuris naturæ, quod competit omnibus. Non obstat, inquam; sicut enim regere filios est iuris naturæ, quod conuenit solis patribus, non fratribus ita, quòd hoc ius sit in maioribus solùm; ita à pari. Dicitur *ad recognitionem suæ subiectionis, & protestationem Diuinæ excellentiæ &c*; sacrificium enim fit vel ad placandum Deum iratum propter peccata, vel ad protestandum honorem, qui Deo debetur, tanquam vitæ Auctori, & omnium bonorum, quibus homo à Deo fuit cumulatus? Si primum; ita creatura subijcitur per illam rem, quæ sacrificatur, vt significet propriam vitam esse destruendam, vt offensæ illatæ fieret satis. Si secundum; excellentia Dei demonstratur, cui talis honor offertur.

3 Sacrificium generalissimè sumptum diuiditur. 1. In sacrificium allegoricè, & propriè dictum; vt *sup.* habitum est. 2. Sacrificium propriè dictum diuiditur in sacrificium legis naturæ, legis scriptæ, & legis euangelicæ. Primum offerre competebat omnibus primogenitis de iure communi, quamuis de lege speciali etiam minores natu sacrificauerint. Secundum offerri poterat solùm ab illis, qui erant *ex Aaronis* familia. Tertium offerri potest solùm à sacerdotibus ritè per Episcopos ordinatis.

4 Sacrificium legale, seu legis scriptæ, diuidebatur. 1. Ratione materiæ in victimam, immolationem, & libamenta. Vocabatur victima; quando sacrificabantur animalia, vt oues, boues, columbæ &c. Vocabatur immolatio, quãdo offerebantur fructus solidi terræ, vt panis, simila, thus, sal, triticum, manipulus spicarum &c. Dicebatur autem libamen, quando offerebantur liquores, vt vinum, oleum, aqua, sanguis &c. 2. Diuidebatur ratione formæ, seu ritus in holocaustum, hostiam pro peccato; & hostiam pacificam. Primum erat ad Dei honorem, & res oblata tota comburebatur, vt sursum in vaporem ascenderet in reuerentiam Diuinæ Maiestatis. Secundum offerebatur in expiationem peccatorum externorum, vt periurij &c; & partim comburebatur, & partim à sacerdotibus comedebatur; quamuis cùm offerebatur pro peccato totius populi, vel ipsius sacerdotis, tunc tota res oblata comburebatur; tunc enim etiam pro sacerdotibus expiandis offerebatur. Tertium offerebatur in gratiarum actionem pro beneficio accepto, vel ad impetrandum beneficium; & tunc res oblata in tres partes diuidebatur; quarum vna cremabatur; altera seruabatur in vsum sacerdotum; & tertia distribuebatur in vsum offerentium. 3. Diuidebatur ratione finis in latreuticum, eucharisticum, impetratorium, & propitiatorium. Primum erat ad protestandam supremam Dei excellentiam, & dominium. Secundum ad gratias Deo agendas pro beneficijs acceptis. Tertium ad impetrandum nouum beneficium. Quartum ad expiandum aliquod peccatum.

5 Sacrificium legis Euangelicæ propriè sũptum duplex esse fatentur *omnes Catholici*; scilicet cruentum, & incruentum. Cruentum admittitur etiam etiam *à Caluinistis, & Lutheranis*, & est illud, quo Christus Dominus in ara crucis obtulit seipsum agnum immaculatum Deo Patri in expiationem peccatorum totius generis humani, & placationem Dei offensi, ac satisfactionem pro offensa; propter quod sacrificium propitiatorium dicitur; vt habetur *Ephes.* 5; & *Hebr.* 9. *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, non per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta æterna redemptione inuenta*; quibus verbis demonstrat, quòd licèt Pontifices veteris testamenti debuerint singulis annis semel in sancta introire; Christus tamen semel se obtulit verum sacrificium in ara crucis; & *vnica oblatione* (concludit *c.* 10.) *consummauit in æternum sanctificatos*; idèst offerendo semel in cruce seipsum verum sacrificium pro omnibus credentibus omnes sanctificauit; vt ex illo *Io.* 17. *Pro eis sanctifico meipsum, vt sint ipsi sanctificati*; colligunt SS. PP; inter quos *S. Io. Chrisost*; & S. P. *Aug. ibid.* Præterea sacrificium cruentum in cruce à Christo peractum significauerant omnia sacrificia cruenta *Mosaica*; vt sacrificium *Abrahæ*, qui filium vnigenitũ *Isaac* obtulit super altare; quamuis prohibitus fuerit ab Angelo; quia per illud tantùm figurandum erat istud, non autem illud exequi necesse erat, vt huius executio figuraretur; sicut cùm per viuos repræsentatur mors martyrum, non est necesse, quòd viui moriantur. Item sicut *Agnus Paschalis*, cuius sanguine realiter effuso liberatus *ab Ægypto* fuit populus; ita sanguine Christi agni innocentis in ara crucis effuso liberatum fuit totum genus humanum à captiuitate peccati; vt exponunt *SS. PP. communiter.* Tandem accedit *Trid. sess.* 22. *c.* 2; & 3; & *can.* 3; & 4; vbi docet mortem Christi fuisse sacrificium cruentum verè propitiatorium pro peccatis totius humani generis. Nec deest ratio; nam vbi adest verus sacerdos, vera oblatio externa, vera immutatio victimæ, verus Deus, cui offertur, & vera propitiatio Dei pro tali oblatione, ibi adest vera ratio sacrificij; vt patet ex eius definitione; sed in cruce Christus fuit verus sacerdos, verè obtulit seipsum in mortem Patri, qui est verus Deus, verè mortuus fuit pro expiatione peccatorum omnium hominum; ergo eius passio fuit verum sacrificium.

6 Dices 1. Sacrificium debet esse signum alicuius rei sacræ; vt docet *S. P. Aug. ep.* 49. *c.* 3; sed

sed non fuit huiusmodi; ergo non fuit propriè sacrificium. 2. De ratione sacrificij est, quòd victima mactetur à sacerdote; sed Christus non intulit sibi mortem; ergo idem. 3. Sequeretur Christum esse sacerdotem secundùm ordinem *Aaronis*, non *Melchisedech*; quia solùm sacrificium *Aaronis* fuit cruentum; sed oppositum docet *scriptura*; ergo idem. 4. Martyr etiam sacerdos offerens suam mortem pro peccatis non dicitur propriè sacrificare seipsum, ergo à pari.

Resp. ad 1. neg. mi; nam mors Christi significauit internam submissionem, qua Christus se subiecit voluntati Patris; & significauit mortem omnium hominum peccatis, vt docet *Apost. Rom. 6.* Ad 2. neg. ma; essentia enim sacrificij consistit in oblatione, vt *inf.* dicemus; vnde etiamsi sacerdos veteris legis iussisset occidi victimam ab alijs, & ipse obtulisset, verum fuisset sacrificium. Hoc fortè potuit contingere, quando vna die occidebantur plurimæ victimæ prægrandes, vt tot boues à *Salomone* oblati; probabile enim est, quòd tunc sacerdos adiutus fuerit in victimis occidendis. Ad 3. dicitur, quòd Christus fuit sacerdos secundùm ordinem *Melchisedech* quoad sacrificium incruentum, vt *inf.* quoad verò sacrificium cruentum non fuit secundùm ordinem *Melchisedech*, quia *Melchisedech* non obtulit sacrificium cruentum, nec *Aaronis*, quia non fuit de eius tribu, sed de tribu *Iuda*. Ad 4. neg conseq; nam martyres non sunt originaliter innocentes, fuerunt enim semel cum peccato originali, ideo nequeunt habere rationem victimæ, quæ debet innocens esse; vt docet *S. P. Aug. in ps.* 81. super illud: *Solus inter mortuos liber &c. Vid. tom.* 5. *q.* 4. *art.* 2. *num.* 1.

§. I.

An eucharistia sit proprium sacrificium incruentum?

7 NEgant *Caluinistæ, & Lutherani* pertinaciter asserentes Christum Dominum nullum aliud celebrasse, aut instituisse sacrificiũ præter sacrificium crucis cruentum materiali sanguinis sui effusione celebratum, quod est simpliciter irreiterabile. Affirmant *Catholici omnes* præter sacrificiũ cruentũ instituisse eucharistiã, quæ est sacrificium incruentum propriè dictum; quod licèt quantùm ad rem oblatam, & quantùm ad principale offerens, nec non quantùm ad finem offerendi sit idem cum sacrificio cruento; quia est idem Christus, qui offertur, & offert principaliter propter expiationem peccatorum; attamen differt in forma, ritu offerendi, & significatione; quia hoc celebratur consecratione sub specie panis, & vini; illud materiali, & reali occisione sub propria specie, & forma humana; hoc in gratiarum actionem pro beneficio redemptionis accepto; illud in redemptionem peccatorum; hoc in expiationem peccatorum personalium; illud in expiationem peccati originalis principaliter, & ex consequenti peccatorum personalium; propter quod vtrumque propitiatorium dicitur, sed diuersimodè; hoc actione pacifica sine reali sanguinis effusione de corpore Christi morientis; illud mutatione reali corporis Christi; hoc cum repræsentatione veri sacrificij cruenti, vt habetur 1. *Cor.* 11; illud sine repræsentatione alterius sacrificij propriè dicti. Quæ sufficiunt ad diuersificanda specie hæc duo sacrificia; quæ etiam ratione formæ, & modi sacrificandi specie distinguuntur, vt diximus de sacrificijs veteribus; propter quod hoc dicitur sacrificium religionis, illud sacrificium redemptionis.

8 Vnica concl. Eucharistia est verum sacrificium incruentum propriè dictum à Christo Domino in cœna celebratum, & institutum. Sic definit *Trid. sess.* 22. *c.* 2; *&* 3; *et can.* 3; *et* 4.

Prob. 1. Esse sacerdotem secundùm ordinem *Melchisedech* est offerre proprium sacrificium sub speciebus panis, & vini; sed Christus est sacerdos secundùm ordinem *Melchisedech*; ergo obtulit proprium sacrificium sub speciebus panis, & vini. Atqui illud, quod obtulit sub speciebus panis, & vini, est eucharistia; ergo eucharistia, vt oblata, est proprium sacrificium. Ma; in qua solùm est difficultas; nam mi. explicitè habetur *ps.* 106. *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*; quod repetit *Apost. Hebr.* 6; *et* 7. Ma; inquam expressè traditur communiter *à SS.PP.Cypr. lib.* 2. *ep.* 3; *Euseb. Cæsarien. lib.* 5. *demonstrat. Euangelicarum c.* 3; *et lib.* 8. *c.* 2; *Euseb. Emisieno hom.* 5. *de Paschate*; *Ambr. lib.* 4. *de sacram. c.* 5; *et* 7, *Epiphan. lib.* 2. *hær.* 55; *Hier. in Gen.* 14; *et in Matth.* 26; *Chrisost. or.* 4. *cont. Iudæos*; *S. P. Aug. in psal.* 33. *conc.* 1. *ps.* 106; *et* 109; *et lib.* 16. *de Ciu. Dei c.* 22; *et lib.* 17. *c.* 17; *&* 20; *& lib.* 18. *c.* 35; *& lib.* 2. *cont. Aduersarium legis c.* 20; *et ep.* 95; *Dam. lib.* 4. *de fide c.* 14; *Eucher*; *Arnob*; *Theophylact. apud Estium*; *et Trid. vbi sup. c.* 1; *et omnes alij SS.PP*; qui *super hunc textum de Melchisedech* scripserunt. Tum quia Christus dicitur *sacerdos in æternum*; & sacerdotium illius manere; quod nequit intelligi de morte, quæ non manet; ergo debet intelligi de eucharistia, quam quotidie Christus consecrat ore sacerdotum, qui ex Christi persona loquuntur. 2. *Malach.* 1. Dominus loquens *Hebræis* de abrogatione sacrificiorum veterum facienda per Christum ait: *Munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim Solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omnibus sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda.* Sed hoc nequit intelligi *de Gentilibus* non conuersis ad fidem; ipsi enim offerunt sacrificia immunda, quia sacrilega; ergo debet intelligi de gentibus conuersis ad Christi fidem. Atqui

gentes conuersæ ad Christum non offerunt aliud sacrificium, quàm eucharistiæ, & hoc in omnibus Orbis partibus; ergo eucharistia est sacrificium propriè dictum. De eucharistia exponunt *hunc textum Irenæus lib. 4. contra hæreses cap. 32; Iustin. cont. Triphon; Cypr. cont. Iudæos c. 16; Euseb. Cæsarien. vbis. lib. 1. c. 6; et vlt; Hier. in Malach. 1; S. P. lib. 18. de Ciu. c. 35; et lib. 19. c. 25; et lib. 1. cont. Aduersar. c. 20; et 22; et in ps. 106; Chrisost. orat. 4. cont. Iudæos, Dam. vbis. etc.* 3. *Dan.* 12. habetur, quòd tempore *Antichristi à tempore ablatum fuerit iuge sacrificium*; sed hoc nequit intelligi de sacrificijs veteribus, quæ fuerunt sublata per Christum; nec de sacrificio crucis, quod semel peractum transijt; ergo necessariò debet intelligi de sacrificio eucharistiæ; non quòd illo tempore non sit offerendum, sed quia propter Antichristi tyrannidem publicè offerri non poterit.

9 Prob. 2. *testimonijs* nouæ legis. Luc. 22. legitur: *Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum*; quod asseruit Christus, non *de agno typico*, sed de eucharistia; immediatè enim subiungit: *Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in Regno Dei*; in Regno autem Dei non erit *agnus typicus*, sed Agnus verus, qui est Christus; quia illic non possunt esse vmbræ, & figuræ; vbi est lux, & figuratum; tum quia immediatè ad illa verba subdit consecrationem panis, & calicis; quibus declarat Pascha, quod manducare desiderauerat; sed Pascha significat sacrificium Paschale; nam *Exod.* 12. dicitur; *Immolate Phase*, quod quod idem sonat, ac Pascha; 1. *Cor.* 5. *Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus*; quod inquit de Christo per modum cibi sumendo, quomodò solùm est in eucharistia; subiungit enim: *Itaque epulemur &c*; *Phase* autem, seu Pascha, quod immolatur, est sacrificium propriè dictum; ergo eucharistia est sacrificium propriè dictum. 2. *Apost.* 1. *Cor.* 10. volens retrahere gentes à sacrificijs idolorum inquit: *Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ Dæmoniorum*; sed nomine *mensæ Dæmoniorum* significatur altare, super quod idolis sacrificia offeruntur; ergo nomine *mensæ Domini* significatur altare, super quod vero Deo offertur sacrificium, quod est eucharistia. 3. *Hebr. vlt. Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deseruiunt*. Sed cibus, quem nequeunt comedere *Hebræi*, est eucharistia, quæ non datur nisi fidelibus; & cibus, qui offertur Deo super altare, est sacrificium propriè dictum; ergo eucharistia est propriè sacrificium.

10 Prob. 3. ratione. In lege naturali, & scripta fuerunt sacrificia propriè dicta consistentia in aliqua re externa, & sensibili oblata, ipsi Deo in protestationem Diuinæ excellentiæ, & nostræ subiectionis, cùm enim homo constet ex anima, & corpore, nedum actibus externis, sed etiam rebus corporalibus externis debuit hanc protestationem facere; sed Christus non venit soluere legem naturalem, vel scriptam, sed vtramque adimplere tollendo, quæ imperfecta erant, & addendo perfecta; & aliunde sacrificium secundùm suam rationem formalem imperfectionem non infert; quia protestari subiectionem Diuinæ excellentiæ est actus virtutis perfectissimæ, quæ est latria, spectans ad Religionem; ergo Christus non abstulit sacrificia, sed perfecit subrogando se ipsum, qui est Agnus innocens oblatus in expiationem peccatorum; & abrogando vetera sacrificia, quæ, quia vmbræ, & figuræ, erant imperfecta; sicut imperfectæ sunt tenebræ respectu lucis; & hac adueniente illæ tolluntur. Aliter si eucharistia non esset verum sacrificium, nullum propriè sacrificium remansisset in lege Euangelica; cùm etiam *Lutherani, & Caluinistæ* concedant omnia vetera fuisse abrogata; & nullum aliud nouum sensibile sit *in Scriptura* assignabile.

11 Prob. 4. ex perpetua Ecclesiæ traditione *in Concilijs* perpetuò statuta, *& à SS. PP.* continuò attestata. *Nam Conc. I. Gen. Nicæn. can. 14.* prohibet; *ne hi, qui offerendi sacrificij non habent potestatem, his, qui offerunt, corpus Christi porrigant. Ephes. ep. ad Nestor.* expressè eucharistiam *sacrificium incruentum appellat*. Idem habet *VI. Syn. can. 32; Laodicen. 19; & 58; Toletan. I. can. 5. Altisiodor. can. 8; Braccar. III. can. 1; Lat. relatum in c. firmiter; Constan. in Bulla Martini V; Flor. in decr. vnion; Trid. sess. 22. c. 12; & can. 1; & 2*; & quælibet alia *Concilia*, in quibus de hac re tractari contigit. Deinde omnes liturgiæ antiquæ *Græcę, Hebraicæ, Siriacę, Chaldaicę, & Latinæ* idem habent. Accedunt *SS. PP. communissimè. S. Andreas Apostolus*, vt legitur in eius vita à præsbyteris, & diaconis *Achaiæ* conscripta, inquit: *Ego immaculatum agnum quotidie in altari offero. S. Clem. lib. 8. Constit. Apostolic. c. 17.* appellat eucharistiam *sacrificium*. Idem habent *S. Ignatius Martyr ep. ad Smirnenses; S. Dionysius Areopag. de Eccl. Hier. c. 3; S. Irenæus lib. 4. c. 32; Iustin. Martyr cont. Triphonem; Tertull. cont. Iudæos c. 1; S. Cypr. lib. 2. ep. 3; Greg. Niss. art. 1. de Resurrect; Cyrill. Hierosol. catech. 5; & omnes alij sup.* relati.

12 Tandem in Ecclesia catholica semper fuerunt templa, altaria, & sacerdotes; ergo semper fuit sacrificium propriè dictum; hæc enim sunt correlatiua; quia in templo offeruntur victimæ; preces enim etiam extra templum possunt recitari; item altare est, super quod sacrificium offertur, & sacerdos, qui offert. Atqui Ecclesia catholica nullum aliud sacrificium agnoscit, nisi incruentum, quod est eucharistia; ergo eucharistia est sacrificium incruentum propriè dictum; sicut propriè dictum est templum, altare, & sacerdos.

13 Quomodò autem eucharistia sacrificium *in-*

incruentum dicatur, docet *Apoſt.* 1. *Cor.* 10. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? Et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Chriſti eſt?* Idêſt ſanguis, qui conſecratione efficitur ſub ſpeciebus vini ſeparatus à ſanguine, non mactatione; & corpus, quod conſecratione ponitur ſub ſpeciebus panis ſeparatum à corpore, non crucifixione, eſt ſacrificium incruentum, quod tantùm conſecratione fit, non mactatione; Chriſtus enim, qui reſurrexit non ampliùs moriturus, nequit ampliùs mactari; poteſt tamen eius corpus ex vi verborum conſecrationis ſeparatim à ſanguine poni ſub ſpeciebus panis; & ſic de ſanguine; quamuis enim ratione concomitantiæ, & connexionis, quam habent corpus, & ſanguis, ſub quauis ſpecie reperiantur; attamen quia ex vi verborum conſecrationis nobis exhibentur, & repræſentantur corpus, & ſanguis Chriſti ſeparatim, & diuiſim; & cùm corpus, & ſanguis, vt ſeparata ad inuicem, in paſſione ſint immolata, & ſacrificata cruentè; ideo incruentè in euchariſtia ſunt ſacrificium.

14 Obijc. 1. *Melchiſedech* dicitur tantùm panem protuliſſe, non obtuliſſe, & illum dediſſe *Abrahæ*, & eius copijs, vt reficerentur. *Et Apoſt. Hebr.* 7. tantùm illum comparat cum Chriſto, quatenus erat Rex ſine patre, & ſine matre &c. nulla habita mentione ſacrificij: ergo falsò comparatur ſacrificium Chriſti cum ſacrificio *Melchiſedech*. 2. *Apoſt. ibid. ad c.* 10. reijcit omnia ſacrificia vetera, tanquam inualida, & vnicum crucis ſacrificium, tanquam efficax ad remiſſionem omnium peccatorum ſucceſſiſſe aſſerit; ergo contra *Apoſt.* aſſeritur euchariſtiam eſſe ſacrificium. 3. Sacrificijs veteribus ſenſibilibus ſucceſſiſſe ſacrificia ſpiritualia colligitur *ex pſal.* 49. *&* 50; *Iſaiæ* 1; *& vlt*; 1. *Pet.* 2; *& paſſim alibi.* 4. Euchariſtia eſt tantùm inſtituta ad commemorandam Chriſti paſſionem; vt 1. *Cor.* 11. *Hoc facite in meam commemorationem*; & idem videntur docere *S. P. Aug. ep.* 23; *& S. Chriſoſt. hom.* 17. *in ep. ad Hebr.* 5. Miſſa inſtituta fuit *à S. Iacobo*, vt docent *plures Auctores*; *ſic Chriſoſt. & Baſil.* inſtituerunt ſuas liturgias; & quidam *Scholarius apud Romanos* inſtituit *canonem Miſſæ*; ergo non fuit à Chriſto inſtituta.

Reſp. ad 1. comparationem Chriſti *cum Melchiſedech* non habere vim in verbo *protulit*, vel *obtulit*; ſed in eo, quòd priùs obtulit Deo panem in gratiarum actionem pro reportata victoria; ſubijcitur enim: *Erat enim ſacerdos &c.* ſacerdotis autem, vt ſacerdos eſt, munus eſt offerre Deo; ex quo ſatis apertè intelligitur panem illum fuiſſe oblatum Deo, ſicut fuit oblatus à Chriſto in cœna; & poſteà panis *à Melchiſedech* fuit prolatus in epulum; ſicut fuit à Chriſto diſtributus Apoſtolis; & in hoc ſtat comparatio; patet enim expresſè ſacerdotium Chriſti compatari cum ſacerdotio *Melchiſedech* illis verbis: *Tu es Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech*; idêſt ſecundùm ordinationem offerendi panem, & vinum, quam habebat *Melchiſedech*. Nec obſtat, quòd *in Hebræo* loco *enim* legatur *&*; nam coniunctio apud illos ſonat cauſalitatem; vnde *Iſaiæ* 64. legitur: *Iratus es, & nos peccauimus*; facit ſenſum: *Quia nos peccauimus*; peccatum enim ſolùm eſt cauſa, ſeu occaſio iræ Dei. Ad aliud dicitur *Apoſt. in ſequentibus* explicare ſolùm Chriſti dignitatem, non autem poteſtatem ſacerdotalem, quam *ſup.* ſufficienter explicuerat; nec erat neceſſe idem bis repetere. Ad 2. dicitur *Apoſt.* comparare ſacrificia vetera cum ſacrificio crucis, quod illis ſucceſſit quantùm ad remiſſionem peccatorum, quæ fit per ſolutionem pretij, non autem quæ fit per applicationem pretij iam ſoluti; hæc namquè applicatio fit per euchariſtiam, ſolutio autem ſemel facta fuit per Chriſti mortem in Cruce. Ad 3. dicitur ex eo ſequi, quòd nec ſacrificium crucis, cùm ſit ſenſibile, ſit ſacrificium. Neg. ergo, quòd ſacrificia ſpiritualia ſucceſſerint ſacrificijs veteribus; licèt Deo plurimùm placeant; vnde potiùs dicendum eſt conſecuta eſſe, quàm ſucceſſiſſe; quia per Chriſtum nobis collata fuerunt plura dona, & virtutes, quæ vel non concedebantur, vel non ita plenè in veteri lege. Ad 4. neg. ant; nam euchariſtia, vt colligitur ex verbis ſuæ inſtitutionis, eſt inſtituta etiam ad remittenda peccata per modum oblationis, & ideo eſt ſacrificium, quamuis rememoratiuum paſſionis. Ad 5. dicitur *D. Iacobum*, *Baſilium*, *Chriſoſt. & Scholarium* fuiſſe tantùm ordinatores precum, rituum, & ceremoniarum, quæ fiunt in miſſa, non autem inſtitutores partium eſſentialium ipſius miſſæ.

15 Inſt. Etiam *Aaron* obtulit panem, & vinum, vt habetur *Exod.* 29; *& Num.* 28; ergo comparatio Chriſti *cum Melchiſedech* nequit intelligi per ordinem ad oblationem panis, & vini; aliter non minùs comparandus eſſet *cum Aaron*, *quàm cum Melchiſedech*.

Reſp. diſt. ant. Obtulit panem, & vinum, tanquam victimam principalem ſolitariè ſumptam, neg; tanquam acceſſorium, conc. *Melchiſedech* autem obtulit ſolùm panem, & vinum; & in hoc Chriſtus ei comparatur.

16 Inſt. 2. Panis, & vinum *Melchiſedech* non fuit tranſubſtantiatum in corpus, & ſanguinem Chriſti; ergo non fuit figura euchariſtiæ. 2. Vini vſus in euchariſtia non poſſet laicis negari, quia vinum *Melchiſedech* laicis fuit miniſtratum. 3. A ſolis ieiunis non eſſet ſumenda euchariſtia; nec poſſet offerri pro mortuis; quia *Melchiſedech* neutrum ex his obſeruauit.

Reſp. neg. omnes has ſequelas; nam inter figuram, & figuratum non eſt neceſſe, quòd detur omnimoda ſimilitudo; aliter ſacrificium *Aaronis* non fuiſſet figura ſacrificij crucis; quia in illo non mactabantur homines, ſicut in

in isto mactatus est Christus, qui est Deus homo.

17 Obijc. 2. Si Christus in cœna obtulisset sacrificium sui corporis, & sanguinis, sacrificium crucis fuit superfluum; nam intantùm *teste Apost. Hebr. 7.* fuit necesse sacrificium Christi, in quantùm sacerdotium *Leuiticum* non erat perfectum; sacrificium autem eucharistiæ esset perfectum, quia esset infiniti valoris. 2. Sacrificium missæ derogat passioni Christi; ostendit enim illius insufficientiam remittendi peccata. 3. Eucharistia fuit instituta per modum testamenti, in quo tribuitur aliquid hæredibus, & nihil ab illis accipitur; ideo Christus in illius institutione dixit: *Accipite*; non autem: *Offerte Deo*; ergo non est sacrificium, quod est oblatio Deo facta.

Resp. ad 1. neg. seq; quamuis enim vna tantùm gutta sanguinis Christi fuerit infiniti valoris, & ideo sufficiens ad redemptionem; attamen fuit necesse totum sanguinem fundere, vt impleretur mysterium passionis, quæ sic fuit à Christo volita. Tum quia sacrificium crucis fuit ordinatum solùm in pretium, non verò in actualem applicationem pretij; eucharistia autem fuit ordinata, vt per ipsam applicaretur pretium, & valor sacrificij crucis, vt diximus; ideo hæc non est superflua. Ad prob. dicitur *cum S. P. Aug. in ps. 77.* sacrificia vetera fuisse imperfecta, quia fuerunt tantùm figuratiua, & promissiua Saluatoris, non autem datiua salutis; ideo præter illa fuit necessarium sacrificium crucis. Ad 2. eodem modo neg. assumpt; sicut enim vna actio Christi licèt infiniti valoris non derogat alteri actioni, sed illam complet in ratione mysterij; ita à pari. Ad 3. dicitur eucharistiam institutam fuisse per modum testamenti, & oblationis; sicut enim licèt *agnus typicus* haberet rationem oblati Deo, habebat tamen etiam rationem recepti, quia ab illis sumebatur; ita à pari; & quamuis Christus non dixerit explicitè: *offerte*; dixit tamen implicitè, cùm ait: *Hoc facite &c.*

18 Obijc. 3. Sacrificium importat destructionem victimæ; sed corpus, & sanguis Christi non destruitur, cùm à fidelibus sumitur; ergo non est propriè sacrificium. 2. Eucharistia dicitur sacrificium mysticum, quatenus est imago repræsentatiua sacrificij cruenti, vt docet *Mag. cum alijs antiquis*; ergo idem. 3. In lege euangelica nullus est propriè sacerdos; quia in tantùm in veteri lege erant plures sacerdotes; in quantùm *morte prohiberentur permanere*; vt inquit *Apost. Hebr. 7*; in lege autem noua Christus manet in æternum; ideo illius ministri non sunt propriè sacerdotes; ergo neque est propriè sacrificium ab illis oblatum. 4. In lege noua dari solùm sacrificia spiritualia colligitur *ex Io. 4*; vbi Christus dixit *Samaritanæ*: *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate. Spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum, in spiritu, & veritate oportet adorare*; *adorare* autem ibid. ponitur pro *sacrificare* iuxta illud *Gen. 22. Cùm adorauerimus, reuertemur ad vos*. 5. Holocaustum totum comburebatur; & in alijs sacrificijs aliqua pars comburebatur; sed in eucharistia nihil comburitur; ergo idem.

Resp. ad 1. dist. mi. Corpus Christi non destruitur in se ipso, conc; prout repræsentatur sub speciebus, vt sanguine priuatum, neg. Ad 2. dist. ant. Dicitur sacrificium mysticum per ordinem ad sacrificium cruentum, conc; non enim realiter mactatur Christus, sed solùm ex vi verborum repræsentatur, vt mactatus, quia corpus repræsentatur, vt separatum à sanguine. Per ordinem ad sacrificium incruentum, neg; nam corpus, & sanguis Christi realiter existens sub speciebus, & repræsentatum, vt separatum, verè, & realiter offertur Deo; & ideo est verè, realiter, & propriè sacrificium, licèt incruentum. Ad 3. dist. ant. Nullus est propriè sacerdos præter Christum habens potestatem ministerialis excellentiæ, conc; habens potestatem simplicem, neg. Comparat ergo *Apostolus* sacerdotium Christi cum sacerdotio veteris legis asserens potestatem sacerdotalis excellentiæ vnicam esse in Christo, quia Christus manet in æternum, & quotidie consecrat per ora sacerdotum, qui sunt eius ministri. Non sic autem dicendum est de sacerdote magno veteris legis, qui post mortem non consecrat per ora aliorum sacerdotum; ideo ille debuit successiuè multiplicari. Ad 4. neg. ant. Ad prob. dicitur eucharistiam sacrificari spiritu, & veritate, quia corde creditur, & verè creditur sub speciebus panis, & vini esse corpus, & sanguinem Christi, quod tantùm spiritu, non sensu percipi potest. Ad 5. dicitur, sicut ad 1; neg. enim conss; nam ad verum sacrificium sufficit, quòd victima quomodocumque desinat esse; & ideo quamuis non comburatur; attamen habet rationem proprij sacrificij. Posset etiam dici flammis charitatis comburi &c.

19 Collig. 1. ex dictis in noua lege non esse, nisi vnum sacrificium propriè dictum, quod dicitur missa, quod prob. ex rationibus requisitis ad essentiam sacrificij *sup.* allatis.

20 Collig. 2. sacrificia offerri in honorem, & memoriam Martyrum, & aliorum Sanctorum, vt docet *Trid. vbi sup. c. 3*; non quòd offerantur ipsismet sanctis; sed offeruntur Deo gratias agendo de illorum victorijs contra hostes animæ reportatis, vt illorum intercessionibus nobis quoque Deus concedat auxilia similia ad vincendos inuisibiles hostes; & hanc fuisse antiquissimam Ecclesiæ consuetudinem docet *S. P. Aug. lib. 8. de Ciu. Dei c. 27.*

ART. II.

ART. II.

In qua actione Missæ consistat essentia sacrificij?

1 Missæ vocabulum antiquissimum esse colligitur *ex decretis Summor. Pontificum; inter quos Damasus, & ex Ambr. ep. 33; Epiph; S.P. Aug. serm. 227. de temp; Syn. Carthag; Mileuit; Agathen; S. Greg. hom. 8; & 21; Vigilio ep. ad Eleuther. c. 5; & Felice IV. ep. 1. c. 1; & alijs.* Eius originem duxit *Caluin.* à mittendis muneribus, vt fieri solet inter amicos. Sed missio munerum non est sacrificium propriè loquendo; ideo hæreticum commentum est hæc interpretatio. *Alij* putant dictam esse à vocabulo Hebraico *Missah*, quod legitur *Deut.* 16; & vertitur *Latinè oblatio*. Sed nec hæc deriuatio vera est; quia illud vocabulum significat munus, seu annuum epulum, quod *Hebræi* exhibere debebant peregrinis, & viduis in memoriam liberationis *ab Ægypto*; illud autem epulum non erat sacrificium; quia Deo non erat oblatum. *Hug. de S. Vict. lib. 2. de sacram. p. 8. c. 14; et Mag.* putant Missam fuisse dictam, tanquam hostiam à sacerdote transmissam in Cœlum. Sed huius deriuationis *apud Veteres* nullum fundamentum est. Communiùs ergo tenetur Missam dictam esse *à missione*, seu *dimissione* populi; sicut enim remissa aliquando sumitur pro remissione; ita missa aliquando accipitur pro missione, seu dimissione. Bis autem mittebatur populus antiquitus. Primò post euangelium, & symbolum; tunc enim mittebantur catechumeni, quibus non licebat sacrificio interesse; & hæc dicebatur *Missa catechumenorum*. Secundò cùm peractum erat sacrificium; tunc enim diaconus dicit: *Ite, missa est*; idest sacrificium completum est; iam licet abire; & hæc dicebatur *missa*, seu *dimissio Christianorum*.

2 Nomine igitur *missæ* non significatur solum sacrificium, sed tota collectio actionum, precum, rituum, & ceremoniarum, quibus sacrificium celebratur. Actiones autem principales missæ sex communiter asseruntur. Prima est oblatio panis, & vini non consecrati, cùm dicitur: *Suscipe, sancte Pater omnipotens, æterne Deus, hanc immaculatam hostiam etc.* Secunda est consecratio, cùm dicitur: *Hoc est enim corpus meum: Hic est enim calix sanguinis mei etc.* Tertia est oblatio corporis, & sanguinis Christi post consecrationem, cùm dicitur: *Vnde et memores etc. offerimus præclaræ Maiestati tuæ etc.* Quarta est fractio hostiæ in tres partes. Quinta est sumptio eiusdem hostiæ à sacerdote. Sexta est distributio particularum fidelibus communicantibus. Quæritur, an hæc omnia, vel aliqua tantùm sint de ratione essentiali, vel tantùm de integritate sacrificij?

3 *Aliqui* volunt vtranque oblationem, scilicet panis, & vini non consecrati, & corporis, ac sanguinis Christi post consecrationem formaliter constituere essentiam sacrificij missæ. Hæc sententia *à Vasq.* tribuitur *Scoto*, qui tamen ab ea vindicatur *à Gauatio, et Mastr. Gabr.* putat solam secundam oblationem formaliter pertinere ad essentiam sacrificij. *Canus* verò vult per solam fractionem formaliter constitui. *Ledesma* autem vult in sola sumptione consistere.

Sed hæ sententiæ reijciuntur *communiter*. 1. Eadem est hostia, quæ immolatur in altari, & quæ immolata fuit in cruce; & non differt, nisi secundùm diuersum modum offerendi; vt docet *Trid. sess. 22. c. 1.* asserens: *Vna, eademque est hostia; idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diuersa*; quam diuersitatem offerendi explicat in principio c; scilicet quòd in Missa *incruentè* immolatur; & in cruce *cruentè*; sed in cruce non fuit oblatio alterius rei, quàm corporis, & sanguinis Christi; neque hæc oblatio fuit posterior separatione sanguinis à corpore; neque fuit fractio, & diuisio corporis in tres partes; neque fuit sumptio corporis, & sanguinis Christi; quamuis enim corpus fuerit reclusum in sepulcro; attamen nullus diceret talem reclusionem pertinere ad essentiam sacrificij crucis, quod fuit consummatum per mortem; ergo missæ sacrificium, quod essentialiter constituitur per eandem hostiam, per quam constitutum est sacrificium crucis, non consistit formaliter in oblatione panis, & vini non consecrati, quæ non fuerunt hostia sacrificij crucis; nec in oblatione, quæ fit post consecrationem; hæc enim supponit separationem sanguinis à corpore, quia per consecrationem hæc separatio significatur; nec in factione hostiæ in tres partes, nec in sumptione. 2. Sacerdos omittens primam oblationem non inualidat sacrificium; habetur enim *in Rubrica*; quòd si quis consecrasset aquam pro vino; nouum vinum debet accipere: quod non debet offerre, sed incipiens: *Simili modo postquam cænatum est etc.* Sic dicendum, si omitteret secundam oblationem, non inualidaret sacrificium; & si tota hostia in calicem decidat, & infundatur, non est diuidenda, sed sumenda simul cum sanguine; & si sacerdos moreretur, antequam sumeret hostiam, quæ proinde sumeretur à diacono; non diceretur diaconus sacrificasse; ergo idem. 3. Ratio sacrificij eucharistiæ consistit in oblatione cum immutatione corporis, & sanguinis Christi, qui est hostia, quæ immolatur; sed in oblatione panis, & vini non consecrati non offertur corpus, & sanguis Christi, nec per illam actionem immutatur; offertur enim panis, & vinum, quæ perseuerant vsque ad consecrationem; & in oblatione post consecrationem nulla fit immutatio, vt constat; panis enim, & vinum iam fuerunt immutata in corpus, & sanguinem Christi per verba consecrationis; per quæ etiam corpus, & sanguis

re-

repræsentantur, vt immolata, & per consequens, vt immutata; repræsentantur enim, vt diuisa; sic namq; in cruce fuerunt immolata; tum quia secunda oblatio fit nomine Ecclesiæ; verba enim proferuntur in plurali; oblatio autem, qua fit sacrificium, debet fieri à sacerdote ex persona Christi, qui est sacerdos, qui immolat, & victima, quæ immolatur; & sic fractio, & sumptio supponunt iam immolatam victimam, vt dictum est; sequuntur enim ad secundam oblationem, quæ immolationem supponit; & ideo multò magis eam supponunt fractio, & sumptio, quæ sunt actiones secunda oblatione posteriores; ergo in his non consistit ratio formalis sacrificij.

4 A fortiori idem dicendum est de distributione; nam missa priuata, in qua eucharistia non distribuitur fidelibus, est verum sacrificium licitè celebratum, vt definit *Trid. cont. Sectarios sess. 22. c. 6. & can. 8*; ergo distributio non est de essentia sacrificij. Tum quia distributio supponit sacrificium missæ iam confectum; nam vel fit in fine missæ, vel aliquando etiam multò tempore post missam; ergo idem.

5 *Bellarm; Azorsa, Amic; Lug; & ex Scotistis Hiquaus, Ponc; Gauat; & Mastr. hic disp. 4. q. 4. art. 4.* volunt sacrificium formaliter constitui per consecrationem simul, & sumptionem.

Sed contra est. 1. Illud, quod est posterius essentia alicuius rei, nequit per seipsum, neque simul cum alio constituere essentiam illius; vt patet de accidente; sed sumptio est posterior essentia sacrificij; sumptio enim correspondet sepulturæ, qua corpus Christi fuit sumptum, & clausum intra sepulcrum; sepultura autem fuit posterior sacrificio cruento; ergo sumptio nec per se, nec cum alio sacrificij constituit essentiam. 2. Illud solùm, quod potest confici à sacerdote, spectat ad essentiam sacrificij; quàuis enim diaconus, & alij possint elicere actiones spectantes ad ritus, & ceremonias, quæ sunt accidentia circumstãtia sacrificium; attamen nequeunt elicere actiones productiuas ipsius sacrificij, seu essentiæ, aut substantiæ sacrificij; aliter possent sacrificare, quod est contra fidem; sed sumptio potest fieri etiam à non sacerdotibus; quia deficiente sacerdote ante sumptionem, potest diaconus hostiam sumere; deficiente autem sacerdote ante consecrationem nequit diaconus consecrare; nam potestas consecrandi, & offerendi sacrificium est forma, qua confertur ordo sacerdotij; vt habet *Concl. Flor. in decr. vnion.* inquiens: *Forma sacerdotij talis est: Accipite potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro viuis, & mortuis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S*; ergo sumptio non est de essentia sacrificij; aliter diaconus, vel alius sacerdos sumens eucharistiam consecratam à sacerdote defuncto diceretur partialiter sacrificare; ille quidem sine potestate sacrificandi, quia sacerdos non est; iste verò sine oblatione, & immutatione victimæ, quæ sunt de essentia sacrificij; nam producens partem essentiæ dicitur absolutè rem illam producere; vt licèt Sol, & homo non producant animam rationalem, quia tamen influunt in productionem corporis, dicuntur tamen hominem generare; & sic diaconus, vel alius sacerdos, licèt non consecrent, sumendo hostiam ab alio consecratam, dicerentur absolutè sacrificare, quia ponerent in actu partem essentialem sacrificij, & ideo illud partialiter conficerent; quod sufficeret, vt dicerentur absolutè sacrificare, vt dictum est de Sole, & homine, qui absolutè dicuntur generare hominem; quod nemo tamen dicere auderet. 3. Sacrificium missæ, & sacrificium crucis non differunt secundùm essentiam, sed solùm in diuerso modo offerendi, vt docet *Trid. vbi sup*; sed corpus, & sanguis Christi in cruce post mortem non fuit sumptum realiter, seu comestum; ergo sumptio corporis, & sanguinis Christi in missa non est de essentia sacrificij, aliter vel sacrificium crucis, & missæ non esset idem secundùm essentiam, quod est *cont. Trid*; vel sacrificio crucis defuisset aliquod spectans essentialiter ad sacrificium, quod pariter est *cont. idem Conc*, & fidem. *Ex his.*

6 Vnica concl. Sola consecratio constituit essentiam sacrificij; aliæ verò actiones à consecratione discretæ sunt tantùm de integritate, non de substantia sacrificij ita tamen, vt aliquæ sint magis, aliæ minùs de necessitate integritatis; & ideo aliquæ possunt omitti; aliæ verò non. Collig. *ex Fund. Doct. Æg. de Summa Trin; & de celebr. miss; & de Renunc. Papæ c. 21.* Eam expressè docet *noster Gibb. disp. 35. dub. 2. §. 2*; vbi refert *D. Tho; Sua; et Vasq*; qui referunt *plures alios*; quibus accedit *Less. de iust; & iure lib. 2. c. 38; et de perfectionib. Diuin. lib. 10. c. 13; Sebastian. Perez de euchar. c. 17. Alan; Coninch; Merat; Bernal; Caspen; Gonet; et alij quamplures.*

Prob. 1. *ex Trid. vbi sup.* Essentia sacrificij crucis consistit in oblatione facta à Christo summo, æternoque sacerdote sui corporis, & sanguinis in cruce æterno Patri pro expiatione peccatorum totius generis humani, & per separationem sanguinis à corpore tota essentia sacrificij crucis habita fuit, sed sacrificium missæ idem est secundùm essentiam, ac sacrificium crucis, vt docet *Trid*; ergo tota essentia sacrificij missæ consistit in oblatione facta à sacerdote super altare æterno Patri corporis, & sanguinis Christi in remissionem peccatorum totius generis humani. Atqui hæc oblatio fit in consecratione; dicitur enim immediatè præcedenter ad consecrationem: *Eleuatis oculis in Cælum ad Te Deum Patrem suum omnipotentem*; ad quem eleuatur hostia immediatè consecranda; ergo tota essentia sacrificij missæ consistit in consecratione. Tum quia sacrificium crucis fuit immediatè peractum secundùm substantiam per solam oblationem factam à Christo, & per realem separationem sangui-

guinis à corpore; sed per verba consecrationis (inquit *Fund. Doct. de Renunc. Papæ vbisup; et de celebr. miss.*) offertur corpus Christi æterno Patri, cùm illud tenet sacerdos in manibus; & offertur corpus ex vi verborum separatum à sanguine; verba enim consecrationis corporis important, & significant solum corpus; quia significant illud solum, in quod transmutatur panis, qui transmutatur in corpus, non in sanguinem; & idem de sanguine; ergo consecratio continet totam essentiam, seu substantiam sacrificij missæ. Tum quia oblatio externa ad sacrificium requisita consistit in acceptione victimæ super altare cum intentione illam offerendi Deo in recognitionem supremi dominij, etiamsi verbis expressis non dicat: *Offero*; sacrificia enim vetera sic offerebantur Deo, aliter si non fuissent oblata, non fuissent sacrificia, & tamen verbis expressis non significabatur oblatio; vt constat *ex Scriptura*; & actio separatiua sanguinis à corpore est verè immutatiua, & immolatiua ipsius victimæ; vt patet tum ex veteribus sacrificijs, tum ex sacrificio crucis; sed in sola consecratione habetur acceptio corporis Christi in manibus sacerdotis super altare cum intentione illud offerendi Deo; & ex vi verborũ habetur separatio sanguinis à corpore, quod consecratur separatim à sanguine, vt dictum est; ergo in consecratione sola habetur vera oblatio, & vera immolatio ad essentiam sacrificij requisita; & ideo habetur tota essentia sacrificij.

7 Altera pars concl. prob. Quoticscunque aliquod cõstat ex pluribus partibus, sine quibus potest haberi illius essentia, & quarum aliquæ necessariò præcipiuntur, aliæ non præcipiũtur; tunc illæ partes sunt tantùm de integritate, non de substantia illius; & aliquæ illarum sunt magis necessariæ, quàm aliæ; vt partes corporis humani, sine quibus potest esse essentia hominis, sunt tantùm de integritate, non de essentia; & caput est magis necessarium, quàm manus, pes &c; sed sine alijs actionibus præter consecrationem potest haberi essentia sacrificij, vt dictum est; sola autem sumptio præcipitur, aliæ verò non præcipiuntur; vt constat *ex Rubrica*; ergo illæ actiones sunt tantùm de integritate ita, vt aliæ sint magis necessariæ, quàm aliæ.

8 Obijc. 1 Panis, & vinum in prima oblatione verè offeruntur Deo, & vocantur hostia, & sacrificium, vt constat ex verbis: *Suscipe S. Pater &c*; sed non sunt sacrificium diuersum à sacrificio corporis, & sanguinis Christi; aliter missa esset multiplex sacrificium; ergo spectant ad essentiam sacrificij. 2. Sacrificium est essentialiter oblatio; ergo consistit vel in prima, vel in secunda oblatione; non autem in sola consecratione, quæ non est oblatio.

Resp. ad. 1. dist. ma. Offeruntur Deo cum immutatione ipsius materiæ, quæ fit corpus, & sanguis Christi, neg; offeruntur Deo, tanquã fruges terræ, ex quibus per consecrationem debet fieri corpus, & sanguis Christi, & offerri, & immolari, conc; ideo illa oblatio non est sacrificium, sed præparatoria ad sacrificium. Vocantur autem hostia, & sacrificium inchoatiuè, & præparatiuè, quia ex illis debet fieri sacrificium, vt patet ex eadem oratione: *Vt fiat sacrificium in conspectu tuo*. Ad 2. dicitur, quòd oblatio, & sacrificium non dicuntur ad conuertentiam; quia licèt omne sacrificium sit oblatio, non tamen omnis oblatio est sacrificium, *vt sup.* dictum est. Dist. ergo ant. Sacrificium est oblatio corporis, & sanguinis Christi immutatiua illius, conc; aliter, neg. Triplex itaque oblatio in sacrificio Missæ existit. Prima frugum terræ, quæ conuerti debent in corpus, & sanguinem Christi; & hæc fit ante consecrationem. Secunda, quæ fit in consecratione. Tertia, quæ fit post consecrationem. Essentia sacrificij consistit solùm in secunda; prima autem est præparatoria; & tertia est tantùm deprecatoria, Ecclesia enim deprecatur in illa, vt diximus; constat autem, quòd etsi populus simul cum sacerdote offerat, vt patet ex illis verbis: *Vel qui Tibi offerunt hoc sacrificium*; attamen non dicitur populus sacrificare; aliter potestas sacrificandi non esset in solo sacerdote; sed etiam in populo; & sic omnis homo esset sacerdos, vt impiè dixit *Luther.*

9 Obijc. 1. Missa *Parasceues* vocatur sacrificium; & tamen in illo non fit consecratio; ergo essentia sacrificij non consistit in consecratione. 2. In consecratione nulla fit immutatio, seu destructio corporis Christi, sed potiùs reproductio; tum quia Christus post resurrectionem non moritur; vt habetur *Rom. 6*; ideo nulla immutatio, seu destructio circa illius corpus potest accidere; tum quia eadem actio nequit esse simul productiua, & destructiua; ergo idem. 3. Ita se habet consecratio ad sacrificium missæ, sicut incarnatio ad sacrificium crucis; sicut enim in incarnatione Verbum vnitum fuit homini, vt immolaretur in cruce; ita per consecrationem vnitur species panis, & vini, vt immoletur; sed sacrificium crucis non consistit in incarnatione; ergo nec sacrificium missæ in consecratione. 4. Verum, & reale sacrificium exigit veram, & realem destructionem victimæ; sed consecratio non causat veram, & realem destructionem Christi, sed tantùm illam mysticè exhibet; quatenus exhibet corpus Christi separatum à sanguine; ergo consecratio non est verum, & reale, sed tantùm mysticum sacrificium.

Resp. ad 1. dist. ant. Vocatur sacrificium cõpletiuè integraliter, conc; formaliter, neg; quanuis enim sacrificium diei *Iouis* fuerit completum quoad aliquam partem victimæ immolatæ, non tamen completum fuit quoad omnem sui partem; quæ completur die *Parasceues* per sumptionem sacerdotalem, non laicam, quæ fit ab ipso

ipso sacerdote; vnde sicuti oblatio panis ante consecrationem dicitur sacrificium præparatiuè; ita sumptio sacerdotalis dicitur sacrificium completiuè; sumptio autem, quæ fit à laicis, non dicitur sacrificium completiuè; quia sumptio, quæ fit à sacerdote, fit per nouam superpositionem in altari, & per repetitam oblationem; quod non fit per distributionem factam laicis; ideo illa habet aliquam rationem sacrificij, quam ista non habet. Ad 2.neg.ant; nam licèt per consecrationem reproducatur Christus sub speciebus; attamen per illam incruentè mactatur, quia per illam ponitur corpus sub speciebus panis separatum à sanguine; in hac autem separatione consistit mactatio Christi, quę facta fuit in cruce. Quamuis autem Christus non moriatur cruentè, vt vult *Apost*; moritur tamen incruentè; quatenus eius mors exhibetur in altari. Ad aliud dicitur, quòd quamuis eadem actio nequeat simul esse productiua, & destructiua secundùm eandem rationem; potest tamen esse secundùm diuersas rationes; quia eadem actio potest esse reproductiua corporis, vt separati à sanguine; talis autem separatio est destructio. Ad 3.neg; ma; quia licèt incarnatio præcesserit Christi mortem, non tamen per illam Christus positus fuit in cruce; sicut per consecrationem ponitur in altari, & offertur Deo, tanquam hostia pro peccatis. Ad 4.dist.mi. Consecratio non causat veram, & realem destructionem Christi quantùm est ex se, neg; ratione naturalis concomitantiæ, conc. Vel dist. ma. *cum Gibb.* Sacrificium reale exigit realẽ destructionem victimæ existentis in propria specie, conc; existentis sub specie aliena, neg; sacrificiũ enim enim exigit realem victimam, & repræsentationem illius destructionis realis. Vel dist. Sacrificium reale cruentum, conc; incruentum, neg.

10 Obijc. 3. *Mestr.* Sumptio est necessaria ad perficiendum, consummandumq; sacrificium, vt habetur *in Rubrica, & c. nihil, & c. illud. 7. q. 1; & Conc. Toletan. XII. c. 5.* ait: *Quale erit sacrificiũ, cuius nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur?* ergo est de ratione intrinseca sacrificij. Ratio est. Nulla immutatio victimę potest assignari pręter sumptionem; sed immutatio victimæ est essentialis sacrificio; ergo & sumptio. Addimus *D.P. Aug. lib. 17. de Ciu. Dei c. 5.* docentem: *Manducare panem, quod est in nouo testamento sacrificium Christianorum.*

Resp. dist. ant. Ad perficiendum, & consummandum integraliter, conc; essentialiter, neg; nec aliud voluit *canones* adducti. Ad *Conc.* dicitur loqui de applicatione sacrificij, quæ non fit nisi per sumptionem; non autem de illius essentia. Ad rationem neg. ma; vt constat ex dictis. Ad *D.P. Aug.* dicitur bene asserere, quòd Christiani manducantes panem consecratum sumunt sacrificium confectum à sacerdote, non tamen illud conficiunt; ideo ipsa manducatio non est essentia sacrificij, sed applicatio, qua illud nobis confertur.

11 Obijc. 4. cont. 2. part. concl. Non est certum, quòd Christus in cœna sumpserit corpus suum; nec quòd alias actiones præstiterit; ergo illæ non sunt de integritate; aliter Christus integrum sacrificium non confecisset. 2. Sacrificium missæ assimilatur sacrificio *Melchisedech*; sed iste non sumpsit panem, & vinum; ergo idem. 3. Si sacerdos omittat aliquam ex illis actionibus, Ecclesia non præcipit, vt fiant; ergo non sunt de integritate; aliter mutilum esset sacrificium, quia esset sine suis partibus. 4. Cùm sacerdos distribuit particulas consecratas fidelibus, non conficeret integrum sacrificium; quia illæ particulæ non sumuntur sumptione sacerdotali, sed laica; ergo idem.

Resp. ad 1; quòd licèt non sit de fide, est tamen verius Christum sumpsisse se ipsum in cęna; vt docet *D. Tho; & maior pars DD.* Quamuis autem admittatur ant; neg. cons; nam Christus non eguit offerre pro se ipso, & pro populo, sicut egent sacerdotes, vt docet *Apost. Hebr. 7*; ideo non eguit sumptione, vt illi applicaretur valor sacrificij; atque adeò quantùm est ex parte sui, integrum confecit sacrificium, quamuis admittatur illud non sumpsisse; quod tamen nequit dici de sacerdotibus. Quantùm ad alias actiones dicitur oblationem panis, & vini colligi posse ex acceptione in manus, & eleuatione oculorum; item fractio habetur ex illis verbis: *Accepit, & fregit*; quamuis non habeatur eodem modo, scilicet in tres partes, quarum vnam posuerit in calicem. Istæ autem partes sunt ordinatæ ab Ecclesia; ideo aliquæ sunt de integritate accidentali, vt illæ, quæ omittuntur; aliquæ verò de integritate substantiali, quatenus sacrificium applicari debet sacrificanti, vt sumptio; & ideo aliquæ sunt magis necessariæ, quàm aliæ; & per hoc patet ad 3. Ad 2. neg. cons; nam inter figuram, & figuratum nequit esse omnimoda conuenientia; sed sufficit, quòd in aliquo conueniant; quæ conuenientia inter sacrificium *Melchisedech*, & eucharistiam consistit in hoc, vt vtrumque sit incruentum. Ad 4. neg. ant; sufficit enim ad integritatem sacrificij aliquam partem sumi à sacerdote, & aliam à populo; sicut fiebat in veteri lege.

ART. III.

An de essentia sacrificij sit consecratio vtriusque speciei?

1 EX dictis *in sup. art.* soluitur præsens difficultas; in qua *aliqui apud Vasquem* asserunt non esse de essentia sacrificij, neque de præcepto Diuino consecrationem vtriusque speciei; atque adeò posse summum Pontificem in altera dispensare; imò de facto *Innoc. VIII.* dis-

dispensasse *cum Noruegis*, vt sub solis panis speciebus missa celebretur, quia vinum in illa regione non nascitur, nec commodè asportari potest, & conseruari; vt referunt *Raphael Volaterran. lib.7. Geographiæ c.4; noster Pannin. anno 149; & Claudius Sainctes repetit 10. de euchar. c.3; Ceteri* tamen *omnes* tenent oppositum.

2 Vnica concl. Consecratio sub vtraque specie est de essentia sacrificij, adeoque est de præcepto Diuino, in quod nequit cadere dispensatio ita, vt si consecraretur solus panis, vel solum vinum, non esset sacrificium.

Prob. ijsdem rationibus allatis *in sup. art. 1.* Sacrificium crucis, & sacrificium missæ est idem secundùm substantiam *ex Trid*; sed sacrificium crucis essentialiter consistit in separatione sanguinis à corpore, quia per sanguinis effusionem fuit completum; ergo sacrificium missæ essentialiter consistit in separata consecratione panis, & vini, in qua repræsentatur separatio sanguinis à corpore in cruce peracta. 2. De ratione sacrificij est, quòd fiat immolatio, mactatio incruenta ipsius Christi, qui est hostia, quæ in missa sacrificatur; sed hæc immolatio, & mactatio nequit fieri, nisi per consecrationem vtriusque speciei; nam quanuis si consecraretur solus panis, poneretur ex vi verborum solum corpus; attamen quia positiuè non poneretur sanguis sub specie vini; ideo non esset perfecta immolatio; quæ facta fuit in cruce, in qua nedum fuit positiuè corpus sine sanguine, sed etiā positiuè fuit sanguis sine corpore; in casu autem solùm corpus esset positiuè, sanguis verò tantùm negatiuè se haberet; non enim esset in corpore ex vi verborum; nec esset positiuè sub alia specie; ergo de ratione sacrificij est consecratio positiua, & expressa vtriusque speciei. 3. *Trid. sess. 22. c. 1.* docet, quòd Christus *corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulit; ac sub earūdem rerum symbolis Apostolis, quos tunc noui testamenti sacerdotes constituebat, vt sumerent, tradidit; & eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus, vt offerrent, præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem.* Igitur quæ sunt à Christo instituta, & præcepta, ita sunt de essentia, vt sint de præcepto diuino, & dispensari non possint; illa enim sunt de præcepto humano, quæ à puro homine præcepta sunt; & ab homine possunt dispensari; sed consecratio vtriusque speciei est à Christo instituta, & præcepta vt colligit *Trid. ex scriptura*; ergo est de essentia sacrificij, de præcepto Diuino, & dispensari non potest.

3 Obijc. 1. Consecratio vnius speciei significaret saltem partialiter sacrificium crucis; ergo esset saltem partialiter sacrificium. 2. Ratio sacramenti saluatur tantùm sub vna specie; ergo & sacrificij. 3. Christus *Luc. 24.* consecrauit solum panem, quem dedit duobus discipulis euntibus *in Emaus*; non enim ibi fit mentio vini; ergo idem. 4. *Innoc VIII.* dispensauit, vt offerretur solus panis, vt testantur allati *Scriptores*; ergo idem.

Resp. ad 1. neg. cons; nō enim omne significatiuū sacrificij est sacrificiū; sicut non omne significatiuū corporis Christi est corpus Christi; nam species panis significant, non tamen sunt corpus Christi. Ad 2. neg. cons; nā ad rationē sacramenti sufficit, quòd sit signum rei sacræ, quod saluatur sub alterutra specie; at ad rationem sacrificij requiritur, quòd corpus, & sanguis separatè immolentur, vt dictum est. Ad 3. *aliqui* dicunt Christum consecrasse vtranq; speciem, licèt *ibid.* non fiat mentio. *Alij* verò dicunt potuisse, vt Legislator, dispensare. Ad 4. respondent omnes, inter quos *Gibb*; nullam fidem adhibendam esse illi historiæ; quæ fundatur in falsitate: nam vinum *in Noruegia* optimè conseruatur ad bibendum; & ideo multò magis ad sacrificandū.

4 Quæres; an sacerdos intendens consecrare solum panem, & non sacrificare conficeret sacramentum, & ille panis esset verè consecratus?

Resp. *Gibb.* negatiuè; quia eucharistia ita est sacramentum, & sacrificium, vt non possit esse vnum sine alio; nam potestas conficiendi eucharistiam est potestas sacrificandi; vnde qui intenderet efficere sacramentum, & non sacrificium, haberet duas voluntates contrarias, & ideo nihil efficeret. Quanuis enim panis ante consecrationem calicis sit verum sacramentum; vt diximus *q. 2. art. 3.* hoc tamen est, quia habuit sacerdos intentionem sacrificandi. Sed hęc non concludunt; quanus enim eucharistia sit simul sacramentum, & sacrificium; attamen alia est ratio sacramenti, quæ consistit in esse signum rei sacræ; & alia est ratio sacrificij, quæ consistit in oblatione, vt diximus. Duæ ergo intentiones disparatæ sunt, non contrariæ circa confectionem sacramenti, & oblationem ipsius; & ideo vna potest esse sine altera; atque adeò habens intentionem tantummodò consecrandi verùm efficeret sacramentum, non sacrificium.

ART. IV.

Cuius sit offerre sacrificium, & qui effectus offerenti respondeat?

1 Quanuis conficere sacrificium sit munus solius sacerdotis, qui ex persona Christi profert verba consecrationis; attamen quia offerre in plus se habet, quàm sacrificare, vt diximus; ideo quærimus, cui competat sacrificium offerre.

2 Vnica concl. Quatuor personarum species sunt offerentes sacrificium; scilicet Christus Dominus, vt summus Sacerdos; celebrans, tanquam Christi minister; Ecclesia communiter orans; & illi, qui ministrant, assistunt, & eleemosinam pro sacrificio erogant; & his omnibus pecu-

peculiaris respondet effectus, seu fructus sacrificij. *Ita communiter DD.*

Prima pars expressè traditur *in c. firmiter de summa Trin; & à Fund. Doct. ibid; & alibi; & à Flor. in decr. vnion, & Trid. sess. 22. c. 1; & 2;* vbi ait: *Idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum in cruce tunc obtulit; & S.P. Aug. lib. 17. de Ciu. Dei c. 20. Christus sacerdos est, ipse offerens, & ipse oblatio.* Quanuis autem *Vasq. & Lug.* putauerint Christum offerre tantùm moraliter, quatenus scilicet mediantibus sacerdotibus, quos instituit, offert; attamen *ceteri DD.* hunc modum dicendi rejciunt; vt parum consonum modo loquendi *Conciliorum, & SS. PP;* nam vt inquit *Fund. Doct. Æg. de renunc. Papæ c. 21; Apost. Hebr. 7.* in hoc distinguit sacerdotium *Leuiticum* à sacerdotio Christi, quòd in illo *plures facti sunt sacerdotes, idcirco quòd morte prohiberentur permanere; hic autem eo, quòd maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium;* Ex quo sic arguitur. 1. Sacerdos, qui post mortem non manet, dicitur tantùm moraliter offerre; nam virtualiter offerre *per Aduersarios* est dare potestatem alteri sacerdoti sibi succedenti; patet autem, quòd *Aaron* dedit potestatem offerendi suo successori, quando illum vnxit in sacerdotem; & ideo etiam post mortem dicitur virtualiter offerre; sed Christus *ex Apost.* dicitur etiam post mortem manere, & in hoc ipsius sacerdotium distinguit à sacerdotio *Aaronico*; ergo Christus non tantùm moraliter per suos ministros, quibus dedit potestatem offerendi, dicitur offerre; sed physicè immediatè loquendo per os suorum ministrorum inuisibiliter dicitur offerre; aliter nullum esset discrimen *ab Apost.* allatum. 2. Si Christus physicè non offerret, sacerdotes euangelici non possent dici vnus sacerdos, sed plures dicerentur, sicut sacerdotes *Aaronici*; sed dicuntur vnus sacerdos, quia plures *ex Apost.* dicuntur solùm in lege scripta; ergo Christus physicè offert. 3. In tantum Christus physicè, & immediatè baptizat per suos ministros, vt docet *S.P. Aug. tract. 5, & 6. in Io;* in quantùm non communicauit illis potestatem ministerialis excellentiæ, per quam solùm potuissent ministri Christi physicè baptizare Christo physicè non baptizante; certum est enim Christum immediatè, & physicè baptizare inuisibiliter, quando minister applicat materiam, & formam baptismi; habetur enim, vt inquit *S.P. Aug;* ex illis verbis *Io. 1. Hic est, qui baptizat;* sed nec potestatem ministerialis excellentiæ consecrandi communicauit Discipulis; cùm hæc sit excellentior, quàm potestas baptizandi, & propter alias rationes allatas *de sacram. in com. q. 1. ar. 5. §. 1;* ergo Christus non tantùm moraliter, sed physicè per suos ministros inuisibiliter offert. 4. Causa purè ministerialis nequit physicè agere, nisi agat physicè causa, cuius est ministra; agit enim per actionem, & motum illius, quam defert in effectum; vnde si illa nullam habeat actionem physicam, ista nullam actionem physicam potest deferre; aliter deferret, quod non est; vel illud causaret per se ipsam, & sic non esset ministra; sicut enim Legatus Regis non potest moraliter agere nomine Regis, nisi moraliter censeatur Rex agere, quod agit eius legatus; ita causa ministerialis physica nequit physicè agere, nisi physicè agat causa, cuius est ministra; sed omnes sacerdotes sunt ministri physicè ipsius Christi; physicè enim, quia realiter, producunt corpus, & sanguinem Christi; ergo nequeunt agere, nisi Christus physicè agat. 5. Christus concurrit physicè ad omnes actiones miraculosas, quæ à sanctis patrantur; ergo multò magis ad consecrationem, quæ est omnibus mirabilior miraculis.

3 Fructus autem sacrificij, qui respondet Christo offerenti, applicatur ijs, quibus sacerdos applicat sacrificium, quia inquit *Gibb. cont. Sua;* solus sacerdos loquitur ex Christi persona; ergo ijs (quanuis non solis) pro quibus sacerdos applicat sacrificium, applicatur fructus sacrificij correspondens Christo loquenti; ministrantes autem, & assistentes missæ non loquuntur ex persona Christi; ideo illis non applicatur fructus respondens locutioni Christi; vt puta uic *Suarum aris.* Diximus non solis; quia Christus instituens hoc sacrificium dixit de sanguine: *Qui pro vobis, & pro multis;* & ratio est, quia Christus est summus sacerdos, qui nequit limitari à ministro, sed potest pro sua dispositione dispensare ijs, quibus vult.

4 Secunda pars traditur *in Conc. Nic. I. can. 14; Lat; Flor; & Trid. sess. 22. c. 1; & 23. c. 1; & 4.* Nam sacerdos ritè ordinatus dicitur verè sacrificare; sed sacrificare est formaliter offerre; ergo sacerdos ritè ordinatus verè dicitur offerre.

5 Fructus sacrificij correspondens sacerdoti alter est ex opere operantis; & hoc est recipere augmentum gratiæ, si sit in gratia; nam sacrificare est actus religionis; per actus autem virtutis augetur gratia. Alter est ex opere operato; & duplex est; alius, qui respondet sacerdoti, vt est talis persona; & hic est satisfactorius pro pœna debita ipsi sacerdoti pro suis delictis; alter est, qui ei correspondet, vt loquitur ex persona Christi; & hunc fructum tenetur sacerdos applicare illi, pro quo missam celebrat, solùm sibi retinendo priorem.

6 Tertia pars colligitur *ex canone missæ*, in quo non semel sacerdos in plurali loquens ait: *Offerimus;* quod nequit esse, nisi ex persona Ecclesiæ, quæ pluralitatem personarum significat, omnes enim fideles intendunt sacrificium offerri Deo à sacerdotibus.

7 Fructus respondens Ecclesiæ reponitur in illius thesauro, & applicatur, quibus expedire censuerit.

8 Quarta pars etiam colligitur *ex canone;* dics-

dicitur enim de adstantibus sacrificio: *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium*. Nam adstantes, siue ministrent, siue non ministrent, corde comitantur actiones sacerdotis, ideo etiā cum illo offerunt, vt impetrent à Deo remissionem peccatorum. Et quanuis solus sacerdos dicatur consecrare, quia ipse solus loquitur ex persona Christi; cùm ipsi soli data fuerit hæc potestas; attamen aliæ actiones, quæ fiunt à sacerdote ex persona propria, dicuntur fieri etiam à circumstantibus, qui ex propria persona illas actiones easdem corde sequuntur.

9 Fructus respondens assistentibus ex opere operato est impetrare remissionem pœnæ, si sint in gratia, & auxilia ad resurgendum à peccatis; ex opere verò operantis est gratiam mereri maiorem, vel minorem iuxta cuiusuis dispositionem. Quanuis autem sacerdos sacrilegè offerat, assistentes tamen sacrificio, sicut & Ecclesia, suos fructus percipiunt tum ex opere operato, tum ex opere operantis, vt dictum est; ipsi enim non sunt participes iniquitatis sacerdotis; sed participant fructum sacrificij, quod secundùm se sanctum est, licèt sacrilegè confectum; & ex sua deuotione recipiunt, quod ab aliena malitia non pendet. Ipse tamen sacerdos nedum priuatur omni fructu, sed oneratur demerito, & pœna.

10 Quæres; an sacerdos debeat offerre sacrificium pro eo, à quo eleemosinam accepit in primo, vel in secundo memento?

Resp. illis in locis tantùm orari, non offerri; in neutro igitur debet habere intentionem offerendi, sed tantùm rogandi. Intentionem autem tenetur habere; antequam missam celebret, & sufficit habitualis; offerre autem actu, cùm recitat verba oblatiua, quæ habentur *in canone*.

ART. V.

An sacrificium missæ sit propitiatorium, & impetratorium?

1 Quanuis sacrificium missę antonomasticè *eucharisticum* nuncupetur, quia primò institutum fuit ad referendam gratiarum actionem pro redemptionis gratia à Deo hominibus concessa, vt patet ex verbis Christi Domini, cùm illud instituit: *Tibi gratias agens fregit &c.* attamen dictum est etiam *latreuticum*, quia in eo supremus latriæ cultus Deo exhibetur, vt diximus *art. 1. n. 4*; & *propitiatorium*, quia Deum ob peccata iratum nobis placat, & reddit propitium; & tandem *impetratorium* vocatur, quia ad impetranda nobis beneficia offertur vtiliter.

2 *Lutherani, & Caluinistæ* sicut admittunt eucharistiam esse impropriè, & lato modo sacrificium; ita illam esse sacrificium latreuticum, & eucharisticum lato modo asserere non hæsitant; negant tamen esse propitiatorium, & impetratorium præsertim alijs illam non sumentibus. *Ita Luther. de Capt. Bab. c. 1; Caluin. lib. 4. instit. c. 18. à §. 13. ad 16; Kemnit. in 2. p. examinis sess. 22. c. de missa; & alij*.

3 *Omnes* tamen *catholici* nullo prorsus excepto fatentur nedum esse eucharisticū, & latreuticum, sed etiam propitiatorium, & impetratorium pro ipsis sumentibus, & pro alijs illud etiam non sumentibus.

4 Vnica concl. Sacrificium missæ nedum est eucharisticum, & latreuticum, sed etiam propitiatorium, & impetratorium etiam non sumentibus eucharistiam.

Prima pars concl. euidens est; nam in sacrificio missæ conficitur eucharistia; ergo ab illa rectè denominatur eucharisticum; & Christus Dominus illud instituens gratias egit, vt dicitur in missa ante consecrationem; ideo est eucharisticum. Prætereà quodlibet sacrificium offertur Deo, cui debetur latria; ergo est latreuticum.

5 Secunda pars, quam inficiantur hæretici, definita fuit *à Trid. sess. 22. c. 2; et can. 3*; & traditur expressè *Hebr. 5. Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in ijs, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, et sacrificia pro peccatis*; ex quo infertur esse propitiatorium; *et Act. 13.* legitur Ecclesiam, quæ erat *Antiochiæ*, ministrasse, idèst sacrificasse, vt Deus mitteret ministros idoneos in opus Euangelij; ex quo prob. esse quoque impetratorium; & *1. ad Thim. 2.* iubentur orationes, & gratiarum actiones, & postulationes fieri pro quiete, & tranquillitate vitæ; quod de missæ sacrificio exponunt *S. P. Aug. ep. 59. q. 5; S. Ambr. lib. 6. de sacram. c. vlt; Chrisost; Theophyl; Oecumen; et alij. 2. Ex S. P. Aug. lib. 17. de Ciu. Dei c. 20.* sic arguitur. Sacrificia vetera alia erant propitiatoria, alia impetratoria; quia alia offerebantur pro expiatione peccatorū; alia pro impetrandis à Deo beneficijs, vt diximus *art. 1*; sed sacrificium missæ successit omnibus, & singulis sacrificijs veteribus; vt *ex ps. 39. Sacrificium, et oblationem noluisti, corpus autem perfecisti mihi*; colligit *idem S. P.* asserens omnia sacrificia, & oblationes antiquas fuisse à Deo abrogatas, & loco ipsorum substitutum fuisse corpus Christi, quod offertur in sacrificio; & ratio est; quia corpus Christi est longè præstantius omnibus, & singulis hostijs oblatis antiquitus etiam simul, & collectiuè sumptis; ideo ipsum solum substituēdum fuit illis; aliter non omnes illorum effectus præstaret, quod imperfectionem innueret; ergo sacrificium missæ est simul propitiatorium, & impetratorium. *Vid. S. P. Aug. etiam lib. 1. cont. Aduersarium legis c. 18; et 19. 3.* Idem habetur *ex omnibus liturgijs, et SS. PP. communiter* asserentibus sacrificium offerri pro peccatis nostris, & omnium adstantium; sed non omnes nos, neque totus populus adstans sumit eucharistiam; ergo sacrificium est propitiatorium, & impetratorium

rium etiam pro non sumentibus. 4. Ex eo, quòd creatura Deo humiliatur,& subijcitur,tanquam supremo Domino, Deus propitiatur, & beneficia illi concedit;sicut ex eo,quòd creatura cōtra Deum extollitur, Deus irascitur, & malis illam affligit, & punit, habetur enim *ps.*88.*Humiliasti, sicut vulneratum superbum*; *et ps.* 101. *Respexit in orationem humilium;et Iac.*4. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*; nam *oppositorum opposita sunt rationes*; sed in sacrificio creatura humiliatur Deo, tanquam supremo Domino; hoc namque importat essentialiter ratio sacrificij; ergo sacrificium missæ essentialiter est propitiatorium, & impetratorium. 4. Idem est sacrificium missæ, & sacrificium crucis secundùm substantiam, est enim eadem hostia, & idem sacerdos principaliter offerens, vt diximus *in sup.art*; sed sacrificium crucis est propitiatorium, & impetratorium; Deum enim nobis iratum propter peccata,& pœnis nos affligentem propitium, & misericordem gratiarum largitorem nobis reddidit;ergo sacrificium missæ est propitiatorium, & impetratorium. Atqui sacrificium crucis nedum fuit propitiatorium, & impetratorium pro illis,qui erant præsentes, & quodammodò spiritualiter gustauerunt, sed etiam pro alijs, qui non fuerunt præsentes; ergo à pari. Sic etiam sacrificia vetera erant propitiatoria, & impetratoria pro illis,à quibus non comedebātur;vt pro paruulis, & pro populo;non enim paruuli,& totus populus comedebat.

6 Sed quæres; quomodò sacrificium missæ sit propitiatorium?

Resp. esse propitiatorium impetrando nobis ex opere operato auxilia ad eliciendum actū contritionis,vel attritionis in sacramento pœnitentiæ, quo mediante delentur peccata. Est *contra aliquos* relatos *à Sua.et Vasq.*asserentes sacrificium ex opere operato conferre primam gratiam remittētem peccata habentibus saltē attritionem;improbantur tamen;quia *Trid.vbis. c.*2. inquit: *Huius quippe oblatione placatus Dominus gratiā,et donum pœnitētiæ concedens crimina, et peccata etiam ingentia dimittit.* Tum quia hoc modo propitiat Deum sacrificium crucis; aliter sacramenta essent inutilia;illud enim sufficeret; tum quia si offeratur pro pluribus attritis, illi essent statim iustificati etiam ante actualem susceptionem pęnitentiæ; quod est contra doctrinam Ecclesiæ docentis solam contritionem iustificare ante actualem sacramenti pęnitentiæ sumptionem. Præthereà propitiat Deum, quatenus ex opere operato impetrat remissionem pęnæ temporalis immediatè,vt patet de animabus Purgatorij, pro quibus applicatur sacrificium; illæ namque, cùm sint *in nocte, in qua non possumus ampliùs operari*, nequeunt per auxilium à Deo impetratum operari opera satisfactoria pro pęna temporali, adeoque sacrificium immediatè illis confert relaxationem pœnæ temporalis.

7 Prætereà alios effectus salutares temporales confert hoc sacrificium ordinatos tamen ad animæ salutem;vt salutem corporis.pacem, tranquillitatem &c;de quibus *vid. S. P. Aug. ep.* 110; *& lib.*22. *de Ciu. c.* 8; nisi tamen illi, pro quibus offertur, reddantur indigni ob eorum flagitia; vel Deus aliter eorum saluti expedire iudicauerit; vt magis constabit *ex solutione obiectionum*.

8 Obijc.1.Christus instituens sacrificium dixit tantùm debere esse commemoratiuum suæ passionis; *& Apost.*Hebr.10. loquens de sacrificio crucis inquit vnica oblatione consummasse in sempiternum sanctificandos; ergo missæ sacrificium non est propitiatorium.2. Baptismus sumptus *à Petro* non prodest *Paulo*; ergo neque eucharistia.3.In lege veteri sacrificia propitiatoria erant distincta ab impetratiuis; ergo sacrificium missæ nequit simul esse propitiatiuum, & impetratiuum.4.Experientia constat non omnes expiari à peccatis, quanuis pro illis sacrificium offeratur; ergo idem. 5. Quod causatur per modum impetrationis, non causatur ex opere operato, vt constat; ergo sacrficium vel non causat impetratoriè, vel non causat ex opere operato.

Resp.ad 1. Christum dixisse etiam corpus, & sanguinem suum dari, & tradi pro nobis, seu inremissionem nostrorum peccatorum. Ad aliud dicitur sacrificium crucis sanctificasse omnes, quantùm est de se; sed tamen per sacrificium missæ esse nobis applicandum. Ad 2. neg. cons; hæc enim est differentia inter sacramentum, & sacrificium; quòd sacramentum prodest tantùm illud sumenti, quia illi tantùm est collatiuum gratiæ;sacrificium verò prodest illis, pro quibus offertur; per oblationem enim illis applicatur, vt patet de medicina,quæ prodest solùm sumenti, vnde si eucharistia sumatur solùm, quatenus est sacramentum, non prodest alteri à sumente; secus verò si sumatur, vt est complementum sacrificij. Ad 3.neg.cons; *quæ* enim *sunt dispersa in inferioribus, vniuntur in superioribus*; vnde cùm sacrificium eucharistiæ sit excellentius sacrificijs antiquis, debet eorum effectus per seipsum causare. Ad 4.dicitur,quòd illud,pro quo sacrificium offertur à Christo principaliter offerente, infallibiliter causatur;illud verò, pro quo offertur à sacerdote, aliquando non causatur, vel propter indignitatem peccatorum, vel quia non expedit saluti. Ad 5.dist.ant.Quod causatur per modum impetrationis factæ à Christo principaliter offerente, non causatur ex opere operato, neg;factæ à sacerdote,conc.

ART.

A R T. VI.

An Missa sacrificium possit offerri pro viuis, & defunctis?

1 Certum est. 1. sacrificium non esse offerendum pro damnatis; quia non sunt capaces remissionis culpæ, vel pœnæ, vel auxiliorum, vt conuertantur; in inferno enim nulla est redemptio; & cùm *in offertorio missæ defunctorum* dicitur: *Libera eos de pœnis inferni*; intelligendum est de inferno latè dicto, prout extenditur etiam ad significandum Purgatorium, qui locus est pariter inferior.

2 Certum est 2. non posse offerri pro salute beatorum iuxta illud *S.P. Aug.* effatum: *Iniuriam facit Martyri, qui orat pro martyre*; quod est extendendum etiam ad omnes beatos; eadem enim est ratio de omnibus. Potest tamen offerri in gratiarum actionem pro parta victoria, quamuis non in propitiationem, aut impetrationem auxiliorum ad salutem, vt diximus *in sup. art*; vel etiam in impetrationem gloriæ accidentalis, vt est veneratio, beatificatio, & canonizatio; vt sic in Mundo honorentur; quod innuitur *in canone*, cùm dicitur: *Vt illis proficiat ad honorem.*

3 Dubium ergo procedit de hominibus viatoribus, siue fidelibus, siue infidelibus; & de animabus existentibus in Purgatorio, quibus *Lutherani, & Caluinistæ* negant sacrificium.

4 Vnica concl. Sacrificium missę vtiliter offertur pro omnibus hominibus viatoribus fidelibus, & infidelibus, & pro animabus existentibus in Purgatorio, quamuis diuersimodè.

Prima pars concl. traditur *à Trid. sess. 22. c. 2.* Nam omnes fideles siue iusti, siue peccatores sunt capaces aliquorum fructuum sacrificij; etenim si sint iusti, sunt capaces remissionis pœnarum temporalium, quæ illorum delictis debentur; & maiorum auxiliorum, quibus abstineant à peccatis, & ad vitam ęternam proficiăt. Si autem sint peccatores, licèt non sint capaces remissionis pœnarum, quia pœnæ non remittuntur, nisi existentibus in gratia; attamen sunt capaces auxiliorum, quibus conuertantur ad pœnitentiam, vt docet *idem Trid*; ergo vtilitatem magnam ex missæ sacrificio omnes viatores siue iusti, siue peccatores possunt recipere; & ideo vtiliter pro illis offertur.

5 Secunda pars prob. *ex 1. Tim. 2.* vbi *Apost.* præcipit in celebrandis Diuinis mysterijs esse orandum non solùm pro fidelibus, sed etiam pro omnibus hominibus, etiam pro Regibus, & Principibus, quos tamen constat tunc temporis ferè omnes fuisse infideles. Ratio est. Sacrificium crucis oblatum est pro omnibus hominibus siue fidelibus, siue infidelibus; sed sacrificium missæ idem est, ac sacrificium crucis, vt diximus *sup*; ergo sacrificium missæ offerendum est etiam pro infidelibus. Item sacrificium in lege *Moysis* fuit oblatum pro vita *Darij Regis*, vt habetur 1. *Esdræ 6*; *et pro Nabucodonosor*, vt colligitur *ex lib. Baruch*; *et Esdræ, et pro Heliodoro*, vt *2. Macab. 3*; *et Iob c. vlt.* iussus fuit sacrificare pro suis amicis, qui profectò erant gentiles. Accedit Ecclesiæ praxis, quæ orat *pro Paganis, Iudæis, schismaticis, et hæreticis*, vt conuertantur ad fidem. Tandem *S.P. Aug. ep. 107.* testatur Ecclesiam consueuisse ab initio *orare pro incredulis, vt eos Deus conuertat ad fidem.*

6 Diuersimodè tamen offertur prò infidelibus, & fidelibus. 1. Quia pro infidelibus offertur, vt conuertantur ad fidem; pro fidelibus verò, vt per fidem, quam habent, consequantur salutem. 2. Quia pro infidelibus non offertur, vt remissionem pœnæ temporalis accipiant; sed vt auxilia ad remittenda peccata in baptismo, si non sint baptizati; vel in sacramento reconciliationis, si sint hæretici, accipiant; pro fidelibus verò, vt si iusti sint, recipiant remissionem pœnæ temporalis, & auxilia maiora; si verò sint peccatores, ad agendam pœnitentiam, auxilia recipiant.

7 Infertur *cont. Gibb; Vasq; Lug; & alios* sustinentes; quòd licèt sacerdos possit licitè orare mentaliter pro excommunicatis, & offerre pro illis sacrificium indirectè; quatenus scilicet potest directè offerre sacrificium pro augmento Ecclesiæ, & propagatione fidei; quo indirectè orat etiam *pro Paganis, Iudæis, hæreticis, & excommunicatis*, quorum conuersio conducit ad fidei, & Ecclesiæ dilatationem; attamen directè nequit pro illis sacrificium offerre nomine Christi, aut Ecclesiæ, recitando orationes communes, quas recitat nomine Ecclesiæ; sed tantùm fundendo orationes priuatas. Ratio est; quia excommunicatio maior priuat orationibus communibus Ecclesiæ, non tamen orationibus priuatis; & statutum est ab Ecclesia; vt habetur *ex Innoc. III. de sentent. excom. tit. 39. c. 28. à nobis est.* Infertur, inquam, *cum Estio, & alijs* licitè offerri directè sacrificium etiam pro conuersione excommunicatorum, vt redeant ad gremium *S. Matris Ecclesiæ*; quia sacrificium crucis directè fuit oblatum à Christo pro omnibus, & quibuscumque; sed sacrificium missæ est idem sacrificium; ergo nomine Christi, & consequenter Ecclesiæ, quæ Christum imitatur, potest directè offerri pro omnibus etiam excommunicatis, vt redeant ad communionem Ecclesiæ; tum quia etiă aliæ rationes eodem modo probant de excommunicatis, denunciatis, & publicis percussoribus clericorum; ac probant de hæreticis, schismaticis, & paganis, qui sunt magis separati ab Ecclesia, quàm excommunicati; cùm isti, non illi, vniăntur per baptismum, & fidem. Verum tamen est, inquit *Estius*, quòd iuxta veterem Ecclesiæ disciplinam nomina excommunicatorum, sicut & hæreticorum, ac aliorum hostium Ecclesiæ

expri-

exprimi à sacrificante non debent. Cùm autem dicitur, excommunicatione priuari orationibus Ecclesiæ communibus; dicendum est verum esse de orationibus quantùm ad suffragia, indulgentias, remissionem pęnæ temporalis, aliorumque fructuum spiritualium, qui in Ecclesia communicantur; non autem quantùm ad impetrationem auxiliorum, quibus conuertantur ad fidem, & Ecclesiæ communionem; aliter Ecclesia nec pro paganis, & hæreticis posset orare, cùm magis isti sint extra communionem Ecclesiæ. Ad *Innoc III.* dicitur, quòd loquitur de excommunicato iam defuncto, qui non est capax auxiliorum, vt conuertatur, & redeat ad communionem Ecclesiæ, & aliunde non est capax recipere fructum remissionis pęnæ temporalis; ideo priùs absolui debet à censura, quanuis sit defunctus; & postea pro illo est offerendum, & orandum. Non autem loquitur de excommunicato in hac vita degente, cùm capax est conuersionis, & reditus ad fidem, & vnionem Ecclesiæ; vt loquimur nos. Igitur pro defunctis excommunicatis, sicut pro hæreticis, aut non baptizatis etiam catechumenis sacrificium offerri non potest; vt docet *S. P. Aug. lib. 1. de orig. animæ c. 9. & Conc. Bracar. I. c. 35.* quia isti nec actu, nec potentia sunt Ecclesiæ membra; at in hac vita, quanuis actu non sint, possunt tamen esse Ecclesiæ membra; ideo pro illorum conuersione est offerendum. Ratio autem, cur isti possint percipere fructum auxiliorum ad conuersionem, non tamen fructum suffragiorum, indulgentiarum, & remissionis pęnæ temporalis, est; quia isti fructus solùm ab existentibus in gratia percipi possunt, vt diximus; auxilia verò ad conuersionem ab existentibus in peccato recipiuntur, vt constat.

8 Dices. 1. *Hebr. 9.* dicitur: *Voluntariè peccantibus iam non relinquitur pro peccatis hostia, sed terribilis quædam expectatio iudicij*; ergo pro peccatoribus etiam fidelibus nequit sacrificium offerri. 2. *Trid. vbi sup. c. 6.* ait offerri pro his, qui ad corpus Christi pertinent. 3. *S. P. Aug. lib. 4. de Trin. c. 14.* ait rectè offerri tantùm pro ijs, à quibus accipitur. 4. Sacrificium est sacramentum vnitatis; ergo offerendum est tantùm pro ijs, qui sunt in vnitate corporis Christi.

Respond. ad 1. voluntariè peccantibus post baptismum non relinqui aliud baptismum, quo absoluantur à culpa, & à pœna; relinquitur tamen terribilis quædam expectatio iudicij, quia etsi per pœnitentiam absoluantur à culpa, est tamen eis subeunda pœna terribilis iudicio Dei infligenda. Ad 2. dicitur *Trid. ibid.* loqui de propitiatione quoad culpam, & quoad pœnam; quomodò solis fidelibus conuenit. Ad 3. dicitur sensum esse, quòd sacrificium oblatum à sacerdote pro se ipso non proficit ei, nisi ab ipso accipiatur. Ad 4. dicitur, quòd sacrificium est sacramentum, & simul sacrificium; vt est sacramentum, est sacramentum vnitatis, quòd non debet accipi, nisi ab existentibus in gratia; vt sacrificium, offertur etiam pro impijs.

9 Prob. 3. pars concl. *ex 2. Mac. 12. Nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur, & vanum orare pro mortuis.* Nec officit, quòd isti libri non habeantur *in canone Iudæorum*, qui censetur compositus *ab Esdra*; prævalet enim auctoritas Ecclesiæ, quæ semper illos pro canonicis habuit teste *S. P. Aug. lib. 18. de Ciu. Dei c. 36.* inquiens: *Sunt & Machabæorum libri, quos non Iudex, sed Ecclesia pro canonicis habet.* Quòd autem in illis sermo sit de animabus existentibus in Purgatorij, infertur ex illis verbis: *Qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam*; quod de solis animabus purgatorij, qui orationibus indigent adiuuari, potest verificari. Item hæc veritas fuit definita *in Conc. Carthag. III. c. 29. & IV. c. 79. Braccar. I. c. 24. in Conc. IV. Gen. act. 3. Flor. decr. 3. & Trid. sess. 25.* Idem habetur *in omnibus liturgijs antiquissimis.* Idem docuerunt *S. Dion. Areopag. de Eccl. Hier. c. 7; S. Cypr. ep. 66; S. Cyrill. catech. 5; S. Ambr. or. 1. præparatoria ad Missam; S. Chrysost. hom. 3. ad Philipp; S. Hier. in c. 12. Prou; S. P. Aug. serm. 32. de verbis Apostoli; & in Enchir. c. 109; et 110; et lib. de cura pro mortuis c. 4; et pluries alibi.* Qui *de hær. hær. 53.* refert *Aerium* damnatum fuisse, quia asseruit non oportere sacrificare pro mortuis; quod habet etiam *Epiphan. hær. 57.* Ratio ducitur *ex communione Sanctorum*, quæ est vnus ex articulis fidei traditis *in Symbolo Apostolico*. Membra einsdem corporis ita sunt vnita, vt cùm vnum patitur, adiuuetur ab alijs; sed animæ purgatorij sunt membra Ecclesiæ, & patiuntur acutissimas pœnas; ergo ita vniuntur alijs hominibus, qui sunt Ecclesiæ membra, vt ab illis iuuentur, & subleuentur à pœnis; sed maximum suffragium, quod illas potest à pœnis sublenare, est sacrificium; ergo pro illis vtilissimè offertur. Tandem continua Ecclesiæ vniuersalis traditio hoc demonstrat; in omnibus enim Orbis partibus omnes fideles credunt hoc tanquam certissimum fidei dogma; ergo est infallibiliter credendum.

10 Obijc. 1. Habetur *2. Cor. 5.* quòd vnusquisque post mortem stabit *ante Tribunal Christi, vt referat propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum*; ergo sicut suffragia viuorum illis non iuuabunt ad consequendum præmium, quia statim illud recipient; ita nec ad vitandam pœnam. 2. *Eccli. 9. Nulla pars est eis ampliùs in vlla, quæ fit sub Sole*; & deinde: *Nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos.* 3. *Apoc. 14.* habetur: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur*; ergo qui moriuntur in gratia, statim beatitudinem consequuntur. 4. *D. Ambr. lib. 1. de Abraham c. 9.* docet, *vt non diutiùs inhæreamus mortuis*; et *D. Hier. in c. 6. ad Galat. Dum in præsenti sæculo sumus, siue orationibus, siue consilijs inuicem nos posse coadiuuari. Cùm autem ante tribunal*

Christi

Christi venerimus, non Iob, non Daniel, nec Noe rogare posse pro quoquam, sed vnumquemque portare onus suum; & *S. P. Aug. lib. 5. hipogn. c.* 5. non admittit, nisi gehennam, & Regnum Cœlorum. *Tertium autem locum penitus ignoramus*; quod repetit *serm.* 14. *de verbis Apost*; et *lib. 1. de pecc. merit. c.* 28; et *lib.* 21. *de Ciu. Dei c.* 16; et *in Enchir. c.* 69. ait posse dubitari, an defuncti post hanc vitam igne purgatorio torqueantur?

Resp. 1. *cum S. P. Aug. lib. de cura pro mortuis c.* 1; quòd sicut illis, qui damnati sunt æternaliter ad gehennam, nihil iuuabit ad consequendam gloriam; ita illis, qui consecuti sunt gloriam, nihil nocebit, vt damnentur ad gehennam. Statim ergo vnusquisque consequitur premium, vel pœnam; pœnam autem vel æternaliter, vel ad tempus, quousque purgati sunt à pœnis delictorum in hac vita absolutorum. Ad 2. dicitur sermonem esse de operibus huius vitæ, quæ non eliciuntur à mortuis; non autem, quòd opera bona viuorum non proderunt ijs, qui decedunt in gratia. Ad aliud dicitur sermonem esse de damnatis, quibus nullum opus bonum potest prodesse. Ad 3. dicitur sensum esse, quòd nullus post hanc vitam potest mereri, aut demereri. Ad *D. Ambr.* loqui de nimio luctu, & pompa funeris. Ad *D. Hier.* loqui de ijs, qui moriuntur in statu peccati. Ad *D. P. Aug.* loqui de locis æternis, non ad tempus; agebat enim *contra Pelagianos* admittentes locum secundæ felicitatis pro paruulis. *De Ciu.* autem, *et in Enchir.* ait dubitabile esse, an torqueantur eodem igne, quo torquentur damnati, non autem, quòd non torqueantur; expressè enim Purgatorium admittit, vt diximus.

ART. VII.

An rectè celebrentur Missæ priuatæ?

1 Missas quoque priuatas *hæretici recentiores* reprehendunt. Sed missa multipliciter priuata dici potest. 1. Quia in ea commemoretur aliquod beneficium priuarum, & particulare; & in hoc sensu nulla missa dici potest priuata; quia in ea commemoratur passio Christi, quæ est bonum commune. 2. Quòd offeratur tantùm pro salute vnius personæ priuatæ; & in hoc sensu pariter priuata dici nequit; quamuis enim offeratur pro salute alicuius personæ priuatæ; attamen offertur simul etiam pro salute totius Ecclesiæ, vt patet ex precibus, quæ in ea recitantur; est enim, vt diximus, commemoratio sacrificij crucis, quod pro omnibus oblatum fuit. 3. Quòd non offeratur per publicum ministrum; & sic pariter est sacrificium commune. Dicitur ergo missa priuata dupliciter. 1. Quia non celebratur in conuentu publico totius populi, sed in aliqua domo priuata. 2. Quia etsi celebretur in conuentu populi publico; attamen quia non celebratur ritu solemni, vt cum diacono, subdiacono, alijsque ministris, priuata dicitur; & in hoc duplici sensu procedit titulus.

2 Vnica concl. Missæ priuatæ licitè, & rectè celebrantur; siue solus sacerdos sacramentaliter communicet; siue communicet laicè etiam populus.

3 Prob. ex vita *S. Andreæ Apostoli*, vbi dicitur, quòd quotidie immolabat, quam tamen populus non tenebatur audire, cùm solis diebus festis obligaretur. Item tempore persecutionum Ecclesiæ missa celebrabatur in cryptis, vbi publicus concursus esse non poterat; nec legitur populum quotidie communicasse, sicut legitur sacerdotes quotidie celebrasse. Imò *S. P. Aug. ep.* 118. laudat consuetudinem, qua populus tantùm diebus Dominicis communicabat; & *ep.* 23. ait quotidie missam celebrari. *Conc. Agathen. can.* 14. concedit missam posse celebrari pro familia priuata extra parochiam. *Idem S. P. Aug. lib.* 22. *de Ciu. c.* 8. refert missam celebratam fuisse in quadam domo rustica, quæ perturbabatur à Dæmonibus, & liberatam fuisse. *S. Paulinus* narrat *S. Ambrosium Romæ* rogatum celebrasse in quibusdam ædibus. *S. Chrisost. hom.* 3. *in ep. ad Ephes.* & *hom.* 61. *ad populum Antiochen.* ait se celebrasse, quanuis deessent, qui communicarent. *S. Greg. Naz. lib.* 9. *hist. tripartitæ c.* 8. in quodam Oratorio priuato missam celebrauit. *Leontius* idem scribit *de S. Io. Alex. Patriarcha*. *S. Greg. Magn. hom.* 37. *in Euang.* narrat *S. Cassium Narnien.* instante morte in Oratorio sui Episcopij celebrasse; & *lib.* 2. *ep.* 2. mandat *Castorio Episcopo Ariminen*; vt celebret missam priuatam in Oratorio cuiusdam Matronæ prohibens, ne in illo celebrentur missæ publicæ. Ratio etiam est. 1. Nusquam legitur Christum Dominum præcepisse solam missam publicam, & priuatam interdixisse, aut obligasse populum, vt quoties sacerdos sacramentaliter communicaret, etiam ipse communionem sumeret; nec legitur Apostolos, aut *Concilia* hoc præcepisse, sed potiùs consuetudo contraria est, vt diximus; ergo nullum est fundamentum abrogandi missas priuatas, in quibus solus sacerdos communicat, & non populus; & quæ sine ritu solemni celebrantur. 2. Plures semper fuerunt sacerdotes post prima Ecclesiæ tempora; vt tot Monachi in Monasterijs viuentes quotidie celebrantes, sed impossibile fuisset omnibus illorum missis populum interesse, & communicare; ergo idem.

4 Obijc. 1. Christus *in cœna* distribuit Apostolis, & mandauit idem esse faciendum; ergo sacerdos debet missam publicam celebrare, quatenus corpus Christi debet omnibus assistentibus ministrare. 2. *Apost.* 1. *Cor.* 12. vocat panem participationem corporis Christi; quia de illo debent omnes participare. 3. *Ibid. c.* 11. prohibet cœnam Dominicam priuatam. 4. Agnus Paschalis comedebatur ab omnibus.

5. Ca-

9. *Canon decimus Apostolorum* excommunicat missam audientes, qui non communicant; quod facit etiam *Conc. Antioch. can.* 2. 6. *Liturgiæ omnes* ostendunt ita fuisse institutas, vt omnes communicarent.

Resp. ad 1. Christum Dominum præcepisse ea, quæ sunt de substantia sacrificij, non quæ per accidens se habent; vt quòd nocte sit celebratum, præsentibus duodecim Apostolis &c. communionem autem populi non esse de essentia sacrificij iam diximus. Ad 2. dicitur eucharistiam esse participationem corporis Christi, quia sumentes illud participant; non quia omnes illam sumere teneantur. Ad 3. dicitur *Apost.* loqui de cœna, quæ fiebat post eucharistiam, non de ipsa eucharistia; vt diximus *q.* 1. *art.* 1. *n.* 2. Ad 4. dicitur agnum Paschalem comestum fuisse ab omnibus, quia totus sumi non potuit ab vno; sicut sumitur totum corpus Christi Domini. Ad 5. dicitur *illos canones* loqui de diebus præscriptis populo ad communionem publicam, non autem de singulis diebus. Ad 6. dicitur *liturg as* fuisset institutas, vt omnes communicarent, si vellent; & certis diebus tenerentur, non omnibus diebus, communicare.

ART. VIII.

An valor sacrificij missæ sit intensiuè, & extensiuè infinitus? Vbi de stipendio.

1 CAiet; Syluest; Vasquez; Canus, Gonet, & alij asserunt sacrificium missæ esse infiniti valoris intensiuè, & extensiuè. Negant *D.Bon; Richard; Maior; Scot. Quodl.* 20; *Bellarm. lib.* 2. *de missa c.* 4. *proposit.* 4; *& alij.* Sed vtranque sententiam sic *Gibb.* conciliat.

2 Vnica concl. Sacrificium ratione rei oblatæ, & principalis offerentis est valoris infiniti; ratione verò effectus, seu fructus, qui percipitur à fidelibus, & ratione sacerdotis secundariò offerentis est valoris finiti tam intensiuè, quàm extensiuè.

3 Prob. 1. pars concl. Res oblata, & principalis offerens est Christus Dominus, vt diximus *sup. ex Trid. cum Fund. Doct. &c*; sed Christus Dominus ratione suppositi Diuini est infiniti valoris, & æstimabilitatis; ergo sacrificium ratione rei oblatæ, & personæ offerentis est infiniti valoris.

4 Prob. 2. pars concl. Fructus sacrificij, qui percipitur ab illis, pro quibus offertur, est remissio pœnæ temporalis, impetratio auxiliorum ad agendam pœnitentiam, & cætera, quæ *sup.* diximus; & persona sacerdotis secundariò offerentis est simpliciter creatura; sed hæc omnia sunt simpliciter finita; ergo, & valor sacrificij, prout ab illis desumitur, est finitus eo prorsus modo, quo *to.* 5. diximus actiones Christi, prout elicitas à natura humana, esse physicè finitas; prout verò elicitas à supposito Diuino, esse infiniti valoris. *Vid.*

5 Dices 1. Sacrificium crucis est infiniti valoris; sed sacrificium missæ est idem, ac sacrificium crucis, vt diximus; ergo est infiniti valoris. 2. Æqualem fructum percipiunt mille homines audientes vnam missam, ac percipiat vnus tantum audiens vnam missam; ergo æqualem fructum percipiunt plures, si pro pluribus sacerdos offerat, ac percipit vnus tantùm, si pro vno tantùm sacrificium offerat, & per consequens sacrificium est infiniti valoris; ita enim offertur pro pluribus, vt si pro maiori numero in infinitum offerretur, æqualem fructum perciperent.

Resp. ad 1. hoc esse discrimem inter sacrificium crucis, & missæ, quòd illud fuit oblatum à solo Christo, hoc verò offertur à Christo, & à sacerdote; & ideo istud, quanuis, vt offertur à Christo, sit infiniti valoris æquè, ac sacrificium crucis, quia eadem est persona infinita offerens; attamen prout offertur à sacerdote, est finiti valoris. Dist. igitur mi. Sacrificium missæ est idem, ac sacrificium crucis, vt offertur à Christo, conc; vt offertur à sacerdote, neg; ideo inquit *Trid.* differre secundùm rationem offerendi. Ad 2. omissis responsionibus aliorum *dist.* cons. Æqualem fructum percipiunt ex parte Christi offerentis, conc; ex parte sacerdotis, subdist. Prout fructus correspondet eleemosinæ, neg; prout correspondet deuotioni, & charitati sacerdoris, conc; aliter sequeretur, quòd sacerdos accipiens eleemosinam ab vno non posset offerre ex charitate etiam pro alijs, à quibus eleemosinam non accepit, quia sic minueret fructum illius, qui eleemosinam erogauit; quod est contra praxim Ecclesiæ, quæ legitur *in canone*, in quo ait sacerdos se offerre pro pluribus, etiamsi eleemosinam acceperit tantùm ab vno.

6 Collig. ex dictis *cont. Gibb; & alios*, quòd missæ sacrificium, vt offertur à Christo, impetrauit auxilia etiam antiquis iustis, sicut sacrificium crucis; aliter non esset valoris infiniti, quia non extenderetur ad omnes. Tum quia antiqui iusti per sacrificia vetera, quæ erant figuræ sacrificij missæ, acceperunt auxilia; illa autem sacrificia non conferebant auxilia, nisi in virtute sacrificij Euangelici, quod figurabant; vt diximus *de sacram. in com.* Et est expressa mens S. Patris Aug. asserentis, quòd *illa promittebant Saluatorem, hæc verò dant salutem*; vt habet *in ps.* 77.

7 Quæres; an absque simonia sacerdos possit exigere missæ stipendium?

Resp. affirmatiuè; nam illud exigit ad sustentationem vitæ, non vt pretium rei oblatæ; inquit enim *Apost.* 1. *Cor.* 9. *Quis enim pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* & mox: *Si vobis spiritualia seminauimus; magnum est, si carnalia vestra metamus?* *Et S.P.Aug. super* 1. *Tim.* 5. *Ac-*

5. *Accipiunt sustentationem necessitatis à populo, mercedem dispensationis à Domino*; & de iure naturæ esse dare decimas ministris Ecclesiæ docet *D. Tho.* 2. 2. *q.* 87. *art.* 1. Neque obstat, quòd sacerdos sit diues; nam sacerdos habet ius viuendi de altari iuxta illud: *Qui altari seruit, de altari viuere debet*. Non potest tamen plura stipendia aut congrua, aut incongrua accipere, vel alteri sacerdoti committere retenta sibi stipendij portione, vt definitum fuit *ab Vrbano VIII. anno* 1625. Peccat, si nimium differat satisfacere pro accepto stipendio. Potest tamen anticipare missas iam determinatas; non tamen potest applicare pro eleemosina proximi danda &c.

8 Quoad reductionem missarum, quorum redditus vel extenuati, vel penitus extincti sunt, *Trid. sess.* 25. *de reform. c.* 5. eam reliquit Episcopis, Abbatibus, & PP. Generalibus *in Capit. Gen.* quoad missas *ante Concilium* fundatas; post *Concilium* autem reseruata est Sanctæ Sedi; vt decreuit *Congr. Concilij* 1591. *die* 2. *Martij*, & 1625. *die* 22. *Septembris*.

ART. IX.

An mali sacerdotes validè celebrent, & liceat eorum missas audire?

1 Vicleff, vt patet *ex* 4. *eius articulo* damnato *in Conc. Constan*; asseruit Episcopum, vel sacerdotem in peccato mortali existentem non ordinare, non consecrare, & non baptizare existimans validitatem sacramentorum pendere à probitate ministri; cuius oppositum tenet Ecclesia, vt ostendimus *de sacram. in com. q.* 5. *art.* 3.

2 Vnica concl. Sacerdotes ritè ordinati siue iusti, siue peccatores, siue fideles, siue hæretici, siue schismatici, aut excommunicati etiam degradati vtentes debita materia, & forma cum intentione faciendi, quod facit *S. Mater Ecclesia*, vel quod Christus instituit, verum sacrificium conficiunt, quanuis mortalissimè peccent. Missa tamen boni sacerdotis, quanuis ex opere operato ratione rei oblatæ, & Christi offerentis, & Ecclesiæ, æqualiter fructuosa sit, ac missa mali sacerdotis, non tamen ex opere operantis, seu ex parte ipsius sacerdotis. Tandem missam sacerdotis hæretici, schismatici, degradati, & excommunicati non licet audire; peccatoris autem tolerati audire non est illicitum.

3 Prob. 1. pars concl. *ex Constan. vbi*; & *Trid. sess.* 7. *can.* 12. sanciente: *Si quis dixerit ministrum in peccato mortali existentem, modò omnia essentialia, quæ ad sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, seruauerit, non conficere, aut conferre sacramentum, anathema sit*. Idem docet *S. P. Aug. lib.* 5. *cont. Donatist. c.* 20; & *lib.* 2. *cont. ep. Parmen. cap.* 13; & *ep.* 48. Ratio est. Minister non consecrat ex propria persona, aut virtute; sed ex persona Christi; nec ex eo, quòd malus sit, deperdit potestatem ministerialem, quia non deperdit caracterem, qui est potestas ministerialis consecrandi, caracter enim est simpliciter indelebilis; ergo quantumuis sit malus, attamen veram adhibens materiam, & formam cum debita intentione verum conficit sacrificium. Habetur etiam 15. *q. vlt. c. vlt*; & *de consecr. dist.* 2. *c. vtrum*. Quibus reijcitur *Mag.* asserens hæreticum, vel excommunicatum, vtpotè præcisum ab Ecclesia, non consecrare; quia consecrant sacerdotes tantùm ex persona Ecclesiæ; quod falsum esse pluries diximus, consecrant enim principaliter ex persona Christi, qui loquitur etiam per malos ministros.

4 Prob. 2. pars; quia res oblata, Christus, & Ecclesia concurrunt ad ministerium boni, & mali sacerdotis; deuotio tamen non est æqualis in bono, ac malo sacerdote; ergo ex parte illorum, non ex parte istius, missa est æqualiter fructuosa.

5 Prob. 3. pars; nam hæretici, excommunicati, degradati, quibus adduntur *in Conc. Constant.* notorij percussores Clericorum, quorum *factum ita est manifestum, vt nulla possit tergiuersatione celari*, sunt executione priuati ab Ecclesia; & vetitum est ab illis sacramenta suscipere, vel missas audire 24. *q.* 1. *c. si quis*; & *c. si quem fortè*; & *c. cepit*, & 1. *q.* 1. *c. superueniente*. Sacerdotum autem, qui tolerantur ab Ecclesia, missas audire non est vetitum.

6 Dices 1. *S. P. Aug. lib.* 1. *cont. Donatist. c.* 2; ait, quòd si nullus inueniatur catholicus, tunc licet accipere ab hæretico sacramenta; & *dist.* 32. *c. nullus Nicol. Papa* vetat, ne quis audiat missam sacerdotis, quem certò scit esse concubinarium.

Resp. ad 1. *S. Patrem* loqui de baptismo, cuius minister potest esse etiam *gentilis, vel Iudæus*, cùm sit sacramentum summæ necessitatis, & ideo etiam hæreticus, vt diximus *de bapt. q.* 4. *art.* 1. Sacramentum autem eucharistiæ non debet sumi ab hæretico, quia cùm non sit simpliciter necessarium, potest quis mori solùm cum eius voto, vt fructum eius recipiat. Ad 2. resp. *Estius* rigorem *illius decreti* moderatum fuisse per *Conc. Constan*; vel esse intelligendum, quòd cùm non vrget præceptum audiendi missam, tunc vitandi sunt sacerdotes scandalosi, vt confundantur de sua via mala, & reuertantur ad Dominum.

DE POENITENTIA.



Ea est baptismi virtus, & ratio, vt licèt peccatricis animæ vulnera siue nascendi conditione contracta, siue in propria natura commissa perfectissimè sanet; & peccatorum captiuitate detentos in libertatem filiorum restituat; nihilominus quia nec belli extinguit incendia, nec finem imponit conflictibus, nec libertate donatos repetendæ reddit seruitutis immunes; non enim immortalitatis munere afficit, sed mortalitate relicta adhuc æternæ mortis pericula subeunda supersunt; idcirco ne plagæ post baptismum sine remedio inferantur, pœnitentiæ sacramentum, quo recidiuæ ægritudines gratiæ inunctione sanantur; atque à secunda captiuitate animæ peccato vulneratæ eruuntur, Misericors Medicus, qui malè habentibus venit medicinam præstare, Christus instituit; vt quoties peccati virus eruperit, pœnitentiæ medicina applicetur. Semel nascimur; & semel per baptismum à peccatis, in quibus concepti sumus, renascimur; sicut autem reperi nequit corporalis natiuitas, propter quod nec iterari queunt morbi, qui ex illa dumtaxat oriuntur; ita nec eorum remedium iterari fas est, aut necesse. Sed quoniam postquam per baptismum renati sumus, pluries spiritaliter morimur, quia pluries in peccata relabimur; prouidi simul, ac miserentis Medici consilio instituta est medicina, qua repetita animæ vulnera, quantumuis lethalia, sanentur toties, quoties infligi contigerit. Vnde etsi baptismus in hoc pœnitentiam excellat; quòd morbos quoad culpam, & pœnam in hac, vel in alia vita inferendam remittat; attamen in hoc ei præstat pœnitentia; quòd licèt pœnam temporalem iniquitatibus debitam non soluat ex integro, culpam tamen quoties repetitam, toties iterata absolutione detergit: *Vt quoniam nobis* (inquit S. P. Aug.) *peccatorum vulnera deesse non possunt; sic & confessionis medicamenta non desint*. Et quidem si intimè, quid sit pœnitentia, scrutemur, ex sua ratione peccati destructiua apparebit. Etenim cùm peccatum in sua generalitate vsurpatum non sit, nisi superba quædam elatio, qua creaturæ Deus inordinatè postponitur; vt definitur *à S. P. Aug. lib. 1. de lib. arb. c. 16*; eaque sit contrariorum natura, vt vnum inuicem tollatur per aliud, consequens est; vt pœnitentia, quæ non est, nisi humilis quædam deiectio, & deiecta contritio, qua creatura Deo humiliata subijcitur, imò & creaturæ, quæ Dei gerit ministerium, propter Deum prosternitur, rationem peccati penitus euellat, & destruat; peccator namque qui Deo prætulit creaturam peccando, Deum, & creaturam Dei ministram pœnitendo sibi præponit, quo elationem sui, & creaturæ supra Deum aufert, & delet. Quid impudentissima *Niniuitarum* delicta potuit expungere, comminatamque Vrbis euersionem euertere, nisi pœnitentia in cilicio, & in cinere; qui pedibus omnium calcatur, vt ipsa humilitate humiliores delerent crimina super omnem arrogantiam elata? *Publicanus* tot criminum reus quo potuit iustitiam repetere, vt iustificatus in domum descenderet, nisi ad pœnitentiæ conuersus tribunal, vbi oculis in terram defixis, & corde cæteris hominibus deiectus humilitate deleuit, quæ superbiendo contraxerat. At *Pharisæus* alienorum scelerum comparatione superbiens deperdito bonorum operum fructu è templo reus abscessit. Quo titulo ad offensum Patrem dissipator filius accessit odium extincturus, & gratiam sibi pristinam, paternumque reconciliaturus amorem, nisi pœnitentia præambula se amabili filij nomine clatura publicasset indignum, ac inter seruos viliores, vt sunt mercenarij, adnumerari rogasset? Quo pharmaco à lepræ morbo ferè insanabili decem leprosi fuerunt mundati, nisi humilis pœnitentiæ voce, quæ infirmitatem, vt sanaretur, ostendit? *Samaritanus* in stabulo sua vulnera curans peccatorem designat in humilitate pœnitentiæ iacentem mortiferas animæ plagas confessione sanantem. *Dauid* exclamans: *Peccaui*: audit statim sibi respondentem Prophetam; *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*. Pœnitentia itaque, velut alter baptismus, peccata post baptismum commissa delet; & diluit; & sicuti per baptismum ex corruptione peccati regeneramur ad vitam; ita cùm post baptismum per peccata in vitæ vetustatem relabimur, per pœnitentiam ad nouam vitam resurgimus, & ex corruptione peccati ad incorruptibilis vitæ reuocamur initia. At quoniam per baptismum, & pœnitentiam non ita nouam vitam incipimus, vt simul cum peccatis etiam mortalitas ipsa, & corruptio carnis tollatur, sed vt quæ continuò oriuntur, & irrumpunt peccata; teste enim *Scriptura Sap. 9. Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam*; idcirco quemadmodum continuò peccata ex infectione carnis regerminant; quæ nouam vitam interrumpunt inceptam; sic pœnitentia est iteranda continuò, vt ad immortalitatem nulla morte intercidendam, ducamur. *Secunda post naufragium tabula à D. Hier. ep. de Virginit. seruanda* rectissimè pœnitentia appellatur; mare enim est mundus iuxta illud *psal. 103. Hoc mare magnum, & spatiosum manibus*. Per hoc mare homo ad salutis portum dirigitur; & per baptismum, quasi per nauim (inquit *Innoc. Doct. Æg. de celebr. miss. p. 1.*) aquam ingreditur. Si iustitiam, & gratiam in baptismo acquisitam vsque ad terminum nauigationis conseruet, absque vlla penitus pœna, labore, aut dolore ad portum

tum immortalitatis appellit. Sed si offensis tentationum scopulis peccati naufragium incurrit, æterna abyssus, nisi succurrat pœnitentia, absorbebitur. At quam pœnam, laboremuè innixus tabulæ, donec ad portum perueniat, cogitur sustinere? Propterea *laboriosus baptismus* dicta est pœnitentia; quia quod baptismus præstat suauiter, pœnitentia pœnaliter efficit; vt ex ipso nomine, quod iuxta *S. P. Aug. pœna tenentiam* significat, apertè monstratur. Laborem tamen, pœnam, gemitum, & planctum, quem secum defert, repetitionis compensat facilitas, qua pœna semper minuitur. Imò eo est effectus vberior, quo dolor intensior; eo fructus suauior, quo substinentia productior. Demum quemadmodum tabula nunquam abijcitur, nisi cùm portus attingitur; ita pœnitentia non est omittenda, quousque in fluctibus huius vitæ versamus; per ipsam namque tantummodò ad portum æternitatis peruenimus. De ipsa sermonem in præsenti instituimus; vt discamus huius vitæ naufragia vitare, & securi perueniamus, quò tendimus.

Q V Æ S T. I.

De existentia, & essentia pœnitentiæ.

Antequam de pœnitentiæ institutione, existentia, & essentia discurramus, inquirendum est; quid nomine pœnitentiæ significetur; ex peruersa enim nominis interpretatione plures falsitates, & errores inuexerunt *recentes hæretici*.

A R T. I.

Quid nomine pœnitentiæ significetur?

1 POEnitentia sumitur, vt est virtus moralis; & vt est vnum ex septem sacramentis. *Ita omnes SS. PP; & DD;* & colligitur *ex Trid. sess. 6. c. 14;* vbi distinguit pœnitentiam, quæ est sacramentum, à pœnitentia, quæ in adultis ad baptismum requiritur; *& sess. 14. c. 4.* docet pœnitentiam in statu peccati fuisse quouis tempore necessariam ad impetrandam veniam peccatorum siue tempore legis naturæ, siue legis scriptæ, siue legis euangelicæ. Pœnitentia autem sic generaliter accepta non est sacramentum, vt constat; quia in lege veteri non fuit sacramentum; nec in noua lege ante baptismum; sed tantùm post baptismum accedente absolutione, & satisfactione, quæ sunt partes sacramenti, vt *inf;* ex quo manifestè colligitur pœnitentiam *à Trid.* fuisse acceptam etiam, prout non est sacramentum, sed prout est virtus, cuius actus est pars materialis sacramenti. Videndum igitur priùs, quid nomine pœnitentiæ, quæ non est sacramentum, significetur?

§. 1.

An pœnitentia sit virtus specialis distincta ab alijs virtutibus; & quodnam sit illius obiectum?

2 TRia proponuntur, quæ in idem redeunt; nam si pœnitentia est virtus specialis ab alijs virtutibus distincta, necesse est, quòd sit virtus, & quòd habeat obiectum saltem formale distinctum; cùm distinctio specifica habituum ab obiecto formali sumatur; quanuis obiectum materiale possit esse commune pluribus virtutibus; sicut corpus spectat ad Matematicam, Physicam, & medicinam; & tamen quia sub diuersa ratione formali consideratur ab illis, ideo inter se distinguuntur.

3 *Luther, Io Vuigand, & alij antiquiores Lutherani* dixerunt pœnitentiam, vt virtus, esse vitæ nouæ propositum, non autem vitæ veteris detestationem; & contritionem, aliosque actus pœnitentiæ non esse opera nostra, sed passiones quasdam, quibus à Deo conterimur, & timore, tremore, atque horrore concutimur, vt nouam vitam instituamus; adeoque illis, nos agi, non agere. Quod probant ex eo; quia pęnitētia *Gracè* dicitur *metanæa*, idèst *mentis resipiscentia*, quæ significat propositum, & inchoationem nouę vitæ absque vllo dolore, & detestatione peccatorum iam commissorum. Addunt prætereà pœnitentiam pertinuisse solùm ad veterem legem, quæ erat lex terroris, & comminationis, non ad legem euangelicam, quæ est lex amoris, & promissionis.

Sed ab hac sententia iam recesserunt *recentiores Lutherani*; qui clarè nouerunt pœnitentiam *apud Latinos, & metanæam apud Græcos* propriè significare displicentiam facti, quod semel placuit, & delectauit, coniunctam cum studio destruendi, quod factum est, & cùm proposito illud de cætero non committendi; vnde formaliter respicit factum præteritum, vt abolendum; quod quia non remittitur nisi à Deo, qui statuit illud solùm remittere, dummodò peccator conuertatur ad Dominum, & proponat vitam in meliùs mutare iuxta illud *Ioel 2. Conuertimini ad me in toto corde vestro; & ps. 50. Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies; & Luc. vlt. Oportet prædicari pœnitentiam, & remis-*

sionem peccatorum in omnes gentes; ideo pœnitentia primariò importat displicentiam, seu dolorē, & detestationem peccati, seu veteris vitæ, & ex consequenti nouæ vitæ inchoationem, seu propositum cauendi peccata in futurum. Hoc statuit *Trid. sess. 14. c. 4.* asserens: *Declarat sancta Synodus contritionem non solùm cessationem à peccato, & vitæ nouæ propositum, & inchoationem, sed veteris etiam odium continere*. Nec aliud significat vox *Græca metanæa*; nam quod in euangelio legitur: *metaneite*, vertitur: *Displiceat animo vestro vita anteacta, quæ hactenus placuit*; quòd propriè dolorem peccati commissi significat. Ratio etiam hoc apertè conuincit; quia quodlibet destruitur per suum oppositum; sed oppositum gaudij, & affectus, quibus peccatum fuit commissum, est dolor, & odium; ergo pęnitentia, qua peccatum destruitur, importat essentialiter dolorem, & odium peccati. *Ita SS. PP.* communiter docent; inter quos *S. P. Aug. serm. 7. de temp.* inquit *Quod priùs oblectabat in corpore, id ipsum te cruciet in mente; iam tunc bene ingemiscis apud Deum; & lib. de vera, & falsa pœnit*; quod refertur *dist. 3. de pœnit. c. pęnitentia*, docet: *Pœnitentia est quædam dolentis vindicta puniens in se, quod dolet commisisse*. Idem habet *D. Greg. hom. 34. in Euang. & aly*. Quòd autem dolor, & odiū peccati non sit mera passio, sed sit actus liber, conuincitur ex eo, quòd iste actus præcipitur *in scripturis*; sed præceptum nequit esse, nisi de actu libero; ergo est actus liber. Neque officit, quòd tristitia sit passio appetitus sensitiui; nam etiam timor est passio existens in sensu ex infirmitate resultans; & tamen est etiam actus virtutis; præcipitur enim à Deo *ps. 33. Timete Dominum omnes sancti eius*; & *Matt. 10. Timete eum, qui potest animam, & corpus perdere in gehennam*; nam virtus moderans talem passionem habet elicere illum actum, vt bene, & laudabiliter fiat. Sic ira quanuis sit passio, & mala, quatenus est contra proximum; attamen quatenus est contra peccatum, est bona, & actus virtutis; vt habetur *ps. 4. Irascimini, & nolite peccare; quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini*; quibus verbis expressè docemur iram, & compunctionem, seu dolorem peccati non esse peccaminosum, & ideo esse bonum, & actum virtutis. Tandem licèt pęnitentia fuerit quouis tempore adultis necessaria ad remissionem peccatorum; vt docet *Trid. vbi s. c. 1; & ex scripturis* clarè monstratur illam etiam in lege veteri fuisse à Deo præceptam; attamen etiam ad legem euangelicam pertinere docet fides catholica; vt colligitur *ex Matth. 4. Pœnitentiam agite; Luc. 9. Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pęnitentiam; Act. 2. & 17; & innumeris alijs in locis*; & prob; quia pęnitentia inuoluit Dei amorem, quem dolet offensum; ergo spectat etiam ad legem euangelicam, quæ lex amoris inscribitur. Alias *Lutheranorum* blasphemias, vt quòd contritionis effectus sint reddere hominem pertinacem, hipocritam, expoliare ab omnibus operibus bonis, cumque replere peccatis innumeris, refellemus *infra* cum de contritione erit sermo.

4 *Caiet. 2. 2. q. 144. art. 1.* asserit pœnitentiam non esse virtutem simpliciter, sed tantùm secundùm quid. 1. Quia in tantùm verecundia non est virtus, quia est de turpi facto, de quo verecundans timet confundi, & ideo erubescit; vt docet *D. Tho. ibid.*; sed pęnitentia etiam est de turpi facto; ergo idem de ipsa dicendum. 2. Nulla virtus exigit in subiecto illam habente contrarium ipsius virtutis; aliter exigeret sui destructiuum; sed pęnitentia exigit peccatum, quod illi opponitur; ergo idem. 3. Virtus est *dispositio perfecti ad optimum*; pęnitentia autē est dispositio imperfecti, quia est dispositio peccatoris, ideo non est virtus. 4. Actus virtutis est absolutus, & efficax; actus autem pęnitentiæ est tantùm conditionatus; quia peccator vellet se non commisisse peccatum, si esset possibile. 5. Pęnitentia est sacramentū; sed alia sacramenta non sunt virtutes; ergo nec pęnitentia. 6. Virtus non consistit in fuga, & odio mali, sed in prosecutione, & delectatione; sed pęnitentia consistit tantùm in fuga, & odio mali; ergo idem.

5 *Aly* negant pęnitentiam esse virtutem à cæteris distinctam; & diuisi sunt; nam *Altissiodor; & Maior* volunt esse tantùm conditionē quandam generalem transcendentem ad omnes virtutes; sicut iniustitia, inobedientia, & offensa Dei dicuntur transcendere ad omnia peccata. *Aly* concedunt esse virtutem specialem, non tamen diuersam ab omnibus alijs; *Caiet. enim, Can; Vasq; Lorc; & Montesin.* volunt non distingui à charitate. Ratio esse potest; quia contritio proculdubio est actus pœnitentiæ, cùm sit dolor de peccato, vt est Dei offensa; & aliunde contritio est actus charitatis; in tantùm enim contritio dispositiuè iustificat; in quantùm est actus elicitus ab habitu charitatis, qui cùm sit coniunctus cum gratia iustificante, ad iustificationem disponit; vt diximus *to. 4. de grat. q. 4; & sæpissimè alibi*; sed implicat vnum, & eundem actum elici simul à pluribus virtutibus specie distinctis; licèt enim possit elicitiuè ab vna produci, & imperatiuè ab alia; attamen nequit esse elicitiuè ab vtraque; ergo pęnitentia non distinguitur à charitate.

6 *Caiet.* iterum *hic art. 2; Petr. Sot lect. 1. de pęnit; Coninch disp. 1. de pœnit. dub. 4. n. 23; Laym. lib. 5. tract. c. 1.* volunt non distingui à religione. Quod probabile putat *Sua. hic disp. 7. sect. 2. n. 4*.

7 *Dur; & Marf. in 4. dist. 14.* volunt esse idē cum iustitia commutatiua propriè dicta. *Scot. ibid. q. 1. art. 3; & q. 2; Mastr. hic disp. 5. q. 1*; vbi refert *Tataret; Fab; Aretin; & alios*, vult non distingui à iustitia vindicatiua.

8 Vnica concl. Pœnitentia importat essentia-

tialiter dolorem, odium, & detestationem peccati commissi, vt est Dei offensa; & propositum satisfaciendi, & non peccandi de cetero; & est virtus simpliciter dicta distincta specie ab alijs virtutibus; licèt materialiter obiectiuè se extendat ad vindicanda peccata commissa contra omnes virtutes generaliter; & quanuis aliquo modo reducatur ad iustitiam vindicatiuã propter aliqualem similitudinem; ab ea tamen formaliter differt; & eius obiectum specificatiuum est peccatum, vt emendabile, expiabile, & vindicabile; finis verò est ius Diuinum læsum per peccatum, vt compensabile per pęnam læsioni correspondentem. *Ita Fund. Doct. de Laud. Diuina Sap. à c.7; & loc. cit. to.4. de virtutib. q.3; Argent; Gibb; Basil; & omnes alij communiter ex nostris.*

Prima pars patet ex dictis *cont. Lutheran*; nam pęnitentia iuxta nominis ethimon sonat idem, ac *pœna tenentia*; vt docet *Fund. Doct. in 3. dist. 15. p.1. q.1. art. 2*; vel dicitur quasi *punitentia* à punitione peccatorum, vt scribit *S. Isidor. in exhortatione ad pœnitentiam*; sed pęna, & punitio semper importat odium, dolorem, & detestationem delicti, ob quod infligitur pœna; ergo pęnitentia essentialiter importat odium, dolorem, & detestationem peccati commissi, ob quod pęnitentia subitur. Quòd verò importet intentionem satisfaciendi pro offensa, & iniuria per peccatum illata, constat pariter ex dictis; importat enim displicentiam, & dolorem illius, quod placuit, & delectauit; sed displicentia, & dolor compensat, & satisfacit pro complacentia & delectatione; satisfactio enim, seu satispassio nihil aliud est, quàm sufferentia tanti doloris, & tormenti, quanta fuit delectatio, & gaudium iuxta illud *Apoc. 18. Quantùm se in delicijs glorificauerat, tantum ei tormentum, & luctum date*; ergo pęnitentia formaliter sumpta importat intentionem satisfaciendi Deo pro iniuria per peccatum illata. Hinc inferens sibi aliquam pęnam ob aliud motiuum v.g. conseruandæ sanitatis non dicitur pœnitens, nec pęnitentiæ meritum habet. Tandem quòd debeat esse cum proposito non peccandi de cœtero, euidens est; nam vera pœnitentia debet esse cum odio peccati; sicut enim gaudium est proprietas sequens amorem; de illo namque gaudemus, quod amamus; sic dolor, qui opponitur gaudio, est proprietas sequens odium; & per consequens de illo dolemus, quod odio habemus; sed tunc perfectè odio habemus aliquod malum; quando nedum intendimus euadere illud, quod patimur; sed etiam volumus vitare, quod euenire potest in posterùm; si enim nollemus malum futurum vitare, sed solum pręsens, aut præteritum, non esset adæquata fuga, aut odium mali; ergo pœnitentia importat etiã propositũ non peccandi de cætero. *Sed de bisinf.*

9 Prob. 2. pars concl. *ex Fund. Doct. Æg. in 3. vbi sup.* vbi docet definitionem virtutis traditam *à S.P. Aug. lib. 2. de lib. arb. c.18*; qua dicitur *bona qualitas mentis, qua rectè viuitur, & qua nullus malè vtitur*; esse expressiorem, vt diximus *to.4. q.3. de virtut. art. 1. à n.4*; sed pœnitentia est huiusmodi; nam sicuti peccatum est mala qualitas, qua malè viuitur, & qua nemo bene vtitur; ita pœnitentia, quæ opponitur peccato, quia illud expellit, vt fusè ostendimus *in præfatione*; peccatum enim est quædam mentis elatio, qua creatura contra Deum erigitur contemnendo eius præcepta; & pœnitentia, vt docet *Fund. Doct. de laud. Diuina Sap. c.12*; quæ peccato opponitur, & peccatum tollit, est quædam humilis mentis deiectio, qua pęnitens submittit se sacerdoti propter Deum, & propter Dei præcepta seruanda; ita, inquam, pęnitentia est bona qualitas mentis, qua bene viuitur, & qua nemo malè vtitur; quod à fortiori verificatur de pœnitentia quàm de aliquibus alijs virtutibus, quæ possunt manere cum peccato, & cum vitio ei non opposito; pœnitentia autem cum nullo prorsus peccato potest simul consistere, quia cuilibet peccato est opposita; ergo pœnitentia est virtus simpliciter dicta; quia cui conuenit definitio virtutis simpliciter, est virtus simpliciter dicta; atqui pœnitentiæ conuenit definitio virtutis simpliciter; vt habitum est; & potest ampliùs ostendi ex alijs definitionibus *à Phil.* allatis, quas retulimus *to.4. vbi s*; ergo pęnitentia est virtus simpliciter dicta. Tum quia actus pęnitentiæ est simpliciter bonus, laudabilis, & meritorius; ergo & habitus, à quo procedit; ab actu enim ad habitum valet consequentia; sed habitus formaliter bonus, & meritorius est virtus; sicut habitus formaliter malus est vitiosus, qui virtuti aduersatur; ergo pœnitentia formaliter est virtus. Tum quia pęnitentia præcipitur à lege; *vt sup.* diximus; ergo est virtus; quia finis legis est retrahere homines à vitijs, & ad virtutes inducere. *Vid.* rationes mox afferendas pro probat. 3. part. concl.

10 Ad 1. in contrarium dist. ma. Verecundia, seu erubescentia non est virtus, quia est de turpi facto, quod non retractat per actum boni illi oppositum, cùm sit mera passio, quæ nullius actus est eliciua, conc; sed in hoc sensu, neg. mi. Quia est de turpi facto, quod retractat, neg. Ad 2. dist. ma. Si virtus habeat pro obiecto destruibili suum contrarium, neg; aliter, conc. Ad 3. dicitur, quòd virtus est dispositio perfecti ad optimum; quia perficit subiectum per ordinem ad Deum, qui est optimus; sic pęnitentia perficit hominem per ordinem ad Deũ. Ad 4. neg. mi; actus enim primarius pęnitentię est velle satisfacere Deo pro peccato, qui actus est absolutus, & efficax; velle autem se non commisisse peccatum est actus tantùm secundarius. Ad 5. dist. ma. Pęnitentia, vt virtus, est sacramentum in recto, & formaliter, neg; in obliquo, & ma-

& materialiter, tone; est enim pars materialis sacramenti; quanuis autem alia sacramenta non habeant pro materia aliquam virtutem; attamen non sequitur, quòd virtus non potuerit determinari pro materia proxima sacramenti. Ad 6. neg. mi; nam pœnitentia nedum consistit in odio, & detestatione peccati; sed etiam in expiabilitate peccati, quæ est quid positiuum. *Vid.* alias obiectiones *to. 5. q. 7. art. 2. §. 3. n. 76.*

11 Prob. 3. pars concl. Illa virtus, cui competit aliqua ratio formalis specificatiua, quæ non competit alijs virtutibus, est virtus specialis formaliter specificè distincta ab omnibus alijs virtutibus; sed pœnitentiæ competit ratio formalis specificatiua, quæ non competit alijs virtutibus; ergo est virtus specialis formaliter distincta ab omnibus alijs virtutibus. Ma. constat; quia distinctio specifica sumitur à distincta ratione formali specificatiua; aliter nulla ratione posset probari quamlibet aliam virtutem distingui specificè ab alijs, & sic omnes virtutes Theologicæ, & cardinales essent vnica tantùm virtus; quod est *contra scripturam, SS. PP; & DD.* Imò non posset probari hominem distingui specificè à brutis, & sic non esset, nisi vnicum animal specie. Insuper eadem ratione non posset probari distinctio generica; & sic non esset, nisi vnica res in mundo, quòd est impium, & hæreticum. Prob. mi. Ratio expiatiua, & vindicatiua à quibusuis peccatis non competit formaliter, & propriè alijs virtutibus; vt patet discurrenti per singulas; nulla enim (excepta pœnitentia) habet pro obiecto peccatum, vt expiabile, & vindicabile; sed pœnitentiæ competit formaliter ratio expiatiua; & vindicatiua à peccatis, vt constat ex eius definitione; definitur enim ex *D. P. Aug. à Mag. Dolentis vindicta puniens in se, quod dolet se commisisse*; vel ex *DD. Ambr; & Greg. Virtus, qua commissa mala cum emendationis proposito plangimus, & odimus, & plangenda iterum committere nolumus*; ergo pœnitentiæ competit ratio formalis specificatiua, quæ non competit alijs virtutibus. 2. Ex specialitate obiecti arguitur specialitas virtutis; sed pœnitentia habet pro obiecto aliquod speciale; ergo est virtus specialis. Ma. est nota apud Philosophos inferentes ex obiecto vnitatem, distinctionem, extensionem &c. cuiuscunque habitus. Mi. etiam constat ex dictis; nam pœnitentia habet pro obiecto quodcumque peccatum, prout emendabile, expiabile, & vindicabile, vt colligitur *ex SS. PP.* allegatis; nulla autem virtus habet pro obiecto omne peccatum, vt emendabile, expiabile, & vindicabile; nam quælibet alia virtus respicit in obliquo illud tantùm vitium particulare, quod opponitur suo obiecto formali; v. g. charitas, quæ habet pro obiecto Deum, vt est in se, & propter se summè amabilis; quia summè bonus, respicit in obliquo odium Dei, à quo fugit; non verò quoduis aliud peccatum; & sic de alijs virtutibus. Nec audiendi sunt *quidam Recentes*, inter quos *noster Gibbs & Gonet* asserentes obiectum pœnitentiæ esse ius Diuinum læsum, vt reparabile; hoc enim est obiectum iustitiæ, quæ habet pro obiecto ius, siue iustum; & est finis, non obiectum pœnitentiæ, quæ ordinatur ad reparandam, & compensandam iustitiam. 3. Oppositorum est eadem ratio; sed oppositum pœnitentiæ est aliquod vitium speciale; nempe impœnitentia; ergo & virtus pœnitentiæ est specialis. 4. Quanuis prudentia, latria, iustitia legalis, & religio sint materialiter virtutes generales, vt arguit *Fund. Doct. in 3. dist. 9. p. 1*; quia possunt habere pro obiecto materiali omnes actus omnium virtutum; prudentia enim illos dirigit, vt laudabiliter fiant; latria potest illos imperare, vt illis colatur Deus; iustitia legalis, vt in omnibus impleatur iustitia; religio potest illos vouere; attamen sunt formaliter virtutes speciales distinctæ ab alijs virtutibus, quia ratio formalis illarum specificatiua illis dumtaxat specialiter conuenit; vt dirigere actus ad hoc, vt laudabiliter fiant, conuenit soli prudentiæ, & sic de reliquis; ergo quanuis pœnitentia sit materialiter generalis, quatenus respicit, & extenditur ad emendanda, expianda, & vindicanda omnia vitia opposita omnibus virtutibus; attamen simpliciter est dicenda virtus specialis, quia ratio formalis specificatiua illius est propria solius pœnitentiæ. Nec ex eo, quòd pœnitentia possit imperare actus omnium virtutum, sequitur, quòd formaliter sit omnis virtus; sicuti ex eo, quòd voluntas possit imperare actus intellectus, non sequitur, quòd voluntas formaliter sit intellectus. Idem dicitur de charitate, quæ imperat actus aliarum virtutum. Nec tandem ex eo, quòd pœnitentia connectatur cum alijs virtutibus, sequitur, quòd sit omnis virtus, vt cōstat de charitate, quæ est forma extrinseca omnium virtutum, & tamen ab illis quanuis connexa, distinguitur; quia habet diuersum obiectum formale ab illa dumtaxat specialiter respectum.

12 Ex his infertur pœnitentiam specificè differre à charitate; quia obiectum charitatis est Deus, vt summè bonus, & summè amabilis in se, & propter se; obiectum verò specificatiuum pœnitentiæ est peccatum, ut emendabile, expiabile, & uindicabile; & ob eandem rationem differre à religione, cuius obiectum formale est Deus, ut summè colendus, & honorandus; & à iustitia, cuius obiectum est ius, siue iustum; & licèt actus pœnitentiæ possit esse ex imperio charitatis, religionis, iustitiæ, aut alterius uirtutis; attamen quia diuersum est obiectum specificatiuum harum omnium uirtutum; ideo diuersæ sunt quoque uirtutes.

13 Ad rationem in contrariū dicitur, quòd contritio, ut importat formaliter odium, & dolorem

lorem detestatiuũ peccati, est actus pœnitentiæ; quatenus autem est detestatiua peccati, ut est offensa Dei, prout summè bonus, & amabilis est, est actus perfectæ charitatis, quæ tendit in Deum formaliter, ut summè bonus in se, et propter se summè amabilis est; & sic contritio est actus elicitus à pœnitentia, & imperatus à charitate. Quamuis *noster Bernardin. apud Gibb. hic dub. 3. n. 8.* asserat non implicare, quòd idem actus contritionis sit elicitiuè à pœnitentia, & à charitate sub diuersa ratione formali, sicuti non implicat, quòd idem actus sit à charitate, & religione; ut si quis uoueret elicere actum amoris Dei tali hora; talis actus amoris esset elicitiuè à charitate, & religione; & ratio esse potest; quia non implicat eundem actum esse à pluribus causis subordinatis specie diuersis sub diuersa ratione formali; ergo non implicat contritionem esse elicitiuè à charitate, & pœnitentia.

14 Prob. 4. pars concl. Iustitia formaliter sumpta ex communi sententia est ad alterum; sed pœnitentia est ad se; ergo non est formaliter, & propriè iustitia. Ma. negari non potest, nisi negetur aliquod communiter concessum à SS. PP. & DD. & faciliter ostenditur; nam si loquamur de iustitia vindicatiua, de qua *hic* sermo est (constat enim distributiuam, quæ est inter superiorem, & inferiorem; & commutatiuam, quæ est inter duos commutantes, esse ad alterum) iustitia vindicatiua potest extendi ad inferendam mortem delinquenti, si delictum sit dignum pœna mortis; sed pœnitens nequit mortem inferre sibimetipsi, nec etiam tanquam minister, & executor alterius habentis potestatem auctoritatiuè, & principaliter; ergo pœnitentia formaliter non est iustitia vindicatiua. Mi. probata est *to. 5. q. 7. art. 2. §. 3. n. 69*; pœnitentia enim est formaliter deletiua peccati, vt *sup.* dictũ est; illud namque formaliter retractat; at nemo potest retractare peccatum alterius; quousq; enim alter maneat in proposito, & affectu peccati, nunquam tollitur peccatum, quantumuis pœnitentiam alter agat pro illo; qui propterea nequit retractare peccatum illius, sed dumtaxat potest illi gratiam mereri, qua peccatum retractet; tum quia pœnitentia importat displicentiam illius, quod semel placuit, & delectauit; sed peccatum alienum nec placuit, nec delectauit, ideo de peccato alieno non est pœnitentia; ergo pœnitentia est tantùm ad se. 2. Iustitia vindicatiua formaliter sumpta præscindit ab eo, quòd deleat, vel non deleat peccatum; & non exigit, quòd per illam conuertatur, & quòd reus pœnas per iustitiam inflictas voluntariè suscipiat; sed pœnitentia essentialiter est deletiua peccati, conuersiua peccatoris in Deum; & exigit, quòd voluntariè suscipiatur à peccatore, aliter non est vera, sed falsa pœnitentia, vt docet *S. P. Aug.*; ergo pœnitentia formaliter distinguitur à iustitia strictè sumpta. 3. *Cum Fund. Doct. Æg. vbi sup.* Iustitia similitudinariè dicta distinguitur realiter à iustitia strictè, & formaliter sumpta; vt vitis similitudinariè sumpta, qualis dicitur homo *iuxta S. P. Aug. tract. 80. in Io*; distinguitur à vite propriè dicta; & ratio est; quia similitudo exigit esse inter duo, cùm respectu eiusdem sit identitas, non similitudo; sed pœnitentia dicitur iustitia similitudinariè, quia habet punire delicta, vt mox dicemus; ergo distinguitur à iustitia propriè sumpta. 4. Iustitia habet pro obiecto ius, à quo sumit denominationem iustitiæ; sed pœnitentia non habet pro obiecto ius; habet enim pro obiecto peccatum, vt expiabile; peccatum autem, vt expiabile, non est ius; quia ius est in Deo, in quo nequit esse peccatum; ergo idem.

15 Quòd autem pœnitentia habeat similitudinem cum iustitia vindicatiua, colligitur ex verbis *S. P. Aug. sup.* allatis definientis, quòd pœnitentia sit *quædam dolentis vindicta*; vbi notanda est illa particula restrictiua *quædam*, quæ significat idem, ac *aliqualis* iustitia; quia non est iustitia simpliciter per omnem modum; sed tantùm quatenus habet punire peccata; quomodò eam vocat iustitiam *Trid. sess. 14. c. 8.* asserens, quòd satisfactio pœnitentibus imponenda debet esse *nedum ad nouæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem.* Ratio est. Illud dicitur tantùm similitudinariè aliud, quod in aliquo conuenit cum illo, & in alio differt ab illo, illud enim, quod est formaliter aliud, est idem cum illo, & ideo in nullo differt ab illo; sed pœnitentia conuenit cum iustitia vindicatiua in punitione peccatorum; differt autem, quia iustitia vindicatiua non est in peccatore, quem punit, sed in iudice, qui punit; pœnitentia verò est in peccatore; item iustitia non exigit deletionem peccati; vt constat in damnatis, nec emendationem, nec voluntariam susceptionem pœnæ, vt diximus, quæ tamen exiguntur à pœnitentia; ergo pœnitentia est tantùm iustitia vindicatiua similitudinariè, non formaliter. 2. *Cum Fund. Doct. Æg. vbi sup.* Inter hominem, & Deum nequit esse stricta iustitia; ergo tantùm similitudinariè; quia licèt non possit reddere, quod debet; reddit tamen, quod potest.

16 Ex dictis colligitur vltima pars concl. quòd nempe obiectum pœnitentiæ sit peccatum, vt emendabile, expiabile, & vindicabile; sic enim loquuntur *Scriptura, & SS. PP.* Tum quia ius Diuinum, vt reparabile per debitam satisfactionem, est obiectum iustitiæ vindicatiuæ, quæ, vt diximus, distinguitur à pœnitentia; ergo nequit esse obiectum pœnitentiæ. Tum quia quamuis latria reducatur ad iustitiam; vt diximus *to. 5. q. 12. vbi sup*; attamen non habet pro obiecto ius, sed tantùm pro fine; Deus enim habet ius, vt colatur, & honoretur à creaturis; & sic habet ius, vt crea-

creatura puniatur pro offensa ei illata; ergo sicuti latria ordinatur ad ius Diuinum, tanquam ad finem; ita dicendum de pęnitentia. Tum quia actus essentialis pęnitentiæ est odium, dolor, & detestatio, vt diximus; sed hic nequit immediatè terminari ad ius Diuinum; sed tantùm mediatè, scilicet mediante peccato; ergo peccatum, vt detestatum, expiatum &c. est obiectum immediatum pęnitentiæ; ius autem Diuinum, vt reparabile per ipsam, est finis, ad quem vltimatè ordinatur. Tum quia nullus alius finis proportionatior est excogitabilis; ergo idem.

17 Dices. 1. Motiuum virtutis debet esse honestum; sed peccatum etiam, vt compensabile per pęnitentiam, non est honestum; quia implicat, quòd honestas inuoluat inhonestatem, quæ essentialiter est in peccato; ergo peccatum, vt compensabile, non est obiectum pęnitentiæ, quæ est virtus. 2. Peccatum compensatur etiam per ieiunium, eleemosinam &c; ergo peccatum, vt compensabile, non est obiectum pęnitentiæ. 3. Peccatum non est compensabile, seu expiabile per actum creaturæ; ergo peccatum, vt compensabile, non est obiectum pęnitentiæ. Prob. ant. Si peccatum esset compensabile, maximè per contritionem; sed hoc est falsum; quia contritio nec in priori naturæ ante infusionem gratiæ potest compẽsare peccatum, quia talis compensatio, seu expiatio fit solùm per gratiam; nec in posteriori naturæ, postquam gratia infusa est; quia pro eo tunc peccatum est expiatum per ipsam gratiam. 4. Vnus homo potest satisfacere pro pęna temporali alterius hominis; ergo & pro culpa; & per consequens non solùm peccatum proprium, sed etiam peccatum alienum est obiectum pęnitentiæ.

Resp. ad 1. neg. mi. Ad prob. insertam dicitur, quòd expiabilitas peccati est honesta simpliciter, nec inuoluit inhonestatem peccati, sed supponit, & destruit; sicuti vindicabilitas peccati, quæ est obiectum iustitiæ vindicatiuæ, supponit peccatum, quod punit, non autem inuoluit peccatum. Sic redemptio à peccato supponit peccatum, & tamen nullus diceret, quòd non sit simpliciter honesta; cùm enim honestas dicatur contra inhonestatem peccati; ideo redemptio à peccato, vindicatiua, & pęnitentia, quæ opponuntur peccato, quia illud tollunt, honestatem simpliciter important. Ad 2. dist. ant. Compensatur virtute pęnitentiæ, conc, secus, neg; si enim quis non pęniteat peccati, quauuis ieiunet, eleemosinam det &c; nunquam expiatur à peccato. Ad 3. neg. ant. Ad prob. dicitur contritionem in illo priori naturæ expiare dispositiuè, non formaliter. Ad 4. neg. cons; nam satisfacere pro pœna temporali est quædam solutio debiti, quæ potest fieri etiam ab alio pro ipso debitore; at satisfactio pro culpa nequit esse, nisi cum detestatione, & eiectione culpæ, quæ nequit eijci, nisi per actus proprios habentis culpam, vt dictum est.

18 Obijc. 1. cont. 3. part. concl. Non datur virtus specialis ad appetendum bonum in communi; quia ad id natura per se satis inclinat; ergo neque ad detestandum malum in communi. 2. Virtus specialis habet determinatum malum, à quo declinat; sed pęnitentia non est huiusmodi, declinat enim ab omnibus peccatis generaliter; ergo non est virtus specialis. 3. Quælibet virtus nedum habet tendere in bonum sibi propositum; sed etiam habet fugere à malo contrario illi bono; ergo frustra ponitur virtus distincta, per quam ab omni malo fugiamus.

Resp. ad 1. dist. cons. Ad detestandum malum merè negatiuè, conc; expiatiuè, & satisfactiuè, neg. Quanuis igitur non detur virtus specialis ad fugiendum à malo in communi, datur tamen ad illud expiandum iam commissum. Ad 2. neg; mi; nam malum determinatum, cui opponitur pęnitentia, est impęnitentia, vel indiscreta pęnitentia; quanuis omne peccatum, vt expiabile, sit obiectum illius; hoc tamen se habet de materiali. Sicut quanuis virtus quælibet habeat pro obiecto aliquod bonum speciale; attamen de materiali potest habere pro obiecto omne bonum, vt diximus; sic de pęnitentia. Ad 3. dicitur, sicut ad 1.

19 Obijc. 2. Eadem virtus compensat beneficia, & iniurias; quia *contrariorum eadem est ratio, & disciplina*; sed compensare beneficia spectat ad religionem; ergo & compensare iniurias; ergo pęnitentia non distinguitur à religione. 2. Humiliatio creaturæ ad Deum est actus religionis; sed actus pęnitentiæ est actus, quo creatura humiliatur Deo; ergo idem. 3. Actus, quo expiantur peccata, spectant ad religionem; nam sacrificia, quibus expiantur peccata, spectant ad religionem; sed actus pęnitentiæ ordinantur formaliter ad expiationem peccati; ergo idem. 4. Eadem pietas, qua redditur honor parentibus, sufficit ad reparandas iniurias illatas parentibus; ergo eadem religio, qua redditur honor debitus Deo, sufficit ad expiandas offensas ei illatas per peccata.

Resp. ad 1. neg. ma; nam eadem est ratio contrariorum, sed non eodem modo; in obiectum enim positiuum tendit positiuè, & in illi oppositum tendit merè negatiuè per modum fugæ. At pęnitentia tendit positiuè in compensationem offensæ; ideo nequit esse eadem virtus, ac religio, quæ positiuè tendit in honorem debitum Deo, sed necessariò ex hoc infertur, quòd ab illa debeat distingui. Ad 2. dist. ma. Humiliatio creaturæ ad Deum, tanquam ad Dominum, est actus religionis, conc; sed in hoc sensu neg. mi. Ad Deum, tanquam ad reconciliabilem per pęnitentiam, neg. Ad 3. dist. ma. Actus, quo expiantur peccata, formaliter reduplicatiuè, prout per illos peccata expiantur, spectant ad religionem, neg; specificatiuè prout per illos redditur cultus debitus Deo, conc. Sacrificia ergo, prout oblata

in

in honorem debitum Deo, spectant ad religionem; prout verò oblata in expiationem peccatorum, spectant ad pænitentiam; sicut sacrificium oblatum ex obedientia nedum est actus religionis, sed etiam obedientiæ. Ad 4. neg.ant; nam pietas, quæ habet reddere honorem debitum parentibus, habet solùm negatiuè vitare, & fugere ab iniurijs, quæ parentibus possunt infligi; vt dictum est de alijs virtutibus; nulla enim virtus potest tendere positiuè in duo obiecta adæquata opposita inter se. Virtus ergo, qua compensantur iniuriæ inflictæ parentibus, est pœnitentia naturalis, vel alia virtus consimilis.

20 Obijc.3.cont.4.p.concl. Pœnitentia potest satisfacere ad æqualitatem; nam potest reddere Deo affectiuè rationem vltimi finis; quam abstulit per peccatum; ergo non distinguitur à iustitia commutatiua, quæ habet reddere æquale pro æquali. Prob. magis ant. Conuersio ad Deum est tantæ bonitatis moralis, quantæ malitiæ est auersio à Deo; nam sicut auersio à Deo punitur pœna carentiæ visionis beatæ; ita conuersio compensatur præmio visionis beatæ. Tum quia debens centum,& non potens reddere, nisi quinquaginta censetur reddere ex iustitia commutatiua, licèt imperfecta; ergo quanuis pœnitens non possit reddere æquale pro æquali; attamen reddendo, quod potest, reddit ex iustitia commutatiua, licèt imperfecta. 2. Pœnitentia ordinatur ad puniendum legis transgressorem; ergo est formaliter iustitia vindicatiua. 3. Pœna purgatorij est effectus iustitiæ vindicatiuæ; sed pœnitentia est participatio pœnæ purgatorij; ergo est formaliter iustitia vindicatiua. 4. Iustitia vindicatiua habet pro obiecto formali peccatum, vt vindicabile; sed pœnitentia est huiusmodi; ergo idem. 5. Sacramentum pœnitentiæ est tribunal iustitiæ; institutum enim fuit à Christo per modum iudicij; sed pœnitentia sistit reum ante tribunal puniendum à Iudice; ergo est actus iustitiæ vindicatiuæ.

Resp. ad 1. iustitiam commutatiuam esse tantùm de rebus externis, vt diximus *to. 5. q. 8. art.3*; circa pœnas autem,& delicta versari vindicatiuam. Neg.ergo ant; quia iniuria crescit ad dignitatem personæ offensæ; satisfactio autem crescit ad dignitatem rei oblatæ, & personæ offerentis; & cùm persona offensa sit infinita, & persona satisfaciens, sicut res oblata sit finita; ideo satisfactio nequit esse ad æqualitatem. *Vid. vbi sup. art.4.* Ad prob. dicitur, quòd conuersio compensatur præmio visionis beatæ intuitu meritorum Christi, non autem ratione sui præcisè. Præterea omisso ant.neg. conf. nam commutatiua reddit tantùm res externas, non pœnã, quæ internè sentitur, ideo etiansi reddat tantùm dolorem, quantam delectationem percepit; attamen non est commutatiua, sed assimilatur vindicatiuæ. Sic quanuis non reddat pœnam ad æqualitatem, quam debet, reddens tamen, quãtùm potest, dicitur satisfacere ad similitudinem cum vindicatiua, non cũ commutatiua. Ad 2. dist. conf. Ad puniendam transgressionem legis in ipso vindicante cum voluntaria acceptatione pœnæ, & cum conuersione ipsius transgressoris, & cum deletione ipsius transgressionis, conc; sed neg.conf; sic enim non est iustitia vindicatiua formaliter, sed tantùm similitudinariè, vt diximus; secus, neg. Ad 3.dist.ma. Pœna purgatorij, quatenus inflicta à Deo, est effectus iustitiæ vindicatiuæ, conc; quatenus voluntariè recepta à purgante, & quatenus delet peccatum quoad pœnam illi debitam, neg; ab hoc enim præscindit vindicatiua. Sic dist. mi. Pœnitentia est participatio pœnæ purgatorij, quatenus voluntariè suscipitur, conc; quatenus à Deo iudice infligitur, neg. Ad 4. dist. ma. Vindicatiua habet pro obiecto peccatum, vt vindicabile, & expiabile, ac delebile, neg; vt patet in damnatis, qui puniuntur per iustitiam vindicatiuam,& tamen eorum peccata non delentur; peccatum, vt simpliciter punibile, conc. Sic dist. mi; pœnitentia enim habet pro obiecto peccatum, vt delebile, non tantùm, vt simpliciter punibile. Ad 5. dicitur, quòd licèt in sacramento pœnitentiæ exerceatur verus actus iustitiæ vindicatiuæ, quia infligitur pœna delictis à Iudice,& non à se ipso; attamen hoc non sequitur de pœnitentia, vt est virtus, qua pœnitens infligit sibimetipsi pœnas suis transgressionibus debitas, vt diximus. Præterea dicitur sacramentum pœnitentiæ dici tribunal similitudinariè, non strictè, & formaliter; in eo enim absoluitur reus, non damnatur; imponitur pœna voluntariè, non inuoluntariè subeunda; deletur culpa, non punitur tantummodò; vnde etiam tribunal misericordiæ dicitur; ac proptereà tantùm similitudinariè actus iustitiæ vindicatiuæ in eo exercetur.

§. 2.

Aliquot corollaria, & quæsita afferuntur.

21 Collig. 1. ex dictis *in sup.* §. sola peccata præterita esse obiectum primarium pœnitentiæ; peccata verò futura esse obiectum secundarium. Ratio est; quia solùm peccatum præteritum est expiabile per pœnitentiam; peccatum enim expiatur, cùm deletur culpa, & macula per ipsum contracta; & cùm expungitur pœna illi debita, & correspondens; sed solùm per peccatum præteritum contrahitur culpa, & solùm pro illo debet vnusquisque pœnam referre; vt docet *Apost. 1. Cor. 5. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit siue bonum, siue malum*; super quod *S.P. Aug. lib. de prædest. SS. c. 12.* ait: *Gessit, inquit, non adiunxit; vel gesturus fuit*; ideo solùm peccatum commissum, & per consequens præteritum est expiabile; sed pœni-

pęnitentia habet pro obiecto formali peccatum, vt expiabile; ergo obiectum formale primarium pœnitentiæ est solùm peccatum commissum de præterito; peccatum autem in futuro committendum est solùm obiectum secundarium, quatenus nequit expelli peccatum commissum, nisi tollatur omnino affectus ad peccatum; qui nequit penitus tolli, nisi firmiter proponatur non peccare in futuro; & consequenter, nisi detestetur peccatū, quod posset in futuro committi.

22 Ex peccatis iam commissis excluduntur ab obiecto pęnitentiæ peccata aliena, vt tenetur ferè *communiter* exceptis *Suaquibusdam Scotistis, & alijs paucis*. Nam vt *sup.* dictum est, peccata aliena non sunt retractabilia, nisi ab eo, qui illa commisit: licèt enim alius illa detestetur, & odio habeat, ac pro illis pœnam voluntariè suscipiat; attamen non delentur formaliter, si voluntas illius, qui ea commisit, adhuc cum affectu ad illa remaneat; sed pœnitentia est formaliter deletiua, & retractatiua peccati, non enim solum odium, & detestationem illius importat, sed vltra odium, & detestationem, quæ importat, tanquā genus, importat etiam retractationem, & deletionem, tanquam effectum proprium formalem; ergo pœnitentia non habet pro obiecto formali aliena peccata. 2. *In sacris literis* non præcipitur pœnitentia, nisi suorum peccatorum; vt *Eccli.* 2. *Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini*; quod nequit intelligi, nisi de pœnitentia propriorum peccatorum; nam si quis non doleat de peccatis alienis, & non habeat peccata propria, de quibus doleat, non incidit in manus Domini. Sic *Niniuitæ Ionæ* 3. pęnitendo suorum peccatorum salui facti sunt ab ira Dei; *& Act.* 8. *Petrus* præcepit *Simoni Mago*: *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua*; non autem præcepit, vt detestaretur etiam aliena; ergo peccata aliena non spectant ad obiectum formale pœnitentiæ; aliter *in Scripturis* præciperetur, vt detestarentur; qui enim non detestatur omnia peccata, quæ cadunt sub obiecto pęnitentiæ, verè pęnitens non est; vt si quis commisisset adulterium, & homicidium detestando solùm homicidium, verè pęnitens non esset. Tum quia pęnitentia importat conuersionem peccatoris à peccatis, pro quibus pœna suscipitur, in Deum, à quo remittuntur peccata; vt habetur *Ioel* 2. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, fletu, & planctu; & scindite corda vestra*; ex quibus verbis clarè habetur per pęnitentiam peccatorē formaliter in Deum conuerti, à quo peccator erat auersus per peccata, & talem conuersionem fieri solùm per scissionem cordis ipsius peccatoris, non autem per scissionem cordis alterius; dicitur enim: *Scindite corda vestra*; non autem additur: *Vel scindantur corda aliena*; sed per detestationem alienorum peccatorum peccator, qui illa commisit, non conuertitur in Deum, quia potest manere obstinatus in suis peccatis; nec qui detestatur aliena, dicitur conuerti, per aliena enim non erat auersus; & conuersio dicitur tantùm de illo, qui priùs erat auersus; cùm auersio sit terminus *à quo* conuersionis; ergo idem. Tandem nedum *omnes SS. PP; & Ecclesiastici tractatores* sumunt virtutem pęnitentiæ tantùm pro detestatione peccatorum, quæ ipse peccator commisit, vt videre est *apud S. P. Aug. ep.* 54; *apud S. Isidor. in exhortat. ad pœnit*; *S. Greg. hom.* 34. *in Euang*; *Lactant. lib.* 6. *c.* 24. *Instit*; & ita fuit communis hæc vsurpatio pœnitentiæ; vt *Marcion. apud Tertull. lib.* 2. *c.* 24. *cont. Marcionem* ex pœnitentia Deo *in Scripturis* metaphoricè attributa, collegerit Deum esse Auctorem peccati: sed etiam *prophani linguæ Latinæ censores* hoc verbum *pœnitere* sumunt in hoc sensu: *Cùm quæ ipsi fecimus, aut quæ de nostra voluntate, nostroque consilio facta sunt, incipiunt displicere*; vt aiunt *Gallus Asinius, & Largius Licinius*; qui propterea reprehenderunt *Ciceronem apud Aulum Gelium lib.* 17. *c.* 1. quia dixerat se se pœnituisse non deformem esse natum. Conformiter autem ad hanc vsurpationem *Sacri Expositores* vertunt verbum *Græcum metaneite*: *Displiceat animo vestro vita anteacta, quæ hactenus placuit*; & *S. P. Aug. serm.* 7. *de temp. Quod priùs oblectabat in corpore, idipsum te cruciet in mente*; ergo pęnitentia secundùm suam significationem formalem importat solùm retractationem propriorum, non alienorum peccatorum.

23 Dices. 1. *cum Sua*. Peccatum alienum est vindicabile per detestationem; ergo est obiectum materiale pœnitentiæ. 2. Odium peccati alieni est actus alicuius virtutis; sicut odium peccati proprij; sed hæc virtus nequit esse, nisi pęnitentia; ergo idem. 3. Cæteræ virtutes terminantur ad bonum, siue existat in seipso, siue in alio; ergo pęnitentia detestatur peccatum, siue existat in ipso detestante, siue in alio.

Resp. ad 1. neg ant; nam peccatum non vindicatur per detestationem, nisi retractetur; per actum autem retractatiuum existentem in vno non retractatur peccatum existens in alio; sed tantùm impetratoriè ei obtinetur auxilium ad hoc, vt eliciat actum retractationis; quod pertinet ad charitatem, qua volumus bonum, & nolumus malum proximo. Ad 2. neg mi; odium enim peccati alieni est actus charitatis, vt diximus; quia illius virtutis est odisse malum, cuius est amare bonum; amare autem bonum proximi est actus charitatis. Pęnitentia autem includit odium, & detestationem peccati materialiter, formaliter autem importat retractationem illius. Ad 3. omisso ant. neg. cons; nam pęnitentia importat formaliter retractationem peccati, quæ nequit fieri, nisi à voluntate, quæ illud commisit, & in qua illud existit; ideo formaliter versatur solùm circa peccatum proprium.

24 De peccato originali maior est quæstio; *plures* enim *Recentiores* volunt non esse obiectum

pęni-

pœnitentiæ; vt *Gibb. hic dub. 2. n. 8; Gonet, & alij*; quorum ratio est; quia nihil potest retractari, nisi quod eadem voluntate patratum est; peccatum autem originale non fuit patratum à nostra voluntate; ideo non potest à nobis retractari, & per consequens non est obiectum pœnitentiæ. 2. Peccatum originale est peccatum naturæ, non personæ; ergo à persona priuata nequit tolli.

Sed contra est *Sua.* cum alijs; & prob. ex doctrina *Fund. Doct. Æg*; vt diximus *to. 4. q. 2. de pecc. Orig. art. 3. n. 3*; nam peccatum originale *& alienum, & nostrum est, quia paternum est*; vt docet S. P. *Aug. de prædest. SS; & lib. 1. Retract. c. 13*; ea enim, quæ per hæreditatem à patre recipimus, nostra sunt; tum quia peccatum originale voluntarium nobis est; aliter solus *Adam* esset culpandus, nos verò omnino inculpabiles essemus, vt inquit *Fund. Doct. vbi*; ergo eadem voluntate potest retractari; & per consequens est obiectum pœnitentiæ. 2. Omne, quod retractatur, est obiectum pœnitentiæ; sed etiam peccatum originale retractatur; nam adulti accedentes ad baptismum tenentur elicere saltem actum attritionis; vt diximus *de bapt. q. 3. art. 2*; vbi ostendimus attritionem, quæ est actus retractatiuus peccati, esse in adultis dispositionem necessariò exactam ad recipiendum baptismum salubriter; quod est intelligendum etiam de adultis non habentibus peccata mortalia personalia; *textus* enim *scripturæ ibid.* allati non excipiunt habentes solùm peccatum originale; ideo nec à nobis excipi debent; ergo etiam peccatum originale est obiectum pœnitentiæ. 3. Ex eo, quòd aliquis in alio peccauerit, non infertur, quòd non teneatur retractare illud peccatum in se ipso; non enim sufficit, quòd ab illo, in quo peccauit, retractetur, vt ab illo peccato mundetur, aliter *Adam* retractando peccatum à se commissum, mundasset totam generationem humanam à peccato originali, quod est contra fidem; certum enim est *Adam* pœnituisse sui peccati, & omnes eius posteros nasci in peccato originali; ergo idem.

25 Ad 1. autem rationem in contrarium dicitur, quòd peccatum originale patratum est nostra voluntate, non quidem in nobismetipsis, sed *in Adam*; in quo omnes voluntates peccauerunt, vt asserunt etiam DD. oppositi; ideo à nobis est retractandum, cùm sumus compotes retractationis. Ad 2. dist. conf. Peccatum originale nequit tolli à persona priuata, si consideretur, prout existit in tota natura, conc; si prout est in ipsa persona priuata, neg; constat enim, quòd si adultus non baptizatus, qui procul dubio est persona priuata, eliciat actum contritionis, in quo continetur desiderium baptismi, tollit peccata personalia, & originale simul; ideo falsum est, quòd peccatum originale, quia est peccatum naturæ, non possit tolli à persona priuata, prout existit in ipsa persona priuata; quanuis verum sit, quòd non possit tolli, prout existit in singulis hominibus habentibus naturam humanam.

26 Inst. Peccatum originale non cadit sub sacramento pœnitentiæ; ergo non est obiectum virtutis pœnitentiæ.

Resp. neg. cons; nam etiam peccata personalia ante baptismum commissa non cadunt sub sacramento pœnitentiæ; & tamen certum est illa esse obiectum virtutis pœnitentiæ. Non ergo illud solùm, quod cadit sub sacramento pœnitentiæ, est obiectum virtutis pœnitentiæ.

27 De peccatis venialibus *communiter* dicitur esse obiectum minùs principale pœnitentiæ eo prorsus modo, quo substantia dicitur obiectum magis principale, & accidens obiectum minùs principale metaphysicæ. Ratio est; quia venialia sunt verè expiabilia quoad culpam, quia subijciuntur clauibus Ecclesiæ in sacramento pœnitentiæ; & quoad pœnam, quæ pro illis imponitur in hac, & in alia vita; attamen quia sunt peccata leuia, non grauia; ideo minùs principaliter habent rationem peccati, quàm peccata mortalia; quæ propterea sunt obiectum magis principale pœnitentiæ.

28 Tandem nedum mala culpæ, sed etiam mala pęnæ sunt obiectum pęnitentiæ; quia vtraque sunt expiabilia per pœnitentiam; Deus enim nedum remittit culpam ratione pęnitentię, sed etiam remittit pœnam debitam peccatis quoad culpam remissis.

29 Collig. 2. pœnitentiam non esse virtutem Theologicam, sed moralem; quia virtus Theologica habet pro obiecto immediato, & pro fine Deum; virtus verò moralis, quanuis habeat pro fine Deum; quia omnis virtus ordinatur in Deum, cùm sit dispositio ad optimum; quod S. P. *Aug. lib. 4. cont. Iul. c. 3.* probat ex eo, quòd *in Scripturis* Deus dicitur *Dominus virtutum*; attamen habet pro obiecto immediato aliquod creatum; atqui pęnitentia non habet pro obiecto immediato Deum, sed expiationem peccati, quæ est actus creatus; ergo non est virtus Theologica, sed moralis.

30 An autem sit simpliciter infusa, & supernaturalis secundùm substantiam; dicendum est conformiter ad ea, quæ scripsimus de virtutibus moralibus generaliter *to. 4. de virtutib. q. 3. art. 8.*

31 Collig. 3. pęnitentiam subiectari in voluntate, non autem in intellectu, aut in parte sensitiua. Ratio est; quia sicut in intellectu ponuntur omnes virtutes, quæ habent pro obiecto verum, & fugiunt falsum; verum enim est obiectum adæquatum intellectus; & ideo in illud nequit tendere formaliter, nisi intellectus; cùmque potentia mediantibus suis habitibus, qui in illa existunt, tendat in suum obiectum sub diuersa ratione formali specificante illos habitus;

tus; ideo illæ virtutes, quæ tendunt in verum, subiectantur in intellectu; ita omnes virtutes, quæ tendunt in bonum, & fugiunt à malo, subiectantur in voluntate, quæ formaliter habet tendere in bonum, & fugere à malo; sed pęnitentia habet formaliter fugere à malo morali, quia habet illud delere, retractare, & expiare; & habet tendere in bonum, quia expiare malum est bonum, cùm malo, quod delet, opponatur; ergo pęnitentia subiectatur tantùm in voluntate, non in intellectu, aut in potentia sensitiua. Præterea quamuis pęnitentia præcipiat actiones sensibiles, & externas, quibus infligitur pęna; attamen formaliter tendit in peccatum, vt expiabile; sed expiabilitas peccati non est quid sensibile; non enim peccatum sensibus percipi, quando peccatum est totaliter expiatum; ergo pęnitentia nequit esse in sensibus; nam in sensibus existunt solùm illæ virtutes, quæ habent pro obiecto formali aliquod sensibile.

32 Dices 1. Liberalitas, quæ est pars potentialis iustitiæ, ponitur in appetitu sensitiuo; quia oportet priùs moderari amorem diuitiarum, qui existit in sensu, quàm inclinare ad elargiendas alteri diuitias; ergo idem dicendum de pœnitentia. 2. Dolor de peccatis, qui est in appetitu sensitiuo, est bonus, laudabilis, & honestus; vt lacrimæ in oculis, gemitus in corde &c; ergo est actus alicuius virtutis existentis in sensu; atqui hæc non est, nisi pęnitentia; ergo vltra pęnitentiam existentem in voluntate admittenda est etiam pœnitentia in appetitu sensitiuo.

Resp. ad 1. neg: consi: in tantùm enim liberalitas est in sensu; quia in ipso nulla alia virtus reperitur moderatiua amoris diuitiarum; at virtus moderatiua delectationum, & tristitiarum, seu doloris in sensu iam præsupponitur ad pęnitentiam, quia præsupponitur temperantia, quæ habet moderari huiusmodi passiones; ideo frustrancè poneretur pœnitentia. Ad 2. dist. ant. Dolor sensitiuus de peccatis est bonus, prout ordinatur à pœnitentia ad expiationem peccatorum, conc; præcisa tali ordinatione, neg; si enim quis doleret de peccato adulterij, non quia Deum offendit, sed quia pecuniam prodegit, ille dolor non esset actus virtutis proficuus ad expiationem peccati.

33 Collig. 4. pœnitentiam non fuisse in Christo; quia in ipso non fuit peccatum proprium delendum; quamuis enim assumpserit peccata nostra, vt propria, expianda; attamen *quia peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius*; vt dicitur 1. *Petr.* 2; ideo non fuit in ipso pœnitentia; vt diximus *to.* 5. 2 *h. s.* Imò admissa etiam suppositione illa impossibili, quam affert *Sua*; scilicet: *Si per impossibile peccarem, Deo satisfacerem*; adhuc ratione huius actus conditionati pęnitentia non fuit in ipso; quia pœnitentia non est, nisi de peccato in actu exercito iam commisso; talis autem suppositio non est de peccato exercitè commisso, sed est de peccato etiam impossibiliter committendo; ideo talis actus non est sufficiens, vt in ipso admittatur pęnitentia. Sicut talis actus non fuit sufficiens, vt baptizaretur baptismo à se instituto, & non solo baptismo *Ioannis*; pęnitentia enim est *secundus baptismus*; atque adeò de ipsa loquendum est, sicut de baptismo. Tum quia nulla virtus datur de actibus absolutè impossibilibus, & ex conditione impossibili tantùm futuris. Tum quia, etiam fides in ipso dari deberet; quia potuit consimilis actus conditionatus in Christo confingi; scilicet: *Si per impossibile Deum non viderem, crederem in Deum*. Quod potest etiam dici de beatis, in quibus tamen non manet fides, vt docet *Apost*; ergo pęnitentia nullo modo fuit in Christo.

34 Dices *cum nostro Argent; Lug; & Coninch.* 1. In Christo fuerunt omnes virtutes; sed pęnitentia est virtus; ergo fuit in Christo. 2. Satisfecit pro peccatis omnium hominum, & illa deleuit; ergo idem.

Resp. ad 1. dist. ma. Fuerunt omnes virtutes ipsi non repugnantes, conc; ipsi repugnantes, neg; eadem enim ratione, qua fides, quia pugnat cum eius visione beata, non fuit in Christo, pœnitentia, quia pugnat cum eius innocentia, in ipso fuit. Ad 2. dist. aut. Satisfecit retractando formaliter peccata in hominibus intrinsecè existentia, neg; hoc enim fieri non potest, nisi ab ipsis hominibus, in quibus existunt peccata; & eodem modo ab ipsis possunt deleri. Satisfecit externè soluendo pretium sanguinis, cuius valor meruit, & obtinuit gratiam ipsis hominibus, qua sua peccata retractarent, & pœnitentiam agerent, conc. Sicut autem adulti, quia peccauerunt in se ipsis, ideo per pœnam in se ipsis receptam debuerunt satisfacere; ita, paruuli, quia peccauerunt in alio; ideo per pęnam in alio existentem satisfecerunt. Cætera, *vid. to.* 5. 2 *h. s.*

35 Eadem ratione dicendum pœnitentiam non fuisse *in B. Virgine Maria*, nec in Angelis siue bonis, siue malis; imò nec etiam in homine innocente; vt probabiliùs putauit *Nugnus*; nam pęnitentia essentialiter supponit peccatum iam commissum; quia dicit retractationem, seu displicentiam actus mali, quòd semel placuit, & delectauit, vt loquuntur *SS. PP.* adducti *supra num.* 11; nullus enim propriè pœnitere dicitur illius actus, quem non commisit, & quem tantùm potuit committere; nec propriè dicitur illum retractare; quia retractatio supponit ipsum iam fuisse tractatum, seu patratum; sic enim definitur pœnitentia, vt diximus 2 *h. s*; ergo quamuis *B. Virg*, Angeli boni, & homo innocens potuissent peccare; quia tamen de facto non peccarunt; ideo in ipsis pęnitentia propriè esse non potuit.

potuit. De Angelis malis alia est ratio, scilicet quia licèt in illis supponatur peccatum iam commissum; attamen quia illi pertinaciter immobiliter adhærent; ideo in illis non existit virtus pœnitentiæ.

36 Dices 1. *In B. Virgine*, & homine innocente fuit odium, & detestatio efficax peccati, vt est offensa Dei, cum proposito efficacissimo illud semper vitandi; sed in hoc consistit formaliter pęnitentia; ergo in illis fuit pęnitentia. 2. Quanuis Beati peccare non possint; attamen in illis admittitur pœnitentia ad ornatum; ergo hoc ornatu priuari non debuit *B.Virgo*, quæ est pulcherrima omnium creaturarum; & ideo debet esse omnibus creaturis ornatior. Idem dicendum de homine innocente simpliciter.

Resp. ad 1. dist. mi. Pęnitentia consistit in odio, & detestatione peccati à se commissi, conc; non commissi, nec committendi, neg; aliter pęnitentia etiam in Deo formaliter admitti deberet; quia in ipso est odium peccati. Ad 2. iam diximus *n.5. vbi s.* quòd licèt Beati peccare non possint; attamen quia in hac vita peccarunt; & per pęnitentiam deleuerunt peccata commissa; ideo habitus pœnitentiæ debet remanere in patria ad ornatum; quia debent habere insignia eorum, quibus peccata vicerunt. Hæc autem non debent esse in ijs, qui nunquam peccarunt; quia ostenderent in ipsis fuisse aliquando peccata; quod esset dedecus eorum innocentiæ prorsus iniurium, & indecens. Vnde quod est ornamentum in peccatore, esset deformitas in innocente. Igitur *Beatiss Virgo* est ornatissima omnium creaturarum, non quia habeat ornamenta peccatorum, quæ essent ei indecentia; sed quia illius ornamenta superant ornamenta omnium creaturarum.

37 Pueri autem decedentes ante vsum rationis habent habitum pęnitentiæ infusum in baptismo, non quia possunt peccare; sed quia peccatum originale contraxerunt; quod est obiectum pęnitentiæ, vt diximus.

38 Quæres; an detur pœnitentia merè naturalis ordinata ad retractandum peccatum merè naturale commissum contra Deum, vt est Auctor naturæ?

Resp. *Gonet* affirmatiuè. Cæterùm cùm peccatum merè naturale sit peccatum philosophicum, de quo extat definitio *Alex. VIII*; ideo negatiuè respondetur; falsum enim supponitur; quia peccatum contra Deum, vt est Auctor naturæ, est moraliter malum; ideo ad illud delendum necessaria est pœnitentia ordinis moralis; adeoque pœnitentia ordinis merè naturalis, non moralis, non datur.

39 Collig. tandem pœnitentiam rectissimè definitam fuisse *à S. P. Aug. sup.* relato *n.* 11. ob rationes hucusque assignatas.

§. 3.

An nomine pœnitentia significetur etiam sacramentum noua legis à Christo institutum?

40 MOntanus *ad annum* 173. negauit pęnitentiam esse sacramentum asserens nullam esse in Ecclesiam potestatem reconciliandi eos, qui post baptismum grauiter peccarunt; vt narrat *S. Hier. ep.* 57. Sectatores *Montani* dicti sunt *Montanistæ*, *Cataphryges*, & quia *Montanus* ortus fuit *in Phrygia*, vel etiam, vt aliquibus placet, vocati sunt *Pepusiani à Pepusa*, quæ est ciuitas, vel pagus *Phrygiæ*. *Vid. S. P. Aug. hær.* 26; *&* 27; *& S. Hier. ep. ad Ctesiphont. c.* 1. Hanc sententiam, quam *Tertull.* catholicus reiecerat, posteà in hæresim lapsus factus *Montanista* docuit *lib. de pudicitia c.* 1. Post annum 254. hanc hæresim iam extinctam suscitarunt *Nouatus Carthaginensis, & Nouatianus* (qui conatus est extrudere *Cornelium Papam*, vt refert *Socrat. lib.* 4. *hist. c.* 13.) asserentes Christianos, qui semel fidem negabant, non posse ampliùs per pęnitentiam Ecclesiæ reconciliari, quantumuis pęniteant; & peccata post baptismum commissa non posse per aliquod sacramentum ex opere operato remitti; quia in Ecclesia non est talis potestas; ideo peccantes post baptismum hortandos esse, vt agant pœnitentiam internam, qua quærant à Deo remissionem peccatorum, quia solus Deus potest talia peccata remittere. *Vid. D. Ambr. lib.* 1. *de pœnit. cap.* 2. *Nouatiani* hanc hæresim ita moderati sunt, vt asseruerint peccata grauia non posse remitti, præsertim sæpe iterata; potestatem autem remittendi peccata leuia concedebant Ecclesiæ; & in hoc, vt volunt *aliqui Recentes*, discrepabant *à Montanistis*, qui nec pęnes Ecclesiam, nec pęnes Christum asserebant esse remedium remittendi peccata; & in Ecclesia nullam prorsus esse potestatem remittendi peccata quæcumque, siue grauiora, siue minùs grauia. Cæterùm refert *Morinus de pœnit. lib.* 1. *c.* 4. *n.* 1; quòd *Montanistæ* volebant peccata in Deum commissa non posse remitti ab Ecclesia; potestatem autem remittendi peccata in proximum, quæ sunt minùs grauia, sibi arrogabant; vt videri potest *apud Tertull. vbi s.* ex quo deducitur *Nouatianos* ab illis in hoc non discrepare.

41 *Lutherani, & Caluinistæ*, quanuis concedant in Ecclesia remedium à Christo institutum ad remittenda peccata post baptismum cōmissa, volunt tamen ipsum nihil aliud esse, quā memoriam baptismi iam suscepti cum fide remissionis peccatorum; ac propterea negant pęnitentiam significare verum sacramentum nouæ legis à baptismo distinctum; & à Christo Domino institutum. *Luther. de captiuit. Babyl. tit. de bapt; & Caluin. lib.* 4. *inst.* §. 15; *&* 17.

42 Om-

42 Omnes tamen catholici fatentur nomine pœnitentiæ significari etiam verum sacramentum à baptismo distinctum ex opere operato remittens peccata quantumuis grauia post baptismum commissa; quod *Gracè* dicitur *metanœa*; *& à PP. Gracis, & Latinis antiquis* vocatum fuit *manuum impositio*, vt à *S.P. Aug. lib. 5. de bapt. cont. Donatist. c. 20*; & *alibi*; *& à D. Leone ep. 3; & Conc. Lat. can. 9*; item à *Gracis* dictum fuit *exomologesis*, idèst *sacramentum confessionis*; vt *à Tertull; & S. Cypr. lib. 3. ep. 15; 16; & 17*; quo per figuram synecdoche significatur à parte totum; item *sacramentum reconciliationis* ab effectu; *& sacramentum absolutionis à Trid. sess. 14. can. 10*; quia in eo peccata absoluuntur; *& sacramentum communicationis, communionis, & pacis*; quia peccatores reconciliati per pœnitentiam restituuntur communioni sacramentorum Ecclesiæ; item *laboriosus baptismus, vt à Trident. vbis. c. 2*; item *secunda post naufragium tabula, vt a D. Hieron. in Isaiam 3; & ep. 65; D. Ambr. initio ps. 37*; & habetur 2. *de pœnit. dist. 1; & Trid. sess. 6. c. 14; & Fund. Doct. Æg. de celebr. miss. p. 1*; tandem vocatum fuit *medicina, seu remedium peccatorum post baptismum commissorum, indulgentia, remissio, crucifixio interioris hominis, cordis confractio, & veteris hominis in puluerem redactio*.

43 Quamuis autem *contra hæreticos* omnes concorditer fateantur pœnitentiæ sacramentum fuisse à Christo institutum, aliqualiter tamen discrepant in modo dicendi, & quantùm ad tempus, quo fuit institutum, nam *aliqui* volunt fuisse tantum à Christo institutum quantùm ad formale, seu quantùm ad potestatem absoluendi, non quantùm ad materiale, seu quantùm ad confessionem peccatorum, quam volunt institutam fuisse ab Ecclesia. *Ita Alen. p. 4. q. 18. art. 2, D. Bon. in 4. dist. 17. p. 2. art. 1. q. 2; & Marsil. Alij*, licèt concedant *cum communiori sententia* fuisse institutum à Christo quantùm ad materiale, & formale; attamen dissident quoad tempus; nam censent fuisse institutum *Matth. 12.* cùm Christus misit *Apostolos* prædicare; *vt Armacan. lib. 11. de qq. Armenor. c. 14; & 15; alij* in nocte cœnæ, *vt Auctor de operibus Cardinalibus; alij Matth. 4; alij Luc. 13.* Communior tamen sententia docet institutum fuisse *Io. 20. Ita Fund. Doct. Æg. sup. salut. Angel. fol. 14; & sæpe alibi*.

44 Vnica concl. Datur in Ecclesia catholica potestas remittendi peccata post baptismum commissa, & per consequens datur verum sacramentum, quod nomine pœnitentiæ significatur, realiter à baptismo distinctum à Christo Domino quantùm ad materiam, & formam *Io. 20.* institutum ad remittenda quæuis peccata quantumuis grauia post baptismum commissa.

Prob. 1. pars concl. *ex Io. 20. Accipite Spiritum Sanctum: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c. & Matth. 18. Quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cælis*. Arguitur autem sic. Apostolis fuit à Christo collata potestas remittendi quæcumque peccata post baptismum commissa; implicat enim dicere, quòd Apostoli remiserint peccata sine potestate remittendi, & quòd soluerint à quibuscumque peccatis sine potestate absoluendi; tum quia sicut per illa verba *Matth. vlt. Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; intelligitur collata baptizandi potestas, sine qua baptismus collatus esset inualidus; ita per illa verba: *Quorum remiseritis peccata; & quæcunque solueritis super terram*; intelligitur collata potestas remittendi peccata; tum quia potestas remittendi peccata est donum Spiritus Sancti, quod confertur per collationem Spiritus Sancti; Apostolis autem, quando iniunctum est, vt remitterent peccata, collatus fuit Spiritus Sanctus; dictum enim est eis: *Accipite Spiritum Sanctum*; ideo illis fuit collata potestas remittendi quæcunque peccata; sed in Ecclesia catholica manet potestas Apostolis à Christo collata; sicut enim manet potestas baptizandi, quæ pariter à Christo fuit Apostolis collata; ita manet potestas remittendi peccata; ergo in Ecclesia catholica est potestas remittendi quæcumque peccata post baptismum commissa. Atqui Ecclesia non remittit peccata, nisi per sacramenta, quibus tantummodò confert gratiam, quæ remittit peccata; ergo in Ecclesia datur verum sacramentum remittens peccata post baptismum collata. 2. In Ecclesia datur potestas ad remittenda quæcumque peccata; nam *Io. 20.* indefinitè dicitur: *Quorum remiseritis peccata*; propositio autem indefinita in materia necessaria, sicut est remissio peccatorum; quæ est simpliciter necessaria ad salutem, æquiualet propositioni vniuersali; *& Matth. 18.* explicitè sermo est de omnibus peccatis: *Quæcumque solueritis &c*; ergo in Ecclesia est potestas remittendi etiam peccata post baptismum commissa; aliter non esset potestas remittendi omnia peccata; sed solùm præcedentia baptismum, vel minùs grauia, scilicet ea, quæ sunt contra proximum, non magis grauia, & enormia, nempe quæ sunt contra Deum, vt blasphemabant *hæretici*; quod apertè repugnat *textibus Euangelij sup.* relatis. Atqui peccata commissa post baptismum non remittuntur per ipsum baptismum; quia remissio, quæ fit in baptismo, antecedit commissionem peccatorum, quæ fiunt post baptismum; remissio autem peccati subsequi debet ad illud peccatum, quod remittit, & ideo illud debet supponere, aliter vel nihil remitteret, vel remitteret, quod non est commissum, quod implicat; ergo remittuntur per aliud sacramentum distinctum, quod pęnitentiæ sacramentum vocatur. Tum quia si remitterentur per baptismum, fuisset sufficiens potestas baptizandi *Apostolis* collata; & sic frustra Christus de-

dedisset Spiritum Sanctum *Apostolis*, quando eis concessit potestatem remittendi peccata, quod est in fide absurdissimum. Tum quia gratia per baptismum collata, & per subsequens peccatum destructa non potest per repetitionem baptismi reparari, quia baptismus iterari non potest; ergo necesse est, vt per aliud sacramentum reparetur, quod pœnitentia vocatur.
3. Sacramenta instituta sunt, vt remedia peccatorum, in quæ natura humana ob proeliuitatem, quam habet ad peccandum, prolabitur; sed etiam post baptismum natura humana procliuis est ad peccandum; non enim baptismus immobiliter confirmat in gratia, vt docet experientia; ergo ad delenda peccata post baptismum commissa institutum est sacramentum, quod à nobis pœnitentia vocatur. Tum quia sanguis Christi, virtute cuius instituta sunt sacramenta, est infiniti valoris; ergo extenditur ad delenda quæcunque peccata siue ante, siue post baptismum commissa; & ideo sicuti ad delenda peccata ante baptismum commissa institutum fuit sacramentum baptismi; ita ad delenda peccata post baptismum commissa institutum est sacramentum pœnitentiæ; aliter valor sanguinis Christi non esset infiniti valoris, quia non remitteret omnia peccata; nec redemptio vniuersaliter extenderetur ad omnia peccata, quibus homines tenentur sub captiuitate Diaboli; nec Christus plenariè satisfecisset pro omnibus, & quibuscumque peccatis; quæ falsa sunt, & blasphema. Tum quia, vt arguit *Fund. Doct. de Renunc. Papa c.* 18, pœnitentia habet remittere peccata in virtute sacerdotij Christi; sicut enim est Christus, qui baptizat, & consecrat per os sacerdotis, ita est, qui absoluit; nam sacerdotium Christi est æternum; sed sacerdotium Christi habet remittere quæcumque peccata, quanuis grauissima; ergo idem. Quod conf. *Matth.* 12. *Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies*; quod exponens S.P. *Aug. lib.* 2. *de consensu Euangelist. c.* 4. prope finem ait; quòd per numerum denarium intelliguntur decem præcepta decalogi; per numerum autem vndenarium significatur peccatum; quia vndenarius numerus supergreditur, seu transgreditur denarium; peccatum autem est transgressio decem præceptorum Decalogi; dicendo autem dimittendum esse vsque septuagies septies præcepit *Petro*, cui claues dederat, vt remitteret quæcumque peccata contra Decalogum, quia numerus septenarius, quo vniuersa includuntur peccata multiplicatus cum numero vndenario constituit numerum septuagesimum septimum; *quo significatur*, inquit, S. P. *omnium prorsus remissio, & abolitio peccatorum*.

45 Respondent *hæretici*. 1. Illa verba dicta esse *solis Apostolis*, in quibus fuit solùm potestas remittendi peccata; quæ potestas non est refundenda in totam Ecclesiam. 2. Ea loca intelligenda esse de peccatis commissis ante baptismum. 3. Esse intelligenda de peccatis commissis in proximum, non in Deum.

Sed contra primum instat *S. Pacianus ep.* 1. *aduersus Sympronianum Nouatianum*: *An tantùm hoc solis Apostolis licet? Ergo & baptizare solis licet; & Spiritum Sanctum dare solis, & solis gentium peccata purgare; quia totum hoc non alijs, quàm Apostolis imperatum est.* Et paulò post. *Si ergo, & lauacri, & chrismatis potestas maiorum longè chrismatum ad Episcopos descendit; & ligandi quoque ius adfuit, atque soluendi*. Igitur si potestas remittendi peccata post baptismum commissa fuit *in solis Apostolis*, *& post Apostolos* non mansit in Ecclesia in eorum successoribus, quia talis potestas collata illis solùm fuit à Christo eo, quòd illis solùm locutus fuerit iubens, vt peccata remitterent; eodem modo loquendum esset de potestate baptizandi, confirmandi, ordinandi &c; illis enim solis locutus est Christus, & præcepit, vt baptizarent, manus imponerent &c; maior est enim potestas baptizandi, confirmandi, & consecrandi, quàm potestas remittendi peccata; quia maior potestas requiritur ad soluendum à peccatis hominem existentem extra Ecclesiam, quàm ad soluendum existentem intra Ecclesiam; & aliunde potestas confirmandi, & ordinandi competit solis Episcopis, potestas autem absoluendi competit etiam sacerdotibus; vnde hęc maior est ratione maioris vinculi; & illa maior ratione altioris ministerij; sed potestas baptizandi, confirmandi &c. *post Apostolos* mansit in Ecclesia, aliter in illa nullum sacramentum mansisset; ergo à fortiori mansit potestas remittendi peccata post baptismum commissa; quia hæc longè minor est illis potestatibus.

46 Cont. secundum instat *idem S. Pacian. ep.* 3. *ad eundem*. *Dicis hoc non ad fideles, sed ad cathecumenos pertinere &c. Quòd si ad gentes hanc soluendi licentiam, vel ligandi spectasse concedam, multò magis ad baptizatos pertinuisse conuincam. Nam si is solus potuit ligari, qui non habet vinculum, quantò magis ille, quem fidei iura tenuerunt*. Idèst maiorem potestatem habuerunt Apostoli, & habent Episcopi eorum successores in eos, qui subditi sunt, quàm in illos, qui subditi non sunt, ait enim *Apost.* 1. *Cor.* 5. *Quid mihi de ys, qui foris sunt, iudicare*; sed in eos, qui subditi non sunt, vt sunt catechumeni, habent potestatem remittendi peccata per baptismum; ergo à fortiori in catholicos, qui subditi sunt, habent potestatem dimittendi peccata. Præterea sacramentum reconciliationis non conuenit catechumenis, sed solis baptizatis; nam reconciliatio supponit amicitiam prius contractam cum Deo, & posteà per peccatum amissam; omnes autem, vt docet *idem Apost. nascimur filij iræ*; & non renascimur, nisi per baptismum, per quam Dei amicitiam acquirimus; quam posteà per peccatum com-

mis-

missum post baptismum amittimus; & tandem per mysterium, seu sacramentum reconciliationis recuperamus; sed penitentia est sacramentum reconciliationis, vt habetur *2.Cor.5. Dedit nobis mysterium reconciliationis; & c.7.* hortabatur *Apost. quendam Corinthium* fornicarium, & alios Christianos peccatores ad penitentiam; propterea *SS.PP.* vocāt sacramentum penitentię *sacramentum reconciliationis; vt S.P. Aug. ep.180. Alijs baptismum flagitantibus, alijs reconciliationem*; ergo pœnitentia est sacramentum, quo dimittuntur peccata post baptismum commissa.

47 Contra tertium instat *idem S. Pacian. vbi sup. Quæcunque solueritis, inquit; omnino nihil excipit. Quæcunque, inquit, vel magna, vel medica*; ergo per pœnitentiam remittuntur peccata nedum in proximum, sed etiam in Deum; aliter non remitterentur quæcunque, sed tantùm aliqua. Tum quia per baptismum quæcunque peccata, quantumuis grauia, remittuntur; ergo idem dicendum de penitentia, quæ dicitur *secundus, & laboriosus baptismus à SS. PP; & Concilijs, vt sup.* diximus.

48 Hanc sententiam propugnant communiter *SS. PP*, vt *S. Cypr; & Episcopi Aphricani ep. 54. ad Cornel. Papam; S. Io. Chrisost. lib. 3. de Sacerdotio; S. Ambr. lib. 1. de pœnit. c.2; S.P. Aug. vbi sup; S. Prosp. lib. 2. de vita contemplatiua c.2; S. Hil. can. 16. in Matth; S. Leo ep. ad Theodorum, S. Greg. hom. 26. in Euang.* Sic definierunt Concilia; vt *Romanum* coactum *à Cornelio Papa contra Nouatianos*, vt refert *Euseb. lib. 6. hist. Eccl. c.34; Nic. can. 8; Constantien. in Bulla Martini V; Flor. in decr. vnionis; & Trid. sess. 6. c. 14; & can. 29; & sess. 7. can. 1; & sess. 14. can. 1.*

49 Quòd autem sacramentum penitentiæ sit distinctum à sacramento baptismi, & ideo nō sit sola memoria baptismi *contra Luthero Caluinistas* prob. ijsdem rationibus; nam sacramentum baptismi habet remittere sola peccata ante baptismum commissa; penitentia verò sola peccata post baptismum patrata; vt docent *SS. PP. præsertim S.P. Aug. vbi sup;* vbi sacramentum penitentiæ distinguit á sacramento baptismi; ergo sunt duo sacramenta distincta. 2. Hæc duo sacramenta habent diuersam formam, & materiam, vt constat; ergo idem. 3. Si essent idem sacramentum, penitentia posset ministrari validè à laico, sicut ministratur baptismus; quod est falsum, vt *inf.* ostendetur, ergo sunt duo sacramenta realiter, & specificè distincta. *Vid. de sacram. in com. q.1. art. 5.* 4. Si penitentia non esset, nisi memoria baptismi cum fide remissionis peccatorum, sacerdos non esset minister remittens peccata, quod directè repugnat cum textibus allatis, quibus dicitur *Apostolis*, & eorum successoribus: *Quorum remiseritis peccata &c; Quæcunque solueritis &c*; nec peccata remitterentur ex opere operato ab ipsis sacerdotibus, sed ex opere operantis ipsorum penitentium, qui propterea essent ministri penitentiæ; posito enim actu rememoratiuo baptismi cum actu fidei, quòd sibi per baptismum remittantur peccata, quos actus aiunt *Luthero-Caluinistæ* ponendos esse ab ipsis penitentibus, non à sacerdotibus; aliter posset peccator absque eo, quòd aliquod cogitaret de penitentia; imò persistens obstinatus in suis peccatis iustificari, quod est apertè absurdissimum; ergo penitentia non est memoria baptismi. 5. Baptismus non iteratur, & penitentia iteratur. 6. Per baptismum remittuntur peccata quoad culpam, & penam, non autem per penitentiam.

50 Dices. 1. *S.P. Aug. lib. de nupt. & concupisc. c.33.* ait: *Lauacro regenerationis non tantùm peccata præterita, sed etiam posteriùs admissa remittuntur*; ergo nedum commissa ante, sed etiam post baptismum tolluntur. 2. *S. Fulg. de fide ad Petr. c.30.* vocat *baptismum fidei, & pænitentiæ; & Luc. 3.* dicitur quoque *baptismus pænitentiæ*; ergo penitentia non distinguitur à baptismo. 3. *Apost. ad Hebr. 6.* inquit: *Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt, reuocari ad pænitentiam; & c.10. Voluntariè peccantibus iam non relinquitur hostia.* 4. *Facilitas veniæ incentiuum prabet delinquendi ex D. Ambr. conc. 8. in ps. 118.* 5. In lege veteri pœnitentia non erat sacramentum; vt docet *Trid. sess. 14. c.1*; ergo nec in lege gratiæ; non enim erat minor necessitas in lege veteri, quàm in noua lege. 6. Antiqua Ecclesiæ decreta concedebant semel solummodò penitentiam; vt habetur *dist. 3. de pænit*; ergo non distinguebatur à baptismo, qui tantùm semel confertur. 7. *S. P. Aug. tract. 80. in Io.* inquit: *Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum*; sed in pœnitentia nullum interuenit elementum; ergo non est sacramentum. Tandem *Hebr. 12. Esau non inuenit pænitentiæ locum; Matth. 12.* peccatum in Spiritum S. irremissibile dicitur; *& Io. 5: Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, vt roget quis.*

Resp. ad 1. per baptismum remitti peccata subsequentia radicaliter præcedenter, non formaliter, & proximè; non enim pœnitentiæ sacramentum prodesset non baptizatis, cùm baptismus sit ianua aliorum sacramentorum; vt docet *S.P. Aug. ibid;* vbi nihil aliud intendit docere. Ad 2. dicitur baptismum sic vocari, quia in adultis qui baptizantur, necessaria est fides, qua credant in Christum, & virtus pœnitentiæ, qua de peccatis peniteant; si enim manentes cum affectu ad peccatum baptizentur, non recipiunt gratiam baptismi, quamuis recipiant characterem baptismi. Ad 3. dicitur *Apost.* loqui de sacramento baptismi, non penitentiæ, vt exponunt *S. P. Aug. in ep. ad Rom. circa finem; S. Ambr. lib. 2. de pænit. c.1; Chrisost; Theodoret; & alij;* idèst impossibile est, qui semel baptizati sunt, iterum per baptismum reuocari ad penitentiam; & sicut Christus semel mortuus est hostia pro nostris delictis; ita peccator semel moritur peccatis in baptismo

ita,

ita, vt pro peccatis subsequentibus baptismum, sicut non est alia hostia offerenda; ita non relinquitur alius baptismus. Ad 4. dicitur, quòd licèt facilitas veniæ præbeat incentiuum delinquendi; attamen impossibilitas præbet motiuum desperandi; magis autem caueri debet desperatio, quàm relapsus. Dicitur ergo, quòd facilitas veniæ præbet motiuum delinquendi, si impertiatur non habentibus veram pęnitentiam, verumque dolorem; secus si detur verè dolentibus, & pęnitentibus. Ad 5. neg. conf; nam in lege euangelica magis gratia abundauit; quanuis semper fuerit gratiæ necessitas. Ad 6. dicitur ea decreta respexisse rantùm pęnitentiam publicam, non autem sacramentum pęnitentiæ. Ad 7. dicitur *S. P. Aug. ibid.* loqui solùm de sacramento baptismi, cuius materia est aquæ elementum. Quòd si amplietur etiam ad alia sacramenta, dicitur elementum aliquando sumi pro re sensibili, quæ est causa alicuius effectus; & in hoc sensu verificatur etiam de pęnitentia; cuius materiæ verba sacerdotis accedendo sacramentum conficiunt. Ad 8. dicitur *Esau*, & *Iudam* non habuisse veram pęnitentiam; quia erat ex motiuo naturali, non Diuino, vt patet ex eius verbis. Ad aliud dicitur peccatum in Spiritum Sanctum dici irremissibile non simpliciter, sed secundùm quid, idèst difficulter ex parte peccatoris, non ex parte sacramenti; simpliciter tamen est remissibile, vt constat *de Nabucodonosor*; cui fuit remissa blasphemia. Ad aliud dicitur intelligi de impęnitentia finali; vt docet *S. P. Aug. lib. 1. Retract. c. 19.* Sic etiam intelligitur illud *Matth. 12*; non enim *ibidem* sermo est de quocunque peccato in Spiritum Sanctum, sed tantùm de peccato *perseuerantia in nequitia, & malignitate cum desperatione indulgentiæ Dei*; vt loquitur *S. P. Aug. in ep. inchoata ad Rom.* prope finem.

51 Prob. 2. pars concl. ex dictis *de sacram. in com. q. 2. art. 3*; vbi ostendimus materiam, & formam sacramentorum fuisse à Christo determinatas, & non posse ab Ecclesia mutari, vel in ijs dispensari. Tum quia *Trid. sess. 14. c. 1. & can. 1.* absolutè docet sacramentum pęnitentiæ fuisse à Christo institutum; sed sacramentum absolutè sumptum dicit materiam, & formam; ergo fuit institutum nedum quoad formam, sed etiam quoad materiam. Tum quia *in eadem sess. c. 5. & can. 6.* statuit confessionem, quæ spectat ad materiam pęnitentiæ, fuisse à Christo præceptam; ergo idem. Tum quia *sess. 21. c. 2.* docet substantiam sacramentorum non posse ab Ecclesia institui, vel mutari; sed tam forma, quàm materia spectant ad substantiam; ergo idem.

52 Quòd autem institutum fuerit *Io. 20*; expressè docet *idem Trid. sess. 6. c. 14; & sess. 14. c. 1.* asserens: *Dominus autem sacramentum pœnitentiæ tunc præcipuè instituit, cùm à mortuis excitatus insufflauit in discipulos suos dicens: Accipite Spiritum Sanctum: Quorum remiseritis peccata &c*; & subdit hanc esse *omnium SS. PP.* communem sententiam, & ratio est. Quanuis signum prognosticum alicnius rei debeat existentiam illius rei præcedere; attamen imago perfecta debet illam supponere; imago enim deriuatur ab originali, cuius est imago, & ideo illud supponit; sed sacramentum pœnitentiæ est imago mortis, & resurrectionis Christi; in illo enim homo moritur peccato, & resurgit ad gratiam, quæ est animæ vita; ergo debet supponere mortem, & resurrectionem Christi; & ideo fuit institutum post mortem, & resurrectionem, cùm Christus *Io. 20.* apparuit discipulis. Tum quia pœnitentia debuit institui post promulgationem baptismi, fuit enim instituta ad delenda peccata post baptismum commissa; sed baptismus fuit promulgatus post Christi resurrectionem, vt diximus *de bapt. q. 2. art. 2*; ergo idem. Tum quia tunc instituta est pęnitentia, quando collata est potestas remittendi peccata post baptismum commissa; sed hæc collata fuit *Io. 20*; ergo idem.

53 Obijc. *Caluin. Innoc. III. anno 1208.* præcepit annuam confessionem; *& S. Io. Chrisost. hom. 2. in ps. 50.* inquit: *Peccata tua dicito, vt deleas illa; si confundaris alicui dicere, dicito ea quotidie in anima tua*; sed confessio est pars pęnitentiæ, vt *inf.* ergo pęnitentia non est instituta à Christo saltem quoad omnes partes.

Resp. *Innoc.* determinasse tempus, quo debet recipi sacramentum pęnitentiæ, non autem illam instituisse; sicut enim licèt *à Papa* determinatum sit tempus Paschalis communionis, nec tamen propter hoc eucharistia ab ipso fuit instituta; ita à pari. Ad *D. Chrisost.* dicitur loqui de confessione publica, quæ fiebat ad excitandum ruborem, & dolorem peccatorum; non autem de confessione sacramentali; hæc enim à Christo fuit instituta, *& à D. Iac. c. 5.* promulgata illis verbis: *Confitemini alterutrum peccata vestra*.

54 Obijc. *alij* circa tempus institutionis. Pęnitentia sufficienter intelligitur instituta, *Matth. 18*; cùm Christus dixit: *Quæcunque alligaueritis &c*; tunc enim dedit *Apostolis* potestatem absoluendi; ergo non fuit instituta post resurrectionem. 2. Tunc Christus instituit pęnitentiam, quando illam exercuit; sed illam exercuit *in Cœna Cana Galileæ*, cùm dixit *Magdalenæ Remittuntur tibi peccata tua*; tunc enim protulit formam huius sacramenti; ergo idem. 3. Pęnitentia est præmittenda sumptioni eucharistiæ; ergo est instituta ante institutionem eucharistiæ; sed hæc est instituta ante mortem; ergo & illa.

Resp. ad 1. tunc promissam fuisse potestatem absoluendi, sed *Io. 20.* fuisse collatam. Vel dicunt *aliqui* tunc collatam fuisse potestatem plectendi reos in foro fori, non in foro conscientiæ. Ad 2. dicitur peccata *Magdalenæ* fuisse remissa virtute contritionis, vt Christus explicuit di-

dicens: *Quoniam dilexit multùm*; non autem virtute sacramenti; tunc enim viguit circuncisio; & sacramenta nouæ legis solùm à morte Christi suam virtutem sumpsere. Ad 3.neg.consi;cùm enim pęnitentia ordinetur ad eucharistiam,tanquam ad finem, ideo priùs eucharistia debuit determinari,quanuis in vsu pęnitentia, tanquam medium, debeat ad illam præmitti.

A R T. II.

An sacramentum pænitentiæ in re, vel in voto sit necessarium ad delenda peccata post baptismum commissa?

1 RESoluta fuit hæc difficultas *de bapt. q. 2. art. 8; & 9*; ideo pauca *hìc* sunt subiungenda.

2 *Luthero-Caluinistæ*, qui negant pęnitentiæ sacramentum fuisse à Christo institutum, negant pariter illud vllo modo esse necessarium ad salutem. *Quidam Petrus Oxomensis*, quanuis concederet pęnitentiam esse sacramentum à Christo institutum; attamen *in Syn. Compluten.* damnatus fuit tempore *Sixti IV.* eo, quòd exposuerat has duas conclusiones: *Peccata mortalia quantùm ad culpam, & pænam alterius sæculi delentur per solam cordis contritionẽ sine ordine ad claues*; &: *Praua cogitationes sola displicentia delentur sine ordine ad claues*; quibus affirmabat pęnitentiam nec in re, nec in voto esse necessariam lapsis in peccatum mortale post baptismum; vt refert *Estius hìc dist. 14. §. 7; & Castro de haresib. v. confessio. Baius prop. 71.* asseruit sacramentum pœnitentiæ in re susceptum esse necessarium ad salutem, & contritionem perfectam etiam coniunctam cum voto illud suscipiendi non remittere peccata absque actuali receptione sacramenti, nisi fortè in martyrio, vel in mortis articulo.

3 Sententia tamen catholica est sacramentum pœnitentiæ vel in re, vel in voto esse necessarium necessitate medij ad delenda peccata post baptismum commissa; & ad recuperandam gratiam, & acquirendam salutem. *Ita Fund. Doct. Æg. de Laud. Diuinæ Sap. c. 7; 8; et 9; et alibi; et omnes alij communissimè.*

4 Vnica concl. Sacramentum pœnitentiæ vel in re, vel in voto est simpliciter necessarium lapsis post baptismum ad delenda peccata, salutemque acquirendam.

Hæc concl; quæ de fide est, vtpotè definita *à Trid. inf*; satis probata fuit *de bapt. q. 2. art. 8; et 9*; eadem enim ratio, qua probatur baptismum esse necessarium ad delenda peccata ante baptismum commissa, probat etiam necessariam esse pęnitentiam ad remittenda peccata post baptismum patrata. Apertè deducitur etiam *Luc. 13. Si pænitentiam non egeritis, omnes simul peribitis; et 2. Cor. 7. Quæ enim secundùm Deum tristitia est, pęnitentiam in salutem stabilem operatur; et c. 12.* inquit *Apost.* se timere; ne *Lugeam multos ex ijs, qui ante peccauerunt; et non egerunt pænitentiam super immunditia, et fornicatione, et impudicitia, quam gesserunt.* Ex quibus sic. Vera pęnitentia, quæ delet peccata, importat dolorem coram Deo de peccatis commissis, quatenus scilicet sunt offensa Dei cum proposito non peccandi de cætero, & per consequens adimplendi omnia Dei præcepta; ergo importat votum, seu propositum confitendi, cùm potest; datur enim præceptum confitendi, vt constat ex illis verbis Christi *ad leprosos: Ite, ostendite vos Sacerdotib*; adeoq; si pęnitens non confiteatur, cùm potest, ostendit se non habere verum propositum, inquit *Fund. Doct. Æg. vbisup*; ergo vel importat ipsam actualem confessionem in re, & per consequens sacramentum in re, vel votum confessionis, & ideo sacramentum in voto. 2. Eadem est necessitas baptismi respectu peccatorum, quæ patrata sunt ante baptismum, quæ est pęnitentiæ per ordinem ad peccata post baptismum cõmissa; statuit enim *Trid. sess. 14. c. 2. Sacramentum pęnitentiæ lapsis post baptismum ad salutem necessarium est, vt nondum regeneratis ipse baptismus*; quam comparationem tradit *S. P. Aug. lib. de adulterinis coniugijs c. vlt. Quæ autem baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si fortè pęnitentem finiendæ vitę periculum preoccupauerit.* Quod repetit *ep. 180. ad Honorat; et lib. 20. de Ciu. Dei c. 9. Nec aliquid prodesset in periculis ad baptismum currere, ne sine illo finiatur hęc vita; nec ad reconciliationem, si fortè per pęnitentiam, malamuè conscientiam quisque à corpore Christi separatus est.* Idem habet *S. Ambr. lib. 7. in Luc. 15*; sed baptismus est simpliciter necessarius necessitate medij ad delenda peccata commissa ante baptismum; ergo & pęnitentia ad delenda peccata post baptismum patrata Tum ex illo *D. Hier.* asserentis, pęnitentiam esse *secundam tabulam post naufragium*; sicut enim baptismus, qui est prima tabula, est necessarius ad vitandum naufragium, quod æternam mortem minatur; ita pęnitentia, quæ est secunda tabula post secundum naufragium, eodem modo prorsus est necessaria. 3. Ex *Matth. 18. Quacumque solueritis etc; et Io. 20. Quorũ remiseritis peccata etc.* Sine solutione à captiuitate peccatorum, & sine remissione nequeunt deleri peccata, & salus acquiri; sed sine sacramento pęnitentiæ vel in re, vel in voto nequeunt solui peccatores à captiuitate peccatorum, & remitti peccata; ergo sine pęnitentia nequeunt deleri peccata, & salus acquiri. Atqui illud, sine quo res nequit haberi, est necessarium necessitate medij ad illud habendum, vt diximus *de bapt. vbisup*; ergo pęnitentia vel in re, vel in voto est necessaria necessitate medij lapsis post baptismũ ad delenda eorum peccata, & ad acquirendam salutem. Ma. patet; quia deletio peccatorum idẽ est,

est; ac solutio à peccatis, & remissio; quoties autem aliqua sunt idem, tunc nequit haberi vnum sine alio. Mi. deducitur ex allatis *textibus*; si enim possent solui, & remitti peccata extra sacramentum pœnitentiæ vel in in re, vel in voto, frustra data fuisset à Christo potestas soluendi, & remittendi sacerdotibus; vt arguit *S. P. Aug. hom. 49. inter 50. Non enim sine causa dictum est sacerdotibus: Quæ solueritis in terra, soluta erunt & in Cęlo. Non sine causa data sunt claues Ecclesiæ. Frustramus euangelium, frustramus verba Christi; promittimus vobis, quod ille negat.* Idem habet *S. Leo ep. 91. ad Theodorum*; ergo peccata nequeunt solui, & remitti sine sacramento pœnitentiæ vel in re, vel in voto. Idem dicendum esset de alijs sacramentis; si enim remissio peccatorum post baptismum commissorum, quæ est effectus proprius sacramenti pœnitentiæ, posset haberi sine sacramento pęnitentiæ in re, vel in voto, non esset in ratio, cur effectus proprij aliorum sacramentorum non possent sine illis haberi, & sic frustra essent sacramenta; quod est in fide absurdissimum. *Vid. de bapt. loc. cit*; & præsertim *art. 8. à n. 12.* vbi deciditur, an votum debeat esse explicitum, vel sufficiat implicitum; & an attritio sufficiat ad iustificationem extra sacramentum; & plura alia soluuntur de contritione, & martyrio huc etiam spectantia.

5 Obijc. 1. *Ex scripturis* habetur solam conuersionem in Deum sufficere ad remissionem peccatorum; vt *Isaia 30.* iuxta 70. *Cùm conuersus ingemueris, saluus eris.* 2. Etiam operibus misericordiæ id tribuitur; vt *Eccli. 3. Sicut ignem extinguit aqua; sic eleemosina resistit peccatis; & Tob. 4. & 12. Eleemosina ab omni peccato, & à morte liberat, & ipsa est, quæ purgat peccata; & Luc. 11. Date eleemosinam, & ecce omnia munda sunt vobis.* 3. *Trid.* ait Deum oblatione sacrificij inclytu placatum dimittere peccata etiam ingentia. 4. Etiam *oratione Dominica* dimittuntur peccata mortalia, vt docet *S. P. Aug. lib. 1. de pecc. merit. c. 14*; & lacrimis, vt *Luc. 7. legitur de Magdalena*; imò & fide; nam *paraliticus* sanatus fuit fide gestantium; ergo remissio peccatorum potest haberi sine sacramento pęnitentiæ; & per consequens non est necessarium lapsis ad salutem.

Resp. ad 1. conuersionem perfectam in Deum fieri per contritionem, contritio autem importat votum sacramenti; sicut enim auersio fit per delectationem peccati; ita conuersio in Deum fit per detestationem, fugam, & dolorem peccati, quo à peccato ad Deum conuertimur. Si autem conuersio sit sine contritione perfecta, quæ dicitur attritio; tunc tantùm dispositiuè remittit peccata, quia disponit ad recipiendum sacramentum, quo formaliter remittuntur peccata. Ad 2. dicitur opera misericordiæ remittere peccata imploratiuè, quia sunt media ad obtinendam gratiam, qua mediante possumus detestari peccata, & sacramentum pęnitentiæ recipere. Ad 3. dicitur *Trid.* declarare, quòd Deus sacrificij oblatione placatus gratiā, & pęnitentiam inspirat, qua veniam peccatorum per sacramentū reconciliationis recipiant. Ad 4. dicitur eodem modo *orationem Dominicam*, lacrimas, & fidem alienam remissionem peccatorum tantùm impetratiuè, & imploratiuè operari, non formaliter. Præterea ad hæc omnia dicitur, quòd si formaliter remitterent peccata excludendo sacramentum pęnitentiæ, baptismi quoque sacramentum excluderent; quia sunt propositiones generales, quæ extenduntur etiam ad non baptizatos; & sic superflua essent sacramenta; quod sine manifesta impietate dici nequit.

6 Obijc. 2. *Ex Matth. 18; & Io. 20.* colligitur etiam potestas remittendi venialia; & tamen ex hoc non infertur necessitas sacramenti pęnitentiæ ad remittenda venialia; ergo quanuis colligatur potestas remittendi mortalia, non tamen inde colligitur necessitas remittēdi in sacramento; cùm sicut venialia, possint remitti etiam extra sacramentum. 2. In lege veteri sola fides, & pęnitentia sine sacramento sufficiebant ad remittenda peccata mortalia; & ergo in noua lege; nam lex gratiæ non ademit vires fidei, & pęnitentiæ, sed potiùs auxit; quia gratiam abundantiorem dedit, & viam salutis ampliorem reddidit. 3. Quia baptismus est omnibus necessarius ad salutem, ideo quilibet homo potest esse illius minister; sed pęnitentiæ minister nequit esse quilibet homo; ergo non est necessaria, sicut baptismus. 4. Per martyrium cum sola attritione remittuntur peccata; ergo pęnitentiæ sacramentum non est necessarium. 5. Per contritionem remittuntur peccata; sed tunc non tenetur contritus suscipere sacramentum pęnitentiæ; aliter redderet falsam formam absolutionis; quia iam esset solutus à peccatis, & ideo falsum esset, quòd solueretur à sacerdote; ergo idem.

Resp. ad 1. neg. cons; sicuti enim quanuis remedium, quod est necessarium ad tollendam grauem infirmitatem, tollit etiam leues infirmitates, quia *quod potest maius, potest & minus*; attamen non sequitur, quòd sicut leues infirmitates possunt tolli sine illo remedio, scilicet per alia remedia minoris virtutis; ita & sine illo remedio possit tolli infirmitas grauis; sic à pari quanuis potestas clauium sacerdotibus data possit remittere mortalia, & venialia; attamen non sequitur, quòd sicut venialia possint tolli etiam sine sacramento; ita etiam mortalia; quia sacramentum institutum est ad salutem acquirendam per gratiam, quam confert; & quoniam mortalia tollunt salutem formaliter, venialia verò solùm dispositiuè; ideo est necessarium simpliciter ad tollenda mortalia, quanuis venialia tolli possint etiam sine sacramento. Ad 2. dist. ant. Sufficiebat ex opere operato, neg; ex opere

operantis, cone. Maior ergo est vis pęnitentiæ in lege euangelica,quia remittit peccata ex opere operato ,& non tantùm ex opere operantis. Ideo neg.conf. propter disparitatem allatam. Ad 3. dist. ma. Quia baptismus est necessarius omnibus ad salutem etiam paruulis, gentilibus &c;ideo eius minister est quilibet homo; est enim sacramentum summæ, & vniuersalis necessitatis, conc; sed in hoc sensu neg. mi; non enim pęnitentia est necessaria paruulis, gentilibus&c;ideo eius minister non debuit esse quilibet homo, sicut debuit esse minister baptismi. Quia baptismus est necessarius præcisè, neg.ma. Additur, quòd quia pęnitentiæ sacramentum est necessarium omnibus lapsis post baptismum,ideo potest suppleri per contritionem, quæ inuoluit votum sacramenti pęnitentiæ; & hoc sufficit ad salutem; etiamsi sacramentum conferri non possit à ministro; quod satis est ad saluandam ipsius necessitatem. Ad 4.dist.conf. sacramentum pęnitentiæ non est necessarium, vel in re, vel in voto, neg; in ipso enim martyrio habetur sacramentum pęnitentiæ in voto;sicut habetur sacramentum baptismi à non baptizato. Ad 5.neg.mi;nam si contritus non confiteretur, cùm potest, non esset verè contritus, vt docet *Fund.Doct.c.*11.*vbi*; *& Quodl.*2.*q.*28; quia non haberet intentionem implendi Dei præcepta, quorum vnum est de confessione facienda; nec vellet se in tuto ponere; quia nemo scit certè, an sit contritus, vel attritus; per sacramentum autem ex attrito fit contritus. Ad prob.insert.dicitur; quòd forma semper est vera; quia sensus eius est: *Ego confero tibi gratiam sufficientem ad remittenda omnia peccata*, quanuis illa iam inueniat remissa. Tum quia absoluit à pœnis, quæ illis peccatis debentur, & sic semper verificatur; contritus enim accedens ad sacramentum soluitur aliqualiter à pœnis temporalibus peccatorum; & ideo quanuis esset solutus à peccatis quoad culpam,non tamen quoad pœnam.

7 Præter allatum discrimen inter baptismum, & pœnitentiam, scilicet quòd baptismus est omnibus etiam paruulis,& gentilibus necessarius ad salutem; pœnitentia verò solis baptizatis, qui post baptismum peccarunt, reperitur alia differentia; scilicet quòd baptismus iterari non potest, quia imprimit caracterem indelebilem;pęnitentia verò potest iterari toties,quoties peccatum committitur; & habetur expressè *in scripturis, vt Ezechiel.*18; *&* 33; *Isaia* 1; *&* 30; *Matth.*11; *Rom.*1; *& innumeris alijs in locis*, in quibus vocantur peccatores ad pęnitentiam post quæcunque, & quotcunque peccata absq; vlla prorsus limitatione; & Christus *Matth.*18; *& Io.*20. dedit potestatem *Apostolis* remittendi omnia prorsus peccata, & per consequens etiam illa, quæ post iam susceptum sacramentum pęnitentiæ patrantur. Tum quia Christus est *propitiatio pro peccatis totius mundi*, vt habetur 1.*Io.* 2; idest pro peccatis omnibus, quæ in mundo committuntur; & ideo etiam pro illis, quæ patrantur post susceptum pœnitentiæ sacramentũ. Tum quia nullum peccatum est simpliciter irremissibile, nec de vllo peccatore est desperandum, dum est in hac vita; ergo & peccata post susceptionem sacramenti pęnitentiæ patrata, sunt remissibilia. Atqui omne peccatum post baptismum commissum remittitur per pęnitentiam; ergo idem. Accedit continua Ecclesiæ traditio, & praxis, quæ nulli vnquam peccatori sacramentum pęnitentiæ negauit. Tandem hoc definiuit *Trid.sess.*14.*c.*2.

8 Dices. 1.Vera pœnitentia est, qua ita detestatur peccatum,vt ampliùs non cõmittatur; Christus enim *Io.*8.dixit: *Vade, & noli ampliùs peccare*; ergo pęnitentia non iteratur; quia si peccatur post primam pęnitentiam, illa pęnitentia vera non est; nam *S.P.Aug.lib.de vera, & falsa pænit.c.*13.ait veram pęnitentiam esse, quæ durat vsque ad finem vitæ; *& c.*8; *qua semper punit in se, quod dolet se commisisse. Et S.Greg.hom.* 14.*in Euang.*inquit: *Pœnitere est anteacta peccata flere, & flenda non committere*; ideo qui iterum committit peccata,verã pęnitentiã non habuit.

Resp. pęnitentiam, sicut & impęnitentiam, duplicem esse, scilicet finalem, & ad tempus; sicut autem impęnitentia ad tempus est vera impęnitentia; quia dum quis actu non pęnitet, verè dicitur impęnitens, quanuis in fine vitæ debeat pęnitere; ita pęnitentia,qua quis actu dolet de peccato commisso cum firmo proposito non peccandi de cætero, est vera pęnitentia, quanuis finaliter non sit duratura. Dist.igitur ant. Pęnitentia finalis, à qua pęnitens non potest deficere, conc; pęnitentia ad tempus, neg;sufficit enim ad hanc, vt actu non peccet, & habeat propositum ampliùs non peccandi; quanuis posteà ex humana infirmitate deficiat; & sic intelliguntur *SS.PP.* allati.

9 Dices 2.*Eccli.*21.legitur: *Si peccasti, non adycias iterum*; nam si iterum peccetur; *plagæ illius non est sanitas*; *& Hebr.* 17. *de Esau* dicitur: *Non inuenit pœnitentiæ locum, quanuis cum lacrimis requisiſſet eam*, ergo pœnitentia iterari non potest. 3.Nusquam legitur Christum bis sanasse claudum, vel cæcum, aut bis mortuum suscitasse; sed hæc miracula significabant peccata, quæ sunt infirmitates animæ; ergo nec istæ bis sanari possunt per pęnitentiam. 3.Iteratio pœnitentiæ aperit viam ad peccandum, & relaxat Ecclesiasticam disciplinam; ergo idem. 4.Baptismus non iteratur; ergo nec pęnitentia, quæ est secundus baptismus. 5.Plurimi *SS.PP.* asserunt iterandam non esse pęnitentiam;vt *Orig.hom.*15. *super Leuit.*25;*S.Ambr.lib.*2.*de pænit. c.*10;*&* 11; *S.P.Aug.ep.*54;*Cyrill, Alex.& alij.*

Resp.ad 1.sermonem esse de peccato post hanc vitam, seu de plaga, quæ infertur per mortem

tem æternam, quæ ſanari non poteſt. Ad aliud dicitur *Eſau* doluiſſe de vendita primogenitura ex cupiditate, & ambitione, qua ægrè ferebat fratrem ſibi fuiſſe prælatum; talem autem dolorem conſtat non fuiſſe ex amore Dei offenſi, ideo non fuiſſe verè pęnitentialem. Ad 2. diſt. mi. Significabant quoad omnia, neg; quoad aliqua, conc; ſignum enim non eſt neceſse, quòd in omnibus ſit ſimile ſuo ſignificato, aliter ab illo non differret. Ratio ergo, cur Chriſtus non ſanauit bis eandem infirmitatem corporalem in eodem homine, eſt, quia ita perfectè illam ſanauit, vt in eandem infirmitatem non reciderit. At ſanatus per gratiam, quia non ſanatur infirmitas naturæ, relabitur in peccatum, ideo pluries ſanandus eſt; medicus enim, vt Chriſtus ſe promulgauit, debet ægrotos ſanare, quoties eos ægrotare contigerit. Ad 3. iam fuit reſponſum *ſup*; quòd ſi pęnitentia non iteraretur, amplior panderetur via ad peccandum; ex deſperatione enim veniæ iretur in omne peccatũ. Ad 4. neg. conſ; nam baptiſmus habet rationem renaſcentiæ, pęnitentia verò medicinæ; ſicut autem ſemel tantùm naſcitur, & pluries ſumitur medicina; ita à pari. Ad 5. dicitur *SS. PP. locis allegatis* loqui de pęnitentia publica, quæ imponi ſolebat pro peccatis grauiſſimis manifeſtè commiſſis; multiplex enim eſt pęnitentia, ſeu multipliciter ſumitur. 1. Pro pęnitentia, quæ requiritur in adultis ad ſuſcipiendum baptiſmũ, de qua *S. P. Aug. hom. 27. c. 1. & hom. 50. c. 2.* inquit: *Nemo eligit vitam nouam, niſi quem veteris pęnitet; & de fide, et oper. c. 6; et lib. 4. de ſymb. ad cathechum. c. 1; et ep. 108.* tractat diffusè. Alia priuata, quæ imponitur à ſacerdotibus in ſacramẽto pęnitentiæ pro delictis occultis, & hanc nunquam publicè imponendam præcipit *Leo I. Ep. 80.* Alia publica, & ſolemnis, quam pęnitens ſubibat extra ſepta Eccleſiæ in veſtibulo in conſpectu omnium introeuntium veſtitus ſacco, & cilicio, & non recipiebatur in Eccleſia, niſi *feria 5. cœna Domini*; & hanc non licebat iterare, ne vileſceret hoc remedij genus, vt inquit *S. P. Aug. ep. 54*; & de hac loquuntur *PP.* in contrariũ adducti. Tandem pęnitentia publica non ſolemnis eſt illa, qua ob delictum publicum pœnitẽs publicè ſe accuſabat, ſed ſine publicis illis ceremonijs ſtandi ad fores Eccleſiæ; quia delictum non erat adeò graue. *Vid. inf. q. 2. art. 1. à n. 3.*

ART. III.

Quænam ſint materia, et forma, ſeu partes eſſentiales ſacramenti pœnitentiæ?

1 OMiſſis *Luthero Caluiniſtis*, qui, quia negant pœnitentiam eſſe ſacramentũ à baptiſmo diſtinctum, vt diximus *art. 1. §. 3*; conſequenter negant etiam partes componentes ſacramentum; quoniam tamen admittunt pęnitentiam eſſe communem legi veteri, & euangelio, ideo dicunt illam conſtare ex lege, & euangelio, tanquam ex partibus eſſentialibus, adeoque aiunt importare tantùm contritionem, ſeu terrorem conſcientiæ ortum ex minis legis, & fidem promiſſionis, quæ habetur in euangelio; confeſſionem autem, dolorem, aut ſatisfactionem nullo modo importare. *Aliqui* addunt importare etiam opus bonum, ſcilicet nouam obedientiam. *Alij* tandem loquentes de pęnitentia, vt eſt propria legis euangelicæ, & vt eſt ſacramentum à baptiſmo indiſtinctum, aſſerunt conſtitui tantùm ex abſolutione, & baptiſmo, ſeu memoria baptiſmi, & fide remiſſionis peccatorum. Conuulſa eſt hæc hæreſis *vbi ſ.* vbi probatum eſt pęnitentiam eſſe verum ſacramentum nouæ legis à baptiſmo diſtinctum; quo ſuppoſito neceſſariò ſequitur habere propriam materiam, & formã propriam, ex quibus conſtat quodlibet ſacramentum; adeoque vnum ſacramentum non poſſe eſſe partem conſtitutiuam alterius. Quòd autem inter eius partes materiales numerentur confeſſio, & ſatisfactio, *hic* oſtendemus.

2 *Catholici omnes* fatentur formam ſacramenti pęnitentiæ eſſe verba ſacerdotis: *Ego abſoluo te etc*; & materiam proximam eſſe tres actus pęnitentis, ſcilicet contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem. Differunt tamen in modo loquendi. *Aliqui* volunt ſolam formam eſſe partem eſſentialem intrinſecam; actus verò pęnitentis eſſe tantùm partes integrales, ſine quibus tamen non fit ſacramentum; ſicut cor, cerebrum, & hepar ſunt partes integrales hominis, ſine quibus tamen nequit eſſe homo; & ideo actus pęnitentis eſſe partes integrales principales; & ſicuti quamuis intentio miniſtri non ſit pars eſſentialis, attamen ſine ipſa non fit ſacramentum. Refertur *Scot. in 4. diſt. 14. q. 5; et diſt. 16. q. 1; Maior ibid. q. 1; Ocham. q. 8; et 9; Gabr. diſt. 16. q. 2; et plures Scotiſtæ*, qui conantur probare hanc fuiſſe *Scoti* ſententiam. *Maſtr.* tamen *hic diſp. 5. q. 11; et Brancat. de ſacram. in com. diſp. 2. art. 2; et de pęnit. diſp. 15. art. 1.* vindicãt *Scotum cont. Fabr. Aretin; Hirsbarn; et alios* oſtendentes ipſum docuiſſe ſolùm pęnitentiam ſecundùm id, quod dicit in recto, non importare tres actus pęnitentis, quos tantùm importat in obliquo; abſolutè tamen docere eſſe partes intrinſecas; quia non repugnat aliquod, quod ſignificatur tantùm in obliquo, eſſe partem eſſentialem; vt patet de albo, quod ſignificat tantùm in obliquo parietem, & tamen paries eſt pars eſſentialis huius cõcreti accidentalis. *Alij* è contra videntur velle ſolos actus pęnitentis eſſe partes intrinſecas, abſolutionem verò eſſe tantùm complementum ſacramenti. Tribuitur *Soto*. *Alij* verò volunt ſolam confeſſionem, & ſatisfactionem eſſe partes intrinſecas, contritionem verò, quia non eſt ſenſibilis, ſed ſpiritualis, non eſſe partem

huius

huius sacramenti. Referuntur *Dur; et Marf.*

3 Nostra sententia docet formam sacramenti pęnitentiæ, idest absolutionem & materiam, idest tres actus pęnitentis, qui sunt contritio vel perfecta, vel imperfecta, quæ dicitur attritio, confessio, & propositum satisfaciendi esse partes intrinsecas constituentes pęnitentiæ sacramentum; ipsam autem satisfactionem actualem esse partem integralem. *Ita Fund. Doct. Æg. de Laudib. Diuinæ sapientiæ c. 10; et 11; Argent; Gibbòn disp. 7. dub. 3; et communiter omnes nostri; omnes Thomistæ, Neoterici,* quibus adduntur *Mastr. vbis;* apud quem *alij Scotistæ.*

4 Vnica concl. Forma sacramenti pęnitentiæ est absolutio, seu verba absolutionis prolata à sacerdote; materia verò sunt tres actus pęnitentis, scilicet contritio in corde, confessio in ore, & satisfactio in opere; quorum primi duo sunt partes essentiales intrinsecæ; satisfactio verò in opere est tantùm pars integralis, quamuis propositum satisfaciendi sit pars essentialis.

Prob. 1. pars concl. *ex Matth. 18. Quæcunque solueritis super terram etc; et Io. 20. Quorum remiseritis etc;* sicut enim ex illis verbis *Matth. vlt. Baptizantes eos in nomine Patris, et Filij, et Spiritus sancti;* colligitur formam baptismi esse: *Ego te baptizo in nomine Patris etc;* ita ex allatis verbis colligitur formam sacramenti pęnitentiæ esse: *Ego te absoluo.* Ideo *Flor. in decr. vnion.* statuit: *Forma huius sacramenti sunt verba absolutionis, quæ profert sacerdos, cùm dicit: Ego te absoluo à peccatis tuis;* quod repetit *Trid. sess. 14. c. 3; et can. 4;* & ratio est. Verba prolata à ministro in alijs sacramentis sunt forma; vt constat de singulis; sed verba prolata à sacerdote: *Ego te absoluo à peccatis tuis;* sunt prolata à ministro in confectione sacramenti pęnitentiæ; ergo sunt forma. 2. Illud, quod habet rationem determinantis, & perficientis, habet rationem formæ; sicut illud, quod habet rationem determinabilis, & perfectibilis, habet rationem materiæ; illud enim habet rationem actiui, & per consequens formæ, quæ essentialiter est actus; hoc verò habet rationem passiui, & consequenter materiæ, quæ est potentia passiua; sed verba absolutionis habent rationem determinantis, & perficientis; quia determinant actus pęnitentis, vt sint sacramentum, & cum illis illud perficiunt; tres autem actus pęnitentis determinãtur ad esse sacramenti; nam sine verbis absolutionis non sunt sacramentum; ergo verba absolutionis sunt forma sacramenti pęnitentiæ. 2. Verba à Iudice prolata sunt forma iudicij; sed sacramentum pœnitentiæ habet rationem iudicij spiritualis, vt *inf;* ergo idem. 3. Forma intrinseca alicuius compositi est illa, sine qua nequit esse, nec intelligi illud compositum, vt constat; sed sine verbis absolutionis nequit esse, nec intelligi sacramentum pęnitentiæ, vt pariter est notum; ergo verba absolutionis sunt forma intrinseca sacramenti pœnitentiæ.

5 Dices. Denominatio sumitur ab essentia; sed hoc sacramentum denominatur ab actibus pęnitentis; ergo essentia huius sacramenti consistit solùm in actibus pęnitentis.

Resp. dist. ma. Semper, neg; aliquando, conc; sic baptismus denominatur ab actione ablutiua, quæ non est tota essentia baptismi, sed solùm materia proxima. Præterea hoc sacramentum denominatur etiam sacramentum absolutionis à forma; aliquando confessionis ab vno tantùm actu pœnitentis; aliquando reconciliationis ab effectu, vt *sup.* diximus. Ergo denominatio non habetur semper ab essentia adæquatè sumpta, sed aliquando etiam ab ipsa inadæquatè accepta; vt in casu.

6 Prob. 2. pars concl. *ex Flor; & Trid; vbis. Sunt autem quasi materia huius sacramenti ipsius pęnitentis actus, nempe contritio, confessio, & satisfactio;* & colligitur *ex SS.PP;* vt *D. Io. Chrisost. hom. de pęnit. Perfecta pęnitentia cogit peccatorem omnia libenter ferre. In corde eius contritio, in ore confessio, in opere tota humilitas, vt videlicet, quibus modis Deum offendimus, offendimus autem corde, ore, & opere, ijsdem reconciliemur Deo.* Idem habet *D. Cypr. serm. de lapsis; D. Ambr. ep. ad Virginem lapsam; & de pœnit. cont. Nouatianos; S.P. Aug. hom. 49. & 50; S. Leo ep. 91. ad Theodor; & Fund. Doct. Æg. vbis. 10. Pęnitentia constat ex tribus actibus, qui sunt contritio in corde, confessio in ore, & satisfactio in opere.* Ratio autem est. Omne sacramentum nouæ legis constat ex materia, & forma, tanquam ex partibus essentialibus intrinsecis. Atqui materia sacramenti pœnitentiæ sunt actus pęnitentis; ergo actus pęnitentis sunt partes materiales essentiales intrinsecæ. Ma. constat discurrendo de singulis sacramentis; nam ablutio est materia proxima, ex qua fit baptismus; vnctio chrismatis in fronte est materia proxima, ex qua fit confirmatio, & sic de alijs; & ratio est; quia omne sacramentum est compositum quoddam artificiale; sed de ratione essentiali cuiusuis compositi est, quòd constet ex partibus, quarum vna habet rationem formæ, altera verò rationem materiæ; secus si istæ partes non essent intrinsecæ ipsi composito siue substantiali, siue accidentali, siue artificiali, iam compositum intrinsecè esset res simplex, sic non esset compositum; simplex enim opponitur composito; & ideo esset, & non esset compositum; quod repugnat in terminis; ergo omne sacramentum nouæ legis essentialiter constat ex materia, & forma tanquam ex partibus essentialibus intrinsecis. Mi. est de fide. Mi. subsumpta traditur *à Flor; & Trid;* nec obstat, quòd actus pœnitentis vocentur *quasi materia;* vt enim explicat *Cathechism. Rom. de pęnit. n. 14; & omnes DD;* imò *& Mastr. vbis. n. 311;* vocantur, *quasi materia,* quia non sunt sensibiles eo modo, quo est sensibilis materia proxima aliorum sacramen-

cramentorum, v.g. ablutio, vnctio &c; nam contritio non est sensibilis, cùm sit actus existens in corde; fit autem sensibilis pro confessionem externam sensibilem, ratione cuius fit materia pœnitentiæ; ideo dicitur *quasi materia*; quia ita concurrit ad sacramentum, ac si esset sensibilis. Tum quia nulla alia materia proxima est assignabilis in sacramento pœnitentiæ; ergo si actus pęnitentis non essent materia pęnitentiæ, pęnitentia esset sine materia, & sic non esset sacramentum nouæ legis, quod diximus essentialiter constare ex materia, & forma. Tum quia materia proxima sacramenti est illa, super quam cadit forma, & cum qua producit effectum proprium illius sacramenti; sed forma pęnitentiæ cadit super actus pęnitentis; & simul cum illis producit remissionem peccatorum; quæ nequit à sola absolutione causari sine actibus pęnitentis; neque à solis actibus pęnitentis sine absolutione, quoties actus non sunt perfectè intensi; ergo actus pęnitentis sunt materia proxima essentialis intrinseca sacramenti pęnitentiæ. Item probari solet ex eo, quòd iudicium essentialiter constat, tanquam ex partibus intrinsecis, ex accusatione, defensione, & pęna satisfactoria; deficiente enim altero ex istis iudicium non est legitimum; sed pęnitentia est iudicium spirituale, in quo accusatur reus, defendit se implorando misericordiam, & punitur poena satisfactoria; ergo pœnitentia essentialiter constat, tanquam ex partibus intrinsecis, accusatione, quæ est confessio, contritione, quæ est defensio, & satisfactione, quæ est pęna quo peccatis inflicta. Tandem reijcitur principalis ratio *Aduersariorum*. In tantùm sola absolutio *per Aduersarios* est pars intrinseca pœnitentiæ, in quantùm ipsa solùm importatur in recto; actus autē pœnitentis importantur in obliquo; sed cons. est falsum; ergo & ant. Prob. mi. Partes componentes aliquod totum accidentale eodem modo importantur; album enim v.g non importat in recto solam albedinem; sed etiam rem albam; non enim albedo in recto denominatur album, sed res, cui vnitur albedo, denominatur alba. Tum quia compositum substantiale non dicit in recto solam formam substantialem, materiam verò in obliquo; aliter etiam corpus, seu materia esset extrinseca cōposito substantiali, quod repugnat *Physicæ*, quæ omnes docet materiam, & formam esse causas intrinsecas compositi substantialis; sed non minùs compositum accidentale, quàm substantiale essentialiter exigit fieri ex partibus vnitis, à quibus formaliter intrinsecè constituitur; ergo eodem modo importat vtranque partem in recto; quanuis vnam in genere causæ formalis, alteram in genere causæ materialis; & ideo in diuerso genere.

7 Prob. 3. pars concl. *ex D. Ambr. lib. 9. in Luc.* docente: *Petri lacrimas lego, satisfactionem non lego. Sed quod defendi non potest, ablui potest.* Ex quo sic. Illud habet rationem partis integralis, non essentialis alicuius totius, sine quo potest haberi essentia illius; vt sine manu, bracchio, vel pede potest haberi essentia hominis; ideo manus, bracchium, & pes dicuntur partes integrales, non essentiales hominis; sed sine satisfactione in opere potest haberi essentia sacramenti pœnitentiæ; si enim contritio sit perfectè intensa, & ardentissima, cuius signum sunt lacrimæ, quæ vi ardoris è corde distillant, vt *in D. Petro, D. Magdalena, & alijs*, quorum satisfactio pro peccatis non legitur; quanuis enim pęnitentes debeant esse ita dispositi, vt parati sint recipere quancumque pœnam pro delictis commissis; & sic habeant satisfactionem in voto, seu votum satisfaciendi; aliter non essent perfectè contriti; nam, vt docet *Fund. Doct. vbi sup. c. 10*; satisfactio in opere est pars contritionis; quando enim quis non habet tantùm dolorem, quantus requiritur ad satisfaciendum pro peccato, tunc iniungendū est aliquod opus bonum, vt mediante illo satisfaciat ex integro; & ideo non habet perfectam contritionem, qui non est paratus recipere satisfactionem à sacerdote iniungendam; tum quia cùm pœnitentia sit quasi *pęna tenentia*, qua satisfit pro peccatis, ipsa contritio, quæ essentialiter requiritur ad pœnitentiam, est formaliter satisfactio; & ideo quando non est talis & tanta, vt non sit sufficiens satisfacere ex integro, iniungendum est aliquod opus satisfactorium; ac propterea qui non habet voluntatem dispositam ad recipiendam satisfactionem, non est adæquatè contritus, ac verè pęnitens; attamen quando pęnitentes sunt plenè, adequatè, ardentissimeque contriti, sine satisfactione in opere tunc sacramentum pęnitentiæ est perfectum, quia habetur perfecta contritio. Tum quia sacramentum pœnitentiæ verè ministratur in puncto mortis, & si quis statim post absolutionem moriatur, verè moritur cum sacramento pœnitentiæ, quanuis nullam satisfactionem in opere agat in hac vita; satisfactio autem, quæ in alia vita restat agenda, est potiùs satispassio, quæ non est meritoria, sed simpliciter erogatoria debiti; & infligitur à iustitia Diuina extra sacramentum, non à ministro in sacramento; ergo satisfactio in opere est pars integralis, non essentialis sacramenti pœnitentiæ; quanuis votum, seu voluntas satisfaciendi, quæ non distinguitur à contritione, sit pars essentialis.

8 Obijc. 1. *S. Bernar. in sententijs c. 38.* inquit; *Pœnitentiæ partes sunt quinque contritio in corde, confessio in ore, maceratio in carne, correctio in opere, perseuerantia in virtute*; ergo partes materiales non sunt tantùm tres actus pœnitentis. 2. *S. Tho. q. 50.* illas enumerans non meminit absolutionis; ergo absolutio non est pars essentialis.

Resp. ad 1. *D. Bern.* enumerare partes subalternas

alternas, non principales; nam correctio vitæ in melius, & votum perseuerandi in virtute spectant ad veram contritionem; maceratio autem carnis ad satisfactionem. Ad 2. dicitur *D.Tho.* enumerare tantùm partes materiales, non verò omnes etiam formalem.

9 Obijc. 2. Contritio non est quid sensibile; ergo nequit esse pars materialis sacramenti pœnitentiæ, quod est quid sensibile. 2. Ita requiritur contritio ad pœnitentiam; sicut requiritur in adultis ad baptismum; sed in baptismo non est pars illius; ergo nec in pœnitentia. 3. Ad remissionem peccatorum in sacramento pœnitentiæ sufficit attritio, vt docet *Trid. seß.* 14. *c.* 4; ergo contritio non est pars essentialis. 4. Contritio est pars satisfactionis, vt docet *Fund. Doct. vbi s*; imò etiam ipsa confessio; quia per dolorem contritionis, & pudorem confessionis, tanquam per actus pœnales satisfit pro peccatis; ergo sola satisfactio est pars materialis. 5. Aliquando hoc sacramentum ministratur ei, qui nequit confiteri, sed tantùm per signa petit absolui; vt accidit in mutis, & infirmis existentibus in puncto mortis; quibus nec satisfactio debet imponi; ergo nec confessio, nec satisfactio sunt partes essentiales. 6. Materia debet existere simul cum forma, vt constituat compositum; sed satisfactio, & confessio non existunt simul cum absolutione; ergo non sunt partes materiales.

Resp. ad 1. dist. ant. Non est sensibilis per se, conc; per aliud, scilicet per confessionem vocalem, aut aliquem alium motum externum, neg. Sicut consensus ad matrimonium non est sensibilis, sentitur tamen per verba, vel per nutus; & sanctitas est quid spirituale, manifestatur autem Ecclesiæ per opera externa. Sicut ergo sufficit, vt consensus manifestetur per verba sensibilia ad hoc, vt sit pars essentialis matrimonij; ita dicendum de contritione. Ad 2. dist. ma. Contritio requiritur eodem modo, neg; diuerso modo, conc; ad baptismum enim requiritur, vt dispositio; ad pœnitentiam verò, vt pars materialis. Ratio autem huius est voluntas Christi, qui pro diuersis sacramentis diuersas materias, & formas determinauit; congruentia autem est; quia sicut medicinæ corporales aliæ exteriùs tantùm applicantur; aliæ verò sumuntur interiùs; ita sacramenta, quæ sunt medicinæ spirituales, alia debuerunt habere materiam externam, vt baptismus &c; alia materiam internam, vt pœnitentia. Ad 3. neg. cons; contritio enim alia est imperfecta, quæ vocatur attritio; alia perfecta, quæ absolutè dicitur contritio, vt *ibid.* docet *Trid.* Ad 4. dist. antec. Est pars satisfactionis generaliter sumptæ, prout dicit compensationem offensæ Deo illatæ, in quo sensu loquitur *Fund. Doct.*; conc; specialiter sumptæ, vt dicit impletionem pœnæ iniungendæ à sacerdote, neg. Idem dicitur de confessione. Ad 5. dist. antec. Qui nequit confiteri per verba, conc; vel per verba, vel per nutus, & signa, neg; confessio autem, quæ est pars materialis pœnitentiæ, exigit esse vel per verba, cùm fieri potest, vel si sic fieri nequit, saltem per nutus, & signa; hæc enim notificant contritionem; vt *inf.* dicemus. Ad id de satisfactione dicitur, non esse partem essentialem, sed integralem, vt diximus. Ad 6. dist. ma. In composito permanente, conc; successiuo, neg; tempus enim componitur ex præterito, præsente, & futuro, & tamen repugnat hæc tria esse simul. Cùm ergo absolutio habeat sequi ad confessionem, ideo nequit esse simul cum illa; & tamen simul cum illa constituit sacramentum pœnitentiæ.

10 Obijc. 3. Si materia essentialis sacramenti pœnitentiæ essent actus pœnitentis, sacerdos non efficeret sacramentum, sed pœnitens; & ideo sacerdos non esset minister huius sacramenti, quod est falsum; ergo idem. 2. Pœnitens diceretur iustificare se ipsum, sibi gratiam conferre, & remittere sua peccata; nam iustificatio, collatio gratiæ, & remissio peccatorum habetur nedum à prolatione formæ, sed etiam ex applicatione materiæ; sed hæc sunt absurda; ergo idem. 3. Potest dari sacramentum validum, & informe ob defectum doloris; ergo dolor, seu contritio non est essentialiter necessaria ad validitatem huius sacramenti. 4. Sacramentum essentialiter, & in recto consistit in illo signo, quod Christus instituit; sed hoc signum est sola absolutio; non enim instituit contritionem, confessionem, & satisfactionem; ergo idem. 5. *Trid. seß.* 14. *c.* 3. sicut et *Celon. c.* 3; ait vim sacramenti pœnitentiæ sitam esse præcipuè in verbis absolutionis; & contritionem, confessionem, & satisfactionem ad integritatem sacramenti pertinere; ergo sola absolutio est pars essentialis, & actus pœnitentis sunt partes integrales.

Resp. ad 1. neg. ant; nam causa efficiens est illa, quæ dat formam; vt agens naturale, quanuis non producat materiam, quia tamen producit formam, dicitur efficiens; subministrans autem materiam dicitur ad summum concurrere materialiter, non effectiuè; vt terra, quæ ministrat lignum artifici, non dicitur causa efficiens statuæ. Ad 2. dist. ma. Diceretur iustificare se ipsum ministerialiter efficienter, neg; materialiter dispositiuè, conc; præstat enim materiam, qua posita absolutio effectiuè causat gratiam iustificantem remittentem peccata; & hæc materia est dispositio ad gratiam conferendam à sacerdote mediante absolutione; vnde sicuti à forma habetur iustificatio, collatio gratiæ, & remissio peccatorum formaliter; ita ex applicatione materiæ habetur materialiter dispositiuè; à sacerdote autem ministerialiter effectiuè, quia formam producit, vt diximus. Ad 3. neg. ant; nam sine dolore sacramentum est nullum, & irritum. Ad 4. neg. mi; *Trid.* enim *vbi s.* statuit

actus

actus pœnitentis ex Dei institutione requiri; *et c. 5.* ait confessionem peccatorum institutam fuisse à Christo Domino; & ideo sunt signa à Christo instituta. Ad 5. *Trid.* nihil aliud docere, quàm illa verba: *Ego te absoluo*; esse essentialia; reliqua verò addita ab Ecclesia non spectare ad essentiam sacramenti, neque esse necessaria; non tamen per hoc excludit partes materiales; quæ licèt recipiant virtutem, & determinationem à forma; sicut dicitur de materia physica; attamen non sequitur, quòd non sint partes essentiales. Ad aliud dicitur *Conc.* vti hoc verbo *integritatis*, non *constitutionis* propter satisfactionem, quæ est tantùm pars integralis; compositum autem integrale supponit partes essentiales, vt constat; vnde cùm nullæ aliæ partes assignentur *à Trid*; quàm contritio, & confessio præter satisfactionem, concludendum est contritionem, & confessionem esse partes essentiales; aliter daretur totum integrale habens partes integrales sine partibus essentialibus, quod repugnat. Pars ergo integralis alia est tantùm integralis; & alia integralis simul, & essentialis; cùm etiam essentialis habeat integrare; non tamen è contra omne, quod integrat, est essentiale.

§. 1.

Soluuntur aliquot dubia circa formam penitentiæ.

11 QVæ diximus *q. 2. de bapt. art. 6. §. 1.* de forma baptismi, seruata proportione dicenda sunt de forma pœnitentiæ, quæ est secundus baptismus.

12 Igitur quæcumque variatio formæ pœnitentiæ est illicita, quia est contra ritum Ecclesiæ; & si significatum formale non mutet, sacramentum est validum; secus, si mutet. Variatio autem fieri potest vel per additiouem, vel per subtractionem verborum.

13 Necesse est exprimi actionem, personam ministrantem, & personam, cui hoc sacramentum ministratur; quia Christus sic instituit dicens *Io. 20. Quorum remiseritis peccata*; per illam enim vocem *quorum* explicatur persona, cui impenditur sacramentum; & per illud verbum *remiseritis* explicatur actio absolutiua, & persona absoluens, seu ministrans.

14 Ex hoc deducitur non esse necessarium exprimere pronomen *ego*; sufficienter enim exprimitur per verbum *absoluo*, quod significat primam personam, quam significat *ego*.

15 Si quis non adderet *à peccatis tuis*, adhuc validum esset sacramentum; vt censet *Estius hic dist. 15. §. 3*; nam *Flor; et Trid.* ad hoc indicandum dixit formam pœnitentiæ esse: *Absoluo te etc*; quibus assignauit essentialia, & tacuit verba, quæ solùm ad integritatem spectant, & ideo sunt merè ritualia, & ceremonialia. Ratio autem esse potest; nam illa verba: *Absoluo te*: cadunt supra materiam sacerdoti oblatam à pœnitente; sed hæc materia sunt peccata, loquendo de materia remota; vel est contritio peccatorum; *absoluo* autem cadit supra vincula, quæ tenent pœnitentem captiuum; quæ vincula non sunt nisi peccata; ergo per hoc verbum *absoluo* sufficienter exprimuntur peccata; & ideo etiamsi taceantur, habetur totum significatum formale, quod sufficit ad sacramentum.

16 Qui non adderet *in nomine Patris, et Filij, et Spiritus Sancti*; validè absolueret; vt censent omnes *cont. Dur*; in hoc enim distinguitur baptismus à cæteris sacramentis; quia baptismus, cùm sit sacramentum fidei, cuius mysterium præcipuum est Trinitas, ideo substantialiter importat expressionem Diuinarum Personarum; quod non conuenit alijs sacramentis.

17 Qui diceret; *Ego tibi remitto peccata tua*; vel *Ego tibi impendo sacramentum absolutionis*, vel *remissionis peccatorum*; validè absolueret; vt volunt *Caiet; Sot; Estius, et alij*; nam sicut dictum est: *Quæcunque solueritis etc*, ita dictum est; *Quorum remiseritis*; & ideo vtrunque verbum habetur *ex Scriptura*; & idem significat. Aliud verò idem est, ac si dicat; *Ego sacramentaliter te absoluo, vel remitto tibi peccata*; ideo in illis modis loquendi saluatur significatum formale.

18 Idem dicendum de eo, qui proferret formam in significatione passiua, dummodò exprimatur persona sacerdotis, & pœnitentis; *vt tu absolueris à me à peccatis tuis*; vel *à me remittuntur tibi peccata tua*; verba enim passiua eandem omnino significationem habent, quam habent actiua. Secus verò dicendum; si quis diceret: *Absoluat te Deus; remittat tibi Deus tua peccata*; hic enim modus loquendi est tantùm deprecatorius; forma autem deprecatoria non vtitur Ecclesia, nisi in extrema vnctione; vt colligitur *ex Iac. 5*; vbi dicitur orandum esse super infirmum; orare autem est deprecari; quod de alijs sacramentis non legitur *in Scripturis*; sed è contra exprimendam esse personam ministri, quæ non exprimitur in forma deprecatoria, colligitur.

19 Qui diceret: *Ego intendo te absoluere*: non absolueret; quia exprimeret solam intentionem absoluendi, quæ potest esse sine externa actione absolutiua; potest enim quis habere intentionem faciendi aliquam actionem externam; & illam non facere; vt intentionem comedendi, & non comedere; actio autem absolutiua necessariò est exprimenda.

20 Sacerdos *Latinus* vtens hac forma, qua vtuntur *Græci*, vt refert *Arcudius lib. 4. de sacram. c. 3. Ego habeo te absolutum*; habeo te donatum venia, vel illa, qua vtuntur *Armeni*; *Misereatur tui amator hominum Deus, & remissionem tibi concedat omnium peccatorum, quæ confessus es, & quæ obli-*

oblitus. *Et ego te absoluo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti*. *Deinde auctoritate per ordinem sacerdotij mihi tradita ex Diuina iussione per illa verba*: *Quacumque solueritis super terram, erunt soluta & in cælis*; *ijsdem verbis Ego absoluo te ab omnibus peccatis tuis, quæ cogitatione, verbo, & opere commisisti, in nomine Patris &c*; validè quidem absolueret, quia verba essentialia proferret; peccaret tamen grauiter, quia ritum suæ Ecclesiæ non seruaret.

21 Aliquæ conditionales non inualidant sacramentum; vt si quis diceret: *Si ego sum sacerdos; si tu es baptizatus, absoluo te &c*; istæ enim conditiones non suspendunt actum absolutionis. Aliæ verò inualidant, quia suspendunt absolutionem, vt v. g. *Si tu restitues rem alienam, absoluo te &c. Ita Estius*. Grauissimè tamen peccaret, quia primæ faciunt dubium sacramentum, & abutuntur ritu Ecclesiæ; aliæ verò irritant sacramentum; quia conditiones de futuro suspendunt actum de præsenti. Conditiones ergo de præsenti, & præterito non inualidant, sed tantùm sunt illicitæ; conditioues verò de futuro sunt inualidæ, & illicitæ.

22 Si omittantur preces præambulæ ad absolutionem valida est absolutio, quia illæ non spectant ad essentiam absolutionis, vt statuit *Trid. sess.* 14. *c.*3; grauiter tamen peccatur, quia non seruatur ritus Ecclesiæ. Si tamen fit extrema necessitas, vt si pœnitens esset in periculo vitæ; vel esset magna pœnitentium multitudo, quibus absoluendis tempus non sufficeret; tunc peccatum non esset.

23 Manuum impositionem non esse necessariam est communis sententia (quamuis etiam hoc nomine pœnitentia aliquando significetur) vnde nedum non pertinet ad essentiam formæ, vel materiæ, sed neque ad ritum Ecclesiæ de præcepto seruandum; significabat enim antiquitus manuum impositio, quæ *Ab Apostolis* deriuata est, orationem super hominem ad imperrandam ei gratiam à Deo; vt docet *S.P. Aug. lib.* 3. *de bapt. cont. Donatist. c.* 16; vnde cùm Ecclesia ordinauerit alias orationes super pœnitentes, vt *Misereatur &c*; quæ loco impositionis manuum censeri possunt; cùm aliunde manuum impositio super capita mulierum, vel monialium, vel aliorum, quorum caput tangi non potest, vel debet, haberi nequeat; ideo necessaria non reputatur.

24 Dices 1. *S. Leo ep.* 91. docet remissionem peccatorum post baptismum commissorum supplicationibus sacerdotum obtineri; ergo forma huius sacramenti debet esse deprecatoria. 2. Forma assertiua aliquando est falsa; vt cùm peccator non est verè pœnitens; tunc enim forma significat eum absolui, & tamen non absoluitur; ergo non est adhibenda. Tum quia ad pœnitentiam requiritur contritio; sed contritio remittit peccata; ergo forma absolutionis tunc non est vera. 3. Solus Deus remittit peccata; vt habetur *Isaiæ* 43. *Ego sum, qui deleo iniquitates*; ergo falsum est, quòd sacerdos absoluat à peccatis; & ideo solùm deprecatoriè absolutio est exponenda.

Resp. ad 1. *S. Leonem* loqui de precibus, quæ ex præcepto Ecclesiæ præmittuntur absolutioni; illæ namque implorant remissionem peccatorum, quam postea confert absolutio ex opere operato. Ad 2. neg. ant; nam semper verum est, quòd virtute illorum verborum remittantur peccata, nisi adsit aliquod impedimentum ex parte pœnitentis, seu ex defectu materiæ, quod tantùm significat illa forma. Ad aliud dist. ma. Requiritur contritio vel perfecta, vel imperfecta, conc; tantùm perfecta, neg; quando autem adest contritio perfecta, tunc sacramentum soluit pœnas peccatorum aliqualiter; & sic forma verificatur. Vel dicitur, sacramentum ex vi sua remittere, si non inueniat remissa. Ad 3. dicitur Deum remittere peccata principaliter potestatiuè, sacramentum verò formaliter ministerialiter, tanquam mysterium, quo mediante Deus illa remittit; sacerdotes verò efficienter ministerialiter; quod nequit negari; habetur enim de sacerdotibus: *Quorum remiseritis peccata &c*.

§. 2.

De materia remota sacramenti pœnitentiæ.

25 Dubia, quæ occurrunt circa materiam proximam pœnitentiæ, quæ sunt tres actus pœnitentis, *in seqq. art.* explicabuntur, in quibus de ijsdem specialiter agemus. Superest ergo *hic* soluere ea, quæ occurrunt circa materiam remotam, quæ sunt peccata. Quoniam tamen materia remota sacramenti pœnitentiæ est illa, circa quam versantur actus virtutis pœnitentiæ; est enim illa, circa quam versatur materia proxima; & de hac iam diximus *art.* 1. §.2. *à n.* 21; ideo breuiter addenda, quæ spectant ad pœnitentiam, vt est sacramentum, licèt ad eam non spectent, ut est uirtus.

26 Hoc autem discrimen est inter materiam proximam, & remotam sacramenti pœnitentiæ; quòd materia proxima est materia *ex qua*; materia uerò remota est *circa quam*; nam materia proxima est illa, ex qua, tanquam ex parte essentiali, componitur sacramentum; sicut materia, ex qua componitur intrinsecè compositum physicum, est pars illius essentialis intrinseca; materia uerò remota est illa, circa quam uersatur materia proxima essentialiter; quotiescumque enim unum essentialiter refertur ad aliud; tunc quod includit primum essentialiter proximè, habet etiam respicere aliud, ad quod illud refertur; quia tamen illud respicit solùm mediante eo, quòd includit; ideo solùm remotè, seu mediatè dicitur esse illius materia.

27 Du-

27 Duplex materia remota sacramenti pœnitentiæ *communiter* admittitur, vt habet *Fund. Doct. Æg. in 2. dist. 25. dub. 2. lit.* Alia est necessaria, alia sufficiens. Necessaria est illa, sine cuius retractatione, & detestatione nullo modo potest peccator consequi vitam æternam; & ideo cùm sit necessariò expianda per sacramentum pœnitentiæ vel in re, vel in voto, vt diximus, *art. 2;* necessaria vocatur. Sufficiens sunt peccata venialia; cùm enim hæc non priuent gratia habituali, ideo quamuis in hac vita non expientur; attamen non impediunt simpliciter consecutionem æternæ salutis in alia, sed illam tantùm retardant, quousque pœna illis debita persoluatur. Hoc tamen non obstante, quia possunt etiam in hac vita expiari; si enim possunt expiari peccata mortalia, quæ sunt grauia, multò magis possunt expiari venialia, quæ sunt leuia; ideo si per sacramentum pœnitentiæ tolluntur mortalia; ita tolluntur etiam venialia; & per consequens rectè vocantur materia sufficiens, quia sufficiunt ad recipiendum sacramentum; & aliunde ad illa remittenda non est simpliciter necessarium sacramentum, cùm etiam sine, & extra sacramentum possint remitti. Igitur.

28 Peccata mortalia post baptismum commissa sunt materia necessaria; & venialia sunt materia sufficiens sacramenti pœnitentiæ. Est communis, & traditur *à Trid. vbi sup. c. 5. Venialia, quibus à gratia Dei non excludimur, & in qua frequentiùs labimur, quanquam rectè, & vtiliter, citraque omnem præsumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum vsus demonstrat; taceri tamen citra culpam, multisque alijs remedijs expiari possunt. Verùm cùm vniuersa mortalia peccata, etiam cogitationes hominis, iræ filios, & Dei inimicos reddant, necessum est omnium etiam veniam cum aperta, & verecunda confessione à Deo quærere.* Ex quibus sic. Illa est materia remota necessaria sacramenti pœnitentiæ, sine cuius confessione est inualidum hoc sacramentum; illa verò est materia sufficiens, quæ potest expiari in hoc sacramento, & extra sacramentum; sed sine confessione peccatorum mortalium vel in re, vel in voto nequit esse validum sacramentum pœnitentiæ; nam si quis in confessione taceat peccata mortalia, quæ post diligens examen occurrunt, inualidat sacramentum; aliter non esset necesse ea explicare, vt docet *Conc;* & peccata, quæ non occurrunt, sunt generaliter accusanda; seu *in vniuersum in eadem confessione inclusa esse intelliguntur, pro quibus fideliter cum Propheta dicimus ps. 18. Ab occultis meis munda me, Domine;* vt subdit *Conc;* peccata verò venialia, quamuis possint etiam extra sacramentum expiari, vt *oratione Dominica*, ieiunijs, eleemosinis, alijsque actibus pijs, & meritorijs; possunt tamen etiam in sacramento deleri; ergo peccata mortalia sunt materia remota necessaria; & venialia sunt materia remota sufficiens sacramenti pœnitentiæ. 2. Materia remota necessaria est illa, circa quam necessariò versatur materia proxima necessaria, & materia remota sufficiens est, circa quam potest versari, & non versari materia proxima; nam, vt docet *Trid. ibid. c. 4;* peccator debet necessariò dolere, & conterere se de peccatis mortalibus, vt disponatur ad recipiendam gratiam in sacramento; & potest etiam *rectè, & vtiliter* dolere de venialibus; quia potest doleri de omni eo, quod est offensa Dei, siue grauis, vt est peccatum mortale; siue leuis, vt est peccatum veniale; non tamen debet necessariò dolere de offensa leui, quia hæc non rescindit amicitiam, nec priuat gratia Dei, & consequenter non impedit, quin gratia remittens peccata mortalia in sacramento infundatur; ergo idem.

29 Dices 1. Si peccata mortalia essent materia remota necessaria pœnitentiæ, sequeretur, quòd sine peccatis mortalibus sacramentum pœnitentiæ esset inualidum; & sic peccata venialia non essent materia sufficiens ad hoc sacramentum; nam siue materia necessaria inualidum est sacramentum; vt sine aqua inualidus est baptismus; ergo prima pars huius dicti repugnat alteri parti. 2. Si venialia non essent materia necessaria, sequeretur confessionem non esse partem essentialem necessariam; dato enim, quòd quis non haberet, nisi venialia, posset illa in sacramento tacere, & absolui; sed conf. est falsum; ergo & antec. 3. Materia est, ex qua fit intrinsecè compositum; sed ex peccatis non fit sacramentum; ergo peccata non sunt materia huius sacramenti.

Resp. ad 1. neg. seq; necessarium enim duplex est; aliud simpliciter, & absolutè; aliud ex suppositione. Peccata mortalia sunt materia remota necessaria ex suppositione, quòd dentur; vt explicant *Conc. Lat; & Trid.* Ad 2. neg. pariter seq. Ad prob. infert. dicitur, quòd venialia dicuntur materia sufficiens, quia possunt expiari extra sacramentum, & in sacramento; vt docet *Trid;* supposito tamen, quòd quis non habeat, nisi venialia; & velit illa expiare in sacramento, necessariò debet aliquod illorum explicare; vel saltem generaliter se accusare de omnibus; non est autem necesse, quòd accuset se de illis in particulari; sicut est necesse de peccatis mortalibus, quæ occurrunt. Dicuntur ergo materia sufficiens; quia sufficiunt ad hoc, vt fiat sacramentum; possunt tamen deleri etiam extra sacramentum. Ad 3. dist. ma. Materia *circa quam*, neg; sic ferrum dicitur materia artis ferrariæ, quæ circa illud versatur, non tamen componitur ex ferro; materia, *ex qua*, conc; & in hoc sensu neg. mi.

30 Peccata iam confessa sunt materia remota sufficiens sacramenti pœnitentiæ. *Ita Fund. Doct. Æg. Quodl. 2. q. 27; & in 2. dist. 42. q. 1.*

q. 1. art. 31 & probat. 1. *Ex lib. de vera, & falsa pœnitentia c. 18. Mortalia in pœnitentia fiunt venialia*; ex quo infertur peccata mortalia iam confessa connumerari inter venialia, & dici venialia ex euentu; quia adueniente sacramento pęnitentiæ fiunt digna, vt veniam consequantur; sed peccata venialia sunt materia sufficiens; ergo & mortalia iam confessa. 2. In tantùm aliquod sacramentum nequit reiterari; in quantùm vel imprimit aliquod indelebile, vt baptismus, confirmatio, & ordo, quę imprimunt caracterem, qui deleri non potest; vel quia delent aliquod peccatum, quod iterari non potest; vt baptismus, qui delet peccatum originale, quod semel remissum repeti nequit; vel quia habet plenarium effectum, & tunc super eandem materiam nequit iterari; vt eucharistia, in qua verba consecrationis ita conuertunt omnino hostiam in corpus Christi, vt super eandem hostiam repeti nequeant; & sic de matrimonio, quod nequit replicari inter eosdem coniuges; & de extrema vnctione, quæ nequit iterari in eadem infirmitate; sed sacramentum pœnitentiæ non imprimit aliquod indelebile, quia non imprimit caracterem; neque delet aliquod peccatum simpliciter irreiterabile; quia delet peccata actualia, quæ repetuntur; nec semper habet plenarium effectum; quia licèt semper remittat peccata quoad culpam, & pœnam æternam; non tamen semper remittit omnem pœnam temporalem; quando enim contritio non est omnino perfecta, tunc quanuis per hoc sacramentum pœnitens absoluatur à culpa, & à pœnis inferni; non tamen absoluitur à pœnis purgatorij; quapropter *SS. PP.* communiter asserunt, *quòd pœnitentia habet adiunctum gemitum, & planctum*; quia pœnitentia mutat pœnam æternã in temporalé; ideo quando reiteratur, pœnitens magis à pęnis téporalibus absoluitur; à quibus tamé quia non statim soluitur, sed tantùm aliqualiter, vt non patiatur tantam pœnam, quanta peccatis iam confessis debetur; ideo potest semper repeti pęnitentia etiam super eadem peccata iam confessa, ergo pęnitentia super peccata iam confessa potest iterari. 3. In tantùm sacramentum nequit iterari; in quantùm producit eundem effectum; tunc enim sacramentum secundò collatum declararet primum non fuisse sufficientis valoris ad causandum illum effectum; sed pœnitentia secundò collata non causat eundem effectum; quia soluit à pœna temporali, à qua non soluit pœnitentia priùs collata; ergo pœnitentia potest iterari. 4. Prob. *ex praxi totius Ecclesiæ*; nam fideles consuescunt facere confessiones generales de omnibus peccatis toto tempore vitæ patratis, vel annuales, vel triennales; vt si quid ommissum ob obliuionem, vel ignorantiam, vel non perfectè confessum fuisset, per illas deleatur; & ad excitandum maiorem ruborem, dolorem, & contritionem; vt deleatur pœna illis debita; ergo peccata iam confessa sunt materia sufficiens pęnitentiæ. 5. In tantùm pęnitentia non esset reiterabilis super eadem peccata; in quantùm non posset verificari forma, qua dicitur: *Ego te absoluo à peccatis tuis*; ille enim ab illis iam esset solutus; sed hæc ratio non concludit, quia licèt esset solutus quoad culpam, & pęnam æternam, non tamen esset solutus quoad pęnam temporalem; tum quia quanuis habens actum contritionis perfectæ sit solutus quoad culpam, & pęnam æternam, vt docet *Trid.* attamen tenetur ex præcepto peccata iam remissa clauibus Ecclesiæ in sacramentum subijcere; & tamen tunc non falsificatur forma absolutionis; ergo peccata iam confessa sunt materia sufficiens pęnitentiæ.

31 Sed petes; an si fuisset à Deo reuelatum alicui eius peccata fuisse absoluta quoad culpam, & omnem pęnam, posset licitè eadem peccata denuò confiteri?

Respondent *aliqui Recentes* negatiuè; in tantùm enim potest quis verè absolui à peccato iam dimisso; in quantùm licèt peccatum verè sit remissum; attamen quia non est certum, quòd sit absolutus; perinde se habet moraliter loquendo, ac si non esset solutus; quia pęnitens semper manet in illa sollicitudine, & anxietate, vt absoluatur; at in casu ex Diuina reuelatione esset certus se fuisse absolutum; ideo non deberet iterum petere ab illis absolui.

32 Sed *Fund. Doct. vbi s.* in fine affirmatiuè respondet, quadruplex enim est effectus pęnitentiæ, vt colligitur *ex S. P. Aug. vbi s.* scilicet delere culpam, & pęnam æternam; reconciliare nos Deo, & Ecclesiæ triumphanti; satisfacere pro pœna temporali; & animæ vires roborare contra peccata actualia. Quamuis ergo certus sit pęnitens peccata commissa fuisse soluta quoad culpam, & omnem pęnam; sese reconciliatum fuisse Deo, & Ecclesiæ triumphanti; & satisfecisse pro pęna temporali; attamen quia per subsequens sacramentum magis roborarentur animæ vires; ideo posset pęnitentiæ sacramentum iterare; non enim haberetur idem effectus. Nec falsa esset forma; quia tunc sensus esset: *Ego gratiam absolutiuam à peccatis, si adsint, & roboratiuam contra peccata actualia tibi impendo*; sicut non est falsa, cùm tribuitur perfectissimè contrito ita, vt per talem contritionem sint ei totaliter dimissa peccata; post quam tamen certum est ex præcepto teneri ad illa confitenda in sacramento. Tandem dicitur, quòd cùm iuxta *SS. PP. pęnitentia semper habeat adiunctum planctum, & gemitum*; ait enim *D. Ambr. de pœnit. lib. 11. c. 101* & habetur *dist. 3. de pœnit. c. 2. reperiuntur: Præterea nos semper debet pœnitere peccati*; quia pro infinitæ Maiestatis offensa nunquam pęna finitur; ideo quantumuis sit remissa culpa, & pęna æterna, ac temporalis; attamen iterando pęnitentiæ sacramentum magis minui-

nuitur debitum luctus, gemitus, doloris, & pœnæ; & ideo verè soluitur pœnitens ab hoc debito. Hoc declarant *Sanctissimi viri*, qui quanuis à peccatis, & pœnis peccatorum omnino absoluti pœnitentiam ad extremum vitæ spiritum tenuere. Ex his deducitur debere confessarium super peccata præterita iterum confessa absolutionem semper impendere.

33 Peccata dubia positiuè siue iuris, siue facti sunt materia sufficiens, si sint leuia; & necessaria, si sint grauia, sacramenti pœnitentiæ; dubia verò negatiuè non sunt materia sufficiens pœnitentiæ.

Prob. 1. pars. Dubium iuris positiuì est illud, quo quis est certus se commisisse aliquod factum, dubitat tamen, an illud factum sit peccatum, seu sit aliqua lege Diuina prohibitum; & hoc dubium fulcitur aliqua, vel aliquibus rationibus satis probabilibus; dubium verò positiuum facti est, quo quis certus est tale factum esse à Deo prohibitum, dubitat tamen, an illi consenserit, vel an illud commiserit; & habet rationes pro vtraque parte vrgentes; sed in tali casu vnusquisque tenetur illud confiteri; quia, vt inquit *Fund. Doct. de Laud. Diuinæ Sap. c.* 11; tenetur animam suam in tuto ponere iuxta illud *Sapientis: Tene certum, & dimitte incertum*; illud autem, quod tenetur confiteri, est materia sufficiens pœnitentiæ, si sit leue; si autem sit graue, est materia necessaria, vt constat; ergo peccata dubia positiuè siue iuris, siue facti sunt materia sufficiens, vel necessaria pœnitentiæ.

34 Prob. 2. pars. Peccatum dubium negatiuè est merus scrupulus omnino inanis, & imprudens, quia est sine vllo prorsus fundamento; illud autem, de quo nullum est prorsus fundamentum iudicandi esse peccatum, prudenter censetur non esse peccatum; sed illud, quod non est peccatum, non est materia sufficiens, vel necessaria pœnitentiæ; ergo dubia merè negatiuè non sunt materia vllo modo pœnitentiæ.

35 Praxis ergo seruanda à Confessarijs in his dubijs, seu scrupulis est suadere pœnitentes, vt se accusent de peccatis aliàs confessis, vt materiam habeant absolutionis; & intendere saltem conditionatè absoluere etiam ab his scrupulis, si fortè peccati rationem haberent.

36 Contra 1. part. opponunt *Bonac, Suar, & Sanch*; qui tenent oppositum. Materia pœnitentiæ debet esse certa, sicut materia baptismi, eucharistiæ, & aliorum sacramentorum; sed peccata dubia non sunt materia certa; ergo non sunt materia pœnitentiæ. 2. In odiosis verba sunt restringenda; ergo obligatio confitendi peccata, non est extendenda ad dubia. 3. Nemo debet se reum declarare illius, cuius certus non est reum se esse; ergo idem.

Resp. ad 1. dist. ma. Materia *ex qua*, conc; materia *circa quam*, neg. Præterea dicitur, quòd licèt certum non sit tale peccatum esse mortale certitudine physica; certum tamen est esse saltem veniale, & ideo habetur materia sufficiens, & aliunde in tuto ponitur pœnitens, quòd sit absolutus ab eo, etiamsi sit peccatum mortale, & quanuis non adsit obligatio illud, vt veniale, confitendi; prout tamen habet annexum dubium, quòd sit mortale, obligatur ad id confitendum. Quòd si nec iudicaretur à confessario peccatum veniale; deberet suadere, vt confiteretur peccata aliàs confessa, vt diximus. Ad 2. neg. cons; confessio enim peccatorum est in fauorem peccatoris, cùm sit in absolutionem, non in condemnationem illius; ideo debet extendi, non restringi. Ad 3. dist. eodem modo ant. Nemo &c; vt absoluatur, neg; vt condemnetur, conc; pœnitens autem se facit reum de peccatis dubijs, vt absoluatur ab illis, & salutem suam ponat in tuto. Vel dist. Nemo debet declarare se reum absolutè de peccatis, quorum non est certus, conc, sub dubio, neg: peccata enim dubia sub dubio sunt confitenda, sicut peccata certa absolutè sunt accusanda.

37 Quæres; an peccatum confessum, vt dubium, adueniente posteà certitudine debeat iterum confiteri?

Resp. *Sanch; Turrians Diana, & alij* affirmatiuè; quia sola ignorantia excusabat à confessione illius peccati, vt certi; ideo ablata ignorantia resurgit obligatio illud confitendi, tanquam certum.

38 *Alij* verò distinguunt de peccato dubio quoad factum; & de hoc asserendum esse rursus, vt certum, subijciendum clauibus Ecclesiæ; si autem sit dubium iuris, non est subijciendum; quia habere scientiam iuris spectat principaliùs ad Confessarium, qui debet distinguere lepram à lepra; at verò explicare factum spectat ad pœnitentem, qui debet clarè sua peccata accusare. *Vid. inf. art.* 5. §. 3. *n.* 47.

39 Peccatum originale, & peccata commissa ante baptismum non sunt materia sacramenti pœnitentiæ. *Ita Fund. Doct. Æg. in c. firmiter de Summa Trin. fol. 4. col. 3; & communiter omnes*. Deducitur *ex Trid. sess.* 14. c. 1; & 2; vbi statuit sacramentum pœnitentiæ institutum fuisse ad reconciliandos fideles lapsos post baptismum; ex quo sic. Illa tantùm peccata, ad quæ delenda est institutum hoc sacramentum, sunt materia remota pœnitentiæ; aliter extenderetur ad id, per ordinem ad quod institutum non fuit, & non esset ratio, cur etiam baptismus non deleret peccata post ipsum commissa, quanuis ad illa delenda institutus non fuerit; sed ad delendum peccatum originale, & peccata post baptismum commissa non fuit institutum sacramentum pœnitentiæ; vt definit *Trid*; nam ad illa delenda institutus fuit baptismus, & ideo ad illa pœnitentia nequit extendi; aliter confunderentur inter se hæc duo sacramenta, quæ tamen non debent confundi, vt *sup.* diximus contra *Luthero-*

Caluinistas; tum quia pęnitentia dicitur *sacramentum reconciliationis*; reconciliatio autem essentialiter supponit conciliationem hominis cum Deo factam per baptismum; ideo essentialiter versatur tantùm circa peccata delenda, quæ hominem iam conciliatum Deo per baptismum, denuò inimicum Deo reddiderunt; ergo peccatum originale, & peccata ante baptismum commissa non sunt materia pęnitentiæ. 2. Iudicium nequit exerceri nisi tantùm in subditos; habet enim *Apost. 1. Cor. 5. Quid mihi de ys, qui foris sunt, iudicare*; & est manifestissimum apud omnes nullum Principem posse iudicare delicta, quæ fuerunt commissa à non subditis, vel eo tempore, quo subditi illius non erant; sed pęnitentia est instituta per modum iudicij Ecclesiastici; ergo non extenditur ad delendum peccatum originale, & peccata ante baptismum cómissa; illa enim fuerunt contracta, quando homo non erat subditus Ecclesiæ. Tum quia in tantùm baptismus delet peccatum originale, & peccata personalia ante ipsum commissa in quãtùm habet virtutem incorporandi eos Ecclesiæ, qui subditi illius non erant; & ideo circa illos versatur; at pęnitentia supponit pęnitentes esse subditos Ecclesiæ, quia supponit baptismum; ergo idem.

40 Dices 1. Pęnitentia extenditur ad omne peccatum, quod fuit voluntarium; sed etiam originale fuit voluntarium, quia omnes voluntatés fuerunt *in Adam*; ergo extenditurad delendum etiam peccatum originale; & ideo est materia remota pęnitentiæ. 2. In tantùm pęnitentia nequit absoluere peccata ante baptismum commissa; in quantùm per baptismum fuerunt prorsus deleta quoad culpam, & quoad pęnam; sed peccatum sic deletum potest esse materia remota pęnitentiæ, vt *sup.* dictum est; ergo idem.

Resp. dist. ma Quod fuit voluntarium post baptismum, conc. etiam ante baptismum, neg. Ad 2. neg. ma; ideo enim pęnitentia nequit versari circa peccata ante baptismum commissa, quia non fuit à Christo instituta ad illa delenda, cùm ad hoc institutus fuerit baptismus.

41 Inst. Sacramentum pęnitentiæ extenditur ad omne illud, ad quod extenditur virtus pęnitentiæ; quæ est pars essentialis illius; sed virtus pęnitentiæ extenditur etiam ad peccata ante baptismum cõmissa; est enim necessaria adultis ad baptismum recipiendum; imò etiam ad ipsum peccatum originale, vt probabiliter diximus *art. 1. §. 2. à n. 24*; ergo idem.

Resp. neg. ma; nam virtus pęnitentiæ fuit communis legi veteri, & nouæ, & in vtraq; fuit necessaria ad delenda peccata, vt habet *Trid*; sacramentum autem pęnitentiæ institutum fuit tantùm in lege euangelica; & ideo illa se habet vt quid commune; hoc, vt speciale; propterea illa magis, hoc minùs extenditur; quia illa necessaria erat etiam, quando non erat baptismus; & ideo delebat peccata etiam ante baptismum; sicut delet etiam de facto, vt cùm adultus perfectè conteritur, antequam ad baptismum accedat. Hoc autem institutum fuit solùm ad delenda peccata post baptismum commissa, est enim *secunda post naufragium tabula*; secunda autem tabula non inseruit ad euadendum primum naufragium, ad quod euadendum accommodata fuit nauis baptismi; vt inquit *Fund. Doct. de ccleb. Miss. p. 1.* Quanuis autem virtus pęnitentiæ sit pars sacramenti; attamen non sequitur, quòd sacramentum se extendat ad omnia peccata, ad quæ se extendit pęnitẽtia; nam quoties aliquod commune componitur cum aliquo speciali, tunc commune à speciali restringitur ad tendendum solùm in ea, in quæ tendit illud speciale; vt constat de animalitate, quæ prout composita cum rationalitate, extenditur ad solos homines; quanuis prout abstracta à rationalitate, extendatur ad omnia animalia etiam irrationalia.

42 Demum peccata præcisè aliena non sunt materia remota sacramenti pęnitentiæ. Diximus *præcisè aliena*; quia si illis aliquo modo cooperati sumus, ita sunt aliena, vt etiam nostra sint; ideo etiam à nobis sunt detestanda, & in sacramento accusanda. Prob. ex illo *Luc. 18*; vbi *Pharisæus* accusans tantùm aliorum peccata: *Non sum, sicut cæteri homines raptores, iniusti, adulteri &c.* iustificatus non fuit, quia non habuit veram pęnitentiam, quæ ad hoc sacramentum requiritur. Quanuis enim sacramentum non se extendat ad omnia, ad quæ se extendit virtus pęnitentiæ, vt diximus; non tamen potest se extendere ad aliquod, ad quod non se extendit pęnitentia; sed virtus pœnitentiæ non se extendit formaliter ad peccata aliena, vt diximus *art. 1. vbi sup. à n. 22*; vbi *vid.* alias rationes; ergo neq; sacramentum pęnitentiæ. Quòd tantùm impetratiuè, & impetratoriè potest alijs obtinere auxilia ad detestanda sua peccata; non autem illa formaliter, & ex opere operato delere.

43 An autem circũstantiæ mutantes, vel aggrauantes speciẽ peccati sint materia necessaria, vel sufficiens pęnitentiæ, dicemus *inf. art. 5. §. 3.*

44 Collig. ex dictis pęnitentiam, vt est sacramentum, rectè definiri posse per causam efficientẽ, finalem, formalẽ, & materialem simul hoc modo: *Pœnitentia est sacramentum nouæ legis à Christo Domino institutum ad remittenda peccata post baptismum commissa constans ex absolutione sacerdotali, tribus actibus pœnitentis, scilicet contritione, confessione, & satisfactione.* Dicitur *sacramentum nouæ legis*; quod stat loco generis, in hoc enim conuenit cum alijs sex sacramentis. Dicitur *à Christo Domino institutum*; quo designatur causa ministerialis efficiens excellenter. Dicitur *ad remittenda peccata &c*; quo monstratur causa finalis. Dicitur *constans ex absolutione sacerdotali*, quo ostenditur causa formalis; & *ex actibus pœnitentis*; quo significatur causa materialis.

45 Quæ-

45 Quæres; quid sit illud, quod in hoc sacramento est res sacramenti, & sacramentum simul?

Resp. esse contritionem; vt communiter docent *Theolog. cont. Palud; & Capreol;* qui docent esse supernaturalem animæ ornatum, qui antecedit gratiam sacramentalem, & illam significat. Prob. tamen. Illud est res, & sacramentum simul, quod significatur per illud, quod est sacramentum tantùm, & significat illud, quòd est tantùm res sacramenti; sed sola contritio, non ornatus, est huiusmodi; quia per confessionem, quæ debet esse cum gemitu, & planctu, vel saltem cum expressione doloris, significatur contritio, non ornatus; & contritio, cùm sit dispositio ad gratiam, illam significat; ornatus verò est potiùs effectus gratiæ; quia ex eo, quòd anima recipit, ornata, & pulcra efficitur; sicut sine gratia inornata, & deformis existit; ergo contritio, non ornatus, est res sacramenti, & sacramentum simul in sacramento pœnitentiæ.

46 Dices. Quod est res, & sacramentum simul, debet esse effectus illius, quod est sacramentum tantùm, & causa illius, quod est res sacramenti tantùm; sed contritio non est effectus illius, quod est sacramentum tantùm; antecedit enim sacramentum, & effectus nequit antecedere suam causam; ergo contritio non est res, & sacramentum simul.

Resp. *Fund. Doct;* quòd dispositio in genere causæ materialis antecedit formam, & in genere causæ formalis est effectus formæ, qui ab illa dimanat, vt patet de calore, qui in genere causæ dispositiuæ antecedit formam ignis in ligno; in genere autem causæ formalis est illius effectus, cùm sit proprietas dimanans à forma ignis. Dist. igitur mi. Contritio non est effectus in genere causæ dispositiuæ, conc; in genere causæ formalis, neg.

ARTICULUS IV.

Quid, & Quotuplex sit contritio?

1 **F**Und. Doct. Æg. de Laud. Diuinæ Sapientiæ c. 10. inquit, quòd contritio quoad nominis ethimologiam deriuatur *à contero*, quod idem sonat, ac frangere aliquid in minutissimas partes. Ducta ergo similitudine à re corporali sicut vas plenum fœtido humore, si minutas non frangatur in partes, totum non effundit humorem; sic cor peccatoris iniquitatibus plenum, si non frangatur, seu non compungatur de singulis, sed de vno tantùm, vel altero, virus peccatorum non emittit, sed cum suis iniquitatibus manet; docet enim *D. Greg. apud Mag. hic dist. 14. Quid prodest, si peccata luxuriæ quis defleat, & adhuc auaritiæ æstibus anhelat? & de vera, & falsa pœnit. c. 9. Quædam impietas infidelitatis est ab illo, qui iustus, & iustitia est, dimidiam sperare misericordiam*. Contritionis igitur nomen scissionem cordis significat iuxta *Ioel 2. Scindite corda vestra;* seu compunctionem, quo vocabulo sæpe vtuntur *SS. PP;* & habetur *ps. 4. Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini*.

2 Quoad rem significatam per nomen definitur contritio *à Trid. sess. 14. c. 4. Animi dolor, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero*. Quæ definitio habetur apud *Fund. Doct. vbi sup; & de Renunc. Papæ c. 14*.

3 Contritio diuiditur communiter in contritionem perfectam, & imperfectam. Ita etiam *Trid. ibid.* Perfecta est illa, *quæ perficitur charitate, & remittit peccata etiam ante actualem sumptionem sacramenti; & est ex motiuo charitatis perfectæ*. Imperfecta, quæ communiter attritio dicitur, *est illa, quæ concipitur ex turpitudine peccati, & ex metu gehennæ cum spe veniæ, & exclusione voluntatis peccandi*. De vtraque discurremus *in seqq. §.*

§. I.

Soluuntur aliquæ difficultates circa definitionem contritionis perfectæ.

4 **Q**Væritur 1; an contritio consistat formaliter in odio, & detestatione; vel in dolore?

5 *Luthero-Caluinistæ* in neutro ex his aiunt consistere; volunt enim contritionem esse solum propositum nouæ vitæ. Hunc errorem damnat *Trid. vbi sup;* & reiecimus *art. 3*.

6 *Caiet. in Opusc. tract. 4. q. 1.* ait contritionem formaliter consistere in odio, seu detestatione peccati putans odium, & detestationem esse eundem actum; dolorem verò esse proprietatem illius; sicut gaudium de actu peccaminoso sequitur ad amorem peccati. *Suar. hic q. 85. disp. 4. sect. 1. n. 4* distinguit detestationem ab odio, & ait contritionem in illa, non in isto, consistere. *Conineb. disp. 1. dub. 2; & alij* asserentes odium, detestationem, & dolorem esse vnicum tantùm actum realiter; diuersum tamen virtualiter, censent adequatè consistere in omnibus istis, quia omnes ponuntur in definitione contritionis, & ideo omnes spectant ad illius essentiam.

7 Nostra sententia docet rationem formalem constitutiuam contritionis esse dolorem de peccato commisso; odium verò, & detestationem esse rationem materialem præsuppositam; quia omnis dolor detestans, & odiens peccatum est contritio; non tamen omnis detestatio, & odium peccati præcisè est contritio; ideo odium, & detestatio se habent subiectiuè materialiter, dolor verò formaliter; propter quod vtrumque ponitur in definitione, in qua debet debet poni subiectum, quod stat loco generis, & differentia. Traditur à *Fund. Doct. de Renunc. Papæ*

pæ c.14.fol.24.col.4; docente: *Contritio nihil aliud est formaliter, quàm dolor de peccato*; idêst ratio formalis differentialis constituens contritionem est dolor de peccato; materialiter verò præsuppositiuè importat detestationem, & odium peccati, vt docet *de Laud. Diuina Sap. vbi s.* Sicut accidens formaliter nihil aliud importat, quàm aliquod extra essentiã substãtię; idêst ratio formalis constitutiua, & distinctiua accidentis à quolibet alio est extraneitas à substantia, quamuis etiam subiectum ingrediatur, vt quid præsuppositum, definitionem accidentis; & sic conciliari possunt allatæ sententiæ.

8 Vnica concl. Contritio formaliter differentialiter consistit in dolore de peccato; materialiter verò præsuppositiuè in detestatione, & odio peccati cum proposito non peccandi de cætero.

Prob. 1. pars *ex ps. 37. Dolor meus in conspectu tuo semper*; vbi *Dauid* contritionem suam vocat dolorem; *& Beatiss. P. Aug. hom. 50.* inquit: *Non sufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere, nisi etiam de his, quæ facta sunt, satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem*; & *apud nostrum Gibb. vbi sup.* definiens contritionem docet: *Est dolor remittens peccatum*; *& de vera, & falsa pœnit. c. 13. Semper doleat, & de dolore gaudeat, & se non semper doluisse doleat*. Ex quibus sic 1. Actus satisfactiuus pro peccato est dolor; nam *Apoc. 18*; vbi describitur satisfactio, quæ pro peccato exigitur, dicitur: *Quantùm se in delicijs glorificauerat, tantum ei tormentum, & luctum date*; nec aliter satisfaciunt Deo damnati, quàm dolore, quem ex pœnis recipiunt, vt luant pœnas delectationis, quam perceperunt peccando; sed contritio formaliter est actus aliqualiter satisfactiuus pro peccato, vt docet *S. P. Aug. vbi sup.* per ipsam enim remittitur culpa, & pœna æterna; & si sit intensa, remittitur etiam pœna temporalis; nec iustitia Diuina aliam satisfactionem exigit; ergo contritio formaliter sumpta in dolore consistit. 2. Illud solùm, quod dicitur ad conuertentiam cum definito, importatur formaliter; vt patet de rationalitate, quæ dicitur ad conuertentiam de homine, & formaliter importatur in definitione hominis; sed solus dolor de peccato est huiusmodi; nam odium peccati est etiam in Deo, in quo non est contritio; vt diximus *to. 4. de passionibus*; & detestatio peccati est etiam in beatis, in quibus non est contritio, quia in ipsis non est dolor; & licèt in damnatis sit dolor, & non contritio; ille tamen dolor est diuersæ speciei; est enim dolor de pœnis, non de peccatis; patiuntur namque dolorem inuoluntarium in vindictam peccatorum; contritio autem est dolor de peccatis, quo voluntariè quis dolet offendisse Deum, qui dolor in damnatis non est; ergo solus dolor de peccatis in definitione contritionis importatur formaliter. 3. Actus destructiuus peccati est solus dolor; nam si quis tristetur, odio habeat, & detestetur peccatum, & non doleat, peccatũ non tollitur; quapropter *SS. PP.* semper hortantur pœnitentes ad dolorem; sed contritio formaliter est actus destructiuus peccati; vt *inf.* dicemus; ergo formaliter est dolor. 4. Illud importatur formaliter, quod est radix inferens alia; vt rationalitas infert animalitatem, non è contra; sed dolor infert odium, & detestationem; de eo namque dolemus, quòd odio habemus, fugimus, & detestamur, non autem è contra, vt diximus; ergo idem.

9 Prob. 2. pars *ex S. P. Aug. serm. 7. de temp.* docente: *Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati, & amor Dei*; ergo contritio, quæ est actus pœnitentiæ, essentialiter importat odium peccati; sed non formaliter differentialiter; ergo tantùm materialiter præsuppositiuè. 2. Circa illud, à quo fugimus, vt malum, est odium; sed contritio fugit à peccato, vt malum; ergo contritio importat odium, & detestationem peccati. 3. Illa, quæ ponuntur in definitione, importantur vel specificè, vel saltem materialiter præsuppositiuè; vt constat de definitione accidentis; sed odium, & detestatio peccati ponuntur in definitione contritionis allata *à Trid.*; & non importantur formaliter differentialiter, vt diximus; ergo importantur materialiter præsuppositiuè. 4. Contritio est vnus actus *simplex* pœnitentiæ; ergo nequit formaliter constitui ex pluribus actibus; sic enim esset compositus ex pluribus actibus; & ideo simplex non esset, simplex enim, & compositum opponuntur.

10 Si dicatur illos tres actus non distingui realiter, sed tantùm virtualiter. Resp. experientia, quam potest habere vnusquisque in semetipso, constare distinctis actibus nos detestari peccatum, odio habere, & de illo dolere; potest enim quis detestari peccatum, vt est offensa Dei, & odio illud habere, & tamen de illo non dolere, vel quia incapax est doloris, vt est beatus; vel quia considerat delectabilitatem peccati simul, quæ nequit ad dolorem excitare. Dato tamen, quòd aliquando contingat actum doloris virtualiter tantùm continere actũ detestationis, & odij; tunc dicimus formalitatem doloris constituere formaliter contritionem; formalitates verò detestationis, seu odij, quæ sunt in eodem actu, tantùm materialiter ad illam se habere; quia hæc se habent, vt quid genericum, & indifferens, vt diximus; & ideo vt quid materiale; illa verò se habet, vt quid specificum differentiale, & ideo, vt quid formale.

11 Obijc. 1. Si quis eliciat actum intensum amoris Dei super omnia absque eo, quòd cogitet de dolore peccati, censetur habere verum actum contritionis; ergo non consistit in dolore. 2. Contritio formaliter consistit in actu, quo à peccato receditur; sed huiusmodi actus est odiũ, nam actus, quo à peccato receditur, est actus oppositus actui, quo commissum est peccatum,

reces-

recessus enim ab actu est per oppositum actus; actus autem oppositus actui peccaminoso est odium, quia actus peccaminosus est amor inordinatus boni creati; & actus oppositus amori est odium; ergo contritio formaliter consistit in actu odij. 3. Illa, quæ ponuntur in definitione rei, spectant ad essentiam illius, & ideo essentialiter illam constituunt; sed in definitione contritionis allata à *Trid.* ponitur dolor, & derestatio peccati; ergo vterque actus constituit contritionem. 4. Qui dolet de peccato, & non detestatur cum proposito non peccandi de cætero, neque paratus est pro illo satisfacere, non est perfectè contritus; non enim recedit, quantùm potest, & debet à peccato; ergo detestatio cum proposito non peccandi in futurum, & votum satisfaciendi simul cum dolore constituunt actum contritionis.

Resp ad 1. dist. ant. Censetur habere verum actum contritionis virtualem, conc; in illo enim actu amoris virtualiter continetur dolor de peccato formalem, neg. Ad 2. dist. ma. Contritio consistit in actu, quo receditur à peccato aliqualiter satisfactiuo, & cōpensatiuo pro peccatis eo modo, quo diximus *cum S.P. Aug. & alijs SS.PP.* conc; non satisfactiuo, aut compensatiuo, neg. Recedere ergo à peccato communiter conuenit dolori, & odio, quia sunt actus fugæ; attamen odium recedit à peccato, quatenus malum; dolor verò, quatenus offensa Dei; & per hūc constituitur contritio. Ad 3. dist. ma. Quæ ponuntur in definitione rei, quæ datur per additamenta, neg; vt patet de definitione accidentis, in qua ponitur subiectum; & formæ, in qua ponitur materia; & tamen neque subiectum constituit formaliter accidens, neque forma materiam. Quæ datur per partes essentiales, subdist. Spectant ad essentiam rei vel formaliter differentialiter, vt rationalitas in definitione hominis; vel materialiter, tanquam genus, vt animalitas; conc; tantùm formaliter, neg. Sic dist. mi. In definitione contritionis ponitur detestatio, & hæc definitio est per additamenta, conc; & est per partes essentiales, quæ sunt genus, & differentia, neg; constat enim, quòd vnus actus voluntatis indiuiduus non est genus ad alium actum. Ad 4. dist. cons. Constituunt integraliter, scilicet vel præsuppositiuè, materialiter, vel formaliter, conc, tantùm formaliter, neg.

12 Quæritur 1; quinam, & quantus dolor ad veram contritionem exigatur?

Dicendum dolorem, qui ponitur in definitione contritionis, esse actum voluntatis formaliter, non sensus, & per consequens esse spiritualem formaliter, non sensitiuum; quanuis possit etiam extensiuè participari à sensu; & debere esse formaliter maximum appretiatiuè ita, vt peccator magis doleat de offensa Dei, quam doleat se carere delectatione, quam affert peccatum; non tamen debere esse maximum intensiuè comparatiuè simpliciter ita, vt exigat summum conatum peccatoris sic dolentis, vt magis dolere non possit; sed requiri esse intensiuè maiorem comparatiuè ita, vt magis doleat de offensa Dei, quàm de priuatione delectabilitatis peccati; participatiuè autem in sensu non debere esse summum, & maximum.

Prima pars prob. ex verbis *Concilij* definientis: *Contritio est animi dolor*; dolor autem animi est actus voluntatis, non sensus; animus enim hominis significat spiritum per contradistinctionem à sensu; & deducitur *ex ps.* 50. *Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies*; *& ps.* 37. *Rugiebam à gemitu cordis mei; & Ioel.* 2. *Scindite corda vestra*; nomine autem cordis significari *in Scripturis* voluntatem hominis manifestissimum est; nam *Ezechiel.* 36. habetur: *Dabo vobis cor nouum*; quod de corde materiali, & sensibili nequit intelligi; sed de actu voluntatis nomine cordis significatæ communiter *à SS.PP.* sumitur. Ratio est. Dolor, quo formaliter retractatur peccatum, est actus voluntatis, non sensus; sed ad contritionem requiritur dolor, quo formaliter retractatur peccatum; ergo ad contritionem requiritur dolor, qui est actus voluntatis, non sensus. Mi. constat *ex Trid.* docente: *Est animi dolor, & detestatio &c*; dolor autem detestatiuus est retractatiuus; tum quia quousq; nō retractatur peccatum, manet affectus ad peccatum; non enim tollitur affectus, nisi per retractationem, quæ dicit priuationem illius; & quousque manet affectus ad peccatum, non est vera contritio. Prob. ma Dolor, quo retractatur peccatum, debet esse priuatiuè oppositus peccato; sola enim priuatio peccati peccatum potest eijcere; quia *vnumquodque tollitur per suum oppositum*; sed peccatum formaliter est actus voluntatis, quia formaliter est actus liber; & tantùm extensiuè, & participatiuè est in sensu, & in membris, vt diximus *to. 4. q. 1. de vit. & pecc. art. 7*; ergo & dolor priuatiuè oppositus peccato; *forma enim, & priuatio habent fieri circa idem subiectum*. 2. Contritio est actus voluntatis, est enim *fractio cordis*, in quo sedem habet voluntas; ergo & dolor, qui contritionem constituit; quale enim est constitutum, tale est constitutiuum. 3. Si quis habens sopitam rationem, & vegetos sensus, ac expeditos doleret de peccato; vt contingit aliquando in somniantibus, non haberet verum actum contritionis; quousque ratio euigilans consentiendo illi dolori doleret; quousque enim ratio non dolet, habet affectum vel actualem, vel saltem virtualem peccati, cum quo incompossibilis est vera contritio; ergo dolor ad contritionem pertinens non est formaliter actus appetitus sensitiui, sed voluntatis. 4. Dolor ad contritionem exactus debet esse formaliter liber, vt sit meritorius; ergo debet esse in potestate voluntatis illum elicere. Atqui dolor sensitiuus non est in potestate vo-

luntatis; quia aliquando conatur sensitiuè dolere, & non potest; ergo idem.

13 Verùm quia ratio, & appetitus sensitiuus connectuntur; & res eo, quòd vniuntur, communicant, & participant sibi suos modos; hinc fit, quòd dolor conceptus in voluntate redundat ferè semper in sensus; & dolor conceptus in sensu extenditur ad voluntatē etiam vsque ad oppressionem indiuidui, vt toties contigisse *in historys* habetur; ergo dolor contritionis potest etiam extensiuè participari ab appetitu sensitiuo. Tum quia sicut delectatio peccati, quæ est in voluntate, extenditur ad sensus, & etiam ad membra; ita dicendum est de dolore.

14 Quòd autem debeat esse maximus appretiatiuè, *omnes DD.* consentiunt; quia sicut actus charitatis, quem importat contritio, debet esse talis, vt ipso ametur Deus super omnia bona creata; ita dolor debet esse detestatiuus peccatorum super omnia alia mala creata; quamuis enim pœnitens non teneatur actu formali comparare malum peccati cum cæteris malis detestabilibus; attamen saltem virtualiter tenetur illud detestari super omnia mala tanquam oppositum summo bono, quod est super omnia bona; quia debet esse in tali dispositione, ac promptitudine animi, vt sit paratus perferre omnia alia mala potiùs, quàm peccatum committere; sed hoc est esse maximum appretiatiuè, ergo dolor contritionis debet esse maximus appretiatiuè. 2. Dolor ad contritionem exactus debet esse maior omni dolore, quem potest concipere ex priuatione cuiuscunque delectabilitatis, quam potest recipere ex commissione cuiuscuis peccati; aliter haberet affectum ad peccatum mortale; sed talis dolor est maximus, quia est super omnem prædictum dolorem; ergo idem.

15 At quòd non debeat esse maximus intensiuè simpliciter, sed tantùm secundùm quid modo explicato, est *contra Adrian. VI. q. 2 de pœnit.* sustinentem contritionem debere esse summè intensam in summo gradu possibili ex parte operantis; & *contra aliquos Recentes* putantes sufficere qualemcumque dolorem, etiansi minimum, & per consequens minorem quouis alio dolore, quo pœnitens dolet se priuari delectabilitate peccati. Est tamen *Fund. Doct. de laud. Diuinæ sapientiæ c. 10; & 13. Petri de Soto de pœnit. lect. 14; & 15; & aliorum*; & prob. Dolor verè detestatiuus omnium peccatorum, & omnino auersiuus ab illis sufficit ad veram rationē contritionis; sed dolor remissus maior omni dolore, qui concipitur ex priuatione delectationis peccati, est verè detestatiuus, & auersiuus à peccatis; ergo sufficit ad veram rationem contritionis. Ma. traditur à *Trid.* definiente contritionem: *Est animi dolor, & detestatio peccati &c.* & colligitur *ex scripturis*, quæ ad iustificationem non requirunt, nisi quòd *peccator auertatur à via sua mala, & conuertatur ad Dominum*; vt *Zach. 1. Conuertimini ad me; & ego conuertar ad vos; & Isaiæ 30. Si reuertamini, & quiescatis, salui eritis, & 45. Conuertimini ad me, & salui eritis; & ps. 50. Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies; & Ezechiel 33. Nolo mortem impy, sed vt conuertatur à via sua, & viuat*; & ratio est; quia contritio est verus dolor de peccato; sed verus dolor est vera fuga, & auersio ab omni peccato; tunc autem verè fugimus, & auertimur ab omni peccato, cùm illud volumus non habere, & vellemus non commisisse; nam si illud, vel aliud volumus habere, vel gaudemus commisisse, verè non fugimus ab eo, sed manemus in illo affectiuè; velle autem non habere, & non commisisse peccatum est illud detestari, vt constat; ergo dolor verè detestatiuus omniū peccatorum, & auersiuus ab illis sufficit ad verā rationem contritionis. Prob. mi. quoad 1. part. *ex ysdem scripturis*; nam verum gaudium de peccato etiam remissum supposito libero consensu voluntatis est vera fuga, & auersio à bono, ac conuersio ad malum; ergo verus dolor de peccato etiam remissum supposito libero consensu voluntatis est vera fuga, & auersio à malo; gaudium enim, & dolor priuatiuè opponuntur; *& oppositorum eadem est ratio.* Tum quia Amor Dei etiam remissus est vera conuersio ad Deum, & auersio, seu fuga à malo; ergo dolor de peccato etiam remissus est vera auersio à peccato. Sed *allatæ scripturæ* ad veram contritionem non exigunt, nisi veram fugam, seu auersionem à malo, & conuersionem ad Deum; ergo *ex scripturis* dolor etiam remissus de peccato sufficit ad veram contritionem. Tum quia frustanea esset satisfactio; nam vt arguit *Fund. Doct. vbi s. c. 12*; satisfactio ponitur, vt sanet defectum doloris; ergo si dolor summè intensus exigeretur, deleretur culpa, & omnis pœna, & frustanea esset, vel saltem non esset necessaria satisfactio. Prob. altera pars mi; nam si peccator magis doleat de priuatione delectationis peccati, quàm de Deo offenso, amat delectationem peccati magis, quàm Deum; sed sic amate est manere in peccato affectiuè; ergo veram contritionem non habet; per hanc enim à peccato receditur. Tum quia contritio est fractio cordis in minutissimas partes, vt docet *Fund. Doct. de Laud. Diuinæ sapientiæ c. 10*; vt totum virus peccatorū è corde effundatur; sed magis dolens de priuatione delectationis peccati, quàm de Deo offenso non habet cor fractum ita, vt effundat totum venenum peccatorum; retinet enim vi illius doloris affectum aliqualem ad peccatum; ergo non habet veram contritionem. Tum quia amor Dei, qui non est ex toto corde, non sufficit ad contritionem; ergo nec dolor, qui non est ex toto corde, quia conectitur cum illo amore, & cum illo commensuratur; nam nequit homo conuerti ad Deum ex toto corde, nisi ex toto corde auer-

auertatur à peccatis; vnde *Deut.4.* legitur: *Cùm quæsieris Dominum Deum tuum, inuenies eum; si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione* (idèst dolore) *animæ tuæ, & Ioel.2. Conuertimini ad me in toto corde vestro*; & ratio est; quia auersio à peccatis respicit terminum *à quo*, conuersio autem ad Deum terminum *ad quem*; terminus autem *à quo*, & *ad quem* debent ad inuicem sibi correspondere. At dolor de peccatis annexus dolori maiori priuationis delectationis peccati non est ex toto corde; cor enim dolet etiam de priuatione delectationis peccati; ergo idem; & ideo ad veram contritionem requiritur dolor maior omni dolore, qui concipitur ex priuatione delectationis peccati; & per consequens iste dolor, quanuis non debeat esse maximus intensiuè simpliciter, debet tamen esse maximus secundum quid comparatiuè eo modo, quo dictum est.

16 Non tamen debet esse maior delectatione, & gaudio, quod perceptum est ex peccato; aliter satisfieret pro omni pęna, & necessaria non esset satisfactio; sed sufficit, quòd sit maior omni dolore, qui actu concipitur ex priuatione delectationis peccati; nascitur enim dolor iste ex amore ad peccatum; vnde sicuti magis amans peccatum, quàm Deum, non esset verè contritus; ita magis dolens de amissione delectationis peccati, quàm de amissione Dei, contritus non esset.

17 Tandem, quòd dolor, prout participatur à sensu, non debeat esse maximus, prob: quia dolor vehemens in sensu interimit, vt pluribus experientijs visum est; sed nemo debet interimere se ipsum; aliter esset homicida; ergo nullus debet habere dolorem maximum in sensu; debet enim ille dolor esse moderatus à ratione, vt sit virtuosus; secus esset vitiosus, & punibilis.

18 Obijc. 1. Deus nõ tantùm est diligendus plus omnibus creaturis appretiatiuè, sed etiam intensiuè; ergo dolor de Deo offenso debet esse maximus nedum appretiatiuè, sed etiam intensiuè. Prob. ant. *ex Matth.10. Qui amat patrem, & matrem plusquam me, non est me dignus; & Luc.14. Qui non odit patrem, & matrem, non potest meus esse discipulus*; idèst qui non amat minùs patrem, & matrem, quàm me; nam *S. P. Aug. lib.1. de Doctr. Christ. c.22. & lib. de Morib. Eccl. c.11.* docet nihil esse diligendum ampliùs, vel æquè, ac Deus ad hoc, vt sit ordinata dilectio. 2. *Ex pluribus scripturæ textibus* habetur, quòd contritio debet esse cum toto conatu; vt *Deut.4. Cùm quæsieris Dominum Deum tuum, inuenies eum; si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ*; & Ioel 2. *Conuertimini ad me in toto corde vestro; & Matt.11. Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud: & David ps.37. Rugiebam à gemitu cordis mei*; quod habetur etiam *Isaiæ 59. & ex pluribus alijs locis*, in quibus exprimitur dolor vehemens. Idem habetur *SS. PP.*; vt *Cypr. de lapsis: Quàm magna deliquimus, tam granditer defleamus; & S. Ambr. ad Virg. lapsam c.18. Fortiùs est dolendum, quia fortiùs est peccatum; & S. P. Aug. de vera, & falsa pænit. c.16. Ille conuertitur, qui totus omnino vertitur; & Fund. Doct. vbi sup.* inquit, quòd de ratione contritionis est, vt totum cor frangatur ad hoc, vt exeat totum virus peccatorum; ergo debet esse summè intensa. 3. Sententia asserens nullum conatum, aut intensionem requiri ad contritionem remittit, & elanguescere facit studium, & affectum pœnitentiæ; ergo non est sustinenda. 4. Qui non dolet toto conatu, & intensione, non dolet ex toto corde; quia cor non dolet, quantùm potest dolere; ergo idem.

Resp. ad 1. neg. cons; aliud est enim diligere Deum plus ceteris intensiuè; & aliud dilectionem Dei esse intensiuè maximam, vt maior esse non possit. Ad veritatem primi sufficit pro eo tunc magis diligere Deum, quàm aliam quamlibet creaturam, quod est necessarium, vt diximus. Ad veritatem autem secundi dicti requiritur talis conatus voluntatis, qui ponat terminum in intensione, quod non est necessarium; quanuis enim melius sit habere dilectionem intensam, vt habuerunt *Dauid, D. Petrus, & Maria Magdalena*; attamen non sequitur, quòd alij peccatores pęnitentes, qui habuerunt dilectionem minùs intensam, non fuerint verè contriti. *Ad textus allatos* ad prob. ant. dicitur probare primum, non secundùm, vt clarè colligitur *ex S. P. Aug. locis cit*; inquit enim *ibid. de Doctr. Christ*; quòd diligere Deum ex toto corde, ex tota mente, & ex tota anima est nullum alium affectum habere in corde, quo alia re velit frui. Verba eius sunt hæc: *Cùm autem ait: Toto corde, tota anima, tota mente; nullam vitæ nostræ partem relinquit, quæ vacare debeat, & quasi locum dare, vt alia re velit frui; sed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quò totius dilectionis impetus currit.* Quibus verbis nostram sententiam esse de eius mente monstratur; quanuis enim sit remissa Dei dilectio; quoniam tamen præualet dilectioni cuiusuis alterius rei; rectè dicitur toto corde Deum diligere; idèst omni affectu, quo cor actu versatur. Ad 2. neg. ant. Ad *eos textus*, qui asserunt conuersionem debere esse ex toto corde, & ex tota amaritudine animæ, iam dictum est, quomodò iuxta *S. Patris Aug.* doctrinam sint accipiendi; nam dolendum est de omni peccato ita, vt nullus remaneat in corde affectus ad peccatum, aut voluptas, & gaudium de peccato; hoc autem potest esse etiam sine summo conatu. Ad *alios*, qui exprimunt vehementiam doloris, dicitur, consulere id, quod melius est, non id, quod necesse, & essentiale est contritioni; ac propterea esse de consilio, non de præcepto; hortatorios, non præceptiuos. Ad 3. neg. ant;

nostra enim sententia docet meliùs esse summum conatum doloris; sed etiamsi non possit haberi; donum enim Dei est, quod gratis, & ideo quibus placet, tribuitur; attamen habetur vera contritio; quod sedat conscientias, tollit scrupulos, & in spem veniæ erigit; dubium enim semper esset, an pœnitens haberet summum conatum, quod in desperationem veniæ induceret pœnitentem. Ad 4. neg. ant; quia dolere ex toto corde non est dolere, quantùm potest cor, vt diximus.

19 Quæres 2; an saltem ad veram contritionem requiratur aliqua duratio temporis?

Resp. negatiuè; sicut enim in instanti patratur peccatum per instantaneum consensum; ita retractatur per dolorem instantaneum; & colligitur apertè *ex allatis scripturis*, quæ requirunt solam conuersionem in Deum, & auersionem à peccatis; quæ duo instantaneè possunt haberi; *& S.P. Aug. serm. 66. de temp. Pœnitentia vera non annorum numero censetur, sed amaritudine animi; vnde B. Petrus mox à Domino indulgentiam recepit, quia amarissimè fleuit*, quanuis saltem virtualiter debeat durare vsque ad confessionem. Verum tamen est, quòd quò magis durat dolor, magis satisfit pœnæ peccati; quia longiùs pœna sentitur.

20 Collig. 1. in dolore contritionis non contingere excessum; oritur enim ex dilectione Dei, in quam non cadit excessus. Quod est intelligendum de dolore spirituali, qui est in voluntate; non de sensibili, qui est in appetitu, & in sensu; iste enim posset hominem necare, si esset nimius; vt sępiùs accidit; ille autem, quia semper coniunctus est cum gaudio, quo gaudet se dolere de Dei offensa; habetur enim *de vera, & falsa pœnit. c. 13. De dolore gaudeat, & se non semper doluisse doleat*; ideo non potest hominem interimere, quia eius cor nequit opprimere; cùm gaudio illo subleuetur.

21 Collig. 2. de peccatis grauioribus grauiùs esse dolendum saltem appretiatiuè; & de quolibet peccato mortali magis, quàm de quolibet malo temporali; quia dolor correspondere debet offensæ, & quò grauiùs est malum, eò grauior debet esse dolor; appretiatiuè tamen, quia nullius rei temporalis gratia vellet pœnitens ea cōmisisse, & vellet potiùs minùs offendisse, quàm magis. Non tamen est necesse, vt dolor sit maior intensiuè; quia quanuis magis doleat de peccato leuiori ob alia motiua concurrentia; attamen si verè doleat etiam de grauiori, verè auertitur ab illo, quod sufficit ad veram contritionem; & licèt magis doleat de malo temporali absolutè loquendo, non autem facta comparatione actuali cum peccato; verè dicitur conuersus, & ideo contritus. Diximus *non tamen facta actuali comparatione cum malo peccati*; nam si quis ita doleret de malo temporali, vt vellet potiùs peccatum committere, quàm illud malum temporale perferre; non esset verè conuersus, & contritus; nam potiùs appretiaret fugam à malo temporali, quàm fugam à peccato; quod importat aliqualem affectum ad peccatum saltem comparatiuè; qui affectus pugnat cum vera contritione. At si absolutè intensiùs doleret de malo temporali, quàm de peccato, vellet tamen potiùs illud perferre, quàm istud committere; esset verè contritus; quia appretiatiuè magis de peccato, quàm de malo temporali doleret.

22 Collig. 3. hunc dolorem debere esse de omnibus, & singulis peccatis; non enim est vera contritio, qua dolemus de vno, & gaudemus de altero, vt diximus *sup. n. 1.* Non tamen est necesse, vt tot actus doloris eliciamus, quot peccata commisimus; sed vno, & eodem actu doloris possumus dolere de omnibus simul peccatis; nam si possumus plura simul peccata cōfiteri, & pro illis simul satisfacere; vt cùm quis confitetur se decies furtum commisisse, & simul restituit totū, quod furatus est; vt fecit *Zachęus*; possumus quoque simul de illis dolere; quod probant verba *eiusdem Zachæi* dicentis; *Domine si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum*; ex quibus deducitur simul doluisse de omnibus furtis, & simul restitutionem fecisse; non enim credibile est, quòd tam paruo temporis spatio de omnibus furtis totidem actibus doloris dolere potuerit. Verum tamen est; quòd si quis doleat de singulis singillatim distinctis actibus, melius facit; quia multiplicat actus bonos, quibus magis ad veniam disponitur, & magis satisfacit pro pœna illis debita. Sed id non est necesse ad veniam impetrandam; nam post diligens examen omnium peccatorum sufficit dolor, & detestatio simultanea eorundem, vt docet *Trid*; sicut sufficit simultanea confessio, & satisfactio in sacramento. Tum quia in tantùm tenetur peccator dolere de peccatis; in quantum sunt Dei offensa; sed ratio offensæ communiter reperitur in omnibus peccatis; ergo communiter dolens de illis, vt sunt Dei offensa, simul omnia retractat. Tum quia ille dolor de omnibus extenditur ad singula, & virtualiter æquiualet singulis actibus, quibus singula detestantur; actus enim virtualis æquiualet formali; dicitur namque virtualis, quia habet eandem virtutem, quam habet formalis; ergo sicut dolor formalis singularis sufficit ad veniam impetrandam; ita dolor communis, qui virtualiter est omnis actus particularis circa singula peccata, de quibus dolet, est sufficiens.

23 Ad confessionem autem venialium requiritur aliquis dolor formalis, vel virtualis; non enim peccatum remittitur, nisi retractetur. Non est tamen necesse dolere de omnibus, vt fructuosè sacramentum recipiatur; quia non sunt materia necessaria; ideo potest vnum sine alio remitti; & consequenter potest quis dolere

de vno,

de vno, non de alio. Qui tamen confiteretur tantùm venialia sine vllo dolore, irritaret sacramentum; quia non poneret materiam sacramenti, quæ est dolor. Si tamen simul cum venialibus confiteretur aliquod mortale, sacramentum non irritaret, quia adesset sacramenti materia.

24 Ad contritionem, quæ extra sacramentum iustificat, non esse necessarium examen, seu inquisitionem peccatorum, sicut in sacramento, inquit *Gibb. disp. 8. dub. 6. n. 1*; licèt enim sit valde vtile ad excitandum maiorem dolorem, non tamen est necessarium; nam ideo est necessarium in confessione, quæ fit homini, quia homo non nouit peccata, à quibus debet pœnitentem absoluere, nisi ab eodem dicantur; sed in contritione confessio fit Deo, qui nouit abscondita cordis; ergo non est necesse illa examinare, sed sufficit de illis toto corde dolere; *Zachæus* enim, & *Maria Magdalena* doluerunt de omnibus, & tamen communiter absque examine.

Sed contra est; nam *ps. 38.* habetur: *Recogitabo tibi omnes annos meos &c; & Isaiæ 43. iuxta 70. Dic tu prior iniquitates tuas, vt iustificeris*; vbi sermo est de examine faciendo in confessione, quæ fit Deo; non enim erat in lege veteri sacramentum pœnitentiæ, in quo confessio fit homini, & ratio est. Quamuis in confessione, quæ fit homini, sufficiat vnus actus doloris communiter singula peccata retractans; attamen necessarium est examen singulorum, quæ occurrunt; ergo de confessione, quæ fit Deo, à pari idem dicendum. Nec examen est solummodò necessarium, vt peccata sint nota ministro; sed etiam, vt pœnitens de singulis doleat; ergo quamuis necessarium non sit in confessione, quæ fit Deo, vt Deo notificentur; necessarium tamen est, vt pœnitens de omnibus, & singulis doleat, non enim singulariter dolere potest de eo, quod ignorat. Imò *ex Zachæo* colligitur oppositum; non enim potuisset dicere, quòd redderet quadruplum, nisi cogitasset, quantùm defraudasset, *& Magdalene* non doluisset tantùm, quantùm peccauerat, nisi cogitasset, quòd multùm peccasset.

25 Quæritur 3; an de ratione contritionis perfectæ sit esse ex motiuo charitatis saltem imperatiuè?

Videntur aliqui negare; vt *Gabr. hic, Sot. de nat. & grat. c. 18; & hic dist. 17. q. 1. art. 5; Veg. lib. 1. c. 21; & Palud. cum alijs*. Sed isti nihil aliud asserunt, nisi quòd non requiritur, quòd amor Dei sit formaliter distinctus ab actu contritionis; quia vnus, & idem actus potest esse contritio, & amor Dei virtualiter; non autem volunt, quòd actus contritionis possit esse, etiamsi non sit ex motiuo charitatis etiam cum indistinctione actuum.

26 *Mastr. hic disp. 5. q. 5. n. 91*; vbi refert *Scotum*, ait; quòd licèt pœnitentia ex motiuo formali charitatis sit perfectissima contritio, de qua maximè verificatur, quòd sit dispositio proxima ad gratiam iustificantem; adhuc tamen contritio ex motiuo iustitiæ, quatenus peccata sunt contra ius Dei, vel ex alio motiuo spectante ad Deum, probabiliter videtur esse sufficiens, vt sit vltima, & proxima dispositio ad gratiam etiam extra sacramentum. Refert *Bassol; Auersam, & Nominales*.

27 Dicendum tamen de ratione perfectæ contritionis esse, vt inuoluat amorem Dei beneuolum super omnia, seu vt sit ex motiuo charitatis, & propter Deum summè dilectum. Communis est *inter DD*; & traditur *à Trid.* statuente: *Docet præterea etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquàm hoc sacramentum suscipiatur &c*; & mox loquens de contritione, quæ non est perfecta charitate inquit: *sine sacramento pœnitentia per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat*. Ergo *ex Concilio* contritio, quæ non perficitur charitate, nequit iustificare peccatorem; & ideo de ratione contritionis perfectæ iustificantis etiam extra sacramentum est, quòd inuoluat actum charitatis perfectæ, seu quòd sit ex motiuo charitatis. Collig. manifestè *ex Scripturis; vt 1. Io. 3. Qui non diligit, manet in morte; & 1. Cor. 13. Sine charitate nihil sum; & Luc. 7. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm*; quibus causa remissionis peccatorum dicitur dilectio; *& ex SS. PP*; præsertim *D. P. Aug. serm. 7. de temp. Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati, & amor Dei; & lib. 2. cont. Crescon. c. 12. Mundantur peccata charitate, quæ si adsit, omnia rectè fiunt; si verò absit, cætera frustra fiunt; & lib. 6. de Trin. c. 18.* loquens de dilectione Dei inquit: *Nullum est isto dono excellentius. Solum est, quod diuidit inter filios Regni æterni, & filios perditionis æternæ*; super quod *vid. Fund. Doct. in 2. dist. 26. q. 2. art. 1; & lib. de vera, & falsa pœnit. c. 9; & 17. Sine amore Dei nemo vnquam gratiam inuenit, nec veniam assecutus est*. Ex quibus, & alijs innumeris *textibus* manifestè docemur solam charitatem, & dilectionem Dei, & nullam aliam virtutem, seu actum virtutis formaliter proximè vltimatè disponere, & perducere peccatorem ad remissionem peccatorum extra sacramentum, vt docet *Trid.* Ratio autem innuitur *à Fund. Doct. vbis.* Sola charitas est proprietas inseparabilis à gratia iustificante; quia cæteræ virtutes possunt esse informes, & ideo sine gratia iustificante; charitas autem nequit esse informis, & ideo essentialiter est connexa cum gratia iustificante; sed sola proprietas inseparabilis à forma est vltima, & proxima dispositio ad eandem formam, vt constat de calore in summo per ordinem ad formam ignis; ergo sola charitas est vltima, & proxima dispositio ad gratiam iustificantem. Atqui sine dispositione vltima proximè, & immediatè disponente ad gra-

gratiam iustificantem nequit haberi iustificatio extra sacramentum; ergo sine charitate nequit haberi contritio perfecta vltimatè, & proximè disponens ad iustificationem extra sacramentum. 2. Reijcitur *Mastr.* Si posset haberi contritio perfecta vltimatè disponens ad iustificationem etiam extra sacramentum sine actu charitatis, maximè, quia *Scriptura* promittunt veniam nedum diligentibus Deum, *vt Luc.* 8. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm*; sed etiam verè pœnitentibus; *vt Ezechiel.* 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, iniquitatum eius non recordabor*; & conuersis à peccatis in Deum; quæ conuersio potest esse in Deum non solùm, quatenus summæ dilectus, sed etiam quatenus iustus est; & ideo nedum ex motiuo charitatis, sed etiam ex motiuo iustitiæ; sed hæc ratio nulla est; ergo idem. Prob. mi. 1. *Scripturæ* non possunt intelligi, nisi iuxta explicationem *Apostoli, Conciliorum, & SS. PP*; quælibet enim intelligentia opposita explicationi *Apostoli, Conciliorum, & SS. PP.* est falsa; nā quanuis intelligentia disparata, non opposita, sit admittenda; opposita tamen falsa est, & sustineri non potest; sed *Apostolus* ait sine charitate nihil esse, & esse, *tanquam æs sonans, & cymbalum tinniens*; charitatem autem solam prodesse; & *Trid.* ait contritionem charitate formatam iustificare peccatorem extra sacramentum; si autem non sit charitate perfecta, non perducere peccatorem ad veniam, nisi in sacramento; & *S. P. Aug.* soli charitati tribuit iustificationem, ergo *aliata Scripturæ* nequeunt intelligi de pœnitentia, & conuersione excludente charitatem. 2. Si possent intelligi de quacunque pœnitentia, & conuersione in Deum, sequeretur intelligendas esse etiam de attritione, quæ est actus pœnitentiæ, & est conuersio in Deum, cùm sit auersio à peccatis, & conuersio in Deum, vt iustitiæ, idest *iustificationis fontem*, quemadmodum docet *Trid*; sed cons. est falsum; nā attritiò *ex eodem Conc.* non iustificat extra sacramentum; ergo falsum est, & ant. Tandem contritio definitur communiter *animi dolor, et detestatio peccati propter Deum summè dilectum*; in hoc enim distinguitur contritio perfecta ab attritione, quæ est contritio imperfecta, ex communi sensu *Theologorum*; quòd illa est *propter Deum summè dilectum*; & ideo ex motiuo charitatis; quia est dolor de Deo offenso, quatenus summè bonus est in se ipso; bonitas autem in se, & propter se est obiectum formale perfectæ charitatis; attritio verò est propter turpitudinem, & fœditatem peccati, ac pœnarum metum, vt ait *Trid*; ergo contritio perfecta necessariò inuoluit actum dilectionis beneuolum, seu simplicis beneuolentiæ Dei super omnia; aliter non distingueretur ab attritione; quia per ipsam etiam pœnitens in Deum conuertitur; vt clarè docet *Trid*; asserens quòd per ipsam *viam sibi ad iustitiam parat*; iustitia autem habetur solùm à Deo, qui est omnis iustitiæ fons; & ideo parare sibi viā ad iustitiam, est ad Deū conuerti.

28 Obijc. 1. Quanuis iustificatio tribuatur *in Scripturis* actui charitatis, tanquam actui perfectissimo; attamen tribuitur etiam pœnitentiæ absque eo, quòd fiat aliqua mentio charitatis; vt patet *ex* 2. *Reg.* 12; vbi *Dauid* statim ac, asseruit: *Peccaui Domino*; audiuit *Prophetam* sibi respondentem: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*; ergo non est denegāda vis iustificandi actui pœnitentiæ etiam excludenti actum charitatis. 2. Quando *Scriptura* asserit dilectionem Dei remittere peccata, non negat actum pœnitentiæ idem præstare, sed potiùs affirmat; ergo idem. 3. Ad iustificationem sufficit conuersio in Deum, vt docent *Scripturæ*; sed potest dari vera conuersio in Deum ex motiuo solius iustitiæ; quatenus peccator dolet se offendisse Deum iniustè, & præcisè cogitat de reparanda *iniuria*, & de satisfaciendo pœnæ voluntariè susceptæ; ergo idem. 4. Communis conceptus pœnitentiæ, quem habent fideles, est, vt sit dolor de Deo offenso, vt offensus est; non autem, vt summè diligibilis; & credunt omnes dolorem de Deo offenso præcisè sufficientem esse ad iustificationem; sed hic dolor est præcisè ex motiuo iustitiæ, vt constat; ergo idem.

Resp. ad 1. neg. ant; *Apost.* enim inquit sine charitate nihil esse, & solam charitatem prodesse; quibus verbis docet apertè actus aliarum virtutum sine charitate non sufficere ad iustificationem peccatoris. Ad *Dauid* dicitur, quòd illa verba: *Peccaui Domino*; nedum explicant actum pœnitentiæ, sed etiam actum amoris; faciunt enim sensum: *Peccaui Domino, qui summè bonus est, adeoque summè diligibilis*. Ad 2. dist. ant. Affirmat actum pœnitentiæ remittere peccata excludendo Dei amorem, neg; includendo, conc. Ad 3. dist. ma. Sufficit conuersio in Deum, vt summè bonum, & diligibilem, conc; & in hoc sensu neg. mi; aliter, neg. ma. Ad 4. neg. ma; communis enim conceptus pœnitentiæ, quem habent peccatores, est, quòd sit dolor de offensa Dei, quatenus summè bonus, & diligibilis est; proptereà vnusquisque se accusat se non amasse Deum super omnia, sed potiùs amasse creaturas, quàm Deum; in quo consistit generalis ratio peccati, quod detestatur, vt docet *S. P. Aug. lib.* 1. *de lib. arb. c.* 16.

29 Collig. ex dictis actum dilectionis Dei, quem includit contritio perfecta iustificans etiam extra sacramentum, de quo loquitur *Trid*; esse actum perfectum elicitum ab habitu charitatis; non autem esse actum imperfectum infusum à Deo sine habitu charitatis, quia actus imperfectus, sicuti stat sine habitu charitatis; ita stat sine gratia habituali iustificante, cuius proprietas inseparabilis est sola charitas habitualis, vt diximus; adeoque ipsa sola potest esse dispositio vltima ad iustificationem. Propter hoc *Trid.*

Trid. vbi ſ. docet contritionem charitate perfectam hominem Deo reconciliare ante ſuſceptionem ſacramenti pœnitentiæ; *& Pius V; ac Gregorius XIII. in Bulla contra propoſitiones Bay* damnarunt propoſitionem 31. aſſerentem: *Charitas perfecta, & ſincera, quæ eſt de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, tam in catechumenis, quàm in pœnitentibus, poteſt eſſe ſine remiſſione peccatorum; & propoſitionem* 67; qua dicitur: *Per contritionem, & cum charitate perfecta, & cum voto ſuſcipiendi ſacramentum coniunctam non remittitur crimen extra caſum neceſſitatis, aut martyrij ſine actuali ſuſceptione ſacramenti.* Huc ſpectat etiam *propoſitio* 32. *Charitas illa, quæ eſt plenitudo legis, non eſt ſemper coniuncta cum remiſſione peccatorum.* Vbi *SS. Pontifices* loquuntur de charitate plena, & perfecta, quæ non eſt ſine habitu charitatis, & conſequenter ſine gratia habituali iuſtificante; & quamuis loquantur de charitate actuali; attamen quia loquuntur de actu charitatis perfecto, qui eſſentialiter eſt coniunctus cum habitu; ideo loquuntur etiam de habituali. Propterea *Trid.* contritionem charitate perfecta formatam vocat contritionem perfectam, quæ antonomaſticè contritio dicitur; contritionem verò, quæ inuoluit actum amoris Dei imperfectum, initialem, inchoatiuum; quo ſcilicet incipimus diligere Deum iuſtitiæ fontem, vocat contritionem imperfectam, quæ attritio appellari conſueuit.

30 Infertur ex hoc contritionem perfectam habere ſemper infallibiliter annexam remiſſionem peccatorum etiam ante actualem ſuſceptionem ſacramenti: Eſt *contra Kemnit. in* 2. *p. examinis.* Tribuitur etiam *Syluio Doctori Duacenſi*; ſed falsò; ipſe enim loquitur de contritione imperfecta, quæ inuoluit amorem Dei imperfectum; ſicut loquuntur *DD. Louanienſes*, quibus pariter *ab aliquibus* impingi ſolet ſententia *Kemnitij.* Prob. autem *ex Ezechiel* 33. *Impietas impij non nocebit ei, in quacunque die conuerſus fuerit ab impietate ſua; &* 2. *Reg.* 12. *Dauid* vix pronunciauit: *Peccaui Domino*; quòd *Nathan* reſpondit: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum; & pſ.* 31. *idem Dauid* vix inquit: *Ego dixi: Confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei*; ſuper quod *S. P. Aug. conc.* 2. ait; *Non pronunciat, ſed promittit ſe pronunciaturum, & ille iam dimittit.* Quod habet etiam *D. Ambr. in Apolog. Dauid c.*7; *& Fund. Doct. Æg. de Laud. Diuinæ Sapientiæ c.*10. Habetur etiam 1. *Io.* 4. *Omnis, qui diligit, ex Deo natus eſt; & c.*3. *Nos ſcimus, quia tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus; &* 1. *Petri* 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum; & idem S. P. Aug. lib.* 15. *de Trin. c.* 18; *& tract.* 5. *in Io. Dilectio ſola diſcernit inter filios Dei, & filios Diaboli; & de Ciu. Dei* habet: *Duo amores fecerunt duas Ciuitates; ſcilicet amor Dei, & amor Mundi*; quod repetit *innumeris alijs in locis.* Ratio autem *ſup.* allata eſt; quia ſcilicet amor Dei perfectus eſt coniunctus cum habitu charitatis, & habitus charitatis eſt proprietas indiuiſa gratiæ iuſtificantis; ergo in eodem inſtanti, quo quis habet actum contritionis perfectæ, infallibiliter iuſtificatur; *textus* enim allati ſignificant iuſtificationem de præſenti, non de futuro.

31 Dices 1. *D. Paulus Act.* 22. erat perfectè contritus; & tamen ei dixit *Ananias: Exurge, & baptizare, & ablue peccata tua*; ergo ſolùm per baptiſmum, non per contritionem, remittuntur peccata. 2. *Luc.*7. Chriſtus dixit de *Magdalene*; *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm*: quibus verbis oſtendit dilectionem tempore præceſſiſſe iuſtificationem. 3. *S. P. Aug. tract.* 13. *in Io.* inquit: *Quantumcunque catechumenus proficiat, adhuc ſarcinam iniquitatis ſuæ portat. Non illi dimittitur, niſi cùm venerit ad baptiſmum.* 4. *Io.* 14. diligentibus Deum promittitur iuſtificatio in futuro: *Si quis diligit me, mandata mea ſeruabit, & Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et manſionem apud eum faciemus.* 5. *Trid. ſeſſ.* 6. *c.* 6. ait, quòd adulti venientes ad baptiſmum debent ſe præparare per dilectionem Dei, qua incipiant diligere iuſtitiæ fontem; *et c.* 7. inquit poſt talem præparationem iuſtificari in baptiſmo. 6. *Idem Trid. ſeſſ.* 13. *c.*7. docet ad euchariſtiam præter contritionem neceſſariò præmittendam eſſe confeſſionem ſacramentalem; ergo idem.

Reſp. ad 1. *Ananiam* non cognouiſſe perfectam contritionem *D. Pauli*, quia ſolius Dei eſt corda ſcrutari; ideo ſic locutum fuiſſe. Vel ſi cognouit, rectè dixiſſe: *Baptizare, et ablue*; quia baptiſmus eſt neceſſarius perfectè contrito neceſſitate præcepti; & ſi negligeret baptizari, cùm poſſet, peccaret; & ſic baptiſmus abluit à peccatis; quia baptizatus nihil aliud agere debet, vt abluatur. Vel dicitur contritum baptizandum, & abluendum eſſe à peccatis quantùm ad omnem pœnam, quæ non dimittitur niſi in baptiſmo. Ad 2. dicitur illud verbum *dilexit* expreſſiſſe ſolam prioritatem naturæ, non temporis; vt cùm dicitur: *Ignis introducitur in lignum, quoniam calefactum eſt.* Ad 3. dicitur ſermonem eſſe de catechumenis non habentibus charitatem perfectam; quæ iuxta eundem *S. Patrem* iuſtificat in eodem inſtanti, in quo habetur; & apertè deducitur *ex contextu illius tract.* vbi inuehitur contra aliquos catechumenos dedignantes, vel negligentes baptizari; conſtat autem iſtos non habuiſſe charitatem perfectam, quia non ſeruabant præcepta Chriſti dicentis eodem Chriſto: *Si quis diligit me, mandata mea ſeruabit.* Ad 4. dicitur, ſicut ad 2. Ad 5. dicitur, quòd illa dilectio eſt imperfecta; tribuitur enim à *Trid.* etiam attritioni. Ad aliud dicitur præmittendam eſſe confeſſionem ratione præcepti adimplendi; & quia per ſacramentum

pœ-

pœnitentiæ augetur in contrito gratia, & puritas; & cum maiori gratia, & puritate debemus ad Eucharistiam accedere.

32 Quæritur 4; an detur speciale præceptum Diuinum contritionis,& quando obliget?

Dicendum dari præceptum huiusmodi Diuinum naturale, & obligare in puncto mortis, si desit copia Confessoris; & in quibusdam alijs casibus; vt cùm per contritionem potest vitari nouum peccatum; & cùm instat præceptum annuæ confessionis, & deest copia confessoris; & quoties tenemur elicere actum perfectum dilectionis Dei super omnia.

Prima pars traditur communiter excepto *Victoria apud Canum in relect. de pœnit*;& prob. *ex allatis textibus Scripturæ*; vt *Ezechiel*. 18. *Conuertimini, & agite pœnitentiam, & non erit vobis in ruinam iniquitas*; *& Isaiæ* 65; *Ierem*. 8; *Matth*. 4; *& Luc*. 13;*& ps*.4.*Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini*; *& Leuit*. 23. *Sabbathum requietionis est, affligetisque animas vestras*; & mox: *Omnis anima, quæ afflicta non fuerit die hac, peribit*. Ex quibus deducitur, quòd in festo propitiationis, seu expiationis, quod celebrabatur semel in anno die decima mensis septimi ex præcepto Diuino, tenebatur vnusquisque elicere actum contritionis. In lege autem gratiæ institutum est sacramentum annuæ confessionis; quo deficiente ob defectum Confessoris viget tale præceptum; & ratio est. Ad illud datur speciale præceptum Diuinum naturale, sine quo in quibusdam casibus specialibus non possumus consequi salutem æternam; nam ad omne illud, quod est necessarium ad salutem, datur speciale præceptum Diuinum naturale, non tantùm positiuum; quia sine eo, ad quod datur præceptum positiuum, possumus salutem consequi; vt sine auditione missæ, quando non potest audiri, possumus saluari; sed sine contritione in puncto mortis, & alijs casibus assignatis non possumus salutem consequi, quando non possumus sacramentum pœnitentiæ suscipere; quia non possumus absolui à peccatis, nisi per sacramentum pœnitentiæ, vel per contritionem; ergo ad contritionem in puncto mortis, & in casibus assignatis datur speciale præceptum Diuinum naturale. 2. Datur præceptum iuris naturæ ad satisfaciendum pro re aliena ablata; ergo multò magis datur præceptum iuris naturæ ad satisfaciendum pro offensa Deo illata; nam quantò magis honor præstat rei; tantò magis obligamur ad reddendum honorem per offensam ablatum satisfaciendo; sed in puncto mortis, & alijs casibus non possumus reddere honorem Deo ablatum per peccatum satisfaciendo pro offensa, nisi per contritionem, supponitur enim deesse copiam confessoris,& non posse suscipi sacramentum pœnitentiæ, ad quod sufficit sola attritio, quæ tamen non sufficit extra sacramentum; ergo idem.

33 Dices 1. Transgressio specialis præcepti est peccatum speciale, vt constat; sed impœnitentia contritioni opposita non est peccatum speciale; vt docet *D. Tho*. 2. 2. *q*. 14. *art*. 2; ergo non datur præceptum speciale contritionis. 2. Ad satisfaciendum Deo pro peccatis sufficit actus perfectus dilectionis Dei, qui virtualiter continet odium, & dolorem peccatorum; ergo sufficit præceptum charitatis. 3. Præceptum naturale continetur formaliter, vel virtualiter in præceptis *Decalogi*; sed præceptum contritionis nullo modo in illis continetur; ergo non est præceptum naturale. 4. Præcepta naturalia sunt indispensabilia; sed Christus in lege gratiæ dispensauit in præcepto contritionis; statuit enim, vt in sacramento sufficiat attritio; ergo idem.

Resp. ad 1. dist. mi. Impœnitentia contritioni opposita priuatiuè, quæ dicit nudam permanentiam in peccato præscindentem à volitione formali, vel virtuali permanendi in peccato, conc; & in hoc sensu loquitur S. *Tho*; opposita contrariè, quæ dicit volitionem formalem, vel virtualem permanendi in peccato vsq; ad mortem, neg; hæc enim est impœnitentia finalis, quæ est peccatum speciale contra Spiritum Sanctum, *quod non remittitur in hoc, nec in futuro sæculo*, vt docet *S. P. Aug*. Ad 2. neg. supp. ant; perfectus enim amor Dei habet pro termino, à quo se auertit, peccata, & ideo supponit perfectum dolorem, & odium illorum; & licèt cùm quis oblitus est inuincibiliter peccata, amor Dei virtualiter contineat odium, & dolorem, quia si recordaretur, odisset, & doleret; attamen cùm recordatur, tenetur odisse, & dolere. Ad 3. neg. mi; nam præceptum contritionis reducitur ad primum præceptum: *Vnum cole Deum*; ad quod etiam reducitur præceptum charitatis. Ad 4. neg. mi; & ad prob. insertam dicitur; quòd præceptum contritionis obligat tantùm in illis casibus, in quibus nequit haberi iustificatio; & ideo non obligat in sacramento pœnitentiæ, in quo habetur iustificatio etiam sine contritione. Vel dicitur meliùs *cum Fund. Doct. Æg. in* 2. *dist*. 26. *q*. 2. *art*. 3; *& Quodl*. 2. *q*. 27; quòd cùm in sacramento attritus virtute clauium fiat contritus; ideo quamuis attritio sit dispositio sufficiens ad recipiendum sacramentum pœnitentiæ; attamen contritio, quæ in illo acquiritur, iustificationi præmittitur.

34 Altera pars est *contra Parisien. de pœnit*; *Archidiacon. in c. illud verum de pœnit*; *& dist*. 3. asserentes peccatorem, postquam peccauit, statim teneri ad eliciendum actum contritionis; *& contra alios* putantes teneri singulis diebus Dominicis, & festis, in quibus tenemur vacare cultui Diuino, & orationibus. Tribuitur *Scot. in* 3. *dist*. 38. *q*. 1. *§. Quantùm ad* 2; *& Dominico Soto in* 4. *dist*. 17. *q*. 2. *art*. 6; *Marsil*; *Angelo*, *& Gabr*. Prob. tamen 1. Præceptum contritionis est affirmatiuum; ergo non obligat pro semper, ac homo la-

bitur in peccatum; vt constat de alijs præceptis affirmatiuis; in hoc enim distinguitur præceptum affirmatiuum à negatiuo; nam semper tenemur non operari malum, quod præcipiunt præcepta negatiua;non tamen pro semper tenemur operari bonum, quod præcipiunt præcepta affirmatiua. 2. *Ex praxi Ecclesiæ* habetur, quòd nemo in confessione accusat se non elicuisse actum contritionis statim post peccatum, vel diebus festis; nec vllus confessarius de hoc interrogat pœnitentem; ergo illum non elicere non est peccatum; aliter vniuersali ignorantia laboraret Ecclesia; & per consequens nullum est præceptum.

35 Dices 1. Omnis iniuria contra iustitiam alicui irrogata,siue sit realis, siue personalis, relinquit continuum debitum satisfaciendi; sed peccatum est iniuria inflicta Deo; ergo statim post peccatum tenetur peccator satisfacere. 2. Infirmus tenetur statim sumere medicinam ad recuperandam sanitatem corporis;ergo à fortiori dicendum de medicina spirituali. 3. Qui vult formaliter, aut virtualiter statum peccati, mortaliter peccat; sed omittens actum contritionis est huiusmodi; ergo idem. 4. Videns proximum suum peccare tenetur,cùm primùm potest,illum ex charitate corrigere; ergo idem. 5. Existens in peccato mortali est in continuo periculo cadendi; sed vnusquisque tenetur fugere periculum;ergo idem. 6.Diebus festis tenemur colere Deum non solùm cessando ab operibus seruilibus, & audiendo Missam, sed etiam exercendo opera fidei,spei, charitatis, pœnitentiæ, & aliarum virtutum, quibus actibus maximè colitur Deus; ergo tenemur elicere actum contritionis. 7. Lapsus in hæresim tenetur statim illam retractare; ergo à pari.

Resp.ad 1. neg. conf; ex præmissis enim sequitur solùm, quòd peccator immediatè post peccatum contrahat debitum satisfaciẽdi, quod concedimus; non autem, quòd committat nouum peccatum, si immediatè non satisfaciat, quod *hic* disputatur. Sicut ergo qui iniuriam irrogat alicui, non irrogat nouam iniuriam,si immediatè non satisfaciat; sed sufficit, vt satisfaciat loco, & tempore debito; ita à pari. Ad 2. dist.ant. Quando est periculum vitæ, in quo solùm obligat ius naturæ, conc; & sic dicendum de medicina spirituali; quando nullum est periculum vitæ, neg. Ad 3. neg.mi; ad hoc enim, vt quis censeatur virtualiter velle permanere in peccato,requiritur, quòd omittat detestationem peccati instante præcepto; quòd si præceptum non instet, non censetur virtualiter velle permanere in peccato; vt constat de eo, qui die festo non audiuit Missam; si die feriali immediatè sequente non audiat Missam, quia non extat præceptum audiendi Missam eo die, non censetur virtualiter velle permanere in non auditione Missæ. Sed si adueniente altero die festo missam non audiat, saltem virtualiter censetur velle permanere in omissione missæ. Cùm igitur nullum sit præceptum contritionis immediatè post peccatum, vel saltem diebus festis; ideo illam omittens non censetur virtualiter velle permanere in peccato. Ad 4. omisso ant.neg. conf; in tantùm enim tenemur corrigere proximum peccantem; in quantùm debemus illum præseruare ab vlterioribus peccatis; corrigimus enim, ne iterum peccet; vnde cùm sumus in periculo peccandi,nec aliud medium euitandi peccatum suppetit, nisi contritio, tunc tenemur conari, vt eliciamus contritionem; & rogare Deum, vt illam nobis largiatur. Ad 5. neg. ma; non enim semper vrget grauis tentatio, quæ sola cadendi periculum inuehit. Ad 6. neg. 2. pars ant; nam præceptum sanctificandi festa explicitè obligat solùm ad auditionem missæ, & cessationem ab operibus seruilibus; alia autem opera, quibus colitur Deus, eligenda relinquit; nam sacrificijs, & sacramentis maximè colitur Deus; ipsa enim sunt opera excellentiora, quàm sint opera quarumcunque virtutum; & in ipsis peccator maximè humiliatur Deo; humiliando autem se magis Deum colit; & tamen nullus diceret, quòd ex vi præcepti sanctificandi festa obligentur fideles ad sumendam eucharistiam, & sacramentum pœnitentiæ singulis diebus festis; ergo quanuis actus virtutum Theologalium sint opera, quibus magis colitur Deus, non tamen ex vi præcepti sanctificandi festa ad illos obligamur. Ad 7. neg. conf; nam hæreticus est extra statum salutis,cùm fides sit salutis initium; & est separatus à communione fidelium; ideo differens redire ad Ecclesiam priuat se bonis Ecclesiæ,& manet sine spe salutis, quod non agit peccator differens contritionem.

Additur casus ministrationis sacramentorum; *sancta* enim *sanctè tractanda sunt*. Idem dicitur de susceptione sacramentorum præter baptismum, & pœnitentiam.

§. 2.

An attritio ad sacramentum pœnitentiæ requisita debeat inuoluere aliquem amorem Dei beneuolum?

36 QVæstiones inter grauiores *ob scripturarum*, & rationum pondera locum tenet hæc controuersia, quæ non modicùm disputata fuit *in Conc.Trid. sess.6. teste Card.Pallau.in hist.lib.8.c 13;& 14;& lib.12.c.10.* Procedit autem de attritione, quæ in adulto est dispositio necessaria ad recipiendam gratiam regenerantem in sacramento baptismi, vt statuit *Trid.ibid. c.6;* & ad recipiendam gratiam iustificantem in sacramento pœnitentiæ; de qua *idem Conc.* loquitur *sess. 14.c. 4;* & sensus quæstionis est; an sufficiat attritio purè formidolosa conce-

pta ex puro, soloque metu pœnarum, ac fœditate peccati, excludens quemcumque actum amoris Dei beneuolentiæ; an verò ad hoc, vt sufficiat, requiratur aliquis actus amoris Dei simplicis beneuolentiæ, & quidem super omnia?

37 Certum est *apud omnes*, paucis exceptis, inter quos fuit *Io. Æmilianus Episcopus Tudetanus in Hispania in Conc. Trid.* vt refert *idem Pallau. vbisup. lib.* 12. c. 10. asserens ad iustificationem assequendam in sacramentis baptismi, & pœnitentiæ non sufficere attritionem, seu contritionem imperfectam, sed omnino requiri contritionem perfectam; neque ex hoc sequi, quòd per sacramentum peccata non remittantur, quia per talem contritionem peccata tolluntur etiam ante actualem susceptionem sacramenti, vt statuit *Trid. vbisup. sess.* 14. c. 4; atque adeò sacramentum non remittit, quia illa præcedenter remissa inuenit, & supponit. Hoc non sequi aiebat *Æmilianus*; quia contritio tantùm remittit virtute sacramenti, cuius votum in ea continetur; & ideo ipsum sacramentum censetur peccata remittere. Certum est, inquam, *apud omnes alios* non requiri hanc contritionem perfectam remittentem peccata ante actualem susceptionem sacramenti; sequeretur enim paucissimos in sacramento iustificari, cùm pauci sint, qui talem contritionem habeant, vt testatur *Catechismus Roman. p.* 2. c. 5. *de penit. n.* 32; & paucissimi numerentur *in scripturis*, qui illam habuerint; *vt Maria Magdalena Luc.* 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm*; & *D. Petrus Luc.* 22. *Egressus foras fleuit amarè*. Quæ sequela sacramentorum nouæ legis efficaciæ nimis derogat; sacramentis enim veteribus, quæ mediante contritione perfecta iustificabant, noua coæquare videtur. Tum quia controuersia est de dispositione necessaria ad recipiendam gratiam in sacramento, seu in actuali susceptione sacramenti; non autem de dispositione ad illam recipiendam ante actualem susceptionem sacramenti; & ideo non est sermo de contritione perfecta importante actum perfectum charitatis Dei coniunctum cum habitu charitatis, cui semper est annexa gratia iustificans; & ideo eo ipso, quo habetur ipsa contritio, iustificat. Quæstio igitur est de attritione, seu contritione imperfecta; an scilicet attritio purè formidolosa concepta ex fœditate peccati, vel pœnarum metu inuoluens solam spem veniæ, & per consequens amorem concupiscentiæ, qui supponitur, cùm sequatur ad spem, & quo Deum sibi misericordem, & placatum exoptat, sine vllo prorsus amore beneuolentiæ simplicis, quo amatur Deus, vt summè bonus in se, & propter se, proximè sufficiat, & immediatè disponat ad recipiendam gratiam iustificantem in sacramento? Diximus *proximè, & immediatè*; nam quòd attritio purè formidolosa remotè, initiatiuè, & inchoatiuè disponat, nemo potest negare.

38 Prætereà certum est *apud omnes Catholicos contra Pelagium* attritionem naturalem, qua aliquis dolet de peccatis, quia ex peccato oritur malum temporale, v.g. infamia, amissio pecuniæ, dignitatis &c; non sufficere, vt disponat ad gratiam in sacramento; nam per naturæ vires non potest homo ad gratiam disponi, cùm dispositio debeat esse in eodem ordine cum forma, ad quam disponit. Hoc probant *Scriptura* asserentes necessariam esse ad emundationem à peccatis conuersionem in Deum; vt *Ioel* 2. *Conuertimini ad me &c*; attritio autem naturalis ad bona naturalia conuersio est, vt patet. Prætereà *Trid. vbisup.* docet attritionem, quæ disponit ad gratiam in sacramento, esse donum Spiritus Sancti, sine cuius *praeueniente operatione, atque eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere, aut penitere non posse, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur*, docet *ibid. can.* 3. Cui inhærens *Innoc. XI.* damnauit hanc proposit. *Probabile est sufficere attritionem naturalem, modò honestam.*

39 Vlteriùs certum esse debet timorem purè seruilem, quo quis vult seruire peccato abstinens solùm à peccato externo formidine pœnæ, retinens tamen affectum ad peccatum in corde, quia vellet peccare, si pœna peccato non esset imposita, non sufficere, tali enim affectu retinetur, fouetur que in corde peccatum, quod est obex ad gratiam recipiendam; & qui sic *gehennas metuit* (inquit *S.P. Aug. ep.* 144. *ad Anastasium*) *non peccare metuit, sed ardere; ille autem peccare metuit, qui peccatum ipsum, sicut gehennas odit, & superius: Et si non impletur foris negotium malæ cupiditatis; ipsa tamen mala cupiditas intus est hostis &c. Ac per hoc in ipsa voluntate reus est, qui vult facere, quod non licet fieri; sed ideo non facit, quia impunè fieri non potest.* Consequenter dolet de pœna, quam detestatur; non de peccato, quod vellet, si pœna non esset, ideo non est dispositio sufficiens *à Trid. vbi sup.* statuta, quæ scilicet est *animi dolor, seu detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero*; cùm habeat propositum peccandi saltem conditionatè, si pœna non esset.

40 Sed quamuis ipsa seruilitas, qua quis vellet peccare, si pœna non esset, sit mala, & peccatum; ipse tamen timor, qui animum interiorem peccare volentem non sinit peccare, sed continet, & cohibet, ne peccet, bonus, & vtilis est. Habetur *Eccl.* 1. *Timor Domini expellit peccatum; nam qui sine timore est, non poterit iustificari; & Matth.* 2. Christus Dominus præcepit: *Timete eum, qui potest animam, & corpus perdere in gehennam*; super quod *S.P. Aug. serm.* 18. *de verbis Apostoli c.* 8. inquit: *Cùm ergo Dominus timorem incusserit, & repetendo verbum comminationem geminauerit; dicturus sum ego: Malè times? Ista non dicam. Planè time; nihil meliùs times. Nihil est, quod magis timere debeas. Sed interrogo te. Si te non videret Deus; nec quisquam te conuinceret in iudicio* illius;

illius; faceres &c. Si faceres. Ergo pænam times; castitatem nondum amas; charitatem nondum habes. Seruiliter times. Formido est mali, nondum dilectio boni. Sed time tamen; vt ista formido custodiat te; vt perducat ad dilectionem; timor enim iste, quo gehennam times, & ideo mala non facis, continet te; & sic volentem peccare animum interiorem non finit. Est enim quidam custos (licèt nondum castus) timor, quasi pedagogus legis; litera est minans, nondum gratia iuuans. Custodiat tamen te timor iste, dum non facis timendo; & veniet charitas; intrat in cor tuum; & quantùm illa intrat, tantùm timor exit; timor enim id agebat, ne faceres; charitas id agit, vt nolis facere, etiamsi impunè possis admittere; & in ps. 127. Bonus est & iste timor, vtilis est. Quod sæpissimè *alibi* repetit. Arguitur autem sic. Illud, per quod à peccato receditur; & quod à Deo præcipitur, bonum, & vtile est; nam recedere à malo bonum est; sicut recedere à bono malum est; & Deus nequit, cùm sit summè bonus, mala culpæ præcipere; sed per timorem gehennæ à peccatis receditur; & à Deo timor iste præcipitur; vt constat ex allatis *textibus*; ergo timor gehennæ bonus, & vtilis est. His, *& alijs scripturis*, nec non facto *Niniuitarum*, qui timore pœnæ vtiliter concussi in cinere, & cilicio veniam à Deo impetrarunt, inhærens *Trid. vbi sup. can. 8. contra Lutherum* asserentem timorem gehennæ malum esse, & hominem facere hipocritam, ac magis peccatorem statuit: *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere, anathema sit.* Quòd priùs sanxerat *c. 4. eiusdem sess.*

41 Nec officit. 1. Quòd *perfecta charitas foras mittit timorem*, vt dicitur *1. Io. 4*; quod autem expellit charitas, peccatum est. 2. Quòd *S. P. Aug.* sæpe doceat inimicum esse iustitiæ, qui non peccat timore pœnæ. 3. Quòd omnis motus descendens ex propria cupiditate; & consequenter timor pœnarum, qui oritur ex amore ipsius creaturæ, malus sit. Non officit 1; quia licèt, quod expellit charitas, vt est illius priuatio, peccatum sit, non tamen quod expellit charitas, vt terminus *à quo* inchoatiuum ipsius, sine quo charitas non intraret in animam; id enim, per quod charitas, quæ est principium omnis bonitatis, incipit, & intrat, nequit non esse bonum; aliter malum inchoaret bonum; timor autem est initium inchoans charitatem, vt disertè docet *S. P. Aug. serm. 18. de verb. Apost. c. 9; & 10; & tract. 9. in ep. Io. Timor quasi locum præparat charitati. Cùm autem cœperit charitas habitare, pellitur timor, qui ei præparauit locum. Quantùm illa crescit, ille decrescit &c. Maior charitas, minor timor. Minor charitas, maior timor. Si autem nullus timor, non est, qua intret charitas.* Si ergo sine timore nequit incipere charitas; non nisi bonus potest esse timor, cùm terminus correspondere debeat principio. Nec obstat 2; nam aliud est, quòd seruilitas peccati reddat hominem iustitiæ inimicum, vt docet *S. P. Aug.*; aliud verò, quòd hoc efficiat timor, quod expressè negat *idem S. P; vt sup.* visum est. Neque 3; nam licèt cupiditas descendens ex amore proprio, & sistens in illo tanquam in vltimo fine, sit mala; cupiditas tamen ordinata in Deum, qui præcipit etiam dilectionem sui ipsius, & proximi, bona est; & consequenter bonus est etiam timor ex hac cupiditate ordinata dimanans. Sic euertuntur *hæreticorum* sophismata.

42 Tandem certum esse debet *inter Catholicos* neutram ex duabus sequentibus sententijs fuisse *à Trid.* definitam expressè, vt enim notat *Pallau. vbi s.* hæc tantùm fuit mens *Theologorum Concilij*; vt *hæreticorum* errorem damnarent, non autem, vt quæstionis scholasticæ ferrent iudicium. Tum quia *Alex. VII*; vt sedaret litigium *in Belgio* exortum re ad S. Sedem delata *die 5. May anno 1667.* in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis latæ sententiæ *S. Sedi* reseruatæ, alijsque pœnis arbitrio taxandis præcepit, vt nemo audeat censuris, aut iniurijs, & contumelijs afficere sententiam affirmantem, vel negantem attritionem purè formidolosam proximè disponere ad gratiam in sacramento obtinendam, donec *à S. Sede* fuerit in hac re definitum. Quò manifestè probatur nihil fuisse vsque nunc definitum; adeoque anathematis pœnam subire, qui alicuius censuræ, vel iniuriæ, & contumeliæ notam alterutri audent impingere. His suppositis, quæ sine controuersia ab omnibus debent teneri.

43 Prima sententia, quæ hodie communior est *inter Neotericos* præcipuè, vult attritionem formidolosam descendentem ex puro pœnarum metu habentem annexam spem veniæ ex misericordia Dei per Christum, & consequenter amorem concupiscentiæ erga Deum, quem amamus, vt bonum nobis, & remittentem misericorditer peccata, sine vllo prorsus amore beneuolentiæ simplicis, sufficere ad consequendam gratiam in sacramentis baptismi in adultis, & pœnitentiæ in lapsis. Ita aliqui *ex Thomistis*, & duo ex nostris, quorum vnus fuit *Gibb. hic disp. 9. dub. 3*; quidam *alter in quodam libercula de sufficientia attritionis ad iustificationem in sacramentis baptismi, et pœnitentia* inscripto; in quo euidentissimè *S. P. Augustini* sententiam, toto nisu in suum sensum conatur attrahere. Sequuntur *plurimi ex PP. Societatis; et alij.*

44 Secunda docet attritionem purè formidolosam disponere solùm remotè, non autem proximè, & vltimatè; requirit enim, vt sufficienter vltimatè disponat, amorem simplicis beneuolentiæ, non quidem perfectum, & coniunctum eum habitu charitatis, atque adeò iustificantem; sed imperfectum, inchoatum, initialem, remissum, separatum ab habitu chari-

ritatis, & consequenter non iustificantem ex natura sua, sed tantùm in sacramento, & virtute sacramenti. Hanc sententiam apertissimè tradit *Fund. Doct. B. Æg. in ep. ad Rom. c. 8. lect. 25. §. Adducit tertiam rationem*; vbi super illud: *Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis Filiorum Dei, in quo clamamus: Abba Pater*; inquit: *Iste spiritus Iudæis fuit spiritus timoris, quibus per legem timor erat incussus; nunc autem est spiritus libertatis, et amoris ijs, quibus opere gratiæ, et regenerationis operatur in vitam æternam*; et hoc non per timorem formidando pœnam, sed per dilectionem amando iustitiam. Et infra. *Præter timorem naturalem, vt distinguitur in Glos. et sumptum est à S. P. Aug. in libro sententiarum Prosperi, sunt quatuor timores. Vnus, qui dicitur mundanus, qui malus est, et non est à Deo. Secundus dicitur seruilis, qui bonus est, et à Deo, sed non sufficiens. Tertius dicitur initialis, qui stat cum charitate inchoata, qui bonus est, et à Deo, et est sufficiens, sed non est perfectus. Quartus dicitur castus, qui potest esse in charitate perfecta, qui bonus est, et à Deo, et nō solùm est sufficiens, sed potest esse perfectus.* Nec dici potest ipsum loqui de sufficientia ad iustificationem extra sacramentum; constat enim ipsum loqui de sufficientia *in opere regenerationis*, quod est sacramentum baptismi: Et *de Laud. Diuinæ sap. c. 15.* assignans ordinem charitatis inquit: *Erit ergo huiusmodi ordo, quòd amor charitatis primò incipit; secundò perficit &c.* Si autem omnis actus charitatis esset perfectus; semper perficeret, nunquam inciperet, & non perficeret; de ratione enim perfecti est perficere; sicut de ratione imperfecti est inchoare, res enim incipiunt ab imperfecto ad perfectum. Idem docet expressè *D. Tho. in 4. dist. 22. q. 1. art. 1. quæstiunc. 1. ad 1.* vbi ait *Antiochum* veniam consecutum non fuisse, quia eius pœnitentia non fuit ex amore iustitiæ, sed ex formidine pœnæ; *& 4. cont. gent. c. 52; et in qq. disput. q. 7. art. 11. ad 3; et 3. p. q. 85. art. 5; et. 6;* vbi ait; quòd *actus pœnitentiæ est contra peccatum ex amore Dei*; *et q. 86. art. 3; et in suppl. q. 3. art. 1.* ait quòd *omnis dolor in amore fundatur*; *et q. 86. art. 3.* docet ad veram pœnitentiam requiri displicentiam de peccato, quia est contra Deum super omnia dilectum. Quòd sæpissimè *alibi* docet. Idem tradit *Scot. in 4. dist. 14. q. 1. ad arg; et q. 2.* in fine, vbi refert *S. P. Aug; et dist. 20. q. 1.* clariùs se explicat. Sequuntur *plurimi alij Doctores antiqui*. Propter hos, sed magis propter *testimonia SS. PP.* & præcipuè *S. P. Aug. inf.* adducenda refert *Pallau. lib. 8. c. 13*; quòd cùm *Saluator Alepius Archiep. Turritan; et Claudius Tains Soc. Iesu, et Lipoman. Veronen. adiutor; et Pius Francisc. anorum Frates* instititissent, vt decreto iam delineato de iustificatione in baptismo insereretur aliquis actus charitatis, cùmque ad PP. hoc fuisset relatum, viginti tres Theologi hoc approbarunt, & fortiter propugnarunt. Ex quo patet ferè *omnes Theologos Concilij Tridentini* hanc sententiam tenuisse. Ante *Concil.* idem docuit *Albertus Pighius controu. 9; Io. Roffen; Echius &c;* & post illud *Vniuersitas Louaniensis*, cuius primas partes substinuerunt præcipuè *sapientissimus noster Christian. Lupus*; *Farnacques* editis pluribus libris, *& Illustriss. ac Reuerendiss. P. M. Petr. Ledron. Sacr. Apostolici Palatij Præfectus Episcop. Porphyrien; & in Vniuersitate Colon. noster M. Io. Schuueitzerus, & alij* omnes nostri doctrinę *S. P. Aug.* veraces sectatores; sicuti sunt *Ruardus Tapper, Stapletonius, Sylutus*, & nouissimè *Philalethus, Castrien; & alij. Ex Thomist. verò Contensonus, et Natalis Alex.*

45 Principalia *Aduersariorum* motiua sunt 1. Quia *Trid. vbi s.* docet, quòd attritio, quæ prouenit ex fœditate peccati, & pęnarum metu, quamuis extra sacramentum nequeat peccatorem ad iustificationem perducere, attamen perducit in sacramento; ex quo deducunt attritionem purè formidolosam sine actu amoris Dei super omnia proximè disponere ad iustificationem in sacramento, adeoque per se ipsam sufficere. 2. Quia actus amoris Dei super omnia, quantumuis imperfectus, & minimus, etiam extra sacramentum iustificat; adeoque si prærequireretur ante susceptionem sacramenti, sequeretur peccatorem nunquam iustificari in sacramento; supponeretur enim iustificatus per actum amoris Dei super omnia. Hinc attritionem habentem annexum actum amoris Dei super omnia vocant contritionem perfectam confundentes ea, quę sunt distincta; & inuoluentes, quæ non sunt inuoluenda, obijciunt sequi *ex nostra sententia* sacramenta baptismi, & pęnitentiæ non esse *sacramenta mortuorum*, neque instituta fuisse à Christo Domino, vt in ijs remittantur peccata, & fore inutilia, & inania, quia suo frustrarentur effectu; & cetera huiusmodi.

46 Vnica concl. Ad hoc, vt attritio concepta ex fęditate peccati, & pęnarum metu sit dispositio proxima, & vltimatè sufficiens ad recipiendam gratiam iustificantem in sacramento baptismi respectu adultorum, & in sacramento pœnitentiæ respectu lapsorum, debet habere annexum aliqualem amorem Dei beneuolum super omnia imperfectum, inchoatum, seiunctum ab habitu charitatis; & qui extra sacramentum tantùm remotè disponit ad habitum charitatis, & consequenter non iustificat extra sacramentum, sed tantùm in sacramento.

Prob. 1. *ex scripturis. Matth. 10.* ait Christus Dominus: *Qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus; et qui amat filium, aut filiam SVPER ME, non est me dignus.* Ex quo sic arguitur. Qui accedit ad sacramentum indignè, non accedit, vt vltimatè dispositus, nec recipit gratiam in sacramento; sed peccator adultus accedens ad sacramentum baptismi;

mi; & lapsus ad sacramentum pœnitentiæ cum sola attritione formidolosa sine actu amoris Dei super omnia accedit indignè; ergo non accedit, vt vltimatè dispositus. nec gratiam recipit in sacramento. Ma. habetur in terminis 1. *Cor.* 11: vbi *Apost.* loquens de sacramento Eucharistiæ inquit: *Quicunque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis, & sanguinis Domini*. Sicut autem accedere ad eucharistiam indignè est accedere sine dispositione vltimatè ad illam exacta; ita proportione seruata accedere indignè ad sacramentum baptismi, & pœnitentiæ est accedere sine dispositione necessariò requisita; & consequenter non recipere gratiam in sacramento; nam quemadmodum accedens ad eucharistiam cum puritate conscientiæ, quæ est dispositio ad recipiendam gratiam in hoc sacramento, non accedit indignè, sed est dignus, vt accipiat gratiam propriam huius sacramenti; ita adultus accedens ad baptismum, & lapsus ad pœnitentiam cum dispositione requisita, quamuis sit in peccato mortali, non accedit indignè, sed est dignus, vt recipiat gratiam iustificantem propriam sacramenti; carens autem tali dispositione dicitur accedere indignè, & sacramenti fit reus. Nec dici potest, quòd licèt accedat indignè; attamen fit dignus in sacramento. Nam contra est; quia accedens indignè ad eucharistiã non fit dignus in sacramento; ergo à pari. Tum quia accedens sine attritione accedit indignè, & fit reus sacramenti; quia sine dispositione debita accedit; ergo accedens indignè accedit, vt vltimatè indispositus, & gratiam sacramenti non recipit; & ideo rectè concluditur, quòd accedere indignè est accedere sine dispositione vltimata, per quã solùm fit, vt dignè quisquis accedat. Mi. habetur ex verbis Christi Domini, nam adultus accedens ad sacramentum baptismi; & lapsus ad sacramentum pœnitentiæ cum sola attritione formidolosa sine actu amoris Dei beneuolo saltem imperfecto, & inchoato magis amat se ipsum, quàm Deum; quam amat Deum solùm amore concupiscentiæ; se ipsum verò amore beneuolentiæ, ratione cuius amoris concupiscit sibi bonum à Deo; amor autem, quo amamus bonum amati, est amor beneuolentiæ; sicut amor, quo volumus bonum nobis, quod speramus recipere, est amor concupiscentiæ; atqui amor beneuolentiæ est maior, quàm concupiscentiæ; ille enim, si sit perfectus *iuxta nostram sententiam*, & etiamsi sit imperfectus iuxta *Aduersarios*, iustificat; iste verò non iustificat; maior autem est amor iustificans, quàm non iustificans, vt constat; ergo accedens cum sola attritione formidolosa sine actu amoris Dei beneuolo saltem inchoato, & imperfecto accedit indignè. Tum quia accedens cum anathemate, & manens in morte peccati accedit indignè; qui namque accedit, vt omnino diuisus à Christo Domino, non est dignus, vt vniatur cum Christo per gratiam in sacramento; qui autem accedit sine amore beneuolentiæ, de cuius ratione est vnire, accedit, vt diuisus à Christo Domino; & qui nullo modo mouetur ad vitam, non est dignus, vt vitam recipiat; quia non censetur plenè dispositus; sed accedens cum sola attritione formidolosa sine actu amoris beneuoli accedit cum anathemate; habet enim *Apost.* 1. *Cor. vlt. Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema*; & manet in morte peccati; dicitur enim 1. *Io.* 3. *Qui non diligit, manet in morte*; & ideo nullo modo se mouet ad vitam, quia manere est se non mouere; nam se mouere est non manere; & per hunc amorem non se mouet proximè ad vitam; quia hic amor proximè vitam non inchoat; vita enim proximè non inchoatur, nisi per id, per quod posteà, cùm adoleuerit, perficitur; & id, per quod perficitur, procul dubio est actus amoris beneuolus adultus iam, & perfectus; ergo accedens ad sacramentum sine actu amoris beneuolentiæ indignus accedit.

47 Resp. *Scriptor libelluli*. 1. Illud verbum *non diligit* non sumi purè negatiuè, seu priuatiuè pro carentia dilectionis, sed contrariè pro odio ita, vt faciat sensum. *Qui odit fratrem suum*; sicut dicitur *in superiori c.* vbi habetur *in tenebris est*; quod est idem, ac in morte est; quia mors dicitur *nox*, & nox ex tenebris est. 2. Allatum *textum* intelligendum esse de habitu charitatis, qui infunditur in sacramento, non de actu præuio ad sacramentum.

Sed falsitas primæ responsionis apertè monstratur; nam inquit *Io: Qui non diligit, manet in morte; omnis, qui odit fratrem, homicida est*. Ergo si illud verbum *non diligit* sumeretur, prout idem est, ac *Qui odit*; bis idem immediatè repeteret, quod est nugari. Præterea posset sic exponi, cùm *ibid.* ait: *Qui facit peccatum*; idest *qui non facit bonum; iniquitatem facit*. Sic cùm inquit: *Qui manet in charitate, in Deo manet*; idest qui *non manet in odio*. Imò ipsum præceptum diligendi Deum posset sumi contrariè pro non odio habere Deum; ex quo apparet hanc explicationem reijciendam esse, vtpote sufficientem ad inuertendum, adulterandumque sensum *totius scripturæ*. Ad 2. iam dictum est, quòd verbum *non mouetur* negat motum ad vitam; motus autem est actus imperfectus, vt dicitur *in Phys.* quo nequit significari habitus charitatis, quo habetur vitæ perfectio.

48 Præterea *Rom.* 8. habetur: *Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore; sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba Pater*. Ex his verbis *S. P. Aug. de Spir. et lit. et ep. 120. de grat. vetit noui testam. et lib. cont. Adimant. c. 17.* ac ex illo *Fund. Doct. vbi sit lect. 12. in c. 3.* colligunt discrimen inter legem scriptam, & Euangelicam; quòd nempe illa erat lex timoris,

ris, & seruorum, quia solùm terrebat, vt terrore ad sui obseruantiam induceret; non autem gratiam donabat; quia non iustificabantur, nisi per fidem in Christum; & ideo sacramenta veteris legis causabant gratiam tantùm moraliter, quatenus repræsentabant Christum, quem figurabant, à quo mouebatur Deus ad dandam gratiam; vt diximus *de sacram. in com. q. 1. art. 3. & q. 3. art. 1.* At lex euangelica est lex amoris, & filiorum, qui non nisi amanter præcepta Patris adimplent; & ideo gratiam illius recipiunt; quapropter lex gratiæ dicitur; quoniam sacramenta illius gratiam conferunt ex opere operato. Arguitur autem sic. 1. Illa est lex amoris, ad cuius sacramenta recipienda per amorem beneuolentiæ disponimur; sicut illa est lex timoris, ad cuius sacramenta per timorem inuoluentem spem veniæ perducimur; sed lex Euangelica est lex amoris; in hoc enim distinguitur à lege scripta, vt docet *Apost.* ergo in lege euangelica ad recipienda sacramenta per amorem disponimur. 2. Præcisè per opus, quod spectauit ad legem scriptam, non disponimur vltimatè ad gratiam recipiendam in sacramento; aliter etiam lex scripta iustificasset, quod negat *Apost. Rom. 3*; post vltimam enim dispositionem ad formam sequitur forma; secus talis dispositio non esset vltima, & proxima, sed mediata, & remota; sed timor purè seruilis est opus, quod spectauit ad legem scriptam, quæ fuit lex seruorum; & ideo viuentes in illa metu penarum præcisè sacrificia offerebant, quæ erant illius legis sacramenta, & aliunde habebant etiam spem veniæ, quia Deum sibi propitium optabant; ergo præcisè per timorem purè seruilem etiam spem veniæ inuoluentem non disponimur vltimatè ad gratiam recipiendam in sacramento. 3. Accedentes ad baptismum, & pœnitentiam accedunt, vt filij ad Patrem misericordiæ largientem illis gratiam iustificantem; accedunt enim habentes *Spiritum adoptionis, in quo clamamus: Abba Pater,* vt docet *Apost.* sed filij amore beneuolo accedunt ad Patrem optimum; qui, vtpotè optimus, non amari beneuolenter non potest; accedunt enim *Spiritu adoptionis*, qui, vt explicat *S.P. Aug.* est actus amoris beneuolentiæ, seu charitatis; ergo accedentes ad baptismum, & pœnitentiam debent habere actum amoris Dei beneuolum; aliter non accederent, vt filij ad Patrem, sed vt serui ad Dominum, quia cum timore purè seruili etiam inuoluente spem veniæ præcisè accederent; timor enim filialis, qui est proprius filiorum, in hoc essentialiter distinguitur à timore purè seruili, qui est proprius seruorum; quòd ille habet adiunctum amorem beneuolentiæ erga Patrem; iste verò non habet hunc amorem annexum; nec sufficit ad constituendum timorem filialem habere coniunctum amorem concupiscentiæ; quia amor concupiscentiæ conuenit etiam timori seruili; nam etiam serui concupiscunt suum Dominum sibi propitium, & misericordem in relaxandis penis suorum debitorum; & ideo non distinguit formaliter timorem filialem à timore seruili; commune nanque non distinguit, vt constat.

49 Resp. *idem*; quòd sicut in lege veteri non tenebantur semper habere timorem sine charitate; ita in lege noua non tenentur semper habere amorem sine timore seruili; quanuis habentes charitatem in lege scripta pertinerent ad legem nouam; sicut habentes timorem purè seruilem in lege noua pertinent ad legem veterem; vt docet *ex S.P. Aug. lib. 3. cont. duas ep. Pelagian. c. 4. D. Tho. 1. 2. q. 107. art. 1.*

Sed contra est; quia ex vi legis scriptæ non tenebantur habere, nisi timorem purè seruilem; nam lex illa incutiebat solùm timorem, & ideo erat lex seruorum, vt docet *Apost.* amorem autem Dei tenebantur habere solùm ex *vi* legis naturæ, quæ præcipit Deum esse amandum super omnia; lex autem euangelica addit Deum esse amandum per Christum, tanquam per mediatorem, & Redemptorem; per quem gratiam iustificantem à peccatis in sacramento recipimus; propter quod lex naturæ non fuit destructa, sed perfecta per Christum. Ex eo autem, quòd timor purè seruilis ad testamentum vetus pertineat, responsionem interimit; quia opus spectans ad legem scriptam nequit esse vltima dispositio ad gratiam, quæ confertur in lege euangelica, aliter non minùs ad illam, quàm ad istam spectaret; quod tamen est falsum, vt ex *S. P. Aug.* et *S. Tho.* imò *ex Apost.* habetur, vt diximus.

50 Insuper *2. Cor. 9. Quæ secundùm Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur*; ex quo sic. Tristitia, seu dolor secundùm Deum offensum operatur, seu causat gratiam iustificantem in sacramento pœnitentiæ; sed attritio purè formidolosa non est tristitia, seu dolor secundùm Deum offensum; ergo non operatur gratiam iustificantem in sacramento pœnitentiæ. Ma. traditur *ab Apost.* in terminis; debet enim penitens dolere de peccato commisso, prout est offensa Dei; statuit nanque *Trid. sess. 14. c. 1.* pœnitentiam fuisse omnibus peccato mortali inquinatis necessariam; *vt peruersitate abiecta, & emendata tantam Dei offensionem cum peccati odio, & pio animi dolore detestarentur*; & communissimè *SS. PP.* et *Theologi* docent debere pœnitentē dolere de peccato commisso, quatenus est Dei offensa; imò *ex communi praxi totius Ecclesiæ* Confessarij pœnitentes interrogant; an doleant se Deum offendisse; & si aliquem deprehenderent talem non habere dolorem, absolutionem ei negarent; nam si dolerent tantùm de pena, quæ ex peccatis eis est infligenda; & non de culpa, quæ essentialiter est Dei offensa; non dolerent de peccato formaliter, quia peccatum formaliter constituitur per rationem culpæ, & of-

offensæ; non per rationem pęnæ, quæ est effectus peccati sequens ad illud; & sic non esset dispositus; quia formaliter non doleret de peccato commisso; vt statuit *Trid. vbi s. c. 4*; sed potiùs doleret de effectu peccati; quod non sufficit ad detestandum peccatum, vt constat; sed attritio purè formidolosa non est tristitia secundùm Deum, sed secundùm nos; quia per illam tristamur, & dolemus de peccatis propter pœnas nobis infligendas, non propter offensam Deo irrogatam à nobis; nam *omnis dolor in amore fundatur*; vt docet *D. Tho. q. 3. supplem. art. 1*; quia *omnis negatio in affirmatione fundatur*, vt fert *commune Philosophorum axioma*; & sicuti dolor de peccatis propter pęnas peccatoribus infligendas fundatur in amore concupiscentiæ, quo quis amat se ipsum; ita dolor de peccatis, vt sunt Dei offensa, fundatur in amore, quo diligimus Deum propter se ipsum; attritio autem purè formidolosa, vtpotè excludens amorem Dei propter se, non habet, vbi fundet dolorem de peccato, vt est Dei offensa; ergo non est sufficiens ad recipiendam gratiam in sacramento pęnitentiæ.

51 Item *1. Cor. 13. Si tradidero corpus meum ita, vt ardeam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*. Ex quo arguitur. Eadem dispositio ad martyrium requiritur, quæ exigitur ad sacramentum baptismi; vt diximus *de bapt. q. 2. art. 8. §. 2*; cùm martyrium sit vna ex tribus speciebus baptismi; sed martyrium sine charitate non prodest ad salutem *ex Apost*; vt exponit *S. P. Aug. serm. 53. de temp.* asserens: *In omnibus pręceptis Dei charitas obtinet principatum; sine cuius perfectione nihil Deo placere posse Paulus Apostolus testatur; quia nec martyrium, nec sæculi contemptum, nec eleemosinarum largitionem sine charitatis officio* (idèst sine actu charitatis) *quicquam proficere posse ostendit*; ergo nec baptismus, nec pęnitentia sine aliquo actu amoris Dei ad salutem prodest pęnitentis. Quo reijcitur *idem qui sup.* asserens *Apostolum* loqui de charitate extra sacramentum, non in sacramento. Quod magis euertitur *ex D. P. Aug. tract. 6. in Io.* exigente charitatem etiam in sacramento baptismi: *Sacramentum Diuinum est; habet baptisma, & ego confiteor. Sed quid dixit idem Apost. Si sciero mente omnia sacramenta, & habuero omnem prophetiam &c; charitatem autem non habeam, nihil sum*. Idem habet *de pænitentia lib. 15. de Ciuit. cap. 18; et serm. 3. in Nat. Domini* alloquens pęnitentes inquit. *Debetis amare Deum, et à timore ad dilectionem transire; quia sic legimus in euangelio de peccatrice illa; cui multùm dimittitur, multùm diligit; et ideo multùm debètis Deum diligere*. Quod autem addit ex hoc sequi sacramenta baptismi, & pęnitentiæ non conferre primam gratiam, continua hallucinatio est; quia amor Dei imperfectus, & inchoatus non iustificat ante susceptionem sacramenti, vt *inf.* dicemus.

52 Conf. *SS. PP.* sic istas *Scripturas* exponunt; ergo non licet contrarium tenere. Prob. *ant. S. P. Aug. lib. de spir; et lit. c. 8. Mandatum si fit timore pęnæ, non amore iustitiæ; seruiliter fit, non liberaliter; et ideo non fit; non enim fructus est bonus, qui de charitatis radice non surgit; et serm. 7. de temp. Pænitentiam veram non facit, nisi odium peccati, et amor Dei. Vid. lib. 3. ad Bonifac. cap. 4; lib. 2. cont. Aduers. legis, et Prophetar. c. 7; ep. 124. ad Anast; in ps. 124. conc. 25; in ps. 118; et serm. 15. de Verb. Apost. c. 6; et serm. 19. c. 8; et innumeris alijs in locis. S. Io. Chrisost. hom. 4. in ep. 2. ad Cor. Cùm peccaueris, ingemisce; non quòd pęnas daturus sit; nihil enim hoc est etc. S. Ambr. lib. 8. in Luc. Qui metuit, reprimitur, non emendatur; S. Petrus Chrysol. serm. 94. Cęlestis creditor totum debitum charitate compensat; et ad incrementum totius fęnoris amoris solius exigit, et requirit vsuram. Plectendus debitor, qui dilectione sola suam negligit redimere cautionem. S. Prosper sent. 117. in decerptis ex S. P. Aug. Eam Deus innocentiam probat, qua homo non timore pænæ fit innocens, sed amore iustitiæ. S. Greg. Magn. hom. 15. in Euang. Nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice charitatis; S. Leo serm. 7. de ieiun. septimi mensis c. 1. In his duobus mandatis tota lex pendet, et prophetæ; tantaque est sub huius gemina charitatis edicto vtriusque copula testamenti; vt sine istarum connexione virtutum nec lex quenquam inueniatur iustificasse, nec gratia. S. Isidor. Hispal. lib. 11. sententiar. c. 21. Ille mercedem boni operis percipit, qui amando iustitiam, non is, qui eam solo metu pænarum inuitus custodit; S. Bernar. de Diligendo Deo c. 12. Nec timor quippe, nec amor priuatus conuertunt animam &c. Charitas verò conuertit animas, quas facit & voluntarias; S. Tho. Villanou. conc. fer. 6. post Dominic. 4. Quadrag. Qui de solo peccati damno dolet, culpam non abluit, & damnum non tollit*. Idem habet *conc. Dominic. Passionis; S. Antonin. in sum. par. 4. tit. 14. cap. 5. S. Bernardin. Senen. fer. 2. post Dominic. 1. Quadrag; S. Franc. Sales. lib. 2. de amore Dei; & alij innumeri*.

53 Resp. *idem c. 13. S. P. Aug.* loqui de pęna ab homine irroganda; & de pœnitentia extra sacramentum assequente effectum remissionis peccati.

Sed primum eufugium manifestè falsum est; loquitur enim de pœna comminata per legem Dei, & ideo à Deo irroganda: Secundum explosum est *n. 51*; vbi ostensum est ad consequendam gratiam etiam in sacramento charitatem requiri.

54 Prob. 2; & euertitur primum *Aduersariorum* motiuum *ex Trid.* deductum *sess. 6. c. 6.* vbi loquens de pœnitentia, quam adultus tenetur facere ante susceptionem baptismi, inquit: *Disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum excitati Diuina gratia, & adiuti fidem ex auditu concipientes liberè mouentur in Deum credentes vera esse,*

qua

quæ Diuinitus reuelata &c; & *dum peccatores se esse intelligentes à Diuinæ iustitiæ timore, quo vtiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se conuertendo in spem eriguntur fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore; illumque tanquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt;* & *can. 3. eiusdem sess. Si quis dixerit sine præueniente Spiritus Sancti inspiratione, atque eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit.* Super quod *Pallau. lib. 8. c. 13.* refert *ex actis ipsius Concilij à Card. Seripando compositis: Visum est cum fide, & spe iungere aliquem dilectionis actum, quia si penitentia tota ex timore sine amore iustitiæ; & dolor esset propter pœnam tantùm, & nonpropter Dei offensam, infructuosa esset.* Igitur ad pęnitentiam, *quam ante baptismum agi oportet;* vt iussit *D. Petrus Act. 2. Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum;* ex quibus intulit *Concilium* sermonem esse de pœnitentia, quæ necessaria est, vt disponantur adulti ad recipiendam gratiam in sacramento baptismi; non de illa, quæ iustificat ante susceptionem sacramenti; ad hanc pęnitentiam, inquam, *Concilium* statuit præter actum fidei, quo credimus in Deum, & actum spei, quo *erigimur in Deum fidentes nobis propter Christum propitium fore;* ait necessarium esse actum amoris Dei, quo incipimus diligere ipsum, tanquam omnis iustitiæ fontem. Arguitur autem. Actus, *quo incipimus diligere Deum, tanquam fontem omnis iustitiæ*, est actus simplicis beneuolentiæ; sed ad recipiendam gratiam in sacramento baptismi est necessarius actus, quo incipimus diligere Deum, tanquam fontem omnis iustitiæ; ergo ad recipiendam gratiam in sacramento baptismi est necessarius actus simplicis beneuolentiæ. Mi. est statuta in suis terminis *à Concilio*. Prob. ma. 1. Actus amoris Dei distinctus ab actu fidei, & spei nequit esse, nisi actus charitatis, seu amoris Dei propter se; nam actus concupiscentiæ inuoluitur in actu spei, vt asserunt *Aduersarij*; constat enim, quòd per tres istos actus dumtaxat immediatè possumus tendere in Deum; sed *Conc.* prærequirit ad recipiendam gratiam in baptismo actum amoris Dei distinctum ab actu fidei, & spei; aliter si nomine actus, quo incipimus diligere Deum, tanquam fontem iustitiæ, intelligeret actum spei, idem bis nugatoriè repeteret; ergo prærequirit actum amoris Dei propter se. 2. Sola illa interpretatio mentis *Concilij*, quæ refertur in actis *Concilij*, est iuxta ipsum *Concilium*; sed *in actis Concilij* refertur nomine actus, *quo incipimus Deum diligere*, intellexisse *Patres* actum inchoatum, & imperfectum amoris Dei propter se *teste Pallau. vbi s. & p. 2. lib 12. cap. 10. à n. 14;* ergo nomine actus dilectionis Dei nequit iuxta *Concilium* intelligi, nisi actus amoris Dei propter se. 3. Nomine *amoris inchoati, inceptiui, initialis* intellexerunt *Patres Concilij* id, quod intellexerunt SS. *PP*; quorum doctrinam secuti sunt; sed SS. *PP.* nomine *amoris inchoati, inceptiui, initialis* intellexerunt amorem beneuolentiæ, quem diuidunt in amorem perfectum, & initialem; & nec SS. *PP*; neque *vllus Theologus* vnquam diuisit amorem concupiscentiæ in initialem, & perfectum; quæ diuisio esset prorsus noua, & inaudita, & ideo aliena à mente *Concilij*; & nomine actus, quo incipimus Deum diligere, significatur amor inchoatus, inceptiuus, initialis, vt constat; ergo nomine actus, quo incipimus Deum diligere, intellexerunt *PP. Conc.* amorem beneuolentiæ erga Deum. 4. Loquitur de amore, quo incipimus diligere post actum spei; sed amor concupiscentiæ non est actus, quo incipimus diligere post actum spei; nam amor concupiscentiæ antecedit actum spei, vt volunt *plures*; in tantùm enim Deum nobis propitium speramus, in quantùm concupiscimus non pati; vel saltem inuoluitur in spe, vt concedunt *Aduersarij*; ergo non loquitur de amore concupiscentiæ, sed beneuolentiæ.

55 Nec valet responsio *eiusdem, qui sup. c. 3. in fine*, scilicet standum esse verbis *decreti*, non *historiæ*. Non valet, inquam; nam quoties sensus verborum est dubius, vel in dubium vocatur, vt in casu; tunc nulla certior aperitur via ad indagandum verum sensum internum *à PP*; quàm recurrere *ad acta*, in quibus fideliter ipsorum sensus exprimitur; ergo negare sensum *decreti*, prout expressum *in actis*, est directè, & apertè negare mentem *Concilij*.

56 Respondent *alij in hac sess.* sermonem esse de baptismo, non de pęnitentia, de qua *sess. 14. c. 4.* habetur oppositum.

Sed contra est; nam non requiritur minor dispositio ad sacramentum pęnitentiæ, quàm ad sacramentum baptismi; vtrumque enim est *sacramentum mortuorum*. Imò à fortiori videtur requiri ad pęnitentiam, quæ *à Trid. ibid. c. 2.* appellatur *laboriosus baptismus*; ideo maiorem dispositionem videtur exigere. Tandem in tantùm requiritur ad baptismum, in quantùm necessarius est amor Dei saltem inchoatus ad tollenda peccata; sed etiam in pęnitentia necessariò tollenda sunt peccata, vt iustificatio sequatur; ergo ob eandem rationem necessarius est etiam in sacramento pęnitentiæ.

57 Sed hęc veritas priùs fuit expressa *in Conc. Araux. II. can. 25*; vbi statuit, quòd Deus inspirat fidē, & amorē sui ad recipiendam gratiam in sacramento baptismi his verbis: *Ipse* (nempe Deus) *nobis nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem, & amorem suipsius inspirat: vt & baptismi sacramenta fideliter requiramus.* Cum quo concordat *hic canon 6. à PP. Trid.* sancitus. Nec dici potest, quòd sermo sit de amore concupiscentiæ, quia sermo est de actu charitatis, quo incipimus

Deum

Deum diligere, quem *Semipelagiani* dicebant esse ex nobis.

58 Magis comprob. *ex Trid. ibid*; vbi postquam dixit: *Incipiunt diligere Deum &c*; addit. *Proponunt inchoare nouam vitam, & seruare Diuina mandata*; sed Dei mandata non seruantur, nisi per dilectionem Dei, & proximi; quia *in his duobus præceptis tota lex pendet, & prophetæ Matth. 22; & Io. 14. Si quis diligit me, mandata mea seruat*; quibus verbis ostendit causam formalem seruandi Dei præcepta esse dilectionem Dei, sine qua illa non seruantur; ergo idem.

59 Insuper prob. *ex sess. 14. c. 4*; vnde *Aduersarij* sua fundamenta deriuant. *Ex actis M.S. Card. Seripandi, & à Card. Pallau.* etiam refertur, habetur, quòd *in illa sess.* agebatur de inceptione actus attritionis, quæ habetur à metu pœnarum, non de complemento ipsius actus, quod ab amore Dei desumitur; vt docet *S. P. Aug. in ep. S. Io. tract. 9. Incipiat timor; quia initium sapientiæ timor Domini; timor quasi locum præparat charitati. Cùm autem cœperit charitas habitare, pellitur timor &c. Quantùm enim illa crescit, ille decrescit*; & colligitur manifestè ex illis verbis *Concilij: Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu concipitur &c*; sicut autem conceptio hominis non est completio hominis, sed tantùm inceptio, quæ fit, cùm embrio formatur; ita inceptio attritionis, quæ fit ex metu pœnarum, non est completio attritionis, quæ per amorem Dei coniunctum completur. Ratio huius est; agebatur enim *contra hæreticos* asserentes timorem gehennæ, & pœnarum facere hominem hipocritam, magisque peccatorem; non autem negabant amorem Dei ad attritionem requiri; vt referunt *Albert. Piglius controu. 9; & Io. Roffen. ad art. 6. Lutheri*; imò hoc supponebant cum *Catholicis*; contra quos Melancton. *ibidem* arguebat timorem cum amore coniungi non posse: *Nec potest eum diligere, quem iratum videt, & præcipitare velle in gehennam*; vnde ex incompossibilitate amoris, quem necessarium putabant *Catholici*, timorem ad attritionem non posse spectare inferebant *hæretici*; ergo ad hoc, vt *Conc.* hunc errorem damnaret, de solo timore, à quo incipit attritio, debuit differere; & ideo amorem Dei non exclusit, sed supposuit; statuit enim. 1. *Contritionis motum quouis tempore ad impetrandam veniam peccatorum necessarium fuisse*; contritio autem, quæ quouis tempore fuit necessaria ad impetrandam remissionem peccatorum, fuit dolor includens Dei amorem; constat enim, quòd in lege veteri non sufficiebat timor sine amore; quia illa sacramenta non conferebant gratiam ex opere operato; sed tantùm ex opere operantis, quod fuit fides in Christum, *quæ per dilectionem operatur*; ergo etiam in sacramento pœnitentiæ necessaria est ista contritio; aliter quouis tempore non fuisset necessaria. 2. *Declarat S. Synodus hanc contritionem* (quæ nempe fuit quouis tempore necessaria) *non solùm cessationem à peccato, & vitæ nouæ propositum, & inchoationem, sed veteris etiam odium continere iuxta illud Ezech. 18. Proijcite à vobis omnes iniquitates vestras, & facite vobis cor nouum.* Sed vita vetus non exuitur, nisi eijciantur è corde *desideria carnis*, & amor mundi; & noua non inchoatur, nisi *secundùm Deum*, vt docet *Apost. Ephes. 4*; idest secundùm amorem Dei; nam sicuti inchoare veterem vitam est incipere amare creaturas in illis sistendo; ita nouam inchoare est incipere amare Deum in se ipso sistendo, quod est ipsum amare propter se; ergo *Conc.* supponit contritionem, quæ fuit quouis tempore necessaria, inuoluere amorem Dei propter se. 3. Loquens de attritione, quæ est contritio imperfecta, docet *donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm mouentis*; sed id, per quod mouet Spiritus Sanctus in Deum; sicut illud, per quod inhabitat, est amor Dei super omnia; nam Spiritus Sanctus est amor, per quem diffunditur *charitas in cordibus nostris*; ergo *Conc.* non obscurè supposuit attritionem inuoluere amorem Dei super omnia. 4. Exemplum affert *Niniuitarum*, qui terrore perculsi *pœnitentiam egerunt, & misericordiam à Domino impetrarunt*; sed in lege veteri peccatorum venia obtineri non potuit, nisi mediante actu amoris Dei coniuncto cum fide Christi; *vt sup.* dictum est; ergo in toto illo capite, quo nituntur *Aduersarij*, *Trid.* supponit, & probat attritionem veram sufficientem ad obtinendam gratiam in sacramento debere habere amorem Dei coniunctum.

60 Prob. 3; & excutitur aliud fulcimen. Si non requireretur amor Dei imperfectus, maximè, quia amor Dei beneuolus, quantumuis remissus, iustificat etiam extra sacramentum; nam habetur 1. *Io. 3. Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Nec potest explicari de habitu, non de actu; quod enim facit habitus habitualiter, hoc facit actus actualiter; nam *c. 4.* subditur: *Omnis, qui diligit, ex Deo natus est; & Io. 14. Si quis diligit me, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus; & Prou. 8. Ego diligentes me diligo*; qui autem à Deo diligitur, charus, & gratus est ei, & ideo iustus; sed hæc ratio nulla est; ergo ruit aliud fulcimen, & consequenter sententia. Prob. mi. In allatis *textibus* sermo est de charitate, seu dilectione perfecta; habetur enim *c. 4. vbi sup. Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem; quoniam timor pœnam habet; qui autem timet, non est perfectus in charitate*; sed amor Dei remissus est coniunctus cum timore, *vt sup.* diximus *ex S. P. Aug*; & sic non est dile-

ctio perfecta, quæ nequit cum timore coniungi, vt patet *ex hoc textu*; ergo hæc ratio nulla est. 2. Ita se habet in genere causæ efficientis dilectio, qua Deus diligit peccatorem per ordinem ad iustificationem ipsius; sicut se habet dilectio, qua peccator diligit Deum in genere causæ formalis dispositiuæ; iustificatio enim est effectus dilectionis Diuinæ; vt habetur *Io. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret &c*; ex quo deducitur iustificationem esse effectum efficienter causatum à dilectione Diuina; & de dilectione, qua pœnitens diligit Deum, habetur *vbis. Translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres*; quod communiter exponitur in genere causæ formalis dispositiuæ; sed non omnis dilectio Diuina efficienter iustificat nos, habetur enim *Rom. 5. Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus &c*; & *Conc. Araux. II. vbis.* inquit: *Non dilectus diligit; displicentes amati sumus*; quòd si iustificaret, diligentes efficeret; & ratio est; quia collatio auxiliorum sufficientium est effectus dilectionis Diuinæ, & tamen per illa formaliter immediatè non iustificatur peccator; quanuis possit iustificari, si bene illis vtatur; sic enim Deus largitur maiora, quibus efficienter proximè, & immediatè conuertitur; ergo non omnis dilectio, qua peccator diligit Deum, iustificat in genere causæ formalis dispositiuæ; dilectio enim, qua creatura diligit Deum, est effectus dilectionis, qua Deus diligit creaturam; cùm sit donum illius, & ideo cum illa commensuratur; quia effectus suam causam nequit excedere. 3. *S. P. Aug. lib 8. Confess. c. vlt; & lib. 9. c. 1; & 2.* fatetur se habuisse actum amoris Dei, quo *Deus sagittauerat cor eius*; & tamen *c. 2. in fine, & c. 4.* ait peccata sibi tantùm in baptismo fuisse dimissa; quod etiam de alijs catechumenis docet *tract. 13. in Io.* inquiens: *Quantumcumque catechumenus proficit, adhuc sarcinam iniquitatis sua portat; non illi dimittitur, nisi cum venerit ad baptismum*; & *lib. 1. ad Simpl. q. 2.* rationem reddit; nam eodem modo discurrendum est de regeneratione in ordine supernaturali, sicut loquimur de generatione naturali; *Ap. st.* enim docet: *Inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*; sed in ordine naturali non sufficit conceptio imperfecta, quæ fit in embrione; non enim per illam immediatè, & illico habetur vita hominis, quia habetur tantùm vita plantæ, deinde animalis, vt docent *Philosophi*; quæ tandem perficitur, & hominis vita succedit; ergo in ordine supernaturali non sufficit imperfecta conceptio in fide, spe, & charitate, quæ fit per actus imperfectos elicitos mediantibus auxilijs supernaturalibus sine habitibus infusis, qui infunduntur in baptismo; non enim per illos immediatè, & illico habetur vita supernaturalis, quia secum non inuehunt gratiam sanctificantem, propterea *Io. 3.* habetur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Ait itaque *S. P. vbis. Sunt ergo inchoationes quædam fidei conceptionibus similes. Non tamen solùm concipi, sed etiam nasci opus est, vt ad vitam perueniatur æternam.* Et quanuis in aliquibus tanta sit fides, & tantus amor Dei (subdit *ibidem*) *vt iam corpori Christi, & Sancto Dei templo deputentur*; vt constat *de Maria Magdalene, de Emoroissa, & paucissimis alys*, de quibus fit mentio in *Scripturis*, qui iustificati fuerunt etiam ante baptismum; attamen illi, in quibus non est tanta fides, quantam Christus inuenit in istis dicens: *Non inueni tantam fidem in Israel*, non fuerunt per actum fidei, & charitatis, quem habuerunt, iustificati. Hanc fuisse mentem *PP. Trid.* exigentium imperfectum actum amoris Dei beneuolentiæ ante baptismum testatur *Pallan. lib. 8. c. 14*; vbi asserit *illos PP.* exegisse actum charitatis, *non quidem obtinentem, sed exoptantem iustitiam*, & ideo non iustificantem; quia actus iustificans iustitiam obtinet, non exoptat; id enim exoptatur, quod non obtinetur. *Et Catechismus Rom. p. 2. c. 5. de pœnit. n. 32.* docet contritionem perfectam, de qua sermo est *in Trid. sess. 14. c. 4*; *debere esse dolorem adeo acrem, vehementem, & accensum, vt magnitudini peccatorum coæquari, conferrique possit.* Constat autem non esse in omnibus charitatem tam accensam, quod *S. P. Aug. lib. de grat; & lib. arb. c. 17.* euidenter ostendit *in D. Petro* asserens: *Ipsam charitatem Apostolus Petrus nondum habuit, quando timore Dominum ter negauit; timor enim non est in charitate; vt habet Io. in epistola sua; sed perfecta charitas foras mittit timorem; & tamen, quanuis parua, & imperfecta, non deerat, quando dicebat Domino: Animam meam pro te ponam*; & quando dicebat: *Tu scis, Domine, quia amo te. Fuit tamen* (prosequitur *S. P.*) *quando passus est pro Christo. Istam charitatem, idest Diuino amore ardentissimam voluntatem commendans Apost. dicit: Quis me separabit à charitate Christi?* Formatur autem ratio sic. *Ex Diuinis Scripturis* constat dari perfectum, & imperfectum actum charitatis; sed actus imperfectus non iustificat ante sacramentum, vt docet *Trid. vbis.* asserens solam contritionem charitate perfectam iustificare; imperfectum autem constat non posse perficere; ergo non omnis actus charitatis iustificat 4. Intantùm actus charitatis iustificat extra sacramentum, in quantùm coniungitur cum habitu charitatis, à quo elicitur; & habitus charitatis vel est ipsa gratia iustificans, vt volunt *aliqui*; vel connectitur cum gratia iustificante, cuius est proprietas, vt volunt *alij*; sed potest dari actus imperfectus charitatis sine habitu charitatis à Deo infusus per modum auxilij actualis, non elicitus ab habitu charitatis; ergo potest dari habitus charitatis non habens annexam gratiam iustificantem, & per consequens non iustificans. Prob. mi. Actus

fidei,

fidei,& spei Diuinæ sunt eiusdem ordinis supernaturalis, & Diuini, cuius est actus charitatis Dei; omnes enim isti tres actus habent pro obiecto immediato, & pro fine Deum; & ideo sunt eiusdem ordinis supernaturalis, & Diuini; sed potest dari actus fidei, & spei Diuinæ; vt patet in catechumenis, qui credunt, & sperant fide, & spe Diuina; propterea cùm ad baptismum accedunt, interrogantur, an credant in Deum; aliter non essent ad baptismum dispositi, vt diximus *sup. ex Trid*; & tamen certum est tunc non habere habitum fidei, & spei; docet enim *Conc. Vien.* hos habitus infundi in baptismo; ergo potest dari etiam actus imperfectus charitatis sine habitu, & per consequens sine gratia iustificante; atque adeò non iustificans. Huius argumenti solutionem nunquam audiuimus; licèt pluries, & pluribus *Aduersarijs* illud obieceremus. Tandem quòd catechumenus per auxilium actuale possit elicere actum fidei, & spei Diuinæ imperfectum, exilem, & debilem ita, vt cogatur ad Deum recurrere: *Domine adiuua incredulitatem meam*; & per auxilium actuale non possit elicere actum dilectionis Dei imperfectissimum, exilem, & debilem ita, vt indigeat roborari, & perfici, vt ad iustificationem immediatè disponat, est nimis durum, & repugnans rationi; quæ dictat, quòd ad diligendum aliquod obiectum sufficit, vt illud sub ratione boni ab intellectu voluntati ostendatur, & si sit in ordine supernaturali, vt est Deus super omnia diligibilis, sufficit, quòd ab intellectu illustrato per fidem ostendatur voluntati, vt summè bonus, & super omnia bona, & per auxilium supernaturale eleuetur; nihil enim ampliùs requiritur ad hoc, vt in amorem prorumpat. Aliunde quòd iste amor imperfectissimus iustificationem perficiat, & opus tam magnum consummet, repugnat in terminis; imperfectum enim perficere, & consummare non posse ratio ipsa conuincit. Cùm autem dicitur: *Quod facit habitus habitualiter, facit actus actualiter*; ideo si habitus charitatis habitualiter iustificat, etiam actus charitatis actualiter iustificat; resp. verum esse de actu perfecto, qui commensuratur cum habitu; non de imperfecto, qui nec elicitur, nec commensuratur cum habitu; sed tantùm remotè extra sacramentum, & proximè in sacramento disponit; vt calor perfectus facit actu ignitum, & forma ignis facit formaliter permanenter ignitum; nemo tamen diceret formam caloris, *vt duo*, facere actu ignitum; ita à pari.

61 Nec desunt rationes purè *philosophicæ*, inter quas eminet illa, quam tradit *Fund. Doct.* Ita philosophandum est in supernaturalibus, sicut videmus in naturalibus iuxta documentum *Apostoli*; sed in naturalibus dispositio tantùm in esse perfecto; non autem in esse imperfecto inducit formam, ad quam disponit; calor enim tantùm in esse perfecto, seu in octauo gradu, vt vocant, inducit formam ignis; non autem in esse imperfecto, seu in alijs gradibus inferioribus ad octo; vt constat de ligno habente calorem remissum, vt duo, vel tria &c; in quo non est per illum forma ignis inducta; ergo licèt charitas perfecta, de qua loquitur *Io*; seu in esse perfecto trahat secum habitum charitatis, & gratiam habitualem, per quam iustificat; non tamen hoc dicendum est de charitate imperfecta, seu in esse imperfecto, & remisso.

62 Neque officit, quòd forma ignis consistat in indiuisibili; gratia verò sanctificans suscipiat magis, & minus; & ideo illa non possit induci, nisi tota simul, & per consequens per dispositionem secundùm totum suum esse simul, atque adeò solùm in esse perfecto; hæc verò potest per gradus induci, & ideo per actum amoris secundùm gradum imperfectum potest induci gradus imperfectus gratiæ habitualis.

63 Non obstat, inquam; nam hoc tantùm lacessit, quos intensionis quiditas latet. Subtiliter *Fund. Doct. Æg.* docet, quòd intensio non fit secundùm gradus in essentia; essentia enim cuiuslibet rei, siue sit substantia, vel accidens, consistit in indiuisibili; & ideo non diuiditur per gradus, aut partes; nec introducitur priùs vna pars, vel gradus essentiæ, & postea altera pars, vel gradus; cùm enim gradus essentiæ sint genus, & differentia, non introducitur priùs illud, quàm ista; aliter non introduceretur hæc essentia, quæ constituitur per differentiam, sed introduceretur aliquod commune, & *vt sic*. Tota ergo essentia rei introducitur per primum gradum introductum; illa tamen intenditur per gradus in esse, quatenus magis radicatur in subiecto; & magis radicatur ex eo, quòd forma opposita magis expellitur. Hoc supponimus *ex Phis.* Ergo si ad hoc, vt introducatur forma ignis, quia consistit in indiuisibili, & introducitur tota secundùm gradus in essentia, requiritur dispositio in esse perfecto; idèst secundùm omnes suos gradus; consequens est, quòd ad hoc, vt introducatur gratia sanctificans, quæ consistit in indiuisibili secundùm gradus in essentia, & tota simul illius essentia introducitur, necessaria sit dispositio in esse perfecto; quo magis probatur conclusio. Et sicuti si forma ignis intensionem susciperet, quæ fit secundùm gradus in esse; attamen quia secundùm gradus in essentia indiuisibilis est, & tota simul introducitur; ideo exigeret etiam tunc calorem perfectum; quia calor solùm in esse perfecto est proprietas essentialiter connexa cum essentia formæ ignis; & ideo calor solùm in esse perfecto trahit formam ignis in lignum; ita quamuis gratia habitualis intensionem suscipiat; quia tamen hæc intensio fit tantùm secundùm gradus in esse, non secundùm gradus in essentia, secundùm quos est omnino indiuisibilis, & tota simul inducitur; non enim homo in aliquo instanti est par-

partim iustus, & gratus; & partim peccator, & non gratus; ideo exigit dilectionem perfectam, quæ est dispositio essentialiter connexa cum perfectione essentiali gratiæ habitualis; proprietas enim commensuratur cum essentia, cuius est proprietas; ideo sicuti essentia gratiæ habitualis introducitur perfecta secundùm gradus essentiales, quia tota essentia introducitur; ita dilectio, quæ est dispositio introducens, debet esse perfecta secundùm suos gradus; sic enim solùm est proprietas gratiæ. Verùm quia forma ignis intensionem non suscipit; ideo calor perfectus, seu vt octo, maiorem intensionem non suscipit. At verò quia gratia habitualis intensionis est capax; ideo etiam charitas perfecta magis, magisque potest intendi; vt diximus *to.4. de char.q.1.art.3.*

64 Sed petes; quænam sit, & in quo consistat perfectio charitatis?

Resp. *S.Io.in ep.1.vbi sup.* quòd *perfecta charitas* est illa, *quæ foras mittit timorem*, quæ est sine timore; *quia timor non est in charitate. Sed in qua charitate? S.P.Aug.tract.9. ibid.* inquit. *Non inchoata. In qua ergo? Sed perfecta, inquit, charitas foras mittit timorem. Ergo incipiat timor; quia initium sapientiæ timor Domini. Cùm autem cœperit charitas habitare, pellitur timor, qui ei locum præparauit.* Hæc ergo dilectio, quæ est sine timore, idest qua ita diligitur Deus, vt si pœna non esset, adhuc non offenderetur; imò qua pœna omnis potiùs toleraretur, quàm Deus offendatur, est perfecta; & iustificat etiam ante sacramentum; & quoniam etiam hæc potest esse magis intensa, ideo gratia habitualis, cùm sit qualitas, de cuius natura est posse intendi, intensionem potest recipere. At verò charitas, quæ habet timorem adiunctum, non est perfecta, sed imperfecta; ideo non iustificat, nisi in sacramento.

65 Hæc autem amoris beneuolentiæ cum timore coniunctio (quam negare videntur *aliqui*, ne concedant amorem imperfectum iustificationis gratiam secum non deferentem, & ideo asserentes per quemlibet actum amoris, quantumuis minimum, peccatorem iustificari) explicatur eodem exemplo caloris, quo nedum *DD.* sed etiam *Scriptura, & SS.PP.* vtuntur, amorem enim perfectum ardentissimam charitatem appellant. Igitur cùm primùm in lignum totaliter frigidum introducitur calor, tunc remittitur primus frigoris gradus; non autem frigus totaliter tollitur; vt experientia conuincit; non enim in eo instanti lignum perfectè calidum est, & tamen calor introductus est verissimus calor, quamuis sit coniunctus cum frigore, quod præualet, & prædominatur calori; propter quod lignum magis frigidum, quàm calidum est; & ideo frigus minuit ipsum calorem; efficit enim, vt calor non habeat totum suum esse firmiter radicatum in subiecto, quamuis habeat totam caloris essentiam, quæ in indiuisibili consistit. Cùm autem augetur calor, minuitur frigus; quia calor magis de esse, & frigus minus de esse acquirit in subiecto; & tunc lignum dicitur tepidum; adhuc tamen calor est imperfectus, quia frigus habet adiunctum. Tandem cùm tota frigiditas è ligno expulsa est; lignum dicitur perfectè calidum; quia tunc non habet frigus coniunctum; & tunc forma ignis inducitur; quia dispositio proxima ad formam ignis est calor, qui est proprietas ignis; cùm enim hæc sola sit essentialiter coniuncta cum forma ignis, ideo hæc sola inducta in lignum potest secum formam ignis attrahere; calor autem coniunctus cum forma ignis omnem frigiditatem, vt constat, excludit. Sic cor peccatoris, cùm magno pœnarum timore corripitur, frigescit; flamma enim, qua peccare exardebat, extinguitur, vel saltèm minuitur. Cùm autem ex pœnarum timore exurgit in Deum per fidem, & spem optans sibi fore propitium per Christum Dominum; & hinc transit ad considerandam summam Dei bonitatem super omnia, & propter se diligibilem; tunc cōcipit actum amoris beneuolentiæ, qui est verus actus charitatis, sed tamen imperfectus; adhuc enim non est timor expulsus, sed remissus; qui timor, quoniam præualet, & prædominatur amori; plus namque timet Deum, quàm amet, vt inquit *S.P.Aug.*; ideo frigidè amat, & imperfectè; non autem ardenter, & perfectè, quia *timor non est in charitate perfecta*, vt inquit *D.Io.* Deinde augetur amor, cor magis calescit, & frigiditas orta ex timore, & timor ipse minuitur; attamen quia timor non est expulsus totaliter, ideo tepidè amat, & talis amor non est adhuc perfectus, quamuis sit auctus. Cùm tandem ita creuit amor, vt timor sit expulsus totaliter; tunc incipit diligere Deum, non quidem amore cum timore pœnarum coniuncto, sed ex motiuo charitatis; & amat Deum, quia bonus in se, & propter se; non autem simul timet, quatenus pœnas potest infligere; & tunc est actus charitatis perfectæ, de quo inquit *Io. Perfecta charitas foras mittit timorem*; & tunc solùm iustificat, quia sic solùm est proprietas gratiæ habitualis cum ipsa essentialiter coniuncta; nam charitas, quæ est proprietas gratiæ habitualis, est charitas perfecta excludens nempe timoris consortium; quia amat solùm ex motiuo charitatis; amor autem coniūctus cum timore initium habet ex motiuo timoris, tanquam ex termino *à quo*, dicitur enim *Prou.14. Timor Domini fons vitæ*; fons autem initium est; non autem tanquam ex principio formali; ideo non habet initium ex motiuo charitatis, vt diximus; ideo non est proprietas gratiæ habitualis, nec potest ex natura sua trahere secum gratiam habitualem, quia cum illa essentialiter non connectitur. Tum quia amor habens adiunctum timorem est imperfectus; vt dictum est; & amor imperfectus non est coniunctus

ctus

ctus cum habitu charitatis; quia actus perfectus solùm habitu elicitur; & imperfectus sine habitu habetur, vt constat; ergo neque est coniunctus cum gratia habituali, cum qua essentialiter iungitur habitus charitatis, & per consequens vim iustificandi non habet. Aliud exemplum, quod dat *S.P.Aug.* de natiuitate temporali, idem explicat; nam sicuti conceptio hominis est vera conceptio, & initium vitæ hominis, quia verè vitam hominis inchoat; non tamen illico inducit in embrionem animam hominis, quia non est adhuc perfectè, sed imperfectè dispositus embrio; non enim fętus censetur animatus anima pueri, nisi post quadragesimum sextum circiter diem; vt diximus *to.5. ex S.P.Aug*, perfecta autem organizatione inducitur anima. Ita actus charitatis imperfectus verè supernaturalem vitam hominis inchoat; non tamen inducit formam iustificantem; quia perfectus non est; & forma tantùm perfecta dispositione introducitur; vt ratio euidenter conuincit. Ex his, quæ euidentia sunt, & innegabilia in naturalibus, ex quibus solùm possumus ad philosophandum de supernaturalibus surgere; constat, quantùm distent *à vera philosophia* obiectores.

66 Patet ergo responsio ad arg; quo dicitur: Actus ille imperfectus habet totam essentiam actus charitatis; sed essentia actus charitatis habet iustificare, ergo & ille actus imperfectus.

Resp. enim; nam etiam calor imperfectus, *vt duo*, habet essentiam caloris, qui habet inducere formam ignis, & tamen illam non inducit; ergo à pari. Dist. igitur mi. Essentia actus secundùm esse perfectum, conc; secundùm esse imperfectum, neg.

67 At *aliqui*, licèt his, alijsque pluribus rationibus, quas ne lectores fatigemus prolixiùs, omittimus; & quia maiorẽ vim in hac re perhibent, quę ducuntur *ex Scripturis, & SS.PP*; quàm, quæ ratione tantùm fulciuntur, plenè conuicti concedunt necessarium esse aliquem amorem Dei beneuolum in sacramento; attamen illis durum videtur, quod amor iste super omnia esse debeat; tum quia amor Dei super omnia ab illis censetur perfectus, atque adeò iustificans; tum quia non videtur necesse, quòd pœnitens hanc comparationem efficiat.

68 Attamen hæc durities ex vna parte liquescit ex dictis; cùm enim ratio amoris perfecti, siue perfectio amoris exigat, vt sit sine timore, prout *ex D.Io.* compertissimè monstratum est; potest esse amor super omnia cum timore tamen adiuncto, & sic non est perfectus, nec iustificat. Ex altera autem parte dicimus non esse necesse, vt positiuè hanc comparationem efficiat; sed sufficit, vt non accedat cum aliquo affectu ad creaturam supra Deum; sic enim cum peccato non retractato accederet, & ideo indispositus; & ita amet Deum, vt saltem in animi dispositione sit ita paratus, vt, si sese offerret creatura aliqua amanda magis, quàm Deus, haberet firmum propositum non amandi creaturam magis, quàm Deum; sed magis Deum, quàm quamlibet creaturam; aliter non accederet cum firmo proposito non peccandi de cętero; & ideo sine dispositione debita, quam necessariam esse *Trid.* decreuit; vnde in hoc sensu illa particula *super omnia* nihil aliud importat, quàm firmum propositum non peccandi de cętero. Quare sicut hoc nemo potest negare; ita illud sic explicatum inficiari non potest.

69 Obijc. 1. *idem, qui sup. Matth. 18.* Debitor decem millium talentorum ex puro timore, ne venundaretur simul cum vxore, & cum filijs, rogauit Dominum, vt patientiam haberet, quousque omnia redderet; & totum debitum ei fuit dimissum; sed hic debitor figurabat peccatorem, & Dominus Deum; ergo peccator in sacramento pœnitentiæ ex puro timore, non ex amore remissionem recipit peccatorum. 2. *Luc. 15. Filius prodigus*, qui fuit symbolum peccatoris, non amore erga patrem, sed fame vrgente, idest timore malorum, & pęnarum veniam obtinuit à patre; qui inhumanus, & crudelis fuisset, si filium non ex amore, sed ex metu pœnarum reuertentem non recepisset; commendatur autẽ summa benignitas patris, quæ non esset commendanda, si ex solo metu pœnarum reuertentem filium non recepisset; ergo idem. 3. *Matth. 5.* Christus præcepit, vt dimittamus inimicis etiam non diligentibus nos; & huius dimissionis affert exemplum: *Vt sitis filij Patris vestri, qui in Cælis est*; sed nisi Deus in sacramento dimittat etiam non diligentibus, non dat nobis exemplum dimittendi inimicis non diligentibus; quia extra sacramentum dimittit iam amicis; nam per actum contritionis iam amici effecti sunt; ergo idem. 4. *Rom. 3. Arbitramur hominem iustificari per fidem sine operibus legis*; sed charitas est opus legis, imò plenitudo legis, vt habetur *ibid*; ergo charitas non requiritur ad iustificationem in sacramento; & ad *Tit. 3. Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis*; ergo non requiruntur opera facta ex auxilio gratiæ per Christum, vt charitas. 5. *Rom. 5. Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quia cùm adhuc peccatores essemus, reconciliati sumus*. Sed habens charitatem non est peccator, aut inimicus; ergo idem. 6. Prob. *ex illis Scripturæ locis*, vbi dicitur pepercisse *Iudæis*, & eis indulsisse pœnas temporales propter solum dolorem, vel timorem, vt *3. Reg. 21. de Acab*; sed meritum Christi contentum in sacramento magis superat reatum gehennæ; quàm dolor, aut timor superet reatum pœnæ temporalis; ergo si iste istum remisit, à fortiori illud illum remittit.

Resp. ad 1; quòd nostram sententiam expressè confirmat; nam quanuis Deus in sacramento remittat debitum peccatori ad ipsum con-

confugienti, & deprecanti; nec peccator possit impedire, quòd sacramentum, seu Deus in sacramento actionem remissiuam exhibeat, & quantùm est ex se, peccata remittat; quia tamen sine charitate erga proximum, & per consequẽs erga Deum accessit; charitas enim erga proximum eadem est, ac charitas erga Deum, cùm idem sit actus, & habitus, quo tenditur in obiectum primarium, quod est Deus; & secundarium, quod est creatura; creatura enim amatur propter Deum, & Deus in creatura, ideo peccator remissionem non accepit; indispositus enim accessit; quia, vt inquit *S.P.Aug. lib. 1. cont.Donatist.c.12.& serm.15.de Verb. Domini*: *Debito liber, & iniquitatis seruus egressus est.* Abscessit ergo seruus ille à Domino debitum, quantùm erat ex se, dimittente, reus iniquitatis, adeoque sine gratia iustificante, quia charitatem non habuit; propter quod postea coactus fuit à Domino reddere totum debitum, quod dimiserat; idest pœnam peccatorum subire, quæ ex vi sacramenti dimissa fuissent; non tamen remissionem illorum acceperat peccator, aliter illa punita non fuissent; peccata enim semel dimissa, & post remissionem acceptam à peccatore non redeunt, *vt inf.* In forma dist. 2. pars ma. Totum debitum ei fuit dimissum ex suppositione, quòd etiam ipse conseruis suis dimitteret; quia dixit: *Dimittite, & dimittetur vobis*, conc; absolutè, neg. Quia tamen ipse non dimisit; idest non habuit dispositionem debitam ad recipiendam remissionem, ideo debitum postea fuit exactum. Ad 2. resp. *Apost. & ex illo S. P. Aug.* vt diximus *n.* 48. quòd non clamamus: *Abba Pater, nisi in spiritu adoptionis*, idest in spiritu amoris, & ideo *filius prodigus* dicendo: *Quanti mercenary in domo Patris mei sunt, qui abundant panibus; & vadã ad Patrem*; nonnisi amãter dixit. filius enim optimum Patrem non amare non potest; & ideo stolã iustificationis accepit. In forma neg.anr. Cùm autem dicitur Patrem inhumanum fore, si filium ex puro metu reuertẽtem non recepisset, dist. Si non recepisset, vt filium amantem, neg; vt seruum timentem, conc; iustitia enim exigit, quòd filius timens simul, & amans benigniùs recipiatur à Patre, quàm filius tantummodò timens, non amans; & benignitas magis commendatur salua, quàm læsa iustitiæ ratione. Ad 3. resp. *Fund. Doct.* quòd *exempla currunt centum pedibus, sed claudicant nonaginta nouem*. Currit igitur exemplum in casu; quòd sicut Deus nõ dilectus diligit nos, cùm timorem initialem, scilicet cum amore inchoato, & imperfecto infundit in cordibus nostris, est enim timor, vt docet *Trid: donum, & impulsus Spiritus S*; quòd à fortiori dicẽdum est de amore coniuncto; ita nos debemus etiam non dilecti inimicos diligere. Claudicat tamen in hoc; quòd sicuti Deus remittit auferendo à cordibus peccantium peccata; ita nos debeamus diligere odientes nos auferendo odiũ à cordibus eorum; & quòd sicuti nos debemus dimittere iniurias inimicis etiam persistentibus in actuali odio erga nos; ita Deus dimittat peccata etiam perseuerantibus in odio Dei; hæc enim contradicunt in terminis. Igitur dist. mi. Deus in sacramento dimittit non diligentibus ipsum charitate perfecta, conc; charitate imperfecta, & inchoata, neg; cùm enim dilectio inchoata iuxta nostram sentẽtiam sit dispositio ad recipiendam remissionem peccatorum in sacramento tantùm, quia per hanc dispositionem non remittuntur peccata præcedenter ad sacramentum, *vt sup.* diximus; & per eam adhuc non diligimus Deum amore perfecto, & per consequens sumus, & manemus adhuc in peccatis; ideo etiam in hoc sensu dicitur Deus diligere in sacramento non diligentes se; & remittere formaliter peccata; ante sacramentum autem dicitur diligere non diligentes simpliciter se pro illo priori, de quo ait *Io. in ep. Quoniam ipse prior dilexit nos*; licèt in posteriori instanti faciat nos diligentes, quia in nos actum dilectionis infundit; & per hanc dilectionem, qua Deus diligit nos præcedenter ad sacramentum, dicitur peccata dimittere præparatiuè, & dispositiuè; quia infundit dispositionem, qua præparamur ad recipiendam remissionem in sacramento. Ad 4. dicitur *Apost. Rom.* 3 loqui de operibus legis scriptæ, quæ non iustificabant ex opere operato; non verò de operibus legis naturæ; constat enim etiam *per Aduersarios*, quòd actus perfectæ charitatis, quæ est opus legis naturæ, per fidem in Christum, *quæ per dilectionem operatur*, iustificat. Tum quia etiam actus fidei est opus legis; lex enim præcipit credendum esse in Deum, & Dominum Iesum Christum; & tamen inquit *Apost.* quòd per fidem iustificamur; ergo per opera legis intelligit sola opera legis scriptæ, nõ verò opera legis Euangelicæ facta ex auxilio gratiæ per Christum, inter quæ numeratur actus fidei, & charitatis in Christum; apertè enim docet; quòd *fides, qua per dilectionem operatur*, iustificat. Tandem *Apost.* explicatur à *Trid. sess. 6.c.*8; quòd scilicet loquatur de operibus, quæ iustificationem præcedunt; hæc enim non merentur iustificationem, aliter iustificatio non esset gratia, & ad iustificationem tamen disponunt; vt statuitur *ibid.c.*6; & ideo non iustificant formaliter, sed tantùm dispositiuè. *Vid. S.P. Aug. lib. de fide, & operibus c.*15. Vnde tantùm abest; quòd *Apost.* intendat excludere à iustificatione opera facta ex charitate, quòd potiùs oppositum doceat; nam 1. *Cor.*13. inquit: *Si habuero omnem fidem, &c; charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest*; *& Iac. c. 2. Quid prodest, si quis dicat se fidem habere, opera autẽ non habeat, nunquid fides poterit saluare eum?* & mox: *Fides sine operibus mortua est.* Dist. igitur mi. Charitas est opus legis scriptæ, neg; charitas, vt perficienda per Christi fidem, est opus legis naturæ, & vt perfecta per Christum,

ſtum, qui legem non ſoluit, ſed impleuit, & ideo perfecit, eſt opus legis euangelicæ, conc; & diſt.conſ.Charitas, vt diſpoſitio ad iuſtificationem in ſacramento, & ideo vt inchoata, & imperfecta, non requiritur, neg;vt meritoria iuſtificationis, vel vt cauſans ex natura ſua iuſtificationem etiam extra ſacramentum, conc; charitas enim inchoata, & imperfecta non iuſtificat ſecundùm ſe, ſed tantùm ad iuſtificationē diſponit in ſacramento, vt habet *Trid.vbiſ.*charitas autem perfecta iuſtificat etiam extra ſacramentum; vt diximus *ex Trid.ſuperiùs*. Ad *Tit.* verò loquitur *Apoſt.*de operibus viribus naturæ elicitis, quæ ſunt opera facta ex nobis, quaſi ex nobis; nam opera facta ex gratia Dei ſunt opera ex miſericordia ipſius nobis à Deo donata. *Saluos igitur nos fecit Deus*, quia ex ſua miſericordia, *non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos*, donauit nobis,& gratiam præuenientem iuſtificationem noſtram, per quam ad iuſtificationem diſponimur; & donauit gratiam, qua formaliter iuſtificamur. Neg.ergo conſ.ex hoc illata; quę videtur proſcripta *à Trid.ſeſſ.6. c.5;& 6*;vbi requirit, tanquam diſpoſitiones ad iuſtificationem opera noſtra facta per Chriſti gratiam, cui cooperando,& aſſentiendo diſponimur tendentes per actum fidei in Deum, per actum ſpei in Chriſtum, & per actum dilectionis, tanquam in omnis iuſtitiæ fontem;qui actus procul dubio ſunt opera facta ex auxilio gratię per Chriſtum; quia Chriſtus illa nobis promeruit. Ad 5. diſt. mi. Habens charitatem perfectam,*quæ foras mittit timorem*, conc;imperfectam, quæ eſt cum timore, neg. Ad 6.reſp. *S.P.Aug.ep.120*; quòd in bonis temporalibus, quæ promittebantur *Iudæis* in lege veteri; bona,quaſi in myſterio, occultabantur æterna; ſic in pœnis temporalibus, quæ infligebantur, pęnæ, quaſi in myſterio, occultabantur æternæ, ideo ſicuti ad bona æterna non excitabantur, niſi per charitatem in Deum, & fidem in Chriſtum venturum; ita pęnas æternas in pœnis temporalibus incluſas non effugiebant, niſi per actum charitatis, & fidei in Chriſtum, quem tanquam liberatorem ab illis pęnis ſperabant. Diſt.igitur ma.Propter ſolum timorem initiantem actum amoris, conc; non initiantem actum amoris,neg;ex illo enim timore excitabantur ad fidem,& amorem *in Meſſiam* venturum, quem liberatorem ab illis malis credebant. Nec ille timor independenter à meritis Chriſti operabatur indulgentiam, & veniam delictorum, & per conſequens pęnarum temporalium, & æternarum in temporalibus myſticè incluſarum; ſicuti enim ſolùm per fidem in Chriſtum, & ideo per merita Chriſti, qui omnibus meruit remiſſionem peccatorum, illis remittebantur peccata; ita ſolùm ex meritis Chriſti liberabantur à pęnis temporalibus, quæ erant effectus peccatorum; per id enim, per quod aufertur cauſa, aufertur effectus; quemadmodum per id, per quod ponitur cauſa, effectus ſimiliter ponitur. Propterea *illi textus* non loquuntur explicitè de timore purè ſeruili, ſed de timore abſolutè, qui poteſt eſſe initialis inducens charitatem,quæ poſtquam perfecta erat,veniam obtinebat. Quod non obſcurè indicatur *3. Reg. 21*,quem locum affert *Aduerſarius*, contra quem ſcribimus; dicitur enim: *Quia igitur humiliatus eſt cauſa mei, non inducam malum in diebus eius*; illa enim verba *cauſa mei* idem ſonant,ac *ob amorem mei*; nam ſi ſolummodò pęnas timuiſſet; humiliatus fuiſſet præciſè *cauſa pœnarum*; quia pœnæ tantùm cauſa, & motiuum illius humiliationis fuiſſent. Præterea quoties duo actus ita ſe habent, vt vnus ſit initium alterius, & alter ſit prioris perfectio; tunc etiamſi vnus tantùm exprimatur, & nominetur *in ſcripturis*; attamen vterque intelligitur, vt quia fides coniuncta eum charitate, de qua loquitur *Apoſt. ad Gal.5.*dicens: *Fides, quæ per charitatem operatur; & Trid.vbiſ.c.7;& 8; eſt initium humanæ ſalutis, & fundamentum, et radix omnis iuſtificationis*; ideo cùm dicitur *Rom. 3; et 5; et pluries alibi* iuſtificari hominem per fidem, intelligitur etiam charitas, per quam fides operatur; nam fides, inquit *Trid. vbiſ. c. 7; niſi ad eam ſpes accedat, et charitas, neque vnit perfectè cum Chriſto, neque corporis eius viuum membrum efficit; qua ratione veriſſimè dicitur fidem ſine operibus mortuam, et otioſam eſſe*. Ergo quia timor pęnarum inchoat attritionem, & dilectio perficit; ideo etiamſi aliquando dicatur *in ſcripturis* timorem veniam obtinuiſſe peccatorum; attamen ſubintelligitur etiam actus charitatis, qui timori coniungitur, & ſine quo actus timoris eſſet mortuus.

70 Obijc. 2. *idem c. 2; et 3.* Trid. aſſignans diſcrimen inter contritionem, & attritionem ait illam deſcendere ex motiuo charitatis, & eſſe charitate perfectam; iſtam verò deſcendere ex motiuo pœnarum, & conſideratione turpitudinis peccati; & illam iuſtificare etiam ante ſacramentum; hanc autem perducere ſolùm ad impetrandam gratiam in ſacramento; ergo hæc non includit amorem Dei beneuolum; aliter nullum eſſet diſcrimen; vtraque enim conueniret in hoc, quòd actum charitatis inuolueret. 2. Si Trid. nomine attritionis intellexiſſet dolorem prouenientem ex metu pęnarum, & inuoluentem Dei amorem, ſententia docens attritionem ſine amore ſufficere eſſet damnata, & hæretica; ſed hoc dici nequit; vetuit enim *Alex.VII.* hanc ſententiam præſtringi; & declarauit neutram eſſe definitam; ergo Trid. nomine attritionis intellexit dolorem prouenientem ex metu pœnarum, & excludentem amorem Dei beneuolum. 3. Si Trid.non declaraſſet, an attritio deſcendens de metu pœnarum nullum Dei amorem inuoluens ſufficiat ad diſponendum in ſacramento, eius doctri-

doctrina fuisset imperfecta, & deficiens; quia non confutasset errorem *Luth ri* asserentis talē timorem facere hominem hipocritam, & magis peccatorem; non enim docebat *Luth rus* timorem pœnarum includentem Dei amorem facere hominem hipocritam, magisque peccatorem; neque esse malum; ergo declarauit attritionem purè formidolosam ad iustificationem in sacramento sufficere. 4. Declarauit illum timorem, si excludat voluntatem peccandi, donum Dei esse; ergo supposuit illum timorem, de quo loquebatur posse stare cum voluntate peccandi. Atqui timor, qui potest stare cum voluntate peccandi, non includit Dei amorem: quia amor Dei nequit stare cum amore peccandi; ergo locutum est de timore excludente Dei amorem. 5. Si nomine attritionis descendentis ex metu pœnarum intellexisset etiam amorem initialem, vnum membrum diuidens inclusisset in alio; diuiserat enim contritionem perfectam ab imperfecta, quòd illa inuoluit charitatem, hæc verò concipitur ex puro metu pęnarum; sed hoc non est dicendum; ergo neque illud. 6. *Trid.* assignat duas species attritionis vnam descēdētem ex me u pœnarum; alteram ex consideratione turpitudinis peccati; sed de hac non dicitur inuoluere Dei amorem; ergo neque dicendum de illa 7. Si attritio in sacramento disponeret mediante charitate, disponeret etiam extra sacramentum, quia charitas etiam extra sacramentum disponit ad gratiam; neque disponeret ad impetrandam gratiam; quia charitas ex sua natura t ahit gratiam, non autem illam impetrat; sed *Trid.* ait attritionem disponere tantùm in sacramento, non extra sacramentum; & ad impetrandam, non ad trahendam gratiam; ergo loquitur de attritione excludente charitatem. 8. Potest timor ex puro metu pœnarum excludere omnino voluntatem peccandi; habetur enim *Eccli.1 Timor Domini expellit peccatum*; ergo idem.

Resp. ad 1; quòd *Trid.* assignans discrimen inter contritionem perfectam, & imperfectam asserit illam descendere ex motiuo charitatis, non timoris; adeoque perfectam esse, quia non incipit, cùm non descendat, ex timore; & ideo perfecta est, quia *foras mittit timorem*; at imperfecta incipit ex timore, cùm ab illo descendat, descendere enim, & incipere *hic* idem significat, & *Trid.* loquens de hac inceptione ait; *quæ concipitur ex gehenna, & pænarum metu*; conceptio autem, & inceptio omnino idem est; ergo *Trid.* assignat tantùm discrimen penes initium contritionis, & attritionis; non autem penes complementum illius; & ratio est. Quia dissensio *inter Catholicos, & Hæreticos* erat tantùm penes initium, seu terminum *à quo*, contendebant enim isti dolorem incipientem à metu pęnarum esse malum, facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; catholici verò docebant esse bonum, à Deo donatum, & perducere ad iustificationem. An autem perducat immediatè sine amore Dei beneuolo; vel mediante amore beneuolo, *Con.* noluit expressè definire; quamuis in sententiam exigentem amorem beneuolum magis propenderit; propterea amoris beneuoli *sess.6.c.6; & can.3.* voluit mentionem fieri; *vt sup.* diximus. Dist. igitur cons. Non includit amorem beneuolum penes initium, conc; penes complementum, neg. Ad 2. dicitur implicari cum 3, secundum enim ait; quòd si *Trid.* intellexisset nomine attritionis dolorem ex metu conceptum inuoluentem amorem, sententia opposita esset damnata, quòd est *contra decretum Alex. VII*; & tertium contendit *Trid.* declarasse attritionem nullum amorem Dei inuoluentem sufficere ad iustificationem; aliter non confutasset errorem *Lutheri*; hoc autem est *contra idem decretum* vetans sub pęna excommunicationis quascunque censuras, & contumelias; at quænam maior censura, & contumelia, quàm asserere aliquam sententiam fuisse *à Conc.* proscriptam? Vnde ipse in 3. obiect. incurrit, quod obiurgat in 2. Dicitur ergo *Trid.* nihil aliud decreuisse, quàm quòd attritio concepta ex timore, & turpitudine sit bona, & perducat ad iustificationem in sacramento. An autem debeat inuoluere amorem, necne, non definiuit expressè, quia nulla de hoc erat cum *Luth.* contentio. Ad 2. igitur neg ma. Ad 3. neg. ant; quia, vt *sup.* dictum est, *Lutherus* docebat attritionem incipientem à timore pęnarum esse malam, facere hominem hipocritam, magisque peccatorem, quidquid sit, an inuoluat amorem, vel non; de hoc enim nunquam fuit lis *cum hæreticis*; ergo *Conc.* statuens esse bonam, & perducere ad iustificationem, quidquid sit, an inuoluat amorem, vel non; exactissimè *Lutheri* errorem damnauit. Ad 4. neg. cons; aliud est enim, quòd cum timore, *vt sic*, vel cum aliquo timore, possit stare voluntas peccandi; & aliud, quòd possit stare cum timore disponente ad iustificationem, & qui est *donum Dei, & impulsus Spiritus Sancti*; ideo per illa verba: *Si voluntatem peccandi excludat*: voluit *Conc.* distinguere timorem disponentem ad iustificationem à timore non disponente; quis enim diceret timorem includentem voluntatem pecandi disponere ad gratiam in sacramento, si voluntas peccandi peccatum est, quod est obex ad gratiam? Ad 5. neg. ma; illa enim diuisio est solùm penes initium, seu motiuum, non penes complementum ipsius, vt dictum est. Ad 6. neg. ma; iisdem enim rationibus, quibus probatur attritionem ortam ex metu pęnarum debere inuoluere amorem, probatur etiam de attritione orta ex fœditate peccati. Ad 7. neg. ma; & ad prob. infert. dicitur solam charitatem perfectam, *quæ foras mittit timorem*, disponere ad gratiam extra sacramentum ex sua natura; non autem charitatem imperfe-

perfectam, quæ cum timore coniungitur; in sacramento autem rectè dicitur disponere ad impetrandam gratiam; quia non ex natura sua, sed ex virtute sacramenti ad gratiam disponit. Ad 8.omisso ant; quod negatur *à pluribus*; *textus* autem explicatur de timore filiali, non de timore seruili; sed quidquid sit de hoc, neg.consi.satis enim ostensum est præter exclusionem voluntatis peccandi exigi etiam amorem imperfectum &c.

72 Obijc.3.*idem c.*4.Lex Christi suauior est, quàm lex vetus; sed in lege Christi impositum est onus confitendi, quod quanuis subleuetur multis commodis, & consolationibus spiritualibus;attamen grauissimum est ob erubescentiam; quod onus non erat in veteri lege, in qua sufficiebat dolor ex charitate descendens; ergo si necessaria sit charitas etiam in lege noua, hæc erit grauior,quàm vetus. Si autem dicatur amore non grauari, sed releuari difficultatem operis. Instat. Difficultas est in habenda charitate, quæ insuperabilis est naturæ viribus;ergo quoad hoc lex Christi esset grauior, quàm lex vetus.2. Christus concessit Ecclesię gratiam fugandi Dęmones à corporibus, & curandi infirmos; ergo multò magis gratiam concessit sanandi animas à peccatis. 3. Baptismus, & pœnitentia sunt *sacramenta mortuorum*, quia conferuntur peccatoribus, qui mortui sunt gratiæ; sed habens charitatem viuit Deo; ergo non prærequiritur charitas. 4. Arguit *c.* 5. Charitas ex natura sua trahit redilectionem Diuinam; sed dilectio Diuina iustificat; vt habetur 1. *Io.* 4. *Qui diligit, ex Deo natus est*; & *Translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus, fratres*; & 1.*Pet*.4. *Charitas operit multitudinem peccatorum*; & *Luc.*7. *Remittuntur peccata multa, quoniam dilexit multum*; & S.P.*Aug.* 13.*de Trin. c.*18.*Diuidit inter Filios Regni*; & *filios perditionis*; *de nat*; & *grat.c.vlt.Charitas inchoata inchoata iustitia est*; *charitas prouecta prouecta iustitia est*; *charitas magna magna iustitia est*; *charitas perfecta perfecta iustitia est*; ex quibus deducitur, quòd charitas, quantumuis minima, iustificat; non enim dictum est: *Charitas magna iustitia est*; sed *magna iustitia est*; & ratio huius est. Participans de motu alicuius formæ participat de forma; sed charitas est formalis participatio naturæ Diuinæ; est enim proprium solius Dei amare se ipsum, vt obiectum primarium, & creaturas, vt obiectum secundarium; & ideo creatura participans hunc amorem participat naturam Dei, à qua iustificatur; ergo minima charitas iustificat. 5.Timor gehennæ, prout à Deo infligendæ, & odium turpitudinis peccati potest cum Dei auxilio excludere voluntatem peccandi; dicitur enim *Eccl.*2.*Timor Domini expellit peccatum*; & *ps.*110. *Initium sapientiæ timor Domini*; sapientia autem *in scripturis* aliquando sumitur pro charitate;vt *Eccl.*15. *Dilectio Dei honorabilis sapientia*; & *c.* 23. *Timor Dei initium dilectionis eius*;vt enim docet *S.P.Aug. in Enchir. c.*2; & *ep.*120.*Vera sapientia docet Deum diligere, & bona æterna omissis temporalibus*; hinc *Trid.* inquit *metum gehennæ, si voluntatem peccandi excludat &c*; quòd verificari non posset, si voluntatem peccandi non posset excludere; ergo timor pœnarum potest esse sufficiens ad recipiendam gratiã in sacramento; habet enim omnia *à Trid.* requisita;etiansi non inuoluat amorē Dei; quia timor inuoluens amorē Dei est timor initialis,qui descendit ex charitate,& secundũ substantiam non differt ab amore filiali, sed tantùm secundùm statum.6.*Ex Rituali Pauli V*; & *de consecr.dist.*4.*c.ægrotantes*; & 26.*q.*1.*c.is*, *qui* dicitur absoluendum esse moribundum, qui dederit signa doloris, etiansi sacerdos præsens non esset; dummodò per testes talia signa illi innotescant; & Ecclesia in absoluendis peccatoribus non requirit, nisi dolorem de peccatis; ergo amor Dei non est necessarius. 7.*SS. PP.* asserunt ad iustificationem in sacramento sufficere *amorem iustitiæ*; sed iustitia non est Deus, vel Dea, nec significat charitatem, sed rectitudinem ordinis, & honestatem obiectiuam, quam dilexerunt etiam *Philosophi Etnici*, imò *Athei* maximè *Stoici*; ergo idem. Multa alia congerit *idem*, *qui sup*; quæ vel nullius momenti sunt, vel facillimè solui possunt ex dictis.

Resp.ad 1.legem euangelicam esse suauiorem 1; quia est lex amoris, & *nihil est difficile amanti*; inquit enim *S.P.Aug.in ps.*67.*Quidquid enim difficile est in præcepto, leue est amanti. Nec ob aliud rectè intelligitur dictum: onus meum leue est, nisi quia dat spiritum sanctum, per quem diffunditur charitas in cordibus nostris, vt amando liberaliter faciamus, quod timendo, qui facit, seruiliter facit*; quod habet etiam *de nat.* & *grat. c.* 69;at lex vetus erat lex seruorum, qui asperitate pęnarum solummodò operantur. 2.Quia in lege veteri ad iustificationem requirebatur charitas perfecta, in lege noua sufficit charitas inchoata. Quòd si difficile est habere charitatem inchoatam, difficiliùs erat habere perfectam. 3. Quia in lege noua impositum est onus confitendi, in lege veteri erat onus sacrificandi pro expiatione peccatorum;difficilius autem est sacrificare, quàm pauca verba secretò proferre. Nec ex eo, quòd actus charitatis non possit haberi naturæ viribus, arguitur difficultas; nam nec timor pœnarum naturæ viribus concipi potest, cùm sit donum, & impulsus Spiritus Sancti, vt docet *Trid.*; aliter dispositio merè naturalis in sacramento sufficeret ad recipiendam gratiam, quod est *Pelagianum*; ergo ex hoc non colligitur maior difficultas, sed leuior; quanuis enim sit supra naturæ vires; attamen Deus liberalissimè illum dispensat; cùm amor Dei inchoatus numeretur inter auxilia prima, quæ cùm non sint ita perfecta, faciliter conceduntur. Ad 2. conc.

conc. totum seruatis seruandis; non enim est omnimoda paritas; quanuis nanque sit in Ecclesia vtraq; potestas; attamen potest liberari energumenus per solã fidẽ ministri; non tamen possunt absolui peccata per solam fidem sacerdotis. Ad 3. iam dictum est mi. esse falsam; incipiens enim amare Deum non viuit Deo, sed incipit se mouere ad vitam; vt in embrione incipit viuere homo, non tamen embrio viuit vita hominis, quanuis incipiat se mouere ad vitam hominis; inceptio enim, & perfectio vitæ naturalis hominis maximè iuuat ad intelligendam inceptionem vitæ supernaturalis; & ideo SS.PP. hac similitudine vtuntur. Ad 4. dist. ma Trahit redilectionem Diuinam commensuratam charitati creatæ ita, vt si hæc sit imperfecta, etiam illa non est perfecta, & iustificans, conc; aliter, neg. Præterea dicitur oppositum potius esse verum; inquit enim *Io. Diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos*; vnde charitas Diuina causat charitatem creatam, non è contra. Allati scripturæ *textus* expresse loquuntur de charitate perfecta, quæ est sine timore, vt euidenter monstratum est. Ad cons. dicitur minimam charitatem, quæ sine timore est iustificare, hæc enim etiam suscipit magis, & minus, vt dictum est. Ad 2. *textum S.P. Aug.* dicitur, quòd res potest dupliciter inchoari 1. in suis dispositionibus, quæ dicuntur inchoare rem, ad quam disponunt; cùm tamen adhuc non existat essentia rei, quã inchoant, vt constat de calore in gradu remisso. 2. In se ipsa, quando primò incipit essentia rei existere. Igitur vel *S. P. Aug. loco cit.* loquitur de charitate habituali inchoata in se ipsa; & sic nil contra nos, quia illa ad iustificationem immediatè disponit, etiam si minima sit; & dicitur inchoata, prouecta, & magna per distinctionem à perfecta, quę plenissima est; & dicitur perfecta, quia nihil ei potest adiungi, vt docet *idem S.P. Aug. ibid.* & in hoc sensu charitas perfecta idem est, ac summè intensa, quæ amplius nequit intendi; & sic non sumitur à nobis in præsenti; nomine enim charitatis perfectæ intelligimus charitatem excludentem timorem, quem potest excludere, etiamsi non sit summè intensa. Vel loquitur de charitate actuali, seu de actu charitatis, qui inchoatus dicitur, & imperfectus, quia cum timore coniungitur; & in hoc sensu dicitur charitas inchoata, quæ habet minimum de esse, quoniam timor maximè præualet ita, vt plus timeat, quàm amet; & dicitur prouecta, quia ille amor est auctus, habet tamen adhuc adiunctum timorem; & ideo est adhuc imperfectus; & dicitur magna, quia magis præualet amor, quàm timor; & ideo magis amat, quàm timeat, adhuc tamen est imperfecta, quia adhuc foras totum non misit timorem. Tandem dicitur perfecta, cùm nihil ampliùs timoris habet adiunctum, vt diximus de graduatione caloris; & hæc sola iustificat. Sic iustitia dupliciter sumitur. 1. Pro gratia iustificante. 2. Pro iustitia legali, seu iustitia operis; vt sumitur *ps. 58. Si iustitias meas prophanauerint, & mandata mea non custodierint*; & sic omnis actus, quo seruatur lex Dei, seu Dei mandatum, iustitia dicitur, & seruans Dei mandata dicitur iustus legaliter. Dicitur ergo actus charitatis imperfectus iustitia legalis, seu operis, inchoata, prouecta, & magna, quoniam per ipsum quidem impletur Dei mandatum diligendi Deum; quia tamen perfecta nõ est, quousq; habet adiunctum timorem, ideo non iustificat; non enim homo per quodlibet opus iustum, quo seruat Dei mandatum, iustificatur, vt docet *Apost.* & tamen iustus legaliter dicitur, quia seruat iustitias Dei, cùm legem adimplet. Ad rationem neg. ma. absolutè; participans enim de calore participat de motu ad formam ignis; quia per calorem mouetur ad formam ignis; & tamen habens minimum gradum caloris non habet formam ignis. Mi. etiam est falsa; nàm charitas Dei est attributum virtualiter distinctum à natura Diuina, vt indubium est *apud omnes*; ideo charitas creata est participatio formalis attributi, non naturæ Diuinæ. Charitas ergo perfecta iustificat, quia est coniuncta cum habitu, & habitus cum gratia habituali, quæ est participatio formalis Diuinæ naturæ. Ad 5. omisso ant. neg. cons; quanuis enim timor habeat omnia requisita *à Trid.* quoad inceptionem attritionis, de qua solùm determinauit; non tamen habet omnia quoad complementum, de quo nihil decreuit *Conc.* Ad 6. dicitur sequi ex hoc nec requiri spem, aut amorem concupiscentiæ, aut propositum non peccandi, si sufficit dolor. Ecclesia ergo requirit solum dolorem, quia dolor est indicatiuus amoris, & aliorum actuum, qui necessariò requiruntur ad fructuosè recipiendum sacramentum. Ad 7. dicitur mi. damnatam fuisse *in Conc. Rhem.* vt diximus *to. 1. de attr. in com. q. 2. art. 1. num. 2*; iustitia enim est attributum Dei, quod prædicatur de Deo in recto, vt statutum est *in dicto Conc.* Nec sumitur *à SS.PP.* iustitia pro virtute naturali, quam dilexerant etia *Philosophi gentiles*; aliter sequeretur actum naturalem disponere ad iustificationem, quod est *Pelagianum*; sed sumitur pro Deo, qui est ipsa iustitia, seu sanctitas, & fons omnis iustitiæ; seu iustificationis, & sanctitatis, vt exponit *Trid.* sanctitas autem, & bonitas idem est; & bonitas est obiectum charitatis.

73 Obijc. 4. Si timor pęnarum imperficeret actum amoris ita, vt non iustificaret, sequeretur timorem esse malum, quia solus actus malus imperficit actum bonum; sed hæc fuit sententia *Lutheri*; ergo non est tenenda.

Resp. neg. seq; quo *Luthero* contradictoriè opponimur. Ad prob insert. dicitur, quòd actus bonus actu malo inficitur non imperficitur; imperfici enim est non habere tantam perfectionẽ, per-

quantā haberet, si esset aliud motiuū perfectius; cōstat namq; quòd motiuū perfectius alicuius actus causat actū perfectiorē; motiuū autem bonū, sed minùs perfectum, nō causat actū æquè perfectū; nam actus cōmensuratur etiā cum suo principio; atqui motiuum charitatis est magis perfectum, quàm motiuum pœnarum; ideo timor ex motiuo pœnarum in hoc sensu imperficit actum amoris; idèst non causat actum amoris ita perfectum, sicut est actus causatus ex motiuo charitatis, quod est excellentius, & nobilius, quia charitas est bonum excellentius omni bono, vt euidens est *apud omnes*.

74 Obijc. 5. Si habens imperfectum illum amorem moreretur sine sacramento, non posset consequi vitam æternam, quia moreretur non iustificatus; sed conf. est falsum; implicat enim, quòd aliquis cum amore Dei moriatur, & damnetur; quia Deus promisit vitam æternam *diligentibus se*; *& legisperito* obseruanti præceptum dilectionis inquit Christus Dominus: *Fac hoc, & viues*; ergo omnis amor Dei iustificat. 2. Pœnitens solùm in sacramento ex attrito fit contritus; ergo solùm ratione sacramenti amorem Dei concipit.

Resp. ad 1. dist. ma. Non potest consequi vitam æternam ex vi illius actus imperfecti, conc; ex vi perfectionis illius actus, quæ perfectio superadderetur à Deo, qui non abijcientibus, sed retinentibus prima auxilia, & bene vtentibus illa auget, & perficit; quapropter dicitur, quòd *charitas cœpta meretur augeri*; neg. Ad 2. neg. conf; quamuis enim ratione sacramēti augeatur, & perficiatur amor, quē inuoluit attritio; absolutus enim à peccatis incipit Deū amare ex charitatis motiuo, quē priùs inceperat amare amore orto, tanquam ex termino *à quo*, ex metu pœnarum; in quo sensu ex attrito dicitur fieri contritus; quia ille amor, qui erat timori coniunctus, excusso timore cœpit esse ex motiuo charitatis; infusa enim gratia iustificante infusus pariter est habitus charitatis, qui est gratiæ proprietas, à quo exit actus perfectus, qui est ex motiuo charitatis; attamen ex hoc non sequitur, quòd attritus amorem Dei imperfectum, & inchoatum non habuerit, sed tantùm quòd non habuerit perfectum, idèst à timore seiunctum.

75 Obijc 6. Si attritio amorem Dei deberet inuoluere, sequeretur, quòd præceptum diligendi Deum obligaret, quoties quis vellet confiteri; sed conf. est falsum; quia præceptum affirmatiuum non obligat ad semper; ergo falsum est id, vnde sequitur; falsum enim non nisi à falso deducitur.

Resp. neg. mi; præceptum enim affirmatiuum obligat semper, quando adest necessitas; non tamen propter hoc obligat pro semper, vti obligat præceptum negatiuum; Vnde sicuti cùm quis est in periculo enidenti, & non potest peccatum vitare, nisi actum amoris Dei super omnia eliciat, tenetur; ita cùm debet à peccatis absolui, tenetur actum amoris elicere, cùm sine illo nequeat mundari, vt satis hucusque est demonstratum.

76 Obijc 7. *S. P. Aug. de catech. rud. c. 17.* docet aliquos fieri Christianos, vt non eant in ignem æternum, sed intrent in Regnum cum Christo; & hi etiam proficiendo peruenient ad talem animum, vt plus ament Dominum, quàm timeant gehennam; ergo cum solo timore iustificantur.

Resp. neg. conf; docet enim *S. P. Aug. ibid*; quòd tales nedum accedunt ad baptismum propter metum gehennæ, sed etiam propter beatitudinem æternam; idèst ex amore beatitudinis æternæ, & ideo ex amore Dei, qui est nostra beatitudo obiectiua. Subdit autem, quòd tales possunt proficere, vt ament plus Deum, quàm timeant gehennam, quia accesserunt licèt plus appretiatiuè Deum amantes, minùs tamen intensiuè amantes Deum, & intensiùs gehennam timentes.

77 Sequitur 1. ex dictis attritionem requisitam ad recipiendam gratiam in sacramento debere esse supernaturalem; est enim dispositio ad gratiam; dispositio autem debet esse in eodem ordine, in quo est forma, ad quam disponit; ergo sicut gratia est supernaturalis; ita & attritio. Propterea *Trid.* docet esse *impulsum*, *& donum Spiritus Sancti* mouentis in Deum, vt gratiæ largitorem. 2. Debere esse dolorem de omnibus, & singulis peccatis eo modo, quo *in sup. S.* diximus de contritione; cùm enim ordinetur ad retractanda peccata, vt à Deo remittantur; & vnum peccatum nequeat sine alio remitti; ideo neque vnum sine alio retractari ad hoc, vt sine illo remittatur. 3. Debet præcedere absolutionem, quia dispositio est prior forma in genere causæ materialis; sed attritio est dispositio; & absolutio est forma; ergo illa debet istam præcedere. Non tamen est necesse, quòd præcedat confessionem, seu accusationem peccatorum; quia id, per quod aliquod spirituale fit sensibile, potest esse præcedens, vel consequens; potest enim se habere, vt causa, vel vt effectus; nam non minùs causa notificatur sensibiliter per effectum sensibilem, quàm effectus per causam sensibilem; sed attritio ordinatur ad confessionem externā, vt ad id, per quod fit sensibilis; materia enim sacramenti, quod constat ex rebus sensibilibus, cùm sit *signum sensibile rei sacræ*; debet esse, vel fieri sensibilis, idèst sensibiliter notificari; ergo non est necesse, quòd attritio, vel contritio confessionem præcedat. 4. Non est necesse, quòd attritio sit existimata, seu putata contritio. *Est cont. Sot. de nat. & grat. c. 17; Cordub; Veg. in Trid. lib. 13. c. 34. ad 3; & Vict. apud Gibb. hic disp. 9. dub. 4.* Prob. Sciens certò se esse sufficienter dispositū potest licitè, & fructuosè accedere ad quodlibet sacramentum; sed sciens certò se esse verè attri-

attritum, non contritum scit certò se esse sufficienter dispositum ad recipiendum sacramentū pœnitentiæ; quia sola attritio, vt docet *Catechism. Trid.* est sufficiens dispositio; ergo licitè, & fructuosè potest accedere ad illud recipiendum. Ex hoc sequitur, quòd existimās se esse attritum, re vera tamen non est attritus, infructuosè accederet; quia accederet sine debita dispositione; vnde sicuti contritio existimata non requiritur; ita attritio existimata non sufficit.

ART. V.

An confessio sacramentalis sit à Christo Domino instituta, & ideo de iure Diuino?

1 Confessio (inquit S.P. *Aug. in ps.* 94.) *duobus modis accipitur in scripturis. Est confessio laudantis; & est confessio gementis: Confessio laudantis ad honorem pertinet eius, qui laudatur; confessio gementis ad pœnitentiam pertinet eius, qui confitetur. Confitentur enim homines, cùm laudant Deum; confitentur, cùm accusant se; & nihil dignius facit lingua.* Confessio igitur laudis est, qua Deum, vt summè bonum, eiusque beneficia agnoscimus, & prædicamus; & in hoc sensu confessio fuit in Christo Domino, cùm dixit *Matth.* 11: *Confiteor tibi, Pater Domine Cœli, & terra &c.*; & est in beatis, & in Angelis, qui non cessant laudare Deum, & decantare illius beneficia. De hac confessione non loquimur. Confessio peccatorum est, qua homo agnoscit, & manifestat sua peccata; & hæc pariter duplex est; alia est enim, quæ fit Deo, & vocatur confessio, seu pœnitentia interior; vt *ps.* 31. *Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino; & tu remisisti iniquitatem peccati mei; & ps.* 50. *Tibi soli peccaui &c.*; & est accusatio peccatorum facta ipsi Deo, vt deleantur; & hæc dicitur *confessio cordis* non enim est opus locutione vocali, vt cum Deo loquamur. Alia est, quæ fit homini; & hæc quoque diuiditur; nam alia est non sacramentalis, vt cùm reus confitetur Iudici sua delicta; alia sacramentalis, *qua peccator accusat sacerdoti sua peccata, vt virtute clauium absoluatur*; & hæc dicitur *confessio oris*; de qua dicitur *Rom.* 10. *Confessio autem fit ore ad salutem*; & hæc demum alia fuit publica, qua olim peccata publicè in Ecclesia accusabantur; & ad hanc vnus tantùm sacerdos deputabatur; alia priuata, secreta, & auricularis, qua vni, & soli sacerdoti secretò accusantur; & de hac sermo est in præsenti.

2 *Caluin. in Antid. Conc. Trid. sess.* 6. *c.* 15. dixit per mille annos nullum fuisse in Ecclesia vsum confessionis sacramentalis auricularis, donec *Innoc. III. in Conc. Lat. laqueum hunc populo Christiano induxit, quem Tridentini Patres adstringunt; & lib.* 3. *Inst. c.* 4. §. 7. inquit *vetustissimum quidem vsum confessionis fuisse, sed facilè cuinci olim liberum fuisse; atque adeò non esse iuris Diuini.* Idem docuit *Vvicleff*, vt patet *ex Constant. sess.* 8. *Erasm. in ep. D. Hier. ad Ocean. de obitu Fabiolæ; & Luth. art.* 9; & cōmuniter *eorum asseclæ* asserunt confessionem secretam, & integram singulorum peccatorum non esse iuris Diuini, neque in vsu antiquæ Ecclesiæ fuisse; atque adeò *cruentissimam carnificinam animarum* esse.

3 *Io. Theutonicus*, vt refert *Glos. de pœnit. dist.* 1. ait confessionem institutam fuisse à Deo in paradiso, quando *ab Adam* exegit confessionem sui criminis; & posteà cùm dixit *Caino: Vbi est frater tuus. Alij* voluerunt institutam fuisse *Iosue* 7; cùm dictum fuit *Achor: Confitere, & indica mihi, quid feceris, nec abscondas.*

4 *Glos. ibid. & c. omnis vtriusque sexus de pœnit. & remissionib.* ait obligationem confitendi inductam fuisse sine vlla auctoritate *Scripturæ* per consuetudinem vniuersalis Ecclesiæ.

5 *Petrus Oxomensis* damnatus *in Conc. Complutén. à Felice IV.* confirmato *proposit.* 3. dixit *prauas cogitationes confitendas non esse, sed sola displicentia deleri sine ordine ad claues; & propos. vlt. Sacramentum pœnitentiæ quantùm ad collationem gratiæ sacramentum naturæ est, non alicuius institutionis veteris, vel noui testamenti.*

6 Refert *Vasq. hic q.* 90. *art.* 1. *dub.* 1. *n.* 5. & 6. *D. Bon. & Hug.* dixisse confessionem sacramentalem institutam quidem fuisse à Christo, ad illam tamen pœnitentes non cogi, sed tantùm pro ipsorum arbitrio; & *Caiet.* sensisse institutam fuisse in genere, non autem confessionem auricularem; sed determinationi Ecclesiæ relictum fuisse, an confessio sit facienda priuatim, vel publicè? Sed *Caiet.* ab hac calumnia se purgat *to.* 3. *opusc.* 15. *art.* 5. *D. Bon.* autem, vt notat *Est. dist.* 17. §. 1. nihil aliud docet, quàm id, quod dixit *Mag.* scilicet per cordis contritionem sine confessione vocali peccata deleri; ex quo enim quis proponit in corde confiteri peccata, Deus illi peccata dimittit; vt habetur *ps.* 31. *Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino; & tu remisisti iniquitatem meam; & ps.* 50. *Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies*; confessionem autem, & absolutionem nihil aliud esse, quàm declarationem confessionis cordis, & absolutionis à Deo iam factæ.

7 Dogma tandem fidei est confessionem sacramentalem oris, siue sit publica, siue secreta, & auricularis, institutam fuisse à Christo Domino, & præceptam; atque adeò esse iuris Diuini. *Ita Fund. Doct. de Laud. Diuina Sap. c.* 10; & *communiter omnes Catholici.*

8 Vnica concl. Confessio oris auricularis sacramentalis omnium, & singulorum peccatorum instituta fuit à Christo Domino *Io.* 20; cùm institutum fuit sacramentum pœnitentiæ; & omnibus lapsis post baptismum præcepta; & ideo est iuris Diuini.

Prob. ex verbis eiusdem Christi Domini *ibid.*

ibid. Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt. Quibus verbis ostenditur Christum Dominum dedisse potestatem *Apostolis*, & sacerdotibus eorum successoribus absoluendi, & retinēdi peccata; quam potestatem promiserat ante passionem se illis daturum *Matth. 18. Quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in Cælo &c.* Ex quibus *Trid. sess. 14. c. 5.* colligit institutionem nedum sacramenti pœnitentiæ, sed etiam confessionis sacramentalis docens: *Ex institutione sacramenti iam explicata vniuersa Ecclesia semper intellexit institutam etiam esse à Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post baptismum lapsis iure Diuino necessariam existere; & can. 6. Si quis negauerit confessionem sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam esse iure Diuino &c. & in eodem c. 5.* rationem reddit: *Quia Dominus noster Iesus Christus è terris ascensurus ad Cælos sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit, tanquam præsides, & iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christifideles ceciderint, quæ pro potestate clauium remissionis, aut retentionis peccatorum sententiam pronuncient. Constat enim sacerdotes iudicium hoc incognita causa exercere non potuisse; neque æquitatem quidem illos in pœnis iniungendis seruare potuisse, si in genere dumtaxat, & non potiùs in specie, ac singillatim sua ipsi peccata declarassent*; & c. 8. præcipit sacerdotibus, vt pro qualitate criminum pœnitentias salutares, & conuenientes imponant; ne mitiùs agentes eorum peccatis communicent. Formatur autem hæc ratio. Iudicium adæquatè sensibile essentialiter constat ex sensibili accusatione, seu manifestatione delictorum facta iudici, & sententia sensibili; sed sacramentum pœnitentiæ institutum fuit, vt iudicium adæquatè sensibile; ergo essentialiter constat ex sensibili accusatione, seu manifestatione delictorum facta iudici, & sententia sensibili. Atqui sensibilis accusatio, seu manifestatio delictorum facta iudici est vocalis peccatorum confessio facta sacerdoti, qui constitutus fuit iudex à Christo; fuit enim illi tradita potestas absoluendi, & retinendi peccata, quod est proprium iudicis; ergo ex ratione institutionis sacramenti pœnitentiæ requiritur vocalis confessio omnium, & singulorum peccatorum facta sacerdoti. Ma. constat; quia iudicium adæquatè sensibile est illud, quod exercetur à iudice cognoscente per sensus, & sensibiliter proferente sententiam; & quod constat ex partibus sensibilibus ipsum constituentibus; aliter iudicium non esset adæquatè, idèst secundùm omnes partes constituentes, sensibile; partes autem constituentes iudicium sunt accusatio, seu manifestatio facta iudici; nisi enim ipsi manifestentur delicta, non potest sententiam proferre, & pœnam ipsis debitam imponere. Prob. mi. Id, quo sensibiliter remittuntur, & retinentur, ac puniuntur peccata, institutum est, vt iudicium adæquatè sensibile, hoc enim formaliter importat iudicium criminale, de quo sermo est in præsenti; sed sacramentum pœnitentiæ institutum fuit ad sensibiliter remittenda, vel retinenda, & punienda peccata; vt liquet *ex textu lo.* ergo institutum fuit, vt iudicium adæquatè sensibile. 2. Quodlibet sacramentum constat ex materia, & forma sensibili; sed confessio peccatorum est materia sacramenti pœnitentiæ; materia enim cuiuslibet iudicij criminalis sunt peccata, super quæ cadit absolutio, quæ est forma; qui namque non est peccatis ligatus, absolui, idèst ab illis solui non potest; aliter solueretur, quod non est ligatum, quod in terminis implicat, ergo confessio peccatorum debet esse sensibilis, & ideo oris, non tantùm cordis.

9 Prætereà in iudicio, in quo nequit remitti vnum peccatum sine alio; & in quo ad mensuram grauitatis delictorum pœna debet infligi, necessaria est vocalis confessio omnium, & singulorum peccatorum; si enim non omnia delicta innotescant iudici, iudex nequit absoluere ab omnibus; & si singula non cognoscat, nequit pœnas infligere iuxta grauitatem delictorum; grauitas enim sumitur à differentia specifica, & indiuiduali peccati; peccata namque secundùm rationem genericam nullam differentiam penitus habent; & ideo secundùm hanc rationem vnum non est alio grauius; adeoque si non manifestentur peccata in specie, & in numero, nequeunt absolui, & puniri; sed pœnitentia est iudicium, in quo vnum peccatum nequit sine alio remitti; infunditur enim gratia, qua peccatum remittitur, & quæ nequit stare cum alio peccato; quia pœnitens simul esset iustus, & iniustus; & in quo ad mensuram grauitatis delictorum infligitur pœna; hoc enim est de ratione recti iudicij, vt qui plus deliquit, plus torqueatur; sicut enim iustitia exigit, vt pœna culpam supponat; ita exigit, vt maiorem culpam maior pœna sequatur; ergo in sacramento pœnitentiæ necessaria est vocalis confessio omnium, & singulorum peccatorum.

10 Conf. De ratione iudicij est, quòd inquisitionem, & cognitionem delicti supponat; aliter iudex cæco modo iudicaret, quod iustitiæ, & rationi repugnat; sed sacramentum est iudicium; in quo sacerdos fert sententiam contra delicta; ergo inquisitionem, & cognitionem delictorum supponit. Atqui sacerdos nequit inquirere, & cognoscere delicta; nisi pœnitens proprio ore illa ei detegat, & manifestet, quia soli pœnitenti sunt nota quoad speciem, & numerum; neque possunt homini notificari, nisi per sensum, à quo solùm ortum habet cognitio hominis; ergo idem. Tum quia si non esset necessaria oris confessio, maximè, quia solus Deus remittit peccata, quæ Deo sunt nota absque eo, quòd reuelentur à pœnitente; sacerdos autem

est

est purus minister declarans remissionem peccatorum iam factam à Deo; sed conf. est falsum; quanuis enim sacerdos sit purus minister; attamen modo humano, & rationabili debet sententiam ferre, pœnam iniungere, & nedum declarare, sed verè ministerialiter remittere peccata; ait enim Christus Dominus: *Quorum remiseritis peccata &c*; non autem: *Quorum declaraueritis remissa peccata*; ergo idem.

11 Habetur etiam expressè 2. *Cor*. 5. *Dedit nobis mysterium reconciliationis*; quod est sacramentum pœnitentiæ, quo peccantes post baptismum Deo reconciliantur; *& Act*. 18. *Multi credentium veniebant confitentes, & annunciantes actus suos*; confiteri autem annunciando sua peccata est ore confessionem facere; annunciare enim est alteri nunciare, quod solo corde fieri nequit; cùm homo cor nequeat inspicere; *& Iac*. 5. *Confitemini alterutrum peccata vestra*; quo habetur confessionem peccatorum faciendam esse homini, non soli Deo; nam *alterutrum* idem significat, ac *vicissim*; confessio autem, qua plures confitentur Deo, non est confessio *vicissim* facta; quia vnus non confitetur alteri; *& 1. Io*. 1. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & iustus, vt remittat*; quæ verba referuntur ad ea: *Quorum remiseritis &c*; quibus habetur promissio Diuina de remittendis peccatis mediantibus sacerdotibus; & ideo apertè colligitur confessionem esse eis faciendam; *& Luc*. 17. *Ite, ostendite vos sacerdotibus*; nam *Leuit*. 13; *&* 14; *& Deut*. 17; *&* 21. præceptum erat *leprosis*, vt sacerdotes adirent, eisque morbum suum particulatim detegerent; sed hoc erat figura sacramenti pœnitentiæ, vt communiter exponunt *SS. PP*; *& DD*; inter quos *Fund. Doct. Æg. vbi sup*; ergo confessio oris sacerdoti facienda est de necessitate sacramenti pœnitentiæ.

12 Pergit *Trid*. hoc probando ex consuetudine, quam vniuersa semper seruauit Ecclesia; quod sic ostenditur. *S. Clem. ep*. 1. *ad Iacob*; quæ, quanuis non sit *D. Clem*; attamen antiquissima est, loquens de peccatore post baptismum ait: *Non erubescat hac confiteri ei, qui præest, vt ab ipso per verbum Dei, & consilium salubre curetur*; & *inf*. loquens *de D. Petro*: *Docebat cogitationes malas mox ad Christum allidere, & sacerdotibus eius manifestare*. *S. Dion. D. Pauli discipulus ep. ad Demophyl*. grauiter ipsum obiurgat, quòd contra ordinem Ecclesiasticæ disciplinæ peccatorem sacerdoti procidentem calce repulisset; *cùm ille verecundè fateretur se ad peccatorum remedia quærenda venisse*. *Tertull. lib. de pœnit*. testatur *exomologesin, qua delicta nostra confitemur, à pœnitentibus in Ecclesia frequentari*; *Orig. hom*. 2. *in Leuit*. vocat *duram, & laboriosam pœnitentiam, cùm lauat peccator in lacrimis stratum suum, & non erubescit illud sacerdoti Domini indicare, & quærere medicinam*. Idem habet *hom*. 2; *& hom*. 17. *Si reuelauerimus peccata nostra non solùm Deo, sed & his, qui possunt mederi vulneribus nostris, atque peccatis, delebuntur peccata nostra*. *S. Cypr. serm. de lapsis* loquens de peccatis occultis inquit: *Apud sacerdotes Dei dolenter, & simpliciter confitentur, exomologesin conscientiæ faciunt*; *& inf*. *Confiteantur singuli delictum suum, dum adhuc, qui deliquit, in sæculo est; dum admitti eius confessio potest &c; & remissio facta per sacerdotes apud Dominum grata est*. Idem habet *lib*. 3. *ep*. 14. *S. Io. Chrysost. hom*. 1. *in ps*. 50. monet peccatorem, vt statim ad confessionem currat; *et hom*. 3. *ad pop. Antiochen*. inquit peccatori: *Sacerdoti vulnus manifesta*. Idem habet *lib*. 2. *de sacerdotio*; *et lib*. 3. *c*. 5; *et de compunctione cordis*; *et serm. de pœnit*; *et confess*; *et hom*. 20. *in Genes*; *et hom*. 5. *de verbis Isaiæ*; *et apud Grat. de pœnit. dist*. 1. *c*. 40; *et* 41. *S. Basil. in regulis breuiorib. c*. 288. *Hi, qui antiquitus pœnitebant, inueniuntur apud Sanctos confessi esse sua peccata*. Idem habet *q*. 110; *et inter regulas q*. 26; *et lib. de vera virginit*. prope finem; *et in ps*. 31. *Lactant. lib*. 4. *Diuinar. Instit. c*. 17. ait, quòd *debeamus pudenda cordis sacerdoti patefacere*; *et c. vlt. illam esse veram Ecclesiam, in qua est confessio, et pœnitentia*. *S. Ambr. lib*. 2. *de pœnit. c*. 6. *Soluit criminum nexus verecunda confessio peccatorum*. *S. Hier. in Matth*. 26. ait sacerdotes non exercere potestatem soluendi, & ligandi, nisi priùs audierint varietates peccatorum; *et in Eccles. c*. 10. *Qui vulnus suum fratri, et magistro noluerit confiteri, magister, qui linguam habet ad curandum, facilè ei prodesse non poterit. Si enim erubescat ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat, medicina non curat*. *S. P. Aug. hom*. 49. *c*. 5. suadens ad pœnitentiam faciendam sacerdoti, sicuti agitur in Ecclesia, inquit: *Nemo dicat: Occultè ago, apud Deum ago. Nouit Deus, qui mihi ignoscit, quia in corde ago. Ergo sine causa dictum est: Quæ solueritis in terra etc*. Idem habet *hom*. 27; *et* 50; *et in Enchir. c*. 56; *in ps*. 66; *ep*. 118. *c*. 3; *serm*. 57. *de temp*; *et tract*. 49. *in Io*. *S. Leo Magnus ep*. 80; *et* 91. *S. Greg. hom*. 26. *Beda in Iacob*. 5; *et in* 1. *Io*. 5; *Bern. in vita Malachiæ*. *Haimo in oct. Pasch*; *et hom*. 1. *post oct. Pent*; *et hom*. 15. Idem statuerunt *Conc. Laodicen. can*. 2. *anno Domini* 500; *Carthag. III. can*. 31; *Cabilonen. I. can*. 8. *anno* 600; *et III. can*. 32. *anno* 800; *Mogunt. sub Leone IV*; *Vormatien. sub Adriano II*; & tandem *quatuor Conc. Gen*; nempe *Lat. sub Innoc. III. c*. 22; *Constant. sess*. 8; *Flor. in decr. vnionis Armen*; *et Trid. vbi sup*. Constat autem hos non loqui tantùm de de confessione publica, quia hæc abrogata iam fuerat *à S. Nectario, et à S. Leone* ad vitanda scandala; & quia multi ob ruborem à confessione arcebantur; ergo loquebantur de confessione priuata, & auriculari; nam Christus Dominus instituit confessionem oris; quòd autem publicè, vel secretò facienda sit, Ecclesiæ arbitrio reliquit. Quod tamen intelligendum est tantùm de peccatis publicè commissis; nam peccata secretò commissa secretò semper fuerunt confessa; vt colligitur ex facto *S. Nectarij inf*; *et S. P. Aug. hom*. 50.

tom. 50. hoc tradit expresſè; poſtquam enim mandauit, vt pœnitens *veniat ad Antiſtites Dei, per quos illi in Eccleſia claues miniſtrantur; et tanquam bonus iam incipiens eſſe filius maternorum membrorum ordine cuſtodito à Præpoſitis ſacramentorum accipiat ſatisfactionis ſuæ modum*; ſubtexuit: *Si peccatum eius non ſolùm in graui eius malo, ſed etiam in tanto ſcandalo aliorum eſt, atque hoc expedire vtilitati Eccleſiæ videtur Antiſtiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere pœnitentiam non recuſet, non reſiſtat; non mortali, et lethiferæ plagæ per pudorem addat tumorem*. Quibus verbis docet ſolùm peccata palam commiſſa, quæ propterea ſcandalum attulerunt, publicè eſſe confitenda, ſi ſacerdos id expedire cenſebit. Ex quibus patet nimis craſsè mentiri *Sectarios* aſſerentes confeſſionem oris, ſiue ſit publica, ſiue auricularis, eſſe *humanum inuentum à PP. Conc. Lat.* excogitatum, quod antea per mille annos non fuit in vſu in Eccleſia; ergo ex conſuetudine, & traditione Eccleſiaſtica optimè probarunt *PP. Trid.* confeſſionem oris à Chriſto Domino fuiſſe inſtitutam, & eſſe iuris Diuini.

13 Tandem conuincuntur ex dictis *art.* 1. §. 3; vbi oſtendimus pœnitentiam eſſe vnum ex ſeptem ſacramentis legis Euangelicæ à Chriſto Domino inſtitutum, cuius materia proxima eſt confeſſio ſacerdotibus facta; materia enim cuiuſlibet ſacramenti, vt *ſup.* diximus, debet eſſe ſenſibilis; ſed cordis confeſſio, quam neceſſariam eſſe *Aduerſarÿ* fatentur, non ſit ſenſibilis, niſi per confeſſionem oris; ergo oris confeſſio, quæ auriculariter ſit ſacerdoti, ſpectat ad materiam proximam huius ſacramenti.

14 Reijciuntur autem ex dictis etiam *Io. Theutonic, & Mag*; nam quanuis ſacramenta nouæ legis fuerint in veteri lege adumbrata; vt euchariſtia *in pane, & vino Melchiſedech*; baptiſmus *in aqua aſperſionis, & purificationis*; attamen in noua lege quoad materiam, & formam à Chriſto Domino inſtituta fuerunt; alia enim eſt inſtitutio ſignorum; & alia inſtitutio rerum ſignificatarum per ſigna; ergo quanuis in veteri lege inſtitura ſint ſigna ſacramenti pœnitentiæ, & figuræ; attamen materia, & forma inſtitutæ fuerunt explicitè à Chriſto Domino; & ideo quanuis in illa præceptum fuerit peccatoribus, vt oſtenderent ſe ſacerdotibus, quibus manifeſtarent ſuum peccatum; attamen per illam oſtenſionem, & manifeſtationem ſignificatur ſolùm oris confeſſio in lege Euangelica inſtituenda per Chriſtum.

15 Præterea *allatis textibus* aſſeritur peccata per ſacerdotes remitti: *Quorum remiſeritis &c*; ergo per confeſſionem, & abſolutionem non declarantur tantummodò à Deo remiſſa mediante cordis confeſſione. Tum quia ſacramenta nouæ legis nedum declarant, ſed etiam conferunt gratiam ex opere operato; nam certum eſt remiſſionem peccatorum non fieri, niſi ex meritis Chriſti, quæ applicantur in ſacramentis; ergo auricularis confeſſio ordinatur ad recipiendam remiſſionem peccatorum in ſacramento. Tum quia licèt ſacerdos ſit ſimplex miniſter remiſſionis peccatorum; attamen nedum non ſequitur, quòd verè non remittat; ſicut quanuis calor ſit purum inſtrumentum ignis; attamen non ſequitur, quòd non inducat formam ignis in lignum, quæ ſine ipſo non induceretur; ergo quanuis ſacerdos ſit ſimplex Chriſti miniſter, attamen verè inducit gratiam iuſtificantem in pœnitentes, quæ ſine verbis à ſacerdote prolatis non induceretur.

16 Obijc. 1. *Nectarius Epiſcop. Conſtantinop*; vt referunt *Socrat. lib.* 5. *c.* 19; *& Sozomen. lib.* 7. *c.* 16. confeſſionem abrogauit; ergo non eſt iuris Diuini; *& S. Chriſoſt. Nectarÿ* ſucceſſor *hom.* 2. *in pſ.* 50. inquit: *Si confundaris alicui dicere, quæ peccaſti, dicito ea quotidie in anima tua. Non dico, vt confitearis ea conſeruo tuo, qui exprobret; dicito Deo, qui curat ea*. Ex quibus infertur abrogationem ſui prædeceſſoris confirmaſſe. Idem habet *Caſſian. collat.* 20. *c.* 8; *& D. Ambr. in Luc. c.* 22. & habetur *de pœnit. diſt.* 5. *c.* 1; *&* 2. inquit: *Petrus doluit, & fleuit &c. Non inuenio, quid dixerit; inuenio, quid fleuerit &c. Lauant lacrymæ delictum, quod voce pudor eſt confiteri; & Theodor. Archiep. Cantuarien. in pœnitentiali*, & refertur *diſt.* 1. *de pœnit. c. vlt.* inquit: *Quidam Deo ſolummodò confiteri debere peccata dicunt, vt Græci; quidam verò ſacerdotibus confitenda eſſe percenſent, vt tota ferè ſancta Eccleſia; & S. P. Aug. lib.* 10. *confeſſ. c.* 3. *Quid mihi eſt cum hominibus, vt audiant confeſſiones meas, quaſi ipſi ſanaturi ſint languores meos?*

Reſp. *Nectarium* abrogaſſe confeſſionem publicam ratione ſcandali exorti; cùm enim quædam nobilis mulier, vt refert *Socrat*; à pœnitentiario publico, qui deſtinabatur ad audiendas confeſſiones publicas, in quibus ſolummodò peccata publica, non autem occulta confitebantur, iuſſa fuiſſet, vt ieiunijs, & orationi ſe dederet, vt in peccatorum confeſſione dignum pœnitentia opus oſtenderet; ipſa poſtmodùm ſe publicè accuſans tantùm proceſſit, vt Eccleſię diaconum cum ipſa dormiſſe dixerit; quod erat crimen occultū; qua confeſſione infamatus diaconus ab Eccleſia fuit eiectus. Ob hoc ſcandalū confeſſio publica fuit prohibita; quæ prohibitio *à S. Leone ep.* 80. fuit firmata. De hac confeſſione publica loquuntur *S. Chriſoſt. vbi ſ; Caſſian; & alÿ SS. PP*; qui tamen confeſſionem priuatam fatentur, vt oſtenſum eſt *de Chriſoſt. Ad S. Ambr.* dicitur, quòd *D. Petrus* ſine confeſſione ſacramentali fuit abſolutus, quia tunc inſtituta non fuerat. Ad *Cantuarien.* dicitur loqui *de Græcis ſchiſmaticis*; illis enim temporibus *Græcorum* ſchiſma inualuerat; non verò de *Græcis catholicis*; conſtat namque *ex Baſilio, Chriſoſt; alÿſque Græcorum*

DD.

DD.confessionem priuatam in vsu semper fuisse. Tandem *D. P. Aug.* loquitur de confessione extrasacramentali; in suis enim confessionibus locutus fuit de peccatis ante baptismum commissis; constat autem peccata ante baptismum commissa non esse in confessione aperienda. Tandem aliquæ auctoritates SS. asserentium Deo esse confitenda peccata ita tamen, vt non negent faciendam esse sacerdotibus, sic accipiendæ sunt; vt fiant Deo per sacerdotes, qui sunt Dei locumtenentes, & Deus in illis absoluat.

17 Obijc. 1. *Textus Io.* 20. non conuincit necessitatem confitendi venialia, quanuis etiam de venialibus intelligendus sit; ergo neque mortalia. 2. Ecclesia non iudicat de occultis, vt habet *Trid. sess.* 24. *c.* 1. *de reform*; ergo peccata occulta subijci non debent clauibus Ecclesiæ. 3. Potest sacerdos aliunde peccata cognoscere, vt si ipsemet viderit; si ab altero fuerint narrata; vel si legerit scripta; ergo non est necessaria oris confessio. 4. Confessio fuit instituta, & præcepta *in Conc. Lat. sub Innoc. III. can.* 21 ergo est iuris humani.

Resp. ad 1. neg. cons; cùm enim venialia non sint materia necessaria; ideo necessitatem non possunt imponere. Et quanuis per confessionem deleantur etiam venialia; attamen confessio instituta fuit principaliter pro mortalibus, quæ nullo alio modo possunt deleri; non pro venialibus, quæ alijs modis possunt deleri. Ad 2. neg. cons; deducitur enim potius oppositum; nam quia Ecclesia non iudicat de occultis; ideo peccata occulta debent Ecclesiæ indicari, vt virtute clauium possint absolui; aliter Ecclesia non posset ea remittere. Ad 3. dicitur, quòd licèt confessio *per scriptum*, cùm pœnitens est mutus, vel loqui non potest; & per interpretem, cùm sacerdos linguam pœnitentis non calleat, sit licita, ita tamen, vt possit dolorem, & propositum non peccandi percipere; attamen extra hos casus non licet; quia nec aliquæ cogitationes occultæ, nec aliquæ circunstantiæ necessariæ exprimi possunt, nec dolor, & propositum. Dist. ergo ant. Potest sacerdos cognoscere eo modo, quo sunt cognoscenda, neg; secus, conc. Ad 4. dicitur *Conc.* determinasse solùm tempus confessionis faciendæ; non autem confessionem instituisse, aut præcepisse, vt ait *Trid. sess.* 14. *c.* 5.

§. 1.

Quos, & quando obliget præceptum Diuinum confessionis?

18 Quoad 1. dicendum solos fideles, qui mortaliter peccauerunt post baptismum, hoc præcepto obligari. Est *cont. nonnullos antiquos apud Sua. disp.* 35. *sect.* 1. docentes etiam infideles hoc præcepto obligari. Prob. 1. *ex* 1. *Cor.* 5. *Quid mihi de ijs, qui foris sunt, iudicare?* Ex quo *Trid. sess.* 14. *c.* 2. infert hoc esse discrimen inter ministrum baptismi, & pœnitentiæ; quòd ille iudex non est; de ratione namque potestatis iudiciariæ est, quòd extendatur tantùm ad illos, qui subditi sunt, vt constat; atqui infideles ab baptismum venientes, antequam baptismum suscipiant, non sunt subditi Ecclesiæ, quia sunt extra Ecclesiam; fiunt enim intra Ecclesiam solùm per ipsum baptismum; ideo minister baptismi respectu infidelium non exercet iudicis munus. At minister pœnitentiæ potestatem iudiciariam exercet, vt diximus *in sup. art*; remittendo, vel retinendo peccata. Ex hoc discrimine arguitur sic. Illi soli, qui tantùm à ministro pœnitentiæ possunt absolui à peccatis, præcepto confitendi obligantur; sed soli fideles, qui post baptismum peccarunt mortaliter, tantùm à ministro pœnitentiæ possunt à peccatis absolui; ergo soli fideles, qui post baptismum peccarunt, confitendi præcepto obligantur. Ma. constat; quia præceptum confessionis ordinatur ad absolutionem, quæ tantùm à ministro pœnitentiæ potest impendi; non enim ordinatur ad absolutionem, quæ fit à ministro baptismi; quia venientes ad baptismum non tenentur confiteri ministro baptismi; vel ad absolutionem, quæ fieri potest extra sacramentum pœnitentiæ, vt constat; ergo obligat illos solos, qui à pœnitentiæ ministro tantùm possunt absolui à peccatis. Prob. mi. Infideles nequeunt absolui à peccatis à ministro pœnitentiæ, quia subditi illius non sunt, & ideo in illos potestatem, seu iurisdictionem iudiciariam non habet, vt dictum est; & illi soli, qui post baptismum peccarunt mortaliter, à pœnitentiæ ministro tantùm possunt absolui; nam illi, qui peccarunt tantùm venialiter, etiam extra sacramentum possunt absolui; tum quia peccata venialia non sunt materia necessaria; ideo nequeunt esse obiectum præcepti, quod necessitatem importat; ergo illi soli, qui post baptismum peccarunt mortaliter, confessionis præcepto obligantur. Propterea *Trid. c.* 5. statuit: *Integram peccatorum confessionem omnibus post baptismum lapsis iure Diuino esse necessariam.* Quibus verbis limitat obligationem huius præcepti ad illos tantùm, qui post baptismum peccauerunt; & ad illos, qui peccauerunt mortaliter; nam illi, qui solùm venialiter, nequeunt dici simpliciter lapsi à gratia Dei, sed tantùm vacillantes. 2. Præceptum Diuinum confitendi nequit obligare, nisi illos, qui sunt capaces sacramenti pœnitentiæ; & qui habent peccata necessariò in hoc sacramento expianda; nam *ad impossibile nemo tenetur*; & qui non habent peccata necessariò expianda in hoc sacramento, obligari nequeunt ad illa confitenda; quia obligatio materiam necessariam essentialiter respicit; obligatio autem confessionis, quæ est pars sacramenti pœnitentiæ, ordinatur solùm ad sacra-

men-

mentum pęnitentiæ; & ideo licèt habentes tantùm peccata venialia possint illa in sacramento pęnitentiæ per confessionem expiare; non tamen ad hoc præcepto Diuino obligantur, quia non sunt materia necessaria, cùm possint etiam extra sacramentum expiari; ergo illi soli, qui post susceptum baptismum peccarunt mortaliter, confessionis præcepto obligantur.

19 Ex his infertur *Beatiss. Virginem*, etsi baptismum susceperit; attamen nunquam sacramentaliter fuisse confessam; quapropter fabula reputatur; quòd confiteretur quotidie *D. Io. Euang*; caruit enim omni peccato mortali, & veniali. Quamuis namque baptismus ordinetur ad delendum peccatum originale, quo caruit *B. Virgo*; & per ordinem ad hoc baptizari non debuerit; attamen quia ordinatur etiam ad participandam Christi gratiam, & ad hoc, vt sit membrum corporis mystici Christi Domini, quod est Ecclesia; ideo per ordinem ad hunc effectum debuit baptizari; & aliunde pęnitentia, quæ in peccatoribus adultis requiritur ante baptismũ, non est materia baptismi, quæ est aquá tantùm; sed est tantùm dispositio requisita ad deletionem peccati; vnde quando peccatum non est delendum, non est necessaria hæc dispositio. At verò confessio peccatorum post baptisma commissorum est materia sacramenti pœnitentiæ; ideo sine ipsa nequit fieri sacramentum.

20 *De Apostolis* autem baptizatis ante Christi mortem dicitur, quòd si quæ tunc commiserunt peccata mortalia, non ligabantur confessionis præcepto; quia tunc pęnitentiæ sacramentum institutum non erat; institutum enim fuit *Io.* 20; adeoque post *Resurrectionem*, vt ait etiam *Trid*; licèt ante mortem Christi *Matth.* 18. fuerit promissum. Post Institutionem autem vsque ad diem Pentecostes, si peccassent mortaliter, probabile est eos præcepto confitendi obligatos fuisse; quia eis sufficienter promulgatum hoc præceptum iam fuerat; nisi dicamus, quòd lex Christi non incepit obligare, nisi cùm plenè fuit promulgata quoad omnes articulos; inter quos est etiam aduentus Spiritus Sancti, qui fuit die Pentecostes; tunc enim solùm censetur completa promulgatio legis, cùm omnes illius articuli sunt promulgati; & sic solùm à die Pentecostes præceptum confessionis obligare cepisset. Tandem quia die Pentecostes Apostoli confirmati fuerunt in gratia ita, vt non peccauerint deinceps mortaliter, hoc præcepto non fuerunt obstricti.

21 Dices 1. *Ex Conc. Carthag. IV*; & refertur *de consecr. dist. 4. c. 60. baptizandi*, habetur; quòd baptizandi, priusquam baptismum percipiant, debent *crebra manuum impositione examinari*; sed manuum impositio significat confessionem; ergo pręceptum confessionis obligat etiam ante baptismum. 2. Ius Diuinum obligat etiam infideles; sed hoc præceptum est de iure Diuino; ergo obligat etiam infideles.

Resp. ad 1. neg. mi. absolutè, & simpliciter; nam manuum impositio significat etiam exorcismum, qui præuiè fit ante baptismum; vt diximus *de Confirm. q. 1. art. 1. n. 2.* Ad 2. dist. ma. Ius Diuinum naturale, & positiuum vniuersale, vt est præceptum baptismi, conc; positiuum speciale, vt est præceptum confessionis, eucharistiæ &c; neg.

22 Quoad 2. *Guilelmus Parisien*; *& Alen*; docent hoc præceptum obligare fideles statim, ac aduertunt se esse in peccato mortali. *S. Bon. in 4. dist. 17. p. 2. q. 2. art. 2.* limitat ad solos Religiosos.

Sed hæc sententia communiter reijcitur. 1. Quia si sic obligaret, non potuisset *Conc. Lat.* illud limitare ad confessionem semel in anno, sed ad toties, quoties peccassent. *Vid. art. 4. §. 1. n. 34. & 35.* Tum quia catechumeni non obligantur statim ad baptismum; ergo nec pœnitentes ad confessionem. Tum quia videtur moraliter difficile, quòd cor peccatoris, quando est peccati voluptate perfusum, sicuti est statim post peccatum, possit concipere verum dolorem sufficientem ad confessionem sacramentalem; ergo pro eo tunc ad illam non obligatur. Ad id autem, quod refertur *ex D. Bon*; dicitur præceptum Diuinum non esse positum pro solis Religiosis, sed fideles omnes comprehendere. *Vid. obiect.* solutas *art. 4. vbis.*

23 *Alij* è contra volunt obligare solùm, quando vrget extremę necessitatis articulus, qui diuiditur in articulum per se, vt est periculum mortis, quo comprehenditur etiam casus, quo pęnitens habeat copiam confessarij, & sciat se in rota sua vita illam ampliùs non habiturum; vel quo pœnitens habens peccata reseruata habet copiam sacerdotis habentis potestatem illa remittendi, quam scit certò se nunquam habiturum; censetur enim esse in mortis periculo; & in articulum per accidens, vt cùm debet eucharistiam sumere; nullus enim sibi conscius peccati mortalis potest eucharistiam sumere, vt docet *Trid. sess. 13. c. 7; & can. 11. Ita noster Argent. hic dist. 17. q. 2. art. 4; & Gibb. hic disp. 10. dub. 2. n. 10.* asserens hanc esse communiorem sententiam. Ratio est; quia præceptum Diuinum confitendi est affirmatiuum; ergo licèt non obliget pro semper, assignari tamen debet aliquod tempus determinatum, in quo obliget in hac vita; quod nequit esse, nisi in articulo necessitatis extremæ; aliter nunquam obligaret.

Sed reijcitur etiam hæc sententia; quia licèt præcepta affirmatiua non obligent pro semper, non tamen obligant solùm in articulo necessitatis extremæ, sed obligant loco, & tempore conueniente; vt patet in alijs Decalogi præceptis; aliter teneremur Deum diligere so-

solùm in articulo necessitatis extremæ, cùm præceptum diligendi Deum sit affirmatiuum. Hoc autem damnatum est *ab Innocen. XI. in 65. propositionib. proposit. 5. & 6.*

24 Meliùs ergo dicendum *cum Fund. Doct. B. Æg. de Lond. Diuina Sapientia c. 11. & in 2. dist. 26. q. 2. art. 3; quem sequitur Estius hic dist. 17. S. 10. & alij*, obligare habita opportunitate loci, temporis, & sacerdotis; & cùm aliter nequit peccata vitare. Hoc probant *illi Scripturarum textus*, in quibus dicitur pœnitentiam non esse differendam; vt *Eccli. 5. Ne tardes conuerti ad Dominum; & ad Gal. 6. Dum tempus habemus, operemur bonum*. Hinc est illud *S. P. Aug. Pœnitentia sera rarò vera*; sed confessio, quæ agitur in extremæ necessitatis articulo, est pœnitentia sera; est enim in fine vitæ; ergo rarò est vera. Atqui præceptum Diuinum obligat ad veram pœnitentiam; ergo obligat plusquam in articulo necessitatis extremæ. 2. Vnusquisque tenetur salutem animæ in tuto ponere iuxta illud: *Tene certum, & dimitte incertum*; quod intelligitur pro opportunitate loci, & temporis, & ministerij, quo salus animæ confertur; sed per confessionem salus animæ in tuto ponitur; ergo ad confessionem obligatur quisque pro opportunitate loci, temporis, & ministri. 3. Tunc quis obligatur præcepto, cùm non adimplendo præceptum facit contra præceptum; non enim facit contra præceptum, qui non obligatur præcepto; sed non confitens pro opportunitate facit contra præceptum; spernit enim, & contemnit præceptum; sicut autem non spernens præceptum facit iuxta præceptum; ita spernens præceptum facit contra præceptum, ergo ad confitendum pro opportunitate obligatur præcepto. 4. Prob. à pari de alijs præceptis affirmatiuis, vt diximus. Addit *Fund. Doct.* quòd habens locum, & tempus, ac promptum ministrum, & dispositionem debitam despiciendo confiteri perdit propositum non peccandi, & confitendi, & remanet in suis peccatis; quia fictum reputatur eius propositum; ergo agit contra præceptum mandans propositum non peccandi, sed expiandi sua peccata in confessione pro opportunitate loci, temporis, & ministri.

25 Sed quæres; an omittens confiteri pro opportunitate temporis, loci, & ministri committat nonum peccatum?

Resp. firmare solùm propositum, quod saltem virtualiter habet non confitendi, quod propositum est peccatum contra præceptum. Sicut habens propositum furandi, cùm furatur, non committit nouum peccatum furti, sed exequitur, & firmat propositum furandi, quod priùs habebat; & habens propositum etiam virtuale non amandi Deum vrgente præcepto exequitur, & firmat tale propositum, ita à pari. Addit *Estius*, quòd superaddit peccatum saltem veniale, scilicet neglectum suæ salutis.

26 Dices. Allati *textus* de non differenda confessione sunt tantùm de consilio, non de præcepto; ergo ex illis non probatur præceptum confessionis obligare pro opportunitate loci, temporis, & ministri.

Resp. neg. ant; nam consilium est tantùm de meliori bono, non de bono simpliciter; præceptum verò est de bono simpliciter, cuius oppositum est malum simpliciter; vt seruare virginitatem, quæ est maius bonum, quàm castitas iugalis, consilium est; seruare tamen castitatem iugalem, non virginalem, non est malum. At honorare parentes non est maius bonum, quàm non honorare; nam non honorare malum est; & ideo honorare est bonum simpliciter. Sic non differre confessionem pro opportunitate loci, temporis, & ministri non est melius bonum, quàm illam differre; ideo non differre non est de consilio, sed de præcepto.

§. 2.

De præcepto Ecclesiastico annuæ confessionis.

27 FVnd. *Doct. Æg. de Regim. Princ. lib. 3. p. 2. c. 24.* ait, quòd legi Diuinæ superaddenda fuit lex humana, quia licèt illa determinet rem faciendam; attamen non determinat modum, quo fieri debet; v. g. lex Diuina determinat Deum esse colendum; & lex humana determinat diebus festis esse audiendam missam, cessandum ab operibus seruilibus &c. Igitur quanuis ius Diuinum præcipiat fidelibus peccatoribus confessionem sacramentalem, vt à peccatorum vinculis soluantur; non tamen determinat tempus, quo est hæc confessio facienda, sed determinandum reliquit per Sanctam Matrem Ecclesiam. Ideo *Conc. Lat. sub Innoc. III.* & habetur *c. 12. omnis vtriusque sexus de pœnit. remissionib.* considerans innumeras pœnitentiæ vtilitates præcepit saltem quolibet anno quemlibet fidelem, cùm ad annos discretionis peruenerit, confiteri debere, & ad minùs in Paschate Eucharistiæ sacramentum suscipere sub pœna eiectionis ab Ecclesia, & priuationis sepulturæ Ecclesiasticæ. Ex quo infertur 1. hoc præceptum, quod est vnum ex quinque Ecclesiasticis, sub peccato mortali obligare; & non tantùm indirectè, & per accidens, scilicet ratione Eucharistiæ sumendæ, vt voluerunt *aliqui apud Azor. to. 1. instit. mor. lib. 7. c. 3. q. 9*; sed per se, & directè; quia pueri, cùm ad annum discretionis peruenerit, quolibet anno confiteri tenentur; non tamen statim communioni admittuntur; & si aliquis impediatur communionem Paschalem suscipere; attamen confiteri obligatur. Infertur 2. *contra Sectarios* Ecclesiam non instituisse præceptum confessionis, quod iure Diuino fuit institutum, sed tantùm determi-

minasse tempus, quo hoc præceptum Christi Domini est executioni mandandum; vt habet *Trid. sess. 14. c. 5.* Prætereà nonnullæ aliæ à DD. deducuntur sequelæ.

28 Sequitur 1; quòd si Christus Dominus non instituisset confessionem sacramentalem, non potuisset institui, & præcipi ab Ecclesia. Nam materia sacramentorum non potest institui ab Ecclesia; materia enim, & forma sacramentorum nequit institui, nisi ab habente potestatem excellentiæ ministerialis, quam sæpe diximus non esse in Ecclesia, quia Christus sibi illam reseruauit; sed confessio sacramentalis est pars materiæ sacramenti pœnitentiæ; ergo non potuit institui ab Ecclesia. Supposita tamen institutione si Christus Dominus vsum confessionis liberum liquisset; potuisset Ecclesia illum directè præcipere; quia vsus importat modum rei præceptæ; sed Ecclesia potest modum, & ritum in sacramentis præscribere; vt docet *Trid. sess. 21. c. 4. de reform;* salua tamen eorum substantia; ergo potuisset in data hipothesi vsum confessionis sacramentalis præcipere. Ex hoc infertur, quòd licèt dolor internus peccatorum non possit directè præcipi ab Ecclesia, quæ non iudicat, nisi de externis; indirectè tamen præciperetur; quia præciperetur confessio externa, prout instituta à Christo Domino; sed instituta fuit cum dolore interno; ergo indirectè præciperet dolorem internum.

29 Sequitur 2. omnes fideles vsu rationis vtentes, qui mortaliter peccarunt, annuæ confessioni obligari; vt patet *ex eodem cap. omnis vtriusque*. Quod est intelligendum nedum de fidelibus in Ecclesiæ cōmunione viuentibus; sed etiam *de hæreticis, & schismaticis*, qui licèt sint separati à communione fidelium, sunt tamen subditi Ecclesiæ; cui per baptismum vniuntur; vnde sicuti obligantur alijs præceptis Ecclesiasticis; ita huic præcepto adstringuntur. Sententia autem *Soti in 4. dist. 18. q. 1. art. 3; & D. Antonini in summa p. 2. tit. 9. c. 8. §. 2.* asserentium pueros ante annum pubertatis ligari quidem præcepto Diuino, non Ecclesiastico communiter reijcitur; quia *Conc.* expresse asserit omnes ligari, cùm ad vsum rationis peruenerint; tum quia ligantur alijs præceptis, vt audiendi missam. Imò etiam summus Pontifex, licèt sit supra *Concilium*, quod vim obligandi non habet, nisi confirmetur ab ipso; attamen hoc præcepto ligatur; quia Princeps quoad vim directiuam suis adstringitur legibus, quanuis non quoad vim coactiuam. *Ita Gibb;* apud quem *Sua; Vasq; Azor; Lug; & alij*.

30 Sequitur 3. habentes tantùm peccata venialia hoc præcepto non obligari. Est *cont. D. Bon. hic dist. 16. p. 2. art. 2. q. 1; Ric. ibid. art. 2. q. 4; Alen. q. 77. membr. 1; & Nugn. q. 6. art. 4. dub. 2.* Traditur tamen *à D. Tho. hic q. 6. art. 3. ad 3; Caiet; Sot; Sua; Vasq; & ex nostris Argent. hic dist. 6. art. 4. concl. 2; Gibb. disp. 10. dub. 4. & alys.* Prob. 1. *ex Trid. sess. 14. c. 5.* asserente, quòd Christus Dominus *Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit, tanquam præsides, & indices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur;* & de peccatis mortalibus loquitur *Lat;* quia loquitur de illis peccatis, quæ omnia tenemur confiteri; constat autem nos non teneri ad confessionem omnium venialium; ideo deducitur ipsum loqui de mortalibus, cùm præceptum annuæ confessionis imposuit. Ex his arguitur sic. Præcepto Ecclesiastico non ligantur nisi illi, qui ligantur præcepto Diuino; nam præceptum Ecclesiasticum determinauit solummodò tempus, quo est implendum præceptum Diuinum, vt diximus; sed ex præcepto Diuino non tenentur confiteri habentes tantùm peccata venialia; quia Christus Dominus dedit potestatem sacerdotibus, vt ad illos deferantur peccata mortalia, à quibus absoluant, vt inquit *Trid;* & licèt absoluant etiam à venialibus; hoc tamen non est de necessitate sacramenti simpliciter, cùm extra sacramentum possint absolui; ex quo infertur confessionem principaliter, & per se institutam fuisse pro solis mortalibus; ex consequenti verò, & minùs principaliter pro venialibus; ergo ex præcepto Ecclesiastico habentes tantùm peccata venialia non tenentur confiteri. 2. *Ex Fund. Doct. Æg. in 2. dist. 25. dub. 2. lit.* Venialia non sunt materia necessaria confessionis; potest enim haberi sine illis confessio sacramentalis licita, & valida; ergo præceptum Ecclesiasticum, quod necessitatem importat, non cadit super venialia, quæ necessitatem non habent; præceptum enim commensurari debet cum re præcepta. 3. Præceptum in materia leui non obligat, vt constat de præcepto furti; sed venialia sunt materia leuis; ergo habentes venialia non obligantur præcepto Ecclesiastico. Tenentur tamen, inquit *D. Tho. vbi;* se præsentare confessario, eique significare se esse sine conscientia peccati mortalis; & hoc ei pro confessione reputatur. *Ita etiam Sua; Coninch; Gibb; & alij.* Ratio eorum est, quia sacerdos statum suarum ouium debet agnoscere; vt si fortè transgrederentur præceptum, possent ab eo puniri; quod aliter fieri non posset.

31 Sequitur 4. Ecclesiam non posse præcipere confessionem omnium venialium in singulari; nec aliquorum directè, & per se; bene tamen indirectè, & per aliud. Ratio primi est; quia confessio omnium, & singulorum venialium censetur moraliter impossibilis ob multitudinem eorum, quorum pars maxima latet. Ratio secundi est; quia Ecclesia, vt diximus, non potest obligare, nisi ad rem, quæ præcepta est à Deo; quanuis possit obligare quoad modum, seu vsum illius rei; sed confessio venialium non est à Deo præcepta directè, & per se; ergo neque ab Ecclesia directè, & per se præcipi potest.

Ratio tertij est; quia Ecclesia potest præcepto obligare ad id, ad quod aliquis voto se adstrinxit, vt Religiosum ad seruandam Regulam, quam professus est, & vouit seruare; sed ad confitendum singulis mensibus potest quis voto se adstringere, etiansi habeat solùm venialia; vt patet *ex Regula PP. S. Benedicti*; quibus propterea *in Clement. Ne in agro Dominico* præcipitur, vt confiteantur singulis mensibus; ergo quanuis venialium confessio directè, & per se non possit præcipi, quia venialia non sunt materia necessaria; attamen indirectè, & per aliud præcipi potest; scilicet ratione voti, cuius transgressio esset peccatum mortale; & in hoc casu omissio confessionis venialium esset peccatum mortale. Ex hoc colligitur *Sixtum IV; & Pium II.* rectè confirmasse statutum *Ord. Cistercien*; quo præciditur, vt Religiosi in fine anni confiteantur Abbati peccata, quæ totius anni decursu confessi sunt confessarijs inferioribus; peccata namque mortalia iam confessa, & remissa euadunt venialia; sunt enim materia sufficiens sacramenti pœnitentiæ; vt docet *Fund. Doct. Æg. in 2. dist. 42. q. 1. art. 3.*

32 Sequitur 5. non esse determinatum de iure communi anni tempus, quo hoc præceptum debet impleri; quanuis ratione præcepti eucharistiæ, quod obligat tempore Paschali, consuetudo sit illud implendi tempore quadragesimæ, vel Paschatis, vt habetur *in extrau. Sixti IV. nos illis; & in Conc. Agath. relato dist. 50. c. quadragesima*; quia tunc est tempus pœnitentiæ magis proprium; non quia non possit quolibet alio anni tempore impleri. Ratio primi est; quia, cùm præceptum confessionis ordinetur ad delendum peccatum mortale, congruum fuit, vt sicut quolibet anni tempore possumus peccare mortaliter; ita quolibet anni tempore præceptum confessionis implendo possimus illud delere. Ratio secundi est; quia tempus quadragesimæ est magis destinatum pœnitentiæ; de eo enim dicitur: *Aduenerunt dies pœnitentiæ ad redimenda peccata*; quanuis pœnitentia quolibet anni tempore peragi debeat; ideo præceptum confessionis obtinuit, vt fieret potiùs in quadragesima, licèt quolibet anni tempore possit impleri. Insuper quia non possumus cum conscientia peccati mortalis ad Eucharistiam accedere, ad quam obligamur in Paschate; ideo vsus obtinuit, vt præceptum annuæ confessionis impleatur in Paschate; quamuis liberum sit illud quolibet anni tempore implere. Quomodò autem sit computandus annus, variant *DD*; nam *Sot. vbi s. art. 4.* vult computandum esse ab vna confessione ad aliam. Sed reijcitur; quia puer perueniens ad vsum rationis nequit sic computare. *Azor; Sua; & Coninch* volunt computandum esse à Paschate ad Pascha. Sed hi quoque reijciuntur; quia si hoc esset, maximè, quia in Paschate esset obligatio confitendi, sed hoc est falsum, vt diximus; ergo & illud. Tum quia nullum est fundamentum, quo hæc inceptio innitatur; potiùs enim habetur oppositum; nam *secundùm leges ciuiles, & Ecclesiasticos canones* annus incipit à mense *Ianuarij*, & desinit ad finem *Decembris*; ergo verisimiliùs dicendum annum, intra quem annua confessio præcipitur, computandum esse, sicut computatur annus Ecclesiasticus, scilicet à prima die *Ianuarij* ad vltimam diem *Decembris*. Ex his infertur, quòd qui venialia confiteretur in Paschate, peccans deinde mortaliter, si iterum eodem anno non confiteretur, præcepto non satisfaceret; quia præceptum est de confitendis mortalibus, non venialibus. Qui tamen post confessionem aliquorum mortalium iterum mortaliter peccaret, ex vi præcepti non teneretur iterum confiteri; quia præceptum non obligat ad confitenda omnia mortalia illo anno commissa, sed solùm ad semel confitendum mortalia, quod per primam confessionem impleſſet. Per accidens tamen, seu ex vi alterius præcepti, scilicet sumendi euchatistiam; vel periculi mortis, teneretur iterum confiteri.

33 Sequitur 6; quòd qui certò scit, vel saltem prudenter dubitat se illo anno non habiturum copiam confessarij, debet tempus præueniendo confiteri. *Ita communiter DD.* Nam præceptum obligat pro opportunitate temporis, loci, & ministri, vt diximus; sed tantùm in illa parte anni est hæc opportunitas; vt constat de eo, qui peragrare debet in terras infidelium, vbi nullus est confessarius, nec est rediturus, nisi post annum; ergo pro eo tunc tenetur implere. Item qui omisit totius anni tempore confiteri, tenetur statim in initio sequentis anni præceptum implere; quia quando tempore præscripto non soluitur debitum, manet obligatio soluendi tempore immediatè sequente. Est *cont. Syluestr; & alios apud Dianam*; et traditur tamen *à Sot; Nauar; Vasq; Sua; Lug; & ex nostris Basil; Gibb; & alijs*. Quanuis enim omittens die festo audire missam non teneatur die feriali sequente illam audire; quia auditio missæ ordinatur ad sanctificandam illam diem, quæ non sanctificatur per opus sanctum factum altera die, vt constat; attamen omittens vno anno confiteri tenetur statim anno sequente confiteri; quia annua confessio non ordinatur ad sanctificandum illum annum, sed ad expurgandam à peccatis conscientiam, vt constat *ex Conc*; quandiu ergo non est expurgata conscientia illo anno, manet onus illam expurgandi alio anno pro anno antecedente; vnde bis in sequenti anno confiteri tenetur.

34 Sequitur 7. non esse necessarium necessitate sacramenti, vt confessio fiat verbis, seu voce humana, sed sufficere, vt fiat nutibus, vel signis, vt patet de mutis, vel non valentibus loqui, vt sunt moribundi; tunc enim fit verum sacramentum; quia sufficit manifestatio peccatorum,

torum, & absolutio. Verumtamen est, quòd quia hæc manifestatio clarius fit verbis, quàm signis, & nutibus, ideo cùm fieri potest, verbis confici debet. Quapropter *Flor. in decr. Armen.* inquit materiam huius sacramenti esse *oris confessionem*; quod habet etiam *Fund. Doct. de Laud. Diuinæ Sap. c.20.* asserens pœnitentiæ sacramentum ex tribus actibus constare, qui sunt *contritio in corde, confessio in ore, et satisfactio in opere*; qui est modus loquendi *SS. PP.* Quod intelligi debet, cùm sic fieri potest; non autem simpliciter; constat enim ex consuetudine Ecclesiæ, quæ absoluit etiam loquelæ vsu carentes, necessitate sacramenti exigi solùm, quòd peccata quoquo modo manifestentur. Ex quo infertur, quòd cùm sacerdos pœnitentis idioma non callet, teneri pœnitentem confiteri per interpretem, si nullum sit periculum vitæ, vel infamiæ, vel reuelationis secreti, vt in puncto mortis; secus verò si huiusmodi periculum adsit; quia cùm fine tali detrimento sacramentum posit haberi, vt signis, vel nutibus; ideo lex euangelica, quæ est iugum suaue, alio modo suauiori est adimplenda. Si tamen pœnitens loquelæ vsu careret, & scripturam sciret, teneretur scripto confiteri; ex hoc enim nullum detrimentum orietur; & aliunde peccata clariùs, & distinctiùs aperiret. Non tamen sacerdoti absenti per literas potest confiteri; quia, vt inquit *Fund. Doct. de Renūc. Papæ c.14;* Christus Dominus præcepit *leprosis*, vt ostenderent se sacerdotibus; quo indicauit confessionem faciendam esse à pœnitente in sacerdotis præsentia, non in absentia, in qua ferè nullam peccatorum erubescentiam haberet; & habetur *de pænit. dist 1. c. quem pœnitet*; & fuit definitum à *Clem. VIII. die 20. Iuny anno 1602.*

35 Sequitur 8. præcepto Ecclesiastico confessionis annuæ non satisfieri per confessionem inualidam; quia Ecclesia præcipit confessionem, qua delentur peccata; & prohibet confessionem sacrilegam; præcipit enim fieri quotannis eam confessionem, quam Christus instituit, quæ proculdubio est, qua delentur peccata; sed per confessionem inualidam non delentur peccata, cùm potiùs augeantur; ergo per ipsam non impletur Ecclesiæ præceptum; implicat enim, quòd impleatur per id, quod prohibet. An autem satisfiat per confessionem validam, sed informem? Dicitur, quòd si posset dari, de quo *inf.* satisficeret; sicut satisfit præcepto baptismi, cùm inualidè, & informiter ab aliquo suscipitur; haberet enim talis confessio, quod ad essentiam sacramenti requiritur.

36 Pęna transgredientis hoc præceptum est priuatio ingressus Ecclesiæ, & sepulturæ Ecclesiasticæ; vt habetur in allato *c. omnis vtriusq;* quæ pęna non est latæ sententiæ, sed ferendæ à iudice, qui priùs debet reum conuincere vel per ipsius confessionem, vel plenam probationem criminis. Hanc pęnam infligi posse etiam ijs, qui fictè confessi sunt, asserunt *noster Basil; Gibb; Sua; Lug; et alij cont. Can; et Cordub.* Quia hæc pęna infligenda est illis, qui verè pręceptum Ecclesiæ non implent; imposita enim est transgressoribus huius præcepti; sed fictè confitentes hoc præceptum non implent, vt diximus; ergo etiam istis hæc pęna est infligenda. Nec officit; quòd Ecclesia, *qua tantùm iudicat de externis*, non possit pęnam actibus internis taxare. Non officit, inquam; nam licèt non possit de actibus internis, vt interni sunt præcisè, ferre iudicium; sic enim nullo modo ad Ecclesiam visibilem spectant; attamen potest de illis, vt coniunguntur cum externis, vt in casu, iudicare; sic enim aliquo modo visibiles, seu sensibiles fiunt.

37 Tandem *annua confessio proprio sacerdoti est facienda*; vt præcipit *Lat. vbi sup. Aliqui* dixerunt nomine proprij sacerdotis parochum solummodò intelligi ita, vt si quis sine licentia parochi confiteatur cuicunque alteri sacerdoti etiam religioso approbato ab Episcopo, vel etiā à Papa, non satisfaciat præcepto, sed tenetur eadem peccata proprio parocho confiteri. Sed *cæteri omnes DD*; inter quos *noster Argent. hic dist. 17. q. 2. art. 3. concl. 2; Gibb. disp. 12. dub. 3;* nomine *proprij sacerdotis à Conc.* volunt intelligi Papam in tota Ecclesia; vt *c. patet; c. ipsi 9. q. 3; c. qui se scit q. 6;* & Episcopum in sua diœcesi; vt *c. omnis extra de maiorit; & obed; c. cum Episc. p in 6. de officio Ordinarij;* & parochos in suis parochijs; sic Generales in suis Religionibus, Prouinciales in prouincijs & Priores in suis Conuentibus; isti enim habent iurisdictionem ordinariam, seu personalem. Præter istos censetur etiam proprius sacerdos, qui ab istis, vel ab aliquo istorum iurisdictionem habet delegatam; vt habet *Hostien;* & ferè omnes *aly communiter*. Nam si de licentia parochi potest sacerdos in illius parochia absoluere, tanquam proprius sacerdos, ita, vt absolutus non teneatur eo anno parocho confiteri; multò magis hoc dicendum est de sacerdote absoluente de licentia Episcopi, vel Papæ; maiorem enim potestatem habet Papa, quàm Episcopus, qui Papæ subditur; & Episcopus, quàm parochus, qui Episcopo subijcitur; & ideo sicuti confitens sacerdoti de licentia parochi satisfacit præcepto, quia idem est, ac si confiteretur parocho; confitens autem parocho satisfacit, vt ait *Conc;* ita confitens sacerdoti audienti confessiones de licentia Episcopi satisfacit præcepto; quia idem est, ac si confiteretur Episcopo, vel Papæ; constat autem, quòd confitens Episcopo, vel Papæ satisfacit; quia nullus magis proprius est sacerdos, quàm Episcopus, vel Papa, quibus principaliter commissæ sunt oues à Christo Domino. Præterea *Clem. V. in Conc. Vien;* & habetur *lib. 3. Clementin. de sepulturis tit. 7. c. 2. dudum* expressè habet, quòd Religiosi habentes potestatem à Papa, vel ab Episcopo possunt

sunt absolvere ab omnibus peccatis, à quibus possunt absoluere parochiales sacerdotes; idem statuit *Bon. f. VIII. super Cathedram.* Refert autem *Argent.* quòd cùm his non obstantibus *Ioannes de Polsaco Parisijs* docuisset, quòd absolutus per Religiosum priuilegiatum sine licentia parochi tenetur proprio sacerdoti eadem peccata confiteri; à Io. XXII. fuit personaliter accitus; & præscripto ei termino quatuor mésium ad se defendendum in publico Consistorio coram Papa, Cardinalibus, *& DD.* contra ipsum arguentibus publicè fuit conuictus. Post quod Papa decreuit, quòd qui confitetur peccata Religiosis per Apostolicam Sedem approbatis, non tenetur ampliùs eadem peccata confiteri; sed esse verè absolutum æquè, ac si parochiali sacerdoti confessus fuisset; & mandauit *eidem Io.* vt cùm *Parisios* fuisset reuersus, sententiam, quam priùs docuerat, coram Vniuersitate reuocaret; vt constat *ex Constitut. Vas electionis.* Neque obstat, quòd *Prou. 27.* parocho dicatur: *Diligenter agnosce vultum pecoris tui*; hoc enim dicitur parocho vel in propria persona; vel sacerdoti gerenti personam parochi; aliter hoc probaret etiam non posse sacerdotem simplicem, aut Religiosum de licentia parochi absoluere; si ei tantùm personaliter dictum fuisset, quòd audiret peccata suorum subditorum, & agnosceret vultum, seu conscientiam eorum per se, non per alios. Confessio itaque facienda est proprio sacerdoti potestatem vel ordinariam, vel delegatam habenti. Ex quo infertur non posse parochos cogere subditos, vt sibi confiteantur saltem in anno ad satisfaciendum præcepto; sed sufficere, vt cuilibet approbato ab Episcopo, vel *à Sancta Sede* confiteantur, à quo solùm possunt parochi exigere attestationem confessionis iam factæ; vt est praxis *Mediolanensis Ecclesia.*

§. 3.

An integra esse debeat confessio nedum omnium, & singulorum peccatorum, sed etiam circumstantiarum siue speciem mutantium, siue notabiliter aggrauantium?

38 NON est sermo de peccatis venialibus, quæ cùm non sint materia necessaria, ad integritatem essentialem, de qua tantùm *hic* loquimur, non pertinent. Integritas autem alia est materialis, qua pœnitens confitetur omnia peccata mortalia post baptismum commissa, & debitè non confessa ita, vt nullum pœnitens taceat. Alia formalis, qua confitetur peccata, quæ post diligens examen occurrunt; vel licèt occurrant; attamen manifestare pro eo tunc non tenetur propter graue damnum, quod inde potest emergere. Igitur omissio peccatorum, quæ post diligentem inquisitionem non occurrunt memoriæ, integritatem formalem non tollit; reputantur enim inuincibiliter, & ideo inculpabiliter oblita, quæ impossibile est confiteri; *& ad impossibile nemo tenetur.* Neque officit integritati omissio peccatorum, quæ, licèt sint in memoriæ prospectu, attamen manifestari non possunt sine graui damno vel sui, vel proximi; vt est mors, infamia &c. Quærimus itaque, an ad hoc, vt confessio sit valida, debeat esse formaliter integra ita, vt manifestentur peccata, & circumstantiæ speciem mutantes, vel illam notabiliter augentes; nam de circumstantijs parum augentibus constat *apud omnes DD.* integritatem formalem non tollere, vt quòd peccauerit quis die feriali, vel festo; quòd furatus sit diuiti decem, vel vndecim &c. modica enim mutatio leuis est, & inter leuia, atque adeò inter venialia reponitur.

39 *Vuicleff. apud Vualden. to. 2. de sacram; & Petr. Oxomen. apud Castrum lib. 4. cont. har. har. 1.* dixerunt ad integritatem formalem confessionis non requiri manifestationem peccatorum mortalium internorum, quæ actibus externis non complentur; vt sunt cogitationes iam deliberatæ per consensum; quia Ecclesia non iudicat de internis, & ideo interna, vt interna sunt, Ecclesiæ clauibus non sunt subijcienda. *Luther.* verò *apud Estium hic dist. 17. §. 9.* dixit peccata omnia non esse confitenda, præsertim occultissima; quia qui peccata omnia confitetur, nihil Diuinæ misericordiæ ignoscendum relinquit; tum quia impossibile reputat peccata omnia etiam mortalia confiteri.

40 Quoad circumstantias verò, quæ speciem peccati mutant; vt peccatum contra castitatem cum nupta constituit adulterium, quod specie distinguitur à simplici fornicatione, quæ committitur peccando cum muliere libera, & à stupro, quod committitur cum virgine &c; idem omnino ferendum iudicium, ac de peccatis secundùm suam quiditatem consideratis. Si enim ad integritatem confessionis requiritur, vt exprimantur peccata secundùm suam quiditatem, sequitur, quòd requiratur exprimendas esse circumstantias constituentes quiditatem ipsorum; vt sunt circumstantiæ speciem mutantes, quæ in diuersa specie illa constituunt. Propterea *Catholici omnes* docentes ad integritatem confessionis explicanda esse omnia, & singula peccata mortalia nedum in vniuersali, sed etiam in singulari, de quo *Fund. Doct. Æg. de Laud. Diuina Sap. c. 101. & Quodl. 2. q. 27;* consequenter asserunt confitendas esse circumstantias speciem mutantes. Quæ veritas definita fuit *à Trid. sess. 14. c. 5. & can. 7. cont. hæreticos* asserentes non esse explicandam, nisi circumstantiam illam: *Peccaui in fratrem.* Quoad circumstantias autem notabiliter aggrauantes dissidium fuit *inter Catholicos*; *aliqui* enim putarunt non esse de necessitate explicandas; vt *D. Bon. hic dist. 17. q. vlt. S. Antonin.*

3. p.

3.p.tit.14.c.19.§.7; *Albert; Dur; Paludan; Adrian; Nauarr; Io. Med; Tolet; Reginald; Vasq. hic q.91. art.1.dub.2; Val; Less. Lug. hic disp.16.sect.3.n.107; Diana, Bonac; Auersa, Brancat; Ponc; et Mastr. hic disp.5.q.18.art.1; et alij*. Cæteri verò docent esse necessariò aperiendas. *Altisiodor; Alen; Marsil; Angel; Maior, Syluest, Caiet; Sot; Can; Nugn; Suar; Henriquez, Fagundez, Sanch; Gonet apud nostrum Gibb. hic disp. 11. dub. 5*; qui illos sequitur. Idem tradit *Fund. Doct. de Laud. Diuinæ Sap. vbisup.* asserens: *Imò sic singulariter, et partibiliter debemus de quolibet peccato dolere etc*; constat autem, quòd circunstantia aggrauans est pars peccati, imò magna pars; vt mille aurei sunt maior, & maxima pars aggrauans furtum vnius aurei. Sequitur *Estius vbisup; Natalis Alex. hic c.5. art.6. §.1*; vbi *S. Thomam in 4. sent. hic* contrarium sententem ait iuuenem scripsisse; & si post *Conc. Trid.* scripsisset, sententiam retractasset. *Ex Scotistis Hiquæus, Faber, Aretin; et alij*. Propter hanc diuisionem Theologorum *Trid.* nihil de hoc voluit statuere; quanuis rationem tradens, quare manifestandæ sint circumstantiæ speciem mutantes in hanc sententiam propendere visum sit; eadem namque ratio, vt videbimus, probans de circumstantijs mutantibus concludit etiam de notabiliter aggrauantibus; propterea *Dominic. Sot*; qui *Trid.* interfuit, hanc sententiam post *Concilium* probauit, & docuit.

41 Vnica concl. Ad validitatem confessionis sacramentalis necessaria est integritas formalis illius ita, vt explicentur omnia peccata mortalia externa, & interna post baptismum commissa, & aliàs non confessa quoad speciem, & numerum; necnon quoad circumstantias speciem mutantes, & plurimùm, seu notabiliter aggrauantes.

Prob. 1. pars à *Fund. Doct. ex D. Greg. apud Mag.* asserente: *Quid prodest, si peccata luxuriæ quis defleat, & adhuc auaritiæ æstibus anhelat? &* ex lib; qui *S. P. Aug.* inscribitur, *de vera, & falsa pœnit. c.9. Quædam impietas infidelitatis est ab illo, qui iustus, & iustitia est, dimidiam sperare misericordiam; & S. Bern. serm. 11.* de diuersis: *Quid prodest partem peccatorum dicere, & partem celare; ex parte mundari, & ex parte deseruire?* Nam vnum peccatum nequit sine alio remitti; quia nequit homo esse simul iustus, & peccator; filius Dei, & filius iræ, peccatum enim non remittitur, nisi per gratiam iustificantem, quæ reddit hominem iustum, & Dei filium; qui talis esse nequit, si aliud habeat peccatum, per quod esset iniustus, & filius iræ; ex quo habetur gratiam cum peccato non posse componi; & ideo nec remissionem vnius peccati cum alio peccato non remisso; sed solùm per confessionem peccatum attritis remittitur, vt diximus; ergo ad validitatem confessionis requiritur integra manifestatio omnium, & singulorum peccatorum; valida enim confessio est, qua remittuntur peccata; in tantùm namque valida dicitur, in quantùm valet peccata remittere; sicut illa inualida est, quæ non valet peccata remittere. Quo *Trid. vbis. Sectariorum* errorem confutat asserens: *Dum omnia, quæ memoriæ occurrunt, peccata Christifideles confiteri student, procul dubio omnia Diuinæ misericordiæ ignoscenda exponunt. Qui verò secus faciunt, & scienter aliqua retinent, nihil Diuinæ bonitati per sacerdotem remittendum proponunt.* Etenim illud solùm, quod sacerdoti per confessionem remittendum exponitur, misericordiæ Dei ignoscendum proponitur; remissio namque, quæ fit in sacramento pænitentiæ, est per modum iudicij, quod essentialiter exigit accusationem delicti, & cognitionem eiusdem habitam à Iudice, qui est sacerdos, vt sciat pœnam ei infligendam; sed reticens aliquod in confessione peccatum illud non exponit sacerdoti remittendum; vnum enim nequit sine alio remitti; ergo nihil misericordiæ Dei ignoscendum proponit. Prosequitur *Conc. Si enim erubescat ægrotus vulnus medico detegere; quod ignorat, medicina non curat.* Nam medicus ea vulnera nequit curare, quæ sunt ei tecta, & occulta; nisi enim detegantur, medicina illis applicari non potest; sed peccata sunt animæ vulnera; & medicus spiritualis sacerdos; sic enim appellatur *in scripturis*; vt *Hierem. 30. A vulneribus tuis sanabo te; & Luc. 10. Appropians alligauit vulnera eius*; quæ verba dicta sunt de sacerdote in persona *Samaritani* figurato in sacramento pœnitentiæ remittente peccata, vt docet *S. P. Aug. serm. 2. de verb. Apost*; ergo peccata, quæ sacerdoti sunt tecta, & occulta, idèst non confessa; non sanantur, seu non remittuntur; quia vel omnia simul remittuntur; vel nullum remittitur; cùm remissio fiat per gratiam, quæ cum nullo peccato potest coniungi; & ideo vel omnia, vel nullum remittit. Præterea in tantùm corporalis medicina potest vnum vulnus detectum alio non sanato, & detecto sanare; in quantùm nec medicina tribuit simpliciter corpori vitam, sed conseruat tantùmmodo; nec quodlibet vulnus est corporis mors; nam si sic esset; non posset medicina vnum vulnus sine alio sanare; aliter vita, quam corpori infenderet vnum vulnus sanando, coniungeretur cũ morte corporis, quam aliud vulnus inferret; sed per sacramentum pœnitentiæ infunditur gratia, quæ est vita simpliciter animæ; & quodlibet peccatum est simpliciter animæ mors; ergo per sacramentum pœnitentiæ nequit vnum peccatum alio non dimisso dimitti; aliter mors animæ coniungeretur cum animæ vita; quod non minùs repugnat, quàm corporis mortem cum eiusdem corporis vita coniungi. Atqui in sacramento peccatum per confessionem dimittitur; sicut vulnus per solam ostensionem medico factam sanatur; vt habetur *Luc. 10. de decem leprosis*, quibus Christus Dominus dixit: *Ite, ostendite vos sacer-*

doti-

dotibus; quibus verbis confessionem peccatoribus necessariam esse indixit, & à quo *textu* fuit hæc similitudo medicinæ, qua vtitur *Conc*; desumpta, quàm priùs desumpserat *Lat. c. omnis vtriusque sexus*; ergo confessio omnium, & singulorum peccatorum necessaria est ad remissionem eorum. Idem dicendum de iudicio humano, in quo quia non infunditur iustitia simpliciter, ideo potest vnum delictum alio non punito, aut remisso puniri, aut remitti; aliter iustitia simpliciter simul cum iniustitia maneret, quod pugnat. At in sacramento penitentiæ infunditur gratia, quæ est iustitia simpliciter; ideo nequit stare cum peccato, quod est iniustitia. Sic euertitur *Aduersariorum* eufugium.

42 Pergit *Conc. Colligitur præterea eas circunstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant; quòd sine illis peccata ipsa neque à pœnitentibus integrè exponantur, nec iudicibus innotescant; & fieri nequeat, vt de criminum grauitate rectè censere possint, & pœnam, quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere*. Igitur peccata ipsa, vt remittantur, debent in confessione aperiri; sed nisi explicentur circunstantiæ speciem mutantes, non aperiuntur in confessione peccata ipsa; ergo in ipsa non remittuntur. Ma. constat; quia sicuti si vulnus ipsum non ostenderetur medico, non sanaretur; & si delictum non manifestaretur iudici, non puniretur; sed illud solùm, quod ostenderetur, aut accusaretur, sanaretur, aut puniretur; non autem illud, quod non ostenderetur, aut accusaretur; ita si non ipsa, sed alia peccata aperirentur, ipsa peccata nõ remitterentur; quia non explicarentur, quæ sunt remittenda, sed alia, quæ non sunt remittenda; & ideo nihil remitteretur. Prob. mi. Si circunstantia mutans speciem taceretur, non aperiretur illud peccatum, quod fuit commissum, sed aliud; quia tacens se occidisse sacerdotem non explicaret se commisisse sacrilegium, sed proferret solùm se patrasse homicidium simplex, quod est aliud à sacrilegio; ergo nisi explicentur circunstantiæ variantes speciem peccati, non aperiuntur in confessione ipsa peccata, quæ fuerunt commissa. Item nisi explicetur circunstantia varians speciem morbi; nequit medicus illam sanare, sic enim ægrotus celaret speciem morbi, quam habet, licèt detegeret morbum, quem non habet; & idem dicendum de iudice; ergo à pari.

43 Prob. 2. pars *ex libro* inscripto *S. P. Aug. de vera, & falsa pænit. c. 14*; & refertur *de pænit. dist. 5. c. consideret*; *& lib. 2. de visitat. infirmor. c. 2. Plus est homines occidisse, quàm hominem &c. Celeriorem consequitur veniam, quod ex necessitate accidit* (scilicet infirmitate, quia quod accidit ex necessitate simpliciter, peccatum non est, quod non est, nisi voluntarium; & ideo venia non eget) *quàm quod ex voluntate*; idèst ex malitia. *Hæc omnia si taceantur, vel callidè pallientur, animam iugulant*. Sed occisio plurium hominum vno ictu facta; sicut peccatum ex malitia est circunstantia aggrauans notabiliter intra eandem speciem peccati; ergo hæc est in confessione aperienda. Præterea, in tantùm per *Trid.* circunstantiæ variantes sunt explicandæ; in quantùm grauitas criminum & pęna infligenda sacerdotibus, tanquam iudicibus, innotescere debent; sed hæc ratio probat etiam de circumstantijs plurimùm, seu notabiliter variantibus; notabiliter enim grauius est furtum decem millium aureorum, quàm vnius aurei tantùm, & maior pęna est imponenda; sic occisio mille hominum vna actione occisorum, quàm vnius hominis tantùm; ergo etiam istæ sunt aperiendæ. Ideo *Cathechismus Concilij p. 2. de pænit.* §. 63. id clarè docet: *Si quis aureum nummum furetur, leuiùs omnino peccat, quàm is, qui centum, vel ducentos, vel ingentem aliquam auri vim, præsertim verò qui sacram pecuniam abstulit. Quæ etiam ratio ad locum, & tempus pertinet. Hæc igitur enumeranda sunt. Quæ verò paruitatem rei magnoperè non augent, sine crimine omitti possunt*. Idem habet *Lat. vbi* mandans sacerdoti, vt diligenter Inquirat peccatoris, & peccati circunstantias; vt debitam pęnitentiam imponat; *& S. Carol. Borrom. in instit. Confessorum à IV. Syn. Prou. Mediolan.* approbatis ait: *Circunstantias peccati speciem mutantes, aut augentes* debere sciri à Confessario. *Nam hæ duæ circunstantiarum species debent necessariò explicari*. Præthereà consuetudo peccandi est circunstantia notabiliter augens, non mutans speciem peccati; vt constat; sed hæc necessariò est aperienda; vt definiuit *Innoc. XI. in 65. proposit. prop. 58*, quæ asserebat: *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicuius consuetudinem*; ergo circunstantia notabiliter aggrauans in confessione est aperienda.

44 Ad obiectionem *hæreticorum* cont. 1. part. concl. iam responsum est *sup*; nam licèt peccata interna, vt interna sunt, Ecclesiæ clauibus non sint subiecta; attamen, vt ab illis peccator soluatur, per confessionem externam sunt externè manifestanda, & Ecclesiæ clauibus sunt subijcienda, aliter remitti non possunt. Vnde ex hoc arguitur potiùs oppositum, quàm propositum; scilicet esse externè confitenda, vt remittantur.

45 Obijc. vlteriùs cont. eandem. Potest quis absolui ab vna excommunicatione sine alia; ergo & ab vno peccato sine alio 2. Ecclesia dispensat in integritate confessionis, vt patet in infirmo, & existente in periculo mortis; ergo integra peccatorum confessio non est de necessitate sacramenti. 3. Peccata oblita non sunt confitenda, ergo idem. 4. Potest dari confessio informis, & valida, qua vnum peccatum explicatur sine alio inuincibiliter ignorato, & ideo non detestato; ergo idem.

Resp. ad 1. neg. consꝗ; absolutio enim ab excommunicatione non fit per infusionem gratiæ iustifi-

iustificantis, sicut fit remissio peccati; ideo illa, non ista potest stare simul cum peccato. Ad 2. neg. ant, Ecclesia enim non dispensat, sed tantùm declarat, quòd cùm impossibilis est integra peccatorum confessio, quia *ad impossibile nemo tenetur*; tunc sufficit vnum, vel alterum confiteri, vel voce, vel signis, & nutibus doloris interni, & detestationis omnium peccatorum; & sic dist. conf. Quando est possibilis, neg; quando impossibilis, conc. Ad 3. neg. conf; docet enim *Trid*; quòd oblita *in vniuersum eadem confessione inclusa esse intelliguntur; pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: Ab occultis meis munda me, Domine*. Sicut enim, cùm impossibilis est confessio externa, sufficit confessio in voto ad obtinendam remissionem peccatorum; ita cùm est impossibilis confessio peccatorum oblitorum inuincibiliter, sufficit votum illa confitendi, si memoriæ obuenirent. Igitur quemadmodū impossibilitas confitēdi oblita excusat; ita impossibilitas confitendi, quę occurrunt, non obligat. Ad 4. omisso ant; de quo *in seq*. § neg. consinam peccatum inuincibiliter ignoratum est inuincibiliter oblitum, vel inter oblita numeratur; ideo eodem modo de ipso est loquendum.

46 Obijc. cont. 2. part. 1. *Trid*. ait explicanda esse peccata, & circumstantias speciem variantes; *& nihil aliud à pœnitentibus exigitur*; ergo apertè statuit circumstantias aggrauantes non esse necessariò explicandas. 2. *Cum Mast*. Non est imponenda obligatio onerosa, sicut ista; nisi constet de præcepto eam imponente; quia lex non obligat, nisi promulgata; imò in dubio legis latæ lex non obligat; est enim interpretanda contra eum, qui potuit clarè exprimere, & non expressit; sed nullum *ex Scriptura*; aut ex sensu Ecclesiæ, cuius est interpretari ius Diuinum, extat præceptum explicandi circumstantias aggrauantes; ergo non obligamur. 3. Hoc sacramentum ex vi suæ institutionis habet solùm remittere peccata; ergo sola peccata sunt explicanda; sed circumstantia aggrauans non est peccatum distinctum; ergo non est explicanda. 4. Non est explicanda circumstantia leuiter, vel mediocriter aggrauans, vel notabiliter diminuens; ergo nec notabiliter; quia non minùs necesse est, vt sacerdos sciat circumstantias mediocriter aggrauantes, vt congruentem pœnitentiam imponat, quàm notabiliter aggrauantes; ex quo patet infirmam esse rationem *ex Trid*. deductam. 5. Peccatum mortaliter aggrauatur per nimiam persistentiam in illo, & per grauem intensionem actus; & tamen pœnitens non tenetur explicare has circumstantias; ergo idem.

Resp. ad 1. perperam applicari verba *Trid*; non enim definit nihil aliud exigi, quàm vt pœnitens numerum peccatorum, & circumstantias speciem mutantes confiteatur; ab ipso enim *Conc*. applicantur verbis sequentibus, scilicet: *Nihil aliud à pœnitentibus exigi, quàm, vt postquam quisque diligenter se excusserit, & conscientiæ suæ sinus omnes, & latebras explorauerit, vt peccata confiteatur, quibus se Dominum, ac Deum suum offendisse meminerit; reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in vniuersum eadem confessione inclusa esse intelliguntur*. Docet ergo nihil aliud exigi, quàm, vt peccata, quorum recordatur, confiteatur, non autem occulta, & oblita; quæ impossibile est confiteri, quia occulta sunt. Constat autem pœnitentem posse recordari nedum circumstantias speciem mutantes, sed etiam notabiliter aggrauantes, si exactè peccata sua examinauerit; ergo exigitur nedum illas, sed etiam istas *ex hoc textu* esse confitendas; ex quo patet malè trahi *Conc*. contra nos. Neg. ergo ant. Ad 2. neg. mi; constat enim *ex Isaiæ 38. Recogitabo tibi omnes annos meos*; idèst omnia peccata omnibus annis vitæ meæ commissa; & *ex Trid. Omnia, & singula peccata esse explicanda*, vt congruens pœnitentia imponatur, quæ nequit imponi, nisi explicentur circumstantiæ notabiliter aggrauantes, vt diximus. Præterea ma; quanuis concedi possit de lege humana, quæ, cùm est dubia, interpretari potest contra hominem legislatorem; non tamen concedenda est de lege Diuina, quam nemo diceret interpretandam esse contra Deum, qui eam tulit. Vnde in dubio legis Diuinæ magis standum est sententiæ, quæ fauet præcepto, quia sic in tuto ponitur conscientia; quàm sententiæ, quæ est contra præceptum; sic enim exponitur periculo transgressionis præcepti. Ad 3. dist. ant. Habet remittere peccata integrè, conc; non integrè, neg; & sic dist. conf. Quanuis ergo circumstantia non constituat peccatum distinctum; quia tamen integrat notabiliter, ideo est explicanda. Ad 4. neg. 2. pars ant; in tantùm enim circumstantia leuiter, vel mediocriter augens non est explicanda; in quātùm *parum reputatur pro nihilo*; vnde circumstantia parum augens reputatur pro non augente. At circumstantia notabiliter diminuens plurimùm diminuit; ideo est explicanda ad hoc, vt sacerdos sciat remedium, & pœnam illi imponendàm; vnde si quis ob grauem metum mortis adulterium committeret, explicare deberet; aliter non haberetur cognitio notabilis grauitatis peccati; vt vult *Trid*; leuis autem, & mediocris grauitas pro non grauitate reputatur; ideo etiā si non explicetur, competens pęna à sacerdote censetur imponi; pœna enim paulò maior, vel minor competens semper censetur. Ad 5. dist. 2. p. ant. Per quancunque nimiam persistentiam, & quancunque grauem intensionem actus, neg; persistentia enim toto tempore, quo non tenetur confiteri, non aggrauat notabiliter; si non gaudeat continuò de peccato; & si gaudeat, tunc ille actus alijs actibus disparatis interrumpitur, quanuis non retractetur; & sic est nouum peccatum,

tum,quod est explicandum. Ita intensio peccati, quæ cessat consummato peccato, non auget notabiliter peccatũ;at illa,quæ durat etiam post consummatum peccatum, & nouis actibus externis exercetur; vt cùm quis occiso inimico sæuit in mortuum adhuc feriendo; notabiliter aggrauat, & est explicanda.

47 Quæres; an ad integritatem confessionis exigatur, vt peccata mortalia dubia, idèst de quibus quis dubitat, an illa commiserit; vel an sint mortalia, sint explicanda?

Resp.*cum D.Tho.in 4.dist.21.q.1. art. 3. ad 3.*peccata mortalia dubia esse confitenda sub dubio, non sub certitudine; quia in dubio tutior pars est eligenda, vt conscientia in tuto ponatur. Si autem post confessionem certò cognouerit se peccatum illud patrasse ad iterum confitendum teneri asserunt *aliqui*; quia materia dubia transit in necessariam. *Alij* autem negant; quia fuerunt clauibus Ecclesiæ subiecta, & verè deleta; ideo iterum non sunt subijcienda; sicut oblita, quæ fuerunt solùm in vniuersali subiecta; & ideo sunt subijcienda in particulari; & aliunde materia iam deleta necessaria nequit euadere. At cùm dubium importet intellectum æqua lance ex vtraque parte suspensum; & tamen obliget ad confitendum; multò magis hoc dicendum de eo, qui magis propendet in partem affirmatiuam; tunc enim habet maiorem probabilitatem, & pars probabilior in sacramentis præcipuè est eligenda; vt definiuit *Innoc.XI.* Si verò potiùs censeat se illud non commisisse, & grauioribus rationibus, ac coniecturis ducatur, oppositum est sustinendum.

48 Collig. ex dictis pœnitentem ab integritate confessionis excusari. 1. Cùm peccatum est inuincibiliter oblitum. 2. Cùm aliqua impotentia confessionem impossibilitat;vel est periculum moriendi sine absolutione, vt tempore pestis, belli, naufragij, vel morbi. 3. Cùm graue malum, aut damnum potest oriri. 4. Cùm pęnitens habet aliqua peccata reseruata, & non potest ab inferiori ab omnibus absolui; tunc enim mittendus est ad superiorem, cui sola reseruata confiteri tenetur, cùm omnia semel inferiori confessus fuerit,& ab istis fuit absolutus cũ obligatione tamen se præsentandi superiori. 5. Cùm ex confessione frangitur sigillum confessionis. Sed de hoc *inf.* Si tamen pęnitens loquela priuatus nullum signum externum dedisset, absolutionis capax non est; quia materia cuiusuis sacramenti debet esse sensibilis, vel sensibiliter manifestari; secus, si dederit signum etiam absente sacerdote, qui attestantibus, qui erant pręsentes, absolutionem debet impendere.

49 Collig. 2. pęnitentem, quoties non potest explicare circumstantias mutantes speciem, vel notabiliter aggrauantes, nisi manifestet personam complicis; vt quòd coiuerit cum matre, cum vnica sorore, quam habet; tunc teneri manifestare complicem ita tamen, vt Confessarius personam in particulari non agnoscat; quapropter tenetur pęnitens quærere confessarium, cui ipse, & mater, aut soror sit ignota; tenetur enim iure naturæ seruare famam proximi. Si autem non adsit copia alterius sacerdotis, & adsit graue periculum vel infamiæ, vel damni, potest illam tacere in confessione cum proposito illam confitendi alteri sacerdoti. Secus, si nullum adsit tale periculum; quod debet esse graue, non leue. *Ita D.Tho.opusc.12. D.Bon; D.Antonin; Adrian; Dur; Vasq; Sua; Bonac; & alij apud Gibb. disp. 11. dub. 6*; quamuis *aliqui*, inter quos *Diana, Nauarr; Viguer; Ledesma, Valent;* censeant pęnitentem, quando non timet aliquod graue damnum sibi, vel complici, vel sacerdoti, sed tantùm timet, quòd complex infamiam incurrat apud solum Confessarium, non tenetur illum reuelare. Ratio est; quia fama præponderat diuitijs iuxta illud: *Valet plus bonum nomen, quàm diuitiæ multæ*; ergo si non licet, cùm imminet graue damnum in diuitijs, multò minùs licebit, cùm ingruit malum infamiæ. Nec dissentit S.*Thoma*m *in 4.dist.17.q.3. a.3.quæstiunc.4. ad 5.* docet, quòd cùm periculum est infamiæ, petere debet pęnitens à superiore licentiam confitendi alteri sacerdoti, cui non innotescat in singulari persona complicis. Quidquid dicat *noster Gibb; vbi sup*; qui huius contrarium tenet; cuius argumenta valent tantùm casu, quo pęnitens alteri confiteri non posset, vt in casu mortis. Præterea falsum est, quòd asserit, seruare honorem, & famam proximi esse tantùm de iure naturæ; est enim etiam de iure Diuino; quia ius naturæ cõditum est à conditore naturæ, qui solus Deus est; & vt testatur *D. Tho. vbi sup.* præceptum est etiam *Matth.* 18. Igitur sola illa peccata, quæ complicem infamare non possunt, sunt manifestanda Confessario, qui nouit personam complicis. Quando autem manifestatio complicis non est necessaria ad explicandam circumstantiam mutantem speciem, vel notabiliter aggrauantem; tunc nec Confessarius potest illam inquirere à pęnitente; vetitum enim est *in Syn. Parisien. sub Odone; & Syn. Baiacen. c. 82. anno 1300. et Lingonien. 1404. et Senonen. 1524. et Carnoten. 1526; & in Synodalibus statutis Ecclesię Trecen; et Siffridi Archiep. Colonien. apud Natal. Alex. hic c.5. reg.25*; & colligitur *ex S. Leone Ep. ep. 80. ad Episcopos Campaniæ*. Pęnitens autem interrogatus à Confessario, & reuelans peccat; quia transgreditur præceptum naturale, & Diuinum; ex quo sequitur grauiùs peccare Confessarium, qui pęnitentem ad peccandum inducit. Nec zelus corrigendi complicem excusat; sicuti non excusaret, si interrogaret pœnitentem, an sciret peccata alterius etiam non complicis ob motiuum correctionis illius. Tandem si pęnitens reuelet complicem citra graue damnum illius, & det licentiam sacerdoti, vt indicet superiori ad

hoc,

hoc, vt illum corrigat; tunc sacerdos potest solùm indicare tanquam Patri, non tanquam iudici; & superior nequit illum punire, sed tantùm corrigere. Hæc tamen licentia dari non debet faciliter, ne scandalum reuelationis sigilli oriatur; & cùm datur, potiùs debet esse reuelatio periculi, quòd peccatum futurum immineat, sic enim complex non magnam notam incurrit; vt v.g. quòd complex videtur tentari ad peccatum; sic enim superior potest cauere, ne peccet in posterum, & corrigere, vt emendet intentionem peccandi; non autem, quòd peccatum secutum iam sit; sic namque magnam infamiam incurreret complex; & nonnisi scandalum oriretur; nec quidquam aliud præter correctionem in futurum, & pœnitentiam de actu commisso, posset sperari; quòd haberetur etiam primo modo reuelando; emendans enim intentionem, qua peccauit, pœnitentiam ageret; & aliunde graue scandalum, aut nota non oriretur. Superior autem, cui reuelatum fuit aliquod, strictissimè tenetur seruare sigillum; ideo per se, non per alium debet corrigere.

§. 4.

An dari possit confessio valida, & informis?

50 Validum tunc est sacramentum, quando constat ex materia, & forma debita, intentione ministri, & recipientis. Tunc verò est informe, non quidem, quando caret forma, quæ est pars sacramenti; sic enim est inualidum; sed quando caret gratia, quæ est effectus à sacramento in suscipiente productus; & quæ est forma supernaturalis vitam animæ inducens. Sicut ergo diximus *de sacram. in com. q.6. art.2.* posse dari baptismum, & alia sacramenta valida, & informia excepta eucharistia; ita quærimus, quid sit dicendum de pœnitentia? Ratio autem dubitandi est; quia cùm contritio, vel attritio sit materia huius sacramenti; & attritio sit sufficiens ad causandam gratiam in sacramento; ideo sicuti carentia attritionis sacramentum inualidat, quia deest materia, sine qua sacramentum inualidum est; ita positio attritionis debitæ causat gratiam, cum qua formatum est sacramentum. Ex quo sequitur non posse dari sacramentum pœnitentiæ validum, & informe; quia per id, per quod validatur, formatur; & per carentiam illius, per quam non formatur, inualidatur.

51 Prima sententia vult posse dari confessionem sacramentalem validam, & informem. Refertur *D.Tho.in 4.dist.17.q.3.art.4. quæstiunc. 1; Capr; Palud; Caiet; Sot; Can; Ledesm; Ric; Sua;* qui illos refert; *& Henriq; Tolet; Diana, Lug; Nugn; Io.à S.Tho; apud nostrum Gibb;* qui illos sequitur. Item *Val; Auersa, Bonac; Aretin; & alij apud Mastr.*

Mag. Frideric. Nic. Ganardi Tom.6.

52 Secunda negat posse dari confessionem validam, & informem. *Ita Gabr; Maior, Adrian; Io. Med; Veg; Sylvius, Vasq; Coninch; Amic; Fagundez, Layman; Turian; Sà, & ex Scotistis Ponc; Laurea apud Mastr;* qui illos sequitur *hic disp.5.q.14.* Hæc videtur *Fund. Doct.* sententia *Quodl.2.q.28;* vbi docet pœnitentiam semper absoluere à culpa, roborare animam, eamque cum Deo reconciliare, & cum Ecclesia militante, ac triumphante. Si autem posset dari sacramentum pœnitentiæ validum, & informe; non semper absolueret à culpa, nec roboraret, quia roborario fit per gratiam; nec semper reconciliaret &c. Hinc quia potest dari baptismus validus, & informis; ideo non ait semper absoluere ab originali, sed simpliciter absoluere absque eo, quòd addat aduerbium semper. Item *de Renunc. Papæ c.24.p.2.* docet baptismum causare gratiam recedente fictione, & ideo esse validum, & informem; quia independenter à dispositione ad recipiendam gratiam causat caracterem; at hoc de pœnitentia dici nequit, quæ independenter ab attritione, quæ disponit ad gratiam, nullum prorsus producit effectum; & sine illa nedum informe, sed etiam inualidum est; quia est sine materia necessaria ad validitatem illius; ex quo sumitur validissima ratio, vt *inf.*

53 Sed angor *Aduersariorum* est in assignando casu, in quo confessio sit informis, & valida; etenim *hic Rhodus, hic salta*. *Aliqui* asserunt hoc contingere ob defectum sufficientis examinis, quod tamen putant esse sufficiens ex ignorantia inuincibili, vel vincibili, non tamen crassa, aut affectata. Sed refelluntur *ab alijs*; quia vel examen est ex ignorantia inuincibili, & ideo inculpabili; & hoc sufficit ad recipiendam gratiam supposita attritione debita; nihil enim aliud requirit *Trid;* nec poterat requirere; nam quod ignoratur inuincibiliter, nequit vllo studio, aut diligentia sciri; atque adeò impossibile est, quòd in confessione explicetur; & per consequens non est necessarium ad recipiendam gratiam, quæ etiam sine illo recipi potest; aliter etiam peccata inuincibiliter oblita impedirent gratiæ receptionem, quod est *cont. Trid.* Vel est ex ignorantia vincibili, & ideo culpabili; & sic non sufficit ad sacramentum, ad quod prærequiritur diligens, & tale examen, *quo omnes conscientiæ sinus, & latebras explorauerit;* vt statuit *Conc;* hoc autem nequit stare cum ignorantia vincibili, vt constat; quia per inquisitionem omnium eorum, quæ latent in conscientia, vincitur omnis ignorantia; & ideo remanet solùm ignorantia inuincibilis, quæ respicit peccata oblita.

Alij asserunt hoc contingere defectu doloris; & diuisi sunt. Nam *aliqui* putant ad sacramentum pœnitentiæ sufficere dolorem naturalem, qui tamen non sufficit ad gratiæ receptionem; & sic accedens cum dolore naturali recipit validum sacramentum, & informe, quia

gratiam non recipit. Sed refelluntur; quia dolor ad sacramentum exactus *à Trid.* debet esse *donum Dei, & impulsus Spiritus Sancti*; vt docet *c.4*; & ad plenam, perfectamque peccatorum remissionem ex Dei institutione requiritur; vt docet *c.3*; dolor autem naturalis nec est dispositio ad gratiam, vt contendebat *Pelagius*; & ideo neque ad remissionem peccatorum, quæ fit per gratiam formaliter; nec est impulsus Spiritus S. mouentis, & excitantis in Deum, vt gratiæ Auctorem; ideo non est dispositio ad validitatem sacramenti requisita. *Ledesm; Nugn; & Ioan. à S. Tho.* volunt contingere, cùm dolor excludit quidem formale, sed non virtuale propositum peccandi; quamuis pœnitens existimet excludere vtrumque. Sed reijciuntur; nam dolor ad hoc sacramentum requisitus debet excludere omnem voluntatem peccandi *ex Conc*; sed dolor excludens tantùm propositum formale, non virtuale peccandi non excludit omnem voluntatem peccandi, vt constat; ergo non est dolor requisitus *à Trid.* Tum quia dolor requisitus ad iustificationem disponit in sacramento, sed dolor includens propositum virtuale peccandi neque in sacramento, neque extra sacramentum ad iustificationem disponit; sed potiùs impedit; quia propositum virtuale peccandi est obex ad gratiam recipiendam; ergo idem. Tandem quia vt diximus *superiùs*, talis dolor-putatus, vt sufficiens, si re vera non sufficiat, non est dispositio sufficiens ad recipiendam gratiam in sacramento; quia sicuti non requiritur attritio putata contritio; ita attritio putata, quæ non est vera attritio, non sufficit; quemadmodum aqua existimata, quæ tamen non est aqua, non est sufficiens materia baptismi; & sic de alijs sacramentis; ita dicendum de attritione, seu dolore, qui est materia pœnitentiæ; ergo idem. *Alij* aiunt euenire, cùm dolor est inefficax vel quoad propositum peccandi, vel quoad detestationem peccati. Sed contra est; quia dolor ad validitatem sacramenti *à Trid.* exactus debet excludere omnem voluntatem peccandi, & debet absolutè detestari peccatum; imò talis debet esse, vt absque vllo alio actu perducat in sacramento ad recipiendam gratiam iustificantem; ergo debet esse dolor absolutus, & efficax; & quicunque alius sacramentum reddit inualidum. *Alij* volunt cõtingere, quando dolor est ita intensiuè imperfectus, vt nequeat effectum sacramenti, nẽpe gratiam, causare. Sed hoc etiam exploditur; quia dolor, vt dicebamus, *à Trid.* ad validitatem sacramenti requisitus debet esse talis, vt immediatè, proximè, & vltimatè disponat ad recipiendam gratiam iustificantem in sacramento; quamuis extra sacramentum ad obtinendam Dei gratiam non sufficiat; ergo si sit ita intensiuè imperfectus, vt nequeat gratiam in sacramento producere; non est dispositio ad sacramentum exacta; atque adeò sacramentũ reddit inualidũ.

54 Tandem *Sua; Lug; Fillinc; Caspen; Gonet, Gibb; & alij magis communiter* volunt tunc esse sacramentum validum, & informe, quando dolor est imperfectus extensiuè, quia non extenditur vniuersaliter ad detestanda omnia peccata commissa, sed tantùm aliqua, quæ occurrunt, non autem illa, quæ inuincibiliter ignorantur etiam post diligens, & sufficiens eorum examen; & dolor inculpabiliter putatur esse de omnibus peccatis commissis; reipsa autem est tantùm de aliquibus; vt cùm pœnitens post sufficiens examen recordatur tantùm decem peccatorum, & de singulis habet dolorem supernaturalem ex particularibus eorum fœditatibus conceptum; & non ex motiuo omnibus peccatis communi; & inculpabiliter ignorat aliud peccatum commissum, quod habet turpitudinem specie diuersam, ad quam non extenditur ille dolor, quia inuincibiliter ignoratur. Sed hoc etiam refellitur manifestè *ex Trid. c. 5.* asserente: *Reliqua autem peccata, quæ diligenter excogitanti non occurrunt, in vniuersum eadem confessione inclusa esse intelliguntur; pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: Ab occultis meis munda me Domine.* Ex quo deducitur, quòd dolor *à Conc.* requisitus ad validitatem sacramenti debet extendi nedum ad peccata, quæ occurrunt, sed etiam ad oblita; sicut enim confessio, quæ requiritur ad validitatem sacramenti debet esse de peccatis, quæ occurrunt, & debet includere peccata oblita; quia pœnitens ita debet confiteri, quæ recordatur, vt sit paratus confiteri etiam alia, si recordaretur, propter quod dicitur virtualiter includi in ipsa etiam oblita; ita dolor ad validitatem sacramenti requisitus debet esse de peccatis, quæ occurrunt; & debet includere etiam oblita; quia debet esse ita dispositus, vt si recordaretur eorum, de illis quoque doleret; propter quod virtualiter etiam ad illa debet extendi; ergo si ille dolor non extenderetur formaliter, vel saltem virtualiter etiam ad oblita, inualidum esset sacramentum, & informe; si verò extendatur saltem virtualiter, validum est, & formatum.

55 *Alij* verò concedunt sacramentum non posse esse validum, & informe ob defectum examinis, aut doloris, hæc enim sunt de substantia sacramenti, quæ si deficiat, sacramentum inualidat; sed omninò extrinsecè defectu fidei, quæ essentialiter ad iustificationem requiritur; cùm fides *ex Trid. sit iustificationis initium*. Ponunt autem hunc casum. Rapiatur à pyratis infidelibus puer iam baptizatus nedum rationis, sed & loquelæ expers; deferatur in terras infidelium; factus adultus cognoscat se esse baptizatum, & raptum; audiat missionarium, à quo edoceatur peccata post baptismum commissa esse confitenda; & dum incipit edoceri mysterium Trinitatis, & incarnationis, sine quorum fide explicita nequit iustificari; postquam

quam edoctus fuit personam Patris, & Filij, antequam instruatur de persona Spiritus Sancti, occidatur missionarius; habens postea copiam confessarij confiteatur sua peccata cum dolore, & examine debito; nec confessarius ipsum interrogat de mysterio Trinitatis; quia supponit ipsum sufficienter instructum; tunc sacramentum est validum, quia pœnitens nullum obicem ponit; atque adeò non deest materia, & forma; cuius defectus solùm inualidare potest sacramentum; & tamen est informe defectu fidei, sine qua nemo potest iustificari. Sed hic etiam casus inutilis est; nam actus fidei in Deum est dispositio necessaria ad baptismum adulti, vt statuit *Trid. seß. 6. c. 6;* sine qua inualidus est baptismus; quamuis enim paruuli rationis expertes actum fidei in se ipsis nequeant habere; attamen vt *ex S. P. P. August.* colligit *Fund. Doct. de Renunc. Papæ vbi s;* debent credere per parentes, vt qui peccarunt in alio, per alterius fidem etiam in baptismo mundentur; adulti verò, quia sunt capaces rationis, qua possunt actum fidei elicere, per illum necessariò ad baptismum debent disponi; ergo multò magis ad pœnitentiam requiritur dispositio actus fidei, quia pœnitentia est secundus baptismus, & magis laboriosus, ideo plures, & à fortiori dispositiones requirit. Tum quia pœnitentia supponit baptismum, & baptismus fidem; ergo pœnitentia supponit fidem, per quam pœnitens disponitur ad spem, & charitatem saltem imperfectam, quam diximus necessariam esse ad validitatem baptismi; vel saltem ad spem in aliorum sententia, quam nullus negat ad sacramentum pœnitentiæ requiri. Itaque attritio, quæ est dispositio, qua peccator immediatè, & vltimatè ad sacramentum disponitur, & sine qua validum non est sacramentum, quia est materia sacramenti; debet esse talis, vt per se ad impetrandam iustificationem in sacramento disponat; vt statuit *Trid; seß. 14. c. 4;* sed attritio sine fide in Deum trinum non est talis; quia, vt ex Apost. docet *idem Conc. seß. 6. c. 8; sine fide impoßibile est placere Deo, & ad filiorum eius consortium peruenire;* atque adcò ad iustificationem in sacramento, per quam filij Dei constituimur, necessarius est actus fidei; quamuis enim sola fides non iustificet; vt docet *seß. 13. can. 11; & seß. 6. c. 7;* attamen sine ipsa iustificatio nequit haberi; implicat enim, quòd habeatur terminus sine initio; & idem *Apost. ad Gal. 5;* quòd *fides, quæ per dilectionem operatur, iustificat;* quod clarè explicat *S. P. Aug. de spir. & lit. c. 32;* ergo attritio, quæ est materia sacramenti pœnitentiæ, nequit esse sine fide in Deum. Atqui in casu posito illa attritio esset sine fide necessariò exacta ad iustificationem, quia fides explicita Trinitatis in lege Euangelica necessariò exigitur; ergo non esset materia debita sacramenti; & per consequens inualidum esset sacramentum. Præterea ignorantia iuris inualidat sacramentum, *nam ignorantia iuris non excusat, quia ipsa peccatum est; sed ignorantia facti excusat;* vt docet *D. Tho. in 4. dist. 21. q. 11. art. 11. ad 4;* ideo peccata confessa in confessione non integra ob ignorantiam iuris in alia confessione sunt iterum confitenda; peccata verò confessa in confessione non integra ob ignorantiam facti, non sunt peccata oblita, non sunt iterum confitenda, at sola peccata oblita, cùm occurrunt, sunt confitenda; sed in casu posito est ignorantia iuris Diuini; habetur enim explicitè *in omnibus symbolis* fides Trinitatis; ergo in casu posito est inualidum sacramentum. *His reiectis.*

56 Vnica concl. Sacramentum pœnitentiæ, siue confessio sacramentalis nequit esse informis, & valida.

Prob. 1. Illud sacramentum, cuius materia nequit stare cum obice ad recipiendam gratiam ex parte suscipientis, nequit esse validum, & informe; sed pœnitentia est huiusmodi; ergo nequit esse informis, & valida. Ma. constat; quia illud sacramentum, quod constat ex debita materia, & forma, & confert gratiam, non est simul validum, & informe; sicut enim validitas sacramenti sumitur à debita materia, & forma; ita informitas sumitur ex eo, quòd gratiam non conferat; sed illud, cuius materia nequit componi cum obice ad peccatum in suscipiente, constat ex debita materia, & forma, aliter non esset validum; & confert gratiam; ratio enim, cur sacramentum gratiam non conferat, est obex ad illam in suscipiente, vt est per se notum; ergo illud sacramentum, cuius materia nequit stare cum obice ad gratiam recipiendam in suscipiente, nequit esse validum, & simul informe. Prob. mi. Solus affectus ad peccatum, vel non detestatio peccati est in suscipiente sacramentum obex ad gratiam recipiendam, vt patet; sed pœnitentia est sacramentum, cuius materia nequit stare cum affectu ad peccatum, seu cum non detestatione peccati; quia eius materia est attritio talis, quæ detestatur formaliter explicitè peccata, quæ occurrunt; & virtualiter implicitè peccata inuincibiliter ignorata, vt statuit *Trid;* habetur enim *Ioel. 2. Conuertimini ad me in toto corde vestro;* pœnitens autem detestans solùm peccata, quæ occurrunt, & non peccata ignorata non conuertitur toto corde in Deum; quia conuerti toto corde in Deum est recedere ab omni peccato, quod habuit in corde, in quo fuit nedum peccatum, quod patet, sed etiam occultum, quod latet; attritio autem, quæ est materia sacramenti pœnitentiæ, est conuersio in Deum toto corde facta; aliter si non sit toto corde, erit cum aliquo affectu ad peccatum; & sic non est materia proxima huius sacramenti; tum quia debet esse talis, qua pœnitens *cum Propheta* clamet ad Dominum: *Ab occultis meis munda me, Domine;* vt ait *Trid;* & ratio etiam hoc

hoc euincit; nam materia debet correſpondere formæ, & ab illa adæquari; quia tota materia debet à forma informari & tota forma informare materiam; forma autem ſacramenti pœnitentiæ nequit eſſe abſolutio à ſolis peccatis, quæ occurrunt, ſed etiam ab occultis, quæ latent; ideo attritio, quæ eſt materia, debet eſſe deteſtatio nedum peccatorum, quæ patent, ſed etiam eorum, quæ latent; ergo pœnitentia eſt ſacramentum, cuius materia nequit ſtare cum obice ad peccatum in ſuſcipiente.

57 Prob. 2. Non potuit in lege vetere dari contritio perfecta valida, & informis; ſed confeſſio dolorifera in ſacramento peccatorum in lege noua ſucceſſit contritioni perfectæ in lege veteri; ergo confeſſio dolorifera in ſacramento nequit eſſe valida, & ſimul informis. Ma. conſtat; nam contritio perfecta eſſentialiter remittit peccata; ſed remiſſio peccati nequit componi cum informitate, cui priuatiuè opponitur; nam remiſſio peccati importat formaliter gratiam iuſtificantem; informitas verò priuationem gratiæ iuſtificantis; ergo contritio perfecta in lege veteri non pòtuit eſſe informis, & valida. Prob. mi. Illud dicitur ſuccedere alteri, quod ponitur loco illius, & facit, quod facit illud; ſed confeſſio ſacramentalis dolorifera in lege noua facit, quòd faciebat contritio perfecta in lege veteri; quia remittit peccata in ſacramento, quæ extra ſacramentum in lege veteri remittebat contritio; ergo confeſſio ſacramentalis dolorifera peccatorum in lege noua ſucceſſit contritioni perfectæ in lege veteri. Præterea perfecta contritio, quæ remittit peccata etiam extra ſacramentum, eſt eſſentialiter dolor de peccatis, quæ occurrunt, & de inuincibiliter oblitis, ac ignoratis; ſed confeſſio ſacramentalis dolorifera contritioni perfectæ ſucceſſit in lege noua; nec in alio *per Trid.* à contritione perfecta diſtinguitur, niſi quòd contritio perfecta eſt ex motiuo charitatis; confeſſio verò dolorifera ex motiuo turpitudinis peccati, aut ex metu pœnarum; & illa iuſtificat etiam extra ſacramentum, hæc verò tantùm in ſacramento; ergo confeſſio ſacramentalis dolorifera debet eſſe dolor de peccatis, quæ occurrunt, & de oblitis, ac ignoratis. Atqui confeſſio dolorifera de peccatis, quæ occurrunt, & de oblitis, ac ignoratis eſt valida, & formata; ergo nequit dari confeſſio ſacramentalis informis, & valida.

58 Prob. 3. Ideo validus eſt, & informis baptiſmus, vt *ex S.P. Aug. lib. 2. cont. 2. ep. Gaudent. c.4; & ſæpiſſimè de bapt. cont. Donatiſt.* diximus *de ſacram. in com. q. 4. art. 1. n. 10; & q. 6. art. 2; & de baptiſ. q. 2. art. 7; & de confirm. q. 2. art. 2*, quia baptiſmus, quanuis non conferat gratiam ob impedimentum peccati; attamen confert caracterem, ratione cuius ſolummodò dicitur validus; nam ſi nec gratiam, nec caracterem, nec vllum alium effectum præſtaret, nec quidquam efficeret, omnino inualidus eſſet; & ſimul informis; propterea eſſet iterandus; valere enim *hic* ſumitur, prout idem eſt, ac efficere; & validum, prout idem eſt, ac aliquid efficiens; nam quod nihil efficit, inualidum eſt; nec ſufficit, quòd ex ſe poſſit efficere, ſi non impediatur ab aliquo obice; nam in hoc ſenſu omnia ſacramenta in quocunque caſu nullitatis collata eſſent valida; quia ſi nullus ponatur obex, ex ſe ipſis ex opere operato valent efficere; ideo dicuntur inualida, non quia non poſſint efficere ex opere operato, ſed quia poſito obice nihil prorſus efficiunt; ſed ſacramentum pœnitentiæ poſito obice peccati collatum informiter nihil prorſus efficit in pœnitente; nullum enim omnino in eo effectum producit; quia effectus pœnitentiæ, vt docet *Fund. Doct. Æg. Quodl. 2. q. 28; ſunt remiſſio culpæ, ſatisfactio pœnæ, roboratio animæ; reconciliatio cum Deo, & cum Eccleſia militante, ac triumphante*; iſti autem omnes effectus oriuntur à gratia, quæ non infunditur in ſacramento informiter collato; ergo ſacramentum pœnitentiæ nequit eſſe validum, & ſimul informe.

59 Reſp. *Auerſa cum Lug.* alium eſſe dolorem, qui requiritur ad eſſentiam, & validitatem ſacramenti; & alium, qui requiritur ad effectum ipſius; quanuis enim idem dolor perfectus poſſit ſufficere ad conſtituendam eſſentiam ſacramenti, & ad diſponendum ad effectum ipſius; attamen non ſequitur, quòd dolor imperfectior non poſſit ſufficere ad conſtituendam eſſentiam, non tamen vltimatè diſponere ad effectum illius. Nec obſtant *Flor. & Trid.* iſta enim *Concilia* loquuntur tantùm de dolore, qui eſt diſpoſitio ad recipiendum ſacramentum cum fructu; idèſt ad eſſentiam ſimul, & effectum ſacramenti; non autem de dolore, qui eſt tantùm neceſſarius ad conſtituendam eſſentiam ſacramenti, ſed ſine fructu; hoc enim reliquerunt diſputandum *Theologis*.

Sed contra eſt, nam quoties aliquod totum eſt inſtitutum ad producendum aliquem effectum, ſi partes integrantes non conſtituant totum productiuum illius effectus, per ordinem ad quem illud totum eſt inſtitutum; tunc non eſt illud totum, ſed aliud; nec habetur eſſentia illius totius inſtituti, ſed alterius; vt quia baptiſmus fuit inſtitutus per ordinem ad imprimendum caracterem, & ad producendam gratiam regenerantem; ideo ſi partes integrantes baptiſmum non conſtituant vnum totum, quod eſt productiuum horum duorum effectuum vel ſimul, vel ſaltem diſiunctiuè vnum ex iſtis; iam non conſtituunt baptiſmum inſtitutum à Chriſto Domino, ſed alium baptiſmum inſtitutum ab homine; nec habetur eſſentia ſacramenti baptiſmi, quæ eſſentialiter fuit inſtituta per ordinem ad producendos iſtos effectus vel ſimul, vel diſiunctiuè; ſed habetur eſſentia baptiſmi, qui non eſt ſacra-

sacramentum; essentia enim sacramenti essentialiter constituitur per esse signum causatiuum rei sacræ, vt dicitur in eius definitione; vnde si non sit signum causans ex opere operato rem sacram; non habetur essentia baptismi, qui est sacramentum; ideo aqua rosacea cum verbis baptismi non constituunt essentiam sacramenti baptismi instituti à Christo Domino; sed constituunt alium baptismum ab homine baptizante institutum; sed dolor, qui non est detestatiuus omnium peccatorum, simul cum verbis absolutionis non constituit aliquod totum productiuum gratiæ iustificantis; ergo non constituit formaliter in esse signum causatiuum gratiæ iustificantis; & ideo ablata causalitate gratiæ aufertur essentia sacramenti. Tum quia sicut ablutio facta cum aqua rosacea non constituit sacramentum baptismi, quia non est illa ablutio, quæ fuit instituta ad causandum caracterem, & gratiã regenerantem; sed tantum ablutio facta cum aqua elementari constituit sacramentum baptismi, quia hæc, & non illa, fuit instituta ad producendos istos effectus; ita ille dolor imperfectus, quia non fuit institutus ad causandam gratiam iustificantem; ideo non constituit sacramentum pœnitentiæ; sed tantùm dolor perfectus detestans omnia, & singula peccata etiam oblita, & ignorata constituit sacramentum pœnitentiæ; quia iste solus *ex Concilijs*, & non ille, fuit institutus ad producendam gratiam iustificantem. Nec *Flor. & Trid.* distinguunt duplicẽ dolorem; vnum constituentem essentiam sacramenti pœnitentiæ; alterum producentem effectum, & fructum pœnitentiæ; sed expressè afferunt illum dolorem constituere essentiam sacramenti, qui potest causare effectum, & fructum sacramenti; sicuti illa sola aqua constituit essentiam baptismi, quæ potest producere effectum, & fructum baptismi; quia essentia sacramenti nouæ legis in causalitate consistit; vt diximus *de sacram. in com. q. 2. ex Flor. & Trid.* distinguentibus sacramenta veteris legis à sacramentis nouæ legis; quòd illa tantùm significabant, non causabant; ista significant, & causant; distinctiuum autem, & constitutiuum idem est; ideo ablata causalitate à sacramentis nouæ legis aufertur etiam eorum essentia, quia aufertur eorum constitutiuum essentiale; ergo *Aduersariorum* responsio directè *Flor. & Trid.* verbis opponitur. Quo magis explicatur, & firmatur conclusio.

60 Conf. Confessio, quæ est pars materialis sacramenti pœnitentiæ, vt docet *Trid. vb. sess. 3.* debet esse talis, vt sit sufficiens ad remittenda in sacramento peccata, & ad reconciliandum hominem cum Deo; non enim sufficit quæcunq; confessio; sed requiritur confessio tantùm dolorifera, quantùm sufficit ad remittenda peccata, & ad reconciliandum cum Deo; sed dolor ille non sufficit; ergo non est pars materialis à *Concilijs* statuta, & à Christo Domino instituta.

Tandem prob. rationibus, quibus reiecti sunt modi explicandi sententiam oppositam.

61 Objic. 1. Si requireretur dolor sufficiens ad impetrandam remissionem in sacramento, sequeretur nos nunquam posse esse certos, an satisfactum sit præcepto confessionis; cùm nunquã possimus esse certi, an habuerimus sufficientem dolorem; sed ex hoc orirentur innumeri scrupuli; pœnitentes enim redderentur nimis solliciti, & anxij repetendarum confessionum; ergo hæc sententia tanquam nimis implicatiua cõscientiarum est abijcienda. 2. Potest dari baptismus, & alia sacramenta informia, & valida; quanuis baptismus ordinetur ad producendam gratiam; ergo & pœnitentia, licèt ordinetur ad causandam gratiam iustificantem, eadem ratione dari potest. 3. Sequeretur, quòd bona fide, & inculpabiliter accedens ad sacramentum absque dolore communiter de omnibus peccatis, sacrilegium committeret, sed conf. est absurdum; ergo & ant. 4. Productio gratiæ est effectus sacramenti; sed effectus est posterior natura sua causa; ergo potest dari sacramentum sine productione gratiæ; & per consequens validum, & informe; constat enim, quòd non statim, ac res est in rerum natura, operatur; plus enim requiritur ad operandum, quàm ad essendum.

Resp. ad 1. dist. seq. Nunquam nos posse esse certos certitudine physica, conc; morali, neg; nemo enim certus physicè esse potest; *an amore, vel odio dignus sit*; sed neg. mi; ad quietem enim conscientiæ, & euertendos scrupulos sufficit, quòd certi simus nos adhibita morali diligentia examinis peccatorum, & præmisso dolore de peccatis in singulari, quæ occurrunt; ac in vniuersali de peccatis, quæ non occurrunt, confessos esse; hoc namque satis est; vt confessionem non repetamus. Sicuti quanuis non simus physicè certi, sed tantùm moraliter nos esse in statu gratiæ; attamen possumus accedere ad sacramentum eucharistiæ. Imò licèt non possimus esse physicè certi nos habuisse sufficientem dolorem peccatorum, quæ occurrunt; attamen hinc non oritur anxietas repetendi confessionem; ergo nec ex eo, quòd non simus physicè certi nos habuisse dolorem sufficientem peccatorum, quæ non occurrunt, hæc anxietas oritur. Nec difficilior redditur confessio, sed diligentior, & securior; non enim est magis difficile dolere de peccatis in vniuersali, quàm in particulari; sed potiùs è contra; sicut enim est magis difficile cognoscere rem in particulari, quàm in vniuersali; ita loquendum est de dolore. Ad 2. neg. conf; baptismus enim, & alia sacramenta nõ constituuntur ex actu doloris, tanquam ex materia, sicut constituitur pœnitentia; sed sicuti sine aqua, & ablutione, quæ est materia baptismi, nequit haberi essentia

tia baptismi; ita sine actu doloris peccatorum, qui est materia pęnitentiæ, nequit haberi essentia pęnitentiæ; ideo quanuis baptismus non producat gratiam, producit tamen caracterem, ex quo arguitur essentiæ constitutio; pœnitentia verò nullum omnino producit effectum; ex quo infertur essentiam illius non esse constitutam. Et quanuis etiam baptismus ordinetur ad producendam gratiam; non tamen ita ordinatur, sicut pœnitētia; quia baptismus ita ordinatur, vt eius materia nō sit dispositio pęnitentis ad gratiā recipiendā; & ideo deficiente dispositione pęnitētis gratiā non causat; at pęnitentia ita ordinatur, vt eius materia sit dispositio ad gratiā recipiendam; ideo illa posita statim producitur gratia; sacramenta enim comparantur causis determinatis, quibus positis ponitur earum effectus. Ad 3. dist. seq. Committeret sacrilegium materiale, vel formale, conc; semper formale, neg; sicut enim certò sciens se accedere indispositum committit sacrilegium formale, quod ei imputratur ad culpam; ita accedens cum ignorantia inuincibili, & inculpabili committit tantùm sacrilegium materiale, quod ei non deputatur ad culpam, quia ignorantia inuincibilis excusat, propter quod inculpabilis dicitur. Ad 4. dicitur hoc habere speciale sacramentum pœnitentiæ, quòd pars materię ipsius sit dispositio pęnitentis ad gratiam recipiendā; ideo est in genere causæ formalis dispositiuæ; ad quam positis alijs statim sequitur productio sacramenti; sicuti posito calore in sūmo statim sequitur productio ignis. At materia aliorū sacramentorū est causa in genere causæ instrumentalis efficientis, quę vlterius exigit dispositionem in recipiente. Dist. igitur ma. Productio gratiæ effectus sacramenti vel in genere causæ instrumentalis efficientis, vel in genere causæ dispositiuæ, conc; tantùm in genere causæ efficientis, neg. ma. vniuersaliter; & neg. cons; quanuis enim forma ignis sit posterior natura calore, qui ad eam disponit; non tamen sequitur, quòd detur calor in summo sine forma ignis, nisi pro aliquo instanti naturæ, quod non negamus etiam in sacramento pœnitentiæ.

62 Objic. 2. Ad validitatem sacramenti sufficit, quòd confessio sit formaliter integra, non enim requiritur, quòd etiam sit materialiter integra, vt *omnes* admittunt; & sufficit dolor supernaturalis eorum peccatorum, quæ in confessione explicantur; eatenus enim dolor est materia huius sacramenti, quatenus explicatur, & fit sensibilis in confessione; sed posito, quòd quis inculpabiliter putet se habere tantùm vnū peccatum mortale, & de illo tantùm particulariter doleat, ac confiteatur, confessio est formaliter integra, quanuis non confiteatur in vniuersali, nec doleat de alijs peccatis occultis præmisso debito examine; ergo in hoc casu sacramentum est validum. 2. Qui post baptismum fictè susceptum committit peccata mortalia, si eliciat actum attritionis omnium peccatorum, quæ post baptismum commisit, pęnitentiæ sacramentum est validum; constat enim ex debita materia, & forma; quia attritio ad pęnitentiam exacta non extenditur ad peccata ante baptismum, sed solùm post baptismum commissa; & tamen non producit gratiam; nam peccata ante baptismum commissa, & non retractata gratię productionem impediunt; ergo in hoc casu confessio esset informis, & valida. 3. Non minùs baptismus ordinatur ad delendum peccatum originale, quàm pęnitentia ad delenda peccata personalia; sed potest dari baptismus validus absque remissione peccati originalis; ergo & pœnitentia absque remissione peccatorum actualium. 4. Sacerdos verè absoluit, quantùm est ex se ipso; sicut minister baptismi, quantùm ex se est, verè abluit; ergo sicuti fictè suscipiens baptismum validum suscipit sacramentum, quanuis non sit à peccatis ablutus; ita validum recipit sacramentum, quanuis non sint remissa peccata.

Resp. ad 1. formalem integritatem confessionis, vt docet *Trid*; consistere in eo, quòd pœnitens accuset omnia peccata, quæ occurrunt in particulari, & ignorata, ac oblita in vniuersali; & talis debet esse dolor huic confessioni respondens. Ideo neg. mi. Integritas autem materialis consistit in eo, quòd accuset omnia peccata commissa in particulari, & distinctè. Ad 2. neg. ant; quanuis enim pęnitentia non extendatur ad peccata ante baptismum commissa, extenditur tamen ad ipsam fictionem voluntariam, quæ est peccatum in baptismo commissum, & post baptismum continuatum; adeoque illa fictio tolli debet per pœnitentiam, vt diximus *de bapt. q. 3. art. 2. à n.* 10; sublata autem fictione remittuntur peccata. Ad 3. dist. ma. Baptismus ordinatur ad delendum peccatum originale tantùm in genere causæ formalis ex parte recipientis, conc; secus, neg. Ad 4. dist. ant. Verè absoluit supposita vera, & debita materia, conc; secus, neg; sicut enim baptizans in aqua artificiali verè non baptizat à peccatis, quia illa debita materia non est; ita à pari.

63 Objic. 3. Si pœnitens bona fide accedat ad sacramentum cum sola attritione orta ex metu gehennæ, vel ex fœditate peccati sine vllo prorsus amoris Dei beneuolo; quem non putat esse necessarium, vt *plures* volunt, tunc *in nostra sententia* asserente amorem Dei beneuolum esse de necessitate attritionis sacramentalis, non manet iustificatus; & tamen tunc est validum sacramentum; ergo attritio, quæ sufficit ad sacramentum, non sufficit ad illius effectum. 2. Si accedat ex motiuo vitandi incommoda humana, v.g. carcerem; vel interdictum, excommunicationem &c. Vel si accedat cum dolore per modum simplicis displicentiæ omnino inefficacis sine retractatione, & proposito efficaci; tunc non reci-

recipit gratiam; & tamen habet dolorem sufficientem ad validitatem sacramenti; ergo idem.

Resp. ad hos, & alios similes casus, quos formant *Aduersarij*; negando esse validum sacramentum; deficit enim illa particularis attritio, quæ est determinata, vt sit materia sacramenti pœnitentiæ; sicut enim non omnis aqua facit validum sacramentum baptismi, sed sola aqua elementaris in indiuiduo; quia non omnis aqua, sed sola elementaris determinata est, vt sit materia baptismi; sic non omnis attritio, seu dolor efficit validum sacramentum pœnitentiæ; quia non omnis dolor, seu attritio determinata est, vt sit materia pœnitentiæ; sed illa tantùm, quæ inuoluit amorem Dei beneuolum saltem imperfectum, & inchoatum, vt diximus *suo loco*; & quæ est ex motiuo Diuino, non humano, vt docet *Trid.* quia debet esse dolor de Deo offenso; & quanuis possit incipere à motiuo humano, cùm posteà eleuatur ad motiuum Diuinum, perficitur in ratione attritionis; & debet esse cum retractatione efficaci, & proposito non peccandi de cętero, vt statuit *idem Conc.*; quia omnem affectum peccandi etiā virtualem debet excludere. Ideo cùm in casibus assignatis non sit hæc particularis attritio, non est materia determinata in particulari, vt ex illa fiat sacramentum pœnitentiæ; & sic soluuntur alia, quæ opponuntur.

64 Quæres; an saltem possit dari sacramentum validum, & informe respectu venialium?

Resp. neg; nam vel pœnitens accedit cum solis venialibus sine attritione debita; & sic sacramentum non est validum, quia est sine materia. Vel cum debita attritione, & sic est validum, & formatum; vel cum venialibus simul cum mortali inuincibiliter oblito, & sine attritione saltem in vniuersali; & sic est informe, & inualidum. Vel cum attritione in vniuersali; & sic est formatum, & validum.

§. 5.

An confessio debeat esse secreta; & sacro silentij sigillo inuiolabiliter munita; vbi quæ cadant sub sigillo; & qui teneantur illud seruare?

65 Diximus *sup. contra hæreticos recentiores* asserentes confessionem secretam, seu auricularem esse *omnino inutilem, & superfluam; imò animarum carnificinam; & cont. aliquos DD. catholicos* docentes sacramentum non posse subsistere, si confessio non sit secreta; vt tribuitur *Scot. hìc dist. 17. q. 1. §. ad arg; Gabr. ibid. q. 1. & 2. concl. 3*; quod probabile putat *Ric.* & *cont. Angel. v. confessio n. 32.* substinentem, quòd licèt non sit de necessitate sacramenti, est tamen de necessitate præcepti. Diximus, inquam, non esse de necessitate sacramenti, aut præcepti Diuini, quòd confessio sit secreta, vel publica; vt docet *Trid. sess. 14. c. 5*; nam confessio instituta est per modum iudicij, sed iudicium potest validè fieri nedum publicè, sed etiam secretò; ergo & confessio. Aliunde non constat *ex scripturis*, quòd Christus Dominus, quando confessionem instituit, vetuerit aliquem ad sui humiliationem; & ad ædificationem Ecclesiæ sua peccata, præsertim publica, publicè confiteri; nec lege humana rationabiliter præciperetur, vt peccata, præcipuè secreta, publicè aperireutur. Ex quibus patet confessionem secretam esse sanctam, & ad veram sacramenti rationem sufficere; & continua consuetudine Ecclesię seruatam. Et quanvis confessio publica aliquando fuerit in vsu; tempore tamen *S. Nectarij* fuit prohibita; & *à S. Leone ep. 80.* fuit præceptum ad vitanda scandala secretò esse faciendam. Quod innuit nedum *Trid*; sed etiam *Lat. c. omnis vtriusque*, vbi ait: *Solus peccata confiteatur proprio sacerdoti*; confitens autem publicè non est solus, cùm confitetur, nec soli sacerdoti confitetur. Quæritur modò, an, & quo iure ita debeat esse secreta, vt in nullo casu queat reuelari; non quidem ab ipso pœnitente; quia cùm secretum, seu sigillum, quo confessio celatur, sit in fauorem pœnitentis, quia est ad famam ipsius seruandam, potest liberè pœnitens vti secreto, vel non vti, cùm vult; sed ex parte sacerdotis, & aliorum audientium, vt *inf.* Conueniunt autem *omnes DD.* in nullo casu posse sigillum infringi; attamen *aliqui* volunt obligationem seruandi sigillum oriri ex iure naturali Diuino; vt *noster Gibb. disp. 13. dub. 1; Lug; Sua; Medina, & alij. Alij* volunt prouenire ex iure Diuino superaddito iuri naturali; vt *Vasq; Coninch; & alij.* Ceteri verò, vt *Estius dist. 17. §. 14*; oriri ex iure naturali, Diuino, & Ecclesiastico.

66 Vnica concl. Obligatio seruandi confessionis auricularis secretum oritur ex iure naturali, Diuino positiuo, & Ecclesiastico; propterea in nullo casu etiam mortis, euersionis Reipublicæ, Regnorum, animarum &c. potest infringi, aut dispensari.

Prob. Ratio naturalis præcipit fideliter seruanda esse secreta secretò commissa; sicut enim ius naturæ obligat ad seruandum fideliter depositum rei ab aliquo commissum; ita à fortiori obligat ad seruandam fideliter famam in sacerdotis conscientia depositam; qualibet enim re corporali longè pretiosior est fama. Neque obstat; quòd in præceptis naturæ aliquando possit dispensari; vt in periculo perditionis ciuitatis, euersionis Regni, tranquillitatis publicæ; in sigillo autem confessionis non potest vnquam dispensari. Non obstat, inquam; nam, vt docet *Fund. Doct. in 1. dist. 48. princ. 12. q. 3*; licèt super aliqua præcepta naturæ secundæ tabulæ, quæ immediatè respiciunt proximum, & mediatè Deum, possit cadere dispensatio, seu potiùs mutatio materiæ, super quam cadit præceptum; vt in casu necessitatis extremæ dispensatur à furto, quatenus res desinit esse aliena, & eua-

euadit communis; attamen in præceptis primæ tabulæ, quæ immediatè Deum respiciunt, nequit dispensari; vt quòd Deus aliquando non ametur, colatur, & quòd festa non sanctificentur; vt *inf. de Matrim. q. 3. art. 9. §. 1.* Ius autē seruandi secretū confessionis respicit Deū immediatè; quia sacerdos se habet, vt Dei vicarius, & minister; & ideo sicut Deus nequit deficere à sua naturali fidelitate; ita neq; sacerdos. Tū quia ius naturæ exigit, quòd ille, qui agit ex persona alterius, agat, quod ille ageret, si per se ipsum immediatè ageret; sicut enim ille, si ageret mediante alio, nollet, quòd ille, quo mediante ageret, aliter ageret, quàm si ipsemet immediatè ageret; ita ille, quo mediante alter agit, nequit agere, nisi quod ille ageret, si ageret immediatè; præceptum enim naturæ est: *Quod tibi non vis, alteri ne feceris*; ergo sacerdos, qui agit, tanquam Dei minister, nequit agere, nisi quod Deus ageret immediatè. Atqui Deus audiens confessionem sibi immediatè factam non reuelat; inquit enim *Isaia 43. Ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor*; *& ad Hebr. 10. Peccatorum, & iniquitatum eorum iam non recordabor ampliùs*; id autem, cuius non recordatur, reuelari non potest; ergo sacerdos, qui est Dei minister, & quo mediante agit Deus, iure naturæ tenetur seruare secretum.

67 Prob. 2. pars *ex D. Tho. Quodl. 12. q. 1. art. 1.* Violatio sacramenti est prohibita iure Diuino; sicut enim sacramenta sunt à Deo instituta; ita eorum violatio est à Deo prohibita; sed reuelatio confessionis secretę est violatio sacramenti pœnitentiæ; nam effectus sacramenti pœnitentiæ est occultatio peccatorum iuxta illud *ps. 31. Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata*; reuelatio autem opponitur occultationi, quam tollit; ergo reuelatio confessionis est prohibita iure Diuino; ius enim Diuinum, quod instituit remissionem peccatorum, instituit etiam tectionem, seu occultationem eorum, vt constat *ex ps.* & ideo Christus Dominus instituens *Io. 20.* remissionem peccatorum faciendam sacerdoti, tanquam eius Vicario, instituit etiam secretum, & occultationem eorum. Tum quia instituit confessionem per ordinem ad absolutionem; sed absolutio delet peccata, ne imputentur; reuelatio autem est imputatio peccatorum; ergo instituit, ne reuelentur peccata confessa.

68 Tandem quòd sit de iure Ecclesiastico, constat *ex Greg. Papa de pœnit. dist. 6. c. Sacerdos; & ex Conc. Lat. c. 21; & ex Leone ep. 80. ad Episcop. Campaniæ; & extra de pœnit. & remissionib. c. quod quidam*. Statuit autem *Greg.* pœnam depositionis, & *Lat.* addit perpetuam reclusionem in monasterio; ergo sigillum præcipitur etiam ab Ecclesia; ex impositione etenim pœnæ arguitur impositio præcepti.

69 Sub sigillo cadunt omnia peccata mortalia, siue externa, siue interna, cen[...]æ, omnes circumstantiæ mutantes, aggrauantes, vel non aggrauantes pœnitentis, & complicis peccata, aut persona; item omnes defectus naturales aliquo modo explicantes peccata, & qui notam inuehunt infamiæ; omnia denique narrata, quæ aliquo modo possunt indicare peccata; & quæ famam pęnitentis offendunt. Nam inter alias rationes, quibus impositum fuit sigillum, etiam illa est; ne reddatur confessio odiosa, propter quod à pœnitentiæ sacramento plures arceantur, vt inquit *S. Leo ep. 80*; sed ex reuelatione cuiuslibet ex dictis redderetur odiosa confessio; pœnitens enim argueret, quòd si sacerdos facilis est ad reuelanda aliqua, etsi minùs grauia, vel non peccaminosa, etiam non difficulter reuelaret peccata, etsi grauia; æquè enim secretò vtraque narrauit; & tandem cùm ab infamia sui, & pudore naturaliter quisquis abhorreat; ex manifestatione suorum peccatorum grauium, vel leuium, vel defectuum naturalium inducentium infamiam, vt quòd sit spurius &c. à confessione retraheretur; ergo ad non reuelandum quodlibet ex dictis præcepto obligatur sacerdos.

70 Hæc autem reuelatio, quæ prohibetur, nedum est illa, quæ est expressa, aperta, directa, immediata, in specie, & in indiuiduo, sed etiam illa, quæ fit implicitè, velatè, indirectè, mediatè, & in genere, generalibus verbis, aut quibuscunque signis, aut indicijs peccata confessa quoquo modo indicare valentibus; vt colligitur ex *Lat. vbi sup.* asserente: *Caueat autem omnino sacerdos, ne verbo, vel signo, vel alio quouis modo prodat aliquatenus peccatorem &c.*

71 Sigillum, quamuis directè impositum sit confessarijs, indirectè tamen afficit omnes illos, qui quocunque modo, siue casu, siue dolo, siue necessitate confessionis, vt interpretes, & superiores, à quibus petenda est facultas absoluendi; & *DD*; qui consuluntur in materia graui, peccata audierunt; & reuelantes nedum naturæ præceptum infringunt, sed etiam sacramento iniuriam inferunt. Imò etiam illos, qui, etsi laici sunt, in confessarij loco sedentes confessiones audire etiam ad irridendum, vel ioci gratia præsumunt. Tandem etiamsi sacerdos non absoluat, imò confitens nulla signa ostendat doloris, dummodò sacramentaliter, per ordinem scilicet ad consequendam absolutionem confiteatur; vt habetur *extra de pœnit. & remissionib. c. quod quidam*; tenetur ad obseruantiam sigilli. Si tamen ille irrisoriè tantùm, vel alia praua intentione accederet ad confitendum, & nullo modo intenderet absolui, aut confiteri, vt absolueretur; non teneri ad sigillum, quia illa confessio sacramentalis non esset, quoniam ad absolutionem non ordinaretur; docent *Estius hic §. 14; & Natal. Alex. vbi sup. reg. 59*; vbi narrat

ex

Cæsarius Monacho Ord. Cistercien lib. 3. historiar. memorabilium c. 31. & 32. quendam Monachum Cisterciensem non sacerdotem celebrasse, & confessum fuisse suo Abbati; qui, cùm nec precibus, nec lacrimis potuisset eum flectere, vt à celebratione desisteret, rem cęlauit vsque *ad Capitulum generale*; cui fuit propositum dubium; quid, si quis præsbiteratu non initiatus Missam celebraret, esset agendum; & cùm omnes respondissent consulendum esse Pontificē, dubium fuit *Innoc. III.* tunc regnāti delatū; qui rē Cardinalibus, alijsque *DD.* proposuit; & cùm ferè omnes sentirent confessionē non esse prodendam, respondit ipsemet Papa: *Ego dico in tali articulo esse prodēdā, quia talis confessio non est confessio, sed blasphemia; nec debet confessor blasphemiā talem, ac insaniam celare, per quam periculum incumbere poterit toti Ecclesiæ.* Quod nequit saluari, nisi dicatur *sacrilegum illum Monachum* non animo se accusandi coram Deo, & subijciendi se clauibus detexisse suum scelus Abbati; sed vel animo irridendi, vel impediendi, ne puniretur ab Abbate; aliter huius facti narrationi fides est deneganda. Quod confirmat id, quod docet *Gibb.* de eo, qui animo inducendi sacerdotem ad peccandum confitetur; tunc enim sacerdos non obligatur sigillo; quia ille non accedit animo confitendi sacramentaliter; nec confessionem sacramentalem facit locus, sed actio. De illo autem, qui inuenit scriptum, in quo pœnitens sua exarauit peccata animo confitendi, asserunt *Rodriquez, Malder; Fagundez, Vega, Nauarr; Natalis, & alij* obligari ad sigillum. Meliùs tamen distinguunt *Sua; Coninch, Layman, Gibb; Lug*; apud quem *alij*; si cartam illam inuenerit, antequam Ecclesiæ clauibus subiecta fuerint peccata; tunc tenetur cęlare tantùm vi naturalis secreti; quia nōdum est peracta confessio, & ideo nequit sigilli obligationem inducere; si verò postquam subiecta fuerunt; vt cùm inuenta est in confessionali, sacramentali etiam secreto obligari; idem enim est, ac si in illo sacro loco ea peccata audijsset.

72 Pęnitentem non posse confessario licentiam concedere reuelandi aliquod peccatum, & suam personam alteri, dum actualiter confitetur, quanuis id possit extra confessionem, siue confessione iam peracta, siue antequam fiat; asserit *Scot. cum suis, Almain; Tatar; Bassol; Aretin; Fabr; Hiquæo, Latraa, & Mastr. hic disp. 5. q. 20. art. 2;* vbi refert etiam *Alen, Dur; Maior; & Aureol.* Prob. 1. Quia sigillum introductum est ex iure totius Ecclesiæ, & ex reuerentia sacramenti; non autem in fauorē solius pęnitentis; & confessarius hoc iure obligatur, non autem à pęnitente obligatur ad reuelanda peccata; ergo de licentia pęnitentis nequit ea reuelare. Et quanuis sit impositum etiam in fauorem pœnitentis; attamen pęnitens non potest huic iuri cedere, quia est introductum etiam in fauorem totius Ecclesiæ; sicut priuilegio *canonis si quis suadente*; quia concessum est in fauorem totius Ecclesiæ, nullus clericus particularis potest cedere. Tum quia si absque pęnitentis licentia violaretur sigillum, nedum violaretur ius pœnitentis, quia eius famæ derogaretur; sed etiam totius Ecclesiæ; quia hoc sacramentum redderetur odiosum, quod plurimùm noceret Ecclesiæ, ergo quanuis pęnitens posset suo iuri cedere; non tamen cedere potest iuri totius Ecclesiæ. 2. Pęnitens nequit dispensare supra legem Diuinam, non enim est supra Deum; sed sigillum est præceptum lege Diuina, ergo nequit dispensare, vt reueletur. 3. Sequeretur dari pœnitentibus occasionem mentiendi in sacramento; vt enim reus alicuius criminis putaretur innocens, confiteretur illud non commisisse, & daret licentiam reuelandi suam confessionem. Imò iudices possent inducere confessarios, vt obtinerent licentiam à pęnitentibus reuelandi sua delicta per ordinem ad illa punienda; quo maximus abusus huius sacramenti induceretur. 4. Confessarius reuelans vel extenderet sigillum etiam ad eum, cui reuelaret; vel non? Non 1; Quia hoc extenuaret, & vilificaret sigillum. Nec 2; quia diffamaretur pęnitens.

Sed contraria sententia communissimè traditur *ab omnibus alijs DD*; & est vniuersaliter in praxi Ecclesiæ. Quod considerans *Mastr. n. 544.* cadit nesciente in nostram sententiam asserendo: *Vnde hoc concedi nequit, nisi in casu, quòd talis reuelatio esset necessaria ad perficiendam confessionem; nimirum causa consultationis, vel consilij; nam in tali casu potest licitè confessarius de licentia pœnitentis eius peccata reuelare, quando ipse est minùs instructus, aut idoneus ad decidendos conscientia casus; & tunc ille, cui fit reuelatio peccati consultandi, remanet eodem sigillo ligatus, veluti adiutor, & comminister eiusdem confessionis. Solùm ergo in hoc casu est licita reuelatio confessionis de licentia pænitentis, quando nimirum manifestatio confessionis, & pænitentis sit necessaria, aut opportuna ad eundem confessionis finem, vt ritè, & integrè perficiatur confessio.* Quibus verbis plenè probat sententiam, quam improbat; & *Scotum*, quem propugnat, oppugnat. Nam nullus docet posse confessarium sine magna vtilitate reuelare, & sic pœnitentem sine necessitate facultatem reuelandi concedere, sed debere confessarium ea vti, non faciliter, sed prudenter id exigente magna vtilitate, & necessitate. *Ita D. Tho. in 4; seu suppl. q. 11. art. 4.* inquit: *Tamen debet cauere scandalum, ne fractor sigilli reputetur.* Idem expresè habet *D. Antonin. in summa 3. p. tit. 15. c. 22. §. 1.* asserens hanc facultatem non dari, nisi in bonum pœnitentis; & *Est. vbi sup. Notandum sacerdotem tali concessione non facilè, sed prudenter, & nonnisi magna vtilitate exigente vti debere; idque apud eos tantùm, quibus omnino opus sit, peccatum innotescere.* Præterea *omnes* fatentur hanc licentiam debere esse expres-

ſam, non implicitam, aut interpretatiuam; ſpontè, & liberè conceſſam, non extortam ſuaſionibus à Confeſſario; tunc enim confeſſarius ſigilli eſſet infractor; & tandem oportere, vt ſit ex legitima cauſa, & in commodum pœnitentis. Prob. autem 1. ex facto, quod refert *Natal. vbi ſup. reg. 64. ex Matth. Pariſien. ad ann.* 1247. *pag.* 486. aſſerente, quòd quidam ſacerdos reuelauit *Innoc. IV.* coniurationem in ipſum factam, & militis perſonam, cui demandata erat illius occiſio; vt ex confeſſione complicis moribundi didicerat, à quo reuelandi poteſtatem acceperat; quam reuelationem Pontifex approbauit, dum non punijt, ſed gratificauit. 2. Poteſt pœnitens in confeſſione ſacramentali dare licentiam confeſſario, vt reuelet viro docto, per ordinem ad conſultandum remedium, quo ponat ſuam conſcientiam in tuto; in quo caſu vir doctus ſigillo extenſo ligatur; & vt reuelet ſuperiori ad impetrandam facultatem abſoluendi a reſeruatis; & alteri ad impetrandam veniam pro offenſa; vel remiſſionem furti; vt fatentur *Aduerſarij*; & tamen nec præiudicatur præcepto Diuino, nec ius Eccleſię læditur; ergo pœnitens poteſt ſacerdoti facultatem in confeſſione ſacramentali concedere, vt peccatum alteri reuelet. Ant. totius Eccleſiæ praxis oſtendit. Conſ. optimè infertur per identitatem cum antecedente; non enim procedit communiter de omnibus peccatis, ex quorum reuelatione oritur ſcandalum, aut damnum Eccleſiæ; ſed ſolùm de illis, quorum reuelatio eſt vtilis, & neceſſaria pœnitentium ſaluti, & nullum penitus ſcandalum pariunt. 2. *Cum D. Tho. vbi ſup.* Pœnitens in confeſſione poteſt loqui confeſſario nedum, vt gerit vicem Dei, & perſonam Chriſti; ſed etiam, vt eſt homo; poteſt enim petere conſilium pro aliqua neceſſitate naturali, quæ nullo modo eſt peccatum, nec cum peccato eſt connexa; & tunc non loquitur cum eo, vt gerit vicem Dei, & perſonam Chriſti in illa actione; nam gerit vicem Dei in illa actione, ſolùm quatenus abſolutionem impendit; non autem quatenus conſilium dat naturale; conſtat enim, quòd ſacerdos in confeſſione non deſinit eſſe homo; nec eſt aliquod præceptum vetans in illa actione ſimul exercere etiam actionem hominis merè naturalem; ſicut nullo præcepto vetitum eſt pœnitenti in confeſſione ſacramentali intermiſcere verba aliàs honeſta, & licita directa ad ſacerdotem, vt eſt homo præcisè; ergo in confeſſione ſacramentali poteſt ſacerdoti poteſtatem dare reuelandi aliquod peccatum ob neceſſitatem, vel vtilitatem, quæ deriuare poteſt vel in ipſum pœnitentem, vel in ſacerdotem, vel in eum, cui eſt reuelandum. 3. *Ex Socrat. lib.* 5. *c.* 19; *& Sozom. lib.* 7. *c.* 16. habetur ſacerdotes pœnitentiarios publicos in ſingulis vrbibus peccata ſibi priuatim confeſſa populo publicare fuiſſe ſolitos; quod nonniſi de licentia pęnitentium facere potuerunt; vt colligitur *ex D. Leone ep.* 8[illegible]; aliter fuiſſent ſacri ſigilli infractores; [illegible]od non eſt dicendum; non enim id permiſi[illegible]t Epiſcopi; ergo multò magis dicendum poſſe pœnitentem poteſtatem facere ſacerdoti reuelandi alicui determinatæ perſonę cum obſeruantia ſecreti aliquod peccatum abſque præiudicio iuris proprij, vel Eccleſiæ; ſi namque nullum præiudicium inferebatur Eccleſiæ in publicatione facta toti populo; aliter non fuiſſet licita; cuius tamen oppoſitum patet *ex eod. S. Leone ibid.* aſſerente: *Quamuis plenitudo fidei videatur eſſe laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubeſcere non veretur: tamen &c; ne multi à pœnitentiæ remedijs arceantur &c; ſufficit illa confeſſio, quæ primùm Deo offertur, tum etiam ſacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit; & Trid. ſeſſ.* 14. *c.* 5. ait Chriſtũ Dominum non vetuiſſe confeſſionem publicam in humiliationem pœnitentis, in vindictam ſcelerum, ad aliorum exemplum, & in ædificationem Eccleſiæ; multò minùs dicendum reuelationem priuatam Eccleſiæ præiudicare; quòd potiùs è contra Eccleſiam ædificet. Quando tamen nullum eſt ſcandalum, aut mali periculum, aut infamia; ob quod confeſſio publica fuit prohibita *à S. Leone, & priùs à S. Nectario.* 4. Quod poteſt quis licitè per ſe ipſum, poteſt etiam alio mediante; ſed pœnitens poteſt licitè ſacramentaliter reuelare alteri à ſacerdote ſuum peccatum; quia poteſt coram alio ſacramentaliter confiteri ita, vt ille audiat; ergo poteſt mediante ſacerdote ſuum peccatum alteri reuelare.

73 Ad 1. negant *aliqui* ant; ſigillum enim inſtitutum eſt in fauorem pœnitentis; cùm potiùs reuelatio ſit in ædificationem Eccleſiæ, vt viſum eſt *ex Trid; & S. Leone*; & quamuis obliget iure naturali, Diuino, & Eccleſiaſtico; hæc tamen iura obligant per ordinem ad fauorẽ ipſius pœnitentis; vt ſcilicet eius fama ſeruetur indemnis; ex quo etiam ſequitur eſſe indirectè in fauorem Eccleſiæ, & reuerentiam ſacramenti; quatenus ſeruato iure pœnitentis ſaluatur Eccleſiæ tranquillitas, & reuerentia ſacramento. 2. Diſt. idem ant. Quando aliquod damnum poteſt deriuari in Eccleſiam, & irreuerentia in ſacramento, conc; quia enim ex confeſſione publica damnum, & irreuerentia deriuabatur; ideo ab Eccleſia vetita fuit; ſecus, neg. Sic etiam quando ex reuelatione malum poteſt oriri pœnitenti; nec pęnitens poteſt licentiam concedere; nec ſacerdos illa vti poteſt, quamuis conceſſa. Ideo clericus nequit cedere *Canoni*, quia hæc ceſſio inuerteret ordinem poteſtatum; nam ſpiritualem poteſtatem ſubijceret ſæculari. Nec verum eſt, quod addit *Maſtr*; ſcilicet ex hac reuelatione perturbari totam Eccleſiam; contrarium enim apertè docent *Trid; & S. Leo.* Si tamen aliquando hæc perturbatio fieri poteſt; tunc reuelatio fieri non debet, vt diximus. Ad

aliud dicitur, quòd licèt pęnitens non possit cedere iuri Ecclesiæ; ipsa tamen Ecclesia cedit suo iuri; quando hæc cessio non resultat in damnum pęnitentis, quia tunc non resultat in damnum Ecclesiæ; vnde neg. suppositum 2. partis conf; supponit enim ipsam Ecclesiam non cedere, quod est falsum, vt videtur in praxi; concedit enim Ecclesia istas reuelationes priuatas fieri, quia eas nullo vetat præcepto; & ideo suo iuri cedit; sicut cedebat, cùm confessiones publicas non prohibebat. Ad 2. dist. mi. Sigillum est præceptum lege Diuina ex parte solius sacerdotis, conc; vnde pęnitens nequit dispensare, vt sacerdos etiam sine licentia reuelet; ex parte pęnitentis, neg; pęnitens enim potest liberè reuelare suum peccatum, nec vllo præcepto obligatur ad illud cęlandum, vt patet; sicut vetitum est lege Diuina, ne res aliena tollatur; attamen Dominus potest licentiam dare, vt tollatur; nec per hoc dicitur dispensare in lege Diuina; sed tantùm mutare materiam præcepti, faciendo scilicet, vt quod erat proprium, fit alienum transferendo rem propriam à suo dominio ad dominium alterius. Ad 3. neg. seq; sicut enim quamuis institutio sacramenti v. g. eucharistiæ fuerit occasio data impijs prophanandi corpus, & sanguinem Christi; nisi enim institutum fuisset, prophanari non posset; attamen non sequitur, quòd non debuerit institui pro bonis; ita à pari. Ad aliud dicitur, quòd illud, quod per confessionem scitur, puniri non potest, confessio enim ordinatur essentialiter ad veniam, non ad mulctam; ideo vana esset iudicum tentatio; & *S. Tho.* inquit, quòd incumbit confessario probare, quod dicit; ideo etiamsi reuelaret iudicibus aliquod delictum auditum in confessione; illud tamen probare deberet. Ad 4. dicitur, quòd sicut etiam *in Aduersariorum sententia* confessarius consultans aliquod delictum cum aliquo Doctore extendit etiam ad ipsum sigillum; & tamen ex hoc non vilificatur, sed magnificatur sigillum, quia plures ligat; neque extenuatur, quia æquè fortiter ligat vtrumque, ex quo magis arguitur fortitudo sigilli; ita à pari.

74 Si quis extra confessionem committat aliquod secretum sacerdoti, vel laico dicendo se illud committere sub confessionis sigillo; & ille eo modo se dicat recipere; nulla est obligatio sigilli, sed tantùm naturalis secreti; quia sigillum non obligat, nisi in confessione sacramentali, quæ fit Deo in ministro; non autem in confessione extrasacramentali, quæ fit homini tantùm.

75 Confessarius, qui extra confessionem, ante, vel post audiuit aliquod peccatum simul auditum in confessione, non frangit sigillum, si illud reuelet, vel testetur; quia notitia, quam habet attestandi, vel reuelandi illud peccatum extra confessionem, per confessionem non tollitur; idcirco illud reuelat ex notitia, quam habet extra confessionem, quæ non est signata sigillo; non ex notitia, quam habet ex confessione.

76 Superiores, & alij ministri confessionis nequeunt vti notitia confessionis quoad regimen, & gubernationem externam; atque adeò non possunt amouere aliquem ab officio mobili ad nutum, aut palam negare suffragium per ordinem ad assequendam aliquam dignitatem, vel ordinem; bene tamen per ordinem ad vitandam mortem ipsi ministro paratam, vel damnum aliquod graue sibimet intentatum. Prima pars, quæ videtur esse *cont. D. Tho. hic q. 11. art. 1. ad 4; Scot. apud Mastr. hic q. 20. art. 3*; qui illum sequitur, *Lauraam, Vasq*; qui aiunt hoc fieri posse, etiamsi pęnitens suspicetur se amoueri, vel ad non admitti ad officium propter peccata confessa; potest enim vti iure suo, traditur tamen *à nostro Gibb, Lug; Auersa, Diana, Caspen; Natali Alex; & alijs*; & prob. Nam *Clem. VIII. anno* 1594. decretum edidit: *Tam superiores pro tempore existentes, quàm confessarij, qui posteà ad superioritatis gradum fuerint promoti, caueant diligentissimè, ne ea notitia, quam de illorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur*. Sic enim pęnitentiæ sacramentum redderetur odiosum saltem ei, qui suspicaretur se amotum fuisse, vel sibi negatum suffragium, ordinem, aut dignitatem propter peccata confessa. Imò si sciretur ab omnibus hac notitia posse vti superiores, redderetur omnibus odiosum, & omnes retraherentur à confessione; dubitarent enim illum confessarium posse superiorem fieri, & negaturum suffragium, amoturum ab officio &c; ex quo arguitur. In tantùm confessio publica fuit prohibita, in quantùm erat causa, quòd multi à confessione arcerentur, illisque reddebatur odiosa, vt diximus *ex S. Leone*, sed hoc idem sequitur in casu; ergo idem in casu dicendum. Tum quia confessarius agit, vt Dei minister, & ex Christi persona, vt diximus; sed Deus peccatorum iam confessorum non recordatur; notitia autem earum rerum, quarum non recordamur, vti non possumus; ergo nec notitia peccatorum; & sic valent omnes rationes *sup.* allatæ. Tum quia pęnitentes aliquando fiunt cautiores, digniores, & aliunde sunt doctiores, habiliores, atque aptiores ad aliquod officium, vel dignitatem, quàm sint ipsi innocentes, qui possunt ruere nedum in similia, sed etiam in grauiora peccata, & aliunde sunt ineptiores, & indoctiores; sed eligere minùs doctum, & sanctum præ alio sanctiori, atque doctiori est peccatum acceptionis personarum; vt docet *S. P. Aug. ep. 29. ad Hier*; ergo idem. Tandem Confessarius absque fractione sigilli nequit extra confessionem loqui de peccato, aut illud indicare ipsi pęnitenti, qui illud fuit confessus; sicut nec duo confessarij qui in confessione audierunt eadem

dem peccata, possunt de illis ad inuicem loqui; vt *omnes* admittūt; sed superiores in casu indicarent pęnitēti suum peccatū, ob quod excluderetur à tali officio; ergo idem. Nec verum est posse quēlibet vti iure suo, quando prohibetur iure altioris; inferior enim nequit vti iure suo, cū prohibetur à superiori; vt in casu, quo confessarius prohibetur iure Diuino. Nec minùs valet, quod *ex Scot.* ait *Mastr;* scilicet quòd quotiescunque aliquod signum de se est indifferens ad significandum peccatum iam confessum; tunc nec directè, nec indirectè vtens tali signo frangit sigillum; vt in casu. Non valet, inquam; nam nędum frangitur sigillum manifestando peccata signis ex sua natura determinatis ad illa manifestanda, sed etiam signis quibuscumque, & quomodocunque indicantibus, vt ait *Lat. c. omnis vtriusque;* signa enim, quæ ex natura sua sunt indifferentia, ratione loci, & temporis, & facti possunt determinari; & maximè cùm nullū signū illius actionis apparet, vt in casu supponimus; negatio enim aliorum est causa affirmationis illius; nam indicium furti cōmissi ab aliquo in vna domo est nullum alium hominē præter illum fuisse in illa. Nec minùs falsum est, quod addit *Mastr;* scilicet decretum illud valere tantùm *pro Regularibus*, quibus prohiberi solent aliqua, quæ alijs licent. Non valet, inquam; nam licèt aliqua, quæ impediunt statum maioris perfectionis, in quo sunt *Regulares*, vel Regulam suæ professionis, quam ipsi, & non omnes profitentur, prohibeantur ipsis, & non omnibus; attamen cùm ratio, ob quam prohibentur, tangit omnes, omnibus intelliguntur prohibita; vt in casu, in quo ratio prohibendi est, ne frangatur sigillum, & confessio reddatur odiosa, vt constat. Nec obstat; quod ait *Laurea*, tunc solùm reddi odiosam confessionem, quando pęnitens habet prudens motiuum erubescendi, vel onus satisfaciendi, quæ ex natura sua, seu ex institutione sunt annexa pęnitentiæ; non autem quando habet motiuum, quod tantùm est arbitrarium. Non obstat, inquam; nam quomodò negari potest, quòd videns se repulsum ab aliquo officio ob aliquod delictum non habeat prudens motiuum erubescendi; & licèt aliunde sciat se ex arbitrio posse repelli; attamen hic, & nunc firmiter tenet se tantùm ob peccata confessa fuisse repulsum? Præterea falsum est solùm ob hæc motiua reddi confessionem odiosam; constat enim, quòd redditur etiam odiosa, quatenus cognoscitur, vt impeditiua alicuius boni, quod exoptamus, vt esset in casu. Nec tandem obstat *S. Tho;* nam docet alias causas esse, ob quas ille redditur indignus, vt defectus scientiæ, ætatis &c; vnde quanuis superior habeat notitiam peccatorum, potest habere etiam notitiam horum defectuum, & hac vti, non illa.

77 Secunda pars, quæ est *cont. Lug; Caspen; Aurisam; Amic; Layman; Dianam, & alios,* prob. 1. Nam decretum *Clem. VIII.* loquitur tantùm non licere vti notitia confessionis per ordinem ad gubernationem, & regimen, quod essentialiter respicit alios; quia externum est; non autem per ordinem ad regimen sui internum, & ad cauendum sibi malum. Tum quia confessarius admonitus ab aliquo pęnitente sibi paratas fuisse insidias ad mortem à suis socijs nullo modo frangit sigillum fugiendo, vel euitando periculum; quia pęnitens illum admonendo dat ei licentiam fugiendi, & euadendi periculum; sicut enim si aliquis complex daret licentiam sacerdoti, vt admoneret alterum, vt è domo sua diffugeret tali nocte, quia à se, & alijs suis socijs decreta est ei mors; tunc ille vtens tali notitia habita ex confessione non frangeret fugiēdo sigillum; ita à pari dicendum de Confessario in confessione admonito, vt fugiat; & sicuti in primo casu quanuis socij possint suspicari aliquem ex ipsis admonuisse eum, vt fugeret; attamen nemo diceret confessarium fregisse sigillum; ita dicendum in casu; vtrobique enim par ratio. Præterea in tantùm superior nequit vti confessionis notitia ad excludendum pęnitentem ab aliquo officio; in quantùm scit pęnitens ipsum non habere, nisi vnicum illud motiuum, quod est ei facta confessio; at in casu plura sunt motiua, & necessitates, quibus aliquis è domo sua potuit tali hora exire; ergo nequit cogitari determinatè, sicut in primo casu, quòd fuerit sacerdos in confessione commonitus.

78 Ex his sequitur non posse parochum, vel Seminarij Rectorem, aut directorem exercitiorum ob crimen in confessione tantùm auditum denegare testimonium de vita, & moribus; vel à matrimonio pęnitentem repellere; nec Episcopum ordinem denegare; sunt enim hi omnes superiores, quos ligat supradictum decretum.

79 Qui nouit in confessione aliquod malum vergens in damnum alicuius personæ priuatæ, vel Reipublicæ, vel Ecclesiæ, vel Principis, nequit absque sacrilegio reos detegere. Monere tamen debet pęnitentem, vt abstineat; & Præsides Ciuitatis, Reipublicæ, vel Ecclesiæ, vel Principes, vt cautiores sint, ac vigilantiores; excubias moneant, milites habeant, & cætera huiusmodi ita tamen, vt nullo modo nec directè, nec indirectè, nec in particulari, nec in specie, nec in genere, seu generalibus, aut specialibus signis, ac indicijs reos, & delictum reuelet; vt præcipit *Lat. vbi sup. Ita D. Tho. Quodl. 12. q. 1. art. 1;* quapropter in tali monitione facienda maxima cautela est adhibenda. Ratio autem est; nam Confessarius tenetur impedire malum, quantùm potest; & seruare sigillum; quia tamen præceptum sigilli fortiùs obligat, quàm præceptum impediendi malum; præceptum enim impediendi malum est præceptum charitatis, ac proinde solius iuris naturalis; præceptum

ptum verò seruandi sigillum est præceptum simul iuris naturalis, Diuini positiui, & Ecclesiastici, vt diximus; ideo debet ita malum impedire, vt sigilli præceptum non violet.

80 E contra verò si Confessarius confiteatur alteri confessario sibi actualiter confitenti se non esse sacerdotem; tunc non tenetur sacerdos pœnitens iterum confiteri illi confessario, nec frangit sigillum; quia plura alia sunt motiua mutandi confessarium; ideo hæc mutatio nequit indicare talem confessarium non esse sacerdotem; imò nec remotissimum indicium præbere.

Sacerdos interrogatus à iudice de aliquo crimine in confessione audito potest sine mēdacio etiam cū iuramento negare se illud scire, vt homo; quia sicuti iudex nequit interrogare, nisi de ijs, quæ potest inquirere, vt homo; sic confessarius nequit respondere homini interroganti, nisi vt homo; *interrogatio enim, & responsio necessariò cohærent*; peccata autem non nouit sacerdos, vt homo, sed vt gerens Dei vices; ideo verè iurat se illa nescire. Si autē interrogaretur, an illa sciat, vt Dei minister; debet responsionē negare; quia, vt Dei minister, soli Deo subijcitur, non homini; & ideo soli Deo respondere tenetur; & homini, vt homo. Præterea vt Dei minister, non recordatur, vt diximus *sup*; sed illud, cuius confessarius non recordatur, ab ipso nescitur; ergo verè respondet se illud nescire etiam, vt Dei minister. Tandem verus sensus responsionis est, quod illud nescit ad reuelandum; quomodò Christus Dominus dixit *Marc*. 13. se nescire diem iudicij. *De die autem illo nemo scit, neque Filius hominis*; vt explicat *S. P. Aug*; & ex illo *DD. communiter*.

81 Qui tamen mentitur in confessione negando scienter aliquod peccatum mortale, quod confiteri tenetur; sacramentum reddit inualidum; quia totam materiam, quæ occurrit, non subijcit formæ. Qui verò negat aliquod veniale commissum & de quo interrogatur à confessario; vel aliquod mortale, quod non tenetur fateri, vel quia illud iam fuit confessus, vel nequit sine maximo scandalo confiteri, non peccat mortaliter. *Ita Gibb*; apud quem *Syluest*; *Angel*; *Sot*; *Nauarr*, *Sua*; *Lug*; *Gonet cont. Caiet.* asserentem peccare mortaliter. Ratio est; quia hoc non est materia necessaria; non enim tenetur pœnitens fateri venialia, nec mortale in casu; ergo non peccat mortaliter. Imò *Sua*. excusat etiam à veniali, quia nullo modo potest, aut debet illud confiteri ad vitandum scandalum, aut graue malum ab eius confessione oriturum. Eadem ratione *cont. Caiet.* dicitur, quòd confitens peccatum veniale, quòd scit certò se non commisisse, peccat tantùm venialiter; quoniam est in materia leui; nec tamen falsificatur ex hoc forma absolutionis; quia cadit tantùm super peccata commissa, & verè confessa; non verò super peccata non commissa, quanuis confessa.

82 E contra verò qui mentitur dicendo se commisisse aliquod peccatum mortale, quod scit certò se non commisisse, peccat mortaliter; quia mentitur in materia graui; & subijcit formæ materiam necessariam, quæ verè talis non est. Eadem ratione faciens confessionem generalem, si inter peccata mortalia aliàs confessa, exponat aliquod peccatum mortale nunquam confessum, tenetur hoc explicare. *Ita noster Gibb. hic disp*. 11. *dub*. 3. *n*. 15; *Gonet*, *Turrian*; *&* *alij cont. Bonacin*; *Dianam*, *Sua*; *& Lug*. Nam, vt docet *Fund. Doct. in* 2. *dist*. 42. *q*. 1. *art*. 3; peccata mortalia iam confessa sunt venialia, quia per confessionem fiunt materia sufficiens pœnitentiæ; peccatum autem mortale non confessum est materia necessaria; sed confessarius *debet scire distinguere lepram à lepra*; vt docet *idem de Laud. Diuinæ Sap*. c. 10; quod nequit esse, nisi pœnitens explicet, quænam peccata fiut aliàs confessa, & quæ non confessa; ergo tenetur hoc explicare. Confessarius tamen debet intendere absoluere omnia eo modo, quo sunt; sic enim certiùs prouidetur pœnitentis saluti.

83 Communior sententia *cont. Syluest*; *& Armill.* tenet, quòd dimidians confessionem ita, vt vni confiteatur peccata mortalia, & alteri ad saluandam bonam famam, quam habet apud illum, solùm venialia, non peccat mortaliter; quia venialia non sunt de integritate necessaria confessionis; & ideo possunt exponi in alia confessione distincta ab illa, in qua exposita sunt mortalia. Aliqualis tamen hipocrisis venialis reus fit pœnitens; id enim facit ad simulandam sanctitatem. Nec obstat *c. consideret de pœnit dist*. 5; vbi dicitur: *Cautus sit pœnitens, ne verecundia ductus diuidat apud se confessionem, vt diuersa velit diuersis sacerdotibus manifestare; quod est se laudare, & ad hipocrisim tendere ex lib. S. P. Aug.* inscripto *de vera, & falsa pœnit. c*. 14. Non obstat; quia *hoc canone* non præcipitur, quod est necessarium, sed consulitur, quod est magis perfectum.

§. 6.

An, & quomodò possit iterari confessio?

84 Aliæ proprietates confessionis assignātur contentæ in his versibus: *Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis. Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda. Integra, secreta, lacrimabilis, accelerata. Fortis, & accusans, & sit parere parata*. Circa quas nulla est controuersia.

85 Solùm potest inquiri; an, & quomodò possit, & debeat iterari confessio?

Resp. 1. esse de necessitate iterandam, quando fuit inualida vel defectu materiæ, vt cùm defuit

fuit debitus dolor, aut propositum non peccandi de cętero; vel defectu examinis debiti; vel defectu formæ, aut intentionis ministri; sic enim iterandus est etiam baptismus. Sed hoc modo propriè non dicitur iterari sacramentum; quia prima vice sacramentum non fuit; sed dicitur iterari potiùs illa actio, quę priùs celebratum non fuit sacramentum. 2. Iteranda est confessio, quando post primam in peccata mortalia relabimur; & tunc iteratur forma super diuersam materiam; quia cadit super diuersa peccata eo modo, quo iteratur eucharistia super diuersas hostias, & matrimonium super diuersas vxores. 3. Iterari potest etiam super eandem materiam, seu super eadem peccata mortalia iam confessa; nam, vt docet *Fund. Doct. Quodl. 2. q. 28*; pęnitentia non habet plenarium effectum in remittendo culpam, & satisfaciendo pro pœna; quia non semper est ita perfecta, vt peccatorum grauitatem coæquet; & aliunde peccata mortalia iam confessa fiunt venialia; & ideo sunt materia sufficiens pęnitentiæ; ergo super ipsa potest cadere forma, quæ semper est vera; quia per ipsam semper soluitur à debito satisfaciendi pro pœna temporali; vel soluitur à debito, quod habet perpetuò dolendi ob infinitæ Maiestatis offensam; sicut enim Dei Maiestas, quæ per peccatum fuit offensa, est infinita; ita dolor talis offensæ in hac vita debet esse perpetuus.

86 Quanuis autem ad melius esse, non tamen necessariò est repetenda. 1. Cùm sacerdos nequit distinguere, an aliquod peccatum sit mortale, aut veniale; sufficit enim, quòd cognoscat aliud peccatum mortale confessum; sic namque cognoscit animæ statum. Quod si esset adeò hebes, vt nullum peccatum penitus distingueret; esset repetenda; tunc enim compararetur illa confessio confessioni factæ dormienti; & ratio est; quia pœnitentia habet rationem iudicij, vt diximus *ex Trid*; sed iudicium sine cognitione delicti ipso iure est nullum; quanuis autem non cognoscantur omnia delicta; si vnum, vel alterum cognoscatur, habet veram rationem iudicij; ergo idem de pœnitentia. 2. Non est iteranda, quando quis oblitus est inuincibiliter circumstantiam alicuius peccati vel mutantem speciem, vel notabiliter aggrauantem; sufficit enim tunc confiteri circunstantiam sine peccato; cùm tamen illa sufficienter potest explicari; secus explicandum est iterum peccatum. Ratio est; quia in prima confessioue remissum fuit peccatum per dolorem in communi, & confessionem similem; nec mansit, nisi debitum confitendi peccatum oblitum, cùm occurrerit. 3. Non est iteranda, cùm ob multitudinem peccatorum tantùm temporis durat, vt confessarius non recordetur omnium peccatorum in singulari; sufficit enim, quòd recordetur status animæ saltem in communi. 4. Non est iteranda, quando pęnitens recordatur excommunicationis, quam inuincibiliter fuerat oblitus; si verò scienter taceat excommunicationem, repetenda est confessio. Idem namque est iudicium ferendum de censuris, ac de peccatis inuincibiliter oblitis, aut ignoratis.

A R T. VI.

An satisfactio sit pars sacramenti pænitentiæ?

1 Satisfactio, vt *hic* vsurpatur, definitur *lib. de vera, & falsa pænit. cap. 8. quædam dolentis vindicta voluntariè in se punientis, quod commisisse se dolet*: scilicet est *voluntaria sui ipsius punitio aliqualiter compensatiua iniuriæ Deo per peccatum illatæ, per ordinem ad ipsum placandum*. Dicitur *voluntaria castigatio* ad distinctionem punitionis damnatorum, quæ inuoluntaria est, & potiùs *satispassio* dicitur, quàm satisfactio. Dicitur *aliqualiter*; quia cùm iniuria Deo per peccatum inflicta in genere offensæ sit infinita; & creatura, quia finita est, pœnam nequit subire intensiuè infinitam, nec extensiuè; aliter completa nunquam dici posset satisfactio; ideo miserentis Dei indulgentia in sacramento pœnitentiæ pęnam æternam mutat in temporalem, vt aliqualem, si non æqualem, creatura reddat Deo satisfactionem. Dicitur *compensatiua iniuriæ*; quo innuitur aliquo modo pertinere ad iustitiam vindicatiuam, cuius est ponere æqualitatem, eo tamen modo, quo diximus *art. 1. §. 1.* Dicitur tandem *per ordinem ad placandum Deum*; ad significandum spectare etiam ad misericordiam obtinendam.

2 Ex his habentur 1. diuisiones satisfactionis; alia enim est satisfactio pro culpa, & pęna æterna illi debita; & hæc solùm fieri potuit à Christo Domino, qui solus potuit elicere actiones infinitè meritorias, vt diximus *to. 5. q. 8*; & habetur *ex Trid. sess. 14. cap. 8.* Alia est satisfactio pœnæ temporalis; & hæc à creatura effici potest, & debet, vt *ex Trid. ibid.* habetur. Hæc alia est in pęna, alia pro pœna; vt docet *S. P. Aug. in Enchir. c. 66.* Satisfactio in pęna fit, quando reus subit pœnam lege fixa pro eius delicto determinatam; vt cùm fur suspenditur; homicida gladio percutitur; incendiarius comburitur, & sic de alijs pęnis à legibus pro delictorum varietate taxatis. Hoc modo dicuntur satisfacere animæ in Purgatorio; de quibus inquit *S. P. Aug. ibid. Quicumque post hanc vitam pro peccatis puniuntur temporale supplicium de manu Dei suscipientes, non illi pro pæna, sed in pæna satisfaciunt. Hoc enim patiuntur, quod iustitia Dei tanquam fixa lege ordinauit patiendum pro peccatis remissa culpa.* Satisfactio pro pęna est, quando reus aliam pęnam voluntariè subit pro pœna à lege taxata; & hæc satisfactio habet locum tantùm, cùm pęna à lege taxata iu aliam pęnam potest mutari; & hoc modo dicuntur pęnitentes pro

pec-

peccatis satisfacere in hac vita suscipientes pœnam pro pęna soluenda in futuro sæculo; benignitas Dei istam acceptat pro illa. Satisfactio pro pœna diuiditur in extrasacramentalem, & sacramentalem. Prima est, quæ suscipitur ante, vel post sacramentum; ante quidem, quia antiquitus solebat pœna, priusquam absolutio daretur, peccatoribus imponi; quam consuetudinem abrogauit Ecclesia, propter rationes *inf.* afferendas *n.* 20. Post sacramentum verò est illa, quæ voluntariè assumitur à pęnitente; vt liberetur à Purgatorij pęnis. Sacramentalis est illa, quæ à sacerdote in sacramento iniungitur. Hęc alia est inæqualis, qua non soluitur tota pęna, sed diminuitur; alia æqualis, qua tota pęna dimittitur. Item alia est publica, quæ infertur pro delictis publicis, & enormissimis, vt pro hæresi &c; & antiquitus infligebatur pro delictis publicis etiam minùs grauibus, sicuti pro illis fiebat pęnitentia publica. Cæterùm simul cum pœnitentia publica satisfactio publica sublata fuit. Alia est secreta, quæ imponitur in confessione auriculariter facta. Tandem diuidi solet, tanquam in partes, in orationem, ieiunium, & eleemosinam &c.

3 Dices. Pęna Purgatorij superat quancunque pęnam, quæ in hac vita pati possit; ergo hæc non potest satis esse pro illa.

Resp. neg. conſ; nam licèt pęna huius sæculi sit minùs grauis; attamen quia meritoria est, vtpotè voluntaria, & præueniens Dei vindictam, ratione meriti dicitur æquare doloris rigorem. Vel dicitur æqualis quoad acceptationem; Deus enim in hoc sæculo, quod est sæculum misericordiæ, acceptat pęnam ex sua misericordia, tanquam æquiualentem pęnæ taxatæ in futuro sæculo, quod est sæculum iudicij, seu vindictæ.

4 Habentur 2. sex conditiones requisitæ ad satisfactionem. Prima est; quòd satisfaciat de condigno quantùm ad rem, & ex beneuola acceptatione quantùm ad quantitatem rei eo modo, quo diximus *to.* 4. *de merito q.* 5. *art.* 2. Ratio primi est; quia *Trid. vbiſ.* absolutè docet, quòd nos in Christo *satisfacimus facientes fructus dignos pænitentiæ; qui ex illo vim habent*; hoc fuit definitum *à Summis PP. Pio V; Greg. XIII; & Vrb. VIII.* damnantibus *propoſit.* 59. *inter Baianas*; quæ asserit. *Quando per eleemosinas, & alia pietatis opera Deo satisfacimus pro pęnis temporalibus, non dignum Deo pretium pro peccatis nostris offerimus; & 77. Satisfactiones laboriosæ iustificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem.* Nam operibus meritorijs elicitis ex gratia, & charitate; vt sunt actiones satisfactoriæ, debetur præmium; sed hoc nequit esse remissio culpæ, aut pęnæ æternæ; quæ iam remissæ sunt ante satisfactionem ex merito passionis Christi in sacramento applicato; ergo est remissio pęnæ temporalis, quæ sola remanet post absolutionem. Si dicatur *cum Med.* mereri augmentum gratiæ, & gloriæ. Contra est. Christus Dominus merendo nobis gratiam, & gloriam essentialiter meruit remissionem peccatorum quoad culpam, & quoad pęnam æternam; ergo nos per satisfactionem merendo gratiæ, & gloriæ augmentum meremur remissionem pęnæ temporalis, quæ gloriam retardat, & gratiam minuit. Tum quia ideo non possumus satisfacere pro culpa, quia est infinita in genere offensæ; sed pęna temporalis est finita; ergo illi satisfacimus. Ratio secundi est; quia pęnæ huius sæculi æquare nequeunt pęnas Purgatorij, vt docent *omnes SS. communiter*; ergo nisi pro illis acceptarentur à Deo, illis adæquatè non satisfieret. *Vid. vbiſ.* Secunda conditio est. Vt satisfactio sit fructuosa, & sortiatur suum effectum, debet elici ex charitate in statu gratiæ; quanuis satisfactionem adimpleus in statu peccati, præcepto confessarij satisfaciat. Primum patet 1. *Cor.* 13. *Si distribuero &c; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Vid. art.* 4. §. 2; nam opera facta in statu peccati non sunt meritoria; cùm gratia sit principium meriti; effectus autem, seu fructus satisfactionis sacramentalis est mereri augmentum gratiæ, & remissionem pœnæ temporalis, vt diximus; ideo vt satisfactio sit fructuosa, & sortiatur suum effectum, debet esse facta in statu gratiæ. Si dicatur *cum Scot.* reum, qui non est in gratia Regis, cùm suspenditur, satisfacere. Contra est; nam satisfactio homini facta est actus puræ iustitiæ; at satisfactio, quæ fit Deo, est actus iustitiæ coniunctus cum actu misericordiæ remittentis; iuxta *pſ.* 100. *Misericordiam, & iudicium cantabo &c.* ideo paritas non improbat, sed disparitas probat. Secundum constat ex alijs præceptis, quæ implentur etiam in statu peccati, vt præceptum ieiunandi, audiendi missam; sed non fructuosè. Tertia conditio est; quòd debet esse opus moraliter bonum; quia opus malum Deo displicet; & formaliter liberum, vel saltem liberè acceptatum; non enim est meritorium, nisi altero ex his modis sit liberum; hinc licèt passiones, & pœnæ naturales, ac mala temporalia, seu flagella à Deo nobis inflicta, non sint nobis libera; quia tamen libenter, ac volenter illa perferendo liberè acceptamus; est enim in nostra voluntate libenter illa acceptare, vel displicenter; ideo sunt satisfactoria; vt docet *Trid. vbiſ. c.* 9. Quarta est; vt sit supernaturalis; debet enim esse ex meritis, & gratia Christi; & ex charitate, & debet ordinari ad Deum, vt est Auctor gratiæ, & vitæ æternæ largitor; vt diximus. Quinta est; vt sit pœnalis; sufficitur enim satisfactio in hac vita pro satisfactione in alia vita præstanda; sed illa est pœnalis; ergo & ista. Quo argumento vtitur *Catechiſm. Trid. p.* 2. *c.* 103. Quanuis pęnam vix sentiant amantes; quia nedum amatur Deus, sed etiam pœna, quæ suf-

fertur, vt ipsi satisfiat, amatur; vt docet *S. P. Aug. de bono Viduit. c.21.* asserens ieiunia, vigilias, & orationes, & alia quæcunque laboriosa in delicias spirituales conuerti. Colligitur ex *Leuit. 13; & 23; & Num. 19;* vbi festum expiationis præcipitur celebrandum cum afflictione animarum; *& Ioel. 2; Iona 3; & Matth. 11.* præcipitur ieiunium, fletus, planctus, cilicium, & cætera huiusmodi, quæ sunt pęnalia; imò & ipsa oratio pęnalis est homini terrenis addicto; & communis est *SS. PP; & DD.* doctrina definientium satisfactionem *vindictam animi dolentis*; seu *punitionem delictorum*, quæ ex sua natura pęnalis est;quanuis charitas faciat,ne pęnalitas ipsa sentiatur. Quinta est; quòd licèt satisfieri possit etiam per opera aliàs debita, quia sunt præcepta siue præcepto naturali, siue positiuo, siue Ecclesiastico; attamen pleniùs satisfit per opera aliàs indebita, quæ sunt opera supererogationis, & consilij; dummodò sint pęnalia; præcipuè per orationem, eleemosinam & ieiunium; & per consequens potest satisfieri nedum per opera iniuncta à sacerdote in confessione, sed etiam per opera voluntariè assumpta ab ipso pęnitente; quando cognoscit opera sibi iniuncta ad plenariam satisfactionem non sufficere. Ratio primi est; quia ieiunia Ecclesiastica ad hoc principaliter sunt instituta; & opera misericordiæ sunt præcepta iure naturæ; & tamen sunt satisfactiua; & sicuti non implicat, quòd eadem opera fiant ex multiplici titulo; ita nou repugnat, quòd pluribus debitis satisfaciant; vt cùm idem ieiunium est præceptum iure Diuino, & Ecclesiastico, & præcepto confessarij. Ratio secundi est; quia opera supererogationis, & consilij sunt perfectiora, & maioris pretij,quàm opera præcepti; plus enim æstimatur,qui donat, quod non debet; quàm qui reddit, quod debet. Ratio tertij est; quia oratio, eleemosina, & ieiunium magis inculcantur pęnitentibus *in Scriptura*; vt oratio *Eccli. 21;* ieiunium *Ioel.2; & Iona 3;* & eleemosina *Dan.3. Peccata tua eleemosinis redime*; *Matth. 5. Date, & dabitur vobis &c.* Ratio vltimi est; quia *Matth.3; & Luc. 3.* præcepit *Io. Facite fructus dignos pęnitentia*; constat autem eum locutum fuisse extra confessionem,quę tunc instituta nondum erat; & *SS. PP.* communiter docent per quæcunque opera pęnalia etiam voluntariè assumpta vindicari peccata; vt *S. P. Aug. hom.16; & 50; & in ps.37.* Tandem quòd etiam per suffragia, & indulgentias possit satisfieri, *inf.* dicemus. *His supp.*

5 Quæritur; an satisfactio sit de necessitate præcepti Diuini, vel humani; & an sit de necessitate medij ad gloriam consequendam; & de necessitate sacramenti?

Luthero-Caluinistæ, & alij Nouatores insectantur nomen satisfactionis, tanquam Christo Domino iniurium, & recenter ab hominibus introductum asserentes satisfactionem pęnitentium aliam non esse, nisi fidem, qua apprehendunt Christum Dominum pro eis satisfecisse; & pro pœna temporali à pœnitentibus non satisfieri Deo, sed Ecclesiæ; valebant enim illæ pœnitentiæ, quæ antiquitus imponebantur ad probandos eos,qui reuertentes accipi debebant ad Ecclesiam; pœnam non manere remissa culpa; & satisfactiones, quibus pœnitentes peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed hominum traditiones; denique claues Ecclesiæ datas esse ad soluendum, non autem etiam ad ligandum. Quos errores damnat *Trid. sess. 14. can. 12; 13; 14; & 15.*

6 *Catholici* autem *omnes cum* Trid. oppositum esse fidei dogma confitentur. *Fund. Doct. de Laud. Diuinæ sap. c.12; & Quodl. 2. q. 28.*

7 Vnica concl. Satisfactio, quæ est pars purè integralis, non essentialis sacramenti pœnitentiæ, est de præcepto Diuino, non humano; & per illam satisfit Dei iustitiæ, pro pœna temporali per ipsam statuta; quapropter tenetur sacerdos eam imponere iuxta criminum grauitatem; & pœnitens eam acceptare, dummodò prudens, & rationabilis sit, ac sine graui detrimento salutis implebilis.

Prima pars concl; quòd scilicet satisfactio sit pars integralis, non essentialis sacramenti pœnitentiæ, iam probata fuit *art. 3.* Præterea punitio, quæ est satisfactio in pœna,non est pars essentialis, sed tantùm integralis iudicij; sine illa namque verum, & formale iudicium subsistit; sed satisfactio est punitio peccatorum; ergo est pars integralis, non essentialis huius sacramenti. Nec obstat, quòd *Trid. vbi s. c. 3.* asserat contritionem, confessionem, & satisfactionem dici partes huius sacramenti, quia spectant ad integritatem illius. Non obstat, inquam; nam etiam partes essentiales verè dicuntur integram, idèst totam constituere essentiam rei; ideo contritio, & confessio, quæ sunt partes essentiales, rectè integrales dicuntur. At non omnis pars integralis essentialis est; vt patet de digito, vel manu hominis, sine quibus integra est essentia hominis. Pars ergo integralis alia est essentialis, sine qua essentia rei haberi non potest; vt anima est pars integrans hominem simul cum corpore; & in hoc sensu contritio, & confessio dicuntur integrare hoc sacramentum; alia est purè integralis, non essentialis; vt manus, vel digitus; & sic satisfactio est pars integralis; vt diximus *loc. cit.*

8 Prob. 2. pars *ex Dan. 4. Peccata tua eleemosinis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum; & Matth. 3; ac Luc. 3. Facite fructus dignos pœnitentię*. Verbum imperatiuum *in Scripturis Diuinis* importat præceptum Diuinum; imperare namque, & præcipere idem formaliter est; ideo cùm Christus Dominus *Luc. 10.* inculcaret præceptum amandi Deum, & proximum, imperatiuè dixit: *Fac hoc, & viues*; sed satis-

satisfactio *in Scripturis Diuinis* imperatiuè proponitur; dicitur enim *facite*; *redime*; quæ sunt modi imperatiui, vt constat; fructus autem digni pœnitentiæ significant opera, quibus ex condigno iustitiæ fit satis, vt diximus; ac propterea veram, & formalem satisfactionem significant; ergo satisfactio est de præcepto Diuino, non humano. Præterea *Matth.* 18. habetur: *Quæcunque ligaueritis super terram; & Io.* 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt*. Ex his *textibus* euidenter constat *Apostolis*, & sacerdotibus eorum successoribus collatam fuisse à Christo Domino potestatem nedum ad soluendum, scilicet ad absoluendum à culpa, & pœna æterna; sed etiam ad ligandum, scilicet ad obligandum ad aliquam pœnam temporalem pro culpa subeundam; constituti enim sunt iudices, qui habent potestatem nedum absoluendi, sed etiam puniendi, & obligandi reos ad pœnam; sed satisfactio importat obligationem ad pœnam, seu ad opera pœnalia præcepta à sacerdotibus; ergo fuit à Christo Domino instituta; & consequenter est necessaria necessitate præcepti Diuini, non humani. Insuper *Ioel.* 2; *Iona* 3; *Ierem.* 3; 15; & 18; *Isaiæ* 3; *Eccli.* 17; *Iob vlt*; *Matth.* 11; *Luc.* 10; 2. *Cor.* 12; & *Iac.* 4. præcipitur *ieiunium*, *luctus*, *fletus*, *planctus*, *cilicium*, *cinis*, & aliæ animi afflictiones in peccatorum commissorum vindictam, & punitionem; sed hæc est satisfactio; ergo satisfactio est de præcepto Diuino. Tandem colligitur ex communi, perpetuoque sensu *totius Ecclesiæ*; nam satisfactionem communissimè *SS. PP*; tanquam à Christo Domino præceptam, inculcant *Tertull. de pœnit. c.* 9; *S. Cypr. serm.* 5. *de lapsis*; & *lib.* 1. *ep.* 3; & *lib.* 3. *ep.* 4; 8; & 14; & *lib.* 4. *ep.* 3; & 4; & *serm. de eleemosina*; *S. Pacian. lib. de pœnitentijs*, & *confess. cont. Nouatianos*; *S. Ambr. ad Virginem lapsam*; & *de pœnit. lib.* 2. *c.* 5; *S. Hier. com. in Malach.* & *in epitaphio Paulæ ep.* 27; & *ep.* 30. *ad Oceanum de pœnitentia Fabiolæ*; & *ep.* 48. *ad Sabinianum*; *S. P. Aug. hom.* 5; & 15. *Non sufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere; nisi etiam de his, quæ facta sunt, satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium cooperantibus eleemosinis &c*; quibus verbis compertissimè reijcit *hæreticorum* deliramenta asserentium ad remissionem peccatorum sufficere vitam in melius mutare absque eo, quòd de commissis peccatis conteratur, & satisfiat. Idem habet *in Enchir. c.* 65; 67; 70; & 71; & *in ps.* 130; & *lib. de continentia c.* 6; & *ep.* 54; & *serm.* 3. *de diuersis*; & *lib.* 5. *de Ciu. Dei c.* 26; vbi agit de satisfactione à *Theodosio Imperatore* peracta. *Innoc. I. ep. ad Decent*; *S. Prosper de vita contemplatiua lib.* 2. *c.* 7; *S. Fulgent. lib.* 1. *de remiss. peccat. c.* 12; & *lib.* 2. *c.* 15; & sequuntur *omnes alij SS. PP.* Accedunt *Concilia Carthag. III. can.* 31; *Carthag. IV. can.* 74; *Aphrican. can.* 9; *Cabilonen. can.* 34; & alia, ex quibus desumpti sunt *canones pœnitentiales* descripti *à Beda in suo pœnitentiali, à Rabano, & in pœnitentiali Romano, & tandem à S. Carolo Borromæo*. Ex quibus euidentissimè liquet satisfactionem, quæ pœnitentibus à confessarijs iniungitur, non esse humanum, ac nouum inuentum; sed dogma in Ecclesia traditione continua retentum. *Vid. dist.* 4. *de consecrat*; & *dist.* 3. *de pœnit*; & 16. *q.* 7.

9 Prob. 2. eadem pars. Remissa culpa, & pœna æterna adhuc remanet pœna temporalis luenda; ergo satisfactio pro pœna temporali necessitate præcepti Diuini, non humani, est necessaria; sicut enim quia remissio culpæ, & pœnæ æternæ est necessaria ad salutem, ideo datur præceptum Diuinum, non humanum, de conuersione in Deum, per quam remittitur culpa, & pœna æterna; aliter liberum esset conuerti, & non conuerti; & nihilominùs salus æterna posset acquiri; ita quia remissio pœnæ temporalis est necessaria ad gloriam consequendam; ideo satisfactio pro pœna temporali est de præcepto Diuino, non humano. Ant; quod ore rotundo negant *Aduersarij*, prob. *ex* 2. *Reg.* 12; vbi cùm peccata *Dauid* fuissent iam remissa quoad culpam, & pœnam æternam dicente *Nathan*: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*; subtexuit statim pœnam temporalem *Dauidi* ob peccata infligendam in morte filij: *Quamobrem non recedet gladius de domo tua &c.* De quo *vid. S. P. Aug. lib.* 22. *cont. Faust. c.* 67; & *in ps.* 50. Item *Num.* 12. *Maria Moysi Soror*, quamuis deprecante *Moyse* peccati veniam consecuta fuisset; attamen in pœnam peccati in fratrem commissi iubetur separatim agere extra castra septem diebus. Item *Iob* 3; *Dan.* 9; *Machab.* 2; & 3. habetur iustos affligi pro suis peccatis; sed hoc nequit intelligi quoad culpam, & pœnam æternam, aliter iusti non essent; ergo tantùm de pœna temporali peccaris iam remissis debita potest, & debet intelligi. Item *Hebr.* 10. *Voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis iam non relinquitur pro peccatis hostia; terribilis autem quædam expectatio iudicij*. Quod communiter exponitur lapsis post baptismum non remanere nouum baptismum, quo à culpa, & omni pœna soluantur; sed remanere solummodò pœnitentiam, qua, etsi liberentur à culpa, & pœna æterna; attamen non liberantur à pœna temporali, quæ terribilis erit in Purgatorio, nisi satisfiat pro illa in hoc sæculo. Accedunt *S. P. Aug. tract.* 124. *in Io. Temporaliter hominem detinet pœna, quem iam ad sempiternam mortem non detinet culpa*. *S. Ambr. in ps.* 37. *Qui pœnitentiam agit, offerre se debet ad pœnam, vt hic puniatur à Domino*. Idem tradunt *S. Io. Chrisost. hom.* 2. *in ps.* 50; & *hom.* 4. *in* 2. *Cor*; *S. Hier. in Hierem.* 10; & *in Ephes.* 5; *S. Prosper sent.* 72; & 148; *S. Leo serm.* 8. *de passione Domini*; *S. Fulg. lib.* 1. *de remiss. peccator. cap.* 12; *S. Greg. lib.* 9. *mor. c.* 17; *Lactant. lib.* 6.

lib.6. Diuinar. Institut. c. vlt. Quibus adhærens *Trid.* hanc veritatem definiuit *sess.6. cap. 14; & can.30; & sess.14. c.8; & can.12.*

10 Prob. ratione, quam tradit *Trid. ibid. ex Apost. vbis.* Iustitia exigit, vt aliter remittantur peccata per ignorantiam commissa ante baptismum; & aliter quæ post acceptam notitiam veritatis, & gratiam patrata fuerunt; iustum enim non est, quòd peccatum grauissimum, & minùs graue eodem modo remittantur; vt patet de receptione inimici, qui nunquam fuit fidelis; & de receptione illius, qui post iuratam fidem rebellauit; sed per baptismum, quo remittuntur peccata ante baptismum patrata, remittitur omnis culpa, & omnis pęna; ergo per pœnitentiam, qua remittuntur peccata post baptismum commissa, remittitur culpa, & pœna æterna, quæ cum illa connectitur; aliter pęnitens non solueretur à peccatis; sed non remittitur pœna temporalis; aliter remitterentur peccata eodem modo, quo remittuntur per baptismum; quod iustitiæ conuenire non potest. Præterea arguit *Fund. Doct. vbis.* Perfectus dolor, seu detestatio peccati, est necessarius ad plenam, & perfectam remissionem peccati; sicuti enim per imperfectum dolorem peccatum imperfectè remittitur; ita per dolorem perfectum perfectè remittitur; sed satisfactio pœnalis requiritur ad sanandum defectum doloris, quando est imperfectus, quem tamen sufficere ad recipiendam gratiam in sacramento diximus *art. 4*; ergo satisfactio pœnalis necessariò imponenda est pœnitentibus. Tandem *ex eod. ibid.* Ad hoc, vt peccatum tollatur totaliter quoad culpam, & pœnam siue æternam, siue temporalem, debet pœnitens quoad omnia, quæ sunt in peccato, illud retractare; sed hoc fieri nequit, nisi ei imponatur satisfactio pęnalis; ergo idem. Ma. patet; si enim peccatum non retractetur quoad omnia quæ sunt in illo, non retractatur totaliter; sed secundùm aliquid remanet. Mi. prob. In omni peccato est superbia, qua peccator Deo præfert creaturam; est cupiditas, qua vult explere propriam voluntatem contra voluntatem Dei; & est obligatio ad pœnam, quam culpa præsefert; sed nisi imponatur satisfactio pœnalis, non retractatur superbia contra Deum; quia non se humiliat pœnæ, quam Dei minister imponit; nec cupiditas, quia non subijcit propriam voluntatem illi actioni, à qua fugit; nec obligatio ad pœnam impletur; vt iubet iustitia; nec totum Deo se tribuit, sicut totum à Deo se auerterat; quia licèt per attritionem Deo se offerat secundùm animam, non tamen secundùm corpus perferendo pęnas corporales; nec secundùm res corporales priuando se his corporalibus bonis, in qua priuatione pęna sentitur; ergo nisi imponatur satisfactio pœnalis, non retractantur omnia, quæ sunt in peccato.

11 Quòd autem satisfactiones antiquitus impositæ non essent pura spectacula ad satisfaciendum Ecclesiæ pro iniuria defectionis, vel scandali illata, non autem Deo pro pœna temporali infligenda, constat ex allatis *textibus*; *David* enim post translationem, seu remissionem peccati pęnitentiam egit, vt Dei iram placaret ipsum in morte filij punientis, vt habetur *ex litera*; quòd confirmant verba ipsiusmet *David* maledicti *à Semei*, cùm fugeret à facie *Absalom 2. Reg. 16*; patienter enim ferens contumeliam inquit: *Dimitte eum, vt maledicat iuxta praeceptum Domini; si fortè respiciat Deus afflictionem meam; & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna.* Hoc bonum autem, quod sperabat à Domino, erat liberatio à malis temporalibus, quæ patiebatur. Sic gemitus, luctus, planctus, cilicium, & cinis *Niniuitarum* ordinatus fuit ad placandum Deo, & iræ Dei satisfaciendum, vt liberarentur ab euersione vrbis, quę erat malum temporale; in quo tamen etiam, tanquam in mysterio, includebatur remissio culpæ, & pęnæ æternæ. Item pęnæ post absolutionem à culpa susceptæ à pęnitentibus ordinabantur etiam antiquitus ad placandum Deum; vt constat ex allatis *textibus Ioel. 2. &c*; ergo erant ordinatæ ad satisfaciendum iustitiæ Dei. Id clarissimè docent *SS. PP. vbis.* & inter alios *S.P. Aug. hom. 5; & 15. vbis.* asserens non sufficere *mores in melius commutare, & à malis recedere, nisi etiam de his, quæ facta sunt, satisfiat Deo* (non inquit Ecclesiæ) *per pœnitentiæ dolorem &c.* Præterea certum est in confessionibus secretis impositam fuisse satisfactionem post absolutionem implendam, vt diximus *art. 5. ex SS.PP*; & clarè colligitur *ex D. Basil. ep. 111. ad Amphilochium can. 39; & ex S. Leone ep. ad Rusticum Narbonen. Episcop*; sed in confessione priuata nulla satisfactio fiebat Ecclesiæ ad ædificationem aliorum; Ecclesia enim, vtpotè visibilis, de occultis iudicare non potest; & nulla prorsus ædificatio sumi potest ab eo, quod omnino est occultum; ergo satisfactiones impositæ erant ordinatæ ad satisfaciendum iustitiæ Dei pro pęna temporali in vindictam voluptatis peccati à Deo iustè statuta. Quòd autem ij, qui publicis peccatis offenderunt Deum, & Ecclesiam, satisfacere debeant etiam Ecclesiæ, vt docet *S. P. August. in Enchir. c.65; & S.Cypr. serm. de lapsis*; ex hoc non infertur Deo non esse satisfaciendum, sed potiùs oppositum deducitur; nedum quia *S. Cypr. ibid, & tract. de eleemosina* asserit satisfaciendum esse, vt *peccator, quam nuper contristauerat, lætam faciat Ecclesiam*; sed etiam, *vt Deus placetur*; & *S. P. Aug.* ait peccatorem satisfacere debere, *vt misericordiam à Deo consequatur*; & *ibid. c. 70*; *vt deleat peccata*; & ratio id euincit; nam in tantùm est satisfaciendum Ecclesiæ, in quantùm Ecclesia per peccatum fuit offensa; sed etiam Deus, & quidem principaliùs, fuit offensus; cùm peccatum definiatur offensa Dei; ergo

ergo principaliùs Deo satisfactio est exhibenda.

12 Tertia pars concl; quæ est *cont. Dianam* referentem *Sua; & alios* asserentes posse confessarium imponere satisfactionem sine præcepto, sed tantùm per modum consilij; prob. 1. ex illo *Luc. 3. Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Satisfactio est de necessitate præcepti, non tantùm de consilio, vt *sup.* dictum est; sed sacerdos imponit satisfactionem; ergo illam tenetur imponere sub præcepto; non autem solùm de consilio. 2. Ex præcepto Christi Domini sacerdos debet soluere, & ligare; idêst absoluere à culpa, & pœna æterna; & obligare ad pœnam temporalem, qua satisfacere debet Diuinæ iustitiæ; ergo ex præcepto debet iniungere satisfactionem pœnalem. 3. Iudex ex præcepto legis debet iniungere satisfactionem iustitiæ; aliter non retraheret delinquentes à malo; & medicus ex præcepto medicinæ debet applicare ægrotis remedia, vt conualescant; sed sacerdos constitutus fuit iudex, & medicus peccatorum; ergo ex præcepto tenetur imponere satisfactionem Diuinæ iustitiæ; & remedium, quo peccatores retrahantur à peccatis; quod est satisfactio pœnalis. Tandem *Trid. sess.* 14. *c.* 8. inquit: *Debent sacerdotes Domini, quantùm spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate, & pœnitentium facultate salutares, & conuenientes satisfactiones iniungere; ne si fortè peccatis conniueant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant leuissima quadam opera pro grauissimis peccatis iniungendo alienorum peccatorum participes efficiantur.* Etenim inducens ad malum fit particeps mali; sed sacerdos imponens pœnam leuissimam peccato grauissimo inducit ad malum; ostendit enim leue esse peccatum, quod grauissimum est; vtpotè pœna leuissima dignum; & sicut ostendens grauissimum esse peccatum retrahit à peccato; ita ostendens leuissimum esse aliquo modo ad illud inducit; ergo peccati fit particeps; & per consequens obligatur ex præcepto imponere satisfactionem qualitati peccatorum congruentem; nam satisfactio non congrua non est *dignus effectus pœnitentiæ*; vt habetur *Luc. vbi s.* nec modus satisfactionis debitus à sacerdote præscribitur; vt fieri debere docet *S. P. Aug. hom.* 50. Satisfactio autem nedum qualitati criminum, sed etiam facultati pœnitentis debet congruere, vt statuit *Trid;* quia nec eius vires debet excedere, nec nimiùm eneruare; sic enim à confessione retraheretur, & arceretur; sed moderata esse debet, & ideo in modo, inquit *S. P. August;* quo *Trid.* videtur moderari voluisse rigidissimas *canonum pœnitentialium* satisfactiones, quarum aliquæ durabant ad decem, duodecim, & quindecim annos, & aliæ ad totum tempus vitæ; sic enim plures pœnitentes à confessione arcebantur.

13 Excipiuntur tamen aliqui casus. 1. Si moribundus statim post confessionem priuetur sensibus, vel subitò expiret; tunc nulla satisfactio est imponenda, quia nulla peragi potest. Si tamen aliquandiu viuat, imponendum est ei, vt suæ infirmitatis pœnas offerat Deo in pœnitentiam suorum peccatorum; & si conualescat, congrua satisfactio debet imponi, quam tamen implere non tenetur, nisi cùm conualuerit; vt habetur 26. *q.* 27. *c. ab infirmis.* 2. Si pœnitens sit subiturus martyrium, leuissima pœnitentia est imponenda; vel si sit lucraturus indulgentiam plenariam, aut iubilæum, leuior satisfactio est imponenda, quàm alio tempore; refert enim *Gl. s. in extra antiquorum de pœnit; & remiss;* quòd *Bonifac. VIII.* reprehenderit confessarios, qui anno iubilæi alias imponebant pœnitentias. 3. Si contritio sit tanta, vt peccatorum grauitatem coæquet; vt docet *Fund. Doct. vbi s.* 4. Si prudenter timetur pœnitentem satisfactionis grauitate perterritum vel illã non impleturum; vel à confessione retrahendum. 5. Si confessarius certò sciat pœnitentem plurimas pœnas assumpsisse in expiationẽ suorum peccatorũ &c.

14 Prob. 4. pars conclus. Quod est præceptum iure Diuino, acceptare tenemur; ad hoc enim, vt lex Dei obliget, non dependet ex libera hominum acceptatione; sed satisfactio præcipitur iure Diuino, vt diximus; nam sacerdos præcipit, vt Christi minister; iuxta illud: *Quæcunque alligaueritis &c;* Christus autem, vt causa ministerialis excellentiæ; ipse enim absoluit, & ligat; ergo satisfactio à pœnitente necessariò est acceptanda. 2. *Ex c. omnis vtriusque sexus* habetur, quòd quilibet singulis annis confiteatur; & pœnitentiam iniunctam adimpleat; sed quilibet tenetur implere præceptum confessionis sub peccato mortali; ergo & implere præceptum satisfactionis. 3. In tantùm sacerdos tenetur satisfactionem præcipere, in quantùm tenetur integrum facere sacramentum; sed etiam pœnitens tenetur integrum recipere sacramentum; ergo tenetur satisfactionem congruentem suscipere, & adimplere. 4. Qui accederet animo non satisfaciendi, seu non acceptandi satisfactionem à sacerdote imponendam, accederet indispositus; quia accederet sine voto satisfaciendi Deo pro peccatis; adeoque sacramentum irritaret; sed recusans satisfactionem recipere ostenderet se accessisse animo non acceptandi satisfactionem; habere enim animum acceptandi satisfactionem est velle satisfactionem; & illam recusare est illam nolle; velle autem, & nolle simul esse non possunt, sunt enim contradictoria; ergo recusans satisfactionem accederet indispositus, & sacramentum irritaret. Atqui pœnitens tenetur accedere dispositus, & non irritare sacramentum; ergo tenetur non recusare satisfactionem à sacerdote imponendam.

15 Ex hoc collig; quòd licèt possit quis differre ad satisfaciendum pro pœna temporali in

in Purgatorio non remissa per satisfactionem acceptam à sacerdote; non enim satisfactio iniuncta adæquatè satisfacit pro pęna temporali, cùm grauitatem peccatorum non æquet; sed tantùm ex parte; attamen non potest differre adimpletionem satisfactionis ad aliud sæculum; quia nedum tenetur satisfacere, sed etiam implere sacramentum, quod in alia vita complere non potest. Et quamuis pęnitens per opera bona voluntariè assumpta possit ex opere operantis satisfacere pęnę; attamen tenetur implere satisfactionē pęnalem, quia hæc est de integritate sacramenti; & ex opere operato satisfacit virtute sacramenti; quomodò nō satisfacit opus operantis, cui virtus sacramenti non suffragatur.

16 Obijc. 1. *hæretici* cont. 2. part. concl. Deus post remissionem peccatorum eorum ampliùs non recordatur; vt habetur *Ezech.* 18; ergo nulla remanet pęna à Deo infligenda; pęna enim peccati absque recordatione peccati infligi non potest. 2. *Rom.* 8. Nihil *damnationis est ijs, qui sunt in Christo*; sed validè, & fructuosè confessi sunt in Christo; sunt enim per gratiam habitualem acceptam in sacramento viua Christi membra; ergo nihil damnationis est in illis; & ideo nulla pęna, quæ damnationem importat. 3. Sacerdotes acceperunt potestatem absoluendi ab omni culpa, & ab omni pęna; si enim acceperunt potestatem absoluendi à pęna æterna, quæ est maior; multò magis à pęna temporali, quæ est minor. 4. Christus sua passione satisfecit superabundanter pro nobis; ergo nobis nihil remanet satisfaciendum; secus satisfactio Christi insufficiens fuisset; imò minùs profuisset nobis sua passione, quàm obfuit *Adæ* peccatum, qui in nos culpam, & pęnam transfundit; sed hoc est *cont. Apost. Rom.* 5; ergo & illud. 5. Nusquam legitur Christum, *& Apostolos* satisfactiones pęnitentibus imposuisse; ergo idem. 6. In sacrificijs veteris legis figurata fuit tantùm satisfactio facienda per Christum; ergo omnino gratis alia satisfactio à nobis facienda requiritur. 7. Si aliqua satisfactio ex parte nostra requireretur, satisfactio Christi non esset omnino gratuita; sed conſ. est *cont. Apost. Rom.* 3. asserentem: *Iustificati gratis per sanguinem ipsius*; ergo idem. 8. Si homo satisfaceret, esset sui ipsius Redemptor; quod præiudicat Redemptioni Christi; illam enim diminuit, & insufficientem ostendit.

Resp. ad 1. Deum non recordari quoad culpam, & quoad mortem æternam, quæ peccatis non remissis debetur; dicitur enim *ibid. Vita viuet, & non morietur*; recordari tamen quoad debitum, quod manet satisfaciendi Diuinæ iustitiæ; sicut enim ad ostensionem misericordiæ debet in sacramento peccata remittere; ita ad ostensionem iustitiæ, quæ propria Dei est, sicut misericordia, debet aliquam satisfactionem exigere. Ad 2. dicitur *Apost.* loqui de damnatione æterna non temporali, vt *ex c.* 3. colligitur. Ad 3. dist. Acceperunt potestatem absoluendi ab omni poena mediante satisfactione adæquata, quæ est pars sacramenti, virtute cuius sacerdotes absoluunt, conc; secus, neg. Ad 4. neg. conſ; *Christus enim passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum &c*; ideo satisfecit pro nobis, vt nos per ipsum satisfaceremus; nostra enim satisfactio non habet meritum nisi ex Christi passione; atque adeò Christus satisfacit, cùm nos satisfacimus; *sumus* enim *viua membra corporis eius* vitam ab ipso, & per ipsum participantes, quæ est gratia nobis ab ipso collata; vnde sicuti operationes membrorum corporis hominis rectè dicuntur fieri ab homine; ita satisfactio, quæ fit à membris Christi; rectè dicitur fieri à Christo. Ad aliud dicitur, quòd Christus plus nobis profuit, quàm nocuit *Adam*, quia gratiam potentiorem, quàm fuit illa, quam nobis *Adam* deperdidit, promeruit; non autem, quia bona temporalia maiora, quàm fuerint illa, quæ nobis *Adam* amisit, contulerit; constat enim sua morte nobis non restituisse felicitatem illā, in qua creatus fuit *Adam*; nec abstulisse mortē, aliasque miserias temporales ob *Adæ* peccatum inflictas: *Vt augeatur* (inquit *S. P. Aug. in suppl. cont. Iul.*) *fidei merces, quæ mala præsentia piè tolerat; & bona promissa non videns fideliter, & patienter expectat*. Ad 5. dicitur non omnia, quæ fecerunt *Apostoli*, scripta fuisse, sed aliqua traditione fuisse mandata. Prætereà neg. ant; nam 1. *Cor.* 5. *Paulus* ait *Corinthium illum incestuosum tradendum esse Sathanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini*; idèst in macerationem carnis *per pęnitentiæ labores, & molestias*, vt explicat *S. P. Aug. lib. cont. Adimant. c.* 17; non enim potest intelligi de interitu, seu de morte æterna; aliter anima ipsius in iudicio Dei salua non fieret. Ad 6. neg. ant; nam in sacrificijs veteribus fuit etiam adumbrata passio nostra; habetur enim *Leuit.* 16; *&* 23. *affligetisq; animas vestras*. Ad 7. dicitur, sicut ad 4; neg. enim ma; nam satisfactio nostra ex Christo est, & in Christo, vt ait *Trid*; ideo est merè gratuita; & omnino gratis nobis tributa. Ad 8. dicitur, quòd *in scripturis* dicitur homo se à peccatis redimere: *Peccata tua eleemosinis redime*; quia tamen sicut diximus de satisfactione, homo non redimit se, nisi quia fuit redemptus à Christo Domino, qui nobis meruit gratiam, per quam possumus à peccatis, & à pęnis peccatorum nos redimere; ideo solus Christus Dominus dicendus est simpliciter, & absolutè Redemptor.

17 Obijc. 2. *S. Ambr. in Luc. c.* 13; *& serm.* 46. *de pœnit.* inquit: *Lacrimas Petri lego, satisfactionem non lego*; ergo satisfactio non est necessaria. 2. *S. P. Aug. lib.* 2. *de pecc. merit; & remiss. c.* 14. ait miserias huius vitæ *ante remissionem esse supplicia peccatorum; post remissionem verò esse certamina, exercitationesque iustorum*. 3. *S. Chrisost. in* 1. *ad Cor.* 11.

Cor.11. in illud: *Si nos ipsos iudicaremus*; inquit: *Si nostra tantùm voluerimus agnoscere peccata, liberi erimus ab huius, & futuri sæculi pœnis*.

*Resp.*ad 1.*Fund.Doct.* satisfactionem præcipi ad sanandum defectum doloris, cùm dolor non coęquat grauitatem peccatorum; cùm autem coęquat, ipse adæquatè satisfacit. Vnde cùm dolor *S.Petri* fuerit intensissimus, alia satisfactio necessaria non erat. Ad 2. vel dicitur *S.P.Aug.*loqui de remissione peccatorum quoad culpam, & omnem pęnam; vel quòd certamina, & exercitationes iustorum valeant ad augendum meritum,quo pęna peccatorum redimitur. Ad 3.dicitur nos non agnoscere peccata, nisi per punitionem spontè susceptam; hoc enim innuit *Apost.ibid.*per quam effugimus temporalem Dei punitionem; & hoc *ex Apost.* docet *Chrisost.*

18 Obijc.3.Peccatum est offensa infinita; & omne opus hominis est finitum; ergo homo nullo opere potest ei satisfacere. 2.Illa reconciliatio est ficta, quæ post condonationem iniuriæ exigit malum aliquod in reconciliato; ergo idem. 3.Baptismus remittit omnem culpam, & omnem pœnam; ergo & pœnitentia, quæ est est alius baptismus.

*Resp.*ad 1.dist.conf.Nullo opere potest homo Dei gratia præuentus satisfacere peccato, vt est culpa, & prout importat pęnam æternam, conc.sic enim infinitatem importat; pro pœna temporali, neg; sic namque finitatem habet. Ad 2. iam diximus aliàs *sup.* reconciliationem hominis cum homine non importare, quòd homo recōciliatus fiat intrinsecè iustus, ideò iustitiæ satisfacere non debet; secus autem de reconciliatione hominis cum Deo. Ad 3.neg.ant. ob rationem *superiùs* allatam. Tum quia pœnitentia dicitur *laboriosus baptismus*, quia post acceptam remissionem peccatorum adhuc pęnitens debet maximè laborare, vt remissionem pęnæ temporalis obtineat; vel implendo satisfactionem iniunctam à sacerdote; vel assumendo spontè alias pœnas, si satisfactio grauitatem pœnæ temporalis non æquet.

19 Collig.1.ex dictis vtilitates, seu fructus satisfactionis esse. 1. A peccato retrahunt, & quasi fræno iniecto coercent; vt docet *Trid.*2. Peccatorum reliquijs medentur, & habitus vitiosos oppositos virtutum actibus euertunt, proptereà vocatur *satisfactio medicinalis a S.P.Aug. lib.22.cont.Faust.c.67;à D.Cypr.serm.de lapsis, & alijs SS. PP;* ideo satisfactio conueniens criminum varietati iniungenda est; vt auaris, & rapacibus eleemosina; lasciuis maceratio carnis, negligentibus oratio &c.3.Christo Domino,qui pro peccatis nostris passus est, nos assimilat; vt *si compatimur, & conglorificemur Rom.*8.Tandem relaxatio pęnæ temporalis, vt dictum est; augmentum gratiæ, & lætificatio, atque ædificatio Ecclesiæ; quæ sicuti per peccatum contristata est, & scandalum pati potuit; sic per satisfactionem lætificatur iuxta illud: *Gaudium erit in Cælo super vno peccatore pænitentiam agente*;& ædificatur ex nouis viuis lapidibus. Addi potest *cum Fund.Doct.vbi sup.*roboratio animæ, maior reconciliatio cum Deo, & cum Ecclesia militante, ac triumphante.

20 Collig.2.diuersam fuisse consuetudinem Ecclesiæ primis, & nouis temporibus; nam antiquitus non impendebatur absolutio, nisi peracta satisfactione vt constat ex facto *Theodosij*; & testatur *Tertull.de pænit; S.Cypr.serm.de lapsis; Innoc.I.ep.1;S.Leo ep.ad Theodorum Episcop.Forimilien;ex canonibus pænitentialibus; & ex Conc.Tolet.III.* Rationes autem erant 1; quia sic magis disponebatur pœnitens ad absolutionem. 2. Quia Ecclesia certa erat de illius vera conuersione. 3. Quia sic magis deterrebatur à vitijs. Modò tamen imponitur post absolutionem. 1. Quia satisfactio facta in gratia statim sortitur suos effectus. 2.Magis ostendit absolutionis efficaciam. 3. Animam citiùs in tuto ponit; posset enim tempore illo homo subita ægritudine corripi, & expirare sine absolutione; qua ratione acceleratus etiam fuit baptismus. Quamuis etiam veteribus Ecclesiæ temporibus prius absolutio, quàm satisfactio imposita fuerit, cùm periculum mortis ingrueret, sicut collatus fuit baptismus. Tandem quia non est de essentia sacramenti, vt præmittatur; quapropter damnata fuit sententia *Petri Oxomensis: Non sunt absoluendi pœnitentes, nisi peracta priùs pænitentia eis iniuncta*.

21 Collig.3; quòd sicut dolor nequit esse de vno, & non de alio peccato; quia pęnitens retinens in corde affectum ad vnum peccatum mortale fructuosè nequit dolere de alio, vt diximus *art.4.n.1*; ita satisfactio, quæ sanat defectum doloris nequit esse pro vno tantùm peccato, non verò pro alio; quia habens affectum ad vnum peccatum mortale nequit satisfacere fructuosè pro alio; nam *Isaiæ* 58. populo conquerenti; *Quare ieiunauimus, & non aspexisti?* Idèst quare non remisisti pœnas, quas pro peccatis patimur, etiamsi ieiunijs satisfecerimus pro pęnis, quæ debentur peccatis; respondit Dominus: *Ecce in die ieiunij vestri inuenietur voluntas vestra &c*; quia scilicet simul cum ieiunio erat affectus auaritię, & inclementiæ; *& Eccl.* 34. *Dona iniquorum non probat Altissimus;& inf.Homo qui ieiunat in peccatis suis, & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se; orationē eius quis exaudiet;et Iac.4.Quicunq;totam legem seruauerit, offendat autem in vno,factus est omnium reus;&S.P.Aug. hom.*41.*ex* 50.ostendit eos non esse verè pœnitentes, nec veram agere pęnitentiam, qui adhuc permanent in peccatis. *Vid.Enchir.à c.*75.

22 Collig.4. satisfactionem impositam ab vno confessario posse ab altero in aliam commutari ob impossibilitatem exortam illam implendi, vel ob difficultatem, vel ob aliam rationa-

tionabilem causam; etiansi confessarius commutans sit inferior confessario, qui illam imposuit; nam in ordine ad ferendum iudicium æqualem habent iurisdictionem. Nec sacramentum à priori confessario ministratum maneret mutilum; sed solùm ei mutaretur pars integralis. Debet tamen hæc commutatio fieri repetitis peccatis; quidquid dicat *Diana*, qui refert *Nauar; Toleti & alios*. Ratio est; nam etiam secunda satisfactio debet esse congrua qualitati criminum, vt iubet *Trid*; quantùm fieri potest; sed satisfactio congrua nequit imponi, nisi crimina à confessario sciantur; ergo debent in confessione explicari. Item secunda confessio est verus actus iudicij, in quo sacerdos profert sententiam; sed hęc nequit esse sine accusatione peccatorum; ergo idem. Non potest autem pęnitens illam commutare etiam in melius. Est *cont.Dianam*; nam in tantùm vouens potest mutare votum in meliùs; in quantùm ipse sibimet hoc præceptum imposuit; & ideo potestatem habet, non quidem illud tollendi, sed aggrauandi; vt qui vouit castitatem iugalem, potest vouere castitatem virginalem; sed pœnitens non imposuit sibimetipsi præceptum satisfactionis, quod à sacerdote impositum est; ergo nequit illud mutare. Item illam nequit neque idem, neque alius sacerdos extra sacramentum mutare; quia extra actum iudicij nequit sententiam proferre. Posse autem mutare pęnam latam contra peccata reseruata, etiansi auctoritatem absoluendi à reseruatis nō habeat, docent *Gibb. disp.15. dub. 8. n.15; Henriq; Vasq; Nauar; cont. Sua; Lug; Gonet; & alios*; per absolutionem enim superioris sublata est reseruatio, quia illa peccata fuerunt verè remissa.

§. 1.

An per suffragia, & indulgentias possit vnus pro alio satisfacere?

23 Fideles existentes in gratia dupliciter possunt à Deo obtinere alijs remissionem pęnæ temporalis. 1. Impetratiuè, quia possunt à deo impetrare alijs auxilia, vt opera satisfactoria eliciant; & in hoc sensu nedum iusti existentes in via, sed etiam beati existentes in patria obtinent à Deo suis precibus remissionem pœnæ temporalis peccatoribus existentibus siue in via, siue in Purgatorio. 2. Satisfactoriè; quatenus per opera pœnalia pro alijs assumpta sufficientem exhibent Deo satisfactionem pro remissione pœnæ temporalis alijs debitæ; & in hoc sensu beati nequeunt pro alijs obtinere remissionem pęnæ; quia pęnam, quæ pugnat cum beatitudinis statu, nequeunt sentire. Procedit igitur quæstio de solis iustis existentibus in via, qui pęnas pati possunt; quod ad satisfactionem requiritur, vt *sup.* diximus. Inquiritur autem de solis iustis existentibus in gratia; quia existentes in peccato, quamuis virtute sacramenti possint satisfacere, vt diximus de illis, quibus priscis Ecclesiæ temporibus imponebatur satisfactio explenda ante absolutionem à peccatis, sacramenta enim efficiunt ex opere operato; attamen ex opere operantis satisfacere nequeunt; quia opera peccatoris facta sine charitate non prosunt; vt docet *Apost.1.Cor.13.* Requiritur autem, vt vnus satisfaciat pro alio. 1. Quòd opus satisfactorium nedum sit pęnale, sed etiam sit moraliter bonum; nam opus malum, vt potè Deo displicens, nullius valoris, & pretij est; adeoque ad satisfaciendum prorsus ineptum. 2. Quod satisfaciens intendat pro alio satisfacere præcedenter ad opus; quia illud, quod suum est, nequit fieri alterius, nisi ab illo ei donetur; quod nequit esse sine intentione formali, vel virtuali satisfaciendi; quæ debet opus præcedere; quia opus factum nequit manere suspensum, sed in thesauro Ecclesiæ statim reponitur, vt constat de Missæ sacrificio; thesaurus autem Ecclesiæ non est sub potestate cuiuslibet fidelis, sed illius tantùm, qui habet claues, vt *inf.3.* Quòd ille, pro quo satisfactio exhibetur, sit in statu gratiæ; quia pęnæ temporali satisfieri non potest; nisi pęna æterna sit iam remissa; hinc pro damnatis nulla satisfactio potest offerri.

24 Vnica concl. Per suffragia, & indulgentias potest vnus pro alio siue adhuc viuo, siue sanctè defuncto satisfacere loquendo de satisfactione, prout est vindicatiua pęnarum, & simpliciter compensatiua debiti; non prout est medicinalis.

Prob. *ex Symb. fidei*, in quo continetur articulus *communionis Sanctorum*; efficit enim hæc communio, vt docet *Apost.1.Cor.12*; quòd sicuti membra corporis naturalis sibi suas actiones, & officia communicant, vt se inuicem iuuent; oculus enim videt nedum, vt sibi, sed etiam vt alijs membris corporis caueat; ita fideles, qui sunt viua membra corporis Christi mystici, quod est Ecclesia, communicant sibi suas actiones, quibus iuuantur contra illud, quod illis damnum potest inferre; vt discurrit *Catechismus Concilij Trid.p.2.c.110.* Quapropter *idem Apost.2. Cor.8.* exhortans diuites ad tribuendam eleemosinam pauperibus, qui erant *in Macedonia*, inquit, quòd sicut illi tribuendo eleemosinam necessitatibus, & pœnis corporis subuenissent; ita vicissim ab illis subleuati fuissent bonis eorum operibus à pœnis, & necessitatibus animæ; his verbis: *In præsenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat; & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum, vt fiat æqualitas.* Huc tendit etiam illud *ad Gal.6. Alter alterius onera portate*; onus autem hic pro debito accipitur, quod vnusquisque habet, satisfaciendi Diuinæ iustitiæ pro pęnis temporalibus ob peccata infligendis; quod probant verba sequentia.

tia: *Vnuſquiſque onus ſuum portabit*; quæ non contradicunt ptioribus aſſereutibus onus alterius ab altero eſſe pottandum; vt docet *S.P. Aug. lib.2. de conſenſu Euangeliſt. c.30.* duplex enim onus babet peccator; ſcilicet onus peccati ſol uendi; & onus pœnarum ob peccatum inſligendarum; peccatum namq; tectè dicitur onus, quia pertrahit ad gehennam; & pœna, qnia animam aggrauat, & ad Purgatorium deijcit. Sed onus alterius portandum ab altero nequit eſſe onus peccati; vnuſquiſque enim debet onus ſuorum peccatorum portare, & rationem reddere iuſto Iudici; ergo eſt onus pœnarum temporalium, quod portatur ab altero, cùm debita ſatisfactio exhibetur. Hunc fuiſſe ſemper ſenſum Eccleſiæ prob. *ex Tertull. lib. de pudicitia*; quem ſcripſit, poſtquam à fide defecerat; & in quo catholicis exprobrat; quòd martyrum merita, & paſſiones ſibi communicari aſſerebant; *& Orig. hom. 10. in Num.* exponens illos duos textus: *Libentiſſimè impendam, & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris 2. Cor. 12; & Ego iam immolor 2. Tim. 4.* ait: *Pro ijs ergo, quibus ſcribebat, impendi ſe, & immolari dicit Apoſtolus; hoſtia autem, cùm immolatur, ad hoc immolatur; vt eorum, pro quibus iugulatur, peccata purgentur; & D. Greg. Naz. or. 20. in Machabæos de Eleazaro* inquit: *Semetipſum hoſtiam obtulit Deo perfectiſſimam ad totius populi expiationem. S. Ambr. lib. 2. de pœnit. c. 10. Fleat pro te Mater Eccleſia, & culpam tuam lacrimis lauet; & communiter alij SS. PP.* Tandem boc oſtenditnr nedum ex ratione, qua vtitur *Apoſt*; vt *ſup.* diximus; quòd ita ſe habent membra corporis myſtici; ſicut ſe habent membra corporis naruralis; hæc autem ad inuicem patiuntur, vt ad inuicem ſubleuentur; ideo idem dicendum de illis. Sed etiam conuincitur ex conformitate, quam debent membra habere cum capite; ſed Chriſtus, qui eſt Caput Eccleſiæ, ſatisfecit pro omnibus membris Eccleſiæ pro culpa, & pœna; ergo iuſti, qui ſunt membra Eccleſiæ, ſatisfaciũt ex virtute meritorum Chriſti pro pęnis temporalibus alijs membris Eccleſiæ ob peccata inſligendis; eadem enim ſatisfactionis gratia à Capite deriuatur in membra. Ergo quanuis debitnm ſatisfaciendi pro pœna ſit perſonale, & proprium illius, qui propria culpa illud contraxit; attamen ſicuti ob hoc non ſit, quòd Chriſtus Dominus aſſumens perſonam peccatotis pro illo non ſatisfecetit; ita iuſtus, qui eſt Chriſti membrum, & agit per virtutem ſibi ab ipſo communicatam, induens perſonam alterius peccatoris poteſt ſatisfacere pro pœnis illi temporaliter debitis; virtus enim ſatisfactiua eſt participatio virtutis Chriſti Domini; vt dictum eſt. Hinc *Trid. ſeſſ. 25. decr. 1.* definiuit *animas in Purgatorio detentas fidelium ſuffragijs, potiſſimùm verò altaris ſacrificio iuuari; & Flor. decr. 3. Si verè pœnitentes in Dei charitate deceſſerint, antequam dignis pœnitentię fructibus de commiſſis ſatisfecerint, & omiſſis, eorum animas pęnis Purgatorij purgari; & vt à pęnis huiuſmodi releuentur, prodeſſe eis viuorum ſuffragia, Miſſarum ſcilicet ſacrificia, orationes, & eleemoſinas, & alia pietatis officia, quæ à fidelibus fieri conſueuerunt ſecundùm Eccleſiæ inſtituta.* Item *Carthag. III. c. 29; & IV. c. 79; Bracar. I. c. 34; & 39; Cabilonen; & habetur de conſecr. diſt. 2. c. viſum eſt; Vuormatien. c. 10; & Lat. ſub Innoc. III. c. 66. Vid. Coriolan. in Flor. annot. in decr.* 31 apud quem *alij SS. PP.* Nomine autem ſuffragiorum comprehenduntur etiam indulgentiæ, quæ per modum ſuffragij conceduntur, vt conſtat ex formula, qua ſolent concedi; & habetur *ep. decretali Leonis X. ad Caiet; ex Sixto IV; & Innoc. VIII*; concedi autem per modum ſuffragij eſt concedi per modum auxilij ſpiritualis Eccleſiaſtici, quo fideles ſuis bonis operibus iuuant, & ſubueniunt alijs ſiue viuis, ſiue defunctis; & cùm indulgentia propriè diſpenſet de theſauro Eccleſiæ paſſionem Chriſti Domini, Martyrum, & aliorum Sanctorum; quæ ex ſua ratione formali, cùm pœnales ſint, habent ſatisfacere pro pœna temporali; ideo indulgentiæ de ſua ratione formali habent eſſe ſatisfactoriæ pro pœna temporali debita ijs, quibus applicantur; & per conſequens vnus pro alio poteſt ſatisfacere vel ei applicando ſua opera pœnalia; vel illa deferendo ad theſaurum Eccleſiæ; à qua poſteà ei applicantur.

25 Prob. 2. pars concl. Quanuis vnus poſſit ſolnere debitum pro alio, non tamen poteſt pro alio ſumere medicinam; vt conſtat; ergo quanuis vnus poſſit per ſuffragia ſatisfacere pro alio, quatenus compenſat debitum, quo tenetur pœnam ſubire, vt ſatisfaciat Diuinæ iuſtitiæ; non poteſt tamen elicere ſatisfactionem medicinalem pro illo; qnia licèt per ſuffragia ſatisfiat pœnæ laſciuo inſligendæ; non tamen corrigitur pruritus laſciuiendi, cui non medetur, niſi maceratio corporis à laſciuo in ſeipſo ſuſcepta. Ex his collig. ſolutio plutium dubiorum, quæ circa hanc materiam vertuntur.

26 Primò ſatisfactio pro alio infallibilirer acceptatur à Deo per ordinem ad remittendam pœnam temporalem ei debitam. Eſt *cont. Med; Cordub; & Bonat;* traditur tamen *à noſtro Gibb; Sua; Caſtro, Lug; & alijs communiter.* Colligitur *ex Scripturis, Concilijs, & SS. PP. ſup.* relatis; non enim abſolutè dixiſſet *Apoſt.* vnum pro alio ſupplere; niſi acceptationem Dei infallibilem præſuppoſuiſſet; ſed tantùm innuiſſet vnum pro alio debere ſatisfacere, quia fortè Deus illi pœnam diminuet. Nec *articulus communionis Sanctorum* conſiſteret; ſi ſatisfactio pœnalis vnius non communicaretur, & acceptaretur infallibiliter, vt exhibita ab alio; in hoc enim conſiſtit *communio*; vt actio, quæ facta eſt ab vno, acceptetur, ac ſi facta eſſet ab alio; ſed ſatisfactio exhibita pro ſeipſo infallibiliter acceptatur à Deo; vt diximus *ex Scriptura: Peccata tua eleemoſinis redime;*

ergo & satisfactio facta pro alio; qui enim induit personam alterius, censetur, ac si esset alter. Tum quia satisfactio Christi Domini, qui est Caput totius corporis Ecclesiæ, infallibiliter fuit acceptata; ergo idem de membris eius dicendum. Nec est paritas de precibus fusis Deo pro alio; nam preces non innituntur operis condignitati; sicuti innititur satisfactio. Quemadmodum preces oblatæ à familiari Pontifici ad impetrandum alteri beneficium illud non infallibiliter impetrant; solutio tamen centum pro alio, qui illa debet, relaxationem debiti infallibiliter obtinet.

27 Secundò satisfactio liberè facta pro alio non est sacramentalis; quia hæc debet esse actus ipsius pœnitentis; vt docet *Trid*; posse tamen etiam esse sacramentalem, si confessarius videns impotentiam pœnitentis concedat, vt alij possint pro ipso satisfacere; docent *Sua*; *Nugn*; *&* *Estius cont.Vasq*; *Coninch*, *Lug*; *&* *Gibb*; non posse tamen pœnitētem propria auctoritate per alium suam pœnitentiam implere *omnes* fatentur. Ratio primi est; quia satisfactio ab alio præstita censetur actus ipsius pœnitentis saltem imperatus, & volitus; debet enim pœnitens conari, quantùm potest, vt satisfaciat, & desiderare, vt satisfactio iniuncta impleatur siue à se, siue ab alio; nam si aliorum satisfactioni tantùm confidat, & nihil, cùm possit, agere conatur, non videtur obedire præcepto satisfaciendi; atque adeò nec fructum satisfactionis percipere. At si ipse agat, quantùm potest; & roget alios, vt ipsum adiuuent in satisfactione sacramentaliter sibi iniuncta adimplenda; tunc talis actus censetur ipsius, quia est ab ipso imperatus, & volitus; ergo nihil deest, quòd illa satisfactio non sit sacramentalis. Tum quia nulla est ratio excludendi *articulum communionis Sanctorum* à materia sacramentorum, cùm eorum saluatur essentia; sed in casu essentia saluatur; quia pœnitens facit, quantùm potest; ergo non videtur dicendum, quòd in satisfactione sacramentali ab alijs adiuuari non possit.

28 Tertiò suffragia istorum non solùm, quatenus satisfactoria sunt, sed etiam quatenus impetratoria sunt præcisè, prosunt animabus Purgatorij. Est *cont. Sua*; *&* *Castro*; traditur tamen ab alijs. Nam orationes Beatorum prosunt animabus Purgatorij, & tamen satisfactoriæ non sunt, quia non sunt pœnales. Nec pœna remittitur solùm per satisfactionem, sed aliquando etiam per simplicem, & omnino gratuitam condonationem; quamuis etiam in illo casu passio Christi Domini ab ipso applicetur.

29 Quartò solus baptismus, quo efficimur Ecclesiæ membra, sufficit ad orandum nomine Ecclesiæ. Est *cont.Sua*; *Castro*, *&* *Gibb.* asserentes ad orandum nomine Ecclesiæ requiri, vt instituatur minister legitima auctoritate instructus, & talis oratio fiat ex speciali ordinatione, & mandato Ecclesiæ. Traditur tamen *à Fund. Doct. Æg. super orationem Dominicam*, quem sequuntur *Nauarr* *&* *plures alij*. Nam *Iac.5.* habetur: *Orate pro inuicem, vt saluemini*; quod dictum est omnibus, non solis sacerdotibus, qui soli sunt Ecclesiæ ministri; & *1. ad Tessal. 5. Fratres orate pro nobis*; quod à sacerdotibus dictum est non sacerdotibus; ergo ad orandum nomine Ecclesiæ non requiritur aliqua specialis institutio, aut præceptum; sed sufficit esse membrum Ecclesiæ; omnibus enim generaliter præcipitur oratio pro alio, sicut præcipitur dilectio. Tum quia SS. PP. ad orandum nomine Ecclesiæ nihil aliud requirunt, quàm esse intra Ecclesiam. Tandem cùm recitamus *orationem Dominicam*, oramus nomine Ecclesiæ; oramus enim in plurali; & ideo gerimus personam totius Ecclesiæ; aliter nolens dimittere inimicis iniuriam (inquit *Fund. Doct. vbi sup.*) recitando orationem Dominicam mendacium proferret, & ideo peccaret; in tantùm enim non peccat, in quantùm orat nomine Ecclesiæ, quæ inimicis dimittit.

30 Quintò animæ Purgatorij non satisfaciunt, cùm eorum hæredes actu exequuntur pia legata Missarum, eleemosinarum &c. testamento mandata; tunc enim sunt tantùm in statu satispatiendi, non satisfaciendi; de quo statu inquit Christus Dominus *Io. Veniet nox, quando nemo poterit operari*: ideo nec satisfacere, quod est operari, vt constat. Satisfecerunt ergo, cùm illa opera executioni mandanda testamento præceperunt. Pluribus tamen modis iuuantur, cùm hæredes legata relicta exequuntur; vel vt exequantur, efficiunt. 1. Quia orationibus, quæ in illa executione funduntur, iuuantur. 2. Quia ab illo actu externo ad misericordiam mouetur Deus. 3. Quia pauperes, quibus eleemosinæ erogantur, suis orationibus illas offerunt Deo pro liberatione defunctorum. 4. Quia hæredes piam voluntatem iuuandi animas suorum parentum cum executione coniungunt. Quibus bonis hæredes priuant animas defunctorum vel non exequentes, vel executionem differentes; quapropter *c.qui oblatione 2.13.q.2. necatores appellantur*, *&* *excommunicatione feriendi*.

31 Sextò quamuis anima Purgatorij, quæ adhuc degens in carne restitutionem rei alienæ testamento mandauit esse faciendam, possit liberari à pœnis, etiamsi restitutio non fiat; quia quantùm ex se fuit, præcepit, vt fieret; aliter nunquam liberaretur à Purgatorio, si nunquam restitutio fieret; quod est falsum, quia nolitio restitutionis non est illi culpabilis; ideo soluta pœna temporali liberatur; attamen citiùs liberatur à pœnis ob rationes *sup.* allatas; & quia æquum videtur, vt ipsa diutiùs puniatur; cùm illi, qui fuerunt ab ipsa suis bonis spoliati, diu patiuntur.

An

§. 2.

An potestas concedendi indulgentias sit instituta à Christo Domino nedum pro pœnitentijs in hac vita iniungendis, sed etiam pro pœnis in Purgatorio exoluendis?

32 Quanuis indulgentia *apud antiquos Ecclesiæ PP.* vocata fuerit aliquando remissio pœnæ, relaxatio, vt constat *ex pœnitentiali Theodori Cantuarien; & ab Apost. 2. Cor. 2.* donatio, seu condonatio: *Nam & ego, quod donaui, si quid donaui propter vos in persona Christi*; quo nomine etiam vtuntur *Tertull. lib. ad Martyres c. 1; S. Chrysost. hom. 4. in 2. Cor; & Theophylact. in eandem*; attamen falsum est, quod *nonnulli* asseruerunt, scilicet *Greg. VII. in suis epistolis* primò vsum fuisse hoc nomine indulgentiæ; falsum, inquam, est; nam reperitur etiam hoc nomen *apud Vigilium Papam ep. ad Eutherum c. 3; apud S. Pacianum ep. 3. cont. Nouatianos*, qui aliquibus sæculis *ante Greg. VII.* vixere. Subinde *S. Ambr. lib. 1. de pœnit. c. vlt; S. P. Aug. de temp. serm. 63; Epaunen. Conc. sub Gelas. can. 29; Greg. I; Alex. III. extra de pœnit; & remissionib; Innoc. III. in Lat. c. 3; Honorius ibid. can. penult; Innoc. IV. in Conc. Lugd*; vt habetur *eodem tit. in 6. c. Romana Ecclesia; Bonif. VIII. c. indulgentia; & extra antiquorum; Clem. VI. extra Vnigenitus; Conc. Constant. in bulla Martini V; Sixt. IV.* in damnatione *propositionis 6. Petri Oxomen*; & tandem *Trid. sess. 25. decr. de indulgentijs; & omnes SS. PP; ac DD*; qui his contemporanei fuerint.

33 Ad rationem formalem indulgentiæ non sufficit sola satisfactio pro alio oblata; aliter vnusquisque iustus, qui potest pro alio satisfacere, vt diximus, ei indulgentiam concederet; ac propterea potestas concedendi indulgentias esset in quolibet iusto, quod est falsum, vt *videb.* Duo ergo requiruntur ad formalem indulgentiæ rationem. 1. Vt fiat condigna compensatio, seu solutio pœnæ ex thesauro Ecclesiæ desumpta, qua satisfiat Diuinæ iustitiæ. 2. Requiritur in concedente potestas clauium aperiendi thesaurū Ecclesiæ, & ex illo desumendi passiones Christi Domini, & Sanctorum communicandas ei, cui indulgentia applicatur. Aliter tamen hæc potestas procedit respectu viuorum, & aliter respectu defunctorum; nam respectu viuorum procedit per modum iudicij; ideo essentialiter importat iurisdictionem in eos, quibus indulgentia applicatur; vt *inf.* At respectu defunctorum procedit per modum suffragij; ideo non inuoluit essentialiter iurisdictionem in eos, quibus applicatur; nec importat absolutionem iudiciariam, sed tantùm absolutionem relaxatiuam pœnæ temporalis per applicationem, & oblationem passionum Christi Domini, & aliorum Sanctorum, qui superabundanter ad pœnas, quas pati debebant pro suis delictis, passi sunt; vt istorum abundantia aliorum inopiam suppleat iuxta doctrinam *Apost. 2. Cor. 8*; vnum enim membrum eo, quo sui necessitatem excellit, supplet indigentiam alterius, vt constat de oculo, qui quia nedum videt ea, quæ sibi sunt contraria, sed etiam ea, quæ possunt offendere pedes, & ceteras corporis partes; ideo visionē extendit etiam ad cauenda offendicula pedū, & vna pars, quæ humiditate abūdat, illam cōmunicat alteri, quæ siccitate præualet, vt refrigeretur. Ex quo sumpsit *Apost. articulum communionis Sanctorum*, qui sunt membra corporis mystici Christi Domini, quod est Ecclesia; vt diximus *in sup. §.*

34 *Heretici nostri temporis*, qui contra indulgentias se erexerunt, negauerunt dari thesaurum meritis, & satisfactionibus Christi, & Sanctorum repletum. Ex Catholicis idem sensit *Maior. hic dist. 19. q. 2*; nam actiones, & passiones Christi Domini, quanuis infiniti valoris, acceperunt cumulatissimam gloriæ mercedem corporis, & animæ, nominis exaltationem, & thronum ad dexteram Patris; tum quia peccata in genere offensæ sunt infinita, ergo adæquane infinitum valorem operum Christi; & ideo hæc non superant illa, nec aliquid superest irremuneratum in Ecclesiæ thesauro ponendum. *Dur.* verò *hic dist. 20. q. 3.* concedit thesaurum Ecclesiæ plenum esse meritis & satisfactionibus Christi, non autem Sanctorum. Etenim si satisfactio Christi Domini est infiniti valoris, nunquam est exhauribilis, & ideo frustra adduntur satisfactiones Sanctorum. Tum quia sequeretur Sanctos esse redemptores illorum, quibus eorum pœnalitates applicarentur; imò etiam in veteri lege fuisse hunc thesaurum; quia plures iusti, vt *Ieremias, Dauid &c.* plus passi sunt, quàm demeruerint. Sed dari hunc thesaurum in Ecclesia est dogma fidei. Opera enim Christi Domini, & Sanctorum, si considerentur, vt meritoria, procedunt à gratia sanctificante, & charitate, quæ est principium formale merendi; & sic præmium operum Christi Domini est gloria animæ, & glorificatio corporis, exaltatio sui nominis; & gloria omnium hominum, quam omnibus meruit, præmium verò operum Sanctorum est gloria sui ipsius dumtaxat; quia sibi, & non alijs potuerunt gloriam mereri, vt *alibi* diximus. Si autem considerentur, vt satisfactoria pro pœna temporali in hac, & in alia vita, peccatis commissis debita, sic commensurantur cum pœnalitate; & illorum præmium est remissio pœnæ temporalis debitæ. Cùm igitur actiones, & passiones Christi Domini etiam, vt meritoriæ, sint simpliciter infinitæ, & sint applicabiles infinitis hominibus, si darentur; consequens est eas per gloriam finitorum hominum non remunerari; atque adeò adhuc superabundare; quod docet *Apost. Rom. 5. Sicut abundauit Adę delictum, ita superabundauit & gratia*; quæ ne

ne deperderetur oblita, in Ecclesiæ thesauro fuit seruanda. At actiones Sanctorum, quatenus meritoriæ, quia sunt finitæ; & aliunde gloria, quæ est præmium illorum, est superexcedens iuxta illud *Luc.6. Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum*; ideo actiones, & passiones sanctorum, vt meritoriæ, non reponuntur in Ecclesiæ thesauro, adæquantur enim, non superabundant. Sed vt satisfactoriæ, possunt superexcedere; quia Sancti plus pati possunt in hac vita, quàm pati deberent in alia; certum enim est, quòd *Beatiss. Virgo* nihil omnino pati debuit in hac, & in alia vita; quia nec venialiter peccauit; & tamen passa est acerbissimos dolores, & martyria vsque ad diuisionem animæ: ideo ne illius passiones irremuneratæ manerent, debuit dari thesaurus Ecclesiæ, in quo seruarentur alijs communicandæ; vt habetur *extra Vnigenitus de pœnit. & remiss.* Sic dicendum de pluribus Sanctis, qui nullum peccatum mortale patrarunt, & tamen vitam pœnis plenam duxerunt; & de pluribus Martyribus, qui post baptismum immediatè passi sunt atrocissimas pœnas, quæ compensare non poterant pœnam propriorum delictorum, quia omnis pœna per baptismum, & per martyrium eis erat dimissa; ideo in Ecclesiæ thesauro eorum passiones debuerunt seruari, vt alijs non habentibus, vnde redderent, applicarentur. Diuinæ namque iustitiæ æqualiter congruit nullum malum impunitum relinquere, & nullum bonum irremuneratum omittere. Hoc, præterquamquod definitum fuit *à Clem. VI. extra Vnigenitus vbi sup. à Leone X. in bulla cont. articulos Lutheri, à Martino V. in Conc. Constant. cont. Vicleff, & Io. Huss; & à Sixto IV. contra propos. 6. Petri Oxomensis, Pio V; & Greg. XIII. cont. 60. proposit. inter Baianas, & à Trid. sess. 25. decr. de indulgentijs*, vbi eas vocat *cælestes Ecclesiæ thesauros* conformiter ad *antiqua Concilia, et SS. PP.*; qui Ecclesiæ traditionem ostendunt, vt dicemus; colligitur etiam manifestissimè *ex Scripturis inf.* adducendis; ne vllum probationis genus huic veritati stabiliendæ *contra Ecclesiæ inimicos* deficiat. Soluuntur autem rationes oppositæ; quia meritum Christi Domini fuit simpliciter infinitum in esse valoris; præmium autem fuit finitum; ideo illud fuit reponendum in Ecclesiæ thesauro; satisfactio autem non habuit, quid pro seipso rependeret; *quia in ipso peccatum non fuit*; & peccata nostra sunt infinita tãtùm in vno genere, non simpliciter in omni genere; quælibet autem actio, & passio Christi Domini est infinita simpliciter in omni genere; quia excedit quamlibet actionem meritoriam, & passionem, cuiuscunque generis illa sit; ideo fuit seruanda. Quamuis autem passio Christi sit infinita in omni genere; attamen non sequitur passiones Sanctorum superaddi ex superfluo; non enim superadduntur, quia illæ non sufficiant, cùm sint excedentes; sed quia nulla actio bona nequit irremunerata manere. Ad aliud iam diximus *in sup. §.* redemptionem absolutè dici de liberatione à captiuitate peccati, & à morte æterna, quomodò soli Christo Domino conuenit; secundùm quid tamen posse etiam homini conuenire. Ad aliud dicitur etiam in lege veteri fuisse aliqualem compensationem vnius pro alio, licèt imperfectam, quia adhuc non erant illa opera perfecta, & consummata per passionem Christi; habetur enim *ps. 31. Propter Dauid seruum tuum non auertas faciem Christi tui. Vt supp.*

35 *Vualdenses à Vualdo, seu Vualdesio Lugdunensi pauperes de Lugduno appellati circa annum* 1170. vt refert *Guido Carmelita*, indulgentias negare ceperunt. Secuti sunt *Vuicleff, Io. Huss, et Hussitæ, Caluinus, et Lutherus cum suis*. Cæterùm cùm apertissimis *Scripturarum, Conciliorum, et SS. PP. textibus* oppugnarentur, conati sunt ita illos interpretari, vt per indulgentias Episcoporum relaxetur quidem pœnitentia, quæ in hac vita pro peccatis iniungitur; non tamen remittatur pœna temporalis in alia vita à defunctis luenda; pro qua dicunt nullam potestatem fuisse in Ecclesia institutam, nec vllum thesaurum existere, à quo extrahi possit pretium pro illa soluendum; nimis præiudicari meritis Christi Domini superaddendo illius passioni passiones Sanctorum, quasi illa non sufficiat, sed augeri indigeat, ne tota exhauriatur, vt pro omnibus valeat; ac propterea indulgentias esse fraudes fidelium; & cætera, quæ in argumentotum solutione adducentur.

De fide est indulgentias à Christo Domino fuisse institutas, & potestatem illas dispensandi ab ipso fuisse Ecclesiæ concessam tam pro viuis, quàm pro defunctis ad soluendam pœnam in hoc, & in alio sæculo luendam per applicationem meritorum, ac pœnalitatum Christi Domini, & aliorum Sanctorum, qui superabundanter ad propria delicta passi sunt, quę pœnalitates, & merita in Ecclesiæ thesauro seruantur; cuius claues traditæ à Christo Domino fuerunt Ecclesiæ. *Ita communiter omnes Catholici*.

36 Vnica concl. Vsus indulgentiarum etiam extra sacramentum à Christo Domino fuit institutus, & semper fuit in Ecclesia tam pro viuis etiam extra sacramentum, idèst pro pœnitentijs, quæ in hac vita imponuntur peccatoribus, vt reconcilientur Ecclesiæ; quàm pro defunctis, idèst pro pœnis, quæ à Diuina iustitia sunt taxatæ animabus, quæ in hac vita peccarunt, & ad aliam sine debita pœnarum compensatione transierunt; quæ cùm eis applicantur merita, & passiones Christi Domini, & superabundantes pœnalitates Sanctorum in Ecclesiæ thesauro seruatæ, censentur satisfacere, ac si propriæ illarum essent

essent illæ passiones *ob articulum communionis Sanctorum*.

Prob. 1. pars concl. *ex Matth. 16. & 18. Quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in Cælis*. Solutio à quacunque obligatione per peccatum inducta fuit à Christo Domino instituta; aliter non instituisset potestatem soluendi quæcunque, sed tantùm aliqua; quod contradicit in terminis *textui*; hæ namque propositiones: *Quodcunque solueritis, erit solutum; & aliquod, quod solueritis, non erit solutum*; sunt ad inuicem contradictoriæ, quia vna est vniuersalis affirmatiua; altera particularis negatiua; sed vsus indulgentiarum etiam extra sacramentum est solutio ab obligatione per peccatum inducta; soluit enim à pęna temporali, quę pro peccato est à Deo taxata; & ideo ad quam soluendam obligatur peccator; ergo vsus indulgentiarum etiam extra sacramentum fuit à Christo Domino institutus. Item *ex illo Io. 20. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Ideo solutio à reatu culpæ fieri potest solummodò in sacramento; quia potestas soluendi à peccatis instituta fuit solum in institutione sacramenti; nam instituta fuit *Io. 20.* vbi institutum fuit sacramentum pœnitentiæ, vt docet *Trid*; ergo solutio à reatu pœnæ fieri potest etiam extra sacramentum; quia potestas soluendi à pœna collata fuit extra institutionem sacramenti. 2. *Cor. 2. Apostolus*, postquam *illi Corinthio incæstuoso* pęnitentiam austeram iniunxerat, aliquid de ipsa ex persona Christi remisit, ne tristitiæ nimietate absorptus fidem Christianam fortè desereret: *Sufficit ei, qui einsmodi est, obiurgatio hæc, quæ fit à pluribus ita, vt è contrario magis donetis, & consolemini; ne fortè abundantiori tristitia absorbeatur*; & statim mandat, sic esse faciendum ad sui exemplum: *Cui autem aliquid donatis, & ego. Nam & ego quod donaui, si quid donaui propter vos in persona Christi, vt non circumueniamur à Sathana*; idest ne inducamus in desperationem. Quibus verbis testatur *Apost.* se in persona Christi, seu in potestate sibi à Christo collata (minister enim agens in persona Regis agit ex potestate sibi à Rege collata) aliquid de pœna donasse, seu indulsisse; quod exponens *S. Pacian. ep. 3. cont. Nouatianos* inquit: *Vides Apostoli indulgentiam proprias etiam sententias temperantem; vides mitissimam lenitatem longè vestro supercilio separatam; longè à Nouatiani fronte dissimilem; & S. Crisost. hom. 4. in eandem ep.* inquit: *Non enim, quod dignus sit, neque quòd sufficientem exhibueris pęnitentiam, sed quòd infirmus sit; ideo inquit; dignor illum venia; vnde & adiecit: Ne abundantiori tristitia absorbeatur; qui sermo declarat illius vehementem pænitentiam, quem Paulus non sit passus in desperationem venire*. Idem habet *D. Ambr. lib. 1. de pœnit. c. 6. & c. vlt.* Igitur quod *Apostolus* egit ex persona Christi, & mandauit esse faciendum, fecit ex potestate sibi, & successoribus à Christo concessa; implicat enim, quòd egerit ex persona, seu in persona Christi, & non egerit per potestatem Christi sibi ab ipso collatam; aliter eandem potestatem, si non accepisset, sibi arrogasset, quod *tanto Apostolo* esset summè iniuriosum; sed *Apostolus* indulgentiam extra sacramentum concessit, qua *Corinthius* solutus est à pœna sibi imposita; rogatus enim *à Præsidibus Ecclesiæ Corinthiacæ* remisit pęnam, quæ soluenda supererat; & mandauit hoc esse faciendum, ne nimia tristitia inducantur pęnitentes in desperationem, quæ est Diaboli laqueus; ergo indulgentiam concedere etiam extra sacramentum est ex potestate à Christo instituta, & concessa.

37 Præterea dispensatio, seu communicatio thesauri ipsius Ecclesiæ, in quo superabundantes Christi passiones, & sanctorum pœnalitates, quæ non fuerunt remuneratæ, seruantur, à Christo Domino est instituta; sed vsus indulgentiarum est dispensatio, seu communicatio thesauri ipsius Ecclesiæ; ergo à Christo Domino est instituta. Prob. ma. Nomine thesauri ipsius Ecclesiæ significatur reseruatio actionum bonarum, quæ à Deo non fuerunt remuneratæ in illis iustis, à quibus fuerunt elicitæ; nam pet alias satisfecerunt integrè debito, quod habebant cum Diuina iustitia, quia pęnalitas, quā subierunt, fuit maior, quàm pęna temporalis debita eorum peccatis; vt habetur *Iob. 6. Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quam patior, in statera, quasi arena maris hæc grauior appareret*; sicut enim Deus est punitor omnium malorum, ita est retributor omnium bonorum; & ideo sicuti nullum malum impunitum dimittit, sed illi seruat vindictam, quousque tollatur, & pro ipso aliqua satisfactio reddatur; ita seruat bonas actiones, quousque remunerationem accipiant; & sicuti nequit negari, quòd operibus malis, quæ non fuerunt punita, seruetur iusta vindicta; ita nequit negari, quòd operibus bonis, quæ non fuerunt remunerata, remuneratio seruetur; ista autem asseruatio operum bonorum, quibus reddenda est retributio, thesauri nomine appellatur. Sed dispensatio, seu communicatio operum bonorum pœnalium seu Christi Domini, seu aliorum sanctorum, quæ excesserunt debitum, quod habebant, fuit instituta à Christo Domino; sicut enim communicatio, & dispensatio actionum, quæ fiunt à membris in corpore naturali, & ne dum sibi, sed etiam alijs possunt sufficere, instituta fuit ab Auctore corporis naturalis; qui sic illa membra disposuit, vt agerent; ita dispensatio, & communicatio actionum, quæ fiunt à membris corporis Christi mystici, quod est Ecclesia, & quæ nedum sibi, sed etiam alijs membris possunt sufficere, instituta est ab Institutore ipsius corporis mystici, seu ipsius Ecclesiæ, & ideo à Christo Domino, qui Ecclesiam insti-

instituit; ergo dispensatio thesauri ipsius Ecclesiæ à Christo Domino est instituta. Quòd autem in Ecclesia nedum sint passiones Christi Domini, vt potè infinitæ, quæ superabundantes fuerunt redemptioni à captiuitate peccati, & à pœna æterna; atque adeò reseruentur etiam applicandæ membris Ecclesiæ, vt à pœna temporali soluantur, cùm eis propriæ actiones pœnales deficiunt; sed etiam seruentur passiones sanctorum, quæ propriam satisfactionem excesserunt, apertè probatur nedum *ex Iob.6. vbi f.* sed etiam *ex 2. Cor.8*, vbi dicitur, quòd abundantia operum bonorum in aliquibus debet inopiam in alijs supplere; *& ad Coloss.1. Qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia.* Non quia passio Christi non fuerit sufficientissimum pretiū pro omni culpa, & omni pœna; sed quia operationes pœnales membrorum sunt etiā Christi Domini; Ipse enim patitur in suis membris, quia patitur in suo corpore, quod est Ecclesia; vnde *Paulus* patiens, vt Christi membrū, impleuit passiones, quas in ipso, tanquā in mēbro, Christus pati debebat in corpore, quod est Ecclesia. Ex quo infertur, quòd si in Ecclesiæ thesauro seruantur Christi passiones, seruentur quoq; passiones Sanctorum, quæ sunt Christi passiones, non quidem in suo corpore naturali, quod modò impassibile est, sed in suo corpore mystico, quod est Ecclesia, quæ per passiones ad vitam impassibilem tendit; inquit enim *S. P. Aug. in ps.101. Tribularis tu hodiè, & ego tribulor; tribulatur alius crastinè, ego tribulor; ait Dominus Saluator noster: Quicunque tribulantur in corpore meo, & ego tribulor.* Ergo ex eo, quòd in Ecclesiæ thesauro reponendæ sint Christi passiones, rectissimè infertur reponēdas quoq; esse passiones Sanctorum, quæ sunt passiones Christi in corpore mystico, sicut illæ fuerunt in corpore naturali; aliter non omnes Christi passiones in Ecclesiæ thesauro reponerentur; *& 1. ad Tim.6. Præcipe diuitibus huius sæculi non sublime sapere, diuites fieri in operibus bonis; & 2. Cor. 9. Potens est Deus omnem gratiam abundare facere in omnibus vobis; vt in omnibus semper omnem sufficientiam habentes abundetis in omne opus bonū.* Item *articuli fidei* fuerunt à Christo instituti, à quo fides, quæ in illis consistit, est instituta; sed dispensatio thesauri Ecclesiæ est articulus fidei contentus *in symbolo* sub nomine *communionis sanctorum*; si namque actiones pœnales sanctorū, quæ propriam satisfactionem excedunt, non seruarentur in Ecclesiæ thesaurō, vt alijs applicentur ad eorum satisfactionem implendam, iam non esset inter Sanctos, qui sunt membra Ecclesiæ, *perfecta communio*; quia non communicarent in omnibus; ergo dispensatio thesauri fuit à Christo instituta. *Vid. textus ex SS. PP.* allatos *in sup.* Si quibus additur *S. P. Aug. in Io. tract. 47. Pretiosus sanguis est illius sine peccato; fecit tamen ipse etiam suorum sanguinem pretiosum, pro quibus dedit sanguinis pretium*; thesaurus autem rerum pretiosarum locum significat. Idem habet *Trid. sess.14. c.8.* Mi. principalis argumenti ex terminis liquet; quia nomine vsus indulgentiarum intelligitur applicatio satisfactionis pęnalis Christi, & Sanctorum in Ecclesiæ thesauro seruatæ, facta illi, qui ea indiget; ideo est dispensatio, seu communicatio thesauri ipsius Ecclesię. Hoc denique fuit definitum *à Summis Pontificibus, & Conc.* vt diximus *n.32.*

38 Prob. 2. pars concl. *ijsdem textibus. Nam Matth. 16. & 18.* collata est potestas soluendi quæcunque super terram, quæ erunt soluta & in Cœlis; idest in iudicio Dei; ergo collata est potestas etiam soluendi à pęnis Purgatorij, quæ sunt soluendæ in Dei iudicio; aliter non fuisset potestas soluęndi quæcunque. Item solutio pęnæ debitæ *Corinthio incæstuoso* facta fuit *ab Apost.* in persona Christi Domini ita, vt tantùm valuerit, ac si ab ipso Christo Domino immediatè facta fuisset; sed Christus Dominus potest soluere pœnam debitam viuis in facie Ecclesiæ; & defunctis in iudicio Dei; est enim *Pater futuri sæculi, & Pontifex futurorum bonorum*, vt habetur. *Hebr.9*; ergo absolutio facta *ab Apostolo* nedum fuit à pęna in hac vita iniungenda, sed etiā in Purgatorio luenda. Item indulgentiæ valent absoluere ab illis pęnis, à quibus potuerunt absoluere passiones Christi, & pœnalitates sanctorum in Ecclesiæ thesauro repositæ; per applicationem enim illarum indulgentiæ à pęnis absoluunt; sed passiones Christi, & sanctorum valent absoluere à pęnis nedum in hac vita iniungendis, sed etiam in Purgatorio luendis; nam passiones Christi sunt infiniti valoris, & habent vim remittendi omnino plenariā, & pęnalitates Martyrum habent vim relaxandi pęnas in Purgatorio luendas ab ipsis Martyribus; aliter nec essent superabundantes, nec alijs applicabiles; quia ipsis martyribus essent necessariæ, vt per illas soluerentur à pęnis ipsis in Purgatorio debitis; ergo indulgentiæ habent vim soluendi pœnas in Purgatorio luendas. Item indulgentiæ in illū, cui applicantur, efficiunt illud, quod efficerent passiones Christi Domini, & Sanctorum in ipsis Sanctis, si pęnas soluendas haberent; in tantùm enim dicuntur superabundantes; in quantùm nulla in ipsis Sanctis remanet penitus pęna soluenda; nam si remaneret, essent pretium solutiuum illius; applicatio autem alteri facta efficit, vt illæ passiones ita habeantur, ac si toleratæ fuissent ab illo; sed passiones Sanctorum soluissent pęnam Purgatorij, si ab illis soluenda fuisset; aliter omnino infructuosæ, & inutiles in illis fuissent; tum quia sicut homo in hac vita potest delicta committere, ob quæ in hac vita, & in Purgatorio pęnas luendas incurrit; ita potest opera bona patrare, ob quę deleat pęnam in hac vita, & in purgatorio luendam; non enim minùs

minùs poteſt mereri, quàm demereri; & ideo ſicut ſancti magis peccando, potuiſſent maiores pœnas in Purgatorio mereri; ita minùs peccando, & magis merendo, potuerunt pretium ſuperabundans pro ſoluendis pęnis Purgatorij Deo exhibere; ergo indulgentiæ etiam pęnas Purgatorij remittunt. Item pęnæ, quæ *iuxta canones pęnitentiales* inferebantur antiquitus, cenſebantur proportionatæ etiam ad penitus ſoluendas Purgatorij pęnas; aliter ſi ſolùm ſoluiſſent pęnas in hac vita infligendas, *SS.PP. antiqui* illas remittentes, *& Concilia* præcipientia, vt remitterentur, vt *Nic. can.* 11; *aliàs* 12; *Ancyran. can.* 5. *in 6. Syn. c. 2. confirmatum*, *Leodicen. can. 2; et alia*; ſeueriùs egiſſent cum pœnitentibus, quia pęnam huius ſęculi, quæ comparata pœnæ in Purgatorio luendę mitiſſima eſt, in rigidiſſimam pœnam Purgatorij mutaſſent; ſed per indulgentias ſoluuntur pœnæ debitæ *iuxta canones pęnitentiales*; nam indulgentia *tot dierum*, *et annorum* ſignificat ex communi conſenſu relaxationem pęnæ, quæ antiquitus infligebatur ſubeunda tot diebus, & annis; vt indulgentia ſeptem annorum ſignificat relaxationem pœnæ, quæ *iuxta canones* ſeptem annis durare debebat; vt patet *ex c. hoc ipſum* 13. *q.* 2; indulgentia verò quadraginta dierum ſignificat remiſſionem pęnæ, quæ infligebatur quadraginta diebus in ieiunio; ergo per indulgentias ſoluuntur pœnæ in Purgatorio luendæ. Tandem hoc fuit definitum *à Sixto IV. cont. Petrum Oxomen; à Clem VI. c. vnigenitus*; *à Martino V. cont. Vvicleff; & Io. Huſſ; à Leone X. cont. Luther; et à Trid. ſeſſ. 25. Vid. ſup. n.* 32. Ex his deducitur continua Eccleſiæ traditio.

39 Obijc. 1. cont. 1. part concl. Paſſiones Chriſti ſufficiunt nedum ad remittendam omnē culpam, & pœnam æternam; ſed etiam ad remittendam pęnam temporalem; & aliunde nunquam poſſunt exhauriri, quia ſunt infinitæ; ergo fruſtra adduntur paſſiones aliorum ſanctorum; imò impiè, quaſi per eas ſuppleatur, quod Chriſti paſſionibus deeſt. 2. Indignum eſt miſcere ſanguinem ſanctorum cum ſanguine Chriſti; ergo idem. 3. Actiones ſanctorum, quatenus meritoriæ, nequeunt eſſe ſuperabundantes præmio, quamuis ſint ſupererogatoriæ; illis enim redditur à Deo præmium ſupra condignū; ergo idem dicendum de operibus, quatenus ſunt ſatisfactoriæ. 4. Opus vnius nequit cedere in ſatisfactionē alterius, niſi ille intendat ſatisfacere pro alio; ſed ſancti non intenderunt pro alio ſatisfacere; ex humilitate namque putabant pęnas eſſe ſuis peccatis minores; ergo idem. 5. Relaxatio, quæ fit per indulgentias, fit virtute clauium; ſed claues vim habent ſolùm ex meritis Chriſti, non ſanctorum; ergo idem. 6. *SS.PP.* remiſſionem peccatorum tribuunt ſolummodò Chriſti morti, & ſanguini, & negant martyrum ſanguini tribui; vt *S. Leo ep. 87; & S. P. Aug. tract.* 84. *in Io.* inquit: *in fraternorum peccatorum remiſſionem nullius ſanguis martyris funditur; quod fecit ille* (idèſt Chriſtus Dominus) *pro nobis*; & mox: *Imitari quis poteſt morientem, nemo autem potuit redimentem. S. Ambr. in Luc. lib. 6.* in fine: *Aliæ cruces nihil mihi proſunt; ſola crux Chriſti mihi vtilis eſt.* Idem docent *alij SS.PP.*

Reſp. ad 1. neg. conſ; nam paſſiones ſanctorum vim habent relaxandi pœnam ex Chriſti paſſionibus, vt diximus *cum Trid*; imò paſſiones Sanctorum ſunt paſſiones Chriſti in corpore myſtico; & ideo, vt tales, pęnam remittunt. Ad 2. neg. ant; ſicut enim non eſt indignum ponere ſanctos in corpore Chriſti, tanquā illius membra, ita non eſt indignum ponere ſanguinem martyrum cum ſanguine Chriſti; nec derogatur illius ſufficientiæ, ſed potiùs arguitur ſuperabundantia; quia ſanguis Chriſti nedum in corpore naturali, ſed etiam in corpore myſtico remiſſionem pęnæ operatur. Ad 3. neg. conſ; nam quatenus meritoriæ, nequeunt eſſe ſuperabundantes, recipiunt enim præmium ſupra condignum; quatenus verò ſatisfactoriæ poſſunt eſſe ſuperabundantes; quia poſſunt plus pati, quàm exigant eorum peccata; vel pati, & nullam habere pęnam pro peccatis ſoluendā, vt diximus. Ad 4. diſt. ma. Opus vnius ex intentione operantis nequit ſatisfacere pro altero, niſi ille intendat ſic ſatisfacere, conc; ex intentione Dei, qui nullum opus irremuneratum relinquit, neg. Ad 5. diſt. 2 pars mi. Non ſanctorum, quatenus præcisè eliciuntur ab illis, conc. quatenus fiunt ex meritis Chriſti, neg. Ad 6. dicitur *SS.PP.* loqui de remiſſione peccatorum quoad culpam, & pęnam æternam, non verò quoad pęnam temporalem; in hoc enim ſenſu oppoſitum docent.

40 Obijc. 2. Poteſtas remittendi peccata extra ſacramenta eſt propria ſolius Chriſti Domini, cui ſolùm conuenit poteſtas miniſterialis excellentiæ; ergo non fuit Eccleſiæ communicata. 2. Sequeretur non omnes recipere pœnas, aut præmium iuxta menſuram, non ſuorum, ſed alienorum meritorum; quod eſt *cont. Apoſt. 1. Cor. 9*; ergo idem 3. Per indulgentias nequeunt remitti pœnæ debitę peccato originali, vt mors, calamitates &c; ergo neque pœnæ peccatis perſonalibus debitæ. 4. Indulgentiæ remittunt pœnitentias in ſacramento nobis iniunctas, vt ſunt eleemoſinæ, ieiunia, & orationes; ſed hæc opera ſunt moraliter bona; ergo indulgentiæ, quæ iſta impediunt, ſunt malæ, & non ſalutares.

Reſp. ad 1. diſt. ant. Poteſtas remittendi peccata quoad culpam, & pœnam æternam, conc; quoad pænam temporalem, neg. Ad 2. diſt. ma. Recipere pœnas, aut pręmium eſſentiale, neg; pęnas, aut præmium accidentale, conc; *Apoſt.* autem loquitur de pęnis, aut præmio eſſentiali, non accidentali. Vel dicitur pęnalitates alienas ita fieri proprias, ac ſi eſſent ab ipſis tolera-

tæ,

tæ, vt dictum est. Ad 3.neg.conſ. & diſparitas eſt; quia illæ non impediunt, ſed potius iuuant ad conſecutionem gloriæ;iſtæ autem impediunt. Ad 4.neg.ma; non enim remittunt pęnitentias, ſed eorum loco conſtituuntur, vt ſatisfaciant Diuinæ iuſtitiæ eo modo, quo ipſæ pęnitentiæ iniunctæ ſatisfacerent.

41 Ex dictis ſequitur 1. Summum Pontificem de iure Diuino habere ſupremam poteſtatem concedendi indulgentias etiam plenarias in toto Orbe; & hanc facultatem alijs conferre poſſe; vt habetur *extra Vnigenitus de pœnit; & remiſſionib. c. Cùm ex eo; & c. quòd autem eodem tit.* Epiſcopos verò habere poteſtatem concedendi indulgentiam vnius anui in dedicatione alicuius Eccleſiæ; & in anniuerſario eiuſdem dedicationis, & quando ei placuerit, dummodò ſit cauſa legitima, quadraginta dierum; vt habetur *ex eod. c. cùm ex eo*; quam habent etiam Archiepiſcopi in ſua prouincia, & in diecęſibus ſuffraganeorum; vt *ex c. noſtro eod. tit*; non enim hoc eſt iuriſdictionis contentioſæ, ſed voluntariæ, & gratioſæ. Hanc tamen indulgentiam Epiſcopi, & Archiepiſcopi poſſunt tantùm pro viuis, non pro defunctis concedere; vt *c. cùm ex eo; & c. quòd autem*. Idem dicendum de Primatibus, & Patriarchis. Ratio horum eſt, quia concedere indulgentias ſpectat ad poteſtatem clauium, qua poſſunt aperire Eccleſię theſaurũ; ſed ſolus ſummus Pontifex habet claues pro tota Eccleſia; Epiſcopi verò, & Archiepiſcopi in ſuis iuriſdictionibus; ergo iſti ſoli habent poteſtatem concedendi indulgentias. Cùm hoc tamen diſcrimine, quòd quia ſummus Pontifex nullum habet ſuperiorem in terris à nullo poteſt impediri, aut limitari hæc eius poteſtas; Epiſcopi verò, & Archiepiſcopi ſubſunt poteſtati ſummi Pontificis; ideo hæc poteſtas ab illo ob rationabiles cauſas poteſt impediri, aut limitari; vt patet *extra vnigenitus; & c. cùm ex eo*.

42 Non requiritur autem poteſtas ordinis, ſed ſufficit ſola poteſt as iuriſdictionis; ſicut enim hæc ſufficit ad ligandum, vt ad excommunicandum; ita ſufficit ad ſoluendum à poena temporali per indulgentiam; nam, vt diximus, poteſtas ſoluendi, & ligandi in foro externo extra ſacramentum pęnitentiæ fuit collata *Matth.* 18; ſacramentum autem poenitentiæ fuit inſtitutum *Io.* 20; ergo illa fuit *Apoſtolis* collata, antequam in cęna inſtituerentur Epiſcopi; hæc autem, poſtquam conſtituti ſunt ſacerdotes. Quidquid dicat *Dur*; qui oppoſitum tenet.

43 Ex quo deducitur poſſe *Legatos Apoſtolicos* indulgentias concedere in prouincijs ſuæ legationis ex commiſſione tamen Summi Pontificis; imò Summum pęnitentiarium poſſe concedere indulgentiam centum dierum docet *Paludan. hìc diſt.* 20. *q.* 4. *art.* 2. Idem de Cardinalibus docet *Nauar. de iubileo*; quod tamen potiùs conſuetudine, quàm aliquo iure niti docet *Bellarm. lib.* 1. *de indulg. c.* 11. Quod intelligendum eſt, etiamſi iſti non ſint ſacerdotes.

44 *Concilium Generale* viuente Summo Pontifice non habet poteſtatem concedendi indulgentias in toto Orbe; quia duplex daretur poteſtas æqualis, quod repugnat Eccleſiæ vnitati. Idem dicendum *de Generalibus Religionum, Abbatibus, Vicarijs generalibus Epiſcoporum, Prouincialibus, Parochis*, alijſque quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem habentibus; dummodò non ſit eis conceſſa ex ſpeciali commiſſione, aut alia legitima cauſa; idèſt conſuetudine, vt intelligit *Gloſſ. in c.* mox afferendum; vt enim habetur *ex c. accedentibus de exceſſibus Prælatorum*, poteſtas concedendi indulgentias annexa eſt ſoli dignitati Epiſcopali; collata enim fuit ſolis Epiſcopis, ſcilicet *ſolis Apoſtolis*, & eorum ſucceſſoribus, qui ſunt Epiſcopi. Poſſunt ergo hi ſuperiores ſolùm applicare ſuffragia, & ſatisfactiones ſuorum delictorum; vt patet *ex forma abſolutionis*, qua vtitur noſtra Religio. An autem poſſint illas applicare alicui ipſis ſubditis non conſentientibus, quæſtio eſt *inter DD.* Probabilius tamen eſt; quòd ſi ſubditi nemini applicent talem ſatisfactionem, Prælati poſſunt illam applicare; ſi verò illi applicent, contrarium eſt teuendum; illa enim applicatio non manet ſuſpenſa. Poſſunt tamen Prælati ſubditis præcipere, vt illam applicent his benefactoribus, & non alijs; quia indirectè poſſunt præcipere etiam actus internos, vt diximus *to.* 4.

45 Idem dicendum de Capitulo Sede vacante; quidquid dicant *Barboſ; Syluest; & Azor*; quanuis enim Capitulum ſuccedat Epiſcopo in iuriſdictioue Epiſcopali in ijs, quæ ſpectant ad regimen diecęſis; non tamen in ijs, quæ ſunt propria dignitatis Epiſcopalis. *Archidiac. c.* 1. *de pœnit; & remiſſ. in* 6; *Cardinalis cap. accedentibus; clementin.* 1. *de hæreticis; Bonac; Sot; Cordub; & alij apud Gibb. hìc dub.* 7. *n.* 14.

46 Neque obſtat, quòd *Apoſt.* præceperit *Corinthijs*, vt indulgentiam donarent; ſicut ipſe *illi inceſtuoſo* donanerat. Hoc enim intelligitur de ſolis Prælatis Eccleſiarum, qui ſunt Epiſcopi, qui fuerant illic ordinati; ſicut ille, quia erat *Epiſcopus Gentium*, potuit donare.

47 Sequitur 2. Satisfactiones Sanctorum, quanuis ſint finitæ, nunquam tamen eſſe omnino exhauriendas; quia ſimul iunctæ componunt corpus myſticum Chriſti, quod nunquam enacuabitur; nam ſatisfactiones elicitæ in corpore naturali nunquam deſinent, cùm ſint infinitæ, operari ſatisfactiones in corpore myſtico, quæ ſunt pęnalitates Sanctorum.

§. 3.

§. 3.

Aliæ resolutiones dubiorum circa indulgentias.

48 AD valorem indulgentiarum ex parte concedentis duo requiruntur. 1. Vt habeat iurisdictionem in eos, quibus indulgentiæ conceduntur. *Ita Alex. III. ad Ep. Cantuar. extra de pœnit, & remissionib;* & ratio est; quia indulgentia, quæ viuis conceditur, de qua tantùm *hic* loquimur, est per modum absolutionis iudiciariæ, vt colligitur *ex Matth.* 18; & diximus *in sup.* §; sententia autem à non iudice, & in non subditum lata nulla, & irrita est. Nec obstat *Honor. III. cod. tit. c. nostro* afferens posse Archiepiscopum indulgentiam concedere in vniuersa prouincia, ad quam tamen non extenditur eius iurisdictio *c. pastoralis extra de officio iudicis ordinary*. Non obstat, inquam; nam *ibid.* dicitur Archiepiscopum non habere potestatem in prouinciales exceptis quibusdam casibus, vt appellationis &c; inter hos casus autem indulgentia comprehenditur; vt *ibid.* exprimitur. Hinc Episcopus indulgentiam personalem concedere nequit non subdito; nec indulgentia localis concessa alieni Ecclesiæ, vel Altari prodesse potest subditis alterius Episcopi. Si tamen fuerit à Romano Pontifice concessa, omnibus prodest; quia Romanus Pontifex in totam Ecclesiam iurisdictionem habet, vt diximus. 2. Requiritur causa iusta, pia, & rationabilis; sine qua concedens indulgentias peccat; quia non dispensat Ecclesiæ bona, *tanquam dispensator fidelis, & prudens*; sed tanquam prodigus dissipator. Causa autem multiplex est. 1. Ne pœnitentes abundantiori tristitia pœnitentiæ rigidissimæ absorbeantur; vt expressit *Apost. 2. Cor. 2*; sed Ecclesiæ mansuetudo, & materna pietas erga fideles commendetur. 2. Vt Sanctorum, & martyrum memoria celebretur; hinc pœnitentibus, qui libellum remissionis à martyribus impetrauerant, indulgentia pœnitentiæ, quæ peragenda supererat, concedebatur antiquitus; vt constat *ex S. Cyprian; & Tertull;* propter quod *in solemnitatibus Sanctorum* rectissimè indulgentia conceditur. 3. Morbus grauis, & periculum mortis est legitima causa concessionis indulgentiæ; vt constat *ex eodem S. Cypr. lib. 3. ep. 19*; tunc enim maxima vrget necessitas, cui affectus Ecclesiæ maternus maximè consulere debet. 4. Ædificatio, & dedicatio alicuius Ecclesiæ, vel altaris ad excitandam populi deuotionem; infidelium conuersio, vel expugnatio, & hæresum extirpatio; vt constat *ex Conc. gen. Claromontano*; in quo *Vrban. II.* indulgentiam plenariam concessit his, qui ad bellum Sanctum proficiscerentur; quod præstitit etiam *Pius V. in expeditione contra Turcas*. 5. Vtilitas Ecclesiæ, & honor Dei; an autem hæc vtilitas debeat esse solùm commune bonum, vt *quidam* volunt; vel etiam aliquando sufficiat bonum particulare alicuius determinatæ personæ, vt volunt *alij* adducentes casum *Corinthij*, qui indulgentiam accepit, ne *maiori tristitia absorberetur*; dicendum tunc particulare bonum censeri causam legitimam, quando adest periculum animæ, vt v. g. ne inducatur in desperationem, vt in casu *Corinthij*, ne sequatur Ecclesiæ contemptus, vel aliud scandalum graue. Indulgentias autem irrationabiles, & sine causa concessas non valere docent *S. Cypr. lib. 3. ep. 13.* asserens eas verti in perniciem, nec lapsos per eas erigi, sed per Dei offensam ad ruinam magis impelli; *Innoc. III. in Lat.* dicens per indiscretas indulgentias pœnitentialem satisfactionem eneruari, & euerti; *& Clem. VI. extra Iubilei* pro qualitate causæ concedendas esse indulgentias nec maiores, nec minores.

49 Præter rationabilem causam requiri etiam prudentem proportionem inter indulgentiam, & opus, quod iniungitur pro ea lucranda ita, vt si minus sit opus, indulgentia recipiatur tantùm ex parte; si verò sit proportionatum, tota recipiatur, docent *noster B. August. Triumph. de Ancona, Adrian; Gerson, Caiet. Dominic; Sot; Nauar, Bellarm; Sua; Coninch, Laym; Lug; Gibb; apud quem aly cont. Dur; Palud; Turrecrem; S. Antonin; Syluest; Val; et alios apud Bellarm.* inter quos refertur etiam *D. Tho.* Nam quanuis indulgentia non innitatur operi iniuncto, sed Ecclesiæ thesauro; requiritur tamen aliqua actio mouens Deum ad relaxandam pœnam; quæ actio, nisi sit proportionata, censetur leuissima, & ideo prorsus inefficax; & sicuti Pontifex nequit dispensare in votis, & iuramentis, nisi interueniat aliqua actio, quæ magis, vel æquè placeat Deo, ac impletio voti, & iuramenti; ita à pari. Tandem quia nedum censetur dissipator, qui exigua bona prodigit sine vlla causa; quàm qui bona maxima dispensat ex leuissima causa; ergo idem. Opus tamen censetur proportionatum etiam, quando in se est leuissimum; quando multa incommoda illud præcedunt, vt peregrinatio longinqua, dispendia &c; in casu infirmitatis, cui difficile est opus etiam leuissimum; & ratione circunstantiarum loci, & temporis, solemnitatis &c.

50 Ex parte autem recipientis requiritur. 1. Vt sit baptizatus; quia qui non est membrum Ecclesiæ, nequit participare influxum illius, quo illius thesaurus participatur. 2. Vt sit in gratia; quia non remittitur pœna temporalis, nisi sit remissa culpa, & pœna æterna, ad quam necessariò consequitur; imò in quam mutatur pœna æterna per absolutionem à culpa; vt docet *Fund. Doct.* Quod intelligendum est tantùm pro eo instanti, quo indulgentia actualiter recipitur; non autem præcedenter, cùm opera iniuncta executioni mandantur; sicut enim antiquitus satis-

satisfactio præmittebatur absolutioni, atque adeò non fiebat in gratia, & tamen valida erat, licèt non sortiretur effectum, nisi in instanti absolutionis; ita dicendum de indulgentia, quæ satisfactioni subrogatur. Ex quo corruit distinctio, quam *ex Bellarm.* adducit *Gibb.* dicens, quòd si finis indulgentiarum sit placare Deum, vel satisfacere pro peccatis, propter quod iniungũtur preces, ieiunia &c; tunc necesse est hęc opera fieri in gratia; sine qua non valent Deum placare; si verò finis sit auertere bellum, pestem, ædificare templum &c; tunc valent etiam facta sine gratia. Corruit, inquam; nam satisfactio antiquitus ordinabatur ad placandum Deum, & tamen facta sine gratia erat valida ita tamen, vt non sortiretur effectum, nisi in instanti receptionis gratiæ; ergo à pari. Tum quia omnes indulgentiæ ordinantur ad placandum Deum; nam ordinantur ad hoc, vt Deus remittat pœnam temporalem; quod est Deum placare, vt constat. An autem recipiens indulgentiam in peccato mortali remoto obice illam recipiat; negat *Gibb. cum Sua; Nauar; Lug; & alys*; quia indulgentia conceditur tantùm confessis, & verè contritis; ergo si vera confessio, & contritio est dispositio necessaria ad recipiendam indulgentiam, sine illa nedum est illicita, sed etiam inualida receptio; vt constat de receptione baptismi, & pœnitentiæ. 3. Requiritur, vt non sit excommunicatus; quia excommunicatio priuat bonis, & suffragijs Ecclesiæ. 4. Vt sit obligatus ad satisfaciendum pœnæ pro peccatis commissis contractæ; indulgentia enim non liberat à pœna contrahenda in futurum, sed tantùm à pœna iam contracta. 5. Requiritur exactissima operis iniuncti executio cum pia, ac deuota animi puritate; vt colligitur *extrà antiquorum*, in qua *Bonifac. VIII.* asserit eum plus mereri, qui *Basilicas* deuotiùs visitauerit.

51 Indulgentia ritè collata, & validè recepta non liberat à culpa mortali, siue veniali, aut à pęna æterna; vel à pęnis temporalibus per peccatum originale inflictis; vel à pęnis Ecclesiasticis in foro externo impositis, vt sunt excommunicatio, suspensio, interdictum, irregularitas; sed tantùm à pęna temporali debita peccatis personalibus iam remissis: vt *sup.* diximus; & ab hac pęna liberet nedum coram Ecclesia, sed etiam coram Deo; vt ostendimus contra *Luthero-Caluinistas*, in foro tamen interno; quia hæc pęna à Deo tantùm est infligenda. An autem liberet nedum à pęna, quæ correspondet solùm pęnitentijs à confessarijs iniunctis, sed etiam à pęnis, quæ correspondent alijs peccatis, pro quibus nulla pœnitentia fuit iniuncta; dicendum, quòd quando in forma indulgentiarum exprimitur indulgentiam concedi *de iniunctis pœnitentijs*; tunc remittuntur pœnæ solùm correspondentes peccatis, quibus iniuncta est pœnitentia, licèt non æqualis ob infirmitatem pœnitentis, vel ex negligentia non impleta. Quando autem nulla fit restrictio ad pœnitentias iniunctas, intelligenda est tam de iniunctis, quàm iniungendis ita, vt, si indulgentia plenaria sit, liberet omnino à pœnis Purgatorij; quia *extra antiquorum* conceditur *plenissima* indulgentia, quæ nequit esse; nisi illa, qua tota pęna temporalis dimittitur; aliter plenissima dici non posset. Si tamen indulgentia plenissima ob aliquem recipientis defectum non causet effectum plenarium; tunc potest replicari, si sit fixa, & perpetua; secus si sit tantùm ad tempus concessa; & pro vna vice dumtaxat. *Si* tamen prima vice inualida sit; potest denuò accipi; quia primò non suscepta intelligitur.

52 Indulgentiæ pro defunctis per modum suffragij concessæ, idest prout Papa offert Deo ex thesauro Ecclesiæ satisfactionem sufficientem pro illorum pœna, à Deo infallibiliter acceptantur; quia fidelis est Deus, vt seruet promissa; promisit autem se solutum in cęlis, quæcunque soluuntur in terris. Non sortiuntur tamen effectum in particulari pro illis animabus determinatè, quibus determinatè applicantur; quia Deus est supremus distributor illarum, & ideo illas applicat, quibus voluerit, vel quia in hac vita hoc meruerunt; vel quia sunt proximæ, vt liberentur &c; vt docet *S. P. Aug. ep. 99. ad Euod.* Hæc tamen non obstante animæ, pro quibus offeruntur, aliqualiter subleuantur à pęnis; & dum sunt proximè dispositæ ad remissionem totalem, Deus illis applicat aliud sacrificium; ideo non decipiuntur populi, quibus indicitur indulgentias liberare vnam animam à pęnis Purgatorij; atque adeò non sunt fraudes fidelium, vt *heretici* asserunt. Ratio est; quia Deus promisit soluenda esse in cęlis, quæ soluuntur in terris; sed in terris determinatè applicatur tali animæ in particulari solutio à pęna; ergo indulgentia aliqualiter soluit talem animã in particulari, cui applicatur. Item ad hoc, vt indulgentiæ defunctis applicatæ sortiantur effectum, requiritur suprema potestas Papalis in concedente; Episcopi enim, & alij Prælati inferiores non habent potestatem concedendi indulgentias pro defunctis, vt diximus. 2. Requiritur iusta causa, & proportionata magnitudini indulgentiarum, quia debet conducere ad Dei gloriam, & vtilitatem Ecclesiæ. 3. Extensio ad defunctos debet exprimi *in literis concessionis*; quia literæ tantùm valent, quantùm sonant. 4. Debet opus iniunctum impleri, vt diximus de indulgentijs concessis pro viuis; & tale opus debet perfici in statu gratiæ. Non tamen est necesse, inquit *Caiet*, vt defuncti, pro quibus applicantur, dum erant in hac vita, fuerint deuoti animarum Purgatorij, & pro illis indulgentias obtulerint; quo meruerint sibi postea applicari indulgentias. Non est, inquam, necesse; nam *S. P. Aug. in Enchir. c. 110; & lib.* de

de cura pro mortuis c. 1. ait, quòd ad merendum, vt sibi post hanc vitam indulgentiæ applicentur, sufficit vixisse in Ecclesiæ communione, & societate; hoc enim satis est, vt eis prosit *articulus communionis Sanctorum*. Ex hoc tamen non sequitur, quòd non sit ampliùs orandum, vel offerendum sacrificium pro illa anima, pro qua oblata fuit indulgentia plenaria liberationis à pœnis Purgatorij; non enim constat exactè completa fuisse ea omnia, quæ diximus necessariò requiri ad hoc, vt indulgentiæ totalem consequantur effectum; quamuis aliqua ex parte pœnæ fuerint imminutæ.

53 Ex his infertur indulgentiam aliam esse plenariam, seu totalem; aliam non plenariam, seu partialem. Plenaria diuiditur in plenam, pleniorem, & plenissimam *extra antiquorum de pœnit. & remissionib.* Plena est, quæ remittit totam pœnitentiam iniunctam, vt diximus. Plenior est, qua remittitur tota pœna, quæ *secundùm canones pœnitentiales* deberet iniungi; plenissima est, qua remittitur tota pœna debita peccatis in Dei iudicio eo prorsus modo, quo tota pœna in baptismo remittitur. Hæc non differt *à Iubileo*, quantùm ad remissionem pœnæ; sed solùm quia *Iubileo* maior est solemnitas; & maiora priuilegia conceduntur; vt dispensatio in aliquibus votis, & absolutio à censuris, & casibus reseruatis; cæterùm in remissione pœnæ conueniunt. Partialis est, qua tantùm pars pœnæ remittitur; vt cùm conceditur indulgentia centum dierum, annorum &c; quod non est ita accipiendum, vt remittantur tot dies, & anni, quibus anima morari debet in Purgatorio; sed ita, vt remittatur tempus pœnitentiæ sacramentalis, quæ *iuxta canones pœnitentiales* imponebatur antiquitus, vt diximus. Præterea diuiditur indulgentia in realem, personalem, & localem. Realis est, quæ applicatur crucifixis, numismatibus, imaginibus Christi Domini, & Sanctorum. Personalis est, quæ conceditur personæ, vt eam in articulo mortis lucretur. Localis est, quæ conceditur alicui Ecclesiæ, vel Altari. Hæc desinit esse, cùm Ecclesia diruitur vel ex integro, vel ita mutatur, vt noua consecratione indigeat; non autem si resarciatur ex parte; sicut realis desinit esse, cùm numisma refunditur; & personalis, cùm persona commoritur.

54 *Iubileus apud Hebræos* significabat annum remissionis, qui erat quinquagesimus; vt habetur *Num. vlt; & Leuit. 25; et 27;* erat enim illo anno magna iubilatio, & lætitia; quia serui donabantur libertate, relaxabantur delicta, exules reuocabantur, agri diuenditi antiquis possessoribus restituebantur &c. *Apud catholicos* autem significat annum Sanctum remissionis plenariæ omnium pœnarum temporalium cum facultatibus absoluendi à reseruatis, commutandi aliqua vota, relaxandi iuramenta, componendi super incerta illicitè ablata, & illicito contractu acquisita. *Iubileum*, quod *Romæ* celebratur, quolibet anno centesimo fuit statutum *à Bonif. VIII. extra antiquorum*; sed *à Clem. VI. extra vnigenitus* ad quinquagesimum annum fuit redactum; quod confirmarunt *Vrban. VI; Martin. V; et Nicol. V.* Tandem *Paulus II.* ad annum vigesimum quintum illud reduxit; quod confirmarunt subsequentes Pontifices. Durante *Iubileo* cessant omnes aliæ indulgentiæ extra Vrbem *extra quemadmodum; vt ex Bulla Gregor. XIII. quoniam Sancti Iubilei*; & cessant facultates absoluendi à casibus *Bullæ cœnæ*, commutandi vota, dispensandi &c. Inquit *Gibb.* non suspendi *Iubileum Compostellanum ex Breui Sixti V. Compostellæ* seruato; nec indulgentiæ in mortis articulo; nec indulgentiæ ab Episcopis concessæ, sed illæ solùm, quæ fuerunt concessæ à Summo Pontifice; nec facultates Regularium absoluendi suos subditos à reseruatis, vt declarauit *Vrban. VIII. apud Lug.*

55 Præter *Iubileum* ordinarium aliud extraordinarium concedi solet *à Pontificibus* post suam coronationem; & cùm Ecclesia graui aliqua premitur calamitate. Quinque autem ad illud consequendum requiruntur, idest Confessio, ieiunium fer. 4; 6; & sabbato; visitatio Ecclesiæ, vel Ecclesiarum designatarum; sumptio eucharistiæ; & eleemosina pro arbitrio; quæ cùm nequeunt impleri, vt ab infirmo, vel monialibus &c; commutari possunt à confessario in alia opera pia.

56 Potest quis absolui à peccatis reseruatis ob confidentiam imminentis *Iubilei* commissis. Est *cont. Conuarum; Nauarr; et alios.* Nam verba *Iubilei* generaliter loquuntur, & nullum casum excipiunt; ergo à nullo sunt restringenda. 2. Potest absolui à reseruatis patratis post indulgentiam acceptam, durante tamen tempore *Iubilei*; nam cùm nullus sit certus se lucratum fuisse indulgentiam, potest alia hebdomada omnia repetere. *Vid. Lug; Castro, Gibb; apud quos alij cont. Sua; Layman, Bonac; et Sanchez.* Præterea verba *Iubilei* hoc non excipiunt; ergo nec à nobis excipi potest. 3. Qui incepit confessionem tempore *Iubilei*, & non potuit illam perficere, potest absolui etiam transacto tempore Iubilei, dummodò confessio continuetur; quia causa debitè, & legitimè cepta exigit continuari, vsquequò finiatur *c. de causis de officio delegati*. Idem dicendum, si quis peccati reseruati inuincibiliter obliti recordaretur post absolutum *Iubileum*; illud enim peccatum virtute *Iubilei* esset verè absolutum per confessionem factam in generali, & nulla alia remaneret obligatio, nisi illud subijciendi clauibus Ecclesiæ. Si tamen differens confessionem inceptam committat alia peccata reseruata, nequit absolui ab istis, quia post tempus *Iubilei* fuerunt patrata; nec est eadem causa cepta, sed noviter commissa. 4. Qui confitetur reseruata, etiamsi non lucre-

tur *Iubileum*, quia ritè illud non suscipit; vt v.g. quia non visitat Ecclesiam; censuræ remissæ non redeunt; nec vota commutata reuiuiscunt; nam verba *Iubilei* nec hunc casum exprimunt. 5. Qui *Romam* perueniret die Sabbati, posset *Iubileum* lucrari, etiamsi non posset ieiunare elapsis diebus, nec Ecclesias visitare; quia in casu talis necessitatis posset confessarius opera pia commutare. 6. Omnia opera iniuncta debere peragi in eadem hebdomada excepta confessione, & communione, quæ differri possunt vsque in vltimam Dominicam terminantem *Iubileum*, docent *Henriq; Lug; & Gibb. cont. Bonac; Layman, & Castro*, qui volunt partim illorum operum posse fieri in vna, & partim in alia hebdomada. 7. Religiosos posse tempore *Iubilei* eligere confessarium approbatum à suo Superiore, non ab Episcopo negant *Suar; Lug; & Gibb. cont. Bonac*; nam verba *Iubilei* exprimunt confessarium debere esse approbatum ab Episcopo; & ad literam sunt accipienda. 8. Si duobus sequentibus diebus occurrant *duo Iubilea*, non esse necesse bis confiteri docet *Turrian; Diana, & Gibb*; dummodò perseueret in gratia; quia confessio præcipitur ad hoc, vt suscipiens sit in gratia. Sed hoc verum non videtur; præcipitur enim confessio etiam, vt est opus bonum, & pium; vnde si quis haberet sola venialia, teneretur confiteri ad lucrandum *Iubileum*. Tum quia verba formæ sunt intelligenda ad literam in alijs casibus, vt fatentur *isti Auctores*; & in hoc quare non?

ART. VII.

An, et quomodò absolutio queat conferri?

1 Postquam egimus de actibus penitentis, qui sunt materia huius sacramenti; de absolutione, quæ est actus sacerdotis, & est forma, vt diximus *art.* 3; est agendum. Supponimus autem ex dictis *ibid.* §. 1. verba essentialiter requisita ad constitutionem formæ esse: *Absoluo te apud Latinos, et Armenos*; vel illa: *Habeo te absolutum; seu habeo te donatum venia apud Græcos teste Arcudio*; vt diximus *ibid. n.* 20; hæc enim significant expressè gratiam remissiuam peccatorum, quæ est effectus huius sacramenti; & aliunde habentur *in Scriptura Matth.* 18. *Quæcunque solueritis etc*; cętera autem verba à Sacerdote prolata esse merè ceremonialia, non essentialia, atque adeò ab Ecclesia adiuncta, & præcepta. Ob hanc rationem, qui diceret: *Remitto tibi peccata tua*; validè absolueret; hæc enim etiam leguntur *Io.* 20. *Quorum remiseritis peccata etc.* Prætereà supponimus formam absolutionis deprecatoriè prolatam inualidam esse; nam vt *ibid. n.* 18. dicebamus, sola forma extremæ Vnctionis est deprecatiua; formæ verò aliorum sacramentorum sunt indicatiuæ; vnde sicuti qui diceret: *Deus te baptizet*; non conficeret sacramentum; quia illa verba non exprimerent personam ministri; ita dicendum de penitentia, quæ est secundus baptismus. Tum quia actus iudicij, seu sententia deprecatiuè proiata non est valida, vt constat; sed absolutio est sententia à iudice peccatorum prolata, vt habet *Trid. sess.* 14. *c.* 6; ergo absolutio deprecatiuè prolata non est valida. Falsum est autem *Græcos* vti forma deprecatiua; vt *ex Arcudio* iam diximus. Cur autem Christus Dominus instituerit formam extremæ Vnctionis modo deprecatorio, est, quia instituit illud sacramentum per modum orationis, vt constat *Iac.* 5. *Orent super eum*; alia verò instituit per modum absolutæ collationis. Item supponimus ex dictis *art.* 5. *cont. Mag; Hug; & Bon.* asserentes absolutionem esse tantùm declarationem absolutionis à Deo iam factæ immediatè post actum contritionis; & ex dictis *art.* 1. §. 3. *contra Montanistas, & Nouatianos* negantes in Ecclesia esse potestatem remissiuam peccatorum commissorum post baptismum; & *cont. Vuicleff; Lutherum, & alios* docentes absoluere à peccatis esse proprium solius Dei; ac proptereà blasphemiam esse asserere, quòd sacerdos à peccatis absoluat; supponimus, inquam, verba absolutionis esse verè remissiua, & absolutiua à peccatis; vt definiuit *Trid. vbi s. can.* 9; efficiunt enim, quod significant; vt statuit etiam *Flor. in decr. vnionis; & Gregor. XIII.* damnans *proposit.* 58. *inter Baianas*, quæ asserebat: *Pœnitens non viuificatur ministerio sacerdotis absoluentis, sed à solo Deo, qui pœnitentiam suggerens, & inspirans viuificat eum, & resuscitat; ministerio autem sacerdotis solus reatus tollitur.* Illud autem *Matth.* 6. *Quis potest peccata remittere, nisi solus Deus*, notum est sic accipi, quòd *ibi* fit sermò de remissione, quæ fit extra sacramentum; nam de remissione, quæ fit in sacramento, habetur *Matth.* 18. *Quæcunque solueritis &c; & Ioan.* 20. *Quorum remiseritis &c*; quæ verba non possunt explicari, nisi de potestate verè remissiua, & absolutiua mediantibus verbis absolutionis. Verùm si illa verba placeat etiam explicare de remissione in sacramento; constat intelligenda esse solùm de remissione, quæ fit à causa principali, non instrumentali; Deus enim nequit esse causa instrumentalis; & creatura nequit esse causa principalis; ideo Deus solus remittit, vt causa principalis; sacerdos verò, vt causa ministerialis. Supponimus tandem absolutionem datam sub conditione de præsenti, vel de præterito, quæ non suspendit actionem remissiuam, esse validam; non tamen datam sub conditione de futuro, quæ actionem suspendit; vt diximus *vbi s. art.* 3. §. 1. Superest inquirendum; an absolutio data in scriptis pœnitenti præsenti; vel voce prolata pœnitenti absenti sit valida?

2 *Quidam antiqui* senserunt non esse contra essentiam sacramenti, quòd confessio fiat absenti

senti sacerdoti, à quo in absentia absolutio impendatur. Referuntur *Palud; Syluest; vterque Sot; Nauarr; Adrian; Rec; Maior; Alen; & alij*. *Nonnulli* verò dixerunt posse quidem confessionem fieri in absentia, absolutionem verò non posse nisi præsenti conferri ita, vt cùm quis per literas, vel internuncium confessus est, aduenìens deinde præsentialiter ad confessarium absque noua confessione possit absolui. *Ita Henriq; Sà, Suo; Vosq; Tolet; Amic; Bonac; & alij.*

3 Nostra tamen sententia docet absolutionem non posse impendi in scriptis præsenti, vel absenti. *Ita Fund. Doct. Æg. de Renunc. Popa c. 14; & omnes alij DD. communissimè.*

4 Vnica conclus. Absolutio validè nequit conferri in scriptis, vel absenti.

Prob 1. pars *ex Flor. in decr. vnionis* asserente formam cuiuslibet sacramenti, excepto matrimonio, in quo sufficiunt nutus, & signa, esse verba ministri; sed hoc nequit intelligi, nisi de verbis voce humana prolatis, vt constat ex praxi totius Ecclesiæ; & *ex SS. PP.* præsertim *S. P. Aug. tract. 80. in Io*; vbi ait, quòd verba externè sonantia accedunt ad elementum, & fit sacramentum; verba autem exteriùs sonantia sunt verba voce prolata; nam verba scripta sunt muta, non sonantia; ergo absolutio in scriptis collata non sufficit ad validitatem sacramenti.

5 Prob. 2. pars *ex c. 88. quem pænitet dist. 1. de pęnit. ex S. P. Aug. Pracepit Dominus mundandis, vt ostenderent ora sacerdotibus, docens corporali præsentia confitenda esse peccata, non per nuncium, aut per scriptum &c; erubescentia enim habet partem remissionis; & Clem. VIII. die 20. Iunij anno* 1602. sub pœna excommunicationis damnauit sententiam oppositam, tanquam falsam, temerariam, & scandalosam, asserens in nullo casu esse probabilem; sed si absolutio data absenti esset valida, & non licita, in aliquo casu esset licita; quia enim confessio per nutus, & signa est valida, ideo in casu priuationis loquelæ est etiam licita; ergo ablolutio absenti collata non est valida; quia in nullo casu est licita. Accedit, quòd *Paul. V. die 14. Iulij* 1605. damnauit responsionem *P. Sua*; quam iussit è libro expungi, asserentis *Clem. VIII.* tantùm damnasse confessionem per literas, & absolutionem in absentia; non verò, quòd confessio nequeat fieri in casu necessitatis absenti. Sed quod nequit fieri in casu necessitatis, neque est licitum, neque validum; ergo idem. Hoc confirmatum fuit duobus alijs decretis editis 20. *Iulij; et 18. Augusti*; ergo post tot decreta sententia opposita nequit substineri. Prætereà confessarius debet esse moraliter certus de dolore pœnitentis, sine quo nequit absolutionem conferre; sed hoc nequit esse in absentia; quia non habetur erubescentia, quæ est pars doloris, & doloris indicium; *litera* enim *non erubescit*; vt adagio dicitur; ergo idem. Hoc probant ipsamet absolutionis verba; nam locutio directa ad personam secundam importat essentialiter præsentiam illius, ad quem locutio dirigitur; sicut locutio directa ad personam absentem importat tertiam personam; non enim absenti dicitur: *Amo te; sed amo illum*; sicut præsenti non dicitur: *Amo illum; sed amo te*; sed verba absolutionis sunt directa ad secundam personam; dicitur enim: *Absoluo te; non autem absoluo illum*; ergo important essentialiter præsentiam pœnitentis, qui absoluitur; atque adeò ad verificandum sensum verborum absolutionis requiritur præsentia pœnitentis. Sed in re tam clarè definita non est necesse ampliùs morari.

6 Obijc. 1. *c. quaeis 30. q. 5.* habetur pœnitentiam adulteræ per scripturam admittendam esse; *et S. Thom. Cantuarien.* petijt absolutionem *à Sede Apostolica*; & *S. Cypr. lib. 3. ep.* 17. refert, quòd lapsi reconciliationem ab eo petierant; *et Concil. Carthag. IV. cap. 63; Araux. l. can.* 11; *Paulus V. in Rituali* habent, quòd si infirmus confessarium petierit, cùm ad eum venerit, etiamsi obmutuerit, vel in fręnesim versus fuerit, dummodò adstantes eum petijsse pœnitentiæ sacramentum testentur, debet eum absoluere; ergo confessio facta absenti est valida. Ratio etiam est. Sententia absolutionis, vel damnationis in iudicio sæculari ferri potest etiam in absentem; sed absolutio sacramentalis est actus iudicialis se habens, vt sententia absolutionis, vel damnationis; ergo potest ferri etiam in absentem.

Resp. ad 1. sermonem esse de pœnitentia in foro externo facienda, quam acceptauit adultera; cuius testimonium in scriptis erat necessarium, vt satisfieret populo. Ad 2. dicitur *S. Thomam* petijsse absolutionem à censuris; putabat enim se non restitisse, vt par erat, *Henrico* pro defendenda immunitate Ecclesiastica; atque adeò se incurrisse censuras. Ad *S. Cypr.* dicitur loqui de reconciliatione cum Ecclesia, & de ablolutione ab excommunicatione, quam ob apostasiam incurrerant aliqui, qui coram tyranno à fide defecerant; dat enim auctoritatem etiam diacono, vt in casu necessitatis possit eos absoluere deficiente sacerdote; quod nequit verificari de confessione sacramentali. Ad aliud dicitur, quòd infirmus confitetur in præsentia, non quidem per se ipsum, sed per adstantes, tanquam per interpretes; & à sacerdote præsente absoluitur. Ad rationem dist. mi. Se habens, vt sententia absolutionis in omnibus, neg. constat enim, quòd in iudicio sæculari idem nequit esse simul reus, accusator, & testis; in aliquibus, conc. Differt ergo etiam in hoc, quòd reus nequit absolui in absentia, sic enim Christus Dominus constituit, cùm *leprosis*, vt se ostenderent sacerdotibus, mandauit.

7 Ex dictis collig. absolutionem esse negandam ijs, qui verè non sunt auersi à suis

pec-

peccatis per contritionem, vel attritionem eo modo, quo diximus *art. 4. §. 2;* & qui non habent verum propositum non peccandi de cætero, vt docet *Trid;* & qui restitutionem rei alienæ detrectant facere, cùm possint; & qui offensas sibi illatas nolunt remittere; & qui ignorant *fidei articulos,* vt docet *S. Carol. in instruct. Confess.* & qui sunt in occasione proxima peccandi, præcipitur enim *Matth. 8. Si manus, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, et proijce abs te; et Eccli. 3. Qui amat periculum, peribit in illo;* occasio autem proxima censetur illa, quæ spectatis omnibus circumstantijs sine peccato vix vnquam esse potest; vt qui habet domi suæ concubinam; occasio autem remota est, quæ non habet tantam cum peccato connexionem; vt si haberet in eadem vicinia mulierem, cum qua peccauit; tunc absolui potest, si verum propositum habeat non peccandi de cætero, & fugiendi sermones, qui illum ad peccatum possunt inducere. Limitant tamen hanc regulam *Gibb. et alij;* nam si quis existat in occasione proxima, quam nequit auertere, nisi cum infamia, scandalo, vel magno damno alterius, vtrius; & aliunde adhibeat omnia remedia sibi à confessario præscripta ad resistendum ita, vt non cadat tam frequenter, sicut anteà, potest absolui; vt colligitur *ex D. Hier. ep. 46. ad Rusticum,* quæ refertur *de pænit. dist. 3. c. sæpiùs.* Dummodò tamen confessarius agnoscat ipsum habere verum dolorem, & verum propositum non peccandi de cætero. *Ita Nauar; Suar; Lug. apud Gibb. hic disp. 14. dub. vlt. n. 9.* At si nullum signum emendationis appareat, sed frequentius in peccata eiusdem speciei labatur, non esse absoluendum docent *Suar; Reginald; Laym; Gibb; et alij communiter cont. Viuald; et alios;* quorum sententiam ait *Lug.* esse veriorem per se, licèt per accidens pars negatiua locum habeat; ait enim sufficere, quòd pœnitens affirmet se habere verum dolorem, & propositum efficax non peccandi; quia in hac materia standum est ipsi, cùm ipse sit accusator, defensor, & testis. Refelluntur tamen, quia ex frequentiori relapsu apertè colligitur inefficacia propositi; nam propositū efficax aliquandiu durat, nec tam citò euanescit; tum quia nec etiam esset necesse cognoscere, an habeat dolorem. Tandem habens aliquod peccatum reseruatum à non habente facultatem ab illo absoluendi nequit absolui, sed debet ad habentem potestatem remitti, vt diximus *art. 5. §. 3 n. 38.* Idem dicendum de excommunicato; habens tamen facultatem absoluendi à censuris debet priùs ab illis absoluere, & posteà à peccatis; vt docet *D. Tho. in suppl. q. 24. art. 1. ad 2.* Non habens tamen potestatem absoluendi potest illum à peccatis absoluere, & ad superiorem remittere, vt à censuris soluatur; quod dicendum etiam est de habente peccatum reseruatum, si confessionis necessitas vrgeat; & non ita facilis ad superiorem sit aditus, propter periculum pœnitentis, qui neque diem, neque horam mortis potest dignoscere.

§. 1.

De clauibus Ecclesiæ requisitis ad absolutionem à peccatis, & à censuris; vbi de excommunicatione.

8 Nomine *clauium Ecclesiæ*, ducta metaphora ab instrumento, quo aperitur, & clauditur, significatur potestas aperiendi, & claudendi Cælum peccatoribus; cùm remittuntur, vel retinentur eorum peccata; vt colligitur *Matth. 16. Tibi dabo claues Regni Cælorum; & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum et in Cælis &c.* Clauis hoc modo sumpta duplex est; vt docet *D. Hier. in hunc textum;* alia est *clauis scientiæ*, de qua dicitur *Luc. 11. Væ vobis Legisperitis, qui tulistis clauem scientiæ;* & hæc est potestas accepta ex officio, quo quis in Ecclesia fungitur, prædicandi verbum Dei, explicandi *scripturas*, & mysteria fidei; quo infidelibus aperitur Ecclesia, & ad ingressum Regni Cælorum vocantur; imò & cognitio discretiua peccatorum contra ipsos inuehens, & cohortatio ad virtutes; & definitio controuersiarum circa fidei materiam facta vel à Papa, vel à *Concilijs* auctoritate Papæ coactis ad clauē scientiæ pertinent; vt docet *idem D. Hier. in Isaiam c. 14.* Altera est *clauis potestatis*, qua remittuntur, vel retinentur peccata; & ad hanc pertinet recipere credentes ad Ecclesiam per sacramentum baptismi, & ministrare gratiam per alia sacramenta; rebelles ab Ecclesia eijcere, communione priuare, suspendere, interdicere; resipiscentes ad Ecclesiæ gremium recipere; peccatores Deo reconciliare, satisfactiones iniungere, & per indulgentias relaxare, & cætera huiusmodi. Vtramque hanc clauem plenissimè communicatam fuisse *D. Petro, & eius Successoribus* super totam Ecclesiam, *alys* verò *Apostolis* partialiter super aliquam tantùm Ecclesiā particularem, tanquam electis in partem sollicitudinis Ecclesiarum, diximus *to. 4. de fide q. 4. de Hier. Eccl. art. 1. Clauis potestatis* diuiditur in potestatem ordinis, & iurisdictionis simul; & in potestatem solius iurisdictionis præcisè. Ad illam pertinet consecratio corporis, & sanguinis Christi Domini, remissio peccatorum in sacramento pœnitentiæ, & aliorum sacramentorum administratio. Ad istam verò pertinet condere leges, canones, & statuta, ab illis dispensare, pœnas infligere, excommunicare, suspendere, & interdicere; & ab excommunicatione, alijsque censuris absoluere. Illa conuenit solis sacerdotibus; hæc verò etiam non sacerdotibus potest conferri; quia illa soluere potest, & ligare etiam in foro conscientiæ, quod est forum

forum internum; hæc verò tantùm in foro exteriori; quæ vocari solet etiam *gladius spiritualis*.

9 Ex his habetur tripliciter claues Ecclesiæ soluere, & ligare. 1. Quatenus per ipsas à peccatis absoluitur, vel peccata retinentur, idèst non remittuntur. 2. Ligant, quatenus satisfactio pœnitentibus imponitur; & soluunt, quatenus satisfactio per indulgentiam relaxatur. 3. Ligant, cùm excommunicatum ab Ecclesia eijciunt, & soluunt, cùm eiectum ad Ecclesiæ communionem recipiunt. *Ita Mag. dist.* 18. Ratio autem huius est. Tot sunt modi soluendi, & ligandi, quor sunt species vinculorum, quibus ligari possunt, & absolui peccarores; sed species vinculorum sunt tres, vna enim est peccarum; de quo dicitur *ps.* 118. *Funes peccatorum circumplexi sunt me; & à vinculis peccatorum nostrorum absoluat nos*; & sic habetur primus modus soluendi, & ligandi; alrera est præceprum; de quo *Matth.* 23. *Alligant onera grauia*, & hoc dupliciter; vel enim præcipit in foro interno; & sic habetur secũdus modus, vel tantũ in foro externo; & sic habetur tertius modus; ergo tres tantùm sunt modi soluendi, & ligandi, qui competunt clauibus.

Tertius modus ligandi nedum excommunicationem, sed & alias censuras respicit, scilicet suspensionem, & interdictum; censura enim *vt sic*, quæ definitur *pœna spiritualis inflicta ab habente iurisdictionem Ecclesiasticam priuans baptizatum aliquorum bonorum spiritualium vsu propter animæ salutem*; diuiditur in excommunicationem, suspensionem, & interdictum, deinde in censuram à iure, & ab homine; ac latæ sententiæ, & sententiæ ferendæ. Causa nullitatis censuræ triplex est; scilicet defectus iurisdictionis; defectus causæ legitimæ; & defectus ordinis ad iudicij substantiam requisiti; quibus additur appellatio interposita, vt *de sent. excom. c. pastoralis; & extra de appellationib. c. præterea.* Irregularitas autem est potiùs effectus censuræ, quàm censura.

10 Excommunicatio, vt nomen sonat, est *à communione separatio*; & duplex est; alia minor, quæ definitur *exclusio tantùm à participatione sacramentorum*; separatur enim quis per hanc à communione, scilicet à participatione eucharistiæ. Alia maior, quæ est separatio ab Ecclesia, seu à cetu fidelium, *est, qua quis ab Ecclesia communione quoad fructus, & suffragia communia, atque externum fidelium consortium separatur. Ita de sent. excom. c. si quem.* Excommunicatio minor fit maior, quando quis post debitam admonitionem in crimine permanserit contumax; excommunicatio autem maior dicitur simpliciter, & absolutè excommunicatio; vnde quoties à iure, vel ab homine pœna excommunicationis imponitur absque alio addito, excommunicatio maior solet intelligi. *Ita Estius hic dist.* 18. §. 6.

11 Dari in Ecclesia potestatem clauium excommunicandi, seu eijciendi ab Ecclesia est dogma fidei; vt definitum fuit *in Conc. Constant. cont. Vuicleff. art.* 11; 12; 13; *&* 30; *& Io. Huss. art.* 27; *& à Leone X. cont. Luth. art.* 23; *&* 24. *cont. Io. de Gandauo, & Marsil. de Padua* substinentes excommunicationem esse fictionem clericorum; vt refert *Argent. hic dist.* 19. *q.* 1. *art.* 4. Prob. autem ex *Matth.* 16. *Tibi dabo claues Regni Cælorum; & quodcunque ligaueris &c; & Io.* 20. *Quorum retinueritis peccata, retenta sunt*. Excommunicatio est vinculum, quo ligatur peccator, ne ingrediatur Ecclesiam; sed data est *Petro, & per Petrum* Ecclesiæ potestas ligandi quocunque vinculo; indefinitę namque sunt istæ propositiones, & ideo vniuersales; ergo data est potestas etiam excommunicandi. Præterea *Matth.* 18. dixit Christus Dominus peccatorem primò correptum inter te, & ipsum solum, secundò in præsentia vnius, vel plurium testium; tertiò in conspectu Ecclesiæ, si non audierit, habendum esse *tanquam Ethnicum, & publicanum. Si Ecclesiam non audiuit, sit tibi, sicut Ethnicus, & publicanus*; sed Ethnicus, & publicanus sunt extra Ecclesiam; ergo potestatem dedit eijciendi ab Ecclesia. Item 1. *Cor.* 5 *Paulus* eiecit ab Ecclesia *Corinthium incestuosum*, de quo inquit: *Et non magis luctum habuistis, vt tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit*; tolli autẽ de medio aliquo est separari ab ipsorum consortio, vt constat; & ideo est excommunicari; & 2. *Cor. vlt.* inquit: *Hæc absens scribo, vt non præsens duriùs agam secundùm potestatem, quam Dominus dedit mihi*; & ad Gal. 1. *Si quis vobis euangelizauerit præter id, quod accepistis, anathema sit*; anathema autem significat separationem ab Ecclesia; quod habet etiam *ibid. c.* 5. *Vtinã abscindantur, qui vos conturbant*; sed excõmunicatio est abscissio, seu separatio; ergo *ex his textibus* habetur esse in Ecclesia potestatem excommunicandi. Præterea prob. ex continua Ecclesiæ traditione; nam id docuerunt *Tertull. in apolog. cont. gentes c.* 39; *Orig. hom.* 12. *in Leuit; S. Cypr. ep.* 38, 62; *et* 72; *S. Ambr. serm.* 8. *in ps.* 118; *Siric. Papa ep.* 80. *apud D. Ambr*; *S. Hier. ep.* 1. *ad Heliodor*; *S. P. Aug. de fide, et operib. c.* 2; *de corr. et grat. c.* 15; *de Ciu. Dei lib.* 20. *c.* 6; *cont. ep. Parmen. lib.* 3. *c.* 2; *et sæpe alibi*; *S. Io. Chrisost. hom.* 5. *in ep.* 1. *ad Tim*; *S. Greg. hom.* 26. *in euang*; *Vrban. I. ep. ad vniuersos Episcopos*; *et al. j* 11. *q.* 3; *et* 25. *q.* 1. relati. Item *Syn. Nic.* excommunicauit *Arium*; *Ephes. Nestorium*; & sic de alijs, quæ possunt videri.

12 Obijc. *S. P. Aug. serm.* 16. *de verbis Domini c.* 4. verba *Matth.* 18. explicat de omnibus fidelibus, non de solis Prælatis; quilibet enim auersando impęnitentem illum ligat in terra; & correctum recipiendo soluit in Cęlo; sed quilibet non habet potestatem excommunicandi; ergo neque Prælati. Idem habet *Theophilact. super eundem textum Matth.* 18. Item *S. Chrisost. to.* 5. sermonem quendam intitulat: *Quòd neque viui,*

neque

neque mortui anathemate plectendi sunt.

Resp. *S. Patrem Aug.* sensum literalem illorum verborum apertè tradere *lib. 2. cont. ep. Parmen. c. 11; et lib. 1. cont. Aduersarium legis, et Prophetarum c. 17; et ep. 75; et hom. 27; 49; et 50.* Loco autem citato prædicta verba explicare in sensu mystico. Idem dicendum *ad Theophilactum*; qui locum *Io. 20.* apertissimè de potestate clauium interpretatur. Ad *D. Chrisost.* dicitur illum sermonem ei fuisse affictum. Sed etiam concesso, quòd illius sit, dicitur ipsum loqui de damnatione æterna, quæ est perfecta separatio à Christo Domino.

13 Diximus *excommunicatos separari à communione Ecclesiæ*; quod intelligendum est nedum de separatione externa, sed etiam interna; quatenus scilicet priuantur nedum loco intra Ecclesiam, dum viuunt; & sepultura post mortem; sed etiam suffragijs, orationibus, alijsque pijs operibus sanctorum, quibus fideles, qui intra Ecclesiam existunt, iuuantur ad inuicem *iuxta articulum communionis sanctorum*; sunt enim sicut membrum abscissum à corpore, & sicut palmes à vitæ præcisus; quæ non participant humorem vitalem, quo viuunt vitis, & corpus. Ex hoc consequitur excommunicatos priuari etiam protectione externa, qua Deus Ecclesiam protegit, & defendit à malignis spiritibus; & tradi Sathanæ, vt habetur 1. *Cor.* 5; *et 1. Tim.* 1; desinunt enim esse membrum Ecclesiæ, quæ est corpus mysticum Christi Domini; & incipiunt esse membrum corporis mystici, cuius caput est sathanas; ob quod *à Leone X.* meritò damnatus fuit *art. 10. Lutheri* asserentis: *Excommunicationes sunt tantùm pęnæ externæ, nec priuant hominem communibus spiritualibus Ecclesiæ orationibus.*

14 Obijc. *hæretici* 1. Homines efficiuntur Ecclesiæ membra per fidem, spem, & charitatem; sed hæc non possunt auferri ab Ecclesiæ ministro; deperduntur enim solùm voluntate peccantis; ergo homines nequeunt ab Ecclesiæ corpore per excommunicationem abscindi. 2. *Filius hominis*, vt habetur *Io. 3; non venit animas perdere, sed saluare; & Apost. 1. Cor. vlt.* ait sibi datam fuisse *potestatem in ædificationem, non in destructionem; & 1. Cor. 5.* ait se tradere *Corinthium Sathanæ, non quidem in interitum carnis, sed vt spiritus saluus sit in die Domini*; super quod *S. Chrisost.* inquit lucrum excommunicationis esse maius pęna; & *Innoc. IV. in Conc. Lugdun*; vt habetur *in 6. de sententia excommunicationis*, ait excommunicationem esse medicinalem, non mortalem, quia disciplinam non eradicat.

Resp. ad 1. dist. ma. Efficiuntur membra Ecclesiæ quoad substantiam, conc; quoad accidentia, neg; quamuis enim per fidem, spem, & charitatem homo fiat substantialiter membrum Ecclesiæ; attamen per communionem suffragiorum, & bonorum operum Sanctorum adiuuatur exteriùs ad habendam fidem, spem, & charitatem; & per excommunicationem his adiutorijs priuatur. Ad 2. dicitur oppositum sequi; vt enim Christus Dominus saluaret animas sibi fideles, debuit communicare potestatem Ecclesiæ ad separandos inobedientes, ne sui consortio perderent quoque fideles. Sic ad aliud dicitur *Apost.* recepisse potestatem ædificandi totum corpus Ecclesiæ, quod nequit esse, nisi per præcisionem membrorum putridorum, quę contagione totum corpus possunt inficere; sic enim saluabitur spiritus totius corporis in die Domini per præcisionem hominis mali, qui traditur *Sathanæ*, & separatur à corpore Christi; vel dicitur intentionem excommunicantis non esse, vt excommunicatus damnetur; sed vt punitus ab erroribus purgetur; atque ea pęna perterritus periculum agnoscens ad mentem redeat, & peccata, ob quę illam pœnam incurrit, detestetur, & bonus ex malo efficiatur; vt contigit *in Corinthio incestuoso ab Apost.* excommunicato; & in hoc sensu dicitur, quòd lucrum est maius pęna; & quòd pęna medicinalis est, non mortalis.

15 Ex his infertur finem excommunicationis triplicem esse. 1. Vt non blasphemetur nomen Christi; *Apost.* enim 1. *Tim.* 1. excommunicauit *Hymeneum, & Alexandrum, vt discant non blasphemare*; sicut namque nomen Dei sanctificatur per bona opera Christianorum; sic per mala opera, præsertim impunita, blasphematur. 2. Vt boni custodiantur, & præseruentur à peccatis; innocentes enim malorum præcipuè impunitorum consortio facilè ad peccata trahuntur; hinc *Apost. vbi s.* dixit se excommunicasse *Corinthium*; quia *modicum fermentum totam massam corrumpit*. Ex quo deducitur, quòd quando periculum adest, quòd tota aliqua massa, idèst tota aliqua communitas corrumpatur ita, vt metuendum sit schisma, vel graue aliquod scandalum, si plures eodem crimine infecti excommunicentur; tunc ab excommunicatione est abstinendum, & fusis ad Deum precibus, alijsque opportunis remedijs curandum est, vt malum illud sanetur; secus verteretur medicina in perniciem; quia boni, si qui essent inter eos, peruerterentur; ideo *Apost.* falsos fratres potiùs tolerare voluit, quam plectere, ne concitato schismate Ecclesiam rescinderent. Quod maximè inculcat Prælatis *S. P. Aug. de fide, & operib. à c. 2. ad 5; & lib. 3. cont. ep. Parmen. c. 1; & 2.* asserens Christum Dominum vetuisse eradicari zizania, ne simul eradicaretur, & triticum; *& ep. 64. ad Aurelium* ait: *Seueritas exercenda est in peccata paucorum.* Quod summoperè aduertere debent Prælati etiam Regulares in reformanda aliqua domo, vel Prouincia in plerisque membris infecta; nam suasionibus potiùs ad virtutes mouentibus vti debent, quibus à vitijs retrahuntur faciliùs, quàm minis, è quibus grauissima

uissima scandala oriuntur, vt plurimùm. Sicut enim si medicus volens sanare corpus aliquod ferè in omnibus membris infectum violentiam ignis, & ferri adhiberet, non membra sanaret, sed corpus destrueret; ita dicendum in casu. Sed non minùs suspendenda est excommunicatio, cùm imminet periculum schismatis, aut scandali, verùmetiam cùm causa illam ferendi non est grauis, sed leuis; etenim docet *Trid. sess. 25. c. 5. de reform:* excommunicatio ex causis leuibus temerè lata potiùs contemnitur, quàm formidatur. 3. Vt corrigatur, & saluetur excommunitus; perterritus enim pœna & erubescens notari ab hominibus, vt membrum præcisum à corpore Ecclesiæ, & communione sanctorum, ad Ecclesiam reuertitur contritus, & humilis; vnde Prælatus non odium, sed zelum, & charitatem debet ostendere, preces indicere, vt conuersio illius, quem punit, à Deo impetretur; vt docet *S. P. Aug. lib. 3. cont. ep. Parmen c. 2.*

16 Orandum autem esse pro excommunicatis prob. 1. Christus Dominus orauit pro omnibus etiam infidelibus; sed Ecclesia imitatur Christum Dominum, cuius est corpus mysticũ; ergo debet orare pro omnibus etiam extra illam existentibus. 2. In tantùm nequit pro damnatis orari; in quantùm sunt in termino, & ideo nequeunt ampliùs conuerti; sed excommunicati sunt adhuc in via, & possunt ad Ecclesiam redire; ergo pro illis est orandum. 3. Ecclesia *in Parasceue* orat *pro hæreticis, & schismaticis;* sed isti sunt excommunicati; ergo idem. 4. *Apost. 1. Tim. 2.* docet *obsecrationes, orationes, postulationes fieri pro omnibus hominibus;* quibus verbis nullum prorsus excludit ab oratione; imò ipsum loqui de oratione, quæ à sacerdote offertur Deo in celebratione missæ, docet *S. P. Aug. ep. 59. ad Paulin; S. Chrisost; Theophylact; & Oecumen. in hunc locum.* 5. Non est deneganda correptio, & hortatio, qua illum ad Ecclesiam reducat; sed orandum est pro adimpletione correptionis, & hortationis; ergo idem.

17 Dices. Excommunicatus est priuatus Ecclesiæ suffragijs; ergo & oratione, quæ connumeratur inter suffragia. 2. Membri à corpore præcisi nulla cura est habenda, vt reuniatur; ergo à pari. 3. *Innoc. III. c. à nobis, &c. sacris de sententia excommunicationis* docet non offerri sacrificia pro excommunicatis.

Resp. ad 1. priuari Ecclesiæ suffragijs, quæ non diriguntur ad ipsum; non autem ijs, quæ ad ipsum diriguntur; *communio* enim *Sanctorum* importat, vt etiam orationes, quæ non funduntur pro ipso expressè, etiam ipsi proficiant; & sic dicendum de alijs pijs operibus. Ad 2. neg. consẽnam membrum corporis naturalis non est viuificabile ab anima; at membrum mysticum est viuificabile à Spiritu sancto per gratiam; ideo de hoc, non de illo, cura est habenda, vt reuniatur. Ad 3. dicitur *illos canones* prohibere, nẽ offerantur sacrificia pro mortuis excommunicatis, etiamsi pœnitentiam egerint ante mortẽ; nisi priùs ab excommunicatione absoluantur; & ratio est; quia orationes, quæ in oblatione sacrificij funduntur, supponunt eos, pro quibus funduntur, esse intra Ecclesiam; orationes autem, quæ fiunt pro hæreticis, funduntur, vt redeant ad Ecclesiam.

18 Potestas excõmunicandi conuenit Summo Pontifici, cui conuenit iurisdictio in totam Ecclesiam; Episcopis etiam non consecratis in sua diœcesi, quibuscumque Prælatis siue sæcularibus, siue Regularibus iurisdictionem habentibus, etiamsi non sint sacerdotes ita, vt per eos excommunicati à corpore totius Ecclesiæ sint separati; & quanuis hæc potestas non extendatur ad omnes existentes in tota Ecclesia; attamen rescindit eos à toto corpore Ecclesiæ ita, vt in tota Ecclesia excommunicati habendi sint. Ratio est; quia duplex est forum, scilicet internum, & pœnitentiale; in quo nequeunt absoluere, & ligare, nisi sacerdotes habentes potestatem ordinis, & iurisdictionis simul; vt diximus; & externum, seu Ecclesiasticum, in quo possunt ligare, & absoluere solam potestatem iurisdictionis habentes, cuiusmodi sunt Prælati, etiamsi non sint sacerdotes, cuiusmodi est Pontifex electus non consecratus, Episcopi, Archiepiscopi, Primates, Metropolitæ, Patriarchæ, Concilia generalia, vel Prouincialia, Archidiaconi, Archipresbiteri, Abbates, Regulares Prælati; imò & parochi in casibus à iure concessis, & eorum Vicarij ex commissione; & tandem Clerici, & Laici ex delegatione, & commissione.

Nec officit; quòd *aliqui SS. PP.* potestatem ligandi, & soluendi aliquando tribuant solis sacerdotibus; *& Trid. sess. 14. c. 6.* damnet asserentes ministerium clauium ad alios, quàm ad Episcopos, & sacerdotes, pertinere. Non officit, inquam; nam sermo est de potestate clauium solùm in sacramento pœnitentiæ, atque adeò in foro conscientiæ; vt patet *ex Trid. ibid;* non autem in foro externo, & ecclesiastico; agebat enim *contra Lutheranos* asserentes potestatem absoluendi à peccatis omnibus fidelibus promiscuè competere.

19 Excommunicatio maior nequit ferri nisi ob peccatum mortale grauissimum habens adiunctam inobedientiam, qua nolit Ecclesiã audire, & velit in contumacia persistere; illa tandem excommunicatio, quæ fit à iure, & dicitur latæ sententiæ, non requirit trinam admonitionem præcedentem; ea verò, quæ fit à iudice, propter maturitatem iudicij trinam admonitionem præuiam requirit. Ratio primi est. Propter id solùm potest quis excludi ab Ecclesia, propter quod excluditur à Deo à Regno Cœlorum; Ecclesia namque Regnum Cœlorum dicitur teste *D. Greg. hom. 12. in Euang;* sed solùm propter peccatum mortale quis potest excludi à Regno Cœlorum,

lorum, vt constat; ergo solùm propter peccatum mortale quis potest excludi ab Ecclesia, atque adeò excommunicari. Et quanuis etiam pro damnis temporalibus, aut reuelatione rei surreptæ ferri possit excommunicatio; vt statuit *Trid. sess.* 25. *c.* 3; attamen Episcopi non debent illam concedere, nisi in re graui implicante peccatum mortale, vt mandat *idem Conc. ibid.* Ratio secundi est; quia, vt arguit *S. P. Aug. de corr. & grat. c.* 15; excommunicatio est pœna maxima; ergo nequit ferri, nisi pro peccato grauissimo, & enormissimo. Hinc *S. Paulus* excommunicauit *Cerinthium* pro incestu, qui est peccatum grauissimum inter carnalia. Alia ergo peccata minora minoribus pœnis esse plectenda docet *S. P. Aug. ibid.* Ratio tertij est; quia Christus Dominus non dedit potestatem excõmunicandi, nisi eum, qui Ecclesiam audire noluerit; vnde qui non peccauit mortaliter; vel non peccauit contra Ecclesiæ obedientiam, quãuis excommunicetur; nullam incurrit coram Deo excommunicationem. Ratio vltimi est; quia Christus Dominus, cùm potestatem excommunicandi concessit, iussit primùm corripiendum esse reum inter te, & ipsum solùm; secundò adhibitis testibus; & tertiò denunciando eum Ecclesiæ; quibus trina admonitio necessariò præmittenda describitur; post quam si Ecclesiam contempserit, excommunicatio est ferenda. Hoc autem intelligendum est solùm de excommunicatione à iudice lata; quia excommunicatio latæ sententiæ à iure lata, cùm in iure fiat admonitio solemnis, quæ trinam admonitionem virtualiter continet; ideo nullam aliã admonitionem prærequirit; adeoque hæc sine vlla alia admonitione est valida; quia censetur sufficienter inobediens Ecclesiæ; cùm præceptum in conspectu Ecclesiæ latum contempserit; illa verò sine trina admonitione præmissa, irrita est, & inanis, quia inobediens non est censendus. Hinc ignorans inuincibiliter factum aliquod sub excommunicatione prohibitum ab excõmunicatione excusatur. *c. si verò* 2. *extra de excommunicationis sententia*; quia tunc inobediens non censetur. Sic dicendum de eo, qui excommunicationem latam à iudice inuincibiliter ignorat *Bonif. VIII. in* 6. *de constitutionibus.* Tandem id etiam dicendum de eo, qui inuincibiliter ignorat ius ecclesiasticum prohibens sub pœna excommunicationis latæ sententiæ; quandiu enim durat ignorantia, excommunicationem nequaquam incurrit.

20 Excommunicati vitandi sunt *ex Conc. Nic. can.* 11; *&* 11. *q.* 3. *ex Fabiano*, *& Calixto*, *& S. Isidoro*; vbi dicitur statutum fuisse *Apostolorum* cum excommunicatis non esse communicandum; & colligitur 1. *Tim.* 5; 2. *Tessal.* 3; *ad Tit.* 3; *& ep.* 2. *Io.* Sed *Conc. Constan.* statuit solos nominatim excommunicatos; & percussores Clericorum adeò notorios, vt factum nequeat aliqua tergiuersatione celari; aut aliquo suffragio excusari. Vitandi autem sunt præcipuè in sacris actionibus; ideo non est orandum cum illis, nec audienda Missa, nec celebranda Diuina officia, nec recipienda ab eis, vel eis ministranda sacramenta; nec comedendum cum eis, nec salutandi sunt, aut osculo excipiendi; nec negotiandum cum eis, vel ipsis scribendum.

21 Excipiuntur casus hoc versu contenti: *Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse.* Vtilitas alia est spiritualis, ob quam potest concionator, parochus, & quiuis fidelis communicare cum excommunicato monendo eum sui erroris, suadendo, instruendo, vt illum detestetur, & redeat *ad S. Matrem Ecclesiam.* Alia temporalis; vt cùm excommunicatus aliquid debet; licet enim ab eo petere, in iudicio cum conuenire, ne eius malitia ei suffragetur *extra de iudic. c. intelleximus.* Item lex, seu debitum coniugij; licet enim petere debitum *dist.* 24. *c. verè.* Item subiectio filiorum, seruorum, & familiarium, quibus licitum est communicare cum patre, & Domino excommunicato 11. *q.* 2. *c. quoniam m ltos.* Item ignorantia iuris, & facti *ibid. ex Greg. VII.* Item necessitas; vnde peregrinus potest emere ab excommunicato necessaria ad victum, quæ non potest aliunde *ibid; & de sent. excom. c. si verò* 2; *& c. cum voluntate* dicitur licere prædicatoribus ab excommunicatis eleemosinas petere.

22 Si autem excommunicatus sit occultus, non declaratus, licet cum eo communicare; & si sit sacerdos, Missam illius audire, & ab eo communionem recipere, cùm non potest aliter facere, & aliunde tenetur.

23 Suspensio est *censura, qua minister Ecclesiæ impeditur, ne exerceat functiones Ecclesiasticas, aut potestate Ecclesiastica vtatur.* Alia est ab officio tantùm; alia tantùm à beneficio; & alia ab vtroque. Suspensus tantùm ab officio priuatur tantùm exercitio proprio illius officij; suspensus ob delictum à beneficio priuatur iure percipiendi quoscunque fructus, & incapax est ad recipiendum nouum beneficium *extra de Clerico excommunicato ministrante c. si celebrat.* Suspensus ab ordine, quem habet, ab exercitio manet etiã suspensus. Exercens fit irregularis. Suspensi sunt à iure 1. Qui recipiunt ordinem sacrum ab Episcopo, qui loco, & dignitati renunciauit. *Extra de ordinatis ab Episcopo, qui renunciauit c. requisiuit.* 2. Ordinati ab Episcopo excommunicato *extra de schismaticis c. quod à prædecessore, & c. fraternitati.* Idem de Episcopo simoniaco declarato *extra de simonia c. per tuas.* 3. Qui excommunicati scienter ordinati sunt, & Papæ reseruatur *extra de sent. excom. c. cùm illorum.* 4. Qui ordinem aliquem simoniacè acceperunt. *Ibid.* 5. Qui ordinati fuerint per saltum, cum quibus potest Episcopus ex legitima causa dispensare, si non ministrauerint *extra de Clerico per saltum promoto c. tuæ; & Trid. sess.* 23. *c.* 14. *de reform.* 6. Qui duos ordi-

ordines sacros vna die, vel duobus diebus coniunctis susceperint *extra de temporibus ordinationum c. literas*. 7. Qui maiores ordines ante ętatem legitimam susceperint, vel extra tempus, vel sine literis dimissorijs proprij Episcopi *Pius II. Constit. cùm ex Sacrorum; & Sixt. V. Sanctum, & salutare*; vbi eam reseruauit Summo Pontifici; si tamen sit occulta, absolui potest ab Episcopo; vt *Clem. VIII. constit. Romanum Pontificem, iuxta Trid. vbi sup.* 8. Qui ordines suscipiunt conficto titulo patrimonij, vel beneficij *S. Congr. Conc. die 27. Nouembris anno 1610.* 9. Qui ante ordinationem paciscuntur cum Episcopo, vel præsentante, quòd alimenta non postulabunt; & reseruatur Papæ *extra de simonia c. si quis ordinauerit*; & etiam Episcopus manet per triennium suspensus. 10. Furtiuè ab Episcopo ordinati, vel non vocati, vel non examinati, vel non approbati *extra de eo, qui furtiuè ordinem suscepit c. cùm veniens; & c. cùm lator; & c. innotuit*. 11. Ordinati cum literis dimissorijs vacante Episcopatu à Capitulo infra concessis, non coarctati tamen occasione recepti beneficij, vel recipiendi *Trid. sess. 7. de reform. c. 10*; de quo *inf. in tract. de ordine*. 12. Ordinati post matrimonium contractum etiam non consummatum exceptis casibus *à canone* concessis *extra de voto antique in 6*; nisi forrè soluatur matrimoniū causa professionis. 13. Celebrans, & non communicans *de consecr. dist. 11. c. relatum*. Item Missam imperfectam sine graui causa relinquens *ibid. dist. t. c. nullus Episcopus*. 14. Celebrans, aut celebrari iubens in loco interdicto; aut admittens ad Diuina officia, aut sacramenta, aut ad sepulturam Ecclesiasticam excommunicatos, suspensos, vel interdictos *de priuilegijs in 6. c. Episcoporum*. 15. Admittens ad communionem, vel sepulturam vsurarios manifestos *extra de vsuris c. quia in omnibus*. 16. Qui sponsos alterius parochiæ sine licentia coniungit *Trid. sess. 24. de reform. c. 1.* 17. Eligentes ad Episcopatum, vel ad beneficium, cui annexa est cura animarum, vel per abusum sæcularis potestatis, suspenduntur ad triennium *de elect. in 6. c. cùm in cunctis; & extra de electione c. quisquis*. 18. Occupantes bona vacante sede pertinentia ad Prælatum defunctum, vel successorem, vel ad ipsam Sedem *de elect. in 6. c. quia sæpe*. 19. Episcopi conferentes tonsuram; vel ordines extraneo absque licentia proprij Episcopi suspenduntur à Pontificalibus: *Trid. sess. 6. de reform. c. 5; & sess. 23. c. 8.* 20. Episcopi ordinantes religiosum non professum *Pius V*; nouitios tamen *Societatis* excepit *Greg. XIII*; à collatione illius ordinis suspenduntur per annum. 21. Qui bigamum, vel inuitum ordinat, à celebratione Missæ per annum suspenditur *dist. 55. c. nullus; & dist. 74. c. gesta*. 22. Episcopi conferentes primam tonsuram puero nondum septenni, vel nescienti legere, & scribere suspenduntur à collatione primæ tonsuræ per annum *de temporib. ordinat. c. nullus*. 23. Episcopus admittens resignationem beneficij contra formam *bullæ Pij V. Quanta Ecclesiæ* suspenditur à collatione. 24. Episcopus, vel Abbas alienans bona Ecclesiarum, Monasteriorum, vel piorum locorum *extra com. de reb. Eccl. non alienandis c. ambitiosæ*. 25. Episcopus sine necessitate ingrediens monasteria Monialium prima vice suspenditur ab ingressu Ecclesiæ, secunda à Diuinis, tertia excommunicatur *Greg. XIII. constit. Deo sacris*. 26. Episcopus permittens feneratores publicos conducere domos in sua diœcesi, donec illos expulerit *de vsuris in 6 c. vsuras*. 27. Conuentus, & Capitula, quæ directè, vel indirectè aliquid exigunt ob receptionem nouitij siue ante, siue post, siue pecunias, siue ornamenta sacra suspenduntur ab officio; & dantes, ac recipientes excommunicantur; nec absolui possunt, nisi in articulo mortis *extra com. de simonia c. sanè*. 28. Regulares admittentes ad professionem ante annum probationis expletum *de Regularib. in 6. c. non solùm*.

24 Interdictum est *censura Ecclesiastica, qua certis personis, & locis interdicitur, & prohibetur publica celebratio Diuinorum officiorum, & sacramentorum administratio, quæ ad nascentium, & morientium salutem non sunt necessaria, & Ecclesiastica sepultura*. Aliud est locale, quo interdicitur tota aliqua communitas; aliud personale, quo interdicitur tantùm persona.

25 Absoluere à suspensione, & interdicto ei competit, cui competit absoluere ab excommunicatione.

Q V Æ S T. II.

De remissione peccatorum.

Docet *B. Doct. Ægid. Quodl. 2. q. 28.* effectus pœnitentiæ esse *remissionem culpæ, satisfactionem pœnæ, roborationem animæ, & reconciliationem cum Deo, ac cum Ecclesia militante, & triumphante*; quibus addit *Trid. sess. 14. c. 3.* conscientiæ pacem, ac spiritus serenitatem. Quoniam tamen circa remissionem culpæ tantummodò excitantur *hic* difficultates; nam circa satisfactionem pœnæ satis dictum est *in sup. art*; & alij effectus vel non distinguuntur à remissione culpæ, vel essentialiter consequuntur, vt innuit *Trid. ibid*; ideo de hac sola est agendum. Porrò remissio pecca-

torum est communis pœnitentiæ, vt est virtus, & vt est sacramentum; nam vt diximus *in sup. q. art.4.§.1;& 2.* tam per actum contritionis perfectæ extra sacramentum; quàm per attritionem, quæ est contritio imperfecta, in sacramento remittuntur peccata; idcirco de ipsa communiter discurremus.

A R T. I.

Solutiones aliquot difficultatum circa remissionem peccatorum indicantur.

1 PLures quæstiones circa remissionem peccatorum iam solnimus; ideo ne illas superfluè repetamus, *hic* eas indicare sufficiet.

2 Inquiritur 1; an per pœnitentiam quæuis peccata, quantumuis grauia, & enormia possint remitti? Resp. affirmatiuè, vt diximus *art.1.§.3.*

3 Quæritur 2; an sine pœnitentia, quæ est virtus, possit extra sacramentum remitti peccatum mortale? Resp. hoc fuisse discussum *in sup. q. art.* 2; vbi probatum fuit sine sacramento pœnitentiæ vel in re, vel in voto non posse remitti peccatum; sacramentum autem pœnitentiæ in voto importat virtutem pœnitentiæ cum proposito subijciendi se clauibus Ecclesiæ, cùm habetur ministri opportunitas. Additur *Trid. sess.14.c.4. Fuit autem quouis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius*; sed actus contritionis est actus virtutis pœnitentiæ, non autem est actus solius charitatis, vt falsò supponunt *aliqui*; quia est dolor de peccatis commissis; dolor autem est actus virtutis pœnitentiæ formaliter; nam actus charitatis est amor Dei, & odium peccati; odium autem distinguitur à dolore, vt diximus *ibid. art.4.§. 1. à n. 9*; ergo sine pœnitentia, quæ est virtus, non potest extra sacramentum remitti peccatum mortale.

4 Dices. Potest quis elicere actum amoris Dei super omnia, & per illum iustificari absque eo, quòd pœniteat; ergo sine pœnitentia, quæ est virtus, potest extra sacramentum remitti peccatum mortale. 2. Cùm quis oblitus est inuincibiliter alicuius peccati, etiamsi illius non pœniteat, remittitur; ergo idem. 3. Cùm quis rapitur ad martyrium, si ei tempus non sit considerandi sua peccata, & pœnitendi; quia totus occupatur in confessione fidei tuendæ, si eliciat actum amoris, iustificatur. 4. Non minùs promittitur *in Scripturis* remissio peccatorum pœnitentibus, quàm amantibus Deum; vt *Luc.7. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm; & 1.Io.4. Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus, fratres*; ergo per actum charitatis sine pœnitentia possumus remissionem peccatorum obtinere.

5 Ad hæc omnia respondet *S. P. Aug. in ep. 1.Io. tract. 2*; quòd *idem Io*; qui dixit; *Translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus, fratres; & qui manet in charitate, in Deo manet*, dixit etiam: *Si quis diligit mundum, dilectio Patris non est in eo.* Ergo infert S. P. *Aug. Duo sunt amores mundi, & Dei. Si mundi amor habitat; non est, qua intret amor Dei. Recedat amor mundi, & habitet Dei &c. Cùm exhauseris amorem terrenum, hauries amorem Diuinum; & incipiet habitare iam charitas &c. Exclude malum amorem mundi, vt implearis amore Dei.* Ex quo arguitur. Amor Dei nequit intrare in cor peccatoris, nisi peccator expellat affectum ad peccatum; quia amor Dei perfectus, qui iustificat, quatenus ad iustificationem proximè disponit; vt diximus *in sup. q. art. 4. §. 2*; nequit stare cum amore peccati; amor enim peccati formaliter importat auersionem à Deo; & amor Dei conuersionem in Deũ; auersio autem, & conuersio in Deum contradictoriè opponuntur; & ideo nequeunt simul esse; sed expulsio affectus ad peccatum est actus pœnitentiæ, cuius est formaliter retractare, & expellere peccatum à se ipso; nam actus odij, & detestationis peccati non expellit peccatum formaliter à se ipso; cùm etiam Deus, & Beati odio habeant peccatum, & detestentur; & tamen in ipsis non est peccatum, quod à se ipsis expellant; ergo amor Dei nequit intrare in cor peccatoris, nisi sit per actum pœnitentiæ dispositum. Tum quia implicat, quòd cor peccatoris sit iustificatum, & impœnitens; ipsa enim impœnitentia peccatum est; quia est duratio, seu permanentia in peccato; duratio autem, & permanentia rei non distinguitur ab ipsa, quia non est res distincta à re durante, vt supponimus *ex Physicis*; sed impœnitentia formaliter non tollitur, nisi per pœnitentiam, quæ illi priuatiuè opponitur; priuatio autem non tollitur, nisi per formam; vt constat; quamuis materialiter ad destructionem subiecti possit tolli; ergo implicat cor peccatoris amare Deum perfectè sine pœnitentia. Iste tamen actus pœnitentiæ potest esse dupliciter, vel formaliter, vel virtualiter; tunc est formaliter, quando peccator recogitat sua peccata, quorum meminit, & pœnitet ea patrasse; tunc est virtualiter, cùm peccatorem pœnitet quidem omnium peccatorum in generali cum tali dispositione, vt si recordaretur alicuius in particulari, quod inuincibiliter ignorat, illius in particulari pœniteret; tunc enim virtualiter pœnitet etiam obliti in particulari; quia particulare virtualiter includitur in generali; & si nullum peccatum occurrit, cùm est ita dispositus, vt si occurreret, pœniteret, dicitur habere virtualem actum pœnitentiæ cum amore Dei coniunctum; quia tunc sic amat Deum, vt si recordaretur alicuius peccati inuincibiliter ignorati, aut obliti, illius pœniteret. Hoc autem sufficere ad euacuandum cor ab affectu

fectu peccati, iam diximus *art.4.§.1.n.22; & art. 5. §. 3*; actus enim dicitur virtualis, quia habet eandem virtutem, quam habet actus formalis; sed actus formalis sufficit; ergo & virtualis. Idem dicitur de illo, cui deest tempus ad examinandam conscientiam; tunc enim impossibilis est enumeratio peccatorum in singulari; *& ad impossibile nemo tenetur*; & ideo si ita amet Deum, vt virtualiter sit sic dispositus, quòd habens tempus, & modum *recogitandi annos suos in amaritudine animæ suæ*, suorum peccatorum formaliter pœniteret sufficit. Ad 1. dist. ant. Absque eo, quòd illum pœniteat formaliter, vel virtualiter, neg; formaliter tantùm, conc. Ad 2. iam dictum est *vbi sup. art. 5. & §. 4. cum Trid.* teneri generaliter dolere saltem virtualiter de omnibus, aliter non remittitur. Ad 3. dicitur, quòd actus fidei, & charitatis in martyre includit virtualem actum pœnitentiæ eo modo, quo diximus. Ad 4. retorquetur. Remissio peccatorum *in Scripturis* promittitur tam pœnitentibus, quàm amātibus Deum; sed non promittitur pœnitentibus non amantibus Deum, & permanentibus in amore peccati; ergo amantibus Deum non pœnitentibus, sed manentibus in affectu peccati non promittitur peccatorum remissio. Dicitur ergo, quòd amantibus Deum amore perfecto, qui virtualiter saltem includit pœnitentiam peccatorum remissio promittitur.

6 Ex hoc deducitur solutio alterius difficultatis; an si quis diligeret Deum super omnia, & memor suorum peccatorum ea non retractaret, maneret iustificatus? Resp. etenim negatiuè; illa enim dilectio non esset perfecta, quia esset coniuncta cum affectu ad peccatum, vt diximus.

7 An autem possit Deus de sua potentia absoluta remittere peccatum absque vllo actu formali, vel virtuali pœnitentiæ? Resp. *Gibb.* affirmatiuè referens pro se *nostrum Bernardin; Caiet; Vasq; Sua; Val; Lug; Scot; et alios*. Sed oppositum fusè docuimus *to. 4. de grat. q. 4. art. 5*; vbi ostendimus non posse Deum gratiam iustificantem sine præuijs dispositionibus infundere; & *Aduersariorum* rationes reiecimus.

8 Quæritur 3; an ad remissionem peccatorum requiratur propositum formale, & explicitum non peccandi de cætero; vel sufficiat virtuale, & implicitum? Resp. idem omnino dicendum esse de proposito non peccandi de cætero, seu seruandi præcepta Dei, ac de contritione, seu actu pœnitentiæ; cùm enim, vt diximus *art. 4. §. 1*; non sit perfectè contritus, qui perfectè non detestatur peccatum; & peccatum perfectè non detestetur, qui non proponit abstinere à peccato in futurum; habet namque affectum ad peccatum futurum, licèt illi displiceat peccatum præteritum; & ideo non expellit adæquatè affectum peccandi; ideo sicuti actus formalis pœnitentiæ est necessarius ad remittendum peccatum mortale, cùm peccatum occurrit; ita est necessarium propositum formale non peccandi in futurum; & sicuti cùm peccatum inuincibiliter ignoratur, aut oblitum est; tunc sufficit actus virtualis pœnitentiæ; ita sufficit propositum virtuale non peccandi inclusum in amore Dei perfecto; idem namque dicendum est de constitutiuis, ac de constituto; & per consequens idem dicendum de dolore peccati, ac de proposito non peccandi, & proposito satisfaciendi, quæ actum pœnitentiæ constituunt. Sicut namque propositum peccandi inuoluitur in affectu peccandi; ita propositum non peccandi inuoluitur in detestatione peccati.

9 Quæritur 4; an per contritionem, seu pœnitentiam perfectam deleatur semper etiam totus reatus pœnæ temporalis? Resp. hoc fuisse discussum *art. 6. n. 9; & 16. Vid. Trid. sess. 14. can. 12*.

10 Quæritur 4; an vnum peccatum possit remitti sine alio? Resp. hoc fuisse solutum *art. 5. §. 3*; vbi ostendimus confessionem debere esse integram omnium scilicet, & singulorum peccatorum; ideo remissio peccatorum, quæ fit vel per confessionem factam homini, quæ est sacramentalis; vel per confessionem factam Deo extra sacramentum, debet esse integra, omnium scilicet peccatorum. Idem diximus *to. 4. de grat. q. 4. art. 4*; vbi diximus gratiam iustificantem, qua solùm peccatum remittitur, non posse componi cum peccato mortali. Quo reijcitur etiam *Lug.* asserens posse Deum non remissa culpa minuere grauitatem illius, seu remittere, & relaxare aliquid de reatu culpæ, non totam culpam saltem de potentia absoluta. Nam talis remissio non fieret per gratiam iustificantem, quia hæc incompossibilis est cum peccato; nec per simplicem condonationem extrinseceam; vt diximus *to. 4. ibid. art. 3*.

11 Quæritur 5; an remissio culpæ extra sacramentum fiat solùm per contritionem perfectam? Resp. affirmatiuè; vt diximus *art. 4. §. 2*; vbi pariter ostendimus contritionem causare remissionem in genere causæ dispositiuæ. An autem contritio perfecta habeat semper annexam remissionem peccatorum, diximus *ibid. §. 1. n. 30; & 31*.

ARTIC. II.

An peccata semel remissa per peccatum subsequens redeant?

1 NON quæritur; an peccata remissa redeant quoad entitatem physicam actus; constat enim hanc elici à voluntate peccatoris, cùm sit actus vitalis, qui petit oriri à suo principio intrinseco, sed quæritur de macula, seu reatu culpæ, & pœnæ æternæ ei debitæ,

Nec

Nec quæritur, an redeant secundùm genus, vel secundùm speciem; sic enim certum est redire; quia per peccatum subsequens redit transgressio legis, quæ est genus ad omne peccatum; & per peccatum adulterij v.g. redit species, in qua conuenit aliud adulterium iam remissum; sed quæritur, an redeant eadem numero ita, vt peccator etiam propter illa puniatur à Deo pœna æterna, ac si non fuissent remissa?

2 Affirmant *Hug. Victorin. lib. 2. de sacram. p. 14. c. 9; Gratian. de pœnit. dist. 4. in fine; Guilelm. Parisien. lib. de septem sacram.* in fine. *Mag.* autem adeò perplexam vocat hanc sententiam propter auctoritates Scripturarum, & SS.PP; vt nihil definite voluerit. Tandem *Præpositiuus, & alij*, vt refert *D. Bon. in 4. dist. 22. art. 2. q. 1*; dixerunt non omnia peccata redire, sed tantùm peccatum in fraternam charitatem commissum, apostasiam à fide, contemptum confessionis, & retractationem, seu dolorem pœnitentiæ priùs factæ; quæ his duobus carminibus continentur: *Fratres odit, apostata fit, spernitque fateri — Pœnituisse piget, pristina culpa redit.*

3 Sententia negans est communis. *Ita Fund. Doct. Quodl. 2. q. 28; & omnes alij communiter.*

4 Vnica concl. Nullum peccatum remissum per subsequens peccatum redit.

Prob. 1. ex *Nahum. 1. Non consurget duplex tribulatio; quod 70.* vertunt: *Non vindicabit Deus bis in idipsum; & Ezech. 18. In quacunque hora ingemuerit peccator, iniquitatum eius ampliùs non recordabor*; quod absolutè esset falsum; nam si per subsequens peccatum iniquitates per gemitum peccatoris remissæ reuiuiscerent, illarum Deus recordaretur; *& Rom. 11. Sine pœnitentia sunt dona, & vocatio Dei*; sed remissio peccatorum est donum Dei, quia gratis tribuitur, vt statuit *Trid. sess. 6. c. 8*; ergo illius non pœnitet Deum. Sed si reuiuiscerent, pœniteret remissionis, quia illam retractaret; puniret enim ea, ac si non remissa fuissent; retractatio autem pœnitentia est; ergo non redeunt. Idem statuit *Gelas. relatus dist. 4. de pœnit. cap. finali* asserens: *Diuina clementia dimissa peccata in vltionem vlteriùs redire non patitur; & Bened. XII. extra inter cunctas: Absurdum esse, vt qui peccata per pœnitentiam dimissa rursus debeat confiteri, & vt debitor liberatus adhuc maneat ad soluendum obligatus.* Item *S. P. Aug. lib. 1. cont. Donatist. cap. 12*; vbi *Aduersarij* pro se illum referunt, inquit: *Redire peccata remissa, vbi charitas fraterna non est; & inf. Propter odiorum perseuerantiam omnia continuò replicata sunt.* Quamuis enim Dominus ex sua misericordia illi seruo remissionem obtulerit; attamen ille propter odium fraternum, & malignitatem, quam fouebat in corde, remissionem non accepit: Hinc *serm. 15. de verbis Domini* tractans *eundem textum* inquit: *Debito liber, & iniquitatis seruus abscessit.* Ex quibus arguitur. Quia seruus Euangelicus habuit odium fraternum perseuerans in corde, debita dimissa redire; si enim dimisisset conseruis suis, nedum ei fuisset à Domino dimissum debitum, sed & remissionem oblatam accepisset; & debita dimissa non redijssent; dicitur enim: *Dimittite, et dimittetur vobis*; quod petimus etiam *in orat. Dominic*; sed ille, cui remittuntur peccata, & remissionem accipit peccatorum, non habet odium fraternum perseuerans in corde; qui enim non dimittit, nec dimissionem accipit; ergo in illo, cui sunt peccata remissa, non redeunt. Prætereà *S. Prosper resp. 2. ad capitula Gallor. Non in id, quod remissum est, recidit; nec in originali peccato damnabitur.* Insuper repugnat iustitiæ, quòd debitum semel exactum iterum redeat; iustitia enim præcipit reddi solùm, quod debetur; non autem reddi, quod non debetur; quando autem exactum est debitum, nihil ampliùs debetur; aliter debitum exactum non esset; sed cùm remittuntur peccata, exoluitur debitum, quod habet peccator cum Diuina iustitia; fit enim remissio virtute passionis Christi, quæ est pretium sufficiens pro ipsis peccatis; ergo repugnat, quòd peccata remissa iterum redeant. Tandem si peccata redirent, vel esset quia illa produceret creatura, vel Deus, vel quia resultarent? Non primum, vt constat; cùm enim creatura committit subsequens peccatum, non committit omnia peccata sibi præcedenter remissa. Nec secundùm; quia Deus nequit esse Auctor peccati. Nec tertium; quia vnum peccatum non connectitur essentialiter cum alio; secus committens vnum peccatum omnia simul committeret; & sic omnia peccata essent paria; vt *Stoici* inquiebant; ergo peccata remissa non redeunt. Tum quia quod Deus absolutè remittit, nequit esse non remissum; sicut quod Deus absolutè punit, nequit esse non punitum; aliter vel voluntas Dei mutaretur, vel potentia impediretur, quod repugnat; sed peccata à Deo absolutè remittuntur; sicut remittuntur à creatura; dicitur enim *Io. 20. Quorum remiseritis, remissa sunt*; vbi nulla prorsus conditio subiungitur; ergo nequeunt esse non remissa; sed quatenus redeunt, sunt non remissa; ergo peccata semel remissa nequeunt redire.

5 Obijc. 1. *Matth. 18.* Seruus, cui Dominus dimiserat debitum, nolens dimittere suis conseruis fuit traditus tortoribus, donec redderet vniuersum debitum; sed hoc fuit peccata remissa punire, & per consequens redire; quia nisi redijssent, punita non fuissent; ergo peccata semel remissa per peccatum subsequens redeunt. 2. *Ezech. 18. Si iustus auerterit se à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur*; ergo nec remissionis peccatorum, quæ sine dubio iustificatio est, recordabitur; *& Exod. 32.* inquit Deus: *Ego autem in die vltimo visitabo, & hoc peccatum eorum*; quod tamen remiserat; *& psal. 78. Ne memineris*

ini-

iniquitatum nostrarum antiquarum; & 108. *In memoriam redeat iniquitas patrum eius in conspectu Domini*; & 3. *Reg.* 17. Mulier *Sareptana* dixit *Eliæ*: *Ingressus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ*.

Resp. ad 1. iam dictum fuisse *cum S.P.Aug.* debita illi seruo fuisse dimissa ex parte Domini, seruum tamen remissionem non recepisse ob impedimentum odij fraterni, quod fouebat in corde; præceptum enim Domini est: *Dimittite, et dimittetur vobis; et quod tibi vis, alteri feceris*. Sic inquit *S. P. Aug. vbi s.* baptizans, quantùm est ex se, remittit peccata; fictè tamen recipiens baptismum, quia ponit impedimentum remissioni, eam non recipit. Ad *Ezech.* dicitur, quòd Deus non recordatur iustitiarum, cùm iustus peccat, quia illis mercedem non reddit propter impedimentum peccati. Imò ex hoc arguitur oppositum; sicut enim non recordatur iustitiarum, quia per peccatum deletæ sunt; ita nec recordatur peccatorum, quia per remissionem fuerunt deleta. Ad *alios textus* dicitur sermonem esse de pœna temporali, quæ remanet etiam post peccatum remissum soluenda; non autem de culpa, & pœna æterna.

6 Obijc. 2. *S. P. Aug. lib. 1. cont. Donatist. c. 12; et serm. 15. de verbis Domini; et l.b. 15. de Ciu. Dei c. 6; et lib. 21. c. vlt.* docet, quòd nisi quis dimiserit fratri suo, Deus reuocabit illum, & quidquid ei dimiserit, replicabit ei; *et D. Ambr. in comm. super Ephes.* 4. ad illud *donantes vobis inuicem*; de non dimittentibus inquit: *Sine dubio reuocabit sententiam, per quam misericordiam dederat; sicut ait in euangelio de seruo etc; et D. Greg. lib. 4. dialog. c. vlt.* idem habet; *et D. Chrysost. in Matth.* 18. ait ingratitudinem, & vindictæ cupidinem esse malum tam grande, vt reuocet etiam donationem Dei, & irritam faciat.

Resp. *hos SS. PP.* nihil aliud velle, quàm, quòd odium fraternum, & propositum vindictæ impediant remissionem peccatorum; clarè enim habetur *in orat. Dom. Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*; & ideo illis, qui non dimittunt, nec Deus dimittit; & quanuis in sacramento per os sacerdotis proferat remissionem; illi tamen eam non accipiunt ob impedimentum odij fraterni. Ad *D. Chrysost.* dicitur ingratitudinem adeò aggrauare peccatum, vt pœnam æquiualentem peccatis remissis exigat; non tamen efficit, vt peccata redeant.

7 Obijc. 3. Per pœnitentiam redeunt merita per peccatum mortificata, vt videbimus *in seq. art*; ergo à pari. 2. Si quis post remissionem peccati iterum peccet, & in peccato moriatur, in inferno punietur etiam pro pœna temporali debita peccato remisso, quæ euadet æterna; ergo pœna æterna redit, & per consequens culpa, cui solùm debetur pœna æterna. 3. Peccata per gratiam teguntur; ergo ablata gratia deteguntur, & redeunt. 4. Eadem numero peccata iam remissa possunt iterum voluntati placere; ergo eadem numero possunt redire. 5. Iustum, cùm peccat, pœnitet actæ pœnitentiæ; ergo & Deum pœnitet remissionis concessæ.

Resp. ad 1. neg. cons; merita enim mortificantur, non destruuntur, manent enim in acceptatione Diuina; ideo reuiuiscunt, cùm tollitur mors, quæ est peccatum; peccata verò per remissionem penitus destruuntur, ideo nequeunt reuiuiscere. Ad 2. neg. damnatum pro peccato remisso puniri pœna æterna; vt habet *D. Tho. in 4. dist. 22. q. 1. art. 1. ad 5.* Ad 3. resp. *S. P. Aug. in ps.* 31; vbi dicitur: *Quorum tecta sunt peccata*; tegi, vt sanentur, & tollantur; quemadmodum vulnera corporis emplastro teguntur à medico, vt destruantur; non autem tegi, vt occultentur. Ad 4. neg. cons; illa enim noua complacentia voluntatis est nouum peccatum. Ad 5. neg. cons; homo enim mutabilis est; & ideo potest illum pœnitere actus anteacti; at Deus immutabilis est; ideo ratio non currit.

8 Ex dictis collig. *cont. Scot. apud Valent; & Magistr. hic q.* 10. *art.* 2. neque de potentia Dei absoluta peccata remissa posse redire quoad culpam, & pœnam æternam culpæ debitam; si enim redirent, vel quia reproducerentur à Deo; vel à creatura; vel quia naturaliter resultarent, aut connecterentur cum alio peccato; neutrum dici potest, vt constat ex dictis; ergo nullo modo possunt redire.

ART. III.

An, & quomodò opera meritoria per peccatum mortificata reuiuiscant per pœnitentiam?

1 Opera hominis sunt in quadruplici differentia; alia enim sunt viua, quæ sunt facta in gratia, & cum gratia, quæ est animæ vita, iunguntur. Alia sunt mortificata, quæ licèt facta sint in gratia, attamen per peccatum subsequens sunt mortificata, quatenus à peccato impediuntur, ne producant proprium effectũ, qui est ordinare ad consequendã vitam æternã; sicut enim res viua per mortẽ perdit operationem vitalem; ita opus meritorium per peccatum, quod mors est, perdit gratiam, quæ vita spiritualis est, & per consequens perdit operationem vitalem, quæ sine vita nequit haberi. Alia sunt mortua, quæ sunt ex suo genere bona, attamen quia facta sunt in peccato mortali, & sine gratia; ideo mortua dicuntur. Tandem alia sunt mortifera, quæ sunt peccata. Difficultas procedit solùm de operibus meritorijs factis in gratia, & mortificatis per subsequens peccatum; opera enim mortua destruuntur; & mortifera nequeunt reuiuiscere, quia nunquam viua fuerunt.

2 Communis sententia est *omnium Theolo-* go-

gorum opera meritoria per subsequens peccatum mortificata per subsequentē pœnitentiā reuiuiscere; sed dissidium est circa modum, quo reuiuiscunt; nam *Ban. 2. 2. q. 24. art. 6.* vult reuiuiscere merita non quoad substantiam proemij, sed tantùm quoad titulum ita, vt idem præmium, quod correspondet meritis factis post pœnitentiam, respondeat meritis habitis ante pœnitentiam, & per peccatum mortificatis; atque adeò idem præmium dari duplici titulo. Referuntur etiam *Alen; D. Bon; Capr; Palud; & Caiet.*

3 *Io. à S. Tho.* vult merita reuiuiscere in esse physico secundùm tot gradus, quos habet contritio, quæ est dispositio. *Sot.* autem, *Ledesma, Nugn; Gonet, & alij* volunt resurgere tantùm in esse morali ita, vt, qui per pœnitentiam resurgit in minori charitate, consequatur quidem præmium essentiale secundùm quantitatem charitatis, in qua inuenitur; habiturus tamen maius gaudium de operibus in prima charitate factis, quàm de operibus, quæ in secunda charitate fecit, quod pertinet ad præmium accidentale; vt ait *D. Tho. 3. p. q. 89. art. 5. ad 3; & in 3. dist. 31. q. 1. art. 4.* Sed diuiduntur; *aliqui* enim volunt meritum reuiuiscens duplicare meritum gratiæ, & charitatis, per quam reuiuiscit ita, vt v. g. si quis ante peccatum habebat merita, vt octo; & post peccatum resurgat cum dispositione ad gratiam, & charitatem, vt duo; acquirat merita, vt quatuor; nempe duos gradus correspondentes dispositioni præsenti; & duos correspondentes gratiæ habitæ ante peccatum. *Alij* verò volunt non duplicare meritum, sed habere tantùm merita, vt duo, correspondentia dispositioni, & gratiæ præsenti.

4 *Scot. in 4. dist. 22. §. Ad secundum* ait *reuiuiscere merita habita, sed non reuiuiscere primam gratiam priùs habitam*; adeoque præmium essentiale correspondere etiam meritis priùs habitis, non tantùm gratiæ, quæ infunditur; quia gratia non datur, nisi iuxta proportionem meritorum; in instanti tamen mortis, quia anima elicit actum feruentissimum charitatis, illi confertur gratia correspondens etiam meritis præcedentibus. Idem docent *Scotistæ*, quibus adhæret *Sot.*

5 *Sua; Lug; Coninch; Esparza, Nominales, & alij* volunt statim reuiuiscere merita & primam gratiam, quæ habebatur ante peccatum per ordinem ad præmium essentiale consequendum.

6 Nostra sententia docet gratiam reuiuiscere ad mensuram solius dispositionis præsentis, non præcedentis; & merita reuiuiscere secundùm omnes suos gradus, quibus correspondet gloria, non quidem ad æqualitatem, sed superabundanter, & cum excessu eo modo, quo diximus *cum Lund Decl. Æg. to. 4. q. 5. de merito art. 2*; pro cuius explicatione.

7 Not; quòd aliud est loqui de pœnitentia per ordinem ad gratiam, quæ recuperatur; aliud per ordinem ad merita, quæ per gratiam viuificantur, & reuiuiscunt; nam certum est, quòd gratia, quæ recuperatur, per pœnitentiam, seu per contritionem, vel attritionem in sacramento pœnitentiæ, quæ est dispositio ad gratiam, vt docet *Trid. in hac sess. 14. cap. 4*; inducitur in animam secundùm suam entitatem physicam, & realem ipsi animæ formaliter physicè inhærentem, ipsamque sanctificantem; vt diximus *in eodem tomo 4. q. 3. de grat. art. 1. cont. Luthero-Caluinistas.* Merita verò per peccatum mortificata non inducuntur per pœnitentiam secundùm suum esse physicum, & reale in animam, vt constat; sic enim repeterentur secundùm suum esse physicum, & reale; quod est manifestè falsum; non enim meritum ieiunij v. g. ita reuiuiscit per pœnitentiam, vt pœnitens iterum ieiunare teneatur. Reuiuiscunt ergo, quatenus merita, quæ sunt in thesauris cœlestibus per peccatum mortificata, ne perducant ad vitam æternam, idest gloriam consequendam, ablato peccato, quod est mors impediens omnes operationes vitales supernaturales, iterum ad vitam incipiunt perducere. Nam cùm Christus Dominus *Matth. 6.* dixit: *Thesaurizate vobis thesauros in cælo; vbi neque erugo, neque tinea demolitur; & vbi fures non effodiunt, nec furantur; & Luc. 13. Vendite, quæ possidetis, & date eleemosinam. Facite vobis sacculos, qui non veterascunt; thesaurum non deficientem in cælis*; manifestè docuit merita nostra, inter quas sunt eleemosinæ, de quibus loquebatur, à Deo in suis thesauris in cœlis conseruari; & à nullo posse eripi, & nunquam posse deficere; adeoque nec per peccatum subsequens tolli posse; hinc *Trid. sess. 6. c. 16.* referens *Apost. Hebr. 6.* ait: *Hac igitur ratione iustificatis hominibus, siue acceptam gratiam conseruauerint, siue amissam recuperauerint, proponenda sunt Apostoli verba: Abundate in omni opere bono scientes, quòd labor vester non est inanis coram Domino; non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius.* Quibus ostendit opera bona conseruari in memoria, seu acceptatione Diuina; siue facta sint per gratiam conseruatam, siue per gratiam recuperatam. Ergo dum tollitur peccatum mortale, quod impediebat, ne ad vitam proficerent; non habent, quo impediantur, ne ex integro reuiuiscant. *Hoc supp.*

8 Vnica concl. Per pœnitentiam reuiuiscit gratia per peccatum deperdita ad mensuram dispositionis præsentis, ratione cuius recuperatur; non ad mensuram dispositionis præcedentis, ratione cuius fuit primò acquisita; & reuiuiscunt merita per peccatum mortificata secundùm omnes suos gradus, secundùm quos fuerunt producta; quibus correspondet gloria essentialis, non quidem ad æqualitatem, sed superabundanter, & cum excessu.

Prob. 1. pars cont. *Sua; Lug; & alios* ex illis *Scripturæ locis*, in quibus dicitur Deum magis aman-

amantibus maiorem gratiam tribuere, quàm minùs amantibus; vt *Luc.7. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm: cui autem minùs dimittitur, minùs diligit*; & *Ioa.21. Simon Ioannis, diligis me plus his?* & *1.Ioa.4. Qui timet, non est perfectus in charitate*; & *S.P.Aug.* hunc locum expendens *tract.9.* inquit: *Maior charitas, minor timor*; & *lib. de nat. & grat. c. vlt. Charitas prouecta prouecta iustitia est; charitas perfecta perfecta iustitia est*; & *Trid. sess.6.c.7.* loquens de iustificatione peccatoris statuit: *Iustitiam in nobis recipientes, vnusquisque suam secundùm mensuram, quam Spiritus S. partitur singulis, prout vult, & secundùm propriam cuiusque dispositionem, & cooperationem*; id autem, quod partitur Spiritus S. est charitas, quæ *teste Apost. Rom.5. diffunditur in cordibus nostris per Spiritum S.* & *1.Pet.4. Charitas operit multitudinem peccatorum*; operire autem hîc sumitur, prout idem est, ac remittere eô modo, quo sumitur *ps.31. Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata*; Arguitur autem sic. Charitas præsens, non præterita, est dispositio necessariò exacta ad pœnitentiam; sed gratia per peccatum deperdita recuperatur ad mensuram charitatis; ergo gratia per peccatum deperdita recuperatur ad mensuram dispositionis præsentis, non præteritæ, ad pœnitentiam exactæ. Ma. constat. ex dictis *in sup. q. art.4*: nam vel est sermo de virtute pœnitentiæ, qua remittuntur peccata extra sacramentum; & sic constat prærequirere charitatem perfectam, vt *ibid.* diximus §.1. vel est sermo de sacramento pœnitentiæ; & sic prærequiritur charitas imperfecta, vt fusè ostendimus §.2; & colligitur etiam *ex allatis textibus*, quibus dicitur charitatem esse causam, per quam transferimur ad iustificationem; *Translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres*; dispositio autem est causa, ob quam inducitur forma, loquendo latè de causa; vt cùm dicitur: *Lignum transfertur de priuatione ad formam ignis; quoniam perfectè calefactum est*; & ratio est. Proprietas cuiuslibet formæ est dispositio ad introductionem illius; vt patet de calore perfecto; sed charitas perfecta est proprietas gratiæ sanctificantis essentialiter connexa cum ipsa; & charitas imperfecta virtute sacramenti eleuatur, vt vltimatè disponat ad gratiam; sicuti posset Deus eleuare calorem imperfectum, vt in aliquo casu vltimatè disponeret ad formā ignis, ergo charitas perfecta extra sacramentum, & imperfecta in sacramento est dispositio necessariò exacta ad pœnitentiam, qua remittuntur peccata. Mi. habetur *ex allatis textibus*; nam habenti maiorem dilectionem, quæ est actus charitatis, datur maior gratia remittens peccata: ipsa enim remissio est gratia iustificans; ergo gratia datur ad mensuram charitatis præsentis, non præteritæ; quia sola charitas præsens habetur, & præterita non habetur; sic charitati prouectæ datur iustitia, seu gratia iustificans prouecta; & magnæ magna, ac perfectæ perfecta; quod expressè indicat vnā alteri commensurari. Tum quia dispositio debet commensurari cum forma, ad quam disponit; vna enim nequit aliam excedere; quia debet esse essentialiter connexa cum illa; & quod essentialiter connectitur cum alio, dicitur ad conuertentiam cum illo; aliter aliquando esset sine illo, & ideo non esset cum illo essentialiter cōnexum; quod autem cōuertitur cum alio, commensuratur illi, & ab eo adæquatur; sed charitas est dispositio ad gratiam, vt docet *Trid*; ergo mensuratur cum gratia.

9 Resp. *Aduersarij Trid.* explicandum esse secundùm dispositionem præsentem, quam vnusquisque habet, vel secundùm dispositionem præteritam, quam habuit.

11 Sed contra est; nam *Trid.* docet gratiam iustificantem mensurandam esse secundùm dispositionem, quam partitur Spiritus Sanctus, non autem secundùm dispositionem, quam partitus est; ergo secundùm dispositionem præsentem, non secundùm præteritam; ideo hæc explicatio apertè est *contra Trid*; & ratio est, nam forma commensuratur cum dispositione, quæ præsentialiter est in subiecto, in quod introducitur, non quæ de præterito fuit; vt constat; si enim siccitas est dispositio ad calorē, sicut humiditas dispositio ad frigus; tantum caloris introducitur in lignum, quantum siccitatis actu est in illo; non quantum de præterito fuit; sed charitas est dispositio ad gratiam; ergo gratia datur ad mensuram charitatis præsentis, non præteritæ. Tum quia sicut se habet simpliciter ad simpliciter; ita secundùm quid ad secundùm quid; sed ratione dispositionis præteritæ sine vlla dispositione præsenti nequit gratia simpliciter recuperari; aliter reciperetur in subiectum actu indispositum, quod est *cont. Conc*; & contra rationem; ergo ratione maioris dispositionis præteritæ nequit recuperari maior gratia. Tum quia si gratia recuperata daretur etiam intuitu meritorum præcedentium, vt asserunt *Aduersarij*; iustificatio non esset omninò gratuita, quod est *contra Apost*; & *cont. Trid. ibid. c.8*; ergo idem. Tandem ratio naturalis dictat repugnare, quòd aliquod subiectum plus actu recipiat, quàm sit actu capax recipere; licèt anteà fuerit capax plus recipiendi: repugnat enim, quòd fluuius recipiat plus aquæ, quàm sit actu capax recipere, quamuis anteà plus aquæ receperit, quia maiorem capacitatem habebat; sed per dispositionē præsentem homo fit actu capax recipere gratiam; sine illa namque omninò incapax est; ergo repugnat ratione dispositionis præteritę plus gratiæ recipere, quàm actu sit capax ratione dispositionis præsentis.

10 Prob. 2. pars, quæ communiter admittitur, scilicet merita reuiuiscere, ex illo *Ioel. 2. Reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus*

ebus, & rubigo; idèst reddam vobis fructus eorum operum, quos destruxit peccatum; & ex illo *Hebr.6*; quod refert *Trid.vbis. Non est iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri*; obliuisceretur autem operum bonorum; si opera per peccatum mortificata per subsequentem pœnitentiam non reuiuiscerent; *& ex illis textibus*, quibus dicitur Deum ita peccata remittere, vt eorum ampliùs non recordetur; vt *Ezech.18; & 33; & ps.31*; non habetur autem, quòd non sit recordaturus operum bonorum, si per peccatum fuerint mortificata; & *D.Hier.ad Gal.3. Quicunque ob Christi fidem laborauerit, & posteà lapsus fuerit in peccatum &c. non perdet ea, si ad antiquum studium reuertatur*; *& de vera, & falsa pœnit. apud Gratian. de pœnit. dist.3.c. pium est*; *Cùm gratia Christi destruxerit mala priora in homine, etiam remuneret bona*. Ratio etiam est. Hoc est discrimen inter peccatum, & gratiam; quòd gratia ita destruit peccata, vt nunquam possint redire ob rationes allatas *in sup. art*; peccatum verò ita gratiã expellit, vt non destruat merita; nã quamuis priuatio tollat formã, & effectus formæ, quos exercet in subiecto, in quo est priuatio; nõ tamen tollit effectus, quos produxit forma, & conseruãtur extra subiectum; quod dicendũ est etiam de forma respectu priuationis; constat enim, quòd priuatio ignis, destruit formam ignis, & calorem in illo subiecto, in quo est priuatio, non tamen tollit formam ignis, & calefactionem productam à forma, quam destruit, & conseruatam in alio subiecto, in quo non est ipsa priuatio, sed merita non conseruantur in homine iusto, à quo fiunt, sunt enim actus transeuntes, vt patet, conseruantur autem in thesauris Dei, vt diximus; quia conseruantur in memoria, & acceptatione Diuina; in qua non conseruantur peccata, vt expressè habetur *in allatis scripturis*; quibus dicitur Deum obliuisci peccatorum; & opera bona conseruari in thesauris cælestibus: vbi nequeunt eripi, aut demoliri; ergo peccatum ita destruit gratiam in homine, vt tamen non destruat merita, quæ non seruantur in homine, in quo est peccatum, sed in thesauris Dei, in quibus peccatum non est, gratia verò ita destruit peccatum, vt ampliùs non reuiuiscat; quia peccatum solummodò est in homine, non autẽ in Dei thesauris.

11 Prob.3. pars. In tantùm gratia deperdita non recuperatur per pœnitentiam secundùm omnes suos gradus; in quantùm gratia commensuratur cum dispositione, ratione cuius recuperatur, & introducitur in hominem; sed merita non recuperantur, nec introducuntur in hominem; vt diximus; nam gratia recuperatur, quia fuit destructa; & introducitur in hominem, vt fiat actualiter iustus; merita verò non fuerunt destructa, quia seruantur in thesauro indeficienti; nec per ea fit homo rursus actualiter merens; ergo merita reuiuiscunt secundùm omnes suos gradus, secundùm quos fuerunt producta. 2. Ablato impedimento res resurgit secundùm omnes suos gradus in esse; & secundùm omnes suas vires; vt cùm impeditur, ne lux illuminet domum claudendo fenestram; hac aperta lux illuminat secundùm omnes suos gradus, & vires; sed peccatum est purum impedimentum, ne merita prosint ad vitam æternam, vt *Aduersarij* fatentur; & non est destructio meritorum; ergo ablato peccato merita reuiuiscunt secundùm omnes suos gradus, & vires. Prætereà si non reuiuiscerent secundùm omnes suos gradus, secundùm quid impedita manerent; ergo secundùm quid maneret peccatum impediens; sed hoc est falsum; quia per gratiam totaliter tollitur. 3. In tantùm ad reuiuiscentiam meritorum secundùm omnes suos gradus requireretur gratia illis æqualis; in quantùm gratia vel esset causa illorum productiua; effectus enim nequeunt suam causam excedere; vel esset dispositio saltem moralis ad reuiuiscentiam illorũ; sed vtumque falsum est; nam merita præterita non reuiuiscunt, in quantùm producuntur, vt diximus; nec sunt in homine, in quo est gratia; dispositio autem debet esse in eodem subiecto, in quod debet recipi forma, ad quam disponit; ergo idem. 4. Si non resurgerent secundùm omnes suos gradus, Deus obliuisceretur illorum graduum, secundùm quos non resurgerent; & locusta, seu bruchus, idèst peccatum, comedisset illos gradus, quos non redderet Deus; sed hoc est *contra allatas scripturas*; ergo idem. 5. Sequeretur, quòd habens merita, vt sex, resurgens cum æquali gratia, qua resurgeret habens merita, vt duo, æquale præmium reciperet; quod est iniustum; inæqualibus enim meritis reddi æquale pręmium iniustum est.

12 Prob.4.pars. In tantùm merita dicuntur viuificari; in quantùm incipiunt prodesse ad acquirendam vitam æternam, quæ est præmium essentiale; quod per peccatum mortificata præstare non poterant; vt diximus; vita autem æterna redditur secundùm mensurã confertam, coagitatam, & supereffluentem; vt diximus *to.2.vbis*, ergo illis meritis respondet præmium essentiale, non quidem ad æqualitatem, sed superabundanter cum excessu. Tum quia meritis de condigno formaliter redditur præmium essentiale, non accidentale, vt constat; sed merita reuiuiscentia sunt huiusmodi, vt supponimus, eo modo, quo diximus *ibid*; ergo idem. *V.id.* alia *ibid.* dicta.

13 Obijc.cont.1.p.concl.1. *Trid.* ait per pœnitentiam amissam gratiam recuperari; sed si gratia non reuiuisceret secundùm omnes suos gradus, non esset gratia amissa, sed alia gratia; ergo tota recuperatur. 2. Si non rediret tota gratia, sequeretur, quòd pęnitens puniretur pęna æterna propter peccatum remissum; priuaretur enim intensione illius gratiæ, quæ in

æter-

æternum nunquam rediret, quod esset maxima miseria, quæ pugnat cum beatitudine; ergo idē. 3. Gratia ex sua natura est æterna, & solo peccato amissibilis; ergo ablato peccato redit eadem gratia. 4. De ratione perfectæ amicitiæ est, vt reddatur amico, quidquid per inimicitiam ablatum fuit; sed per pœnitentiam peccator fit amicus ex inimico; ergo Deus illi restituit totam gratiam, quæ per peccatum fuit ablata.

Resp. ad 1. dist. mi. Non esset gratia amissa secundùm substantiam, neg; secundùm modum, conc; vt si quis amitteret sanitatem, vt quatuor, & illam recuperaret, vt duo, diceretur recuperare sanitatem amissam secundùm substantiam, non secundùm modum. Ad 2. neg. seq; gloria enim redditur non ad æqualitatem gratiæ, in qua quis decedit, sed superabundanter, & cum excessu, vt diximus; & ideo redditur nedum secundùm gratiam præsentem, & præteritam; sed etiam excedenter ad vtranque; quapropter decedens cum minori gratia nō manet priuatus præmio debito maiori gratiæ, quam per peccatum amiserat. Ad 3. dicitur ant. se ipsum interimere; si enim ex sua natura est æterna; ergo ex sua natura habet, quòd non possit per aliud destrui; aliter posset etiam dici, quòd homo ex natura sua sit æternus, & quòd solùm per mortem possit vitam amittere; sicut enim dicitur, quòd gratia ex sua natura sit æterna; quia si non esset peccatum, nunquam desineret esse; ita homo dici posset ex sua natura æternus; quia si non esset mors nunquam desineret esse; quod dici potest etiam de qualibet alia re temporali corruptibili. Ad 4. dist. ma. Vt reddatur amico, quidquid ablatum est, & cuius est capax, conc; & cuius est incapax, neg; si enim Rex militi inimico, qui factus est impos bellandi, fieret amicus, non deberet illi restituere munus bellandi, quod per impotentiam amisit; sed deberet illud in alio compensare, cuius capacitatem haberet. Sic Deus non debet homini reconciliato reddere gratiam secundùm eandem intensionem, quia ad illam recipiendam non est dispositus: compensat tamen in alio; quia gloriam superaffluentem, & superabundantem ad illam gratiam ei reddit.

14 Iust. 1. Deus non recordatur iniquitatum pœnitentis; ergo illi reddit totam gratiam; quam solùm in pœnam peccatorum ei negaret; & ideo peccatorum illius recordaretur, quia illa puniret. 2. Qui à peccato resurgit cum maioribus meritis, est magis Deo gratus, quàm resurgens cum minoribus meritis per eandem pœnitentiam; ergo ille recipit maiorem gratiam, quàm iste; per quam solùm fit magis gratus. 3. Recipit maiorem gloriam; ergo habet maiorem gratiam, cui solùm gloria respondet.

Resp. ad 1. neg. consi; nam Deus non negat maiorem gratiam in pœnam peccati, sed quia non habet maiorem dispositionem. Ad 2. dist. ant. Est magis Deo gratus de præsenti, neg; pœnitentia enim est æqualis, & ideo æqualiter grata est Deo. De præterito, conc. Ad 3. dist. ant. Recipit maiorem gloriam ratione gratiæ, quam habet, neg; ratione gratiæ, quam habuit, conc.

15 Obijc. 2. cont. 2. p. concl. *Ezech.* 18. etiam dicitur: *Si auerterit se iustus à iustitia sua, omnes iustitiæ, quas fecit, non recordabuntur*; ergo sicut ex eo, quòd non recordetur Deus iniquitarum, infertur peccata non redire; ita à pari dicendum de meritis. 2. Gratia subsequens non informare opera mortua; ergo neque mortificata; difficiliùs enim est mortuum ad vitam reuocare, quàm non viuenti vitam tribuere; opùs autem mortificatum fuit aliquando viuum, & ideo verè mortuum dici potest; at opus mortuum nunquam fuit viuum, ideo potiùs non viuens dici potest; & per consequens est facilius, quòd huic vita tribuatur, quàm quòd illud ad vitam reuocetur. 3. In remissione culpæ non remittitur semper pœna temporalis; sed mortificatio peccatorum est pœna temporalis peccati; ergo per remissionem culpæ non tollitur mortificatio peccatorum. 4. Quod physicè præsens effici non potest, nequit moraliter ad vitam reuocari; sed opera mortificata nequeunt fieri physicè præsentia, quia fuut præterita, & præteritum nequit fieri præsens; ergo nequeunt moraliter viuificari.

Resp. ad 1. intelligendum esse de præuaricante, qui in sua præuaricatione morietur; nam de illo, qui post præuaricationem resurgit; *ibid.* dicitur, quòd iniquitatum eius ampliùs non recordabitur. E contra autem de operibus bonis dicitur, vt *sup.* habitum est. Ad 2. neg. consi opera enim bona viuunt in thesauris Dei; dicuntur autem mortificata, quia à peccato impediūtur, ne prosint ad vitam æternam, vt diximus; & ideo neg; quòd opus mortificatum possit mortuum dici. Ad 3. dist. ma. Non remittitur semper pœna temporalis dolorifera, conc; sed neg. mi; non dolorifera, sed purè damnifica, & impeditiua salutis, vt est mortificatio operum bonorum, neg. Ad 4. neg. ma; actus enim peccati commissi non est physicè, sed tantùm moraliter præsens; ideo adpræsentiam moralem non requiritur præsentia physica.

16 Obijc. 3. cont. 3. p. concl. Contritio nedum est dispositio ad gratiam in esse physico ei correspondentem; sed etiam est dispositio moralis ad reuiuiscentiam meritorum, quę per peccatum fuerunt mortificata, siue ad gratiam in esse gratiæ, quæ illis meritis correspondet; sicut enim gratia in esse physico requirit in subiecto dispositionem physicā; ita in esse morali requirit in subiecto dispositionem moralem; sed forma depēdens à dispositione subiecti non introducitur, nisi iuxta proportionem, & mēsuram dispositionis; ergo merita mortificata, & gratia illis correspondens in esse gratiæ non reuiuiscunt, nisi

nisi iuxta mensuram attritionis, per quam pęnitens à peccato resurgit. 2. Ex duplici capite potest prouenire, quòd merita mortificata, & gratia in esse gratiæ illis correspondens non reuiuiscant secundùm omnes suos gradus, scilicet ex impedimento peccati, & ex defectu dispositionis moralis proximę; ergo licèt pęnitens remoueat impedimentum peccati: attamen si non habeat contritionem ita intensam, vt correspondeat intensioni meritorum, merita mortificata, & gratia in esse gratiæ illis correspondens non reuiuiscunt secũdùm omnes suos gradus. 3.S.P. *Aug. in ps.*125. super illud: *Sicut torrens in austro* ait: quòd sicut aqua in hyeme congelata flante austro iuxta intensum, vel remissum illius calorem resoluitur tota, vel ex parte, & currit ad mare; ita gratia, & merita nostra, quæ comparantur aquæ salienti in vitam æternam *Io.* 4. *Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*; si congelentur per peccatum mortale, de quo habetur *Ierem.* 4. *Frigidam fecit Israel iniquitatem suam*; flante posteà Spiritu Sancto per pęnitentiam, vt iterum fluant; vt dicitur *ps.* 141. *Flabit spiritus eius, & fluent aquæ*; idèst influant ad consequendam vitam æternam, proportionaliter ad feruorem contritionis fluunt; ergo per contritionem minùs intensam non reuiuiscunt merita secundum omnes suos gradus.

Resp.ad 1.neg.2.part. ma; nam merita non reuiuiscunt per introductionem in cor pęnitentis, sed per remotionem impedimenti, quo fiebat, vt in thesauris Dei, in quibus seruantur, non influerent ad consequendam vitam æternam; ablato autem illo impedimento solummodò dicuntur reuiuiscere; falsum est autem, quòd gratia correspondens illis meritis in esse gratiæ reuiuiscat, vt fatetur etiam *Gonet*, cuius est hoc *arg*; propterea contradictionem sibimetipsi videtur inferre; nec necesse est, vt merita illa reuiuiscant, reuiuiscere gratiam in esse gratiæ; gratia enim solùm necessaria est ad producenda merita, non autem ad illa conseruanda; quia conseruantur in thesauris Dei, vt diximus, & ideo sufficit impedimentum auferre, vt prosint ad consequendam vitam æternam; & per hoc patet ad 2; neg. enim 2. pars ant. Ad 3.dicitur *S.P.Aug.* loqui de gratia, quæ per pęnitentiam acquiritur, & de meritis, quæ per illam producuntur, & sensus est; quòd si gratia recuperata per pęnitentiam afflatu Diuini Spiritus inspirata, sit adeò intensa, vt totum cor pęnitentis calefaciat, currit pęnitens secundùm omnes suas vires ad mare, quod est Deus, nulla prorsus peccati frigiditate præpeditus; si autem sit remissa, non currit secundùm omnes suas vires ad Deum aliqua frigiditate à peccato relicta impeditus. Hæc est doctrina, quam tradit *S.P.Aug loc. cit*; vbi nullam prorsus meritorum mortificatorum facit mentionem.

17 Quæres, an merita mortificata per pęnitentiam reuiuiscant ex iustitia, vel ex misericordia?

Resp. reuiuiscere ex vtroque titulo; ex iustitia quidem; iustum enim est, quòd ablato impedimento proficiant ad vitam æternam; ex misericordia verò. quia gratia, per quam tollitur impedimentum, gratis, & misericorditer datur; vt diximus cum *Trid.sess.6.c.8.*

18 Quæres 3; an innocentia, & virginitas amissæ possint reuiuiscere?

Resp.negatiuè *cùm S. P. Aug. in suppl. cont. Iul. lib.6. c.* 19; quia innocentia dicit nunquam peccasse, & virginitas nunquam violasse corporis, & animi integritatem; quod non restituitur, cùm gratia amissa reparatur, vt constat.

A R T. IV.

De remissione peccatorum venialium.

1 Requiri ad remissionem venialium gratiam habitualem saltem præsuppositiuè, & materialiter; idèst personam, cui remittuntur peccata venialia, esse in statu gratiæ *omnes DD.* fatentur; nam peccatum veniale est offensa Dei, quanuis leuis, vt est Auctor gratiæ; ideo requirit aliqualem satisfactionem exhibitam Deo, quæ sit illi grata; nulla autem actio creaturæ facta in peccato mortali est satisfactiua pro offensa Deo illata; quia sine gratia nequit esse satisfactio, vt docet *Fund.Doct.in 2.dist.42. q.1.art.4.ad 2.§.Dicendum*; nulla enim actio facta sine charitate potest esse illi proficua ad vitam æternam; vt docet *Apost.1.Cor.3*; actio autem satisfactiua prodest ad vitam æternam, quia tollit offensam, quæ, etsi leuis sit; attamen vitæ æternæ consecutionem retardat. Tum quia peccatum veniale importat teporem charitatis; ergo remissio debet inferre feruorem, seu intensionem charitatis; sed feruor, seu intẽsio charitatis; supponit charitatem iam introductam, charitas autem feruens, & intensa nequit esse sine gratia habituali, cùm sit illius proprietas; ergo remissio peccati venialis saltem materialiter gratiam habitualem in subiecto supponit. Et quanuis aliquando peccata mortalia, & venialia remittantur simul; attamen hoc non fit sine gratia habituali, quæ primariò remittit mortalia, & secundariò venialia, secundarium autem supponit primarium saltem pro aliqua prioritate naturæ. Ex quo infertur, quòd ad remissionem culpæ venialis non requiritur noua infusio gratiæ habitualis; illam enim supponit infusam. *Ita D. Tho.hic q.87.art.2.ad 3.*

2 Quæritur modò; an ad remissionem venialium requiratur etiam gratia actualis, seu aliquod auxilium supernaturale elicitiuum illius operis satisfactorij pro peccatis venialibus; vel sufficiat actus merè naturalis virtutis acquisitæ non relatæ in Deum per charitatem?

Resp. requiri auxilium supernaturale. Refertur

fertur esse *cont. Scot; Gabr; & Maior*; sed *Scotistæ* vindicant *Scotum à contraria sententia*. Traditur autem *à Fund. Doct. vbisup; & ab alijs communiter*. Prob. Peccata venialia remittuntur per opus proficuum ad vitam æternam; ipsa enim remissio proficit, vt dictum est; sed opus proficuum ad vitam æternam nequit fieri sine auxilio supernaturali actuali; vt fusè diximus *to.4. de virtutib; & de grat*; ergo venialia nequeunt remitti sine auxilio actuali supernaturali.

3 Dices. Actus vitij tollitur per actum virtutis oppositæ; illi enim contrariatur, & contraria se inuicem tollunt; sed peccatum veniale est actus vitij; ergo tollitur per actum virtutis oppositæ; v.g. mendacium veniale per veracitatem naturalem.

Resp. dist. ma. Actus vitij, prout est Dei offensa, tollitur per actum virtutis naturalis oppositæ per charitatem in Deum non ordinatum, neg; ordinatum, conc.

4 Ex hoc infertur *cum Fund. Doct. vbisup*; quem secutus est *Vasq; & alij cont. nostrum Gibb; Sua; Lug; Gonet, & alios quamplures* gratiam habitualem per se influere in remissionem peccati venialis, & non tantùm concomitanter se habere. Ratio est. Gratia habitualis est principium radicale cuiuscunque operis meritorij per charitatem eliciti; charitas enim habitualis est proprietas dimanans à gratia habituali, tanquam ab essentia in nostra sententia; & in aliena est idem, ac charitas habitualis; sed veniale remittitur per opus meritorium; ergo gratia habitualis influit per se, non tantùm concomitanter, in remissionem peccati venialis.

5 Dices. Gratia habitualis est compossibilis cum peccato habituali; ergo per illam formaliter non remittitur.

Resp. dist. ant. Gratia habitualis remissa, conc; intensa, neg. Etiam charitas compossibilis est cum peccato veniali; imò etiam opus meritorium; attamen quia per opus meritorium intenditur charitas, & per charitatem intenditur gratia; ideo sicut opus intensum opponitur peccato veniali; ita charitas, & gratia. Vel dist. Gratia, quatenus elicit radicaliter opus meritorium, quo peccatum veniale deletur, est compossibilis cum peccato, neg; secundùm se præcisè sumpta, conc.

6 Quæritur 2. an ad remissionem venialium requiratur aliquis actus pœnitentiæ retractatiuus illorum?

7 *Scot. cum fuis* negat asserens veniale remitti per quodlibet opus bonum, & meritorium, quod magis placet Deo, quàm displiceat peccatum veniale. *Dur.* vult requiri actum formalem pœnitentiæ. Cæteri omnes volunt requiri saltum actum virtualem pęnitentiæ. *Ita Gibb; Syl; Vasq; Lorc. Cabr; Lug; Gonet; & alij*; qui referunt pro se *S. Tho. hic q.87. art.1*; sed frustra, vt videbimus.

8 Dicendum non requiri actum formalem, vel virtualem pœnitentiæ, qui requiritur ad remissionem peccati mortalis, sed sufficere quandam virtualem displicentiam, quæ semper coniuncta est cum quolibet actu meritorio; eliciens enim actum meritorium ita per istum actum fertur in Deum, & res Diuinas, vt ei displiceret, quidquid impediret illum actum, si ei occurreret, & doleret, quòd ei occurrisset. *Ita Fund. Doct. Ægid. sup. orat. Dominic; & S. Tho. vbisup.* assetens: *Vnde sequitur, quòd requiratur quædam virtualis displicentia; puta cùm aliquis hoc modo fertur secundùm affectum in Deum, & res Diuinas, vt quidquid sibi occurreret, quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei, & doleret.* Prob. ex *Fund. Doct.* Per *orationem Dominicam*, eleemosinam, & cætera sacramentalia remittuntur venialia; sed ad valorem horum operum non est necessaria pęnitentia formalis, vel virtualis, qualis requiritur ad remissionem peccatorum mortalium; non enim requiritur contritio, vel attritio formalis, idèst in particulari; vel virtualis, idèst in generali; ergo ad remissionem venialium non requiritur actus pœnitentiæ formalis, vel virtualis, qualis requiritur ad remissionem mortalium. 2. *Trid. sess.14. c.3.* asserit venialia posse alijs modis deleri, quàm deleantur mortalia; sed hæc delentur per actum formalem, vel virtualem pœnitentiæ; ergo illa sine hoc actu possunt etiam deleri; aliter eodem modo delerentur. 3. Opera meritoria præciso actu formali, vel virtuali pœnitentiæ augent feruorem charitatis, qui opponitur peccato veniali, qui definitur *tepor charitatis*; & aliunde eliciens actum meritorium cum affectu in Deum ita est virtualiter dispositus, vt ei displiceret, quòd illud opus retardaretur; ergo ex hoc duplici capite remittuntur venialia absq; vllo actu formali, vel virtuali pęnitētię. 4. Si quis cum affectu ad peccatū veniale faciat aliquod opus meritorium, ei non remittitur peccatum veniale, quia obicem habet in corde; ergo tantùm ei remittitur, cùm habet priuationem illius affectus; sed hæc priuatio est quædam displicentia illius, quo priuat; est enim quædam fuga saltem virtualis; quia si occurreret, quòd peccatum veniale impediret fructum illius operis, ei displiceret, & doleret eum fructum impeditum fuisse; tum quia sicut eliciens actum meritorium intelligitur habere virtualem displicentiam actus demeritorij, qui illum impediret; ita eliciens actum meritorium ex feruore deuotionis, vel charitatis intelligitur virtualiter habere displicentiam peccati venialis, quod impediret talem feruorem; intendens enim affectuosè aliquā actionem virtualiter habet displicentiam omniū eorum, quæ illam actionē possunt impedire, quia sunt contra illius intentionē, tum quia displicentia peccati venialis est priuatio complacentiæ pecca-

peccati venialis; vt constat; sed ad remissionem peccati venialis necessaria est priuatio complacentiæ eiusdem peccati venialis; ergo necessaria est displicentia. Atqui complacentia impediens remissionem alia est formalis, alia virtualis; ergo displicentia necessaria ad remissionem est vel formalis, vel virtualis, ergo idem.

9 Ex dictis collig. *cont. Auctores vlt. loco cit.* non esse necesse, vt quis detestetur ingenerali peccata venialia, & ideo nec vt habeat actum virtualem pœnitentiæ, qualis requiritur ad remissionem peccatorum mortalium oblitorum, vel ignoratorum; & *cont. Scotist.* omne opus meritorium ex eo, quòd affectu referatur in Deum, habere annexam virtualem displicentiam peccatorum venialium essentialiter; quæ displicentia potest esse actus charitatis, non pœnitentiæ; eiusdem enim virrutis est complacere de actu bono, & displicere de actu malo ei opposito.

Obijc. *Dur.* Peccatum veniale non deletur, nisi per aliquem actum oppositum; sed feruor operis boni non opponitur omni peccato veniali; quia mendacio iocoso v. g. non opponitur deuotio, aut charitas; ergo per feruorem operis non tollitur peccatum veniale.

Resp. neg. mi; ad prob. infert. dicitur, quòd deuotio habet annexam virtualem displicentiam mendacij iocosi, quia illam impediret, vt diximus; & ratione huius displicentiæ opponitur peccato veniali.

10 Obijc. 2. *Lug.* Totus valor operum bonorum exhauritur per pręmium essentiale; ergo nequit esse satisfactorius de condigno pro peccato veniali; vnum enim, & idem opus nequit duo pręmia adæquata disparata mereri.

Resp. neg. cons; ex eo enim, quòd mereatur pręmium essentiale, meretur etiam ablationem illius, quod pręmium essentiale retardat, vt est peccarum veniale. Non sunr autem duo pręmia disparata; sed est medium ordinatum ad pręmium; *quoties autem vnum ordinatur ad aliud, ibi vbique vnum tantùm*; vt inquit *Phil*; & constat de sanitate, & medicina.

11 Obijc. 3. *Genet.* Quandiu peccator non detestatur peccatum veniale per attritionem, peccatum intelligitur perseuerare; ergo ad remissionem illius necessarius est actus pœnitentiæ. Prob. ant. Peccatum de facto non remittitur per simplicem condonationem, sed per actum cum peccato incompossibilem; sed actus incompossibilis est actus pęnitentiæ, qui est attritio; ergo idem. 2. Si opus meritorium sufficeret ad remittendum veniale, quia magis placet Deo, quàm illi displiceat peccatum; sequeretur, quòd vel nullum remitteretur; quia non esset maior ratio, cur remitteretur potiùs hoc, quàm illud, præsertim cùm sunt æqualia; vel remitterentur innumera; quia vnum opus meritorium potest plus placere Deo, quàm innumera peccata venialia.

Resp. ad 1. neg. antec. Ad prob. neg. min; nam etiam displicentia virtualis ei opponitur, vt dictum est. Ad 2. neg. vtraque seq; sicut enim videmus in naturalibus, quòd calor, vt vnum, sufficiens est ad expellendum frigus, vt vnum; & sic deinceps; ita feruor operis boni, vt vnum, sufficiens est ad expellendam frigiditatem, vt vnum, quæ est peccatum veniale; & sic feruor, vt duo &c. Præterea hæc ratio probat necesse esse dolere de singulis venialibus in particulari; quia per dolorem in vniuersali non esset maior ratio, cur vnum deleretur, & non aliud; ergo necessarius esset actus formalis pęnitentiæ, quod negat *Genet. cont. Dur*; adeoque affirmat, quod negat.

12 Quæritur 3; quomodò venialia tollantur per sacramenta, & sacramentalia?

13 Dicendum per sacramenta tolli venialia ex opere operato; per sacramentalia verò tantùm ex opere operantis.

Prob. 1. pars, quæ est *cont. Alen; & Ric.* Sacramenta ex opere operato remittunt peccata mortalia; ergo multò magis venialia; nam *de quo magis, de ipso minus etiam à fortiori verificatur*. 2. Sacramenta à Christo Domino sunt instituta, tanquam remedia morbos peccatorum sanantia; sed remedia causant ex opere operato, idèst ex sua natura, non autem éx sola intentione medici, vel ægroti applicantis; nam remedia, etiamsi nec ægrotus, nec medicus intendat sanare; attamen si applicentur, sanitatem producunt; ergo sacramenta causant ex opere operato remissionem venialium; nam aliqua sacramenta nequeunt causare per se remissionem mortalium, vt sunt *sacramenta viuorum*; & aliquando *sacramenta mortuorum* non causant remissionem mortalium, vt in perfectè contritis, vel in non habentibus mortalia contingit; ergo causant in illis remissionem venialium; aliter non essent remedia. Tandem de baptismo euidens est; liberat enim ab omnibus peccatis, & pœnis ita, vt decedens immediatè post ipsum euolaret ad gloriam, vt statuit *Flor. decr. 3, & Trid. sess. 5. c. vlt; & de Euchar. Trid. sess. 13. c. 2.* docet institutam fuisse, *tanquam antidotum, quo liberamur à culpis quotidianis; quæ sunt peccata venialia*; & de extrema vnctione dicitur, quòd *liberet à reliquijs peccatorum*, & constat ex eius forma; qua dicitur: *Indulgeat tibi Deus &c*; *vt in seq. tract.* dicemus; & de alijs sacramentis dicitur, quòd augent gratiam; sed augmentum gratiæ importat augmentum feruoris charitatis; & feruor remissionem teporis, qui significat peccata venialia; ergo omnia sacramenta ex sua natura remittunt venialia, & ideo ex opere operato.

13 Ex hoc deducitur falsam esse sententiam *Soti, Valent; Genet, & aliorum* asserentium sacramenta tantùm mediatè remittere venialia, quatenus scilicet ex meritis Christi Domini, &

exEcclesiæ precibus impetrant auxilia supernaturalia ad eliciendos actus supernaturales, quibus formaliter, vel virtualiter peccata venialia retractantur, & displicent; hoc enim esset remittere tantùm ex opere operantis, vt liquet; quia formaliter remitterentur solùm per actus elicitos à pœnitente, & displicente. Tum quia si baptizatus statim expiret absque eo, quòd vllum actum eliciat, statim euolat ad cœlos, & gloriam consequitur; sic si alia sacramenta sumantur, & statim homo moriatur; si non remitterent venialia, suo fine cassarentur; & denique non ratione augmenti ipsius gratiæ, sed ratione actuum remitterent.

15 Altera pars huius dicti probata est *de Sacram. in com. q.7. art.2.*

16 Quæritur 4; quomodò remittantur venialia in altera vita?

17 Venialia non remitti in inferno, quia ad remissionem illorum necessaria est gratia, qua carent damnati, fusè probauimus *to. 4. de pecc. quæst. 3. art. 1. §. 3.* Difficultas igitur procedit solùm de animabus in Purgatorio existentibus.

18 *Scot. cum suis* voluit remitti per voluntariam satispassionem, putauit enim maculam peccati consistere in reatu ad pœnam, qui reatus soluitur per sufficientem pœnæ passionem. Sed hoc reiecimus *vbi sup. §. 5. art. 1*; nam remissa culpa adhuc remanet obligatio ad soluendam pœnam temporalem illi debitam; ideo culpa nequit formaliter consistere in obligatione, seu reatu ad pœnam. *D. Bon; Sot; & alij* volunt remitti paulatim, & successiuè per continuam voluntatem tolerandi pęnam. Sed hoc etiam reijcitur; quia culpa venialis consistit in indiuisibili, sicut & mortalis; ergo non per partes, & successiuè, sed tota simul remittitur.

19 *Sua; Lug; Gonet, noster Gibb; & ferè omnes alij communiter* censent remitti per actus contritionis, vel charitatis, quibus anima separata detestatur, & retractat peccata in ipso ingressu in Purgatorium ita, vt ipse actus contritionis, vel charitatis remittat, non quidem per modum meriti, & satisfactionis, sicut in hac vita, sed per modum retractationis, seu dispositionis remouentis prohibens, scilicet indispositionem animæ ad non obtinendam remissionem venialium, donec illa retractet. Sed hæc sententia, quam innuimus *q. 3. vbi sup.* maiori indiget explicatione. Cùm enim anima nequeat ad gloriam euolare, nisi sit totaliter absoluta à culpa, & à pœna; & cùm hæc absolutio non fiat, nisi per debitam satisfactionem exhibitam Diuinæ iustitiæ per peccatum offensæ; ideo videtur, quòd anima nequeat liberari, nisi præuia satisfactione nedum pęnæ, sed etiam culpæ; at satisfactio pro culpa nequit haberi per voluntariam tolerantiam pęnæ etiam cum retractatione, & detestatione ipsius culpæ; quia pro actu demeritorio non satisfit, nisi actu meritorio, qui solus est pretium redimens ab actu demeritorio; sicut enim actus Christi Domini pœnales, si non fuissent infinitè meritorij, non satisfecissent pro nostris demeritis, quamuis illa ex nostra persona retractasset; & sicut nos non satisfacimus pro culpa mortali per solam detestationem, & retractationem illius, sed per dilectionem Dei, & contritionem, quatenus meritoriam; ideo adhuc est demonstrandum, quomodò animæ purgantes per actum contritionis, & charitatis, quibus detestantur, & retractant venialia, satisfaciant pro culpa; etiamsi illi actus meritorij non sint, quia non sunt in via, & ideo nec in statu merendi. Aliter non esset ratio, cur non sint meritorij, cùm satisfactionem pro culpa mereantur.

20 Dicendum igitur est pro culpa venialium satisfieri per actus meritorios in hac vita elicitos, qui effectum remissionis sortiti non sunt defectu conditionis requisitæ, seu dispositionis, quæ est illorum displicentia, vt diximus; qua posteà posita in egressu animæ à corpore virtute illorum actuum culpa remittitur. Prob. Hęc est differentia inter remissionem peccati mortalis, & venialis; quòd remissio peccati mortalis nequit suspendi defectu dispositionis debitæ, quia nullus tunc datur actus, in quo censeatur virtualiter permanere virtus remissiua peccati mortalis; at remissio peccati venialis potest suspendi defectu dispositionis debitæ; quia datur actus, in quo virtus remissiua virtualiter durat; quòd videmus in baptismo, & pęnitentia; remissio enim peccatorum ante baptismum commissorum potest suspendi defectu attritionis debitæ, quia datur actus baptismi, nempe impressio characteris, in quo virtualiter durat virtus remissiua peccatorum; vnde posita attritione etiam post baptismum, sine vllo alio remittuntur peccata. At quia pęnitentia infructuosè collata nullum causat effectum, in quo virtualiter duret virtus remissiua peccatorum, ideo remissio non suspenditur; & posita deinde sola attritione non sequitur remissio; sed dantur actus meritorij eliciti in via existentes in thesauris Dei, in quibus durat virtus remissiua venialium, quæ suum non habuit effectum defectu displicentiæ necessariò exactæ; quamuis enim virtualiter habuerit displicentiam annexam, vt *sup.* diximus; attamen quia talis displicentia non fuit annexa tali feruori adæquatè sufficienti ad remissionem omnis teporis, seu cuiuscumque peccati venialis; ideo non fuit dispositio adæquata ad illa omnia remittenda; ergo ratione actuum meritoriorum elicitorum in via posita posteà dispositione necessariò requisita in altera vita sequitur remissio venialium. Item in actu amoris Dei, cum quo anima migrat ex

hac

hac vita, virtualiter durat virtus remissiua venialium, quæ non remisit in hac vita defectu feruoris debiti ad remittenda omnia venialia; ergo posito post mortem necessario feruore sequitur venialium remissio.

QVÆST. III.

De ministro sacramenti pœnitentiæ.

AD complementum *huius tractatus* de legitimo sacramenti pęnitentiæ ministro agendum est. Quoniam tamen plura diximus *de sacram. in com. q. 5; et hic q. 1. art. 9. §. 2. à n. 37; et art. 7. §. 1. n. 18*; ideo illis suppositis, ea, quæ supersunt, explicabimus.

ART. I.

Quinam sit legitimus minister sacramenti pænitentiæ? Vbi de eius dotibus.

1 VVicleff, quem secutus est *Luther. lib. de abroganda missa priuata*, dixit omnes fideles habere potestatem absoluendi à peccatis, seu reconciliandi peccatores Deo. Idem docuerunt olim *Nouatiani*.

2 Sed fidei dogma est solum sacerdotem legitimè ordinatum habentem simul potestatem ordinis, & iurisdictionis esse ministrum sacramenti pęnitentiæ. Ita definitum fuit nouissimè *à Flor. in decr. vnion; & à Trid. sess. 14. cap. 6*; multò tamen anteà statutum erat, vt diximus *de sacram. in com. q. 5. art. 1. n. 1.*

3 Hoc probat *Trid.* ex illis verbis *Ioan. 20. Quorum remiseritis peccata &c*; dicta enim fuerunt *solis Apostolis*, qui erant sacerdotes; ergo soli sacerdotes sunt ministri sacramenti pęnitentiæ. *Fund. Doct. Æg. de Laud. Diuinæ Sap. c. 11.* id probat *ex Luc. 17*; vbi *decem leprosis* præcepit Christus Dominus: *Ite, ostendite vos sacerdotibus*; quod iusserat etiam *alteri leproso Matth. 18; & Luc. 5*; illi enim erant figura peccatoris, qui à solis sacerdotibus possunt sanari à peccatis. Quod etiam in lege veteri figuratum fuit *Leuit. 14.* Deinde ostenditur ex perpetua Ecclesiæ traditione, quam descripsimus *q. 1. art. 5. n. 12*; vbi soluimus ea, quæ *ab hæreticis* solent opponi. Huic traditioni etiam inhærenter *Concilia relata, & Constant. in Bulla Martini V; & Leo X.* statuerunt hoc dogma. Ratio affertur *à Trid.* Sacramentum pęnitentiæ institutum fuit per modum iudicij; sed non erat conueniens, quòd omnes fideles in Ecclesia essent iudices, aliter nulli essent simpliciter iudicati; sicut enim videmus in iudicio sæculari; ita dicendum est de iudicio spirituali; ideo sicuti inter sæculares illi soli sunt iudices, qui alijs præsunt; ita in Ecclesia soli sacerdotes, qui alijs sunt superiores, iudices esse debent; ergo non omnes fideles, sed soli sacerdotes sunt ministri sacramenti pęnitentiæ. Altera congruentia est. Ille solùm, qui habet potestatem in corpus Christi reale, habet potestatem in corpus Christi mysticum; sed solus sacerdos habet potestatem in corpus Christi reale, quia solus potest consecrare corpus, & sanguinem Christi; ergo solus sacerdos habet potestatem in corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia, quæ ex fidelibus constat. Sed hæc ratio sic efformata probat etiam de ministro baptismi, vt diximus *suo loco*; at licèt baptismus ex officio conferri possit à solis sacerdotibus; attamen in casu necessitatis confertur validè etiam à laicis; quod tamen de pęnitentiæ sacramento dici nequit. Discrimen assignatur *à D. Tho. q. 8. suppl. art. 8. ad 2*; vbi affert hanc rationem; quòd cùm baptismus sit vniuersaliter necessarius etiam paruulis, debuit eius minister esse magis communis; at pęnitentia est necessaria solis peccatoribus adultis; ideo eius minister non debuit esse ita communis. Alia ratio colligi potest *ex Fund. Doct. vbi s.* Minister sacramenti pęnitentiæ debet habere *clauem scientiæ*, debet enim distinguere inter lepram, & lepram; & debet edocere pęnitentem sua peccata, vt de illis doleat; & debet habere *clauem potestatis* soluendi, & ligandi in foro interno; quia debet absoluere etiam ab occultis; sed soli sacerdotes, non omnes fidèles, habent has claues, vt diximus *q. 1. art. 7. §. 1. num. 8*; ergo soli sacerdotes, non omnes fideles sunt ministri pęnitentiæ.

4 Obijc. 1. *Iacob. 5. Confitemini alterutrum peccata vestra*; quibus verbis indicitur confessionem faciendam omnibus fidelibus; *& 1. Pet. 2.* omnes fideles vocantur *genus electum, Regale sacerdotium*: *& c. fures extra de furtis*: *si fures furando comprehensi, vel vulnerati sunt, presbitero, vel diacono confessi fuerint, communionem eis non negamus*; *& lib. de vera, & falsa pænit. c. 10. Si desit sacerdos, confiteatur proximo*; quod habet etiam *D. Cypr. ep. 12. ad presbiteros, & diaconos Carthaginen; et Conc. Eboracen. anno 1164; et Londonièn. 1200.* potestatem fecere diaconis audiendi confessiones, & pęnitentias imponendi.

Resp. *D. Iac.* locutum fuisse ad solos sacerdotes, quibus præcepit, vt inuicem confiteantur. *Ad D. Pet.* dicitur locutum esse de sacerdotio

tio morali, quo fideles offerunt preces Deo, quæ sunt hostiæ spirituales. *Ad c. fures* dicitur sermonem esse de confessione extrasacramentali; idest si pœnitentiæ signa dederint coram præsbitero, vel diacono, & ita decesserint, eis non esse negandam communionem sanctorum, idest sepulturam, & orationes; secus non esse orandum pro illis &c. *Ad SS. PP.* dicitur eos loqui, non de sacramento pœnitentiæ, sed *de quadam ceremonia*, seu *ritu pœnitentiali*, qui solemniter præmittebatur, antequam rebelles ab Ecclesia reconciliarentur Ecclesiæ, vt quòd humi publicè prostrarentur, suum peccatum detestarentur &c; vel loqui de quadam confessione extrasacramentali, quæ fiebat deficiente sacerdote etiam laicis ad excitandum actum contritionis hoc tamen ordine, vt præsente diacono ei potiùs fieret, quàm subdiacono; & subdiacono potiùs, quàm clerico; & clerico potiùs, quàm laico, & de hac loquũtur *Conc. cit*; quæ tamen cõfessio fuit abrogata; nam adstantes solùm ad actũ contritionis debent moribundum hortari.

5 Quæres 1; an potestas iurisdictionis distinguatur à potestate ordinis?

6 *Armacan. lib. 11. de qq. Armen. c. 4.* dixit non distingui; propterea posse quemlibet sacerdotem ex sui suæ ordinationis validè absoluere, non tamen licitè propter Ecclesiæ prohibitionem; vnde si quis bona fide confiteatur sacerdoti non approbato, eius confessio est valida, & licita; tenetur tamen deposita ignorantia illã repetere sacerdoti approbato, vt satisfaciat Ecclesiæ præcepto. Idem docuit Nauarr. *in c. placuit dist. 6.* docens sacerdotem in sua ordinatione accipere totam potestatem iurisdictionis, impediri tamen per prohibitionem Ecclesiæ; & in primitina Ecclesia sacerdotes absque approbatione validè, & licitè absoluisse. Idem tenet *Caietan. opusc. 1. tract. 7.* asserens, quòd, vt arbiter possit legitimam sententiam proferre, sufficit, quòd partes litigantes voluntariè illi se subijciant eo prorsus modo, quo iudices *chartulary* constituebantur *ab Imperatore* cum potestate audiendi eos, qui sponte illis iudicandos subijcerent. *D. Antonin. 3. p. tit. 17. c. 4. cafu. 3; Angel. v. confessio; Maior in 4; Vasq; Valent; Ledesma, & ex nostris Basil.* volunt quidem hanc duplicem potestatem distingui, vtranque tamen conferri à Christo Domino in collatione ordinis; non posse tamen validè sacerdotem absoluere ob defectum materiæ, seu subditorum, qui assignantur, & determinantur ab Ecclesia eo prorsus modo, quo dictum est *de chartularys*; vel quo Episcopi titulares accipiunt potestatem Episcopalem sine subditis, in quos illam exerceant.

7. Ratio autem potissima, cui hæ sententiæ innituntur, est, quia in collatione ordinis tribuitur etiam potestas remittendi, & retinendi peccata; ait enim Episcopus: *Accipite Spiritum S. & quorum remiseritis peccata, &c*; quæ verba

falsa essent, si in collatione ordinis simul cum potestate conficiendi corpus, & sanguinem Christi, quę est potestas in corpus Christi Domini verum, & reale, non tribueretur etiã potestas absoluendi à peccatis, quę est potestas in corpus Christi mysticũ, quod est Ecclesia, quæ ex fidelibus, tanquam ex multis membris, cõponitur.

8 Sed dicendum *cum sententia communissima* potestatem ordinis distingui realiter à potestate iurisdictionis formaliter sumpta; illamque accipi à Chisto Domino in collatione ordinis; hanc verò à Prælatis Ecclesiæ; quamuis illa sit fundamentum, & radix istius necessariò præsupposita; propter quod illa verè dicitur potestas absoluendi, & ligandi. *Ita Fund. Doct. Æg. de Renunt. Papæ c. 24; & c. 10. p. 1; & 5; & sæpissimè alibi.* Prob. 1. pars *ex Conc. Lat. IV. sub Innoc. III. can. 21*; vbi dicitur, quòd alienus sacerdos *non possit absoluere, vel ligare*; quamuis sit verè sacerdos; *& Flor. in decr; & Trid. sess. 14. c. 6; & 7; & catechism. Trid. p. 2. de sacram. pœnit. §. 71; & causa 16. q. 2. c. si quis Episcoporum; & 9. q. 2. c. nullus, & c. nullum, et dist. 6. de pœnit. c. placuit.* Ratio est. Si potestas ordinis non distingueretur à potestate iurisdictionis, sequeretur, quòd sacerdos, cui prohibitum est absoluare à peccatis, validè absolueret æquè, ac validè consecrat, quamuis ei prohibitum sit consecrare; sed consequens est falsum, vt constat *ex allatis Concilys* statuentibus nedum illicitè, sed etiam inualidè absoluere; ergo falsum est ant. Prob. seq. Sacerdos excommunicatus, vel degradatus non obstante prohibitione non consecrandi; attamen validè consecrat, quia habet veram potestatem consecrandi simpliciter indelebilem; ergo à pari 2. *Ex Fund. Doct. Æg.* Potestas iurisdictionis potest esse sine potestate ordinis; vt patet de Papa, vel Episcopo electo, non consecrato; qui potest dare licentiam sacerdotibus absoluendi, & ligandi nedum in foro externo, sed etiam in foro interno; ipse autem potest solùm in foro externo, non in interno absoluere, & ligare; ergo hæ duę potestates distinguuntur; separatio enim distinctionis realis est argumentum, vt docent *Philosophi*. 3. Potestas iurisdictionis est quædam deputatio moralis, qua aliquis constituitur superior, & iudex aliorum; sed in collatione ordinis non constituitur sacerdos superior, & iudex aliorum; tribuitur enim ei præcisè potestas consecrandi; ergo idē.

9 Ad rationem in contrarium dicitur, quòd potestas remittendi, & retinendi duplex est alia radicalis, & remota; & alia formalis, & proxima. Radicalis est illa, sine qua formalis proxima nequit exercere suos actus proprios; & formalis est, qua mediante radicalis remota, elicit actiones. Hoc apertè habetur etiã in naturalibus; nam potentia intellectiua est quidem vera, & radicalis potentia, quia mediante lumine rationis elicit actiones intellectiuas; sine lumine autem nequit intelligere; nulla enim

cognitio sine lumine potest haberi, vt docet *S.P.Aug.lib.imperf.de Gen.ad lit*;& vt ostendimus *to.1.de Inuisibil.Dei q.2.art.2.* Lumen autem intellectiuum est potentia formalis proxima intellectionis, quæ sine intellectu intelligere nequit; nam quoties duæ potentiæ essentialiter subordinantur ita, vt vna agat mediaute alia; tunc neutra potest agere sine altera; aliter non essent essentialiter subordinatæ; & sic intellectus cęcus videret; & lumen sine potentia visiua videret, quæ sunt contradictoria. Vtraque tamen potentia rectè vocatur potētia intellectualis. Ergo cum potestas ordinis, & iurisdictionis ita se habeant, vt hæc illi essentialiter subordinetur; quia potestas in corpus Christi mysticum in foro interno supponit potestatem in corpus Christi reale; ad quod innuendum in collatione ordinis priùs traditur potestas consecrandi, quæ est in corpus reale Christi Domini; & postcà traditur potestas remittendi peccata, quę est in corpus mysticum; & ratio huius est; quia Christus Dominus non tradidit potestatem remittendi peccata, nisi postquā tradiderat potestatē consecrandi; hanc enim tradidit *Io.20.* post resurrectionem; illam verò *in nocte cęna*, antequam pateretur; ideo optimè dicitur in collatione ordinis tradi potestatem remittendi peccata; quia traditur potestas ordinis, quæ est potestas radicalis remissiua peccatorum. Neque officit, quòd distinctis verbis, & actionibus in collatione ordinis tradatur potestas consecrandi, & remittendi; nam hoc est tantùm ad significandum illam eandem potestatem habere duplicem effectum, scilicet consecrandi, & remittendi peccata; & quia effectus posterior supponit priorem, ideo distinctis verbis, & actionibus priùs traditur protestas per ordinem ad primum effectum; & posteà per ordinem ad posteriorem.

10 Inst. Cùm Christus dixit *Apostolis: Accipite Spiritum S; et quorum remiseritis peccata etc.* verè dedit potestatem proximam *Apostolis* remittendi peccata; sed Episcopus in collatione ordinis loquitur ex persona Christi; ergo verè confert potestatem proximam absoluendi, cùm profert eadē verba. 2. Dignitas Episcopalis succedit *dignitati Apostolicæ*; sed *Apostoli* acceperunt immediatè à Christo Domino potestatem iurisdictionis; ergo episcopi illam recipiunt immediatè à Christo Domino, non à Papa.

Resp. ad 1; quòd nimis probat; sicut enim ex eo, quòd Christus *in cęna* simul ordinauerit *Apostolos* sacerdotes, & Episcopos; non sequitur, quòd Episcopus in collatione ordinis proferens eadem verba ex persona Christi consecret simul sacerdotes, & Episcopos; ita à pari. Dist. igitur mi. Episcopus loquitur ex persona Christi proferendo illa verba, prout significant collationem potestatis ordinis, quæ est potestas radicalis remissiua, quomodò Christus illa non protulit *Io.20*; tunc enim iam erant *Apostoli* sacerdotes, conc; prout significant collationem potestatis iurisdictionis, quomodò fuerunt prolata à Christo Domino, neg; aliter non conferret ordinem, sicut non contulit Christus Dominus, quando illa verba protulit. Ex eo itaque, quòd Episcopus proferat verba à Christo prolata, non sequitur, quòd eundem effectum producant, quem produxerunt, vt prolata à Christo Domino; quia vt prolata à Christo Domino, non produxerunt ordinem sacerdotalem, qui iam fuerat *in cœna* collatus; sed tantùm contulerunt potestatem iurisdictionis, quia potestas ordinis collata iam fuerat; vt autem prolata ab Episcopo, non conferunt potestatem iurisdictionis; quia potestas ordinis non supponitur collata, sed confertur. Ad 2. dist. ma. Dignitas episcopalis succedit *dignitati Apostolicæ* quantùm ad modum collationis, neg; nam *Apostoli* fuerunt immediatè ordinati à Christo Domino in terris degente absque ministerio alicuius hominis; Episcopi verò consecrantur ministerio hominum; quantùm ad perfectionem caracteris, conc. Dignitas ergo caracteris sacerdotalis, vel episcopalis, cùm sit effectus solius potestatis ministerialis excellentiæ, quam sibi Christus retinuit, immediatè confertur à Christo. At potestas iurisdictionis, cùm hominibus conueniat, vt constat; ideo confertur ab homine.

11 Ex dictis manet probata 2. pars huius resolutionis; si namque potestas iurisdictionis non est immediatè à Christo Domino; consequens est, vt sit ab eius ministris illius vices gerentibus; & ideo ab Ecclesiæ Prælatis; aliter nulla esset in Ecclesia; quia à nullo esset collata.

12 Obijc. 1. Subtrahere materiam iudicij non est tollere potestatem iurisdictionis; nam qui extrahit reum è carcere, illum subtrahit *Regali iurisdictioni*, quam tamen non tollit; ergo neq; assignare materiam est potestatem iurisdictionis conferre. Atqui Ecclesia tantùm subtrahit, vel assignat materiam potestatis remissiuæ peccatorum; ergo potestatem iurisdictionis non confert, aut tollit; sed illam supponit à Christo Domino collatam. 2. Si potestas iurisdictionis conferretur à Prælatis, possent confessarij absoluere in nomine Prælatorum; nam habens potestatem ab alio faciendi aliquid, potest nomine illius illud facere; sed cons. est falsum; nam solùm nomine Christi possunt absoluere; ergo & ant. 3. Sequeretur Summum Pontificem à nullo posse absolui; nam sicut Pontifex non habet potestatem absoluendi se ipsum; ita illam nequit alteri dare; quia *nemo dat, quod non habet*; tum quia sicut nequit dare alteri potestatem excommunicandi se ipsum; ita nec potestatem absoluendi à peccatis seipsum. 4. Quilibet sacerdos in articulo mortis potest absoluere à quibuscumque peccatis; ergo idem.

Resp.

Resp. ad 1. neg. mi. subsumpt; nam Prælati Ecclesiæ nedum assignant materiam, vel subtrahunt; sed etiã moraliter conferunt potestatem, quia deputant ad audiendas confessioues, cui depurationi assignant hos, non illos homines; ideo nedum assignant materiam, sed & conferunt potestatem. Ad 2. neg. seq. Ad prob. dicitur, quòd habens potestatem radicalem, & principalem faciendi aliquid ab aliquo, potest vtique nomine ipsius illud facere; non autem habens solùm potestatem formalem proximam minùs principalem; actio enim tribuitur principali agenti, nõ principio formali proximo; vnde non lumen, sed intellectus dicitur videre. Igitur quia absolutio importat actionem remissiuã peccatorum, quæ fit per collationem gratiæ; quæ actio est effectus principaliter potestatis ministerialis excellentiæ, quæ est in Christo Domino, quanuis ad illam requiratur etiam potestas iurisdictionis, vt dictum est; ideo tantùm nomine Christi, non Prælatorum Ecclesiæ potest conferri. *Vid. Fund. Doct. inf.* At quia potestas excommunicandi non requirit potestatem ordinis; ideo potest nomine alterius infligi; & sic dicendum de eius absolutione. Ad 3. neg. seq; quanuis enim, vt docet *Fund. Doct. Æg. de Renunc. Papæ c.* 14; Papa nequeat se ipsum absoluere, quia nequit agere in se ipsum, nec sibimet se ipsum subijcere, quod requiritur in sacramento pœnitentiæ, attamẽ potest dare alteri potestatẽ absoluendi se ipsũ. Nec per hoc dat alteri, quod non habet; sed potiùs dat, quod habet; quia habet potestatem plenissimam absoluendi quoscumq; alios peccatores, qui sunt in Ecclesia; ideo conferens sacerdoti potestatem absoluendi aliũ ab ipso sacerdote confert potestatem absoluendi se ipsũ, qui est alius ab ipso sacerdote. Nõ est tamen par ratio de excõmunicatione; nã per excõmunicationem, inquit *Fund. Doct.* homo deprimitur; Papa autẽ, cùm sit supremus in Ecclesia, nequit fieri alio inferior; at per absolutionem erigitur à peccato; erectio autem conuenit Papæ. Ad 4. dicitur in mortis articulo, vel etiam periculo, vt habetur *in 6. de sent. excommunicationis c. eos, qui*; omnes sacerdotes habere potestatem iurisdictionis amplissimę vel iure Diuino; vt volunt *noster Basil; Capr; Dur; & alij apud Vasq*; aliter saluti animarum nõ fuisset sufficienter prouisum; vel iure Ecclesiastico; vt docent *omnes alij communiter*; & colligi videtur *ex Trid. sess. 14. c. 7.*

13 Quæritur 2; an ad validitatem hnius sacramenti vltra potestatem iurisdictionis requiratur etiam approbatio Episcopi?

Resp. *Trid. sess. 23. c. 15. de reform*; quòd in illis, qui fuerunt promoti ad aliquod beneficiũ parochiale, cui est annexa cura animarum, non requiritur approbatio Episcopi; censentur enim idonei per ipsam electionem; ante quam censetur examinatam fuisse illorum sufficientiam, & idoneitatem. At illi, qui nullo gaudent huius modi beneficio, egent approbatione Episcopi, etiansi sint Regulares, quia *Conc.* vniuersaliter loquitur, *non obstantibus quibuscumque priuilegijs, & consuetudine &c.*

14 Collig. 1. parochos non posse deputare sacerdotes non approbatos ab Episcopo ad audiendas confessiones. 2. Episcopum vigore priuilegij *c. finali de pœnit. & remiss.* non posse eligere confessarium sibi non subditum à proprio Episcopo non approbatum; vt declarauit *S. Congr. Concilij in c. 15. sess. 23.* 3. Hanc approbationẽ esse necessariam ad audiendas confessiones sęcularium, & regularium; vnde Regularis nequit sibi assumere sacerdotem sęcularem non approbatum ab Episcopo, vt declarauit *Alex. VII*; cuius definitionem non vidit *Gibb*; qui oppositum tenet. Non tamen est necessaria sacerdotibus regularibus, vt audiant confessiones aliorum Regularium, *& Secularium, qui inibi verè sunt de familia, & continui commensales; non autem illorum, qui tantùm ipsis deseruiunt*; vt statuit *Clem. X. Constit. superna* 21. *Kal. Iulij anno* 1670; sufficit enim approbatio Prælati Regularis. 4. Talem approbationem debere esse ab Episcopo, in cuius diecęsi habet domicilium; vnde approbatus ab vno Episcopo nequit in diecęsi alterius Episcopi confessiones audire. 4. Non sufficere approbationem petitam ab Episcopo, & non obtentam; quod valet etiam de sacerdotibus Regularibus non obstantibus priuilegijs *Clem. V; Benedict. XI. Leonis X. &c; Trid.* enim illis verbis: *Non obstantibus quibuscumque priuilegijs* censetur ea reuocasse, vt docent *Suar; Vasq; Coninch; Lug; Gibb; & alij.* 5. Approbatos pro sæcularibus non intelligi esse approbatos pro monialibus, sed egere alia approbatione; sic approbatos pro masculis tantùm, & pueris, non posse audire confessiones mulierũ, aut virorum, nec etiam virtute *Iubilæi, aut bullæ cruciatæ*; vt *cont. Henriquez, Fagund; Bonac.* tenent *ex nostris Basil; et Gibb; et* ex alijs *Suar; Rodriq; Lugit alij.* 6. Non approbatos non posse excipere confessionem venialium; vt decreuit *Innoc. XI. die 12. Febr. anno 1679.* Tandem approbatum non posse se ipsum absoluere, quia vt docet *Fund. Doct. de Renun. Papæ c. 14*; præceptum Domini est; *vt confiteamur alterutrum Iac. 5*; nec verificaretur forma absolutionis *absoluo te*; pronomen enim significat secundã personã *te* realiter distinctam à prima, quæ absoluere dicitur.

15 Quæritur 3; an sacerdos cum iurisdictione, vel approbatione tantùm probabili validè absoluat?

Resp. *Gonet* affirmatiuè; quia in tantùm in materia, & forma sacramentorum non licet vti opinione probabili; quia Ecclesia non potest materiam, & formam supplere, cùm à solo Deo sit instituta. At iurisdictio, & approbatio ab Ecclesia dependet, ideo potest ab illa suppleri.

16 Dotes autem, quas debent Episcopi in approbatione sacerdotum explorare, assignantur *à Conc. I. Mediolan. sub S. Carolo celebrato p. 2. tit. Quæ pertinent ad sacramenti pœnitentiæ administrationem. In ijs probandis hanc rationem habeant Episcopi; vt sint pij, bene morati, docti, prudentes, patientes, de animarum salute solliciti, et fideles sint eorum, quæ in confessione dicuntur; prouecta etiam ætate præsertim illi, quibus confessiones mulierum erunt audiendæ*. 1. Igitur necessaria est pietas nedum erga Deum, sed etiam erga pœnitentem, quem debet suis bonis operibus adiuuare, lenire, consolari, in spem erigere; vt habetur *de pœnit. dist. 6. c. qui vult*. 2. Necessaria est probitas vitæ; vt sit exemplum pœnitentibus instituendæ vitæ Christianæ, vt habetur *ibid.* 3. Debet esse sufficienti scientia prædítus, vt sciat distinguere inter lepram, & lepram; ne si *cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadant*. 4. Debet esse prudens in electione opinionum, quæ magis conducunt ad animarum salutem, & in suggestione remediorum, quibus peccata vitantur. 5. Debet esse patiens in toleranda pœnitentium rusticitate, ignorantia, imbecillitate, tarditate, alijsque defectibus. 6. Debet esse sollicitus de animarum salute non quærens inutiliter ea, quæ ad corpus pertinent, sed ad animam. 7. Debet esse fidelis custos eorum, quæ in confessione dicuntur, quia debet sub arctissimo tenere sigillo omnia peccata, & circunstantias, & famam pœnitentium tueri ita, vt sit paratus potiùs mortem subire, quàm illam reuelare. 8. Debet esse prouectæ ætatis, maximè, si eligatur ad audiendas confessiones mulierũ; præscribit autem *Conc. Mediol. vbi s.* triginta annos; nisi probitatis, ac pietatis talia argumenta dederit, vt ad eas audiendas se se capacem ostenderit. Tandem aduertere debet, ne in imponendis missis, vel eleemosinis, aut restitutionibus aliquid applicet sibi, vel suis Ecclesijs, aut domibus; vt habet *Conc. III. Mediol. tit. 8; et IV. eod. tit; et S. Carol. in instruct; et Conc. Eboracen. c. 3. anno* 1195; *et Senonen. anno* 1524; *et plura alia*.

ARTICVLVS II.
De casibus reseruatis.

1 Diximus *q. 1. art. 5. §. 2. n.* 37. Papam habere potestatem iurisdictionis ordinariam vniuersaliter in totam Ecclesiam, Episcopos in suis tantùm diœcesibus, Prælatos in suis prælatijs, sic Abbates, & Generales Regulares in suis Religionibus, Prouinciales in suis prouincijs, Priores in conuentibus, & Parochos in parochijs; cæteros verò sacerdotes approbatos ad audiendas confessiones habere tantùm potestatem delegatam. Ex hoc sequitur habentes potestatem tantùm delegatam non posse sibi reseruare casus, à quibus confessarij absoluere nequeant; illis namque solummodò competit potestas reseruandi sibi aliquos casus, qui possunt alios delegare ad audiendas confessiones, eisque inhibere, ne à quibusdam peccatis absoluant; delegatum autem non posse delegare compertum est. Illis itaque solùm conuenit reseruandi potestas, quibus competit iurisdictio ordinaria, & possunt alios delegare, vt confessarij munus exerceant; sicut enim possunt iurisdictionem, quam eis conferunt, limitare solùm ad quasdam personas v.g. masculos, non fœminas; ita possunt eam restringere solùm ad quædam peccata minora, reseruantes sibi grauiora. Plura huiusmodi reseruationum decreta *in iure canonico* habentur. 1. *q.* 4. *c. si quis suadente; extra de sent. excom. c. conquesti, extra com. de pœnit. et remiss. c. etsi Domini; et in 6. de sent. excom. c. quicumque, et Trid. sess. 14. c. 7; et can.* 11. anathemate percutit asserentes Episcopos non habere potestatem sibi reseruandi absolutionem aliquorum criminum attrociorum, nisi quoad externam politiam. Ratio autem, cur reseruatio fieri debuit, est; vt peccandi facilitas, velut fræno iniecto, moderetur; & vt morbi grauiores excellentioribus medicis sanandi seruentur.

2 Casus reseruati Summo Pontifici, à quibus nullus Episcopus, Archiepiscopus, Primas, aut Patriarcha potest absoluere, continentur *in Bulla cœnæ Domini*, quam omnes confessarij in prospectu debent habere. Extant alij in corpore *iuris canonici*; sed vel abrogati sunt ab ipsis Summis Pontificibus positiuis decretis, vel tacitè tolerati.

3 Casus Episcopis reseruati alij sunt reseruati à iure, qui vel *in corpore iuris canonici*, vel *à Conc. gen; vel prouinciali, vel Synodo Episcopali* solis reseruantur Episcopis; alij sunt reseruati ab ipsis Episcopis. Primi generis sunt hæreses, vt habet *Trid. sess. 24. c. 6. de reform*; in foro conscientiæ tantùm per se ipsum, & non per suum Vicarium absoluendæ. 2. Omnis irregularitas, & suspensio ex delicto proueniens, non tamen deducta ad forum contentiosum, etiamsi sit *Apostolicæ Sedi* reseruata, sicut quidam alij casus Papæ seruati ab Episcopo per se ipsum, vel per suum Vicarium possunt absolui. *Trid. ibid.* 3. Grauis percussio Clerici, vel Monachi; quæ cum peccato mortali coniuncta est *extra de sent. excomm. c. peruenit*. Si tamen percussio sit leuis, quæ non odio, sed iocosè fit, non est casus reseruatus, nec excommunicationem habet adiunctam *eod. tit. c. super eo*. Idem dicendum de percussione, quæ fit à parentibus, superioribus, ac Magistris; hæc enim non fit in odium, sed punitionem, & correctionem. Si autem percussio sit enormis, & attrox, quia est vel cum mutilatione alicuius membri, vel cum effusione sanguinis; vel quia est violenta manus iniectio in Episcopum, vel in Abbatem; vt declaratur *eod. tit. c. cùm illorum*; vel quia fit ad Altare, vel in Choro, vel solemni supplicatione; circumstantia

tia enim tunc notabiliter aggrauat; reseruata est Summo Pontifici. *Lat. sub Innoc. II. can.* 5; & refertur 17.*q.*6.*c.si quis suadente*. Idem dicendum de ijs, qui clericum in carcerem tradunt, & in vinculis retinent; *extra de sent. excom. c.nuper*; & de ijs, qui non per se ipsos, sed per mandatarios operantur *eod.tit.c.mulieres*; vel qui huiusmodi excessus suo nomine factos, quanuis inscij tunc essent, cùm patrati fuerunt, approbant, & ratos habent *eod.tit. in 6. c. cùm quis*; vel qui aliqualiter consenserint, adiuuerint, fauerint, & cùm facilè, ac cõmodè possent, non impedierint *de sent.excom. c.quanta*. Ab excõmunicatione autem contracta ob iniectionem manuum potest absoluere Episcopus clericos in Collegio, aut Seminario viuentes; nisi fortè attrocitas facti pœnam grauiorem expostulet *extra de vita, & honestate Clericorum c. quoniam*. Item clericos impuberes, qui quartumdecimum ætatis annum non attigerunt, ætas enim excusat *extra de sent.excom. c.super eo*; siue ante, siue post pubertatis annos absolutionem petant *eod.tit. c.pueri*. Item mulieres, sed tamen consulendus est Summus Pontifex, vt secundùm eius consilium pœnitentia imponatur *eod.tit.c.mulieres*. Item qui sine vitæ periculo *Romam* nequeunt venire; remoto tamen vitæ periculo, etiamsi sint absoluti, tenentur *Romam* venire *eod. tit. c. de cætero*. Item senes, valetudinarios, & membris destitutos, nempe cæcos, claudos, & alios impotentes *c.ea noscitur eod. tit.* Item pauperes, qui victum sibi suis laboribus comparant, nec *Romam* queūt venire, nisi mendicando *ibid. c.quod de his*. Item moniales iniicientes manus in alias moniales, vel etiam in clericos; istæ enim priuantur potestate veniendi Romam *ibid.c de monialibus*. In hanc excommunicationem tamen non incidit, & ideo potest absolui à quolibet approbato, qui clericum sibi vim inferentem vi repellit, vel cędit *ibid. c. si verò*; & qui clericum inuenerit turpia exercentem cum matre, sorore, filia, vel vxore; & mulier cædens, & repellens clericum ad turpia illam trahentem *ibid*; & qui clericum esse ignorabat, vtpotè sine habitu clericali, & armis instructum aggressus fuit, *eod. tit. c. si verò* 2; *& c.in audientia*; & qui clericum degradatum percussit; hic enim priuilegia cleri deperdidit *de pœnis in 6. c. degradatio*; sicut ijsdem priuilegijs priuantur, qui negotiationes prohibitas exercent; & ter à Prælato admoniti non abstinent *de vita, & honestate clericorum c. ex literis*. Incurrunt tamen excommunicationē reseruatā, qui in cõuersos Regulares manus iniiciūt *extra de sent.excom.c.non est dubium*; imò etiam qui in nouitios non professos *in 6. eod. tit. c.religioso* §.*quanuis*. 4. Reseruatum erat antiquitus Episcopis duellum; sed *Greg. XIII*; *Clem. VIII*; *& Vrban. VIII.* illud sibi reseruarunt. *Vid. Trid. sess.* 25. *c.*19. Alij casus reseruatur Episcopis *extra com. inter cunctas*; vt peccata, quibus à iure publica penitentia imponitur, blasphemia publica &c; sed hæc constitutio abrogata fuit *à Clem. V*; vt habetur *in 6.de sepulturis c. Dudum*.

4 Casus autem, quos sibimet reseruant Episcopi, non ijdem sunt in omnibus diœcæsibus, sed diuersi iuxta diuersa peccandi pericula, & inclinationes.

5 Superiores Regulares ex decreto *Clem. VIII. anno* 1593. nequeunt, nisi casus sequentes sibimet reseruare. 1. Veneficia, incantationes, & sortilegia. 2. Apostasia à Religione siue habitu dimisso, siue retento, quando eò peruenerit, vt extra septa Monasterij, seu Conuentus fiat egressio etiam non animo apostatandi facta. 3. Proprietas contra votum paupertatis, quæ tamen sit peccatum mortale, vtpotè in materia graui, non leui. 4. Iuramentum falsum in iudicio regulari, & legitimo. 5. Procuratio, auxilium, & consilium ad abortum faciendum animati fętus, etiam effectu non secuto. 6. Falsificatio manus, aut sigilli officialium conuentus. 7. Furtum de rebus monasterij in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale. 8. Lapsus carnis voluntarius opere consummato. Si qui autem præter istos reseruantur à Regularibus, pro non reseruatis habentur.

6 Possunt absoluere suos fratres, si intra claustra se percusserint etiam grauiter; dummodò excessus non sit enormis, vt est mutilatio membri, effusio sanguinis, violenta manuum iniectio in Episcopum, aut in Abbatem. *De sent. excomm. c.cùm illorum*; vbi *Innoc. III.* moderatur constitutionem *Alex. III. c. monachi eod.tit.* præcipientis, quòd si discretio Abbatis non sufficit ad eorum correctionem, prouidentia Episcopi Diecęsani est adhibenda. Quòd si Regularis percusserit alium Regularem alterius Monasterij; ab illo, & à proprio superiore debet absolui. *Ibid.* Si autem percusserit Clericum, ab Episcopo *eod.tit.in 6. c. Religioso*. Item Regulares Prælati possunt absoluere suos subditos à delictis, & censuris occultis eo modo, quo dictum est de Episcopis; censentur enim habere potestatem in illos, quasi Episcopalem; aliter Regulares essent inferioris conditionis, quàm clerici. Hoc constat ex publica absolutione, quæ quolibet mense publicè dari solet; in qua conceditur facultas cuilibet confessario ab ipsis Prælatis regularibus approbato absoluendi ab excommunicatione occulta &c.

7 Superior Regularis, qui casus aliquos sibi reseruat, debet deputare pœnitentiarium aliquem, qui ab illis absoluat; cùm enim sedem fixam non habeat, & possit visitando Religionem longinquas regiones adire ita, vt subditi aliarum prouinciarum nesciant, vbi sit; congruum est, vt sciant, quò debeant recurrere, vt à vinculis peccatorum, & censurarum soluantur. Hoc prob. exemplo Episcoporum, qui suos pœnitentiarios constituunt.

DE EXTREMA VNCTIONE.



XTREMIS malis extrema remedia applicanda esse natura ipsa conclamat; ad vitam namque seruandam non sufficit priores morbos, & periculo minùs obnoxios euertere; si posterioribus, iisque potentioribus oppressa succumbat; nec certum facit triumphum, qui antesignanas hostium fuderit copias, & validiori deinde pugnantium impetu fractus occumbat. Quid *Sampsoni* omnium fortissimo profuit tot superasse certamina, excussisse tot agmina, tot retulisse victorias; si denique infeliciter captus sua morte hostium auxit excidia, & vna cæsus cum illis à se ipso victus interijt? Victoriæ initium deperdit, qui deuictis hostibus tandem cum hostibus vincitur; nec triumphus seruatur occiso, etiamsi plures pluries occiderit. Corona solis finaliter vincentibus datur, qui vincunt inuicti, non qui tandem vincuntur cum victis. Felix itaque belli exitus summa victoriæ, & triumphi est. Hoc, quod docet natura, intra ordinem gratiæ exigit quoque instituendæ, seruandæque Christianæ vitæ par ratio. Baptismus, qui vitam inchoat spiritualem, priora vulnera sanat; & confirmatio, quæ baptismi perfectio est, confert robur, & vim per baptismum conscriptis Christi militibus, ne peccatorum saucientur vulneribus. At si crescente hostium impetu Aduersantium telis confossi aliquando sternantur; pœnitentiæ sacramentum fuit præparatum, quo sanati restituantur ad pugnam. Tandem quoniam victoriæ ratio consistit in vitæ exitu, in quo spiritalis nequitia pugnaciores exerit neruos, crudeliores reseruat conflictus, sacramentum Vnctionis extremæ, quo roborentur Atletæ fideles, vt nouissima, eaque attrociora intrepidè vincant certamina, Christus Dominus humani generis Reparator prouidentissimæ Sapientiæ consilio instituit, quo vnctione vltima ad vltimam luctam vnguntur; & quo pœnitentia perficitur, sicut confirmatione baptismus. Rectus igitur doctrinæ ordo seruatur, cùm posteaquam egimus de pœnitentia, de extrema Vnctione, quæ pœnitentis vitæ consummatio est, pertractamus.

QVÆST. I.

De institutione, essentia, & effectibus extremæ Vnctionis.

HÆC tria simul coniungimus, quia pauca dicenda sunt circa singula; non enim plures excitatæ sunt controuersiæ siue inter hæreticos, siue inter Catholicos, quàm illæ, quæ discutiendæ exhibentur.

ARTI. I.

An extrema Vnctio sit sacramentum à Christo Domino institutum?

1 VValdenses, & Bohemi apud Æneam Syluium de orig. Bohemer. c. 35. dixerũt extremam Vnctionem non benedictionis, sed maledictionis esse sacramentum; vt refert etiam *Estius hic* §. 6. *Albigenses apud D. Antonin. p. 4. tit. 11. c. 7. §. 5; Vuicleff lib. 4. Trialogi c. 25; Luth. de capt. Babyl; Caluin. 4. instit. c. 19; & eorum asseclæ* putauerunt extremam Vnctionem non esse sacramentum, sed tantùm gratiam curationum, quæ iam cessauit.

2 Dogma fidei est extremam Vnctionẽ esse verũ sacramentum nouæ legis à Christo Domino institutum; vt statuit *Trid. sess. 14. can. 1. de extrema Vnct; & sess. 7. can. 1. Ita omnes Catholici,* quãuis *eorum aliqui ante Trid.* dixerint non fuisse immediatè à Christo Domino institutum, sed *ab Apostolis* ex commissione; vt *Hug. de S. Vict; Mag; & D. Bon; Alen.* verò institutum fuisse *in Conc. Melden;* & tandem *Kemnit.* institutum fuisse *à Felice IV. circa annum* 518. Circa tempus autem institutionis *Nugn. hic* putauit institutum fuisse *Marc. 6; alij* verò in nocte cęnę; *alij* tandem *communiùs Io. 20;* cùm institutum fuit sacramentum pęnitentiæ. *Ita Fund. Doct. sup. salutat. Angelic. fol. 14. col. 2; & omnes alij communiter.*

3 Sacramentum hoc *extrema Vnctio* vsitatissima appellatione vocatur ad distinctionem aliarum vnctionum, de quibus agit *Innoc. III. extra de sacra Vnctione c. 1; & Hug. de S. Vict. lib. 2. p. 15. c. 1; & Mag. hic;* nempe ad distinctionem vnctionis catechumenorum, qui unguntur, antequam baptizentur, in pectore, & inter scapulas; & unctionis baptizatorum, qua chrismate unguntur in summo vertice; & vnctionis confirmationis, qua unguntur in fronte; & vnctionis ordinis, qua sacerdotes vnguntur in manibus, & Episcopi in capite, & manibus; & vnctionis Regum, & Principum, qua non chrismate, sed oleo tantùm vnguntur in humeris, vel

vel brachio; & vnctionis templorum, altarium, & vnctionis cadauerum, quæ fiebat antiquitus teste *D. Dion. Hier. Eccl. c. vlt*; & vnctionis energumenorum, de qua *Beda in Marc. 6; & Luc.* 8. Vocatum præterea est hoc sacramentum *vnctio infirmorum*; *sacramentum exeuntium*; *oleum* absolutè, vt *à S. P. Aug. lib. 5. de bapt. c. 5*; vel *oleum infirmorum*, vel *oleum sanctum*, vel *sacrum Chrismatis oleum*, vt *ab Innoc. I. ep. ad Decent.* Definitur autem *sacramentum, quo fideles ægroti per oleum sacrum, & Christi verba in magnis morbi molestijs releuantur, vt feliciùs ex hoc mundo demigrent, & corporaliter etiam, si ita anima expedit, sanentur.*

4 Vnica concl. Extrema Vnctio est verè, & propriè vnum ex septem sacramentis nouæ legis à Christo Domino immediatè institutum *Io.* 20; postquam penitentiæ sacramentum instituit, & *à D. Iac. Apostolo* promulgatum.

Prob. 1. pars *ex Iac. 5. Infirmatur quis in vobis, inducat præsbiteros Ecclesiæ, & orent super eum vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* Ex quo arguitur. Signum sensibile rei sacræ, idest gratiæ remittentis peccata ex opere operato est verè, & propriè vnum ex septem sacramentis nouæ legis; in hoc enim distinguuntur sacramenta nouę, & veteris legis, vt statuunt *Flor. in decr. vnion; & Trid. sess. 7. can.* 8; & fusè probauimus *de sacram. in com. q. 3. art.* 1; sed extrema Vnctio est huiusmodi; nam oleum, vnctio, & verba sacerdotis sensibiliter prolata integrant vnum quid sensibile significans gratiam remittentem reliquias peccatorum; vt constat ex verbis allatis; ergo extrema Vnctio est vnum ex septem sacramentis nouæ legis.

5 Resp. 1. *Luth.* illam epistolam non esse canonicam, teste *D. Hier. de Scriptor. Eccl; & Euseb. lib. 3. hist. c.* 23. Addunt *Caluin*; *Kemnit*; *& alij* ibi sermonem esse de vnctione quadam externa, qua per gratiam sanitatis curabantur infirmi.

Sed cont. 1. est; nam *Conc. sub Gelasi Laodicen. can. vlt*; *Carthag. III. can.* 47; *Flor*; *& Trid*; *Innoc. I. ep. 1. ad Exuper*; *Orig. hom. 7. in Iosue*; *D. Athan. in Synopsi*; *S. Epiphan. hær.* 76; *S. Hier. ad Paulinum, S. P. Aug. lib. 2. de doctr. Christ. c.* 8; imò & *ipse Euseb.* testantur *hanc epistolam* fuisse tunc temporis publicè in Ecclesia receptam; quamuis aliqui sentirent esse dubiæ fidei, quod etiam dixit *D. Hier. ibid.* Cont. 2. est. 1. Nam gratia curationum non erat propria præsbiterorum Ecclesiæ, sed etiam prophetis, & alijs non sacerdotibus concedebatur; sed *in hac epistola* dicitur solùm vocandos esse sacerdotes; ergo non ob gratiam curationum, sed ob sacramentum Vnctionis, quod à solis sacerdotibus potest ministrari. 2. Gratia curationum non habebat annexam remissionem peccatorum; vt patet *de nouem leprosis*, qui ob ingratitudinem non fuerunt à peccato mundati; nec extendebatur ad solos fideles, verumetiam ad infideles, vt miraculo permoti inducerentur ad fidem; sed hæc Vnctio habet annexam remissionem peccatorum, vt constat ex illis verbis: *Si in peccatis sit, remittentur ei*; & solis baptizatis ministratur; vt colligitur ex illis: *Si quis inter vos*; loquebatur enim fidelibus; ergo hæc Vnctio non significat gratiam curationum, sed sacramentum.

6 Nec dici potest præsbireros solitos fuisse admonere infirmos, quòd peccata eorum possent esse causa morbi; adeoque in illis excitasse fidem, & pœnitentiam, quibus remittuntur peccata; & consequenter ex opere operantis, non ex opere operato peccata remisisse; propter quod talis Vnctio sacramentum esse non potest. Nam cont. est; & magis prob. concl. Extrema vnctio aliquando applicatur infirmis; qui vel sunt expertes vsus rationis, vel difficillimè sensuum magisterio vti possunt; ergo nullum actum eliciunt, quo possint obtinere remissionem peccatorum; & ideo ex opere operato, non ex opere operantis, remittuntur peccata, quod solis sacramentis potest congruere. Præterea actus, quo remittuntur peccata extra sacramentum, est contritio perfecta inuoluens perfectissimam charitatem, vt ostendimus *in supra tract*; qui actus reperitur in paucissimis; sed *ex hoc textu* habetur quòd remittuntur peccata in omnibus extrema Vnctione perunctis, dummodò non obstet impœnitentia finalis; ergo talis remissio est in omnibus ex opere operato, non ex opere operantis; & ideo est verum sacramentum.

7 Prob. 2. ex perpetua Ecclesiæ traditione. *Tertull. lib. 1. cont. Marc.* simul cum sacramentis baptismi, & Eucharistiæ enumerat extremam Vnctionem; loquens enim de Christo Domino inquit: *Nec aquam reprobauit, qua suos abluit, nec oleum, quo suos vnxit; nec panem, quo ipsum suum corpus repræsentat. Orig. homilia 2. in Leuit.* ait per extremam Vnctionem *Iac.* 5. promulgatam sacerdotes peccata remittere; quod docet etiam *D. Io. Chrisost. lib. 3. de sacerdotio c.* 6; vbi inquit sacerdotes non solùm remittere peccata, cum nos regenerant, sed etiam cùm nos vngunt; quibus verbis extremam Vnctionem cum baptismo comparat. Idem docent *Theophylact; & Euthym. in c. 6. Marc*; *Oecumen. in Iac.* 5; *D. Damasc. lib. de quiescentibus*; *& Cabasylas c. 29. in liturgiam D. Io. Chrisost.* Ex quibus deducitur hanc doctrinam de extrema Vnctione toti *Ecclesię Græcæ* fuisse communem. In Ecclesia latina *Innoc. I. ep. ad Decent. c.* 8. ait extremam Vnctionem impœnitentibus dari non posse, quia est sacramentum: *Non pœnitentibus istud fundi non potest, quia genus est sacramenti*; & testatur hanc esse consuetudinem Ecclesiæ Romanæ; *S. P. Aug. lib. 5. de bapt. c.* 5. illam connumerat cum baptismo, cum eucharistia, & confirma-

firmatione, & pœnitentia; *& de temp. ferm.* 215. *supra textum allegatum Iac.* hortatur ægrotos, vt sumant euchariſtiam, deinde extremam Vnctionem. *S. Cyrill. Alex. lib. de adorat. in ſpiritu, & veritate; Theodor. Cantuarien. in pœnitentiali; S. Petr. Damian. ſerm. in dedicatione Eccleſiæ* ait: *Tertium ſacramentum eſt Vnctio infirmorum; Alcuin. lib. de Diuinis offic. c. de infirmis; S. Bern. in vita Malach; Iuo Carnot. ep. 20. lib. 11. ad Geffrid. Vindecinen; & omnes alij communiſſimè.* Accedunt *Conc. Nicæn. I. can. 69; Vuormat. c. 72; Cabilon. c. 48; Melden. apud Iuonem p. 2. c. 269; Aquiſgranen. ſub Lud. Imp. c. 8; Mogunt. ſub Rabano c. 26;* quibus tandem acceſſerunt *Conſtantinop. ſeſſ. 15; Flor. in decr. vnion; & Trid. ſeſſ. 7. can. 1; & ſeſſ. 14. c. 1; & can. 1.* ſtatuens: *Si quis dixerit extremam Vnctionem non eſſe verè, et propriè ſacramentum à Chriſto Domino noſtro inſtitutum, et à B. Iacobo Apoſtolo promulgatum; ſed ritum tantùm acceptum à PP; aut figmentum humanum, anathema ſit.*

8 Ratio eſt. Initium, & finis vitæ Chriſtianæ debent ſibi ad inuicem correſpondere, & ſeſe adæquare; cùm enim finis ſit executio principij, ſi illud non adæquaret, iam totum principium non poneretur in executione; vel aliquod poneretur in executione, quod non haberet principium; ſed baptiſmus, & pœnitentia ſunt initium, & finis vitæ chriſtianæ; ſicut enim baptiſmus inchoat vitam Chriſtianam remittendo peccata ante ipſum commiſſa; ita pœnitentia illam terminat remittendo peccata poſt baptiſmum commiſſa; tum quia pœnitentia eſt veluti alter, iſque laborioſus baptiſmus; ergo baptiſmus, & pœnitentia debent ſibi ad inuicem correſpondere, & ſe adæquare. Atqui baptiſmus ita inchoat vitam Chriſtianam, vt perficiatur à confirmatione, quæ eſt verè, & propriè ſacramentum diſtinctum; ergo pœnitentia ita illam terminat, vt perficiatur ab extrema Vnctione, quæ eſt verè, & propriè ſacramentum diſtinctum. Tum quia in tantùm baptiſmus, ſeu gratia regenerans per baptiſmum collata debet perfici, & roborari per ſacramentum confirmationis, ſeu per gratiam à confirmatione collatam; in quantùm homo baptizatus Chriſti militiæ adſcriptus debet pugnare cum hoſtibus, fidei; ideo in initio deber roborari, vt vincat; aliter ei non fuiſſet adæquatè prouiſum, vt vitam ſpiritualem tueretur ab hoſtibus; ſicut enim in naturalibus, inquit *Fund. Doct. Æg. de Rennne. Papa c. 10; et de caractere q. 1;* ſumma Creatoris Sapientia nedum dedit rebus eſſe, & viuere, ſed etiam dedit potentiam reſiſtendi contrarijs ad hoc, vt ſuum eſſe, & viuere tueantur; ita in ſupernaturalibus infinita Redemptoris ſapientia nedum inſtituir ſacramentum baptiſmi, quo homo lapſus regeneratur ad vitam ſpiritualem; ſed etiam inſtituit ſacramentum confirmationis, ut vitam per baptiſmum acceptam contra hoſtes defendat; atqui etiam homo per pœnitentiam reuiuiſcens debet in fine vitæ pugnare cum fortiſſimis hoſtibus maiores, quàm unquam, perfidiæ vires exerentibus, & periculum extremum ingerentibus; ergo homo pœnitentiæ gratia munitus debuit in fine vitæ ab infinita Redemptoris Sapientia alio ſacramento contra perfidiſsimos hoſtes miſericorditer fortificari. Idque à fortiori; ſi enim baptiſmus, qui omnem culpam mortalem, & venialem, & omnem pęnam remittit, vlteriùs ſacramentum confirmationis exigit; multò magis pœnitentia, quæ tollit quidem peccata, ſed relinquit peccatorum reliquias, quæ animum infirmant, in vltimo tam periculoſo conflictu exigit ſacramentum extremæ Vnctionis, quo Chriſti atleta fortificetur ad pugnam.

9 Prob. 2. pars concl; quæ pariter fuit definita *à Trid. ſeſſ. 7. can. 1; et ſeſſ. 14. de extrema Vn. can. 1.* aſſerente extremam Vnctionem eſſe ſacramentum à Chriſto Domino inſtitutum, & *à D. Iacobo* promulgatum; quibus verbis apertè tribuit Chriſto Domino huius ſacramenti inſtitutionem, & *Apoſtolis* tantùm promulgationem eo prorſus modo, quo, licèt Chriſtus Dominus inſtituerit ſacramentum baptiſmi; attamen præcepit *Apoſtolis*, vt illum promulgarent *Matth. vlt. Ite in vniuerſum mundum, docete omnes gentes baptizantes eos in nomine etc;* & colligitur etiam ex illis verbis *eiuſdem Apoſtoli: Vngentes eum in nomine Domini*. Nam ab illo, in cuius nomine confertur, inſtitutum eſt quodlibet ſacramentum, vt diximus *de ſacram. in com. q. 1. art. 1;* ſed extrema Vnctio confertur in nomine Chriſti; ergo inſtituta fuit à Chriſto Domino. *Vid. vbi ſ.* alias rationes allatas; ut quòd ab illo tantùm, qui nobis gratiam, quæ per ſacramenta confertur, promeruit, inſtitutum eſt ſacramentum; ſed ſolus Chriſtus nobis gratiam promeruit per ſacramenta collatam; ergo idem. Tandem ſolus habens poteſtatem miniſterialis excellentiæ inſtituit quodlibet ſacramentum; ſed ſolus Chriſtus Dominus eſt huiuſmodi, quia hanc poteſtatem ſibimet reſeruauit; ergo idem.

10 Prob. 3. pars. Illud ſacramentum, quod complet, & perficit ſacramentum pęnitentiæ, inſtitutum eſt poſt inſtitutionem ſacramenti pęnitentiæ; implicat enim, quòd complementum alicuius rei habeatur ſine ipſa re, cuius eſt complementum; ſed extrema Vnctio eſt ſacramentum complens, & perficiens ſacramentum pęnitentiæ, vt diximus; ergo extrema Vnctio inſtituta fuit poſt inſtitutionem ſacramenti pęnitentiæ. Atqui pęnitentiæ ſacramentum inſtitutum fuit *Io. 20;* vt diximus *in ſup. tract;* ergo & confirmatio; non obſcurè enim colligitur *ex Act. 1;* vbi dicitur Chriſtum Dominum poſt reſurrectionem conuerſatum fuiſſe *cum Apoſtolis per dies quadraginta loquens illis de Regno Dei*, idèſt de Eccleſia fundanda, in qua ſolùm pereuni-

uenitur ad Regnum Dei; Ecclesia autem formatur præsertim ex sacramentis; ergo dicendum est illo tempore extremam Vnctionem fuisse institutam præcipuè, quia *Marc. 6.* insinuata iam fuerat; vt docet *Trid. sess. 14. de extr. Vnct. cap. 1.*

11 Obijc. 1. *Vuicleff. Iac. 5.* sermo est tantùm de curatione corporis, quia *in Palæstina* præstans est oleum valde conferens ad corporis sanitatem; ergo perperam trahitur ad significandum sacramentum. 2. *Aly.* Sermo est de pluribus sacerdotibus; at extrema Vnctio confertur ab vno sacerdote; ergo *ibid.* non est sermo de extrema Vnctione, sed de alia, quæ est gratia curationum. 3. *D. Iac.* effectum salutis corporalis, & spiritualis tribuit fidei; inquit enim: *Et oratio fidei saluabit infirmum*; non autem tribuit *Vnctioni*, cui tribuitur ab Ecclesia Romana dicens: *Per istam Sanctam Vnctionem indulgeat tibi Deus &c*; ergo ex hoc habetur non esse sacramentum, cuius effectus non pendet à fide ministri, confert enim gratiam ex opere operato. 4. *D. Iac.* loquitur de vnctione quibuslibet infirmis applicanda, vt constat; ergo non loquitur de extrema Vnctione, quæ solis periclitantibus datur. 5. Ex eo, quòd Christus illuminauerit cœcum luto, & sputo, & aqua *Siloe*, non colligitur instituisse aliquod sacramentum ex luto, sputo, & aqua formandum; ergo idem. 6. Effectus sacramenti est infallibilis; sed effectus extremæ Vnctionis est sanitas corporis, quam pauci assequuntur; ergo non est sacramentum.

Resp. ad 1. *Apostolos* non fuisse à Christo Domino institutos medicos corporis, sed animæ; ideo *D. Iac.* non fuit locutus de sola corporis curatione, sed & animæ. Præterea *illa epistola* non fuit scripta ad solos *Iudæos* habitantes *in Palæstina*, sed ad omnes, qui erant *in dispersionem*, vt patet *ex titulo*; ergo etiam ad illos existentes in regionibus, vbi non erat *oleum Palæstinum*. Tandem loquitur de curatione, qua remittuntur peccata; ergo loquitur de sacramento, virtute cuius peccata remittuntur. Ad 2. resp. *S. P. Aug. lib. 3. de consensu Euangelist. c. 16.* vsitatum esse *in Scripturis*, vt numerus pluralis pro singulari ponatur; vt illud, quod de latrone crucifixo cum Christo Domino *Luc. 23.* dicitur in singulari: *Vnus autem de his, qui pendebant latronibus, blasphemabat eum*; quod tamen *Matth. 27.* ponitur in plurali; *Et latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei. Sic in ep. ad Hebræos* dicitur: *Clauserunt ora leonum*, cùm solus *Dauid* significetur: *Et secti sunt*; quod de solo *Isaia* intelligitur: *Et in ps. 2. Astiterunt Reges terræ* propter solùm *Herodem*; *& Principes*, propter *solum Pilatum*, *conuenerunt in vnum*. Quod etiam *apud Paganos* vsitatum est. *Quid enim vsitatiùs* (inquit *S. P. Aug.*) *quàm, vt dicat aliquis; Et rustici mihi insultant, etiamsi vnus insultet?* Sic solemus dicere peccatores confiteri peccata sua sacerdotibus; quanuis vni sacerdoti confiteantur. Ad 3. dicitur *D. Iac.* tribuere effectum salutis corporalis, tamquam parti formali, quia verba, quæ sunt forma extremæ Vnctionis, sunt oratoria, seu deprecatoria, vt *inf.* dicemus; vocat autem orationem fidei, non quòd fides ministri sit necessaria; sed quia sacramentum, quod per illa verba constituitur, est sacramentum fidei euangelicæ; sic enim etiam forma baptismi vocatur *verbum fidei à S. P. Aug. in Io. tract. 80.* Dist. ergo ant. Tribuit fidei, idèst actui fidei ipsius ministri, neg; idèst legi euangelicæ, quæ fides Christi vocatur, & quæ præscribit illa verba oratoria, conc; & neg. cons; ex eo enim, quòd tribuatur verbis, non sequitur, quòd non sit etiam effectus vnctionis, sicut ex eo, quòd remissio peccatorum aliquando tribuatur soli absolutioni, seu verbis absolutorijs, non sequitur, quòd etiam non tribuatur confessioni, & contritioni, quæ sunt materia pœnitentiæ. Sic ex eo, quòd effectus baptismi aliquando tribuatur verbis euangeligis, non sequitur, quòd etiam aquæ non sit tribuendus. Ad 4. neg. ant; constat enim *D. Iac.* loqui solùm de infirmitate graui, & periculosa, quæ solùm dicitur *alleuiari*, idèst leuis fieri; habet namque: *Et alleuiabit eum Dominus*; id autem, quod leue est, ineptè dicitur fieri leue. Præterea quanuis non habeatur ex verbis, habetur tamen ex consuetudine Ecclesiæ. Ad 5. neg cons; nam luto, sputo, & aquæ, alijsque consimilibus non erat annexa remissio peccatorum; neque designatus certus minister; neque fuerunt ceremoniæ permanentes; quæ conditiones requiruntur ad veram rationem sacramenti. Ad 6. dist. ma. Effectus principalis, & absolutus, conc; sed neg. mi; nam effectus principalis, & absolutus extremę Vnctionis est remissio peccatorum. Effectus minùs principalis, & conditionatus, subdist. Posita conditione, conc; non posita conditione, neg. Igitur sanitas corporis est effectus conditionatus, quia si expedit saluti animæ, ponitur; si autem non expedit, non ponitur.

12 Inst. *SS. PP. quatuor priorum sæculorum* mentionem non faciunt extremæ Vnctionis; imò nec *historici*; *vt Euseb. in vita Constantini*; *Athan.* in vita *S. Antonij*; *S. Gregor. Naz. in vita sororis Gorgoniæ*; *S. Greg. Nyss.* in obitu *S. Greg. Neocæsarien*; *Ephremi*; *& Marinæ Sororis*, *S. Ambr.* in obitu *Theodosij Imper*; *& Satyri fratris*; *Seuerus Sulpitius* in obitu *B. Martini*; *Simeon Metaphrastes* in obitu *D. Chrisost.* *D. Paulin.* in obitu *D. Ambr*; *D. Hieron.* in obitu *Nepotiani*, *Paulæ*, *& Marcellæ*; *S. P. Aug.* in obitu *S. Matris Monicæ*; *& D. Possid.* in obitu *S. Patris Aug.* 2. Pontifices, *& Concilia* statuerunt negandam esse, vel concedendam eucharistiam morientibus; non tamen hoc statuerunt de extrema Vnctione; ergo illis

primis sæculis extrema Vnctio non erat in vsu; & ideo est humanum inuentum.

Resp. ad 1. primis quatuor sæculis fuisse in vsu extremam Vnctionem, vt vidimus *ex Tertull; Orig; Io. Chrisost; & alijs sup.* allatis. Quòd autem *præfati Auctores* non meminerint illius, non probant illam non esse verè, & propriè sacramentum; & illam non fuisse in vsu; sicut ex eo, quòd non faciant mentionem viatici, non sequitur, quòd non fuerit in vsu. Ratio autem est; quia intentum eorum erat describere mores, quibus sancti illi extremum diem claudebant; non autem sacramenta, quæ illis conferebantur. Item extrema Vnctio, cùm non sit sacramentum necessitatis, non omnibus applicabatur antiquitus, præsertim Viris sanctissimis, qui post baptismum peccata mortalia non commiserunt; vt fuerunt illi, qui paulò post baptismum mortui sunt; vel si diu vixerunt, se à læthalibus custodierunt, vt *de S. Matre* testatur *S. P. Aug*; sed illis solis, qui in statu pœnitentiæ moriebantur. Ad 2. dicitur, quòd cùm extrema Vnctio sit perfectio pœnitentiæ, vt diximus, illis intelligitur concessa, vel negata *à Pontificibus, & à Concilijs*, quibus dicitur concessum, vel negatum pœnitentiæ sacramentum.

13 An autem hoc sacramentum sit necessarium simpliciter ad salutem; resp. negatiuè; habet enim *Innoc. I. ep. ad Decent*; quòd fideles hoc sacramento perungi possunt; quod sonat conuenientiam, non necessitatem; & hoc docet praxis Ecclesiæ; peccatores enim adulti morientes sine hoc sacramento non habentur pro damnatis. Nec verba *D. Iac.* habentur, vt præceptiua sub pœna peccati mortalis alicuius necessarij simpliciter, sed ad melius esse, & hortatoria, vt videntur sonare. Qui tamen non reciperet ex contemptu, mortaliter peccaret ratione contemptus; sicut dicitur de alijs sacramentis non necessarijs.

14 Tandem an sit iterabile, dicemus *in seq. quæst.*

A R T. I I.

Quænam sit materia extremæ Vnctionis?

1 **V**Nica concl. Materia remota extremæ Vnctionis est solum oleum oliuarum ab Episcopo benedictum; proxima verò est ipsa actualis vnctio, quæ *Græcè* dicitur *chrisma*. *Ita* communiter *omnes DD.*

Prob. *ex D. Iac.* 5; vbi assignans materiam proximam, scilicet vnctionem inquit: *Vngentes eum*; & deinde assignans materiam remotam, subdit *oleo*; quo nomine communiter significatur oleum oliuarum, quod propriè solùm est oleum; cæteri enim humores pinguiores aliarum rerum dicuntur oleum similitudinariè tantùm, non propriè; vt enim constat ex ipsa voce, oleum ab olea, seu oliua dicitur. Et quanuis *Innoc. I. ep. ad Decent.* appellet ipsum *sacrum chrismatis oleum*; quo videtur significari debere esse mixtum ex oleo, & balsamo; nomine enim chrismatis significatur materia confirmationis, quæ, vt diximus *suo loco*, est quoddam mixtum ex oleo, & balsamo; attamen chrisma est nomen commune significans quancunque vnctionem, vt constat ex idiomate *Græco*; ideo illis verbis *Innoc.* nihil aliud significat, quam sacrum oleum vnctionis. Ratio huius traditur *à S. P. Aug. ep.* 23. Materia sacramentorum debet per quandam similitudinem significare effectum proprium illorum; vt aqua baptismi significat mundationem à peccatis &c; sed oleum solum significat effectum proprium extremæ vnctionis; significat enim fortificationem corporis, & animæ in periculosiori lucta aduersus potestates tenebrarum; oleum namque corroborat, & fouet lucem, quæ tenebras fugat; ergo solum oleum oliuarum est materia remota extremæ Vnctionis. Tum quia in hoc distinguitur confirmatio ab extrema Vnctione; quòd illa roborat ad fortiter confitendam fidem coram Tyrannis, & ad bonæ famæ diffundendum odorem; hæc verò roborat tantùm ad resistendum Diabolicæ potestati; ergo illius materia debuit esse oleum, quod roborat; & balsamum, quod odorem diffundit; huius verò simplex oleum, quod roborationem tantùm significat.

2 Quòd autem debeat esse ab Episcopo benedictum, habetur *ex Conc. Melden. can. 2. apud Bucard; et Iuonem; Nic. I. can. 69; Cabiloneн. II. can. 48; Vuormatien. c. 72; Flor. in decr. vnion; & Trid. sess. 14. de extr. Vnct. cap. 1.* Item *Innoc. I. ep. ad Decent; Beda in c. 7. Marci; 8. Luc; & 5. ep. Iac.* Hanc autem olei consecrationem haberi *ex traditione Apostolica* testatur *D. Basil. lib. de Spiritu S. c. 27.* Ratio esse potest. Sacramentum extremæ Vnctionis significat aliquam plenitudinem gratiæ, significat enim perfectionem, & complementum sacramenti pœnitentiæ; ergo congruum est, vt eius materia consecretur ab habente plenitudinem, & perfectionem caracteris; sed hic est solus Episcopus; vt dicemus *in seq. tract*; ergo oleum, quod est materia extremæ Vnctionis, debet à solo Episcopo benedici, & consecrari. Nec valet paritas de aqua, quæ est materia baptismi; nam aqua in baptismo Christi fuit ab ipso sui sanctissimi corporis contactu sanctificata in lauacro, quod baptismum nostrum significabat; ideo non indiget alia sanctificatione; & hoc factum fuit, quia cùm baptismus sit summæ necessitatis; ideo non debuit toties, quoties baptizari contigerit, aqua consecrari; ne interim baptizandus expiret.

3 Altera pars concl: quòd scilicet materia proxima consistat in vnctione actuali, constat ex dictis *de bapt. q. 2. art. 5. n. 8; & de confir. q. 1. art. 4*; nam materia proxima cuiuslibet sacramenti, quod

quod consistit in vsu, est applicatio materiæ remotæ; vt ablutio, qua aqua applicatur corpori, & corpus contingit, est materia proxima baptismi; & vnctio per modum etucis, quo oleum mixtum cum balsamo ab Episcopo benedictum applicatur, & contingit frontem, est materia proxima confirmationis; sed extrema Vnctio est sacramentum in vsu consistens, vt constat; quia sola eucharistia est sacramentum permanens, vt diximus *suo loco*; ergo materia proxima extremæ Vnctionis est actualis vnctio, qua applicatur oleum infirmorum, quod est materia remota. Hoc etiam colligitur *ex textu* allato *D. Iac. Vngentes eum*; hæc enim verba significant actualem vnctionem, seu actionem, qua quis oleo vngitur; verbum enim adiectiuum, vt docet *Fund. Doct*; habet sensum actiuum, & ideo actionem formaliter importat.

4 Ex dictis deducitur, quòd sacerdos vngens oleo non consecrato, seu non benedicto validè hoc sacramentum non conferret; non enim vteretur materia debita necessariò exacta; ex quo sequitur hanc benedictionem esse de necessitate sacramenti.

5 Sed quæritur 1; an sit etiam de necessitate sacramenti; vel tantùm de necessitate præcepti, quòd hęc benedictio sit facta ab Episcopo?

Dicendum esse tantùm de necessitate præcepti, quòd hæc benedictio facta sit ab Episcopo ita, vt si facta sit à simplici sacerdote ex commissione Episcopi, vel ex consuetudine alicuius Ecclesiæ, in qua subintelligitur commissa ab Episcopis facultas consecrandi oleum, ad validitatem sacramenti sufficiat. Est *cont. Palud. hic dist.* 20. *q.* 2; *Estium hic dist.* 23. §. 8; *Bellarm. hic c.* 6; *Sua; Coninch; Laym; & alios*. Traditur tamen *à Caiet.* 2. 2. *q.* 72. *art.* 3; *Gouet; Gibb*; apud quem *alij*. Prob. Illud, sine quo in aliqua Ecclesia catholica celebratur aliquod sacramentum, non est de necessitate sacramenti, sed tantùm de necessitate præcepti, vt constat; sed sine benedictione Episcopi extrema Vnctio celebrata fuit validè *in Ecclesia Græca* antiquitus, antequam schismate rescinderetur ab Ecclesia Romana; vt refert *Arcud. lib.* 5. *de sacram*; imò etiam post schisma *Clem. VIII. const.* 34; cui titulus: *Instructio super aliquibus ritibus Græcorum* §. 3; approbauit hanc consuetudinem conferendi extremam Vnctionem cum oleo benedicto à simplici sacerdote, non ad Episcopo; inquit enim de sacerdotibus *Græcis catholicis* in vnitate *Ecclesiæ Romanæ* viuentibus, & cōmorantibus in diecęsibus Episcoporū *Latinorum*; vt non cogantur accipere ab Episcopis *Latinis* oleum sanctum, quod ex veteri ritu conficitur, & benedicitur ab ipsis sacerdotibus *Græcis*; cogantur tamen accipere chrisma confirmationis eo, quòd etiam iuxta eorum ritum à solo Episcopo potest benedici; verba autem *Clem. VIII.* sunt hæc: *Non sunt cogendi presbiteri Græci olea sancta, præter Chrisma, ab Episcopis Latinis diecęsanis accipere; cùm eiusmodi olea ab eis in ipsa oleorum, & sacramentorum exhibitione ex veteri ritu conficiantur, seù benedicantur; chrisma autem, quod non nisi ab Episcopo etiam iuxta eorum ritum benedici potest, cogantur accipere*; ergo benedictio Episcopi non est de necessitate sacramenti, sed tantùm de necessitate præcepti adhoc, vt oleum sit materia extremæ Vnctionis.

6 Dices. 1. In tantùm aqua in calice ponenda non est de necessitate sacramenti eucharistiæ; in quantùm aqua *à Flor; & Trid.* non significatur in recto, sed in obliquo; dicitur enim *materiam calicis esse vinum aqua mixtum*; seu *vinum, cui modicissima aqua admisceri debet*; vt diximus *de euch*; sed tam oleum, quàm benedictio Episcopi *ex Flor; & Trid.* significatur in recto; dicitur enim, quòd *materia extremæ Vnctionis est oleum ab Episcopo benedictum*; non autē dicitur, quòd sit oleū, cui data sit benedictio ab Episcopo; ergo nedum oleū, sed etiam benedictio Episcopi est necessaria necessitate sacramenti; vel ratio allata de aqua *vbi s.* non probat. 2. Sacramentum confirmationis non confertur validè sine chrismate ab Episcopo immediatè, & per se consecrato; ergo nec sacramentum extremæ Vnctionis.

Resp. ad 1. *cum Gibb*; quòd benedictio Episcopi potest dupliciter sumi; vel per se, & ex officio; vel per aliud ex commissione Episcopi; agens enim per aliud, cui committit actionem, & potestatem agendi, per se ipsum agere censetur. Igitur dist. cons. Benedictio Episcopi vel ex officio, vel ex commissione, conc; ex officio tantùm, non ex commissione, neg. Ad 2. neg. ant; non enim valet paritas de benedictione vnius sacramenti ad benedictionem alterius; nam vinum, & aqua in eucharistia benedicuntur à quolibet sacerdote; oleum autem, & chrisma certum est à quolibet sacerdote benedici non posse. Ex diuersa igitur sacramentorum institutione, traditione, & consuetudine diuersos quoque benedictionis ritus colligimus. Congruentia autem est; qnòd illa roborat contra inuisibiles, & visibiles hostes, & ideo contra hostes numero, & viribus maiores; hæc verò solùm contra hostes inuisibiles; ideo illa solùm à sacerdote maguo, qui est Episopus, fieri debuit; hæc autem etiam simplici sacerdoti, qui est sacerdos paruus, debuit posse committi.

7 Quæritur 2; an oleum balsamo mixtum benedictum ab Episcopo sit materia valida huius sacramenti?

Resp. ex duplici capite posse esse materiam inualidam. 1. Si balsamum sit in tanta quantitate, vt naturam olei corruperit; tunc enim amplius oleum non est; & ideo nec est huius sacramenti materia; vt diximus de aqua mixta vino in eucharistia. 2. Si illud oleum sit benedictum benedictione chrismatis, quæ diuersa est à bene-

benedictione olei infirmorum; quanuis enim sit benedictū aliqua benedictione,nō tamen illa, quę ad benedicendū oleū est instituta;&ideo cēsetur non benedictum pro hoc sacramento. *Ita Estius vbis.* Ex hoc sequitur, quòd parochus vtens per errorem chrismate loco olei infirmorum, vel vtens oleo catechumenorum, aut infantium vnctionem cum oleo infirmorum, & formam sacramenti debet repetere; vt statuit *Conc. Mediolan. V. de extr. Vnct. & S. Carol. in instructionib. de extr. Vnct.* Quidquid dicant *Laym; Gonet; et noster Gibb.* Si tamen oleum cum balsamo per errorem sit benedictum ab Episcopo benedictione propria olei infirmorum, & aliunde balsamum sit in parua quantitate, est materia valida; & sic intelligendi sunt; qui scripserunt oleum cum balsamo esse materiam aptam ad conficiendum hoc sacramentum. Si tamen oleum benedictum ab Episcopo mixtum fuisset scienter cum balsamo, vel cum alio liquore, illicita, & peccaminosa esset illa mixtio, quia esset contra ritum Ecclesiæ. Sed oleo infirmorū ob plures administrationes imminuto posse addi oleum non consecratum habetur *extra de consecr. Ecclesiæ c. quod in dubijs*; quod intelligendum de parua quantitate, quæ non superat quātitatem olei consecrati; vt diximus *de confirmat. q. 1. art. 3. n. 9; et de euchar. loc. ibid. cit.* Vbi distinguitur benedictio consecratiua, vt est benedictio olei, & chrismatis, à benedictione simplici, vt est benedictio aquæ; benedictio enim consecratiua est, qua eleuatur res benedicta ad conficiendū aliquod sacramentum; benedictio verò simplex est, qua eleuatur ad esse sacramentale.

8 Quanuis hæc vnctio, sicut & quælibet alia aliorum sacramentorum debeat fieri in forma crucis; hoc tamen non est de essentia huius sacamenti, sicut est de essentia confirmationis. Nam vt diximus *de confirm. q. 1. art. 4. n. 7*; in tantùm vnctio per modum crucis est de essentia confirmationis; in quantùm per confirmationē homo conscribitur miles Christi sub vexillo crucis ad pugnandū cum hostibus fidei; per extremam Vnctionem autem vngitur solùm ad acquirendam salutem animæ, & corporis.

9 Vnctio fieri debet in septem partibus corporis, vt statuit *Flor;* scilicet *in oculis, auribus, naribus, ore, manibus, pedibus, et renibus.* Quòd si infirmus careat aliquibus ex his membris, vngendus est in parte viciniori. Ratio est; quia vnctio fieri debet in illis membris, quibus fuerunt commissa peccata; fit enim ad abstergendas peccatorum reliquias; sed per quinque sensus committuntur peccata, & in renibus residet vis concupiscentiæ; pedes verò sunt instrumenta, quibus ad exequenda peccata progreditur; ergo in his omnibus membris vnctio fieri debet. Vnctio tamen in renibus aliquando omittitur, præsertim in fœminis ob honestatem; & etiam in pedibus iuxta consuetudinem Ecclesiarum, cui semper inhęrendum est. Ex quo infert *Gibb. cum alijs pluribus* vnctionem quinque sensuum necessariam esse saltem necessitate præcepti, quia quinque sensus sunt initia omnium peccatorum. Quod verum esse de vnctione facienda *in Ecclesia Latina*, in qua est tale præceptum, nullus potest ambigere; non verò *in Ecclesia Græca*, in qua talis consuetudo non fuit, vt mox videbimus.

10 Vnctionem quinque sensuū esse necessariam etiam necessitate sacramenti ita, vt nulla seorsim sumpta sacramentum etiam partiale constituat; sicut quælibet species eucharistica, & quilibet ordo seorsim sumptus constituit sacramentum partiale, docent *Gibb; Sot; Bellarm; Val; Coninck; Laym; Gonet; Castro, apud quos alij*; quorum ratio est 1. In rebus spectantibus ad institutionem, & ritum sacramentorum habenda est ratio consensus Ecclesiæ vniuersalis, *PP; & Theologorum*; sed isti non approbant administrationem huius sacramenti in vllo casu etiam pestis, nisi organa quinque sensuum vngantur; vnde *Pastorale Ecclesiæ Mechlinien.* statuens *in morbis, & peste grassante, vt periculum vitetur, sufficere inungi organum sensus vnctioni magis expositum, ac detectum dicendo: Per istam sanctam vnctionem, & piissimam suam misericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, et tactum*; fuit correctum, & expunctus *hic canon in Syn. Diecæsana anno 1608*; vt testatur *Martinon. hic*; ergo vnctio quinque sensuum est de necessitate sacramenti. 2. Quia Christus Dominus in terris existens nunquam dimidiatam contulit sanitatem; ergo non est verisimile, quòd instituerit sacramentum, vi cuius infirmus acciperet dimidiatam remissionem reliquiarum peccatorum, qua absolueretur per vnctionem vnius sensus à reliquijs peccatorum per illum commissorum, & non ab alijs per alios sensus commissis. Ex hoc infert *Gibb;* quòd si sacerdos iudicet infirmum moriturum, antequam vnctiones omnes perficiat, non debet administrationem incipere.

11 Sed *Adrian. in materia de conf. ff. q. 4. §. Sed dubium; Io. Med. C. de conf. ff. q. 11. §. Secundo, Syluius, Beccan; Pont; Hiquæus, Vniuersitas Louanien. olim; Natalis Alex. & alij* probabiliùs putant quinque vnctiones non esse de necessitate sacramenti, sed tantùm præcepti. Ratio potissima est in contrarium adducta. Nam in ijs, quæ spectant ad essentiam sacramentorum maximè habenda est ratio consensus vniuersalis Ecclesiæ; sed vniuersalis Ecclesia non seruauit antiquitus quinque sensuum vnctiones; nam *Ecclesia Græca* teste *Simeone Tessalonicen. lib. de sacramentis* adhibuit vnctionem tantùm in fronte, genibus, mento, & manibus; & aliquando solùm in pectore, & pedibus, vt refert *Arcudius*; quam consuetudinem non reprobauit *Ecclesia Romana*; ergo quinque vnctiones non sunt de neces-

necessitate sacramenti. Imò etiam *in Ecclesia Latina* multa manualia, vt *Ecclesiæ Cameracen; & Attrebaten.* teste *Natali Alex.* habent, quòd in aliquibus casibus, vt pestis, possit fieri vnica vnctio. Nec refert, quòd *Syn. Meclinien.* suum pastorale correxerit; hoc enim fieri potuit ad seruandam necessitatem præcepti, quod etiam in illis casibus potest impleri, cùm sit æquale periculum vngendo vnum membrum, ac plura. Præterea consuetudo vnius particularis Ecclesiæ non inducit consuetudinem vniuersalem in totam Ecclesiam. Tum quia per vnicam vnctionem satisfit præcepto Diuino *à D. Iac.* promulgato: *Vngentes eum*; ergo saluatur essentia sacramenti. Tandem quemadmodum vt Christus Dominus integram corporis sanitatem conferret, non fuit necesse, vt omnia tangeret membra, in quibus erat infirmitas; sic vt institueret sacramentum remittens reliquias peccatorum quinque sensibus commissorum, non fuit necesse, vt vnctionem omnium, & singulorum sensuum ordinaret. Accedit, quòd cùm vnguntur oculi prolatis verbis, non suspenditur effectus verborum, & vnctionis, vsquedum alij sensus vngantur; sed statim sequitur ex opere operato; ergo habetur essentia sacramenti saltem partialiter; implicat enim dari effectum sacramenti sine sacramenti essentia, vt constat; quia effectus cuiuslibet rei supponit essentiam rei, à qua producitur. Nec per vnctionem vnius sensus dimidiata habetur remissio; quia quod tangitur, oculus vidit; & sic de alijs; ideo per vnctionem oculorum etiam reliquiæ aliorum sensuum soluuntur implicitè saltem, si non explicitè, vt de speciebus eucharisticis diximus. Illud verò, quod infert *Gibb*; quòd scilicet sacerdos non debet administrationem incipere, cùm dubitat se non posse omnes sensus inungere, est contra Ecclesiæ praxim; nullibi enim legitur, quòd debeat desistere, sed potiùs, quòd in summo periculo debeat extremam Vnctionem conferre, & ideo etiam in dubio, quòd ægrotus expiret, antequam omnes sensus vngantur.

12 Non esse tamen necesse vngere ambos oculos, ambas aures, ambas manus &c. omnes existimant; quia per vnctionem vnius tantùm vngitur totus sēsus, qui totus existit in qualibet parte; vnde sacerdos aliqua necessitate compulsus potest vnam tantùm ex his partibus vngere, vt omnes sensus inungat. Cùm autem ambos oculos vngit, licèt duas cruces efficiat, vnicam tamen verborum formam illis propriam debet proferre, cum vnicus sit in illis sensus visus; & sic de manibus &c. Manus laicorum debent inungi in parte interiori, sacerdotum verò in parte exteriori; quia in interiori vnctæ fuerunt in collatione ordinis sacerdotalis. *Ita S. Carol. vbi sup.* Priùs tandem pars dextera vngenda est, deinde sinistra; vt rectus ordo seruetur.

13 Sacerdos vtens oleo anni præteriti validè confert sacramentum; & si id agat aliqua necessitate coactus, etiam licitè confert; si autem extra necessitatem, grauiter peccat; agit enim contra ritum Ecclesiæ, quæ præcipit singulis annis consecrari nouum Chrisma, oleum infirmorum, & catechumenorum veteri combusto, vt habetur *de consecr. dist. 3. c. literis. Ita Gibb.* Ratio est. Oleum anni præteriti est verè consecratum, & consecratum manet; non enim illius consecratio data est tantùm ad tempus; ergo est materia apta ad validitatem sacramenti. Quia tamen Ecclesia iubet, vt singulis annis consecretur nouum, & adhibeatur; ideo transgreditur Ecclesiæ præceptum, qui aliter facit.

14 Si sacerdos post vnctionem vnius sensus moreretur, subrogandus esset alius sacerdos, qui alias vnctiones perficeret; sicuti si sacerdos post consecrationem panis decederet, substituendus esset alius sacerdos, qui sacramentum perficeret. *Ita communiter omnes DD. cum D. Thom. hic q. 19. art. 2. ad 3.*

A R T. I I I.

Quænam sit forma extremæ Vnctionis?

1 **F**Orma sacramenti extremæ Vnctionis traditur *à Flor. in decr. vnion. Per istam sanctam vnctionem, & suam pijssimam misericordiam indulgeat tibi Deus, quicquid peccasti per visum*; & sic de alijs sensibus. Eandem fuisse formam *apud Græcos, Armenos, & Latinos testatur catechismus Trid*; mutatis quidem verbis, sed idem prorsus significantibus; atque adeò deprecatoriè prolatis. Quamuis enim aliquando prolata sit modo enunciatiuo, seu tempore indicatiuo; attamen semper deprecatio coniungitur; vt habet *S. Greg. in sacramentario: Inungo te de oleo sancto, sicut vnxit Samuel David in Regem, & prophetam. Operare creatura olei in nomine Patris omnipotentis, vt non lateat illic spiritus immundus, neque in membris illius, neque in medullis, neque in vlla compagine membrorum, sed inhabitet virtus Dei altissimi, & Spiritus Sancti*; *& D. Ambr. Vngo te oleo sanctificante in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; vt more militis vncti præparatus ad certamen aereas possis superare potestates*; *& in lib. sacramentali Ecclesiæ Venetæ*, vt refert *Nat. Alex.* approbato *à Leone X. Vngo te &c; vt quidquid illicito visu deliquisti huius olei vnctione expietur*; Vel vt refert *Mostr. Vngo te oleo sancto, vt hac vnctione protectus fortiter stare valeas aduersus aereas cateruas*. Constat autem illa verba. *Vt non lateat &c; vt more militis &c; vt quidquid illicito visu deliquisti &c.* deprecatoria esse. Sicut autem non omnia verba allata sunt de essentia formæ, vt per *sanctam, & pijssimam suam misericordiam*; sed sola illa, quæ exprimunt personam ministri vngentis, vnctionem, & perso-

nam

nam vnctam; ita mutatio illorum verborum, vt *deliquisti*, loco *peccasti*; *remittat*, *absoluat*, vel *parcat*, loco *indulgeat*, non variant formæ substantiam. Ratio autem, cur sola forma extremæ Vnctionis deprecatoria esse debeat, ut colligitur *ex Iac. 5. Orent super eum, & oratio fidei saluabit infirmum*; est; quia minister in hoc sacramento se habet nedum, vt collator, sed etiam, vt intercessor misericordiæ Diuinæ in iudicio Dei ab infirmo decedente mox obtinendæ; & sanitatis corporis impetrandæ, si saluti animæ expediat. Non est tamen necesse, quòd in forma exprimatur corporis sanitas; sufficit enim exprimi effectum principalem, vt subintelligatur etiam effectus ex illo consequens; nam cùm peccata sunt causa infirmitatis corporis; sufficit deprecari pro remissione peccatorum, vt intelligatur etiam deprecatio pro sanitate corporis. Sed hęc congruentia est; ratio à priori est Christi Domini voluntas, quæ ita ordinauit.

2 Ex dictis sequitur *cont. Bonac.* validam esse formam; qua quis diceret: *Vngo te, vt Deus tibi remittat, quidquid &c*; mixta enim est ex indicatiuo, & deprecatiuo; & hoc modo in aliquibus Ecclesijs fuit in vsu, vt dictum est.

3 Quæritur 1; an cuilibet vnctioni correspondere debeat sua forma partialis; vel in aliquibus casibus sufficiat vngendo omnes sensus proferre formam in generali dicendo: *Quidquid deliquisti per omnes sensus*; nullum in particulari exprimendo; vel exprimendo omnes simul: *Quidquid deliquisti per visum, auditum &c?*

Resp. *Castro Palao, Gonet, Gibb; & alij* negatiuè; quia sicuti ad ualiditatem sacramenti requiruntur quinque distinctæ unctiones; ita requiruntur quinque distinctæ formæ partiales. Sed *Sua; & alij* probabiliùs respondent affirmatiuè; falsum est enim requiri quinque vnctiones, ut diximus. Deinde sicut ualet baptismi forma prolata in plurali, cùm dicitur: *Baptizo vos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; ut diximus *de bapt. q. 4. art. 2*; qua unica prolatione formæ plures homines sunt uerè baptizati; ita à pari,

4 Quæritur 2; an hoc sacramentum sit unum in specie athoma?

Resp. conformiter ad ea, quæ diximus *de euchar. q. 2. art. 7*; affirmatiuè; quia unitas specifica athoma non desumitur ex partibus essentialibus, quæ integrant rem; ex anima namque, & corpore, quæ differunt genere, non desumitur duplex unitas specifica hominis; non enim ex illis constituitur duplex homo specie distinctus; ergo neque ex unctionibus partialibus, & earum formis, quibus coalescit hoc sacramentum, desumitur unitas, seu multitudo specifica illius. Desumitur ergo per ordinem ad finem, ad quem ordinatur, scilicet ad impetrandam salutem animæ, & corporis; quæ, cùm una sit, quia una est uita, qua uiuit corpus, & anima; corpus enim uiuit uita animæ; ideo unum quoque specie est hoc sacramentum. An autem sit etiam unum numero; uel resp. negatiuè, ut diximus *de euchar*; & *inf.* dicemus *de ord.* Vel potest dici unum ex pluribus partibus incompletis constitutum.

5 Collig. ex dictis *cont. Gonet, & alios* falsum esse, quòd gratia non producatur, nisi in prolatione ultimæ formæ; non enim suspenditur gratia post prolationem primæ formæ, ut diximus; & sicut conuersio panis in corpus Christi Domini non suspenditur usque ad prolationem uerborum consecrationis sanguinis; ita à pari dicendum quamlibet unctionem statim causare suum effectum partialem, seu gradum effectus illi correspondentem; & per ultimam unctionem compleri.

6 Definitur extrema Vnctio *signum sacrum efficax gratiæ in vnctione infirmorum sub præscripta verborum forma ad sanitatem mentis, & corporis a Christo Domino institutum.*

ART. IV.

Quinam sint effectus extremæ Vnctionis?

1 Certum est *apud omnes DD.* extremam Vnctionem causare secundam gratiam, seu augmentum gratiæ, est enim *sacramentum viuorum*, cuius proprium est augere gratiam per se; licèt per accidens possit etiam causare primam gratiam; ut cùm quis existens in statu peccati mortalis bona fide existimans se esse in statu gratiæ cum attritione supernaturali sufficiente ad obtinendam gratiam in sacramento pœnitentiæ suscipit extremam Vnctionem; ut diximus *de sacram. in com. q. 3. art. 2.* Hic autem effectus est communis omnibus sacramentis uiuorum; & ideo de hoc nulla est lis in præsenti.

2 Præter istum effectum quatuor alij colliguntur etiam à *PP. Trid. hic c. 2.* ex uerbis *Iac. 5. Oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* Primus est remissio peccatorum; non quidem originalis, quia ad hoc tollendum institutum est sacramentum baptismi; nec mortalium, quia ad hæc instituta est pœnitentia; ideo de solis uenialibus est intelligenda; *sine quibus*, inquit *S. P. Aug. in Enchir. c. 78; & in sent. decerpt. sent. 46; mortalis hac vita non ducitur.* Quatenus ergo uenialia remorantur animam ab ingressu Cœlorum, ab hoc sacramento, quod ad ingressum immediatè disponit, tolluntur. Secundus est abstergere peccatorũ reliquias, quæ gloriæ consecutionem impediunt. Per *reliquias* autem *peccatorum aliqui* intelligunt peccata uenialia; ut tribuitur *D. Bon; Altisiodor; Dur; Scot; Abulen; & Nauar;* sed perperam; nam *Trid. vbi sup.* hos effectus distinguit, scilicet *delicta, si qua sint adhuc expianda*; quo uniuersaliter remissionem omnium pec-

peccatorum significat; & posteà subdit; *ac peccati reliquias abstergit*; quibus uerbis expressè docet *per reliquias peccatorum* non esse intelligenda peccata uenialia; aliter bis idem repeteret. Nomine ergo *reliquiarum peccati* rectiùs intelliguntur effectus, seu puræ pœnalitates ex ipsis peccatis relictæ; ut pronitas ad malum, & torpor ad bonum, ac infirmitas mentis per ordinem ad meditanda cœlestia; ut docet *S.P. Aug. lib.15. de Trin. c. 27.* Istæ enim rectè uocantur *peccatorum reliquiæ*, quia ex peccato relictæ sunt. Istæ autem reliquiæ non tolluntur omnino in hac uita mortali; sed ita debilitantur, & reprimuntur, ut mentem ægroti non impediant à contemplatione rerum Diuinarum, quæ pertinent ad illius salutem. Tertius effectus est ægroti animam alleuiare, & confirmare magnam Diuinæ misericordiæ fiduciam in eo excitando, qua & incommoda, ac morbi molestias hilariter ferat, & in spem melioris uitæ quadam interiori consolatione perfusus erigatur; ac Diaboli tentationibus faciliter, & constanter resistat; ut habet *Trid. vbi sup.* Quartus effectus est sanitatem corporis, si saluti animæ expedierit, causare; vt explicant *Flor. in decr. & Trid. vbi sup*; quod colligunt ex illis verbis: *Oratio fidei saluabit infirmum*; cùm enim *D. Iac.* de infirmitate corporis loqueretur, consequens est; vt verba allata ad salutem corporis referat. Neque officit, quòd alijs sacramentis nouæ legis annexa non sit promissio alicuius boni temporalis; in hoc enim distinguuntur sacramenta noua à veteribus, vt docet *S.P. Aug. ep. 120; & in Enchir. c. 66.* Non obstat, inquam; nam quia morte nihil est terribilius, & nihil magis in mortis articulo expetitur, quam vitæ prorogatio; ideo ad animæ solamen uoluit misericors Dominus in extrema Vnctione, quæ datur animæ in auxilium in mortis articulo, coniungere cum spe vitæ æternæ, quæ principaliter intenditur, etiam promissionem vitæ temporalis; cum ea tamen subordinatione, vt, si expedierit æternæ saluti, tantùm sequatur. Nec rursus obstat, quod obiecit *Luth. apud Io. Roffen. in assert. 7. sacramentorum*; sanitatem corporis non semper sequi, sed raró contingere; propter quod videtur connumerari non posse inter effectus cuiuslibet sacramenti; quod producit suos effectus ex opere operato. Non obstat, inquam. 1. Nam quanuis effectus absolutè sequens ad sacramenti collationem, semper, si non sit obex, sequatur; attamen hoc dici nequit de effectu conditionatè sequente; hic enim actu non sequitur, nisi purificetur conditio; vnde cùm sanitas corporis non sequitur, euidens est animæ saluti non expedire; quæ est conditio ponenda, vt sequatur corporis sanitas. Tum quia quanuis non sequatur sanitas corporis ex integro; attamen sequitur aliqua corporis subleuatio, qua ita non sentitur vis morbi; quæ per hoc sacramentum reprimitur. Tandem quia, vt ait *Catechismus Conc*; aliquando ponitur obex, non quidem ad gratiam, sed ad sanitatem corporis, quæ est secundarius effectus. *His supp.* quæritur, quinam ex his effectibus sit primarius, & in ordine ad quem principaliter institutum sit hoc sacramentum?

3 Prima sententia vult effectum primarium huius sacramenti esse remissionem peccatorum venialium. *Ita D. Bon; Alen; Ricard; Aureol; Altisiodor; Maior; Gabr; Dur; Scot. cum suis*, quem explicandum ait *Mastr. hic disp. 6. q. 4. n. 63.* solùm de remissione finali, quæ tantùm huic sacramento potest conuenire. *Alij* addunt hoc sacramentum institutum fuisse ad delenda omnia peccata, quæ non fuerunt per alia sacramenta remissa, siue sint mortalia, siue venialia; & ad roborandum animum infirmi, & patienter tolerandas morbi difficultates, tentationesque vincendas in articulo mortis occurrentes; & si expedierit animæ saluti, etiam ad sanitatem corporis acquirendam. *Ita Estius*, qui vult omnes allatos effectus integrare vnum effectum totalem primarium. Sequuntur *Bellarm; Aucrs; & Amic.* Eandem sententiam paucis mutatis videntur docere *Sua; Coninch; Becc; Laym; & alij*, qui asserunt effectum proprium, & primarium huius sacramenti esse confortare animam infirmi contra difficultates, & tentationes occurrentes in articulo mortis quibusdam Diuinis auxilijs ad hoc specialiter ordinatis; ex consequenti verò non quidem merè per accidens, sed aliquo modo per se, non tamen ex primaria, sed ex secundaria intentione esse remissionem omnis culpæ siue mortalis, siue venialis, & reatus pœnæ ex peccato relictæ, modò in subiecto non sit obex, qui est, quando ægrotus cum peccato inuincibiliter ignorato suscipit hoc sacramentum.

4 Secunda sententia censet non fuisse primò, & per se institutum ad tollenda peccata, sed ad tollendas peccatorum reliquias, idèst eas, quæ ex peccatis relinquuntur, quæ reliquiæ peccatorum dicuntur; scilicet infirmitas, torpor, difficultas ad bene operandum &c; proptereà hoc sacramentum appellatur *animæ spiritualis sanatio*; & ideo sicut medicina in infirmo supponit vitam; ita hoc sacramentum supponit in suscipiente peccata remissa per gratiam; proptereà dicitur *sacramentum viuorum*; quamuis per accidens possit etiam gratiam conferre, & peccata remittere, si obicem in suscipiente non inueniat. *Ita D. Tho. hic q. 30. art. 1; omnes Thomistæ, & ex nostris Gibb;* nec dissentiunt *Sua; Valent; Coninch; Layman; Bellarm; & alij.*

5 Hæc controuersia est potiùs de modo loquendi, quàm de re; *omnes* enim tenentur concedere prædictos effectus ab hoc sacramento præstari; cùm *Trid.* expressè asserat *ex D. Iac.* eos omnes deduci, *vt sup.* notauimus. Imò forsan illi

illi effectus non distinguuntur realiter inter se; cùm gratia per hoc sacramentum collata possit omnes illos efficere; sicut enim effectus pœnitentiæ, quos enumerat *Fund. Doct. Æg. Quodl.* 2. *q.* 28; scilicet remittere culpam, satisfacere pœnæ, roborare animam, reconciliare cum Deo, & cum Ecclesia triumphante, ac militante; non sunt res distinctæ realiter; quia ex eo, quòd conferatur animæ gratia remissiua culpæ, roboratur, reconciliatur cum Deo &c; ita ex eo, quòd conferatur ægroto gratia propria extremæ Vnctionis, quæ tollit peccatorum reliquias, torporem &c; tolluntur etiam venialia, quæ sunt tepores animæ, & effectus infirmitatis naturæ, roboratur &c. Vnde ad summum potest inquiri; quænam ratio, seu quinam effectus ex istis primariò competat huic sacramento, & sit ei peculiaris; quinam verò sit ei communis cum alijs sacramentis; quod discutietur faciliter, si aliorum sacramentorum effectus ad examen vocentur.

6 Vnica concl. Effectus primarius, per ordinem ad quem institutum fuit sacramentum extremæ Vnctionis, est roborare animam in articulo mortis, vt valeat superare illa omnia, quæ possunt illam impedire ab ingressu immediato Cœlorum; alij autem effectus, vt remittere peccata etiam finaliter, tollere torporem, consolationem internam infundere sunt effectus extremæ Vnctionis solùm, quatenus coniunguntur cum roboratione animæ in mortis articulo; præcisa enim illa possunt esse alijs sacramentis communes.

Prob. 1. p. concl. euidenti argumento ex naturalibus ducto. Illud, in ordine ad quod extrema Vnctio est per se primò instituta, & ordinata, est effectus primarius, & principalis illius; sed roboratio animæ ad superanda omnia, quæ illam impediunt in articulo mortis ab ingressu immediato Cœlorum, est illud, ad quòd per se primò est instituta, & ordinata extrema Vnctio; ergo roboratio animæ ad superanda omnia impedientia ingressum Cœlorum in articulo mortis est effectus primarius, & principalis extremæ Vnctionis. Ma. constat; nam primum est illud, quod non est per aliud, sed omnia sunt per ipsum; non enim habet causam in illo genere, aliter non esset primum; causa namq; est prior effectu, & consequenter est prima; & est causa cęterorum. Prob. mi. Introductio formæ per extremam Vnctionem productæ est id, ad quod per se primò instituta, & ordinata fuit extrema Vnctio; sicut enim in naturalibus introductio formæ ignis in lignum est id, ad quod ordinatus est per se primò ignis; & quanuis ordine executionis priùs sit remissio, & expulsio frigoris, humiditatis, & aliorum contrariorum, quæ ingressum formæ ignis impediunt; attamen nemo negaret introductionem formæ ignis in lignum esse effectum per se primum, & principalem ignis agentis, quia hæc est per se primò intenta ordine intentionis; tum quia ratio formalis expellendi contraria est introductio formæ oppositæ; in tantùm enim illa expelluntur, in quantùm hæc introducitur; ideo remissio, & expressio contrariorum est effectus secundarius secundariò intentus; intenditur enim, & fit ratione alterius; sed roboratio animæ ad superanda omnia impedientia ingressum Cœlorum est introductio formæ, idêst gratiæ roborantis; sicut combustio est introductio formæ ignis comburentis; ergo roboratio animæ ad superanda omnia impedientia ingressum Cœlorum in articulo mortis est id, ad quod per se primò est instituta, & ordinata extrema Vnctio.

7 Ex hoc reijciuntur *aliorum* sententiæ. Nam remissio, & expulsio contrariorum in ordine naturali non est effectus primarius, & per se primò intentus, ad quem ordinatur per se agens naturale; & remissio corporis, infirmitatis, & languoris naturæ non est effectus per se primò intentus à medicina, sed introductio sanitatis, per quam formaliter expelluntur ista omnia; sed remissio peccatorum siue venialium, siue mortalium, & torporis, infirmitatis, & languoris naturæ se habet in ordine supernaturali; sicut se habet in ordine naturali remissio, & expulsio contrariorum; ergo remissio, & expulsio peccatorum venialium, siue mortalium, teporis, torporis, infirmitatis, languoris, difficultatis, & aliarum omnium reliquiarum peccati non est effectus primarius, & per se primò extremæ Vnctionis.

8 Prob. 2. pars concl. Etiam alia sacramenta, & præcipuè pœnitentia, eucharistia, & confirmatio habent remittere venialia finaliter; vt si quis immediatè decedat post sumptionem horum sacramentorum; & habent roborare animam, vt resistat tentationibus, & insidijs Diaboli, vt diximus *ex Fund. Doct. Æg. vbi;* & est doctrina communis *SS. PP.* asserentium homines ex frequentatione sacramentorum magis roborari ad vincendas tentationes; & Diabolum magis infirmari, pauescere, & contremiscere; & ratio est; quia augetur gratia, & per consequens augentur animæ vires, quæ sunt dona, & proprietates gratiam sequentes; ergo nisi hæc roboratio, & confortatio limitetur ad suparandas tentationes, insidias, difficultates, & cætera impedimenta, quæ in articulo mortis remorantur animam ab ingressu Cęlorum, non sunt effectus proprij solius extremæ Vnctionis, sed alijs etiam sacramentis communes.

9 Nomine autem *articuli mortis* nedum intelligitur ille punctus, ad quem sequitur infallibiliter mors; sed etiam intelligitur periculum grauissimum, in quo pręuidetur moraliter mors; metus enim mortis ab ægroto præuisæ ipsum grauissimè grauat, & opprimit, ac impedit, ne ad rerum Diuinarum contemplationem, & vitę æter-

æternæ ſpem aſſurgat; & hoſtes inuiſibiles tunc ſuas exerunt vires, vt ipſam in peccatum deijciant, & in deſperationem inducant. Gratia ergo, quæ per extremam Vnctionem confertur ægroto; & quæ *delicta* (inquit *Trident.*) *ſi quæ ſint adhuc expianda, ac peccati reliquias abſtergit, & ægroti animam alleuiat, & confirmat, magnam in eo Diuinæ miſericordiæ fiduciam excitando, quâ infirmus ſubleuatus, & morbi incommoda, ac labores leuiùs fert; & tentationibus Dæmonis calcaneo* (idêſt fini vitæ) *inſidiantis faciliùs reſiſtit; & ſanitatem corporis interdum, ſi ſaluti animæ expedierit, conſequitur*; eſt effectus proprius, & peculiaris extremæ Vnctionis.

10 Obijc. 1. *Maſtr. cum alijs primæ ſententiæ.* Ille eſt effectus primarius extremæ Vnctionis, quem primo loco enumerat *Trid*; ſed remiſſio peccatorũ enumeratur primo loco *à Trid*; vt patet ex eius verbis *ſup.* adductis; ergo eſt effectus primarius. 2. *Catechiſmus Trid.* iuſſu *PyV.* editus aſſerit extremam Vnctionem fuiſſe præcipuè inſtitutam ad remittenda venialia; ergo idem. 3. Ille eſt effectus primarius alicuius ſacramenti, quem explicitè ſignificat forma propria illius ſacramenti; nam forma cauſat id, quod ſignificat; ſed forma extremæ Vnctionis explicitè ſignificat remiſſionem peccatorum; dicitur enim: *Indulgeat tibi Deus, quidquid deliquiſti per viſum*: ergo remiſſio peccatorum eſt effectus primarius extremæ Vnctionis. 4. Datur aliquod ſacramentum per ſe inſtitutum ad tollendum peccatum originale; idêſt baptiſmus; & aliud ad tollendum peccatum perſonale commiſſum poſt baptiſma, idêſt pœnitentia; ergo datur etiam aliud per ſe inſtitutum ad tollenda peccata venialia, quod eſt extrema Vnctio.

Reſp. ad 1. neg. ma; non enim eſt ratio, cur effectus primo loco *à Trid.* potiùs, quàm illic *à D. Iac.* primò enumeratus debeat eſſe effectus primarius; conſtat autem remiſſionem peccatorum *à D. Iac.* vltimo loco enumerari. *Trid.* ergo enumerat effectus extremæ Vnctionis ordine executionis, ſecundùm quem ordinem extrema Vnctio eſt perfectio, & complementum pœnitentiæ, & eodem ordine in naturalibus prior eſt remiſſio, & expulſio formæ contrariæ, quàm nouæ formæ introductio; & ideo in hoc ſenſu ma. eſt falſa; vt patet ex dictis. *D. Iac.* autem illos enumerat ordine intentionis, & ideo ab vtroque licèt ordine præpoſtero rectè enumerantur. Prætereà dicitur *Trid.* priùs enumerare gratiam, quod nequit intelligi, niſi de gratia roborante modo, quo diximus. Ad 2. dicitur eodem modo; *Catechiſmus* enim eſt quædam inſtructio, vt nomen ſonat, extracta *ex Trid.* ad edocendos parochos, vt inſerat *Trid*; ideo eodem ordine executionis, quo locutum fuerat *Trid*; debuit extremæ Vnctionis effectus enumerare. Ad 3. diſt. ma. Quem principaliter ſignificat forma ſacramenti, conc; & in hoc ſenſu neg. mi; nam forma extremæ Vnctionis principaliter ſignificat gratiam, per quam nedum confertur indulgentia peccatorum, ſed etiam roboratur anima ad ſuperandas difficultates, tentationes &c. Minùs principaliter, neg. Prætereà dicitur, quòd quoties plures effectus ſunt connexi, tunc ad conſignificandum alios ſufficit vnum ſignificare, etiamſi ſit poſterior; ſicuti licèt gratia regenerans ſit effectus primarius baptiſmi, quia tamen cum ipſa coniungitur ablutio à peccato originali, & à peccatis perſonalibus commiſſis ante baptiſmum, ideo forma baptiſmi ſignificans ablutionem à peccatis conſignificat gratiam regenerantem, quæ eſt effectus primarius baptiſmi; & ratio huius eſt, quia vt *ſup.* dicebamus, id nobis magis innoteſcit, quod eſt prius ordine executionis, ex quo, tanquam ex poſteriori, arguimus illud, quod eſt prius in intentione; noſter nanque modus cognoſcendi pro hoc ſtatu imperfecto eſt à poſteriori; ideo forma ſacramenti debet explicitè ſignificare ſolùm effectum ſecundarium, & in hoc ſenſu, neg. ma. Ad 4. neg. conſ; venialia nanque remittuntur etiam per ſacramentalia extra ſacramenta, & per omnia ſacramenta; ideo non fuit neceſſe aliquod ſacramentum peculiare pro remiſſione illorum inſtitui.

11 Obijc. 2. *Gibb. cum alijs. D. Iac.* primo loco enumerat robur, & confortationem; ſed hoc nequit intelligi, niſi reſpectu remiſſionis corporis, languoris, & difficultatis, quæ in articulo mortis obijcitur; ergo horum remiſſio eſt effectus primarius extremæ Vnctionis. 2. Proprius effectus huius ſacramenti *iuxta Trid.* eſt tollere reliquias peccatorum; ſed per reliquias peccatorum non poteſt intelligi, niſi languor, & difficultas naturæ ad benè operandum in articulo mortis; nam per ipſum non tollitur fomes peccati, neque pœna temporalis in purgatorio ſoluenda, neque peccata, vt dictum eſt; ergo idem.

Reſp. ad 1. *D. Iac.* enumerare ptiùs gratiam alleuiantem, quæ eſt effectus primarius; vt diximus, & quanuis hæc gratia ſit remiſſiua torporis &c; non tamen ſequitur, quòd hæc remiſſio ſit effectus primarius; ſicut quanuis introductio nouæ formæ ſit expulſio veteris, dici nequit, quòd expulſio ſit effectus primarius; diſt. igitur mi. Nequit intelligi, niſi reſpectu torporis tanquam effectus primarij, neg; tanquam effectus ſecundarij, conc. Ad 2. diſt. ma. Effectus primarius, neg; ſecundarius, qui, quatenus eſt coniunctus cum primario, eſt proprius huius ſacramenti, conc.

12 Dices. Infirmus hoc ſacramento debitè ſuſcepto non euolat immediatè ad gloriam: ergo non confortat ad remouenda omnia impedientia ab ingreſſu immediato ad gloriam.

Reſp. diſt. ant. Si nulla remaneat pœna temporalis in alia vita ſoluenda, neg, ſi remaneat,

neat, conc; remouet autem omnia impedientia in hac vita, non in alia vita; quia remouet insidias, & difficultates ad bene agendum; pœna autem temporalis nec insidiatur, nec difficultat bonam actionem. Verum tamen est, quòd aliquid remittit etiam de pœna in alia vita ferenda iuxta dispositionem, qua ab infirmo suscipitur; sicut remittunt alia sacramenta.

13 Quæres 1; an extrema Vnctio fictè suscepta recedente fictione causet suum effectum?

Resp. *Gibb. cum Sua*; *et Castro* probabile esse, quòd causet, quia cùm non sit iterabilis in eadem infirmitate, videtur Diuinæ clementiæ consonum, vt recedente indispositione animi ad illam recipiendam infirmus non priuetur fructibus illius. Sed hæc ratio non subsistit; nam etiam eucharistia non est iterabilis super ijsdem speciebus, & tamen recedente fictione, seu indispositione, qua semel fuit suscepta, suum effectum non causat. Tum quia licèt extrema Vnctio fructuosè suscepta non sit iterabilis; attamen fictè suscepta iterabilis est; sicut iterabilis est baptismus, si fuerit susceptus sine intentione illum recipiendi. Tum quia sicut pœnitentia fictè suscepta recedente fictione suum effectum non causat, sed est iteranda; nec hoc Diuinæ clementiæ præiudicat; ita extrema Vnctio fictè suscepta ablata fictione suum non producit effectum, sed est iteranda; est enim perfectio, & complementum pœnitentiæ; & complementum sequitur naturam rei, quam complet; nam vt dicebamus *suo loco*, in tantùm baptismus recedente fictione causat suum effectum; in quantum causat caracterem, in quo tanquam in suo effectu virtualiter durat, & ideo potest suum effectum causare remoto impedimento; pęnitentia autem fictè suscepta nullum prorsus causat effectum, ideo virtualiter non durat; & causa non existens formaliter in se ipsa, nec virtualiter in suo effectu nihil potest causare; nam *causa in tantùm agit, in quantùm actu est*, vt docet *Phil*; sed etiam extrema Vnctio fictè suscepta nullum prorsus causat effectum; ergo idem de ipsa dicendum; nec Diuinæ elementiæ præiudicatur, sicut non præiudicatur in pęnitentia.

14 Quæres 2; quodnam sit in extrema Vnctione illud, quod est sacramentum tantùm, & res sacramenti; & sacramentum simul, & res sacramenti?

Resp. *Trid. c.1; & 2.* sacramentum tantùm esse ipsam vnctionem, quæ significat gratiam; rem sacramenti tantùm esse ipsam gratiam; rem autem sacramenti, & sacramentum simul esse ipsam alleuiationem infirmi, seu roborationem, consolationem, ac deuotionem internam, quæ per vnctionem significatur, & significat gratiæ augmentum.

Q V Æ S T. I I.

De ministro, & subiecto extremæ Vnctionis.

EX dictis *de pænit. q. 2; & 3.* constare possunt ea, quæ in dubium voeari possunt de ministro, & subiecto receptiuo extremæ Vnctionis; cùm enim hæc sit illius perfectio, & complementum, eodem modo de ista, ac de illa est loquendum. Solùm itaque aliqua, quæ huic sunt propria, sunt explicanda.

A R T. I.

Quinam sit proprius minister extremæ Vnctionis?

1 REcentes hæretici, quos refert, & damnat *Trid. sess. 14. cap. 3; & can.4*; dixerunt ministros huius sacramenti esse homines ætate seniores, aut principaliores populi. *Vvalden. verò lib. 2. de sacram. c. penult.* voluit in absentia sacerdotis posse laicum validè, & licitè ministrare hoc sacramentum propter auctoritatem *Innoc. I. inf.* adducendam.

2 Vnica concl. Dogma fidei est solum sacerdotem ab Episcopo ritè ordinatum posse validè administrare extremam Vnctionem; Episcopum quidem, & parochum ex officio, sacerdotem autem simplicem ex delegatione, qui tamen validè, quanuis illicitè, ministraret, si delegatus non esset.

Prob. 1. pars *ex D. Iac.* asserente infirmum debere inducere *præsbiteros Ecclesiæ*, vt inungatur; nomine autem præsbiterorum intelligendos esse ritè ordinatos ab Episcopo, non autem laicos ostendimus *de pænit. q. 3. art. 1.* Sic intellexerunt *Orig. hom. 2. in Leuit; S. Chrisost. lib. 3. de sacerdotio; & Innoc. I. ep. ad Decent*; & tandem *Trid. vbi s.* Ratio est. Minister pęnitentiæ est solus sacerdos, vt probauimus *loc. cit*; ergo & minister extremæ Vnctionis, quæ est perfectio, & complementum pęnitentiæ; nam perficiens, & complens aliquam rem nequit esse minoris conditionis, quàm sit ille, qui rem illam incepit; sed potiùs maioris virtutis; vt patet de ministro confirmationis, quæ, quia est perfectio baptismi; ideo licèt baptismus possit etiam conferri à laico propter eius absolutam necessitatem; attamen confirmatio nequit conferri, nisi ab Episcopo, vel à sacerdote ex dispensatione

solius

folius Summi Pontificis, vt diximus *de confirm. q. 3. art.* 1. Vel saltem debet esse æqualis virtutis; aliter imperfectior perficeret, quod rationi repugnat. Nec requiritur, quòd sint plures sacerdotes, vt validè ministretur extrema Vnctio, sed sufficit vnicus; quanuis enim *D. Iac.* asserat esse vocandos *Ecclesiæ præsbiteros*, quibus verbis designatur sacerdotum pluralitas; attamen hoc est; quia sicut ex eo, quòd Christus Dominus in plurali dixit: *Quorum remiseritis peccata &c.* non sequitur, quòd ad ministrandum pœnitentiæ sacramentum plures sacerdotes sint necessarij; ita à pari. Hoc definiuit *Alex. III. de verbor. signific. c. quæsiuit.* Sensus igitur est: *Inducat aliquem ex præsbiteris Ecclesiæ*; sic loquitur *S. P. August. serm.* 13. *de diuersis*; vbi refert quandam mulierem, quæ vitam mortuo filio impetrauit, tulisse eum ad præsbiteros, idest *per anallagem numeri* ad aliquem præsbiterorum; vt diximus *q.* 1. *art.* 1. *n.* 11.

3 Prob. 2. pars concl. ex dictis. Potestas conferendi extremam Vnctionem competit ratione ordinis præsbiteratus, vt habetur *ex Diuo Iac.* ergo quilibet sacerdos potest validè illam conferre. Quòd autem Episcopis, & parochis ex officio conueniat ministrare hoc sacramentum, prob. ex eo, quòd illis solùm conuenit pascere gregem pabulo sacramentorum, cùm sint ad officium pastoris assumpti. *Vid. Catechismum Trid. q.* 2. §. 27. Tandem quòd simplex sacerdos illicitè hoc faciat, habetur *ex Clementin.* 1. *de priuilegijs*; vbi Religiosi, qui sine licentia parochi hoc sacramentum ministrare præsumunt, excommunicatione reseruata Papæ innodantur; non tamen *ibid.* dicitur sacramentum sic ministrarum inualidum esse, atque adeò reperendum; ideo quanuis illicitè, validè tamen simplex sacerdos illud ministrat. Ratio est. In tantùm pœnitentia sine iurisdictione ministratur nedum illicitè, sed etiam inualidè; in quantùm est formaliter iudicium spirituale, ad cuius validitatem requiritur essentialiter iurisdictio; sed extrema Vnctio non habet rationem iudicij, sed deprecationis, eius enim forma non est per modum sententiæ, sed deprecationis; quilibet autem habens potestatem deprecandi validè deprecatur; ergo quilibet sacerdos etiam sine parochi, vel Episcopi licentia potest hoc sacramentum validè, quanuis illicitè ministrare.

4 Obijc. *Vualden. Innoc. I. vbi s.* ait: *Non est dubium de fidelibus ægrotantibus intelligi debere, qui sancto oleo chrismatis perungi possunt, quo ab Episcopo confecto non solùm sacerdotibus, sed omnibus Christianis vti licet in sua, aut suorum necessitate*; ergo in casu necessitatis quilibet fidelis etiam laicus potest esse huius sacramenti minister.

Resp. *Innoc.* loqui de vsu passiuo, qui idem est, ac susceptio, non de actiuo, qui idem est, ac collatio; loquitur enim de vsu, quo *perungi* possunt, vt ait Pontifex; non autem de illo, quo possunt perungere. Neg. igitur conf.

5 Quæres 1; an ad licitam administrationem sufficiat licentia præsumpta; vt cùm maxima est infirmi necessitas, & parochus est absens, vel nequit, aut non vult ministrare, nec licentiam ministrandi concedere?

Resp. *Gibb. Sua; Valent; Coninch; Laym; Bonac; Castro; & alij* affirmatiuè; tunc enim præsumitur Episcopi, vel Papæ licentia; intendunt enim omnibus infirmis catholicè morientibus ministrandum esse hoc sacramentum; & nullo modo velle incuria, vel malitia parochi eos hoc præsidio priuari. Imò si hunc casum aduerterent, licentiam alteri expressè concederent; atque adeò per epicheiam censetur eam concedere.

6 Quæritur 2; an hoc sacramentum à pluribus possit simul ministrari?

Resp. posse validè ministrari. 1. Si sacerdos moriatur, postquam vnxit vnum sensum; tunc enim subrogandus est alius sacerdos; vt *q.* 1. *art.* 2. *n.* 14. iam diximus. 2. Si vnus sacerdos vngeret vnam partem, & proferret eius formam; & simul alius alteram proferendo formam illi correspondentem casu, quo prudenter putaretur infirmum esse moriturum, antequam omnes partes vngerentur ab vno, validè ministraretur; sunt enim plures vnctiones partiales, quæ à pluribus causis partialibus possunt præstari. 3. Si vnus vngeret, & alter formam proferret, inualidum esset sacramentum; falsa enim esset forma; quia proferens verba dicit se vngere, quod verum non esset.

7 Quæres 3; an teneatur parochus tempore pestis ministrare hoc sacramentum?

Resp. non teneri, si adsit periculum moraliter certum, & ineuitabile mortis. *Sua; Gibb; Bonac; Palao, & alij.* Secus verò; si periculum non sit. Nam hoc sacramentum non est necessarium simpliciter; & aliunde parochus potest infirmum à longè hortari ad illud desiderandum; sic enim votum sacramenti sufficeret.

8 Parochus omnem diligentiam debet adhibere, vt ægrotis hoc sacramentum opportuno tempore conferat; ne sua culpa sine illo moriantur *Conc. Mediolan.* V. Non debet expectare punctum mortis, sed sufficit quòd adsit periculum; debet enim illud administrare, dum æger sanis est sensibus *Catechism. vbi s.* §. 18; *et Conc. Mediol. I; & S. Carol. in instruction.*

§. 1.

De visitatione infirmorum.

9 Parochus tenetur suos parochianos grauiter ægrotantes quotidie visitare per se, vel per alios, eorumque subuenire indigentiæ tum corporali, tum spirituali illis exhiben-

christianæ pietatis, & charitatis officia. *Conc. Agathen. relatũ à D. Carolo in instructionib. de visitat. & cura infirmorũ; & Mediol. V.* Ægritudinis, & ægroti statum debet inquirere, vt opportuna possit remedia suggerere. Ad ægritudinem patienter ferendam in pœnam suorum peccatorum debet hortari. Vt de peccatis conteratur, atque illa confiteatur; & si Dei gratia conualescat; vt vitam emendare proponat. Vt eleemosinas pro facultatum suarum ratione, antequam moriatur, distribuat; ijs enim extinguuntur peccata; vt missas, aliaque opera pia sibi præmittat. Vt mortem non timeat; ex qua vitam immortalem consequi speret; sathanam posse allicere ad peccatum, sed non deijcere; in nomine Iesu fugari. Vt se se contra conscientiæ remorsum per sacramenta pœnitentię, eucharistiæ, & extremæ Vnctionis communiat. Vt ad ferendos mortis dolores contemplatione passionis Christi Domini se erigat. Vt speret se inuenturum post mortem Deum amantissimum Patrem, si anteactæ vitæ ex corde pęniteat, vt decet amantissimum filium. Hæc *D. Carol. vbi s.*

10 Præterea debet satagere, vt excitet in ęgroto fidem, & spem viuam, atque adeò actum charitatis in Deum, quia summè bonus, & misericors est; vt habetur *lib. de visitat. infirmorum apud S. P. Aug. to. 9.*

11 Debet insuper hortari ad condendum testamentum, dum integris sensibus est; & si filios habet, ad relinquendum ipsis necessaria ad viuendum conformiter ad suum statũ, priusquam de pijs causis cogitet, & disponat; vt ait *S. P. Aug. serm. 49. de diuersis: Quicunque vult exhæredato filio hæredem facere Ecclesiam, quærat alterum, qui suscipiat, non Augustinum; imò Deo propitio neminem inueniet;* pietas enim erga Ecclesiam nequit impietatem erga filios secum ferre; aliter pura, & simplex pietas non est. Idem dicendum, si habeat consanguineos, & propinquos pauperes; quod exemplo eiusdem *S. P. Aug. in eius vita Auctore S. Possidio* recusantis hæreditatem Ecclesiæ relictam, & renunciatam propinquis defuncti comprobatur. Item restitutionem esse faciendam, si conscius sit se aliena bona possidere; *non enim peccatum remittitur, nisi restituatur ablatum*; vt docet *S. P. Aug. ep. 54.* Item si quos filios spurios habet, etiansi legibus excludantur ab hæreditate; attamen necessaria ad vitam substentandam illis relinquat; vt habetur *c. cùm haberet extra de eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium.*

12 Item debet monere medicos, & parentes, ne certam vitæ spem dent ægroto; sic enim illius salus periclitatur; quia morti mentem non adijcit.

13 Si ægrotus sit militiæ clericali adscriptus, moneri debet, ne diuitias ex ecclesiasticis beneficijs coactas parentibus diuitibus relinquat; sunt enim patrimonium Christi solis pauperibus distribuendum, vel reddendum Ecclesiæ. *S. Hier. in Ezech. c. 56; Conc. Turonen. III. can. 10; Cabilonen. II. can. 6; Antiochen. can. 24; & 12 q. 1. c. Episcopi; & q. 3. c. placuit; & extra de peculio Clericorum c. inquirendum; S. Greg. lib. 9. ep. 14; & extra de testamentis c. cùm in officijs ex Lat. sub Alex. III; & c. quia nos; & c. ad hoc eod. tit. & c. relatum est; & Conc. Trid. sess. 25. c. 1. de reform.* Si tamen illius parentes pauperes sint, titulo paupertatis possunt illis aliqua bona relinqui.

14 Cauere debet summopere, ne in persuadendis eleemosinis ab ægroto faciendis aliquid sibi, vel suis Ecclesijs, vel domibus relinqui curet; & multò magis, ne hæreditatem relinquat; species enim mercaturæ execrabilis est verba spiritualia commutare cum re temporali. *S. Hier. ep. 2. ad Nepot. et S. Ambr. lib. 3. de offic. c. 9.* Neque suadere potest ad eligendam sepulturã in proprijs Ecclesijs; hoc enim prohibetur *in virtute S. obedientia, et sub interminatione maledictionis æternæ de sepulturis in 6. c. animarum.* Potest tamen, & debet hortari, vt superfluam pompam tam sepulturæ, quàm funeris resecet & precibus potiùs, ac eleemosinis, & missarum suffragijs sibi subueniri curet. *Syn. Carnoten. 1526; et Conc. Rhemen. 1583.*

A R T. II.

Quæ requirantur ad recipiendam extremam Vnctionem?

1 **V**Nica concl. Subiectum capax recipiendi sacramentum extremæ Vnctionis est homo viator, baptizatus, adultus, aliquando rationis compos, & in periculo mortis ob infirmitatem constitutus. *Ita communiter omnes DD.*

Prob. 1. pars; quia sacramenta solùm pro viatoribus sunt instituta. Hinc si dubium esset, an infirmus expirasset, sub conditione tantùm extremam Vnctionem ministrandam esse docent *Suar; Nauar; Bonac; Laym; Palao; Gibbæi aly.*

2 Prob. 2. pars; quia baptismus est *ianua omnium sacramentorum*; nam per ipsum ad suscipienda alia sacramenta ingredimur; vt *cum Fund. Doct. Æg. in Hexam. p. 2. c. 41.* diximus *de bapt. q. 2. art. 9. à n. 16.*

3 Prob. 3. pars. Hoc sacramentum est perfectio, complementũ, & consummatio pœnitentiæ; ergo ille non est capax huius sacramenti, qui nõ est capax pęnitentię, qui enim nõ est capax initij, neq; est capax finis, seu complementi, vt constat; sed solus adultus est capax pœnitentiæ; quia solus adultus potest committere peccata post baptismum, quæ sunt materia expianda per pęnitentiam; pueri enim adhuc rationis expertes nequeunt peccare; ergo solus adultus est capax extremæ Vnctionis. Tum quia extrema Vnctio insti-

instituta est ad superandas Diaboli insidias, quibus in periculo mortis tentatur anima, vt cum affectu ad peccatum moriatur; & ad abstergendas peccatorum reliquias commissorum post baptismum; sed solus adultus potest mori cum affectu ad peccatum, & habet peccatorum reliquias post baptismum commissorum abstergendas; ergo idem. Tum quia in tantùm pueri sunt capaces baptismi, confirmationis, & ordinis; in quantùm sunt capaces caracteris, & gratiæ; sed in puncto mortis non sunt capaces pugnandi contra Diabolum; ergo idem. Ex his colligunt *DD. cont. Maior.* pueros non esse capaces extremæ Vnctionis, nisi ad annos discretionis peruenerint; & *cont. Sot. et Vivald.* asserentes non esse ministrandam extremam Vnctionem, nisi illis, qui ad recipiendam eucharistiam sunt idonei; & hanc consuetudinem in aliquibus Ecclesijs viguisse. Contrarium autem docent *omnes alij DD*; quia qui est capax recipiendi pœnitentiam, est capax recipiendi perfectionem illius; & qui est capax peccandi in articulo mortis, est pariter capax roborandi contra peccatum; aliter de remedio contra peccatum non esset ei sufficienter prouisum; sic qui habet peccatorum commissorum post baptismum reliquias, est capax quoque remedij ad illas abstergendas; ergo idem.

4 Prob. 4. pars. Nam perpetuò amentibus, & furiosis, qui nullum rationis interuallum nunquam habuerunt, est deneganda; vt docet *S. Carol. in instructionib; & S. Tho. hic quæst. tunc. 3*; isti enim computantur inter pueros, qui sunt peccandi incapaces propter defectum rationis; vt diximus *de bapt. q. 5. art. 2. n. 3.* Si tamen amentes, & furiosi aliquando vsum rationis habeant, & aliquando pietatem ostendant, conferenda est extrema Vnctio; vt plurimùm enim misericordia Dei in fine vitæ illis redditur iudicium rationis, vt queant se ad aliam vitam disponere; sicut misericordia Dei energumeni liberantur à malignis spiritibus, à quibus obsidentur paulò, antequam ex hac vita discedant. Istis autem, sicut à Demonibus non impeditur vsus rationis; sic extrema Vnctio non est deneganda. Nec requiritur necessariò, quòd infirmus expresè petat hoc sacramentum, sed sufficit petitio præsumpta, vel existimata; censetur enim, quòd si posset ore petere, peteret.

5 Sed petes; an necesse sit, quòd adultus peccauerit saltem venialiter, vt possit ei hoc sacramentum conferri?

Resp. negatiuè *cum Gibb; Nauar; Sua; Coninch; Palao, Bonac; & alijs cont. Gonet; Nugn; & alios* asserentes requiri, quòd aliquando post baptismum actu peccauerit, quia essentialiter habet abstergere reliquias peccatorum commissorum post baptismum, quæ nullæ sunt, si nullum fuit peccatum. Sed iam diximus *in sup. q. art. 4.* primarium eius effectum esse roborare animam ad superandas Diaboli insidias in articulo mortis; abstergere autem peccatorum reliquias esse effectum secundarium; sed habito effectu primario sine secundario validum est sacramentum; ergo potest conferri adulto, qui nunquam peccauit. Tum quia si non posset conferri, priuaretur remedio ipsum roborante contra Diaboli insidias, & tentationes, & sic ei non esset æqualiter prouisum; non quidem ob eius malitiam, sed quia potiùs malitiam non haberet; habenti autem peccata malitia peccatorum suffragaretur, quod est absurdum. Tum quia non minùs extrema Vnctio est instituta ad abstergendas peccatorum reliquias, quàm baptismus ad abstergendam maculam peccati originalis; sed etiam non habens peccatum originale, vt *B. Virgo*, & alij sancti, qui ab illo purificati sunt in ventre matris, vt *S. Io. Baptista*, fuerunt capaces baptismi; ergo à pari.

6 Dices. Hoc sacramentum institutum est per modum medicinæ spiritualis supponentis essentialiter morbos, & reliquias peccatorum; institutum enim fuit, vt complementum pœnitentiæ; ergo sicuti ei, qui post baptismum non peccauit, non est applicabilis pœnitentia; ita nec extrema Vnctio.

Resp. institutum fuisse nedum, vt medicinam sanantem à peccatis commissis, sed etiam vt præseruantem à futuris, ad quæ hostes in fine vitæ conantur attrahere; primariò tamen institutum fuit ad roborandum. Dicitur autem complementum pœnitentiæ; quia hæc nedum sanat à peccatis, sed etiam roborat contra peccata; vnde vel in vno, vel in altero sensu semper illam complet.

7 Ex hoc habetur, quòd adulto vix baptizato incidenti in morbum, & ad articulum mortis redacto debet extrema Vnctio conferri.

8 Prob. 5. pars, quæ deducitur *ex D. Iac. Infirmatur quis ex vobis*; quæ infirmitas debet esse cū periculo mortis, debet enim esse grauis, sola namque infirmitas grauis alleuiari dicitur; & ex *Trid. sess. 14. c. 3.* & ratio est. Hoc sacramentum institutum est, vt præparet animam ad ingressum Cœlorum, vt illam roboret contra vltimas insidias Diaboli; ergo nequit applicari, nisi illis, qui existunt in periculo mortis.

9 Ex hoc colligitur non posse applicari sanis, etiamsi existant in periculo mortis; vt mulieri in partu laboranti, nisi sit in ægritudine periculosa ipsius vitæ; neque militibus procedentibus ad bellum, neque nauigantibus etiam in naufragij periculo, neque reis damnatis ad mortem. *Ita Conc. IV. Mediol; & S. Carol. in instructionib. & Syn. Senonen. anno 1524. & Aquens. 1685.* Hominibus autem iam senio confectis, cùm primùm agnoscitur eos breui decessuros, debere applicari statuit *idem Conc. Mediol; & S. Carol; & Aquen*; vltima enim senectus extremus est morbus.

10 Di-

10 Dices. Vel applicatur senio confectis nullo morbo laborātibus, quia certa est mors secutura; & hac ratione videtur applicandā esse reis ad mortem damnatis, vel quia prudenter timetur, ne moriantur; & sic etiam fœminæ laboranti in partus difficultate, & naufragantibus applicari deberet; sed his non est applicanda; ergo neque illis.

Resp. quòd nec propter vnum, nec propter aliud præcisè debet senio confectis citò morituris applicari; sed quia etiam in eis deficiunt vires; senectus enim ita illos deprimit, vt impediantur à contemplatione rerum cœlestium; & ideo hoc sacramento alleuiantur, vt inquit *D. Iac*; cùm autem neque in damnatis ad mortem, neque in nauigantibus, aut ad bellum euntibus vires deficiant; ideo illis hoc remedium restaurans nequit applicari.

11 Sed quæres, an periculum mortis sit necessarium nedum ad hoc, vt licitè, sed etiam, vt validè ministretur hoc sacramentum?

Resp. *Contuch* extra periculum mortis ministrari validè, sed illicitè; aliter sæpe ministraretur inualidè, quia sæpe ministratur, & tamen nullum est mortis periculum. Sed sententia opposita est communis. Nam hoc sacramentum institutum est tantùm pro illis, qui in mortis articulo existunt, vt statuunt *Flor. & Trid*; ergo extra hunc articulum nedum illicitum, sed etiam inualidum est. Sicut enim quia pœnitentia instituta est tantùm pro illis, qui lapsi sunt in peccata post baptismum; ideo nedum illicitè, sed etiam inualidè ministraretur; si ei, qui post baptismum non peccauit, conferretur; ita à pari. Ad obiectionem dicitur sufficere, quòd prudenter timeatur mortis periculum, etiamsi mors non sequatur, vt *sup.* diximus; tunc enim metus mortis coniunctus cum morbi violentia deprimunt infirmum; & diaboli videntes eum ita depressum suas exerunt vires, vt in peccatum deijciant; contra quod debet istud applicari remedium.

12 Tandem quæres; an hoc sacramentum in eadem, vel saltem in diuersa infirmitate sit iterabile?

Resp. in diuersa infirmitate esse absolutè iterabile; quia sicuti iteratur periculum mortis, & insidiæ &c; ita iterari debet remedium; & aliunde caracterem non imprimit, qui impedit, ne iteretur. In eadem autem infirmitate est distinguendum; nam durante eadem infirmitate, & periculo non est iterabilis; quia periculum non iteratur. At si ægrotus periculum euadat, & vis morbi remittatur ita, vt extra periculum censeatur; & posteà morbus ingrauescat iterum, & denuò in periculo mortis constituatur; potest iterari; quia est nouum periculum, & censetur noua infirmitas. *Ita Catechism. Trid. & S. Carol. in instructionib.*

DE ORDINE.



Ordinis nomen excelsi ministerij dignitatem significare tum ex prophanis, tum ex sacris literis constat. *Tullius lib. 4. de offic.* Senatoriam potestatem appellat hoc nomine; & *Regina Saba 3. Reg. 10.* præstantiores ministros, qui *Salomonis* præsidebant palatio, *ordines ministrantium* vocauit. Imò nedum in hoc Orbe inferiori, sed & in Regno Cœlesti nomenclaturæ huius est vsus; supremos etenim illius Hierarchiæ Dynastas *ordines* nuncupauit *Dionysius*. Quo factum est, vt dignitas quoque, qua insigniuntur Ecclesiæ militantis ministri, vt alijs præsideant, antonomasticè *ordo* vocetur. Præcipua Ecclesiæ potestas, quæ non in creaturas, sed ipsum exercetur in Deum, dum non eleuat creaturas ad Deum, sed Deum trahit ad creaturas. Dignitas prorsus Diuina, qua homo hominem exuens Dei hominis induit, agitque personam, naturam corruptione non mutans, sed potentiam consecratione recipiens. Caractere, non serui, vel militis, sed Dei proprio donatur; vt Deum referens in ministerio Deum assequatur in præmio. Extra ordinem creaturæ incomprehensibili metamorphosi collocatur, vt Diuina non ex se, sed operante Deo operetur. Vt dignum Deo obsequium offerat, opus Dei ministrando exhibet Deo, sua faciens, quæ Dei sunt; vt Deus reficiat, quod ipse homo peccando destruxerat. Potestatem super omnem potentiam creaturæ cuiusuis siue terrestris, siue Cœlestis! Quid enim excelsius, quàm posse Deum in cibum conuertere, vt alimentum restituat, quod nobis *primus Adam* alimento perdiderat? Quid sublimius, quàm posse Dei sanctuarium intrare, illius sacramenta tractare, sibi sumere, alijsue conferre; & immensos locupletis gratiæ dispensare thesauros? Nil profectò hac dignius dignitate, hac potestate excellentius. Sine qua nec alia sacramenta excepto vno, vel altero possent ministrari; nec Ecclesia, quo multiplicaretur, & regeretur, haberet. Quæ, qualis, quotuplex, & quanta sit hæc potestas, quæ *ordo*, vel *ordinatio sacra* communiter dicitur, in præsens satagemus ostendere breuiter quidem, sed ordinatè; ordinem enim siue ordine afferre nimis incongruum est.

QVÆ-

QVÆSTI. I.

De existentia, quiditate & numero ordinis.

EXplicatis ijs sacramentis, quæ ad propriam singulorum hominum salutem sunt instituta; ad explicanda ea, quæ ad commune Ecclesiæ regimen sunt necessaria, procedimus. Quoniam autem ordo dignior est matrimonio, quia ille ad gubernium spirituale, hoc ad carnalem propagationem dirigitur; ideo priùs de illo est agendum.

ARTI. I.

An ordo sit gradus Ecclesiæ, seu dignitas speciali consecratione aliquibus fidelibus tantùm collata, per quam constituuntur sacramentorum ministri; et an sit verum sacramentum?

1 VViclef. errore 8. ex damnatis à *Conc. Const.* dixit, quòd quicunque sequens in moribus Christum Dominum est legitimè ordinatus à Christo ita, vt deficiente *Prælato Cæsareo* possit licitè, & validè ministrare sacraméta. *Luth.* verò *de capt. Babyl. c. de ord: ne, et de missa priuata, et vnctione sacerdotum* negat ordinem esse gradum Ecclesiæ, quo aliqui fideles alijs sunt præstantiores, & quo constituuntur Ecclesiæ ministri in collatione sacramentorum, & prædicatione verbi Dei; asserens omnes fideles siue masculos, siue fœminas de iure Diuino esse æqualiter sacerdotes, & sacramentorum, ac verbi Dei ministros; neminem tamen debere exercere hoc munus excepto casu necessitatis, nisi auctoritate Principis, aut magistratus sit vocatus, & deputatus, vt vitetur confusio, quæ oriretur, si quilibet publicè ministraret sacramenta. Consequeter negat ordinem esse verum sacramentum; sed cū hoc discrimine, quòd *Vuicleff. Luther; Illyric; et Kemnit.* absolutè negant ipsum esse sacramentum; quamuis *Vuicleff.* dixerit conuenire solùm fidelibus spiritum viuendi ad exemplum Christi habentibus; *Lutherani* verò omnibus fidelibus etiam talem spiritum non habentibus competere. *Caluin.* autem *lib. 4. instit. c. 14. §. 20; & c. 19. §. 38.* voluit esse verum sacramentum à baptismo tamen indistinctum; docuit enim tantùm duo esse sacramenta, nempe baptismum, & cœnam. Quod pariter dixit *Melanct. in apolog. Confess. Augustanæ art. 13.*

2 Not; quòd alia ratione competit ordini esse sacramentum, & alia esse gradum, seu dignitatem Ecclesiæ. Nam ratio sacramenti ei competit, quatenus consecratione externa, & visibili confertur verbis ad id à Christo Domino institutis; & in hoc sensu ordo dicitur ipsa actualis ordinatio; quapropter ordo, vt est sacramentum, *ab antiquis Ecclesiæ PP. sacra ordinatio* dictus fuit. Ratio autem gradus, seu dignitatis Ecclesiasticæ ei competit, quatenus per ipsam consecrationem tribuitur caracter, qui est spiritualis potestas, per quam ordinatus fit superioris gradus, & eminentioris conditionis ad illos, quibus potest sacramenta ministrare; & in hoc sensu ordo non est sacramentum; sed effectus sacramenti; quia importat caracterem, qui est effectus actualis consecrationis, seu ordinationis; vnde ratio sacramenti est causa conferens gradum excellentiæ, & superioritatis in Ecclesia; quia confert dignitatem caracteris proprij ipsius ordinis, qui est potestas Ecclesiastica, vt *infra* dicemus. Inquirere igitur; an ordo sit gradus Ecclesiæ, seu dignitas importans superioritatem, & excellentiam super alios, qui sunt in Ecclesia, & non sunt ordine insigniti, est idem, ac quærere; an ordo conferat caracterem superioris, & excellentioris ordinis, quàm sit caracter per baptismum impressus.

3 Vnica concl. Ordo, seu *sacra ordinatio* est verum sacramentum visibili consecratione à baptismo, alijsque sacramentis distinctum; & confert gradum superioritatis in Ecclesia, seu dignitatem excellentiæ super alios fideles, qui non sunt hoc sacramento insigniti.

Prob. 1. pars concl. *ex Act. 6*; vbi *Apostoli* ordinauerunt *septem diaconos*, quorum primus fuit *S. Stephanus Protomartyr; & 1. ad Tim. 4. Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbiterij; & 2. ad eundem c. 1. Vt resuscites gratiam Dei, quæ in te est per impositionem manuum mearum.* Ex quibus manifestissimè habetur sacram ordinationem celebratam fuisse visibilibus signis distinctis ab eis, quibus celebratus erat baptismus; nam *illi septem Diaconi, & Timotheus* iam erant baptizati, cùm ordinati fuerunt; vt de illis constat *ex Act. 6*; & de hoc *Act. 16.* Præthereà per illam manuum impositionem, idèst per vnctionem impositis manibus factam illis collata fuit gratia, vt *allatis textibus* dicitur. Nec potest intelligi gratia gratis data, quæ est prophetia; nam prophetia, de qua ibi est mentio, præcessit manuum impositionem; sensus enim *Apostoli* est; quòd ipse per prophetiam à Deo didicerat *Timotheum* ordinandum esse in Episcopum; ideo prophetia *Paulo* collata erat, gratia

verò,

verò, de qua loquebatur, collata erat *Timotheo*. Tum quia prophetia non resuscitatur, quia per peccatum non deperditur; ergo gratia, quæ resuscitatur, de qua loquebatur *Apost.* erat gratia iustificans, quæ per peccatum deperditur. Atqui signum visibile conferens gratiam iustificantem est verè, & propriè sacramentum; vt fusè probauimus *de sacram. in com. q. 1. art. 1*; ergo sacra ordinatio collata *ab Apostolis* per visibilem manuum vngentium impositionem fuit verè, & propriè sacramentum. 2. In cęna, quando Christus Dominus sacram ordinationem instituit, dedit *Apostolis* potestatem conficiendi corpus, & sanguinem Christi illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*; nullus enim diceret, quòd anteà hoc possent efficere, & tamen iam baptizati erant, vt colligitur *ex Actis*; ergo potestas ordinis est distincta à potestate, seu caractere accepto in baptismo; & per consequens sacramentum, per quod hæc potestas confertur, à sacramẽto baptismi distinguitur; implicat enim, quòd non ponens obicem recipiat sacramentum sine effectu illius sacramenti; aliter sacramentum esset egenum, & vacuum, quia suum effectum non effunderet; quod de sacramentis nouæ legis dici non potest *teste Apost. ad Gal. 4.* Atqui id, per quod confertur potestas conficiendi aliquod sacramentum, & per quod gratia confertur virtute ipsi à Christo indita, sacramentum est; nomine enim sacramenti non intelligitur, nisi aliquod signum sensibile, cui annexa fuit à Christo Domino institutore vis productiua gratiæ; ergo id, per quod confertur sacerdoti potestas conficiendi corpus, & sanguinem Christi, quod est sacra ordinatio, est verè, & propriè sacramentum. 3. *Ephes. 4.* dicitur; quòd Christus Dominus ædificans Ecclesiam: *Dedit quosdam quidem Apostolos, alios prophetas, alios pastores, & doctores*; nomine autem *pastorum* significantur præsbiteri Ecclesiarum, qui cęlesti sacramentorum alimonia debent pascere gregem. Itaque ex eo, quòd aliqui instituti sint *Apostoli*, alij *propheta*; sequitur, quòd institutio *Apostolatus*, & *prophetia* non sit ex vi ipsius baptismi; aliter sicut omnes, qui sunt in Ecclesia, sunt baptizati; ita omnes essent *Apostoli*, & omnes *propheta*; ergo ex eo, quòd tantùm aliqui sint ordinati ad ministerium Ecclesiæ, sequitur illos non esse ordinatos ex vi ipsius baptismi; sed ex vi alterius ordinationis. Rursus in tantùm institutio *Apostolatus*, & *prophetia* non est sacramentum; in quantùm ipsi non est annexa gratia conferenda visibilibus signis; quod importat sacramenti ratio; nusquam enim legitur *in Scriptura*; quòd per deputationem *Discipulorum* ad prædicandum, & prophetandum daretur gratia sanctificans; nec quòd talis deputatio fieret mediantibus visibilibus signis, quibus esset annexa vis productiua gratiæ; sed sacra ordinatio, in qua traditur potestas ministrandi in Ecclesia, habet annexam vim productiuam gratiæ, habetur enim *Io. 20. Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*; accipere autem Spiritum Sanctum est gratiam recipere, per quam habitat in nobis Spiritus Sanctus, qui confertur mediantibus sensibilibus signis, quia confertur ex vi illorum verborum, quæ sunt sensibilia; ergo sacra ordinatio est verè, & propriè sacramentum. Hac ratione vsum est *Trid. sess. 23. c. 3.* Prætereà *Trid. ibid. c. 1.* sic arguit. Vnctio sacerdotum in lege veteri fuit verè, & propriè sacramentum; vt diximus *de sacram. in com. q. 1. art. 4*; fuit enim verum signum sensibile significans potestatem ministrandi res Diuinas, & gratiam ex opere operãtis, vt habetur expresse de *Iosue Deut. vlt*; qui repletus est Spiritu Sancto; postquam fuit consecratus *à Moyse*; sed sacra ordinatio Euangelicæ legis successit vnctioni sacerdotum veteris legis; quia sacerdotium *Aaronicum* fuit translatum in sacerdotium Christi; ergo sacra ordinatio Euangelicæ legis est verè, & propriè sacramentum; sicut enim baptismus, qui circumcisioni successit, quæ erat verum sacramentum veteris legis, remittebat enim peccatum originale, est verè, & propriè sacramentum nouæ legis; ita sacra ordinatio, seu ordo, qui successit vnctioni sacerdotum veteris legis, quæ erat verum sacramentum, est verè, & propriè sacramentum.

4 Prob. 2. *ex Trid. ibid. c. 3.* Signum sensibile rei sacræ est verè, & propriè sacramentum; sic enim definitur sacramentum propriè acceptum; sed *ex traditione Apostolica* continua SS. PP. attestatione firmata habetur, quòd sacra ordinatio sit signum sensibile rei sacræ; ergo sacra ordinatio est verè, & propriè sacramentum. Prob. mi. *Ex D. Dion. de Eccl. Hier. c. 5. p. 1; ex D. Ignatio ep. ad Antiochenos; ex Anacleto ep. 2. decretali; ex Orig. in 1. Reg. c. 10; ex Tertull. de præscript. heretic; ex D. Cypr. de operibus Cardinalibus ordinationum; ex D. Chrysost. lib. 3. de sacerdotio; ex Innoc. I. ep. ad Alex. Antiochiæ Episcopum; ex D. Hier. cont. Vigilant; D. Ambr. ep. 4. ad Ecclesiam Vercellen; & D. P. Aug. lib. 2. cont. ep. Parmen. c. 13.* loquens de baptismo, & de ordine apertè inquit: *Vtrumque sacramentum est; & quadam consecratione vtrumque homini datur; illud, cùm baptizatur; istud, cùm ordinatur*; & posteà subdit: *Si enim vtrumque sacramentum est, quod nemo dubitat*; quibus verbis demonstrat suo tempore sine dubio ordinem fuisse creditum verum Ecclesiæ sacramentum; quod repetit *lib. 1. cont. Donatist. c. 1*; vbi vocat sacram ordinationem *sacramentum dandi baptismi*; quia solus ordinatus est ordinarius minister baptismi ex officio; laici verò sunt tantùm ex necessitate, & delegatione; *& de bono coniugali c. 24.* ait *in omnibus ordinatis manere sacramentum ordinationis, etiamsi vel plebem non regant, vel ob culpam ab officio remoti fuerint*. Idem habent

S. Leo I.

S. Leo I. ep. 81. *ad Diosc. c.*1; *& ep.*8.*ad Episcopos Mauritaniæ c.* 1; *S. Greg. lib.* 4 *comment. in libros Reg. c.*5; propter quorum auctoritatem *Flor. in decr. vnion*; *& Trid. vbi sup*; *& can.* 31 *& sess.* 7. *can.* 1. definiuerunt ordinem esse vnum ex septem sacramentis nouæ legis.

5 Ex dictis colligit *Fund. Doct. Ægid. super salutat. Angelic. fol.*14. sacramentum ordinis institutum fuisse à Christo Domino, cùm dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*, tunc enim illud instituit, cùm dedit potestatem faciendi corpus, & sanguinem Christi sub speciebus panis, & vini; circa quod principaliter, & vltimatè versatur ordo; sed cùm protulit illa verba, dedit potestatem faciendi corpus, & sanguinem Christi; ergo tunc sacramentum ordinis fuit institutum.

6 Prob. 2. pars concl. *ex* 1. *Cor.* 12. *Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores &c*; ex quibus constat *Apostolos* fuisse in gradu superiori ad omnes, prophetas ad Doctores, Doctores ad alios; arguitur autem. Hierarchia constat ex gradibus inferioribus, & superioribus; vt patet de Hierarchia cęlesti, quæ constat ex Angelis supremis, medijs; & infimis; sed Ecclesia militans est exemplar Hierarchiæ cęlestis; dicitur enim figuratè de ipsa *Exod.*25. *Fac tibi secundum exemplar*; ergo Ecclesia militans constat ex gradibus inferioribus, & superioribus. Atqui gradus inferiores sumuntur per ordinem ad officia, & ministeria inferiora; gradus verò superiores per ordinem ad officia, & ministeria superiora; vt constat de Angelis infimis, qui minima nunciant; & Arcangelis, qui maxima; & Principatibus, qui Regnis assistunt &c; ergo ordo, quo confertur potestas ministrandi, & officium in Ecclesia, importat gradum superioritatis in Ecclesia. 2. *Ex* 1. *Tim.* 3. *Qui bene præsunt præsbiteri, duplici honore digni habeantur*; *& Hebr.* 5. *Nemo sumat sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron*; ex quo arguitur. Illud, quod dat potestatem exercendam super alios, importat gradum superioritatis, seu dignitatem excellentiæ super illos; vt constat de Rege, Principe &c; sed ordo dat potestatem exercendam super fideles; dat enim potestatem ministrandi sacramenta, & omnia illa, quæ ad vitam spiritualem sunt necessaria; sicut institutio Regis, Principis &c. dat illis potestatem exercendam super ea, quæ spectant ad vitam naturalem suorum subditorum; ergo ordo confert gradum superioritatis, seu dignitatem excellentiæ in Ecclesia. 3. Character, quo aliquis constituitur alicuius Regis minister, importat gradum superioritatis ad caracterem, quo alij constituuntur tantùm subditi, vel milites Regis; minister enim est superior ad subditos, & milites, vt liquet; sed ordo confert caracterem, quo aliquis constituitur Dei minister in spiritualibus; ergo importat gradum superioritatis ad caracterem baptismi, quo homines constituuntur subditi Ecclesiæ, & ad caracterem confirmationis, quo constituuntur milites Christi. 4. Illud, quod constituit aliquem ministrum agentem ex persona Christi Domini, dat gradum superioritatis, & dignitatem excellentiæ super alios in Ecclesia; sicut minister in Regno agens ex persona Regis, & habens verbum Regis habet gradum superioritatis, & dignitatem excellentiæ super alios, qui talem potestatem non habent; sed ordo constituit ministros in Ecclesia agentes ex persona Christi Domini verba ipsius proferentes; constituit enim ministros ex officio ipsius baptismi, qui loquuntur ex persona Christi Domini; habetur namque *Io.* 1. *Ipse est, qui baptizat*; quod exponens *S. P. Aug. tract.*5. inquit, quòd Christus loquitur in baptizante; & baptizans profert verba Christi; quod à forriori dicendum de consecratione eucharistiæ; & per consequens de formis aliorum sacramentorum; ergo ordo dat gradum superioritaris, seu dignitatem excellentiæ super alios in Ecclesia.

7 Obijc. 1. *Kemnit.* cont. 1 p. concl. Christus Dominus ordinauit *Apostolus* absque vlla ceremonia externa, quæ esset sacramentum, nulla enim de ea fit mentio *in Scriptura*; ergo ordo non est sacrameotum. 2. Per manus impositionem intelligitur confirmatio; vt habetur *de sacra Vnct.* §. *per frontis*; *& de conse. r. dist.*5. *c. de his*, *& c. manus*; *& Act.*8; ergo falsò distrahitur ad significandum ordinem esse sacramentum. 3. *S. P. Aug. in I tract.*8. ait, quòd *accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum*; sed in ordinatione nullum interuenit elementum; ergo in ea nullum fit sacramentum.

Resp. ad 1. neg. ant; protulit enim verba, quæ sunt forma ordinationis: & verba sunt signa sensibilia constituentia ordinis sacramentum; & de his habetur expressa mentio *in Scripturis*; & quanuis non fiat mentio materiæ, hoc tamen non probat materiam non fuisse ab ipso institutam; testatur enim *Io*; quòd *non omnia, quę fecit Iesus, scripta sunt in libro hoc*. Præterea potuit ipse facere per dispensationem, quod Ecclesia nequit dispensare. Ad 2. dicitur, quòd licèt *in locis allatis* impositio manuum significet confirmationem, in qua pariter imponuntur manus vngendo frontem; sicut in ordine imponuntur manus vngendo frontem, & manus; attamen *loc. cit.* 1. *Tim.*4; *& Act.* 6. non intelligitur confirmatio, sed ordinatio; illic enim expressè dicitur per impositionem manuum collatum fuisse presbiterium, quod non confertur per confirmationem, sed ordinationem, vt constat, *hic* verò intelligitur ordinatio in Diaconos, quæ similiter non fit per confirmationem. Ad 3. dicitur *S. P. Aug.* loqui de baptismo, cuius materia est aquæ elementum, cui accedentibus verbis *Ego te baptizo &c.* fit sacramentum; ideo *ex ipso S. P.* proportio-

tionaliter loquendo de materia ordinis, ex qua, si accedant verba formæ: *Accipe potestatem &c;* fit ordinis sacramentum.

8 Obijc. 2. *Luth.* cont. 2. p. concl. 1. *Pet.* 2. *Tanquam lapides viui superædificamini in sacerdotium sanctum; & inf. Vos autem genus electum, Regale sacerdotium; & Apoc. 5. Fecisti nos Deo nostro Regnum, & sacerdotes;* quibus in locis sermo est de omnibus fidelibus. 2. *Matth.* 20. *Quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister;* ergo in Ecclesia non est gradus superioritatis, qui pugnat cum gradu humilitatis, qua debet Ecclesia fulgere. 3. Superioritas, & prælatio pugnat cum libertate, quam Christus nobis donauit *Io.* 8; superioritas enim refertur ad seruitutem, quæ libertati opponitur; ergo idem.

Resp. ad 1; vt diximus *de pœnit. q. 3. art. 1. ad* 1. sermonem esse de sacerdotio morali; fideles enim assistentes sacrificio missæ, vt dicitur *in canone*, simul cum sacerdote offerunt sacrificium, & sic vnum efficiunt cum sacerdote; non autem de sacerdotio reali. Addunt *alij* accipi pro parte totum; quòd scilicet in populo fideli sit sacerdotium sanctum, quo fructuosè offeruntur Deo hostiæ, & preces pro peccatis; non tamen quòd singuli sint sacerdotes; vt *Exod.* 19. dicitur de toto populo; quòd erit *in regnum sacerdotale*; & tamen non *omnes Israelitæ* erant sacerdotes. Ad 2. dicitur, quòd illis verbis voluit Christus Dominus docere sacerdotes humilitatem, *qui non se existiment* (inquit *S.P. Aug. in Reg.*, *potestate dominante, sed charitate seruiente felices*. Humilitas autem superioris superioritatem non tollit, sed exornat, quia reddit amabilem. Sic idem Christus Dominus venit ministrare, non tamen superioritatem amisit. Ad 3. negant; libertas enim, de qua sermo est *Io.* 8; est libertas à captiuitate peccati, quæ potest esse sub prælatione dirigente, ne iterum per peccatum Diaboli fiat captiuus.

9 Collig. 1. ex dictis ordinem communiter sumptum definiri: *Est potestas spiritualis tradita ordinato siue ad sacrosanctum Christi corpus consecrandum, siue ad alias functiones, & ministeria Ecclesiastica obeunda*. Per primas particulas definitur sacerdotium, quod est principale analogatum, per ordinem ad quod cætera sunt instituta; per reliquas definiuntur cæteri ordines, qui præparant ad sacerdotium, & illius executioni ministrant, vt *inf.*

10 Collig. 2; quòd sacramentum tantùm est materia, & forma, propria cuiuslibet ordinis; quia hæc tantùm significat, & non significatur; res, & sacramentum simul est caracter, qui significatur per materiam, & formam, & significat æternum Christi Domini sacerdotium, quod repræsentat. Res tantùm est gratia, quæ significatur, & non significat. Igitur si sacramentum ordinis sumatur in fieri, appellat tantùm materiam, & formam, quæ tantùm habent sacramenti rationem, habent enim rationem signi causantis gratiam ex opere operato; quod competit sacramento formaliter, vt diximus *de sacramen. in comm. q. 2. art. 1. §. 4; & 6;* si verò sumatur in facto esse post peractam consecrationem, appellat tantùm caracterem, qui manet etiam ordinatione transacta; quomodò sumitur *à S.P. Aug. locis sup. cit;* & in hoc sensu allata definitio procedit.

11 Collig. 3. ordinem imprimere caracterem simpliciter indelebilem, adeoque iterari non posse absque iniuria facta sacramento, vt docet *S. P. Aug. vbiq; & S. Greg. lib. 2. ep. 32; & Flor. in decr. vnion; ac Trid. sess. 7. can. 9; & sess. 23. c. 4; et can. 4;* quo reijciuntur *recentes hæretici* asserentes ritè ordinatum posse laicum iterum effici; quod dixerunt etiam *hæretici antiqui*, quos redarguit *Tertull. lib. de præscriptionib.* Hoc satis probatum fuit *de sacram. in com. q. 4. art. 1.*

12 Sed quæres; in quo consistat degradatio; si caracter, qui est potestas ordinis, auferri non potest? Porrò *Glos. in dist. 50. c. accedentes, et alij*, qui referuntur *in eadem dist. in pluribus c.* asserunt præsbiterum degradatum non posse ampliùs corpus Christi conficere eo, quòd omnem potestatem amiserit. Accedunt *SS. PP.* asserentes, quòd aliqui ob grauissima crimina per Ecclesiasticam censuram degradantur, seu priuantur susceptis ordinibus; vt *S. Greg. lib. 3. ep. 13; et hom. 26. super Euang.* inquit: *Ligandi, et soluendi potestate se priuat, qui eam pro suis voluntatibus, et non pro subditorum moribus exercet; et Mag. hic dist. 25.* docet Episcopum degradatum non habere potestatem conferendi sacros ordines, sed tantùm baptismum; & ratio etiam id suadet. 1. Quia degradatio iuxta nominis ethymon sonat gradus ordinis ablationem; gradus autem ordinis importat caracterem, vt *sup.* dictum est. 2. Quia hoc est discrimen inter suspensionem, depositionem, & degradationem; quòd suspensio tantùm inhibet ministerij executionem ad tempus; depositio verò importat perpetuam prohibitionem exercitij ipsius ordinis; degradatio verò importat spoliationem, & ablationem ipsius potestatis ordinandi, in qua consistit caracter; ergo videtur, quòd caracter non sit quid simpliciter indelebile.

13 Resp. degradationem in eo consistere, quòd gradus externus, seu honor, dignitas, & locus ordinato congruens, & debitus adimatur, ita, vt degradatus non alio deinceps, quàm laicorum loco dignus habendus sit; & in hoc sensu inter laicos dicitur reijci. Degradatio ergo, depositio, & suspensio in hoc conueniunt, quòd sint inhibitio executionis caracteris, seu potestatis, quam in ordinatione receperunt; quamuis hæc potestas simpliciter indelebilis maneat. Differunt autem; quòd degradatio priuat nedum exercitio potestatis in perpetuum,

sed

ſed etiam loco debito ordinatis, & inter laicos teijcit; & ideo quocunque honore, priuilegio, dignitate, gradu, & pręminentia priuat. Depoſitio verò priuat in perpetuum exercitio caracteris ita, vt ſpem adimat illud ampliùs recupetandi. Suſpenſio verò priuat tantùm ad tempus ita, vt relinquat ſpem reſtitutionis in miniſterij exercitium. Ad *Gloſ.* dicitur, quòd meritò ab omnibus reijcitur; ſicut reijciuntur illi, quorum auctoritates referuntur *diſt.* 50. *cit*; computantur enim *inter paleas*. Ad *SS. PP.* dicitur eos loqui tantùm de actuali exercitio, quod vocant nomine poteſtatis; is enim, cui interdicta eſt aliqua operatio, dicitur non poſſe licitè operari, quanuis tamen validè poſſit; ideo dicuntur carere poteſtate licitè operandi, non tamen dicuntur carere poteſtate validè operandi; quapropter degradatus dicitur carere poteſtate licitè operandi, & loco, ac gradu debito ordinatis; non tamen poteſtate validè operandi; quod apertè docet *S. P. Aug. vbiſ.* & præſertim de bono coniugali *c.* 24. aſſerens: *Si aliqua culpa quiſquam ab officio remoueatur, ſacramento Domini ſemel impoſito non carebit.* Nomine autem *ſacramenti* intelligit caracterem, qui ſacramentum permanens in facto eſſe etiam poſt ordinationem actualiter factam ſolus dicitur; vt *ſupra* habitum eſt. Se priuat igitur poteſtate licitè ligandi, & ſoluendi, qui poteſtate accepta abutitur; inquit *S. Greg. & Mag.* inquit degradatum non priuari poteſtate licitè baptizandi in caſu neceſſitatis, quia licitè id faciunt etiam infideles; priuari tamen poteſtate licitè ordinandi. Ad vtranque rationem patet reſponſio ex dictis; nam degradatio dicitur priuatio gradus externi, non interni; & in hoc diſtinguitur degradatio à depoſitione, & ſuſpenſione, vt diximus. *Vid. Syluestr. in ſumma v. Degradatio.*

14 Collig. 4. ordinationem conſtare ex debita materia, & forma à Chriſto determinata; hoc enim eſt de ratione cuiuſlibet ſacramenti Euangelici; vt diximus *de ſacram. in com. q.* 2. *art.* 2; *et* 3. Materia eſt res, per cuius traditionem ordo confertur; quod intelligendum eſt de materia remota; ipſa autem traditio eſt materia proxima. Forma ſunt verba ab ordinante prolata. Cùm autem plures ſint ordines, ideo plures ſint materiæ, & formæ, de quibus agemus tractantes de ſingulis ordinibus in particulari. Quanuis autem *nec Scriptura, nec SS. PP.* diſtinctè has particulares materias, & formas referant; non tamen dicendum eſt eas non fuiſſe à Chriſto Domino inſtitutas; ſed tantùm eas promulgatas non fuiſſe; ne tam ſancta Religionis noſtræ myſteria in notitiam prophani, & infidelis vulgi deueniendo contemnerentur; vt habet *Innoc. I. ep. ad Decent*; de quo *ſup. in hoc to.* diximus ſatis.

ART. II.

Quot ſint ordines, et an ſint ſacramenta à Chriſto Domino inſtituta?

1 Aliqui Canoniſtæ *ſuper c. eum contingat de ætate, et qualitate ordinandorum* putauerunt tonſuram clericalem eſſe ordinem Eccleſiaſticum propriè dictum; non tamen eſſe verum ſacramentum. *Ita Gloſ. ibid*; *Hoſtien. in ſumma tit. de temporibus ordinationum*; *Abbas, et Aleiatus in cap. cùm non ab homine tit. de iudicijs*; *Nauarr. in ſumma cap.* 22; *Angel. v. ordo*; & ex Theologis *Maior hic diſt.* 12. *q.* 1. Conſequenter hi aſſerunt ordines eſſe octo, non ſeptem.

2 *Auctor ep. de ſeptem gradibus Eccleſiæ apud D. Hier.* ait ſeptem eſſe ordines, ſcilicet *foſſariorum*, ſeu *laborantium in ſepeliendis mortuis*; idèſt eorum, qui deſtinabantur ad mortuos ſepeliendos, quem ordinem ait imprimere caracterem, & eſſe verum ſacramentum; *oſtiariorum, lectorum, ſubdiaconorum, diaconorum, præsbiterorum, et Epiſcoporum.* Alij dixerunt ordines eſſe decem; nam ſeptem ordinibus, qui aſſignantur *à Trid*; addebant *primam tonſuram, pſalmiſtatum, ſeu cantoratum*, ſeu officium canendi in choro, *et Epiſcopatum*. *Bellarm.* tamen, *Valent*; *Reginald*; *et alij* volunt pſalmiſtatum, ſeu cantoratum vnum ordinem cum lectoratu conſtituere; adeoque eſſe ordinem propriè dictum, indiſtinctum tamen à lectoratu.

Caluinus lib. 4. *inſtit. c.* 4; *et* 19. *§.* 27. dixit tantùm tres eſſe ordines, ſcilicet Epiſcoporum, qui alicubi vocantur *ſuperintendentes*, & alibi *paſtores*; & præsbiterorum, quos vocant *ætate ſeniores, et verbi Dei miniſtros*, & diaconorum; quatuor autem ordines minores primitiuæ Eccleſiæ fuiſſe prorſus incognitos, & multos poſt annos excogitatos. Sequitur *Kemnit. in exam.* 23. *Trid.*

3 Ex illis autem, qui *cum Trid.* fatentur ordines propriè dictos eſſe tantùm ſeptem, aliqui volunt ſolum ſacerdotium eſſe ſacramentum. *Ita Dur*; *& Caiet*; *Caranza* verò *in Sum. Conc.* propter auctoritatem *Anacleti inf.* adducendam ait tantùm hos duos ordines, ſcilicet ſacerdotium, & Epiſcopatum à Domino fuiſſe inſtitutos; reliquos verò nec à Domino, nec *ab Apoſtolis*. *Alij* addunt diaconatum. Tribuitur *Mag*; *& Gratiano*. Alij addunt etiam ſubdiaconatum. *Ita Nauar*; *Dominic. de Soto, Michael de Med*; *Martinon*; quam ſententiam probabilem putat *Sanch. de Matrimonio lib.* 7. *diſp.* 31. *n.* 17.

4 Communior tamen ſententia docet ſeptem eſſe ordines propriè dictos, & eſſe vera, & propria ſacramenta integrantia vnum ſacramentum ordinatum ad ſolemnem celebrationem euchariſtiæ. *Ita Fund. Doct. de caract. q.* 2; *& cont. Exempt. c.* 14; *Argent. diſt.* 24. *q.* 1. *art.* 2; *Gibb.*

Gibb. disput. 22. dub. 3; & omnes alij ex nostris. Idem docet *S. Tho. in suppl. q. 35. art. 2; D. Bon. dist. 24. art. 2. q. 1; Capreol. q. 1. art. 1. concl. 1; & 2; Paludan. q. 1. art. 2; Scot. q. 1. §. 3; Mastr. in 4. dist. 4. q. 2. art. 1; Gonet, Bellarm; Laym; Syluestr; & alij.*

Diximus *ordines propriè dictos*; nam loquendo de officijs quibuslibet ipsius Ecclesiæ certum est dati etiam alia, nempe psalmistatum, officium laborantium in sepulturis, seu fossariorum, ordinem Monachorum, & Religiosorum; ordinem Diaconissarum, Virginum, & Viduarum, quæ destinabantur ad instituendas mulieres baptizandas, de quibus agit *S. Epiphan. in compendiaria doctr.*

5 Vnica concl. Ordines Ecclesiastici propriè dicti sunt septem, scilicet sacerdotium, diaconatus, subdiaconatus, acolytatus, exorcistatus, lectoratus, & ostiariatus; quorum quilibet habet veram rationem sacramenti integrantis vnum sacramentum ratione finis, qui est eucharistia, ad quam solemniter conficiendam ordinantur; & per consequens omnes sunt à Christo Domino immediatè instituti; tonsura autem clericalis, psalmistatus, seu cantoratus, & fossariatus, seu laboratio in sepulchris, & cętera alia Ecclesiæ officia non sunt ordines propriè dicti in eo sensu, in quo loquimur in præsenti.

Prob. 1. pars concl. *ex can. Apost. 2; 9; 17; 18; 25; 26; 27; 52; 62; & 68;* qui *canones*, etiamsi non sint omnes *ab Apostolis* conditi, attamen eorum aliqui ipsis tribuuntur, & quamuis nullus esset illorum, attamen antiquissimi sunt, & ab Ecclesia nunquam reiecti, sed approbati. Item *ex D. Dion. de Hier. Eccl. c. 5; & ep. ad Demophilum; & Damasus in Pontificali* omnes hos ordines eodem ordine enumerat. *Ex Conc. Romano sub Syluest. c. 3; & Carthag. IV;* cui interfuit *S. P. August;* vbi recensentur singulorum officia. *Ex Epiphan. cont. hæreses; ex Conc. Laodiceno; ex Eusebio lib. 6. hist. c. 33;* vbi refertur *ep. Cornelij Papæ ad Fabian; D. Cypr. lib. 2. ep. 10; D. Isidoro ep. ad Ludifred; & habetur dist. 25. c. perlectis; & lib. de officijs Ecclesiast. c. 7;* & ex more antiquissimo Ecclesiæ, quæ die *Parasceue* orat pro omnibus istos ordines habentibus; quibus tandem accedunt *Conc. Flor. in decr. vnion; & Trid. sess. 23. c. 2; & can. 2.* Ratio est. Ille, cui competit definitio ordinis Ecclesiastici, est ordo propriè dictus; sicut cui competit definitio hominis, est homo propriè dictus; sed septem ordinibus allatis solummodò competit definitio ordinis Ecclesiastici; quam tradidimus *in sup. art. n. 9;* in collatione enim illorum traditur potestas spiritualis circa solemnem celebrationem sacramenti eucharistię; vt *inf.* patebit; ergo ordines Ecclesiastici propriè dicti tantùm sunt septem.

2. Prob. *à nostro Argent.* ratione *D. Tho. hic q. 37. art. 2. in corp;* quam sic exponit. Ordo Ecclesiasticus propriè dictus ordinatur ad celebrandum decentiùs sacramentum eucharistiæ, quod cùm sit augustissimum, est finis omnium aliorum, sed septem prædicti sunt huiusmodi; nam illud ordinatur ad eucharistiam, quod ordinatur ad vnionem cum Christo Domino, cum quo fideles eucharistiam sumentes vniuntur; propterea dicitur sacramentum *vnionis*, seu *communionis*; sed ad vnionem cum Christo Domino est necessaria approximatio, quæ fit per consecrationem, ad quam requiruntur præsbiteratus, qui est potestas consecrandi; & diaconatus, qui est potestas offerendi patenam cum hostia consecranda sacerdoti, & dispensandi hostiam iam consecratam populo; & subdiaconatus, qui est potestas præparandi patenam cum hostia, & calicem cum aqua; & præterea est necessaria remotio impedientium; ad quam requiritur potestas excludendi ab Ecclesia hostes visibiles, qui possent communionem impedire; & est ostiariatus; & potestas expulsiua Dœmonum, qui obsident corpora; & est exorcistatus; & tandem est necessaria dispositio intellectus per instructionem rerum spiritualium, & hic est lectoratus; & dispositio voluntatis per inflammationem cordis, & hic est acolytatus cuius officium est accendere candelas, quæ significant amorem Diuinum; ergo ordines propriè dicti tantùm sunt septem.

6 Prob. 2. pars concl. *ex Conc. Carthag. IV. vbi s.* docente allatos ordines conferendos esse per ordinationem; quod non dixit de psalmistatu, & sanctimonialibus; quod etiam habet *S. Damasus in Pontificali* asserens presbiteratum, diaconatum, subdiaconatum, & quatuor minores esse conferendos per ordinationem, cum debita scilicet materia, & forma; sed quod sic fit, est sacramentum; vt constat de præsbiteratu; nulla enim alia ratione potest probari esse sacramentum; ergo omnes habent veram rationem sacramenti. Præterea *S. P. Aug. lib. de bono coniugali c. 24.* non obscurè id docet; asserit enim generaliter in omnibus ordinatis remanere sacramentum ordinationis, quia manet caractet, quod est simul sacramentum, & res sacramenti, vt diximus *in sup. art;* ergo omnis potestas per ordinationem collata est verum sacramentum. Idem docet *S. Hier. lib. aduersus Vigilantium* asserens Episcopum diaconos, aliosque clericos ordinantem Christi sacramenta tribuere; quod absolutè esset falsum, si ordines minores, quibus initiantur clerici, verè, & propriè sacramenta non essent. Tandem *Flor. vbi s.* asserit ordinem esse sacramentum; & deinde assignat materiam, & formam propriam cuique, *& Trid.* definit ordinem esse sacramentum nouæ legis, & deinde septem ordines enumerat; quapropter *Catechismus Trid.* tradit hanc sententiam veluti definitam *à Trid.* Ratio autem ex dictis sic formatur. Signum sensibile gratiæ constans ex de-

debita materia, & forma est verum sacramentum; sed quilibet ordo, seu ordinatio, qua confertur quilibet ordo, est signum sensibile gratiæ constans ex debita materia, & forma; ergo quilibet ordo est verum sacramentum. Ma. constat ex definitione sacramenti. Mi. de diaconatu est euidens; habet enim Episcopus in illius collatione: *Accipite Spiritum S*; qui non confertur, nisi per gratiam; & de subdiaconatu, alijsque ordinibus habet *Flor. vbi s.* effectus illorum esse augmentum gratiæ, quod est effectus *Sacramenti viuorum*, vt est ordo; tum quia quoties confertur character, confertur simul & gratia, nisi sit obex ex parte subiecti; vt constat de charactere baptismi, & confirmationis; character enim est dignitas, quæ exigit naturaliter amico conferri; & si inueniat amicum, amicitiam auget; ideo secum defert gratię augmentum; nisi subiectum inueniat inimicum, & ideo obicem ad gratiam; sed in omni ordine confertur character, vt *infra* videbimus; ergo omnis ordo est sacramentum.

2. Vbi datur sacramentum simul, & res sacramenti; ibi debet dari sacramentum tantùm, & res sacramenti tantùm; quia sacramentum simul, & res sacramenti causatur ab eo, quod est sacramentum tantùm; quod etiam habet simul causare rem sacramenti tantùm; vt quia corpus, & sanguis Christi Domini existens sub speciebus panis, & vini est simul sacramentum, & res sacramenti; ideo necessariò debet dari illud, quod est tantùm sacramentum; implicat namque dari effectum sine causa, à qua essentialiter fit; causa autem, à qua fit corpus, & sanguis Christi Domini sub speciebus panis, & vini, est species panis, & vini, & verba in consecratione prolata, quæ constituunt sacramentum tantùm; quod essentialiter habet causare gratiæ augmentum, quod est res sacramenti tantùm, vt diximus *de euchar. q. 1. art. 1*; sed in collatione cuiuslibet ordinis datur id, quod est simul sacramentum, & res sacramenti; quia datur character, qui prout significatur per materiam, & formam, est res sacramenti; & prout significat æternum Christi Domini sacerdotium, est sacramentum, idèst signum alterius rei distinctæ, vt diximus *in sup. art. n. 10*; & quod imprimatur character, probat *Fund. Doct. vbi s*; quia in quolibet ordine confertur potestas per ordinem ad aliquam operationem particularem pertinentem ad missæ sacrificium, vt diximus; character autem est huiusmodi potestas, vt diximus *de sacram. in com. q. 4. art. 2*; tum quia character est id, quo distinguitur ordinatus à non ordinatis; hæc autem distinctio habetur etiam in ordinibus minoribus, vt constat; ergo debet haberi etiam distinctiuum, quod est character. *Vid. quæ diximus vbi s. & art. 1*; vbi fusior de hac re fuit sermo; ergo collatio cuiuslibet ordinis etiam minoris habet veram rationem sacramenti. Hæc ratio sumpta est *ex DD. P. Aug. & Hier. vbi s.* asserentibus in omni ordinatione remanere sacramentum, quod nequit esse, nisi character, qui prout significat Christi sacerdotium, est sacramentum, seu signum; quia tamen est etiam effectus ordinationis; ideo est simul res sacramenti. Tandem de ratione solius sacramenti est causare gratiam ex opere operato, vt diximus *vbi s. q. 3. art. 1*; sed quilibet ordo est huiusmodi; gratia enim, quæ per ipsum confertur, non confertur ex opere operantis, vt in benedictione sacramentalium; sed indicatiuè, & enunciatiuè, & ideo ex opere operato; eodem enim modo proferuntur verba formæ præsbiteratus; sicut proferuntur verba constituentia formam aliorum ordinum; vt videbimus; ergo idem.

7 Ex his deducitur etiam per collationem ordinum minorum gratiam conferri; & ideo mortaliter peccare, qui cum peccato mortali illos recipiunt; ponunt enim obicem ad gratiam, quod est graue peccatum.

8 Consequitur ex dictis omnes ordines etiam minores quoad materiam, & formam institutos fuisse à Christo Domino; nam ab illo instituta sunt omnia sacramenta; vt ostendimus *vb s. q. 1. art. 5. §. 1*; & habet *Trid sess. 21. cap. 2*; sed omnes ordines sunt vera sacramenta; vt diximus; ergo à Christo Domino sunt immediatè instituti quoad materiam, & formam. Tum quia si non fuissent instituti, maximè, quia de illis nulla fit mentio *in Scripturis*; sed hæc ratio nihil probat; nam neque materiæ, & formæ confirmationis quidquam legitur *in Scripturis*, & tamen definit *Trid.* sacramentum confirmationis à Christo Domino fuisse institutum; item licèt nulla fiat mentio *in verbis scriptis*, fit tamen in traditis; *Scriptura* autem tradita non habet minorem fidem, quàm scripta; traditio verò habetur ex consuetudine vniuersalis Ecclesiæ simpliciter immemorabili, & ex testimonijs *Conciliorum, & SS. PP*; & ex regula, quam tradit *S. P. Aug. ep. 118*: quòd nempe quoties aliquod ab immemorabili seruatur in tota Ecclesia, si non sit institutum *in aliquo Concilio generali*, neque *ab Apostolis*, necesse est, quòd habeatur per traditionem à Christo Domino fuisse institutum; sed non legitur materiam, & formam ordinum fuisse institutas *ab Apostolis*, aut *in aliquo generali Concilio*; ergo per traditionem habetur à Christo Domino fuisse institutas.

9 Prob. 3. pars concl. Nam *Conc. Trid. sess. 23. c. 2.* enumerans ordines non connumerat eis tonsuram; quam dicit præmittendam esse, vt ascendant ad ordines maiores per minores. Idem habetur *dist. 21. c. cleri:cos; & dist. 77. c. illud; & 93. c. à Subdiacono*; vbi numerantur omnes ordines nulla vnquam facta mentione primæ tonsuræ. Arguitur autem 1. Dispositio ad ordines non est ordo; sed *ex Trid.* tonsura est dispositio ad ordines; illud enim, quod præmittitur alteri, disponit ad illud; tonsura autem præmittitur

tur ordinibus, vt diximus *ex Trid*; ergo non est ordo. Sic exorcismus, qui præmittitur baptismo, non est baptismus, sed dispositio ad baptismum; & sponsalia, quæ præmittuntur matrimonio, non sunt matrimonium. 2. Ordo est spiritualis potestas ad exercendum aliquod ministerium speciale in Ecclesia, vt diximus; sed prima tonsura non est huiusmodi; non enim verba tondentis significant hanc potestatem, quam tamen significant verba ordinantis; neque prima tonsura insigniti habent aliquod ministerium speciale per ordinem ad aliquam operationem in Ecclesia faciendam, quod ministerium non habeant non insigniti prima tonsura; nam habentes primam tonsuram habent solùm esse deputatos ad canendas Diuinas laudes in Choro simul cum alijs Ecclesiæ ministris; quod officium etiam habent illi, qui de licentia Episcopi gestant habitum clericalem; imò & simplices fideles, qui ex consuetudine Ecclesiarum canunt simul cum clericis; ergò idem. Tum quia in collatione tonsuræ non traditur materia significans aliquam operationem faciendam; vt in collatione ordinum; nam claues significant aperitionem Ecclesiæ; liber lectionem &c; in collatione autem tonsuræ nil traditur; nec capilli, qui tondentur, possunt esse materia, quia non traduntur, sed tolluntur; nec aliquam operationem significant. Sed potiùs separationem à sæculi pompis, & superfluitatibus significant, nec non modestiam, & decentiam ornamentorum corporis, qua à sæcularibus debent distingui; ergo idem. Ex quo autem non est ordo, non est sacramentum; non enim spectare potest, aut participare rationem alterius sacramenti, vt constat.

10 De Fossariatu constat non fuisse collatum cum aliqua materia, & forma determinata, sed fuisse simplex officium pietatis, quod modò sæcularibus cōmittitur; nullibi enim assignatur eius materia, & forma; sicut assignatur materia omnium ordinum. Nec ordinatur ad solemnem celebrationem eucharistiæ, ad quam ordinantur omnes ordines, vt diximus; nec requiritur spiritualis potestas ad sepelienda cadauera, sed sufficit corporalis, vt patet. Idem dicitur de psalmistatu, qui exercetur, etiamsi Missæ sacrificium non celebretur, vt patet de vesperis, completorio &c; nec aliqua ordinatione traditur, sed per simplicem designationem; nec ab Episcopo confertur, sed sine licentia Episcopi à præsbitero gerente curam Ecclesiæ designatur; vt habetur *dist. 23. c. psalmista*, quod sumptum est *ex Conc. Carthag. IV. can. 10*; *& dist. 25. c. perlectis* habetur diuersum esse officium psalmistatus, & lectoratus; illud enim respicit etiam cantum antiphonarum &c; istud verò lectionem solam librorum veteris, & noui testamenti; ergo neque est ordo, nec cum ordine identificatur.

11 Obijc. 1. cont. 1. part. concl. SS. PP. variè referunt numerum ordinum; nam *S. Dion. de Cal. Hier. c. 5.* numerat tantùm Pontifices, sacerdotes, & ministros; *Canones Apostolici* numerant Episcopos, presbiteros, Diaconos, Lectores, & Cantores; *Auctor de septem gradibus* numerat etiam fossores, seu laborantes in sepulchris; ergo numerus ordinum non est certus *apud omnes*.

Resp. dist. ant. Referunt adæquatè, vel explicitè, neg; nam *S. Dion.* sub nomine ministrorum comprehendit Diaconos, Subdiaconos, & ordines minores, qui verè sunt ministri. Inadæquatè, conc; vt numerant *Canones Apostolici, & Auctor de septem gradibus*, qui numerant potiùs quædam Ecclesiæ munera, quæ ad rem suam faciebant, quàm ordines; licèt ad illa pertineant aliqui ordines, & alia, quæ non sunt ordines; ideo ista cum illis miscentur.

12 Obijc. 2. cont. 2. p. concl. *Anaclet. ep. 3. c. 2.* ait nullum alium fuisse ordinem à Christo Domino, vel *ab Apostolis* institutum, præter Episcopatum, & sacerdotium; *& S. Damas. ep. 5.* esse tantùm duos ordines, scilicet *Apostolorum, & Discipulorum*, idèst Episcoporum, & sacerdotum; *& D. Cypr. lib. 3. ep. 6.* ait Diaconos fuisse *ab Apostolis*, non à Christo Domino institutos; *Apostoli* enim, vt sedarent *Græcorum* murmur, instituerunt diaconos *Act. 6.* ad hoc, vt seruirent mensis fidelium, non vt seruireut mysterio eucharistiæ. 2. Omne sacramentum à Christo Domino institutum debet habere materiam, & formam determinatam; sed diaconatus non est huiusmodi; conferebatur enim per solam manus impositionem; & postcà habuit formam deprecatoriam, vt habet *S. Clem. lib. 8. Constit. Apostolic. c. 17; & 18*; ergo non est verum sacramentum.

Resp. ad 1. *Anacletum, & Damasum* loqui de ordinibus maioribus; ille enim agebat contra aliquos asserentes Primates habere altiorem ordinem, quàm Episcopos; negat autem Primatum esse ordinem, cùm importet tantùm ampliorem iurisdictionem, vt *inf.* dicemus. Iste verò agebat *contra Chorepiscopos*, seu Vicarios Episcoporum, qui præsumebant habere altiorem ordinem; negat autem Vicariatum esse ordinem. Ad *D. Cypr.* dicitur nihil aliud velle, quàm Christum nullum ordinasse diaconum, sicut ordinauit Episcopos, & præsbiteros; non tamen sequitur, quòd non instituerit diaconatum; sicut ex eo, quòd nullum baptizauerit, baptizabat enim *per Apostolos*, non sequitur, quòd non instituerit baptismum. Idem dicendum de alijs sacramentis. Ad *Act. 6.* dicitur, quòd diaconatus habet plura officia, vt *inf.* ideo quamuis vnum officium institutum fuerit *ab Apostolis*, non sequitur, quòd secundùm aliud non sit institutum à Christo Domino. Ad 2. negmi; quamuis enim fieret impositio manus, non

tamen

tamen sequitur, quòd non applicaretur debita materia, & forma, vt diximus *de bapt. q. 2. art. 6.*

13 Objic. 2. Solus ordo sacer est sacramentum, quod est *signum rei sacræ*; sed ordines minores non sunt ordines sacri; ergo non sunt sacramentum. 2. Si subdiaconatus, & ordines minores essent sacramenta, ordinatio per saltum ad præsbiteratum sine illis esset illicita; sed cons'est falsum; testatur enim *Arcud. lib. 6. de sacram. c. 5. D. Io. Chrisostomum, Cæsarium Arelaten; & alios* ordinatos fuisse diaconos, præsbiteros, & Episcopos sine subdiaconatu; ergo idem. 3. Sacramentum ordinis à solo Episcopo potest conferri; sed subdiaconi ordinati fuerũt *à Chorepiscopis*, seu Episcoporum Vicarijs; vt constat *ex Conc. Antioch. can.* 10; & ordines minores conferuntur per Cardinales, & Abbates, quibus Apostolica Sedes concedit; ergo non sunt sacramenta. 4. Quoties plures actiones ordinantur ad vnum effectum, tunc illa sola, quæ immediatè attingit illum effectum, est sacramentum; vt patet de exorcismo, & catechismo respectu baptismi; sed omnes ordines ordinantur ad conficiendum corpus Christi; ergo solus præsbiteratus, qui immediatè illud efficit, est sacramentum.

Resp. ad 1. dist. ma. Sacer per excellentiam, conc; sacer simpliciter, neg; & in hoc sensu neg. mi; nam ordines sunt quidem sacri, quia ordinantur ad rem sacram; dicuntur tamen non sacri per comparationem ad ordines maiores, qui dicuntur sacri per excellentiam, quia propiùs accedunt ad eucharistiam, cùm habeant annexum votum castitatis; & quia res consecratas pertractant; in quibus sensibus ordines minores non dicuntur sacri. Ad 2. dist. ant. Esset illicita, si facta fuisset sine rationabili causa, conc, cum rationabili causa, vt in adductis casibus est asserendum, neg. Ad 3. dicitur *Chorepiscopos* alios fuisse simplices sacerdotes, qui nequeunt ordines conferre; alios fuisse Episcopos non habentes propriam diecesim, vt sunt suffraganei; & de his loquitur *Conc.* Ad aliud dicitur, quòd si S. Sedes aliquando dispensauit, est, quia ordines minores, cùm sint imperfecti, non exigunt essentialiter perfectionem caracteris, quam importat digniras Episcopalis. *Vid. inf. q. 2. art. 1. n. 3.* Ad 4. dist. ma. Si illæ actiones non producant immediatè effectum aliquem spiritualem, nempe gratiam sanctificantem, vt exorcismus, conc; si producant gratiam, & caracterem, neg.

14 Objic. 3. Officia ordinum minorum conceduntur etiam laicis, quibus alicubi etiam permittitur canere epistolam; ergo ad illa non est necessarium sacramentum. 2. Si omnes ordines essent sacramenta, non septem, sed tria & decem essent sacramenta; ergo idem. 3. Actiones, ad quas ordinantur diaconatus, subdiaconatus, & ordines minores, sunt merè naturales, vt canere epistolam, euangelium, deferre vrceolos; ergo ad illas non requiritur sacramentum. 4. Circa sacramenta à Christo Domino instituta nulla potest esse variatio; quia sunt de iure Diuino; sed circa ordines minores, fuit in Ecclesia variatio; quia priùs fuerunt plures, quàm quatuor; nam inter illos recensebantur ordo cantorum, & fossariorum; item exorcistatus fuit inter gratias gratis datas; & acolytatus *teste Arcudio* non fuit notus primis Ecclesiæ PP; ergo idem; *& Io. Morinus, ac Card. Bona* testantur solum Lectoratum *in Ecclesia Græca* fuisse.

Resp. ad 1. dist. Conceduntur etiam laicis ex delegatione, sicut conceditur officium baptizandi, conc; ex officio, neg; ideo sicuti necessarium est sacramentum ordinationis, vt quis possit baptizare ex officio; ita à pari. Ad 2. iam *sup.* responsum est *cum Argent*; quamuis enim septem ordines sint sacramenta, integrant tamen vnum ratione finis. Ad 3. dist. ant. Sunt merè naturales elicitiuè, conc; ordinatiuè, neg; ordinantur enim ad eucharistiam, quæ est supernaturalis. Ad 4. neg mi; & ad prob. insertas dicitur cantoratum, & fossariatum non fuisse ordines, sed simplicia officia, quæ conferebantur sine materia, & forma, vt dictum est; & quamuis exorcistatus fuerit gratia gratis data; hoc tamen non tollit, quin fuerit institutus in ordinem; & ipsius meminit *Cornel. Papa ep. ad Fabium Antiochen.* asserens in Ecclesia tunc temporis fuisse quinquaginta duos exorcistas; & quadraginta duos acolytos; *& D. Cypr. ep. 49.* ait *Nicephorum acolytum* à Cornelio fuisse ad se missum; *& D. Hier. in 1. ep. ad Tessalon.* asserit missam fuisse *per Æxaram acolytum*; quo reijcitur *Arcud*; & firmatur veritas *Trid.* asserentis ordines minores in Ecclesia semper fuisse. Quo reijciuntur etiam *Morin; & Card. Bona*; quamuis enim actu non inseruierit liturgijs, nisi solus lector; attamen non sequitur, quòd alij ordines eis non fuerint noti, & non fuerint collati, vt per ipsos ascenderetur ad sacerdotium, quanuis ob rationabiles causas aliquando saltus fuerit concessus.

15 Objic. 4. cont. 3. p. concl. Prima tonsura confert ordinem clericalem, vt habetur *c. cùm contingat de foro competenti*. Item initiati prima tonsura gaudent priuilegio fori; vt habetur *ibid. c. 2.* & priuilegio canonis; *Si quis suadente* 17. q. 4. Sunt capaces iurisdictionis Ecclesiasticę, & beneficij. Item imprimit caracterem, vt habet *Sixtus V. in quodam motu proprio contra malè promotos ad ordines* edito 1588; in quò eam vocat caracterem clericalem; ergo est ordo.

Resp. conferre ordinem clericalem, non sacramentalem; quo nempe adscribitur militiæ Ecclesiasticæ; non quo deputatur ad officium inseruiendi celebrationi eucharistiæ. Status autem clericalis sufficit ad priuilegium fori, canonis, & iurisdictionis, ac beneficij Ecclesiastici. Neg. autem; quòd imprimat caracterem sacramen-

men-

mentalem; & *Sixtus* eam appellat caracterem clericalem, quatenus distinguit Ecclesiasticos, etiamsi nullo ordine insignitos, à laicis sæcularibus; qui caracter non est caracter sacramentalis, quia non est potestas ordinata ad aliquod ministerium speciale determinatum inseruiens ad solemnem celebrationem sacramenti eucharistiæ, vt diximus; in quo distinguitur caracter sacramentalis à non sacramentali, qui est simpliciter distinctiuus, non operatiuus; sacramentalis autem simul est distinctiuus, & operatiuus.

ART. III.

An Episcopatus sit ordo distinctus à præsbiteratu?

1 AErius teste *S.Epiphan.hær.*75; & *S.P.Aug. hær.* 53. asseruit nihil prorsus interesse de iure Diuino inter Episcopum, & præsbiterum; vnde si qua differentia videtur intercedere, esse de iure humano. Eundem errorem exuscitauit *Vuicleff* apud *Thomam Valden. lib.* 2. *de doctr. fidei art.* 3. *c.*60; & postea *Caluin. lib.* 4. *instit.c.*4.*S.*2;*Kemnit.in exam.*23.*Trid*; quem secuti sunt *omnes Caluinistæ*, & postremò *Blandellus in apologia S.Hier.* Quibus accesserunt *omnes Lutherani*.

2 *Catholici omnes*, & si fateantur *contra hos hæreticos* damnatos *in Conc. Constant. in Bulla Martini V*; & *in Trid.sess.*23.*c.*4;& *can.*7.Episcopos iure Diuino esse superiores præsbiteris potestate ordinis; attamen aliqualiter diffident in eo, quòd *aliqui* volunt Episcopatum esse ordinem, & sacramentum realiter à præsbiteratu distinctum; ac propterea imprimere caracterem realiter diuersum. *Ita Altisiodor*; *Scot*; *Dur*; *Major*, *Caiet*; *Petrus de Soto*, *Michael de Med*; *Estius*, *Bellarm.hic c.*5;*Valent*;*Vasq*; *Laym. Castro Palao*, *Mastr.hic disp.*4.*q.*1.*art.*1. *à n.*8; *vbi refert Bassol*; & *alios Scotistas*. *Alij* verò volunt non esse ordinem distinctum, sed importare tantùm perfectionem, & complementum, ac magnitudinem sacerdotij; ob quam *sacerdos magnus* vocatur; ac propterea non producere caracterem diuersum, sed tantùm perfectionem, complementum, ac magnitudinem caracteris. *Ita Fund.Doct.Æg.de Renunc.Papæ c.*10.*p.* 2; 3; & 5; & *cont. Exempt.c.* 14; *Argent. dist.* 23.*q.* 1. *art.*4; *Gibb.cum omnibus nostris*. Hanc sententiam docuerunt *Mag.dist.*24; *D.Tho.in suppl.q.*40. *art.*3; *D.Bon.hic dist.*24.*p.*2. *art.*2. *q.* 3; *Riccard*; *Palud*; *quamuis in oppositum citetur*, *Dominic. Sot*; *Abulen. in c.*16.*Matth. q.*74; *Ferrar.*4. *cont. Gent*; *Syluest. in summma v.Episcopus*, *Gonet cum alijs Thomistis recentibus*; *Reginald*; *Henriquez*, *Amic*; *Comitolus*, & probabilem putat *Sua.to.*3.*in* 3.*p. disp.*11. *sect.* 3.*S.solùm posset*, & *alij plures*.

3 Diximus *in tract. de pænit.* Episcopis duplicem potestatem in eorum consecrationem conferri; scilicet potestatem ordinis, per quam possunt saltem indirectè in corpus Christi naturale, & mysticum directè; quia possunt ordinare sacerdotes, eisque tribuere potestatem conficiendi corpus, & sanguinem Christi; & possunt confirmare baptizatos, consecrare Ecclesias, altaria, & cęteros huiusmodi actus hierarchicos exercere, qui nequeunt sacerdotibus simplicibus competere; quia hæc potestas communicatur solùm ex vi ordinationis, seu consecrationis Episcopalis. Alia potestas, quæ confertur Episcopis, est potestas iurisdictionis, qua possunt spiritualia iudicare, vt soluere, & punire peccata, censuris in foro interno, externoque ligare, vt docet *Fund. Doct. cont. Exempt. c.* 25. Non est dubium, quòd si accipiatur Episcopatus, prout importat talem potestatem iurisdictionis, distinguitur à præsbiteratus ordine, qui talem potestatem non importat formaliter. Quæstio igitur est solùm de potestate ordinis, quam superaddit potestati sacerdotali Episcopatus, an ab illa distinguatur realiter; quidquid sit de distinctione virtuali, de qua nullum potest esse dissidium.

4 Vnica concl. Episcopatus est verus ordo, & verum sacramentum iure Diuino in gradu superiori constituens; perficiens ordinem præsbiteratus, vnumque cum ipso ordinem magnum efficiens; atque adeò imprimens perfectionem, ac magnitudinem caracteris sacerdotalis, non tamen caracterem specie distinctum; & per consequens non distinguitur realiter ab ordine sacerdotali, nisi prout perficiens secernitur à perfectibili in eadem specie, & ideo tantùm virtualiter, sicut rationalitas ab animalitate.

Prob.1.pars *ex Act.* 20. *Attendite vobis*, & *vniuersæ Gregi*, *in quo Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*; ex quo sic arguitur. Illud, quod ex opere operato confert sanctitatem, & eleuat sacerdotem super alios sacerdotes, est verus ordo, & sacramentum perficiens ordinem præsbiteratus, eumque ad ordinem hierarchicum eleuans; sed Episcopatus est huiusmodi; ergo est verus ordo, & verum sacramentum perficiens ordinem præsbiteratus, eumque ad ordinem hierarchicum eleuans. Ma. constat; quia sola sacramenta habent conferre gratiam ex opere operato; quæ extra sacramenta solùm ex opere operantis inducitur, vt pluries diximus. Prob.mi. Episcopatus ex opere operato confert Spiritum Sanctum, vt patet *ex allato textu*; ideo confert gratiam, quæ diffunditur per Spiritum Sanctum; & *ex* 1. *Tim.* 4. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbiterij*; quod habetur *etiam* 2. *ep. c.*1; nomine autem *presbiterij* absolutè significatur nedum sacerdotium simplex, sed etiam sacerdotium magnum, quod est Episcopatus; quoties enim nomina-

minatur genus absolutè, quod in duas species diuiditur, rectè vtraque species intelligitur; vnde cùm præsbiterium diuidatur in paruum, quod sacerdotibus simplicibus conuenit; & magnum, quod Episcopis congruit; ideo absolutè dicendo per præsbiterium gratiam conferri, rectè infertur nedum ordinem sacerdotalem simplicem, sed etiam Episcopatum gratiam conferre. 2. Sacra ordinatio Episcopalis confert potestatem ordinandi sacerdotes simplices, & conferendi sacramentum confirmationis ex officio, consecrandi Chrisma, Ecclesias, altaria &c; quæ ad sacramentum eucharistiæ ordinantur; ergo est verus ordo, & verum sacramentum; nam potestas circa eucharistiam tantùm per sacramentum confertur; in hoc enim distinguitur potestas sacramentalis à potestate iurisdictionis, quòd illa per ordinationem sacram confertur; ista verò traditur per simplicem designationem. 3. Ad rationem veri ordinis, qui est verum sacramentum, tria requiruntur; scilicet quòd importet signum tantùm potestatis ordinatæ ad eucharistiam; quòd importet aliquod, quod sit simul signum, & res significata; & aliud, quod sit tantùm res significata; per primum enim distinguitur ordo à ceteris sacramentis, & per alia duo conuenit cum alijs sacramentis, quæ illa tria necessariò important; sed sacra ordinatio Episcopalis importat hæc tria; est enim signum potestatis ordinandi alios, quæ per ipsam traditur; & ipsa potestas est simul res producta per sacram ordinationem episcopalem; & significat potestatem magnam sacerdotij Christi Domini, in cuius virtute operatur; & importat gratiam, quæ est tantùm res producta, & non signum; ergo sacra ordinatio episcopalis est verum sacramentum. Atqui nequit esse, nisi sacramentum ordinis, qui ab ordinatione dicitur; ergo episcopatus est verus ordo, & verum sacramentum. De materia, & forma episcopatus *inf. art. 4. n. 17.*

5 Prob. 2. pars concl. *ex eod. textu*, quo dicitur Episcopos positos fuisse à Spiritu S. ad regendam Ecclesiam Dei, in qua sunt sacerdotes; sed quæ sunt facta à Spiritu S. sunt de iure Diuino; ergo episcopatus iure Diuino est gradus superior præsbiteratu; atque adeò collatus præsbitero ipsum eleuat ad ordinem altiorem, ipsumque in gradu superiori constituit; *& 1. Rom. 5.* Episcopus declaratur superior, & iudex præsbiterorum; *Apost.* enim iubet *Timotheo* in Episcopum iam à se constituto, vt accusationes aduersus præsbiteros, nisi sub duobus, vel tribus testibus recipiat; quòd est proprium superioris, & iudicis; sed superior, & iudex constitutus *in Scriptura*, quæ condita est a Spiritu S; est in gradu superiori, & altiori Diuino iure, quàm sit subditus; ergo episcopatus iure Diuino importat gradum superiorem, & altiorem gradu, quem importat simplex præsbiteratus.

Præterea Episcopi sunt successores *Apostolorum*; & præsbiteri *septuaginta duorum Discipulorum*; sed *Apostoli* iure Diuino fuerunt superiores *Discipulis*, quia à Christo Domino tales effecti sunt, dedit enim eis potestatem, qua presbiteris præerant, atque adeò talis potestas fuit à Deo, & iure Diuino; non ab homine, & iure humano; ergo episcopatus iure Diuino importat superiorem gradum, quàm sit gradus præsbiterorum. Hoc docent *SS. PP. communiter. S. Clem.* qui vulgò dicitur Auctor Constitutionum Apostolicarum *lib. 3. Constitut. Apostolicar. c. 26.* vult presbiterum Episcopo esse subiectum. Idem *S. Ignatius ep. ad Smirn. n; Innoc. I. ep. ad Decent.* ait pontificatum, seu episcopatum esse apicem sacerdotij. *S. Epiphan; & S. P. Aug. vbi sup; S. Hier. ep. ad Pamach.* damnat has voces: *Nihil interest inter præsbiterum, & Episcopum: Eadem dignitas vtriusque est; & ep. ad Euagr.* hoc probat *ex veteri scriptura*; ex qua ait sumptas esse *traditiones Apostolicas*; & ideo sicuti *Aaron*, tanquam Summus Pontifex à Deo constitutus, iure Diuino præerat suis filijs, qui erant sacerdotes; atque adeò in gradu altiori, superiori, & eminentiori super filios iure Diuino per pontificatum constitutus erat: ita Episcopi hoc sibi vendicant super præsbiteros, & diaconos in Ecclesia Dei; *& in ep. ad Tit. c. 1.* ait ita se habere Episcopos respectu presbiterorum suæ diecæsis; sicut *Moyses* respectu *septuaginta seniorum* à se electorum; sed *Moyses* iure Diuino erat in gradu superiori, & digniori, illi autem *seniores* in gradu inferiori, quia erant *Moysi* subditi, atque adeò inferiores; ergo & Episcopi iure Diuino sunt in gradu superiori, & digniori; præsbiteri verò in gradu inferiori, quia sunt Episcopis subditi; & ideo inferiores. Accedunt *Conc. Carthag. IV*; & vt vetera omittamus, nouissimè *Trid. sess. 23. c. 4; & can. 7.* statuit: *Si quis dixerit Episcopos non esse præsbiteris superiores; vel non habere potestatem confirmandi, & ordinandi; vel eam, quam habent, illis esse cum præsbiteris communem &c. anathema sit.* Potestatem autem ordinandi, confirmandi, consecrandi chrisma, ecclesias, altaria &c. esse de iure Diuino constat; quia illis competit ratione dignitatis.

6 Prob. 3. pars concl. ex illo *Eccl. 50*; vbi *de Onia* dicitur: *Sacerdos magnus, qui in vita sua suffulsit domum, et in diebus suis corroborauit templum.* Communis autem sensus Ecclesiæ est *hunc textum* de Episcopis dici, qui soli *Sacerdotes magni* vocantur; vt in capitulo officij illis cõmunis de quolibet sancto Episcopo canit Ecclesia: *Ecce sacerdos magnus*; sicut autem Episcopus dicitur *sacerdos magnus*: ita episcopatus dicitur *sacerdotium magnum*; ex quo sic arguit *Fund. Doct. Æg. cont. Exempt. vbi sup.* Sacerdotium magnum, & paruum in eodem subiecto non distinguuntur realiter, sed illud importat tantùm perfectionem, ac magnitudinem, & plenitudinem

nem istius; sed episcoparus importat sacerdotium magnum, & præsbiteratus sacerdotium paruum; ergo episcopatus, & præsbiteratus non distinguuntur realiter numero; ideo episcopatus importat solam perfectionem, magnitudinem, & plenitudinem præsbiteratus. Prob.ma. Homo parnus ex eo, quòd fit magnus, non fit alter numero homo realiter distinctus; sed solùm acquirit perfectionem magnitudinē, & plenitudinem hominis, vt est per se notum; sed sacerdotium magnum, & paruum se habent, sicut homo magnus, & paruus; sicut enim paruus conuenit in hoc cum homine magno, quòd potest conuertere cibum in propriam substantiam; differt tamen, quia homo paruus nequit generare alterum hominem defectu perfectionis, & magnitudinis ad generandum exactæ; ita sacerdos paruus conuenit in hoc cum sacerdote magno, quòd potest conuertere panem, & vinum in corpus, & sanguinem Christi; differt tamen, quia sacerdos paruus nequit generare alium sacerdotem, quem potest generare sacerdos magnus; & hoc, quia illi deficit perfectio, magnitudo, & plenitudo sacerdotij ad efficiendos alios sacerdotes exactæ; ergo sacerdotium magnum, & paruum non distinguuntur realiter in eodem subiecto, sed tantùm per modum perficientis, & perfectibilis, completi, & incompleti; seu magnificantis, & magnificati. Mi. constat tum *ex t. allato*; tum ex ratione; ita enim se habet Episcopus, & sacerdos; sicut homo, qui potest actu generare hominem; & homo, qui defectu magnitudinis debitæ nequit hominem gignere; nam Episcopus potest sacerdotem ordinare, & creare; quod tamen nequit simplex sacerdos; sed ex eo, quòd homo possit alium generare, dicitur magnus; & ex eo, quòd nequeat generare, dicitur paruus; ergo episcopatus dicit sacerdotium magnum, & præsbiteratus sacerdotium paruum. 2. Communis Ecclesiæ sensus, quem secutum est *Trid. vbi s. c. 2*; est septem tantùm esse ordines; ergo ne dicatur Episcopatum ordinem non esse, dicendum est non distingui realiter à præsbiteratu, sed esse tantùm perfectionem, magnitudinem, & plenitudinē illius. 3. *Cùm eod. Fund. Doct. vbi s.* In tantùm præsbiteratus potest suscipi per saltus sine diaconatu, aut subdiaconatu; in quantùm est ordo diuersus ab illis, & diuersum imprimit caracterem; vt habetur *dist. 52. c. sollicitudo; & extra de clerico per saltum ordinato c. tua littera*; sed Episcopatus nequit suscipi sine præsbiteratu per saltum; vt habetur *extra de Prælatorum excessibus c. ex literis* in fine *§. cùm igitur; & Glos. in dist. 52. c. sollicitudo*; ergo neque est ordo distinctus, nec distinctum imprimit caracterem. 4. Si episcopatus non perficeret vnum ordinem cum præsbiteratu perfectiorem, & excellentiorem, sed esset ordo specificè diuersus ab illo, sequeretur, quòd esset inferior, & imperfectior præsbiteratu; sed cons. est contra fidem, vt diximus *cont. hæreticos*; ergo ant. est falsum. Prob. seq. Potestas in corpus Christi verum, & naturale est superior, & dignior potestate in corpus Christi mysticum; potestas enim sumit suam specificationem à termino, quem respicit; corpus autem verum, & naturale, quod est Christus Dominus, est perfectius, & excellentius, quàm sit corpus mysticum, quod constituunt fideles; & ideo potestas illud respiciens est perfectior, dignior, & excellentior, quàm potestas tendens in istud; sed episcopatus immediatè dicit potestatem in corpus Christi mysticum; dicit enim potestatem transferendi caracterem sacerdotalem in alios homines, qui sunt corpus mysticum Christi Domini; ordo verò sacerdotalis dicit potestatem immediatè cōficiendi corpus, & sanguinem Christi; ergo sequeretur, quòd episcopatus esset inferior, vilior, & imperfectior præsbiteratu. Nec ex eo, quòd transfundat potestatem in alios conficiendi corpus, & sanguinem Christi, sequitur esse illa perfectiorem; nam sicut ex eo, quòd Sol instrumentaliter generet in homine semen, in quo est virtus productiua alterius hominis, non sequitur potestatem productiuam Solis esse perfectiorem potestate productiua hominis, quę est in homine; ita à pari. Tum quia vel potestas episcopalis, vt præcisa, & contradistincta à potestate sacerdotali posset consecrare corpus, & sanguinem Christi; vel non? Si primum; ergo Episcopus non sacerdos pôsset Christi corpus consecrare, quod est erroneum; at si posset consecrare, quia eminenter includeret potestatem sacerdotalem; ergo potestas episcopalis non distinguitur à potestate sacerdotali in eodem subiecto; sed est potestas eminentior virtualiter illam includens sibi identificatam; vt dicimus de anima rationali in homine, quæ cùm sit perfectior anima vegetatiua, & sensitiua, quas eminenter continet; ideo in homine non est, nisi vna anima rationalis, superfluæ enim essent aliæ, cùm effectus earum ab anima rationali possint produci. Hinc si aliquis non sacerdos consecraretur episcopus, non esset consecrandus sacerdos; sicuti si immediatè crearetur aliquis homo, non esset posteà creandus, vt viuens, & vt animal; quia homo hæc eminenter continet; & ex hoc sequeretur, quòd non diaconus ordinatus sacerdos non esset ordinandus diaconus, & sic de reliquis ordinibus; sacerdotium enim est perfectius, eminentius, & superius ad diaconatum, sicut diaconatus ad subdiaconatum &c; hoc autem est contra præceptum, & ritum Ecclesiæ; ergo & illud. Si secundum; ergo potestas Episcopalis inferior esset, & minor potestate sacerdotali; principium enim ineluctabile est; quòd potestas consecrandi est superior qualibet potestate non consecratiua corporis, & sanguinis Christi, vt diximus. Conf.

magis

magis soluendo responsionem *Aduersariorum* asserentium episcopatum non continere eminenter sacerdotiū;sicut sacerdotiū eminenter continet diaconatū; sed essentialiter formaliter includere caracterem sacerdotalem; ideo ordinatio Episcopi non sacerdotis esset irrita, & nulla;ordinatio autem sacerdotis non diaconi esset valida. Vel episcopatus includit formaliter sacerdotium per ordinem ad constituendam vnam potestatem, & plenam; vel tantùm illud præsupponit, vt quid realiter distinctum? Si primum; ergo non distinguitur realiter ab illo,sed est tantùm perfectio, & plenitudo illius; sicut rationalitas includit animalitatem, quam perficit; & complet constituendo vnā essentiā hominis. Si secundum; ergo est eadem ratio de sacerdotio, quod præsupponit diaconatum, vt quid realiter distinctum. Tum quia si sacerdotium contineret virtualiter diaconatum, non diaconus ordinatus sacerdos non esset ordinandus posteà diaconus;continens enim virtualiter aliud non eget, vt in ipso, vel cum ipso ponatur formaliter illud aliud, vt constat de anima vegetatiua; sed conf.est falsum; habetur enim *extra de clerico per saltum promoto c.1.tuæ literæ; & dist.52.c.1.sollicitudo*; vbi *Alex II; & Innoc. III.* expresè mandant sic ordinatum esse posteà ordinandum in diaconum; supplenda enim sunt quæ deficiunt; inquit *Fund.Doct.de renunc. Papæ c.10.p.1.in fine*.

7 Obijc.1. *Aerius* cont.2.p.concl. Præsbiteratus, & episcopatus sunt vnus,& idem ordo; & vna dignitas, qua ordinatus potest sacramenta dispensare, & conferre; non enim est duplex ordo realiter distinctus, vt dictum est; ergo Episcopus iure Diuino non est sacerdote superior. Ant.prob. *Apost.1.ad Tim.3.* meminit solùm Episcoporum, & diaconorum omissis præsbiteris; ergo Episcopus, & præsbiter est idem omnino; aliter *Apostolus* insufficienter locutus fuisset; transijsset enim de extremo ad extremum sine medio. Idem habet *Philippen.1*; vbi præsbiteros vocat Episcopos; nominat enim eos in plurali; cùm tamen in illa ciuitate non essent plures Episcopi, sed tantùm plures sacerdotes, & vnus Episcopus; *& 1.Tim.4.* Episcopos vocat præsbiteros; nomine enim *præsbiterij* iuxta communem interpretum expositionem cœtus Episcoporum significatur; ergo idem.

Resp. *S.Epiphan*; quòd licèt episcopatus,& præsbiteratus conueniant in aliquibus, non tamen in omnibus; Episcopus enim potest ordinare, & generare alios sacerdotes; quod nequit simplex sacerdos. Et quanuis in eodem homine præsbiteratus,& episcopatus non sit duplex ordo; attamen in diuersis hominibus diuersi ordines sunt; quia præsbiteratus simplex est imperfectus, & incompletus; episcopatus verò est perfectus, & plenus; quia habet plenitudinem potestatis, quæ deficit præsbitero simplici. Ad prob.resp. *idem S.Epiphan. Apostoles* propter personarum habilium penuriam singulis Ecclesijs, quarum vna tantùm erat in vna Ciuitate ob paruum numerum fidelium, attribuisse vnum Episcopum, cui diaconum adiunxerunt. *D.*autem *Chrysost.hom.8.in ep.ad Philipp.* ait tunc temporis hæc nomina Episcopi, & præsbiteri pro eodem vsurpata fuisse; Episcopus enim rectè per antonomasiam dicitur præsbiter; quia excellit inter præsbiteros, cùm sit apex, & primus eorum; præsbiter autem rectè dicitur de episcopo; de quo etiam dicitur sacerdos. Nam hæc tria nomina Episcopus, præsbiter, & sacerdos secundùm proprias ethimologias sonant aliquod, quod Episcopo congruit; Episcopus enim idem est, ac *inspector*; præsbiter *ætate senior*; & sacerdos *sacra offerens*. Cùm igitur Episcopus debeat esse senior, si non annis, saltem moribus, & doctrina; & cùm Episcopi munus sit offerre pro se, deinde pro populo; & præterea consecrare chrisma,sacerdotes,Ecclesias &c; ideo rectè vocatur etiam præsbiter, & sacerdos; & præsbiter, ac sacerdos antonomasticè sumptus, prout hæc tria significant, appellant Episcopum. Nominauit autem eos in plurali, non quia vni Ciuitati plures Episcopi præfecti essent; sed quia loquebatur omnibus Episcopis illius prouinciæ, qui *Philippos* conuenire solebant, vt de suarum Ecclesiarum negotijs consulerent.

8 Obijc.2. *D.Hier.comm.1. in Ep. ad Tit; & ep.ad Euagr.* ait: *Idem est præsbiter, qui Episcopus; & antequam Diaboli instinctu studia in religione fierent,& diceretur in populis: Ego sum Pauli; ego Apollo; ego verò Cephæ; communi præsbiterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur; & de septem gradibus Ecclesiæ;* ait præsbiterum posse facere,quidquid facit Episcopus; quanuis aliqua Episcopo sint reseruata. Item *S.P.Aug.ep.19.* ait, quòd secundùm honorum vocabula, quæ nunc vsus obtinuit, Episcopus est præsbitero maior. *Et S. Ignat.ep.ad Smirnenses* ait: *Sacerdotium est summa omnium bonorum, quæ in hominibus consistunt*. 2. Christus ordinauit præsbiteros in cęna; nusquā autem legitur ordinasse Episcopos; ergo Episcopus, & præsbiter idem est.

Resp; quòd *D.Hier.* oppositū manifestè docuisse constat *ex textibus sup.* adductis; *& ex ipsâ ep.ad Euagr*; vbi docet præsbiterum non posse ordinare, quod tamen potest Episcopus. Loquitur ergo *S. Hier.* de actuali exercitio potestatis iurisdictionis, quam dicit esse de iure humano. Quanuis enim potestas ordinis, & iurisdictionis in actu primo competat Episcopis supra præsbiteros de iure Diuino; attamen quòd vtramque potestatem exerceant super hos, & non illos, est de iure humano. Vel dicendum est *D.Hier.* loqui de Archiepiscopis, qui de iure humano superpositi fuerunt Episcopis, qui præsbiteri vocabantur, *vt schismatum semina tollerentur*. Si

enim vnus de episcopis præsbiteris fuit eis prælatus ex Ecclesiæ decreto; & solus Archiepiscopus Episcopis præest potestate iurisdictionis; ideo necessariò intelligendus est *D.Hier*; quòd de Archiepiscopis solis loquatur; non enim nomen Archiepiscopi tunc erat adeò in vsu, sicut nunc, vt patet. *Ad ep.de septem gradibus* dicitur esse illi falsò adscriptam eo, quòd in illa diaconus extollitur, cuius tamen fastum *D.Hier.* deprimit; sensum autem *illius ep.* esse, quem mox diximus; scilicet nomine Episcoporum significari Archiepiscopos, qui Episcopis prælati fuerunt. Ad *D.P.Aug.* dicitur contrarium sentire *Aerium* reijciens. Docet ergo, quòd licet præsbiteri, & Episcopi nomine idem significaretur antiquitus; attamen nunc est vtriusque significatio distincta, quod verissimum est; nam nomine præsbiteri significatur simplex sacerdos; nomine autem Episcopi *Sacerdos magnus* exprimitur. *Ad D.Ignat.* dicitur loqui de sacerdotio antonomasticè sumpto, prout tunc vsurpabatur, quod est sacerdotium magnum, seu episcopatus. Ad 2. dicitur Christum Dominum ordinasse *D.Petrum*, cùm dixit: *Tu es Petrus; & ego dico tibi; quòd super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*; vt docet *S.P.Aug.lib.1.Retract.c.21*; reliquos verò ordinasse *Io. 20*; cùm dixit: *Docete omnes gentes baptizantes eos &c*; proprium enim Episcoporum est docere ex officio, & baptizare omnes suæ diecesis, quia præsbiter vnius parochiæ nequit instruere ex officio, & baptizare subditos alterius Ecclesiæ parochialis, etiamsi in eadem diœcesi sub eodem Episcopo sint; Episcopus autem potest quoslibet suæ diecesis ex officio edocere, instruere, & baptizare.

9 Obijc. 3. *Estius* cont. 3. p. concl. referens omnes *Aduersariorum* rationes; quarum aliquæ probant episcopatum esse sacramentum; quia confert gratiam ex opere operato; vt colligitur *ex 1.Tim.4; & 2.Tim.1; & ex D.Greg.lib.4.in 1.Reg.c.4.* asserente: *Qui in culmine ponitur, sacramenta suscipit vnctionis*; constat autem, quòd nomine *culminis* episcopatum intelligit, qui est culmen, & apex potestatis ordinis; & ex illo, quòd in ordinatione episcopali detur spiritus S; & ex eo, quòd in pontificatu veteris legis conferebatur gratia sanctificationis; cuius ratio est. Nam si præsbiteris, diaconis, & ceteris inferioribus confertur gratia, quia gratia peculiari egent, vt ministeria illis tradita debitè exerceāt; multò magis id dicendum de episcopatu, qui est ministerium excellentius, & dignius; tum quia in ordinatione verè accipit Episcopus potestatem ordinis, & iurisdictionis; ergo est sacramentum. Aliæ probant episcopatum esse ordinem verè, & propriè; & illius collationem esse verè, & propriè ordinationem; vt *ex Conc.Carthag.4 V; & ex sacris canonibus*, vbi agitur *de consecratione Episcoporum; & ex Conc. Trid. sess.23.c.4*; vbi declarat Episcopos *ad Hierarchicum ordinem* pertinere; quod dici non posset, si episcopatus ordo non esset. Aliæ randem probant esse ordinem distinctum ab ordine præsbiteratus; vt *S.Dion. de Hier. Eccl. c.5.* distinguit tres ordines sacros, scilicet *diaconorum, præsbiterorum, & Episcoporum*, à quibus actus hierarchici eliciuntur; *& S.Anaclet. ep.3.* docet duos ordines, nempe *episcoporum, & sacerdotum* fuisse institutos; *& S.Leo ep.84.c.4.* docet primum ordinem esse episcopalem, secundum præsbiteralem, tertium leuiticum, quartum subdiaconorum; quod tradit etiam *S.Gel.* relatus *dist.30; & S.Epiphan.contra Aerium* asserentem vnum esse ordinem Episcoporum, vnamque dignitatem, ipsos ordines distinguit; & tandem *Conc. Carthag.IV.* distinguens ritum ordinum sacrorum distinctè assignat ordinationem Episcopi, & deinde ordinationem præsbiteri; ergo episcopatus, & præsbiteratus sunt duo ordines distincti; & per consequens ordines sunt octo, non septem.

Resp. rationes primi, & secundi generis probare primam partem concl; non autem tertiam improbare; concedimus enim ordinationem Episcopi esse verum sacramentum, veramque ordinationem sacram; negamus tamen esse sacramentum, ordinemque specie diuersum à sacramento, & ordine præsbiteratus; & dicimus solùm differre, vt perfectum, & imperfectum; perfectum autem, & imperfectum non variare speciem compertum est; & per hoc patet ad rationes tertij generis; quæ sic intelligendæ sunt, vt procedant de duobus ordinibus differentibus solùm secundùm gradum perfectionis, magnitudinis, & plenitudinis; & secundùm gradum imperfectionis, inferioritatis, & incompletionis; secundùm quos gradus in diuersis subiectis habent distingui episcopatus, & præsbiteratus; quamuis coniuncti in eodem subiecto integrent, & compleant vnum tantùm ordinem importantem potestatem plenitudinis circa corpus naturale, & mysticum Christi Domini. *Aerius* autem asserebat æquè perfectum esse præsbiteratum, & episcopatum; & ideo vnum ordinem esse nedum specie, sed etiam perfectione; propter quod *SS.PP.*& Pontifices duos ordines distinxere per ordinem ad maiorem, & minorem perfectionem potestatis, & ad diuersas actiones; per ordinem ad quas ipsos distinxit *D. Dion.*

10 Quæres 1; quænam sint Episcopi officia?

Resp. esse prædicare verbum Dei; vt patet *ex Act.6; ep.ad Tim; & ad Tit; & ex Trid*; conferre ordines, confirmare, consecrare chrisma, oleum sacrum, Virgines, Ecclesias, altaria, benedicere Abbates, & sacra vasa; item visitare Ecclesias sibi subiectas; alere pauperes, tueri orphanos, & viduas; quia tamen aliqua ex his sunt institutionis humanæ; ideo committi possunt etiam præsbitero.

11 Quæres 2; an inter Episcopos detur diuersitas graduum ita, vt vnus sit alio superior?

Resp. Episcopos omnes quantùm ad potestatem ordinis esse prorsus æquales; nec maiorem potestatem esse in vno, quàm in alio; & ideo character episcopalis non admittit diuersitatem. Quantùm autem ad potestatem iurisdictionis inæquales esse; nam Archiepiscopi maiorem iurisdictionem habent, quàm Episcopi; Primates, quàm Archiepiscopi; Patriarchæ, quàm Primates; & tandem summus Pontifex maximam, & vniuersalem potestatem habet in totam Ecclesiam, quam nullus alius potest habere. Est autem hoc discrimen inter Summum Pontificem, & alios Episcopos; quòd ille plenissimā potestatem iurisdictionis habet à Christo Domino; ideo à nullo potest restringi, aut modificari; alij autem potestatem iurisdictionis habent à summo Pontifice, à quo potest limitari, modificari, & ab exercitio suspendi. *Vid. to. 4. de fide q. 4. de Hier. Eccl. art. 1; & seq;* vbi assignatum est hoc aliud discrimen; quòd episcopatus imprimit perfectionem characteris; perficit enim potestatem ordinis, vt dictum est; character autem consistit in potestate ordinis, vt dicitur in eius definitione. At verò Archiepiscopatus, Metropolitatus, Primatus, Patriarchatus, & Papatus nec imprimunt characterem, nec perfectionem characteris; important enim solam potestatem iurisdictionis, quæ fine charactere communicatur; potest enim conferri etiam non ordinatis, vt *sup.* diximus; & potest auferri, quod est contra rationem characteris, qui simpliciter indelebilis est.

§. 1.

An electio, & depositio Episcopi pendeat à potestate laica; & an debeat à tribus Episcopis consecrari?

12 Recentes heretici dixerunt electionem, & depositionem Episcopi de iure Diuino, quod nequit variari, esse penes plebem, vel magistratum ciuilem, & illius ordinationem sic pendere ab hac electione, vt sine illa nulla, & irrita sit; imò laicam potestatem posse ordinationem Episcopi à se electi, & iam consecrati abrogare. Hanc hæresim proscripsit *Trid. sess. 23. c. 4;* vnde oppositum est de fide tenendum.

13 Quoad 2. *aliqui* censent ordinationem Episcopi a tribus Episcopis essentialiter esse faciendam ita, vt aliter facta sit irrita, & nulla. *Gibb.* autem docet posse Summum Pontificem vni tantùm Episcopo committere, vt alium consecret. *Ita hic disp. 22. dub. 5. à n. 16.*

14 Vnica concl. Electio, & depositio Episcopi non est penes potestatem laicam, & eius consecratio independenter à laicis facta est legitima, & valida; & quanuis de iure Diuino communi sit, vt fiat à tribus Episcopis, vt statutum fuit *in Conc. gen. Nic. c. 4;* attamen de iure speciali potest fieri tantùm ab vno.

Prob. 1. pars concl. Electio, & consecratio *Aaronis* in Summum Sacerdotem, & filiorum eius in sacerdotes minores fuit facta independenter à populi consensu; sed illa fuit figura electionis, & consecrationis, quæ fit in Ecclesia, vt *SS. PP.* docent *communiter*; ergo electio, & consecratio Episcopi à laica potestate non pendet. 2. Christus Dominus elegit, & ordinauit duodecim *Apostolos, & septuaginta duos discipulos* independenter à plebis consensu; & hanc formam eligendi *Apostolis* tradidit; *Act.* enim 1. statuerunt duos scilicet *Iosephum, & Matthiam*, vt vnus ex eis in locum *Iudæ* eligeretur independenter à populi consensu; *& Act. 13.* elegerunt *Saulum, & Barnabam* ad Apostolicum munus; & *Paulus* absque plebis consensu ordinauit *Timotheum Ephesiorum, & Titum Cretensium* Episcopos; & eandem formam eligendi alios *Timotheo* præscripsit. *1. Tim. 5. Constitue per ciuitates presbyteros; sicut & ego disposui tibi.* Ita *D. Petrus* independenter à plebis consensu elegit sibi successorem *Clementem; & sic de alijs,* de quibus videre est *in de Actis Apostolorum*; ergo electio, & ordinatio Episcopi non dependet à populi consensu; & per consequens sine illo valida est, & legitima. Hoc fuit statutum *in Conc. Laodiceno circa annum 320;* vbi *c. 13.* decreuit; *Quòd non sit permittendum turbis electiones eorum facere, qui sunt ad sacerdotium prouehendi.* Sic *D. Greg. Augustinum Anglorum* ordinauit Episcopum; *& Vitalianus Papa Theodorum Tarsensem* eiusdem Regni Episcopum destinauit plebe, & magistratu inaudito; vt refert *Beda in hist.* Et quanuis ad preces populi rectè aliquando Summus Pontifex Episcopum, quem petebat, concesserit; nam & hoc fecerunt *Apostoli Act. 6;* cùm septem diaconos à multitudine fidelium electos, et præsentatos ordinarunt; attamen etiam sine tali electione, & præsentatione validam esse ordinationem docet *S. P. Aug. de bono coniugali c. 24.* Videantur *canones de electione*, si plura desiderantur. Ratio etiam hoc probat. Potestas ecclesiastica non pendet à potestate laica, et sæculari; sed potiùs è contra; nam potestas laica est gladius materialis; ecclesiastica verò est gladius spiritualis, gladius autem spiritualis, vt potè superior, non pendet ab inferiori; vt ostendimus *to. 4. de fide q. 4. de Hier. Eccl. art. 6;* vbi *vid. plures alias rationes* hoc probantes; sed apud plebem, et magistratum ciuilem residet sola potestas laica, et sæcularis; ergo potestas ecclesiastica à plebe non pendet. Atqui potestas Episcopalis est potestas ecclesiastica; ergo eius collatio non pendet à consensu plebis, aut magistratus ciuilis.

15. Prob.

15 Prob. 2. pars concl. Quanuis *ex epi qua dicitur Anacleti ad Episcopos Galliæ c. 1.* habeatur ordinationem Episcopi faciendam esse à tribus Episcopis ex institutione Christi Domini, & ideo de iure Diuino communi; ait enim: *Si autem non minùs, quàm à tribus Apostolis tantus fuit ordinatus Episcopus, patet profectò eos formam institutam Domino tradidisse non minùs, quàm à tribus Episcopis Episcopum ordinari debere*; quam formam statuit *Conc. Nic. I. gen. c. 4*; attamen de iure speciali, seu ex dispensatione propter aliquam vrgentem necessitatem potest vni tantùm Episcopo committi, vt alium Episcopum consecret; vt habetur *ex lib. constitut. Apostolic*; *qui tribuitur Diuo Clem. cap. 17*; *seu 33.* dicentis: *Si necessitas vrgeret ab vno ordinari, quod propter persecutionem, aut aliam causam plures adesse non possint, afferatur decretum commissionis plurium Episcoporum*; quibus verbis innuitur duos ex Episcopis deputatis posse alijs committere hoc officium ex dispensatione speciali. Quod comprobauit *S. Greg. Magn.* committens *Augustino Anglorum Episcopo*, vt solus alium Episcopum consecraret; nec audiendus est *Gonet*, qui hoc factum vocare conatur in dubium; quod *apud omnes* est certum; & dubium substulit *Innoc. XI*; inquit *Gibb*; qui *anno 1686. die 29. Decembris* ob rationabiles causas concessit *Godefrido Franciæ Orientalis Duci*, vt cum assistentia duorum infulatorum Abbatum posset consecrari in Episcopum. Quod etiam potest firmari; nam Christus Dominus ordinauit *solum Petrum*; solus autem *Petrus*, vt *aliqui* aiunt, ordinauit *Iacobum*, *&* *Ioannem*; & ab his tribus alij ordinati sunt; vt probat *Bellarm. lib. 1. de Summo Pontifice*; quanuis sententia asserens *omnes Apostolos* à Christo fuisse ordinatos Episcopos *Io. 20*; vt *sup.* diximus, valde probabilis sit. Ratione etiam prob. Nam sicuti de iure Diuino communi est, vt solus Episcopus ex officio confirmationis sacramentum ministret; & tamen de lege speciali dispensatiua potest delegari simplici sacerdoti, vt confirmet; quod ostendimus *de confirm. q. 3. art. 1*; ita à pari dicendum in casu.

16 Obijc. 1. *hæretici* cont. 1. p. concl. *Moyses* Dux populi *Exod. 28*; *& Leuit. 8.* elegit *Aaron* in summum sacerdotem; *& Num. 8.* exegit suffragium multitudinis; ergo potestas eligendi Episcopos est penes potestatem laicalem. 2. *Dauid 1. Paralip. 23.* sacerdotibus, leuitis, cantoribus, & ianitoribus distribuit officia; *& c. 25.* simul cum exercitu cantores in ministerium segregauit; 3. *Salomon 3. Reg. 2. Abiathar* sacerdotem expulit, & in eius locum *Sadoc* instituit. 4. *Iosaphat 2. Par. 19. Amasiam* constituit in his, quæ ad Deum pertinent. 5. *In Act.* multitudo gentium elegit diaconos, & suffragijs plebis *Paulus*, *& Barnabas* constituti sunt sacerdotes. 6. *S. Cypr. lib. 1. ep. 4.* ait plebem habere potestatem eligendi sacerdotes dignos, & recusandi indignos; *& S. Leo ep. 84. c. 3.* inquit: *Cùm de Episcopi electione tractatur, ille omnibus præponatur, quem cleri, plebisque consensus concorditer postularunt.* 7. *Niceph. lib. 11. hist. c. 28.* Episcopum eligendum clericorum calculis, & populi flagitatione, sicut Ecclesiasticæ produnt sanctiones. 8. Est regula iuris: *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.* 9. Episcopus est sponsus Ecclesiæ; ergo vt matrimonium spirituale sit validum, consensus populi, qui eam componit Ecclesiam, debet accedere.

Resp. ad 1; quòd *Moyses* erat summus sacerdos simul, & Dux populi iuxta *ps. 98. Moyses, et Aaron in sacerdotibus eius.* Ad 2; quòd *Dauid* id fecit ex iussu Dei, & ex dispensatione; sicut ex dispensatione manducauit panes propositionis, quod non licebat, nisi solis sacerdotibus. Ad 3; quòd *Salomon* id egit ex voluntate Dei, qui decreuerat transferre sacerdotium ex domo *Heli* in aliam familiam. Ad 4. dicitur, quòd *Iosaphat* tantùm declarauit quæstiones legis referendas esse *ad Amasiam* tanquam ad summum Pontificem. Ad 5; quòd talis electio fuit facta ad preces populi, non ex suffragijs, vt *sup.* diximus. Hoc docent *S. Cypr*; *S. Leo*, *& Niceph*; quia scilicet Episcopus eligendus debet habere testimonium bonum, quod expetendum est à clero, & populo, qui eius mores agnoscunt; vnde populi consensus est necessarius, vt testis; non vt potestatiuè eligens. Ad 8. dicitur regulam illam intelligendam esse in temporalibus, non in spiritualibus; aliter nec sanctiones *Conciliorum generalium* possent populum obligare sine eorum consensu. Valet ergo in temporalibus solùm, quia cùm omnes obligandi sunt ad erogandam pecuniam, quam non tenentur erogare, ab omnibus debet erogatio approbari. *Vid. to. 4. q. 4. de fide art. 5. ad 15.* Ad 9. neg. cons; hoc enim est discrimen inter matrimonium spirituale, & carnale, quòd illud non exigit consensum; aliter, vt Christus Dominus fuisset sponsus totius Ecclesiæ, consensus populi debuisset accedere; eadem enim ratio est de ipso, ac eius Vicarijs siue in plenitudinem potestatis, siue in partem sollicitudinis vocatis. Præterea dicitur sufficere consensum ad fidem, quo promisit seruare Dei mandata; desponsatur enim in fide, sine qua matrimonium rescinditur; præceptum autem Domini est, vt omnes recipiant, quem ille mittit ad eos verbo Dei pascendos; & sicut cùm ille misit *Apostolos* in omnem terram, non expectauit populi consensum, vt quem vellent, reciperent; sic cùm mittit per suum Vicarium, non exigit consensum, sed obedientiam iuxta illud: *Obedite Præpositis vestris.*

ART. IV.

ART. IV.

Quid clericatus, seu prima tonsura; & quænam sit materia, & forma singulorum ordinum?

1 C*Aluinus Iudaicæ obseruationis* Ecclesiam insimulat eo, quòd clericos cultui Diuino destinatos more *Nazaræorum* tondere consuescit; quomodò *Paul. Act.* 18; vt legalia obseruaret, se totondit *in Cenchris*. Sed quanuis tonsio *Nazaræorum*, qui Diuino cultui consecrati erant, fuerit typus tonsuræ clericorum; non tamen obiurgationi locus est; nam sicut ex eo, quòd Ecclesia offerat panem, & vinum, quod fecit *Melchisedech* in lege naturę prębens symbolum sacramenti eucharistię; & sic de alijs figuris, quę fuerunt in lege veteri, adimplendis in lege euangelica, non dicitur obseruatrix ceremoniarum legis naturæ; sed tantùm figuras multò anteà præmissas in lege noua fuisse adimpletas; ita à pari. Tum quia tonsura clericorum est longè dissimilis *Nazaræorum* tonsioni; illa enim post nutritam cęsariem ita, vt tunc nouacula non ascenderet super caput ipsorum, si aliquis coram ipsis moriebatur, illicò radebantur omnino; clerici autem Ecclesiæ comam non nutriunt, nec raduntur omnino, sed tonsura fit ad modum coronæ in memoriam passionis Dominicæ; vt sicut Christus Dominus coronam spineam portauit in capite; ita clerici illius cultui addicti ad illius exemplum tonsuram ad modum coronæ ferant in capite, quo significent se esse paratos ad substinendas irrisiones, & ferenda ludibria pro Christi Ecclesia, vt æternam coronam accipiant. Hunc ritum institutum fuisse *à D. Petro*, qui se in coronam attondit, refert *Bed. lib. 4. hist. Anglorum c.* 1; *& lib. 5. c.* 22; *& Anicetus ep. ad Galliar. Episcopos*, quod habetur *dist.* 23. *c. prohibere*, & præcepit, vt desuper caput in modum sphæræ clerici abraderent. Contra clericos comam nutrientes inuehitur *S. Cypr. lib. 3. ad Quirinum sent.* 83; *& Apost.* 1. *Cor.* 11. ait mulierum esse nutrire comam ad excitandam lasciuiam; vnde clerici comati muliebrem leuitatem, & lasciuiam præseferunt, non sanctitatem status, quem elegerunt. Hinc *S. Hier. ad Nepotianum* asserit tales *videri potiùs sponsos, quam clericos, contra Apostolorum* præceptum, & sacrum institutum susceptum; quo professi sunt alienos esse ab hoc lasciuiæ, & leuitatis exemplo eo, quòd debeant esse alijs fidelibus exemplar pudicitiæ, & grauitatis. Idem docet *S. P. Aug. lib. de opere Monachor.* prope finem inuehens contra aliquos *fratres crinitos*, qui *contra Apostoli* præceptum comam nutriebant. Propter hæc *Conc. Carthag. IV. can.* 44. vetuit expresè comam nutrire; seu potiùs prohibitionem *Aniceti* inculcauit; quod præstitit etiam *Toletan. IV. can.* 40; *& VI. can.* 6; quædam enim species defectionis, & rebellionis ab Ecclesia est signum suæ professionis abijcere; cùm namque statum clericalem elegerunt, professi sunt expectare Regnum in Christo, & deponere temporalia; quæ duo tonsura significat; vt habetur 12. *q.* 1. *c. duo sunt ex D. Hier. Coronam habent ab institutione Romana Ecclesiæ in signum Regni, quod in Christo expectatur; ratio verò capitis est temporalium omnium depositio. Vid. Conc. Aquisgranen. c.* 1; *S. Isidor. lib. de Eccl. offic.* 2. *c.* 4; *Raban. de institutis Clericor. cap.* 3; *& S. Epiphan. hær.* 80. Præter Christi passionem, coronam gloriæ, & rerum temporalium contemptum, significat etiam tonsura Regiam dignitatem, rerum supernaturalium contemplationem, & perfectioris vitæ institutum; quibus insignibus priuantur, qui eam deferre contemnunt.

2 Confertur autem tonsura, cùm Episcopus tondens capillos in modum crucis profert illa verba: *Dominus pars hæreditatis meæ; tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi*; clericus enim dicitur *à cleros*, quod idem est, ac sors, ad ostendendum, quòd cùm fit clericus, despectis temporalibus incipit habere Deum sortem suam, & hæreditatem; quapropter consecratis in lege veteri, qui erant figura clericorum nouæ legis, vetuit Deus *Num.* 18. partem agrorum in terra promissionis distribui eis dicens: *Ego pars, & hæreditas vestra*; de quo egregiè *S. Hier. ep. 3. ad Nepotian.* Nec per hoc clericis rerum temporalium possessio interdicitur, vt voluit *Vuicleff. in Conc. Constant.* damnatus; sed vt cognoscant animum rerum Diuinarum contemplationi eis esse adijciendum; nec debere principaliter sollicitudinem in his temporalibus ponere, vt liberiùs vacent Diuinis; non tamen obligari has res temporales deserere, sed tantùm minùs, quàm Diuina curare iuxta illud *Matth. 6. Quærite primùm Regnum Dei; & hæc omnia adijcientur vobis*. Sic enim Deus, postquam leuitis agros assignari prohibuit, posteà *Num.* 35. Vrbes, & suburbana concessit; & Christus Dominus, qui primò vetuit *Apostolis* sacculos. & peram habere, posteà iussit, vt peram, & sacculos emerent; quibus significauit clericos debere primariò res Diuinas intendere, & secundariò res temporales, quibus necesse habent ad ducendam hanc vitam. Tandem *superpelliceo* ab Episcopo induuntur, vt homine sæculari deposito sacro Religionis habitu vestiantur; & Episcopus profert hæc verba: *Induat te Dominus nouum hominem, qui secundùm Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis*. Sic præparantur clerici ad ordines, ad quos tonsùra disponit; ideo definitur *præparatio ad ordines*.

3 Ostiariatus est primus ordo inter minores, sic dictus ab eius officio, quod est claudere ostium Ecclesiæ indignis, & dignis aperire; propterea ab Episcopo traduntur ordinato claues

ues Ecclesiæ; & posteà Archidiaconus ducit eum ad ostium Ecclesiæ, & facit illum claudere, & aperire; & tradit funes campanarum, quibus vocet ad Ecclesiam fideles; antiquitus autem etiam cymbala pulsare efficiebantur. Materia tamen ostiariatus est traditio clauium; & forma sunt Episcopi verba: *Sic agite, quasi reddituri de eo rationem pro his rebus, quæ his clauibus recluduntur*; in quo instanti imprimitur caracter; inquit *Eund. Doct. de caract. qu.* 2; ex quo infert contactum portarum Ecclesiæ, funium campanarum non esse materiam huius ordinis, sed potiùs possessionem officij iam ab Episcopo accepti. Hunc ordinem Christus Dominus instituit, cùm eiecit vendentes, & ementes de templo. Eius meminit *S. Damas. in Sixto II.* Definitur *spiritualis potestas tradita ordinato, per quam potest ionuam Ecclesiæ infidelibus claudere, & aperire fidelibus*.

4 Lectoratus dictus à legendo, quia munus præcipuum huius ordinis est legere libros veteris, & noui testamenti, est secundus ordo; cuius materia remota est liber noui, & veteris testamenti, proxima contactus ipsius; forma verò sunt verba prolata ab Episcopo: *Accipite, & estote verbi Dei relatores, habituri, si fideliter, & utiliter impleueritis officium vestrum, partem cum ijs, qui verbum Dei bene administrauerunt ab initio*; & in horum prolatione verborum caracter imprimitur. Præter munus legendi sacras lectiones, præsertim quæ legi solent inter nocturnas psalmodias; referuntur etiam alia munera *in Pontificali Romano*; vt cantare lectiones; benedicere panem, & omnes fructus nouos; & antiquitus de pulpito solebant legere *textum Scripturæ*, quem populo expositurus erat Episcopus, & rudimenta Christianæ Religionis fidelibus tradere; vt obseruat *Catechismus Trid.* Institutus fuit à Christo Domino *Luc* 4; cùm in synagoga exposuit *Scripturam*. Definitur *spiritualis potestas tradita ordinato, per quam potest libros Diuinarum Scripturarum in Ecclesia Dei legere*.

5 Exorcistatus est tertius ordo, cuius materia est traditio libri exorcismorum, cuius loco tradi potest vel Pontificale, vel missale, vt habet *Pontificale Romanum*; quia in ipsis habetur materia exorcismi; forma autem sunt verba ab Episcopo prolata: *Accipite, & commendate memoriæ, & habete potestatem imponendi manus super energumenos siue baptizatos, siue catechumenos*; in quorum probatione imprimitur caracter. Eius munera sunt abijcere Dæmones ab energumenis, idest ab interiùs vexatis; dicere populo, vt, qui non communicat, det locum; & aquam in ministerio fundere, vt habet *Pontificale Romanum*; nec non inuocare nomen Domini, & imponere manus super energumenos; vt docet *Conc. Carthag. IV.* Institutus fuit, cùm Christus Dominus *Matth.* 8. Dæmonios eiecit. Definitur *spiritualis potestas expellendi Dæmones ab energumenis siue baptizatis, siue catechumenis*.

6 Acolythatus, seu acolutatus, vt vocant *aliqui*, est quartus ordo inter minores, cuius materia est traditio candelabri cum candela extincta dicente Episcopo: *Accipite ceroferarium, & sciatis vos ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari in nomine Domini*; & traditio vrceoli vacui dicente Episcopo: *Accipite vrceolum ad suggerendum vinum, & aquam in eucharistiam sanguinis Christi Domini*. Forma verò sunt hæc verba vltimò prolata, inquit *Eund. Doct. Æg. vbi s.* cuius ratio est: Quoties duæ actiones, & duæ materiæ ita se habent, vt vna immediatiùs ordinetur ad eucharistiam, ad quam aliquo modo ordinantur omnes ordines, vt *sup.* diximus, tunc in illa imprimitur caracter; sed deferre vrceolos ad suggerendum vinum, & aquam pro eucharistia immediatiùs ad illam se habet, quàm deferre candelabra, vt claret; ergo in collatione vrceolorum, & prolatione congruentium verborum imprimitur caracter. Illius munus est deferre luminaria ad altare, & illa accendere in Ecclesia, manibus tenere præcipuè, cùm euangelium recitatur, non quidem ad fugandas tenebras, sed in signum lætitiæ, inquit *D. Hier. cont. Vigilant*; proptereà *ceroferarij* latinè dicti sunt. Præterea eius officium est deferre vrceolos vacuos, & inferuire diacono, & subdiacono. Fuit institutus *in nuptijs Canæ Galileæ*; & definitur *spiritualis potestas deferendi luminaria ad altare, & vrceolos ad suggerendum vinum, & aquam in eucharistiam corporis, & sanguinis Domini*.

7 Subdiaconatus, seu hypodiaconatus primus *ordo sacer* dicitur per excellentiam eo, quòd proximè inseruiat eucharistiæ, & afferat votum castitatis seruandæ. Eius materia est traditio calicis vacui cum patena vacua; forma verò sunt verba prolata ab Episcopo: *Videte, cuius ministerium vobis traditur; ideo vos admoneo, vt ita vos exhibeatis, vt Deo placere possitis*; & tunc caracter imprimitur. Quanuis enim sex tradantur subdiacono, tria quidem ab Archidiacono, scilicet vrceolos cum aqua, Bacile, & martyrologium; & tria ab Episcopo, scilicet calix vacuus cum patena vacua, tunicella, & manipulus; quibus additur liber epistolarum; attamen in nullo illorum, quæ traduntur ab Archidiacono, imprimitur caracter; quia ordinare, & caracterem imprimere non est Archidiaconi, sed Episcopi; tum quia cùm illa traduntur, nulla verba proferuntur. Ex illis autem, quæ traduntur ab Episcopo magis accedit ad celebrationem Eucharistiæ calix cum patena, quàm tunicella, & manipulus; ideo traditio huius materia proxima est, ad cuius positionem cum prolatione verborum caracter imprimitur. Subdiaconi officia *ex Pontificali Romano* sunt aquam ad ministerium altaris præparare, diacono ministrare, pallas alta-

altaris, & corporalia abluere, calicem, & patenam in vsum sacrificij Domino offerre, oblationes, quæ veniunt ad altare suscipere; quibus additur librum Epistolarum in Ecclesia legere. Tres obligationes subdiaconatus inducit; prima est titulus beneficij, vel patrimonij, ne necessitas procurandi, quæ ad victum, & vestitum sunt necessaria, distrahat à sacris mysterijs. Secunda est obseruantia castitatis perpetuæ; & tertia recitandi Diuinum officium. Institutus fuit in cœna; & definitur per ordinem ad officium legendi *spiritualis potestas tradita ordinato legendi librum Epistolarum in Ecclesia Dei*.

8 Diaconatus est ordo sacerdotio proximus, & ideo sanctior, & excelsior est omnibus alijs *sup.* enumeratis. In collatione diaconatus Episcopus primò imponit manus super caput ordinandi dicens: *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, & ad resistendum Diabolo, & tentationibus eius. In nomine Domini*. Secundò imponit ei stolam super humerum sinistrum dicens: *Accipe stolam candidam de manu Dei; adimple ministerium tuum; potens est enim Deus, vt augeat tibi gratiam. Qui viuit, & regnat &c.* Tertiò induit eum dalmatica vsque ad humeros dicens: *Induat te Dominus indumento salutis, & vestimento lætitiæ, et dalmatica iustitiæ circumdet te semper. In nomine Domini*. Quartò tradens librum euangeliorum inquit: *Accipe potestatem legendi euangelium in Ecclesia Dei tam pro viuis, quàm pro defunctis. In nomine Domini*. Communior sententia est, quàm expressè probat *Fund. Doct. vbi s; Gibb; Vasq; Valent; Bonac; Genet; et alij* traditionem libri Euangeliorum esse materiam proximam huius ordinis, & formam verba illi applicata. Et *cont. Dur; D. Bon; Nat. Alex.* asserentes essentiam huius ordinationis consistere in sola manus impositione, & verbis: *Accipe Spiritum S. etc; et cont. Petrum Sot; Henriquez, Bellarm; Laymi et alios* asserentes in vtraque consistere, scilicet in impositione manus, & traditione libri. Prob. tamen à *Fund. Doct.* 1. In illo consistit essentia diaconatus, in quo imprimitur caracter; sed in impositione manus non imprimitur caracter diaconatus; quia caracter proprius diaconatus est potestas ad exercendum officium proprium solius diaconatus, vt constat; resistere autem Diabolo, & tentationibus eius, quod per illa verba tribuitur, non est effectus proprius diaconatus, sed potiùs confirmationis; & resistere Diabolo, ne impediat mysteria Diuina, est commune omnibus ordinibus; ergo in impositione manus, & verbis illi adaptatis non consistit essentia diaconatus. 2. In illa actione confertur caracter Diaconatus, in quo traditur potestas seruiendi ad altare in ministerio eucharistiæ; sed hæc confertur in traditione libri euangeliorum, in ipso enim continetur forma conficiendi eucharistiam; ergo idem. 3. In illa actione, quæ significat præcipua diaconatus officia, confertur diaconatus; sacramenta enim sunt signa, & ideo significant, quod efficiunt, vt docet *Trid*; sed traditio libri Euangeliorum significat præcipua diaconatus officia; tria enim sunt diaconatus officia, scilicet ministrare ad altare, baptizare, & prædicare populo verbū Dei iussu Episcopi; quę tria continētur in libro Euangeliorum; in ipso enim præcipitur: *Prædicate euangelium omni creaturæ*; & præcipitur confectio eucharistiæ: *Hoc facite in meam commemorationem*; & præcipitur, vt conferatur baptismus: *Docete omnes gentes baptizantes eos etc*; ergo in traditione libri Euangeliorum confertur diaconatus. Tum quia diaconatus confertur solùm in actione sibi propria, non autem in actione alijs ordinibus communi; vt patet de alijs sacramentis; sed impositio manus, & collatio Spiritus Sancti non est actio propria soli diaconatui, est enim communis præsbiteratui, et Episcopatui, vt constat; tribuitur namque per illam gratia Spiritus Sancti, quæ communis est omnibus his; ergo in illa non confertur. Tandem *de sacram. non iterandis cap. præsbiter* habetur, quòd si in collatione præsbiteratus, & diaconatus omissa fuerit impositio manus, non sunt iteranda alia, sed supplendum est tantùm, quod per errorem fuit omissum; sed illud solum non est iterandum, quod constituit essentiam sacramenti, quia solùm sacramentum irreiterabile est; nam si in baptismo fiat ablutio cum forma debita, & omittantur ceremoniæ præcedentes, debent solùm suppleri ceremoniæ, non autem ablutio cum forma; at si omittatur forma, vel ablutio, tunc possunt ceremoniæ iterari, & ablutio omissa debet necessariò fieri, & simul forma proferri, & sic si omittatur forma, debet suppleri, & repeti ablutio; ergo impositio manuum non est de essentia diaconatus. Æquiuocatio autem, qua laborant *Morinus, & alij* putantes per solam impositionem manus *ab Apostolis* ordinatos fuisse diaconos, soluta est *de confirm. q. 1. art. 1.*

9 Dices. Traditio libri epistolarum non est materia subdiaconatus; ergo nec traditio libri Euangeliorum est materia diaconatus.

Resp. neg. cons; nam liber epistolarum non significat effectum primarium subdiaconatus, nec propiùs accedit ad eucharistiam; sicut significat liber euangeliorum, & magis accedit ad eucharistiam, vt diximus.

10 Diaconatus officia sunt assistere sacerdoti, & episcopo celebranti ad altare, panem, & vinum à subdiacono acceptum ei tradere; & in omnibus ceremonijs cooperari. Item assistere sacerdoti baptizanti, docenti, reconcilianti, & afflictos subleuanti. Item prædicare euangelium iussu Episcopi summaria quadam expositione disponente, & præparante ad solidam Episcopi interpretationem. Item dispensare corpus Christi fidelibus vrgente necessitate, & de-

& deficiente sacerdote; statuit enim *Conc. Carthag. IV. can. 38. Diaconus præsente præsbitero eucharistiam corporis Christi, si necessitas cogat, iussus eroget*. Ex quo deducitur facultatem dispensandi eucharistiam antiquitus conessam diaconis fuisse *necessitate cogente* scilicet ob multitudinem communicantium, & ob paucitatem sacerdotum, qui omnibus sufficere non poterant. Diaconi ergo ex commissione illum ministrabant. Item baptizare solemniter ex commissione Episcopi, vel parochi; vt diximus *de bapt. q. 5. art. 1*. Tandem colligere eleemosinas à fidelibus in sacrificijs oblatas, & illas erogare pro victu viduarum; & aliorum pauperum; vt patet *ex Act. 6*; vbi septem diaconi præpositi fuerunt mensis viduarum; idest expensis, quæ fieri debebant pro victu viduarum.

11 Reijciuntur autem *recentes hæretici* existimantes diaconos, de quibus *in Actis* fit mentio, habuisse purè laicum ministerium. Reijciuntur, inquam; nam *Stephanus, & Philippus*, qui fuerunt duo ex illis septem, prædicarunt verbum Dei; ille quidem *Iudæis*, iste verò *Samaritanis*; præter quod *Philippus* baptizauit *Eunuchum*; ex quibus infertur diaconatum non fuisse officium purè laicale, quanuis illi fuerit adiunctum munus eleemosinarij, quod puro laico potest competere. Hoc probant verba *D. Laurentij ad S. Sixtum Papam* prolata; quanuis enim thesauri Ecclesiæ ex oblationibus fidelium collecti curam haberet; attamen munus etiam dispensandi corpus Dominicum fidelibus habebat; & tantùm diaconus erat; vtpotè Leuita; sicut diaconus erat *Stephanus*, qui & leuita nuncupatur; licèt enim in lege veteri hoc nomen *Leuita* etiam sacerdotibus conueniret; attamen in lege noua de solis diaconis dicitur; nusquam enim sacerdos nouæ legis leuita appellatur; sicuti appellatur diaconus. Ex quibus clarè infertur diaconos per manus impositionem non recepisse *ab Apostolis* purum munus laicale.

12 Institutus fuit diaconatus in cena, & definitur *spiritualis potestas legendi euangelium in Ecclesia Dei tam pro viuis, quàm pro defunctis; & dispensandi corpus Christi fidelibus*.

13 Præsbiteratus, seu sacerdotium est tertius ordo sacer; cuius materia est traditio patenæ cum hostia, & calicis cum vino, & aqua; forma verò sunt verba prolata ab Episcopo: *Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, Missasque celebrare tam pro viuis, quàm pro defunctis. In nomine Domini*; & tunc character imprimitur. *Ita Fund. Doct. Æg. vbi sup. Gibb. cum omnibus nostris. Ita* etiam *D. Tho. hic q. 37. art. 5*; quem sequuntur *omnes Thomistæ* excepto *Nat. Alex. Ita etiam Estius, Sylvest; Bonac; Diana, Valent; Faber, & alij*. Est *cont. Dur; Becean; Arcud; Natal. Alex; & alios* asserentes materiam consistere in impositione manus; & formam esse verba illa: *Accipe Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt* & *cont. Vasq; Sua; Bellarm; Coninch; Auersi Sanchi Laym; Brancat; Mastr; & alios* putantes ex vtraq; materia, & vtraque forma constitui ordinem præsbiteratus. Concedunt tamen, quòd in prima manuũ impositione facta in principio ordinationis, in qua Episcopus nihil dicit, non fit sacramentum ordinis; sed tantùm in secunda, cùm profert verba supradicta. Prob. autem 1. ex institutione ipsius præsbiteratus. Illa tantùm, quæ determinata fuit à Christo Domino in cena, in qua instituit sacramentum ordinis, est materia, & forma præsbiteratus; sed tantùm traditio patenæ cum hostia, & calicis cum vino; & verba: *Hoc facite &c*; sunt determinata à Christo Domino in cena; dicitur enim, quòd accepit panem, & dedit discipulis; & calicem, quem quoque Discipulis dedit dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*; idest offerte Deo in gratiarum actionem, sicut fecerat ipse Dominus; nulla autem ibi prorsus fit mentio impositionis manuum; ergo sola traditio patenæ cum hostia, & calicis cum vino; ac verba illis correspondentia sunt materia, & forma, ex quibus conficitur sacramentum præsbiteratus, & character imprimitur. 2. *Conc. Flor. in decr. vnion.* ait; quòd *presbiteratus traditur per calicis cum pane porrectionem*; & assignans formam ait esse illa verba: *Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro viuis, & defunctis*. Ex quo sic. Illud, quod in re spectante ad materiam fidei definitum est *in aliquo Concilio generali* confirmato per Papam, à nemine salua fide potest negari, sed porrectionem patenæ cum pane, & calicis cum vino, nec non verba Episcopi: *Accipe potestatem offerendi &c.* esse materiam, & formam, quibus confertur præsbiteratus, est definitum *à Concilio Florentino*, quod fuit generale, & confirmatum per Papam in decreto spectante ad materiam fidei; ergo porrectionem patenæ cum pane, & calicis cum vino, nec non verba Episcopi: *Accipe potestatem offerendi &c.* esse materiam, & formam præsbiteratus à nemine salua fide potest negari. Maior constat; quia definitiones *Conciliorum generalium* confirmatorum per Papam in materia fidei sunt fidei dogmata, quæ à nullo fideli possunt negari. Prob. mi. Quæ ponuntur in decreto continente res fidei, spectant ad materiam fidei, & sunt definita esse de fide credenda; vt patet de illis, quæ ponuntur *in decreto de peccato originali, de Purgatorio &c*; decretum enim, & definitio idem significat; & proponuntur, vt immutabiliter credenda à quocunque fideli; in hoc namque differt decretum de reformatione, quod spectat ad mores, qui sunt mutabiles; res autem fidei simpliciter immutabiles sunt, quia prima veritas reuelans immutabilis simpliciter est; sed porrectionem patenæ cum pane, calicis cum vino, & verba Episcopi: *Accipe potesta-*

tem

fem offerendi &c. esse materiam, & formam præsbiteratus ponitur in decreto continente regulas fidei circa materiam sacramentalem, quæ spectat ad fidem, & non ad mores, vt constat; ergo est definitum de fide. 3. Illa, quæ significant effectum proprium, sunt materia, & forma præsbiteratus; quia sacramenta significant, quod efficiunt, vt docet *idem Conc*; sed patena cum pane, & calix cum vino significant effectum proprium præsbiteratus, qui est conuertere panem existentem in patena in corpus, & vinum existens in calice in sanguinem Christi Domini; ergo sunt materia, & forma præsbiteratus; impositio autem manus est quid communiter significans effectum confirmationis, diaconatus, pœnitentiæ &c; quod dicitur etiam de illis verbis, quæ dicuntur in collatione diaconatus, & præsbiteratus; ideo nequeunt esse materia, & forma præsbiteratus. 4. *Cum Fund. Doct.* In illis verbis, & rebus consistit forma, & materia præsbiteratus, quæ magis accedunt ad confectionem eucharistiæ, quæ est effectus præsbiteratus; sed patena cum pane, & calix cum vino, & verba super illa prolata sunt huiusmodi, vt constat; ergo idem. 5. Qui ordinantur ad præsbiteratum, simul cum Episcopo consecrant, & celebrant primam Missam; propterea *neomystæ* vocantur; idest nouam Missam celebrantes; vt habet *Pontificale Rom*; & est communis Ecclesiæ sensus, quòd celebrent; monentur enim ab Archidiacono, vt habeant intentionem consecrandi, & faciendi, quod facit Ecclesia; ergo non habent caracterem ab impositione manuum, & illis verbis: *Accipe Spiritum Sanctum &c*; cùm hęc proferantur post consecrationem in fine missę; vel consecrât sine caractere, & ideo sine potestate consecrandi, quod est repugnans. Ergo necessariò fatendum est materiam, & formam præsbiteratus necessariò consistere in traditione patenæ cùm hostia, & calicis cum vino, ac prolatione verborum: *Accipe potestatem &c*; in his enim imprimitur caracter; & sunt ante consecrationem, in qua necessariò debent habere ordinem præsbiteratus, vt valeant consecrare. 6. Præsbiteratus importat duplicem potestatem; vnam in corpus Christi Domini naturale, quæ est potestas consecrandi; alteram in corpus mysticum, quæ est potestas remittendi peccata, & potestas in corpus mysticum supponit potestatem in corpus reale; Christus enim illam dedit in cęna, hanc verò post resurrectionem; vt diximus *de pænit*; sed in impositione manuum, & verbis ei adaptatis confertur potestas in corpus Christi mysticum; dicitur enim: *Quorum remiseritis peccata &c*; ergo supponit potestatem consecrandi antecedenter collatam in traditione patenæ cum hostia, & calicis cum vino; sed hæc est effectus ordinis presbiteratus; ergo idem.

14 Dices 1. *Ex Scripturis* habetur ordinationem sacerdotum factam fuisse per solam manuum impositionem, vt 2. *ad Tim.* 1; *& D. Dion. de Eccl. Hier. c.* 5; & habetur *de sacramentis non iterandis c. præsbiter; & Græci* ita suos præsbiteros ordinant; *& Trid. sess.* 14. *c.* 3. ait ministrum extremæ vnctionis esse Episcopum, vel præsbiterum ritè ordinatum per manuum impositionem. Idem habet *Conc. Carthag. IV. c.* 3.

Resp. *in Scripturis* describi à parte integrali totum essentiale; sicut enim cùm dicitur *Apostolos* baptizasse *in nomine Domini*, non colligitur, quòd aqua non sit materia, & verba cum expressione Trinitatis personarum non sint forma baptismi; & quòd *Apostoli* sine aqua, & sine illis verbis proferendo solùm *in nomine Domini* baptismum contulerint; ita licèt nominetur sola manuum impositio; non sequitur, quòd per ipsam tantùm præsbiteros ordinauerint. Ratio autem, quare tacuit *Scriptura* materiam, & verba essentialia, & tradidit solùm ceremoniam integralem, vel accidentalem pluribus sacramentis communem, pluries tradita est; nam *sacramenta Regis abscondere bonum est*; ideo enim dicuntur sacramenta; quia secreta; atque adeò in primitiua Ecclesia fuerunt oretenus tradita, ne ad notitiam infidelium venientia haberentur in irrisione, & contemptu. *Ad Græcos*, quidquid dicat *Lug.* resp. seruare eandem formam, quam confessi sunt *in Conc. Flor*; in quo nulla fuit de hac re controuersia; sicuti eandem semper professa est Ecclesia *Armena*, vt patet ex *antiquissimis Pontificalibus* examinatis *in Cong. de Propag. Fide* occasione examinandæ *Synodus Leopolien. Armenæ* celebratæ *anno* 1689; cui interfuimus; Ecclesia autem *Armena* ritus à *Græca* desumpsit, & vtraque subscripsit decreto vnionis *Conc. Flor.* absque vllo dissidio. Ad *Trid.* dicitur supposuisse tanquam claram doctrinam *Conc. Flor*; & nihil addidisse, quia nulla erat hæresis damnanda; ideo ordinationem præsbiteratus nomine vsurpato *in Scripturis* vocauit.

15 Præsbiteratus officia sunt consecrare corpus, & sanguinem Christi Domini, & illud Deo offerre; remittere peccata; dispensare fidelibus eucharistiam, baptismum, pœnitentiam, & extremam vnctionem eo tamen modo, quo diximus proprijs in locis; item instruere, & pascere populum Dei verbo, quod tamen magis proprium est Episcoporum; & curam animarum habentium. Hæc duo vltima officia non ita intelligenda sunt, vt illa intelligunt *recentes heretici*, qui tradunt præsbiteros ritè ordinatos, si docendi, & prædicandi munus in Ecclesia non gerant, reuera neque esse præsbiteros, neque sacerdotes. Item monachatum esse incompossibilem cum pręsbiteratu, & cura animarum; vt *inter alios* docuit *Caluin.* Primum enim reijcitur *ex* 1. *Tim.* 5. *Qui benè præsunt presbiteri, duplici honore digni habeantur; maximè, qui laborant in verbo, & doctrina*; ex quo clarè

clarè habetur *Apost.* agnouisse aliquos præsbiteros prædicasse, & docuisse, & alios non. Habetur etiam *ex SS. PP. communiter* docentibus in præsbitero in hæresim lapso remanere præsbiteratum, vt sæpissimè docet *S.P.Aug. lib. cont. Donatist;* quæ *sup.* retulimus. Ratio est. Effectus primarius præsbiteratus est consecrare corpus, & sanguinem Christi Domini; prædicare autem verbum Dei nedum est effectus secundarius, sed etiam communis episcopatui, & diaconatui, vt diximus; primarius autem potest stare sine secundario, vt constat. Secundum autem refellitur; quia licèt monachatus, vt importat solitudinem, & separationem à sæcularibus, pugnet cum cura animarum, quæ necessariò importat frequentationem sæcularium, quos debet adire; attamen, vt dicit vitam communem ei propriam, maximè illi potest competere cura animarum, à qua nullam rem sibi scit appropriare; *& Apostoli*, qui curam animarum habuerunt, omnia habentes communia veram monachatus normam professi sunt. Item *S.Basil; S. Martin; S. P. Aug; S. Greg. Magn; S.Possidius, S.Fulg, & alij* innumeri Episcopi, & Summi Pontifices nedum fuerunt ex monachis assumpti, sed in episcopatu vitam monachalem continuarunt.

16 Institutus fuit *in cœna*; & definitur *spiritualis potestas consecrandi corpus, & sanguinem Christi Domini, & aliqua sacramenta ministrare.*

17 Tandem Episcopatus est *apex, & culmen presbiteratus*, cuius materia, vt aiunt *Bellarm; Vasq; Laym; Aversa, Mastr; & alij*, est manuum impositio, & forma illa verba: *Accipe Spiritum Sanctum*; Vnctionem autem capitis, & illa verba *vngatur, & consecretur caput tuum*, asserunt non pertinere ad essentiam Episcopatus, quia sunt communia alijs sacramentis. Sed hæc ratio destruit horum sententiam; nam impositio manuum est communis nedum pluribus sacramentis, sed etiam sacramentalibus; imponuntur enim etiam ægrotis, & energumenis, vt diximus vbi *sup;* & illa verba: *Accipe Spiritum Sanctum* sunt communia diaconatui, & præsbiteratui, vt diximus. Meliùs ergo dicitur materiam episcopatus esse vnctionem chrismatis in capite primò formatam per modum crucis per totam coronam, & posteà linjendo totam coronam; vnctio enim hoc modo facta est solis Episcopis propria; forma verò sunt verba: *Vngatur, & consecretur caput tuum celesti benedictione in ordine pontificali in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti;* & formatur signum crucis ad singula nomina Diuinarum Personarum. Ratio est. Illa est debita materia, & forma episcopatus, quibus positis habetur effectus formalis episcopatus, qui est perfectio caracteris; sed posita hac vnctione, & prolatis his verbis habetur effectus formalis episcopatus; ponitur enim ordinatus in ordine pontificali, vt exprimunt ipsa verba, idest in gradu altiori ad simplices præsbiteros; sicuti per caracterem præsbiteratus, qui est effectus formalis illius, ponitur ordinatus in gradu altiori ad diaconos; ergo prædicta vnctio, & verba sunt materia, & forma propria episcopatus. An autem caracter sit principalior effectus ordinis, quàm gratia, iam diximus *de sacramen. com. q.4. art. 1. n. 14.* Episcopi munera fuerunt allata *art.3. n.10.* Fuit institutus, cùm *Petro* Christus Dominus dixit: *Pasce oues meas;* quamuis *alij Apostoli* ordinati fuerint Episcopi post Resurrectionem, vt diximus; definitur autem *spiritualis potestas, per quam potest ministrare omnia sacramenta, consecrare Ecclesias, chrisma, oleum sanctum, sacerdotibus inferioribus præesse, populum pascere verbo Dei, peccata remittere, & retinere, censuras infligere, & relaxare, & alia huiusmodi.*

18 Distinguitur autem materia proxima, & remota horum omnium, quòd res tradita est materia remota, & ipsa actio, qua traditur, quæ traditio dicitur, est materia proxima. Circa quam quæri solet; an requiratur traditio immediatè facta ab Episcopo, vel sufficiat facta per alium iussu Episcopi. Sicuti an requiratur contactus immediatus, vel sufficiat mediatus? Respondent ferè *omnes* sufficere mediatum propter vsum *Ecclesiæ Greçæ*, in qua ordinatus non tangit manibus calicem cum patena; neque Episcopus suis manibus tradit tangendum; sed ordinatus fronte tangit altare, super quod est calix cum vino, & patena cum hostia, & sic tangit mediatè. Idem aiunt de traditione; sufficit enim, quòd tradat vel per se, vel per suum ministrum. Nec est paritas de baptizante, qui nequit per alium abluere; nam forma baptismi diuersa est; in ea namque dicitur, quod proferens verba abluat, quod non verificatur, si alter abluat; at in ordinatione non dicitur: *Ego tibi trado &c;* sed *accipe;* verificatur autem, quod recipiat, etiamsi ab Episcopo immediatè non tradatur; vt insignia recipit à Rege, cui per ministrum iussu Regis conferuntur. Sed quidquid sit; certum est, quòd post *Flor.* cogendi sunt *Græci* ad seruandam formam, quam *in illo Concilio* professi sunt, & obseruare iurarunt.

QVÆST.II.

QVÆST. II.

De ministro, & subiecto ordinis.

Plura diximus occasione eorum, quæ resoluenda erant *in sup. q.* spectantia tum ad ministrum, tum ad subiectum capax receptiuum huius sacramenti. Reliqua explicanda sunt, vt habeatur exacta omnium dicendorum intelligentia.

ART. I.

Quinam sit minister ex officio, & ex delegatione ordinis?

1 Recentes hæretici, vt diximus *in sup. q. art. 1. n. 1. & art. 3. §. 1.* docuerunt potestatem instituendi sacerdotes, & quoscunque alios Ecclesiæ ministros esse apud magistratum politicum. Quem errorem damnauit *Trid. sess. 23. c. 4. & can. 7.*

2 Vnica concl. Minister ordinis ex officio est solus Episcopus; ex delegatione autem solius Summi Pontificis simplex sacerdos potest conferre ordines minores, & etiam subdiaconatum; non tamen præsbiteratum, & diaconatum.

Prob. 1. pars concl. 1. Nam in lege veteri *Aaron*, & eius filij fuerunt ordinati sacerdotes *à Moyse*; qui erat sacerdos, vt constat *ex ps. 98; ex Num. & Exod.* ergo multò magis id dicendum de sacerdotibus euangelicæ legis; qui altiorem, & perfectiorem potestatem in sua ordinatione recipiunt; habent enim potestatem in corpus reale Christi Domini, quam non habebant veteres sacerdotes; & quo dignior effectus est, & perfectior: eo magis requiritur dignitas causæ, à qua effectus perfectio dependet. 2. Christus Dominus Pontifex Maximus ordinauit præsbiteros partim in cęna, partim post resurrectionem; *& Act. 6. Apostoli*, qui procul dubio erant Episcopi, quia Episcopi eorum successores dicuntur, ordinauerunt septem diaconos; *& Act. 14. Paulus, & Barnabas* ordinauerunt præsbiteros per singulas Ecclesias; *& 1. Tim. 3; & 5; & ad Tit. 1;* mandauit *Apostolus Timotheo*, quem ordinauerat *Ephesiorum* Episcopum; & *Tito*, quem pariter consecrauerat Episcopum *Cretensium*, præcepit, vt præsbiteros consecrarent; qui essent in partem sollicitudinis animarum. Hoc statuunt *Apostolici canones 1; & 2;* in primo enim dicitur: *Episcopus à duobus, vel tribus Episcopis ordinetur*; *in 2.* autem: *Presbiter ab vno Episcopo ordinetur, & diaconus, & reliqui clerici*. Idem habet *D. Dion. de Eccl. Hier. c. 5;* vbi docet *sacerdotem initiari non posse, nisi per inuocationes Episcopales*. Item *S. Ignat. ep. ad Antiochenos*. Idem docent *SS. PP. contra Aerium* relati *in sup. q. art. 3.* distinguentes à præsbiteratu Episcopatum in hoc, quòd iste, non ille, potest alios generare sacerdotes. Quibus adduntur *S. Damas. ep. 4; S. Leo ep. 88; & Io. III. ep. vnica* statuentes ordinationes *à Chorepiscopis*, qui non erant Episcopi, factas nullas, & irritas esse. Tandem *Flor. in decr. vnion.* loquens de sacramento ordinis inquit: *Ordinarius minister huius sacramenti est Episcopus*; *& Trid. vbi sup.* Arguitur autem sic. Id, quod conuenit alicui ratione potestatis receptæ, conuenit ei ex officio; officium enim vel sumitur, prout idem est, ac potestas; vel est exercitium potestatis; sed conferre ordines conuenit solis Episcopis ratione potestatis Episcopalis, vt colligitur *ex allatis textibus*; si enim conueniret etiam alijs ab Episcopo, præcipetetur etiam alijs, vt ordinarent; quia eis præcipetetur vsus potestatis ipsorum, sicut præcipitur Episcopis; omnibus enim inquit *Apost. 2. Cor. 6. Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*; atque adeò omnibus habentibus ex gratia Dei potestatem ordinandi præciperetur, ne vacuam, & otiosam illam tenerent; ergo conferre ordines solis Episcopis ex officio conuenit. 2. *Cum Fund. Doct. Æg.* Generare alios homines conuenit solùm homini magno, & ætate perfecto; sicut generari conuenit solum homini paruo; homo enim generatur paruus; & paruus, quandiu paruus est, generare non potest; vt ipsa natura conuincit; item generare conuenit essentialiter patri, qui est superior filio; & generari conuenit filio, qui patri est subditus; sed soli Episcopi sunt sacerdotes magni, & Patres superiores ad sacerdotes simplices; vt diximus *art. 3. vbi sup.*; & vnus simplex sacerdos nequit esse super alium, & ideo nequit esse superior, & altero maior; ergo ordinare conuenit ex officio solis Episcopis. *Vid. vbi sup.* alias rationes.

3 Prob. 2. pars concl. Potestas conferendi primam tonsuram, & quatuor minores suis familiaribus concessa fuit à S. Sede Cardinalibus; vt refert *Barbos. de offic. & potest. Episc. alleg. 4. n. 15;* & de iure communi competit Abbatibus, si sacerdotes sint, & baculi, ac mitræ deferendæ ius habeant; quam potestatem *Trid. sess. 23. c. 10.* restringit ad solos subditos regulares; imò & potestatem conferendi subdiaconatum legitur aliquando his fuisse concessam, vt diximus *in sup. q. art. 2. n. 13;* nusquam tamen traditur simplici

plici

plici sacerdoti fuisse commissam facultatem ordinandi, seu conferendi diaconatum, aut præsbiteratum; ergo ex consuetudine Ecclesiæ arguitur, quòd Summus Pontifex potest solùm committere sacerdoti, qui non est Episcopus, potestatem delegatam conferendi ordines minores, & subdiaconatum; non autem diaconatum, aut præsbiteratum; si enim hæc potestas esset in Summo Pontifice, aliquando ad actum deducta fuisset; cùm impossibile sit, quòd tot annorum decursu grauissimi casus non occurrerint, in quibus Pontifex iudicasset expediens fuisse talem potestatem committere præsertim ijs in locis, in quibus non reperiuntur Episcopi; & pluralitas sacerdotum necessaria est ad animarum salutem, & Ecclesiæ profectum; sicut dicitur de collatione confirmationis. Ratio innuitur *à D.Tho.hic q.38.art.1.ad 1*; vbi licèt doceat Summum Pontificem posse committere potestatem conferendi solos minores, non tamen maiores; attamen non solùm de minoribus, sed etiam de subdiaconatu probare videtur; formatur autem sic. Potestas, quæ non est immediatè, sed tantùm mediatè circa eucharistiam, potest etiam ab illo conferri, qui non habet potestatem tradendi potentiam conficiendi eucharistiam; vt constat de calore, vt duo; qui, quia non versatur immediatè circa formam ignis, sed tantùm mediatè, & remotè, ideo potest conferri nedum ab igne, qui potest tribuere potentiam ad producendum alium ignem; sed etiam à Sole, manu calida &c; sed tonsura, quatuor minores, & subdiaconatus non sunt immediatè circa eucharistiam, sed tantùm mediatè, & remotè; non enim illis habitis habetur statim potestas conficiendi eucharistiam; tum quia potestas immediatè ordinata ad eucharistiam vel est potestas ad illam conficiendam, & hæc est solus præsbiteratus; vel ad illam iam factam dispensandam fidelibus, & hæc est diaconatus; ergo prima tonsura, quatuor minores, & etiam subdiaconatus possunt conferri à non habente potestatem ad conferendam potestatem conficiendi eucharistiam, & per consequens non Episcopus potest ex commissione, seu delegatione Summi Pontificis conferre primam tonsuram, quatuor minores, & subdiaconatum; non autem diaconatum, & præsbiteratum, qui immediatè versantur circa eucharistiam. Addunt *Gibb;Sua;Tolet;Coninch, & alij* hanc sententiam docentes; quòd vel Pontifex posset dare potestatem conferendi diaconatum, & præsbiteratum ex potestate ordinis, vel iurisdictionis? Non primum; quia potestas ordinis æqualis est in Episcopis, & in Pontifice; & tamen Episcopi nequeunt illam conferre; ergo neque Pontifex. Nec secundum; quia potestas iurisdictionis versatur tantùm circa corpus mysticum, non circa corpus reale Christi Domini, vt *sup.* dictum est. Sed hæc ratio nullius est roboris; idem enim potest vrgeri de minoribus, & subdiaconatu quia Episcopi nequeunt conferre potestatem delegatam, seu ex commissione conferendi ordines minores, & subdiaconatum simplici sacerdoti; non tamen ex hoc infertur hoc non posse Summum Pontificem, vt etiam ipsi fatentur. Sic dicendum de potestate collatiua confirmationis, quæ est à potestate ordinis, non à potestate iurisdictionis; & tamen licèt nequeat ab Episcopo, potest tamen à Summo Pontifice committi simplici sacerdoti, vt diximus *suo loco*. Si igitur hæc ratio afferatur, quòd neque Papa potest committere simplici præsbitero non Episcopo facultatem conferendi minores, & subdiaconatum; quia nequit Episcopus, in quo est æqualis potestas, dicitur; quòd licèt potestas ordinis sit æqualis in Pontifice, & Episcopis quãtùm ad substantiam ipsius potestatis; attamen quantùm ad modum illam communicandi est excellentiori modo in Papa, vt in Christi Vicario immediato; sicut anima licèt æqualiter sit in capite, & in membris, quia est tota in toto, & tota in qualibet parte; attamen in capite communicat spiritus animales alijs membris; ideo quantùm ad modum communicandi non est æqualiter in omnibus membris. Ita dicendum de Papa, qui est Caput supremum totius Ecclesiæ; & ideo etiam Episcoporum; Episcopus verò licèt sit Caput suæ diœcesis, est tamen membrum Ecclesiæ vniuersalis; ideo etiam eorum Papa est Caput.

4 Objic. 1. *Flor.* ait ministrum ordinarium esse Episcopum; ergo sentit extraordinarium esse alium præsbiterum. 2. Omnes præsbiteri adstantes ordinationi imponunt simul cum Episcopo manus ordinandis, vt habetur *dist.* 23. *c.presbiter*; ergo simul ordinant. 3. *Auctor qq. noui, & veteris testam.q.*101. *apud S. P. Aug.* ait; quòd *si in Ægypto desit Episcopus, consecrat præsbiter*. 4. *Syn. Antioch.c.*10. permittit Cotepiscopis, vt ordinent, excepto præsbitero, & diacono. Idem habet *S.Leo ep.*88. 5.*Niceph.lib.*8.*hist. c.*19; & 24. ait *Conc.Nicen.* iudicasse non esse iterandam ordinationem factam *à Meletio*, qui dicitur sibi vindicasse munus episcopale.

Resp ad 1; quòd *Flor.* loquitur de ministro ordinis in communi, ideo rectè dicit ministrum ordinarium esse Episcopum; quia minister ex commissione aliquorum ordinum potest esse simplex sacerdos, vt diximus. Ad 2. neg.cons; ille enim solùm ordinat, qui profert formam. Ad 3. dicitur nomine *presbiteri* significari Episcopum suffraganeum; vt diximus *in sup.q.art.*3. *n.*8.*ad* 1. Item dicitur loqui de consecratione, quæ fit in baptismo, non in ordinatione; quomodò sæpè loquitur *S.P.Aug.* asserens consecrationem fieri in baptismo, & in ordinatione. Ad 4. diximus *vbi sup.art.*2.*n.*13.*ad* 3. *Chorepiscopos* alios fuisse simplices sacerdotes, alios Episcopos sine diœcesibus, vt clarè colligitur ex

ep.5.

ep.5. S. Damasi. Vel dicitur illos ordinasse ex commissione Summi Pontificis. Ad 5. dicitur *Meletum* furtiuè quidem, sed validè fuisse ordinatum Episcopum. *Vid. de sacram. in com. q. 5. art.1.* An autem Episcopi hæretici, schismatici, excommunicati, & mali validè, & licitè ordinent; *Vid.ibid.art.3;& 4.*

5 Quæres; an minister ratione ministerij possit aliquid exigere ab ordinato, non tanquam pretium, aut puram eleemosinam, sed tanquam mercedem?

Resp; quòd minister iustè potest exigere decimas, & redditus illi assignatos, vt viuat honestè tanquam mercedem, non tanquam eleemosinam, vt statutum est *in Conc. Constant. cont. Vuicleff.* asserentem decimas esse puras eleemosinas; quas parochiani possunt negare. Improb.autem *1.Cor.9. Dominus ordinauit ys, qui euangelium annunciant, de euangelio viuere; & 1. Tim.5. Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Idem habetur *Rom.15;* de quo *S.P. Aug. de opere monachorum c.15.* Vltra hoc tamen non licet quidquam petere, vel accipere; sic enim ordinatio simoniaca esset.

A R T. I I.

Qui sit capax recipere ordines?

1 COllyridiani teste *S. Epiph.hær. 79.* ordinabant mulieres, vt sacrificium *B. V. Mariæ* offerrent. Idem præstiterunt *Pepusiani*, vt habet *idem hær.49; & S.P. Aug. hær. 27;* imò mulieres ordinauerunt diaconissas, & episcopissas, quam hæresim suscitauerunt *hæretici recentes* asserentes quemlibet hominem siue masculum, siue fœminam esse capacem sacræ ordinationis

2 Vnica concl. Solus vir baptizatus est capax sacræ ordinationis; illicita tamen, quamuis valida, est ordinatio pueri, amentis, furiosi, serui, homicidæ voluntarij, vel inuoluntarij, spurij, bigami, deformiter mutilati, inhonesti, & indocti.

Prob.1.pars *ex 1.Cor.14. Mulieres in Ecclesijs taceant; & 1. Tim.2. Docere autem mulieres non permitto;* quæ ordinatis repugnant, vt diximus. 2. Christus Dominus nullam mulierem ordinauit in cena, cui noluit vllam esse præsentem, nec *Beatiss. Virginem Mariam;* vt legitur *extra de pœnit. et remiss. c. nona.* Item 1 *Cor. 11.* mulieres tonderi non debent, bene tamen ordinati. Item ordinatus in Episcopum est sponsus suæ Ecclesiæ; sed repugnat mulieri esse sponsum; ergo idem. Item *1.Cor.11; et Gen.3.* mulier ex præcepto Dei debet esse subiecta; ordinati autem debent præesse; vt *sup.* dictum est. Tandem nusquam legitur in veteri, vel nouo testamento mulierem ordinatam fuisse.

3 Prob. 2. pars. Baptismus est *ianua omnium sacramentorum;* ergo sine ipso ordinatio est inualida. Habetur *extra de præsbitero non baptizato c. veniens, et c. si quis.*

4 Prob. 3. pars. Ad recipiendum validè sacramentum imprimens caracterem non requiritur intentio suscipientis, sufficit enim eum non habere intentionem contrariam, vt patet de baptismo, & confirmatione; ergo idem dicendum de ordine. Habetur *de clerico per saltum promoto c. vnico,* vbi *Innoc. III.* approbat omnes ordines præsbiteratu inferiores ante vsum rationis collatos; *et ex dist. 77. c. in veteri lege;* amentes autem, & furiosi reputantur inter infantes.

Prob. 4. pars *ex Trid. sess. 23. de reform. c. 4; et seqq.* De pueris habetur *extra de clerico per saltum promoto c. vnico;* de seruis *extra de seruis non ordinandis tit. 18; et dist. 54. c. nullus;* de spurijs *extra qui fily sint legitimi can. per venerabilem;* de insigniter mutilis *dist. 55. can. pœnitentes, can. si quis, et can. priscis;* de bigamis *1. ad Tim. 3. Sit vnius vxoris Vir; et dist. 34. c. curandum; et dist. 33. c. maritum; et dist. 34. c. præcipimus.* Bigamia autem triplex est; alia vera, qua duabus vxoribus quis desponsatur, de qua *extra de bigamis non ordinandis can. super eo;* alia interpretatiua, qua quis accipit vnam tantum vxorem, sed viduam, vel corruptam *c. curandum; et can. de bigamis extra de bigamis non ordinandis;* alia similitudinaria, qua quis voto castitatis adstrictum vxorem duxit *c. nuper, et c. à nobis eod. tit; et 27. q. 1. c. Quotquot;* & cùm his potest dispensare solus summus Pontifex *dist. 34. c. lector;* de homicidis *dist. 50. c. clericum; et c. minor; et extra de homicidio volunt; et casuali c. de cætero; et c. suscepimus; & extra de clericis pugnantibus in duello c. porrò; et c. Henricus;* de criminosis præsertim *hæreticis,* & eorum filijs *extra de hæreticis in 6. c. statutum;* de iterantibus, vel consentientibus iterationi baptismi *extra de apostatis, reiterantibus baptismum c. ex literarum;* de infamibus *6. q. 1. c. infames.* De concubinarijs, vel graui crimine maculatis, & indoctis habetur *1. Tim. 3.* Item de aleatoribus, lusoribus publicis.

6 Obijc. cont. 1. p. In primitiua Ecclesia erant *diaconissæ; et ad Gal. 3.* dicitur *in Christo Iesu non esse masculum, neque fœminam.*

Resp. officia fœminis collata antiquitus fuisse per deputationem, non per ordinationem, vt assisterent ministris quoad eis necessaria; & fœminis catechumenis. Ad alind dicitur *Apost* loqui de iustificatione, non de ordinatione.

7 Puer ordinatus in Episcopum habet potestatem ordinis, non iurisdictionis quia per potestatem iurisdictionis debet regere populum, quod nequit præstare expers vsus rationis.

DE

DE MATRIMONIO.



VLtimum tandem sacramentum est matrimonium necessarium omnibus, & singulis, vt generentur, non in singulis, vt singuli generent. *Adam* sopore illo correptus prophetico, quo in ipso suæ creationis exordio Dei sanctuarium ingrediens mysteria præuidit nouissima ex somno experrectus intuens ex vno ossium suorum *Euam* à Deo sibi ædificatam fuisse in vxorem matrimonij magnitudinem, & excellentiam descripsit his verbis: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea. Hæc vocabitur Virago, quoniam de Viro sumpta est; quamobrem relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhærebit vxori suæ, et erunt duo in carne vna*. Quod *Apostolus* explicans *Ephes.* 5. inquit: *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, et in Ecclesia*. Matrimonium carnale sacramentum magnum est, non propter id, quod carnaliter exprimit; quo ex duplici carne vna caro conficitur, sed ob id, quod spiritaliter indicat, quo æternus Dei Filius mortalitatem nostræ carnis assumens sibi in sponsam ædificauit Ecclesiam, cum qua vnum mysticum corpus indissolubili fide compegit. Magnum non ob propagandæ officium naturæ, quo filiorum numerus crescit, & magnitudinem multitudo compensat; sed ob communicandæ gratiæ regenerantis mysterium, quo Christus Dominus *secundus Adam* spiritaliter dictus per Ecclesiam nos genuit ad vitam spiritalem, non corporalem, non temporis vetustate absumendam, sed æternitatis perpetuitate firmandam. Magnum, non ratione fidei seruandæ inter coniuges, quam matrimonium explicat, sed ratione fidei Diuinæ acquirendæ in Ecclesia per Christum. Magnum, non propter vinculum duos vniens in vna carne, quod sola mors potest abscindere; sed ratione charitatis, qua omnes in vna Ecclesia vnum fiunt etiam post mortem sub vno Capite in vno corpore in æternum victuri. Magnum, non quia connotat fæcunditatem; sed quia significat sanctitatem. Magnum nedum, quia remedium est reprimendæ libidinis, quæ est maximum malum ex maximo omnium peccatorum exortum, sed quia innuit Ecclesiæ puritatem, quæ est maximum bonum nos summo bono coniungens. Magnum denique, quia magnos, non parturit carnaliter, sed figurat, & gignit spiritualiter. Etenim quemadmodum primæuas inter innocentiæ delicias matrimonium, si primi parentes in illo statu vixissent innoxij, innocentiam non violasset, sed propagasset custodita semper membrorum pace, sensuumque obedientia religiosè, sanctèque seruata, ita inter æstuantes peccati miserias debacchantis concupiscentiæ comprimit motus, prurienris libidinis sedat tumultus, & effræna rebellantium passionum moderatur molimina; vt in huius vitæ militantis certamine anima minùs feriatur, paucioribus, aut saltem mitioribus impetatur conflictibus, & deuictis hostibus inuicta triumphet. Sed vberrimos huius sacramenti fructus colligit Ecclesia; nam parentes matrimonio coniuncti numerum filiorum augendo, & piè, sanctèque educando semper nouos filios Cœlo parturiunt, semper noua superaddunt corpori mystico Christi Domini membra, quibus gloria sanctorum augetur, & Christi *merces magna nimis* efficitur.

Explicaturi igitur huius magni sacramenti quiditatem agemus. 1. De sponsalibus, quæ sunt dispositiones præparantes ad matrimonium. 2. De institutione, & essentia matrimonij. 3. De impedimentis dirimentibus, & non dirimentibus, nec non de dispensationibus impedimentorum. 4. Tandem de effectibus, & fructibus, ac bonis matrimonij.

QVÆST. I.

De Sponsalibus.

QVemadmodum sponsalia matrimonio præmittuntur, sic eorum tractatio ceteris est præponenda; dispositiones enim nedum natura, sed etiam cognitione præcedunt formam, ad quam præparant; cùm sint accidentia, quæ ducunt nedum ad productionem, sed etiam ad cognitionem essentiæ.

A R T. I.

Quid, & quot sint sponsalia?

1 QVoad 1. nomen *sponsalia* deriuatur à *spondeo*, seu *promitto* eo, quòd fœmina ante nuptias ab aliquo eius vicemgerente in vxorem promittitur; qui propterea dicitur *sponsor*; fęmina autem, quæ promittitur, dicitur *sponsa*; & ille, cui promittitur, dicitur *sponsus*. Non importat tamen purā promissionem, sed etiam stipulationem, seu interrogationem, aut rogationem, seu postulationem eius, quod promittitur, inuoluit; vnde spondere, sibique stipulari futuras vxores sponsi dicuntur. *l. 2. de sponsal.* Præmittuntur autem sponsalia matrimonio, ne sponsę statim concessę, inquit *S. P. Aug. lib. 8. conf. §. c. 3* maritis vilescant; sed dilatæ desiderium, & amorem augeant; & ut tutiùs possit probari utramque partem in matrimonium liberè consensisse; & ne res tanti momenti præcipitanter agatur; ac conditiones implendæ vlla tergiuersatione, aut dubietate firmentur. Sponsalia etiam vocari solent munera, quæ à sponso sponsæ mittuntur, antequam matrimonium celebretur. *l. 1. c. si Rector.* Imò etiam ipsum matrimonium appellari aliquando solet sponsalia; vt docet *noster Basil. lib. 12. c. 1. ex Covar. p. 1. de matrim. c. 1.* Ad tollendas autem quasdam æquiuocationes, quæ *in iure canonico, & ciuili* possunt oriri; notandum, quòd post celebrationem sponsalium, quæ sunt solemnitates, seu ceremoniæ solemnes ad matrimonium præmissæ, vir, & fęmina sponsus, & spōsa vocantur; quia iam alter alteri spopondit. Postquam autem matrimonium contraxerunt, sed adhuc carnaliter copulati non sunt, sponsus quoque, & sponsa appellari consueuerunt. Sed cum hoc discrimine, quòd in primo statu possunt dissolui, quia adhuc nexu insolubili vniti non sunt, vt *infra* at in secundo statu solui non possunt, quia matrimonio coniuncti sunt. Tandem post secutam copulam non ampliùs sponsus, & sponsa, sed coniuges ab actu coniugali, qui est copula vtriusque, vocantur.

2 Definiuntur sponsalia *mutua futurarum nuptiarum promissio 30. q. 5. c. nostrates*. Dicitur *mutua*; quia si vnus tantum promitteret, sponsalia non essent; sicut enim matrimonium importat mutuum consensum, cùm sit contractus duorum; ita sponsalia, quæ sunt promissio matrimonij contrahendi, mutua esse debēt; quapropter *à I. consultis repromissio* uocantur. Dicitur *futurarum nuptiarum*; quibus significatur sponsalia à matrimonio differre; sicut enim aliud est promittere se daturum pecuniam, & aliud pecuniam actu erogare; ita aliud est promittere se contracturum matrimonium; & aliud matrimonium actu contrahere; primum enim importat promissionem de præsenti, & matrimonij executionem de futuro; secundum verò importat actualem impletionem promissionis, & executionem matrimonij de præsenti. Dicitur tandem *promissio*; quod debet intelligi de promissione sensibili externa, non de promissione merè intentionali, & interna; propterea *aliqui* addunt huic definitioni: *signo aliquo sensibili expressa*; quod tamen subintelligitur; siue enim matrimonium consideretur, ut contractus ciuilis, siue ut sacramentum; constat essentialiter esse signum sensibile; quia spectat ad forum Ecclesiasticum, aut ciuile, quod de internis nequit ferre iudicium. Deinde hęc promissio debet fieri mutuo consensu eorum, qui sunt contracturi uel per se, vel per alios, expresso. Vnde sponsalia, quæ parentes aliquando contrahunt pro filijs ante eorum ætatem legitimam, quæ est septem annorum, rata non sunt, nisi consensu filiorum firmentur, postquam ad usum rationis peruenerint; ante quod tempus omnis promissio, aut contractus est nullus, quia deest libertas actus, quæ necessariò requiritur. Sic sponsalia contracta à parentibus pro filijs iam adultis non tenent, nisi filij vel tacitè, vel expressè consentiant.

3 An autem ad validitatem sponsalium requiratur verus consensus, vel fictus sufficiat?

Non sufficere fictum, sed requiri verum consensum tradunt *Sanch. lib. 1. de matrim. disp. 9. nu. 5; Angel. v. pactum nu. 4; Sylueſt. eodem v. q. 4; Armilla, Riccard. hic dist. 27. art. 1. q. 2; Gabr. q. 1. art. 1. notab. 3; Mol. de iust. disp. 352; & alij apud Basil. inf.* Sed oppositum docent *noster Basil. lib. 12. cap. 2; & lib. 2. cap. 4; Vasq. hic disp. 6. c. 3; Turrian. 2. 2. disp. 64. dub. 15; Sot. hic dist. 27. q. 1. art. 2; & aly*. Prob. 1. Obligatio implendi promissum nascitur tantùm ex promissione externa, non autem ex intentione interna, aut proposito promittendi; nullus enim diceret, quòd habens intentionem donandi, promittendi, vendendi &c; sit obligatus donare, promissionem implere, vendere &c; ac si externè donasset, promisisset, vendidisset &c; sed fictè promittens sponsalia habet promissionem externam; ergo tenetur illam implere. 2. Si promissio externa non induceret obligationem, rueret omnis contractus ciuilis. Nam vendens sine intentione vendendi non transferret dominium rei venditæ in emptorem; atque adeò posset licitè rem venditam surripere, & reddere pretium citra iniustitiam emptori; si enim contractus ratione fictionis esset inualidus, & nullus, verè non transtulisset dominium; atque adeò illa re posset liberè vti; sed conſ. est absurdum; ergo & id, vnde sequitur. 3. Contractus ciuilis inducit obligationem in foro nedum interno, sed etiam externo; sed forum externum respicit tantùm actum externum, quia de internis non iudicat; ergo quamuis fictè pro-

mittens non obligetur internè, obligatur tamen externè. 4. In tantùm consensus fictus matrimonium inualidat; in quantùm matrimonium ex sua ratione formali est vinculum quoddam mutui, & perpetui amoris, nec non animorum, corporumque coniunctio; vt colligitur *ex Gen. 2. Relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhærebit vxori suæ*; quo significatur amorem viri erga mulierem maiorem esse, quàm sit amor filij erga patrem, & matrem; repugnat autem amorem mutuum esse cum consensu ficto ex parte vnius, non enim esset mutuus; nec esset maior amore erga patrem, & matrem, qui fictus esse nequit; sed simplex promissio externa matrimonij contrahendi, quæ fit in sponsalibus, non importat essentialiter amorem mutuum formaliter vnitiuum animorum, & corporum; aliter non esset promissio matrimonij, sed matrimonium; ergo ficta promissio matrimonij contrahendi non inualidat sponsalia. 4. Si promissio facta sine animo se obligandi, imò sine intentione promittendi non obligaret, quia re vera non esset promissio, sed fictio promissionis; vt inquit *Sanch.* sequeretur etiam, quòd infamatio alicuius sine animo infamandi; occisio sine animo occidendi; venditio sine animo vendendi &c. non obligaret ad reddendam famam, reparanda damna &c; quia non esset vera famæ detractio, vera occisio, vera venditio &c; sed fictio detractionis famæ, occisionis, venditionis &c; atqui hæc sunt falsa, & absurda; ergo & illud. 5. Simul cum intentione non se obligandi habet adiunctam voluntatem promittendi, quæ obligationem importat; ergo habet admixtam voluntatem se obligandi; vt dicitur de proijciente merces in mare, qui nollet eas proijcere; qui tamen voluntariè censetur proijcere; quia voluntas proijciendi præualet voluntati non proijciendi; ideo illa proiectio habet plus de voluntario, quàm de inuoluntario; ita licèt nollet se obligare; quia tamen vult promittere, ex quo obligatio naturaliter sequitur, ideo vult se obligare.

4 Inst. *Sanch.* 1. Obligatio huius promissionis non oritur à lege publica, sed ex priuata hominis voluntate se sponte obligantis; atqui nulla lex obligat, nisi legislator velit, vt obliget; ergo nisi quis intendat se obligare, non obligatur sponsalibus. 2. Natura contractus postulat, vt fiat ex intentione se obligandi; ergo si ponatur intentio contraria non obligat; sicut si ponatur conditio contraria substantiæ matrimonij, ipsum inualidat.

Resp. ad 1. neg. ma; nam talis obligatio oritur ex iure naturæ, quo præcipitur: *Quod tibi non vis, alteri ne feceris*; ipse autem nollet, quòd promissor sibi promissum non redderet; & quamuis sit in eius potestate promittere, & non promittere; sicut est in potestate legislatoris ferre legem, & non ferre; postquam tamen promisit, non est in eius potestate, vt non sequatur obligatio; sicut non est in potestate legislatoris, quòd lex posita non obliget; aliter posset quisque post promissionem contractum rescindere, quod est euertere naturam contractus. Ad 2. neg. ant; natura enim contractus, vt diximus, est, vt fiat verbis externis supra debitam materiam; ideo esse sine intentione se obligandi non est contra naturam contractus.

5 Ex his sequitur 1. multò magis tenere sponsalia, si quis promittat cum animo se obligandi sine animo tamen implendi promissum; aut si quis promittat sine intentione explicita se obligandi, cognoscit tamen quiditatem, & essentiam promissionis; aut si quis habeat animum se obligandi, & statim post promissionem pœniteat. In his enim casibus adest aliqualis voluntas vel formalis, vel virtualis se obligandi, quod sufficit.

6 Sequitur 2. *cont. Sanch.* similiter magis obligare promissionem, si iuramento firmetur; nam tunc ex duplici titulo, scilicet fidelitatis, & religionis obligatio producitur. Nec posse quenquam sponsalia ita contrahere, vt ad peccatum solùm veniale teneatur; nam promissio non obligat ex voluntate promittentis, sed ex iure naturæ, vt dictum est; peccare autem contra ius naturæ in materia graui, vt sunt sponsalia, est graue peccatum. Tum quia peccatum infidelitatis est promissa non reddere; ergo non pendet ex voluntate promittentis, quòd sit, vel non sit peccatum resilire à promissis; sed à virtute, cui opponitur. Ex quo pariter sequitur multò magis teneri, qui dubius est, an animo se obligandi promiserit? Si enim cùm certus est se promisisse animo se non obligandi, obligatur; à fortiori dicendum obligari, cùm promisit, & est dubius, an habuerit animum se obligandi. Hoc vltimum fatetur etiam *Sanch.* Item multò magis tenetur *cont. eundem*, qui spe fictæ promissionis virginem deflorauit; nam copula carnalis est quædam confirmatio promissionis; ergo si ratione promissionis tenetur, multò magis tenetur ratione copulæ, quæ illam firmauit. Imò etiam teneri, si disparis sit conditionis vel in nobilitate, vel in diuitijs, dummodò fictus promissor signa non dederit, quibus fœmina potuerit cognoscere dolum promissioni subesse, *cont. eundem docet Basil.* quia sicut ad substantiam matrimonij pertinet solùm traditio corporum, nobilitas verò, & diuitiæ tantùm sunt accidentia, quæ substantiam non tollunt, nec variant; ita dicendum de promissione facta in sponsalibus. Tum quia si inæqualitas conditionis sufficeret ad impediendam obligationem, sequeretur, quòd etiamsi verè promitteret, non teneretur promissionem seruare, quod tamen non admittit *Sanch*; ergo solùm inæqualitas sufficit, quando promissor talia signa dedit, quibus fœmina potuerit cognoscere se decipi ab illo;

tunc

tunc enim solùm se illi voluntariè prostituere censetur. Ex quo tandem infert *idem Basil. cont. eund.* promissorem in iudicio non posse negare se promisisse, quia verè externè promisit; & à iudice non interrogatur, nisi de promissione externa, de qua solùm ferre potest iudicium. Nec valet paritas clerici negantis se habere aliquid vectigali subiectum, aut de loco infecto venire; nam verè respondet se non ferre, cùm ipse à vectigalibus immunis sit; & quia putat locum, ex quo venit, infectum non esse. At in casu scit externè se promisisse.

7 An autem hæc promissio ita essentialiter mutua esse debeat, vt in nullo casu possit esse obligatoria, etiamsi non sit mutua? Resp. *Sanch. lib. 1. disp. 5. q. 2.* affirmatiuè; quia potest vnus merè gratuitò, & per modum donationis promittere absque eo, quòd expectet acceptationem alterius. Sed meliùs respon. *noster Basil. Estius, et omnes alij communiter* negatiuè. Ratio est; quia sponsalia important matrimonium in fieri; sunt enim determinatio matrimonij faciendi; sed matrimonium essentialiter importat consensum mutuum, sine quo est nullum; ergo & sponsalia. Tum quia quilibet contractus, vt contractus, importat consensum vtriusque; aliter non est contractus, sed donatio; venditio enim non est venditio formaliter, nisi ei respondeat emptio, ad quam essentialiter refertur; & sicut venditio non est talis, nisi sit libera; si enim sit coacta, est extorsio, & violenta subtractio; ita emptio, nisi sit libera, non est emptio; correlatiuorum enim eadem est ratio; nequit autem esse libera, nisi fiat consensu, vt constat; sed sponsalia habent veram rationem contractus; vbi enim est promissio, & repromissio, ibi est verus contractus; sicut namque si quis promitteret vendere vinum anni sequentis, & alter promitteret illud emere statuto pretio, esset verus contractus; quia illa promissio est de præsenti, quanuis venditio, & emptio sit de futuro; eodem modo autem se habent sponsalia; & ideo habent veram rationem contractus; ergo essentialiter important mutuum consensum.

8 Ex hoc collig. 1. *cont. Sanch.* stipulationem, quæ nihil aliud est, quàm postulatio facta cum interrogatione, secum deferre consensum postulantis, postulat enim, quod fieri consentit; atque adeò adueniente alterius acceptatione, seu repromissione iam subintelligi acceptationem etiam ex parte postulantis ita, vt alius consensus non requiratur; sed illicò post acceptatione alterius censentur contracta sponsalia. 2. Promissionem futuri matrimonij factam ex parte vnius non obligare, nisi post acceptationem alterius; promissio enim illa ex sua natura est sub conditione repromissionis, seu acceptationis; vt est de natura omnis contractus. 3. Sponsionem matrimonij factam infanti ante vsum rationis non esse ratam, nisi post vsum rationis ille consentiat; quanuis sit in fauorem ipsius infantis. Est *cont. Sanch.* qui inutiliter probat oppositum ex eo, quòd pater potest emancipare, seu liberare filium à patria potestate, in hoc enim non requiritur consensus infantis, vt constat; at in sponsalibus requiritur, vt dictum est. 4. *Contra eundem Sanch.* promissionem matrimonij factam absenti, quanuis in ea non seruetur stipulationis solemnitas, quæ debet fieri solùm inter præsentes, esse validam; & ante acceptationem posse reuocari; eadem enim ratio est, ac de præsenti.

9 Requiritur prætereà ad validitatem sponsalium. 1. Vt fiant ex deliberato rationis vsu; propterea debent esse post septennium, quo supponitur rationis vsus, nisi malitia suppleat ætatem. 2. Vt liberè fiant libertate à coactione, & metu iusto; hoc enim est de natura cuiusuis contractus. 3. Vt consensus mutuus exprimetur per verba de præsenti futurum matrimonium explicantia, vel per alia signa verbis æquiualentia, vt sunt scriptura, nutus, annuli, siue alterius arrhæ traditio, aut silentium ipsum, iuxta illud: *Qui tacet, consentit*; dummodò nullum detur signum displicentiæ, aut dissensus. 4. Vt contrahentes sint capaces contrahendi, & nullum impedimentum inhabilitans habeant. 5. Vt sponsalia fiant circa determinatam personam, sicut dicitur de matrimonio; vnde si quis petat in vxorem à patre plurium filiarum aliquam, quam pater voluerit & pater promittat aliquam non determinando in particulari, non sunt contracta sponsalia, quousque in particulari designetur. Non requiritur autem, vt fiant coram parocho, vel testibus; quia *Trid.* non extendit decretum matrimonij ad sponsalia; vt declarauit *S. Congr. apud Farinac*; vnde sponsalia clandestina celebrare nec peccatum veniale esse inquit *Basil.* quia *à Trid.* relicta sunt iuxta dispositionem iuris antiqui. An autem requiratur consensus patris, vel eorum, in quorum potestate sunt contrahentes, idem dicitur, quod *inf.* dicetur de matrimonio; cùm eadem sit ratio contractus in vtrisque.

10 Effectus sponsalium primus est obligatio naturalis sub peccato mortali, vt tenet *Basil. cap. 6. cont. Sanch*; quia est in re graui. Quare promissor nolens adimplere priùs monendus est, & posteà per censuras compellendus *c. ex literis 10. de sponsalib.* Si tamen pertinax sit in resistendo, compulsio debet esse moderata, non præcisa *c. requisiuit ibid*; imò si prudenter iudicetur censuram esse contemnendam, ab illa esse abstinendum docet *Seraphin. apud Basil.* Nec obstat *c. 2. de sponsal*; vbi dicitur *monendos, & omnibus modis inducendos*; ibi enim est sermo de non implentibus ex mutuo consensu, vt patet. Quod intelligendum est, si nulla adsit causa dissoluens sponsalia. Secundus effectus est publicæ honestatis iustitia; de quo *inf.* cùm de impe-

pedimentis matrimonij tractabitur. *Aliqui* addunt reddere adulteros sponsos, si cum alia persona copulentur; & ideo ait *Sanch;* quòd fœmina post contracta sponsalia se cum alio à suo sponso coniungens debet hanc circunstantiam in confessione aperire. Sed contrarium docet *Basil.* asserens, quòd licèt *in iure ciuili* possit sponsus iure mariti accusare sponsam violatam; vt constat *ex l. si vxor 13;* attamen *in iure canonico*, & in foro conscientiæ adulterium non est, nisi copulari cum fœmina iam matrimonio coniuncta; nomine enim adulteræ *in Scripturis Diuinis* sola fœmina matrimonio iam copulata significatur.

11 Quoad 2. Sponsalia alia sunt absoluta, quibus nulla conditio apposita est; alia conditionata, quibus est adiecta conditio; alia iurata, quæ iuramento sunt confirmata; & alia, quæ per subsequentem copulam sunt roborata. De absolutis nihil aliud præter id, quod *sup.* diximus, occurrit dicendum.

12 Sponsalia conditionata vel habent adiunctam conditionem honestam; vel inhonestam, & turpem. Si primum; vel illa conditio est de re præsenti; vt *promitto te ducere in vxorem, si christiana es;* si habes *liberam bonorum tuorum administrationem; si es viginti annorum;* & tunc si conditio subsistit, subsistunt etiam sponsalia; si illa non subsistit, nec ista subsistunt. Vel est de re futura; vt *si pater tuus assenserit; si habebis mille aureos in dotem;* & tunc purificata conditione etiam sine nouo consensu existunt sponsalia; non purificata non existunt. *Ita Alex. III; Vrban. III; & Innoc. III. extra de conditionibus appositis.* Notandum tamen, quòd licèt conditio sit de futuro, promissio tamen debet esse de præsenti; vt *promitto te ducere in vxorem, si pater tuus consentiet &c;* aliter sponsalia non subsistunt etiam conditione adimpleta; vt *promittam te ducere in vxorem, si pater tuus consentiet;* tunc enim non ponitur promissio, sed ponenda innuitur; & ideo sicut futura est promissio, ita futura sunt sponsalia, quæ per promissionem constituuntur; & ideo nunquam actu existunt sponsalia, nisi actualiter promissio ponatur. Si conditio est impossibilis; vt *si è Cœlo astra, & Solem euellas;* habetur pro non abiecta; vt declarat *Greg. IX. extra de conditionibus appositis c. finali;* vbi quamuis loquatur de conditionibus matrimonij, idem tamen dicendum de conditionibus sponsalium. Si conditio est turpis, illicita, & inhonesta; vel est contra substantiam matrimonij, scilicet contra perpetuitatem; vt *promitto te ducere in vxorem, quousque inueniam alteram ditiorem, nobiliorem, aut pulchriorem;* aut contra prolem; vt *si generationem prolis impedias;* aut contra fidem; vt *si te alijs prostituas;* & tunc sponsalia sunt nulla; sicut nullum est matrimonium. Vel conditio turpis non est contra substantiam matrimonij; & tunc sponsalia sunt valida; conditio enim habetur pro non adiecta; vt habetur *ibid.* Si verò conditio est honesta, & talis est; vt nunquam sibi mutuò debitum reddant; *S. Tho; S. Bon; Ricard; Adrian; & Estius* asserunt sponsalia non tenere; quia per hanc conditionem excluditur traditio corporum, quæ est de substantia matrimonij. *Palud.* tamen ait tenere; quia sicuti secuto matrimonio possunt pari consensu perpetuam virginitatem seruare; ita & illam spondere. Tum quia sicut multæ sanctæ virgines, quæ virginitatem iam vouerant, matrimonium contraxerunt virginitate seruata; vt constat etiam *de Beatissima Virgine*, ita à pari. *Sed de hoc infra.*

13 Sponsalia iurata habent firmiorem nexum, & maiorem vim obligandi; quia ligant duplici titulo fidelitatis, & religionis, vt diximus. Non tamen transeunt in contractum matrimonialem; quia iuramentum non mutat, sed tantùm confirmat id, ad quod adhibetur; nam *Alex. III. extra de sponsalib. c. de illis & Greg. IX. ibid. c. si inter* docent nuptias iuramento firmatas per matrimonium contractum cum alia dissolui; quod esse non posset, si in matrimonium per iuramentum transijssent; cùm primum matrimonium teneat, secundum irritum sit. Iuramentum autem de conditione turpi, siue sit assertorium, quod est de re præsenti, vel præterita; siue promissorium, quod est de re futura, nullam prorsus obligationem inducit; quia materia iuramenti nequit esse turpis, quæ sine peccato mortali, aut veniali non possit impleri; vt habetur de *reg. iuris in 6. reg. obligatorium; & de iure iurando c. quanto, c. si verò; & c. cùm contingit; & 22. q. 4. per totam.* Sed debet esse honesta vel ex sua specie, vel ex fine operantis; quia actus indifferens non datur; vt diximus *tom. 3.* Quod à fortiori dicendum est de iuramento per vim, & metum extorto.

14 Sponsalia etiam iurata per subsequentem copulam non transeunt in matrimonium; etiamsi adsit consensus virtualis, vel formalis de præsenti, vbi viget *Trid;* quod irrita prorsus declarauit omnia matrimonia, quæ præsente parocho, & duobus testibus non fiunt; vbi verò non viget *Trid;* transeunt; *vt infra* dicemus *q. 2. art. 5. num. 13.* Verùm copula soluit conditionem, si qua fuit apposita; vt habetur *extra de conditionibus appositis c. per tuas;* & æquiualet verbis de præsenti; vt *ibid. & c. de illis; & extra de sponsalib. c. is, qui fidem.* Tandem firmat iuramentum, & promissionem, cùm sit quædam illius executio.

ART. II.

ARTIC. II.

Quibus dissoluantur sponsalia?

1 CAusæ, quibus dissoluuntur sponsalia, continentur his versibus:

Dissensus, crimen, fuga, tempus, & ordo, secundo,

Morbus, & affinis, vox publica, cumque reclamat.

Dissoluuntur igitur 1. sponsalia per mutuum contrahentium consensum; qui debet esse voluntarius, non per vim, & metum extortus. Ratio est. Contractus sponsalium non est ex sua natura insolubilis; sicut contractus matrimonij, qui postquam legitimè factus est, dissolui non potest; ergo sicut alij contractus naturales ex sua ratione solubiles per mutuum consensum liberum eorum, qui contraxerunt, possunt dissolui; ita dicendum de contractu sponsalium. *Ita omnes Canonistæ super c. præterea de sponsalib.* Hoc valet etiam de sponsalibus iuratis; nam cùm iuramentum fundetur in contractu, destructo fundamento destruitur quoque iuramentum; *de iureiurand. c. debitores.* At si iuramentum sit factum, non homini, sed Deo; cùm hoc habeat rationem voti, ideo per simplicem dissensum nequit dissolui. Si tamen sponsalia sint contracta in infantia, quæ durat vsque ad septennium, quo incipere censetur vsus rationis; vel post infantiam ante pubertatem, quæ incipit post quartum decimum annum completum; vt habetur *de despensat. impub. c. pubens*; quo tempore homo censetur potens generare; ante tale tempus, inquam, neuter potest reclamare, & si reclamet, non est audiendus; vt habetur *ibid. c. de illis; & c. à nobis.* Sed expectandum est tempus pubertatis; & tunc sufficit ad dissoluenda sponsalia, quòd vnus tantùm reclamet, vt habetur *ibid.*

2 Soluuntur 2. per ingressum ad religionem vnius, vel amborum contrahentium. Si enim sic soluitur etiam matrimonium ratum, non consummatum; vt habetur *de conuers. coniug. c. 2;* quod est vinculum fortius, à fortiori soluuntur sponsalia, quæ vinculum minùs forte important. An autem solus ingressus dissolnat, vel expectanda sit professio? Resp. *Toler. & Sanch.* per solum ingressum dissolui quoad vtrumque contrahentem; si enim professione dissoluitur matrimonium, quod est vinculum maius, vt dicitur *ibid;* ingressu soluuntur sponsalia, quæ vinculum minus important. *Alij* tamen asserunt dissolui tantùm quoad illum, qui manet in sæculo, non quoad illum, qui religionem ingreditur; aliter posset quis sic contractum eludere, & postea è religione exire, & ducere aliam. *Ita noster Basil; Estius, Gabr; Rebell; & alij.* Ratio est; quia si per mutationem superuenientem in altero contrahentium potest ille, qui non mutatur, resilire, ille verò, qui mutatur, non potest; id quoque dicendum de mutatione ad statum religionis, quæ notabilissima est; & tenendum esse etiam de sponsalibus docent *DD.* Contra quòd facere videtur *extra de sponsal. c. commissum*; vbi *Alex. III.* ait tutius esse priùs matrimonium contrahere, & post matrimonium contractum non consummatum intrare. Quem textum *Estius* explicat sic respondisse Pontificem, ne religionem ingrediens vulgi opinione haberetur periurus. *Basil.* verò ait illum non habuisse verum, & firmum propositum religionis; atque adeò potuisse pœnitere; sieque tutius esset; interim enim potuisset meliùs stabiliri.

3 Soluuntur 3. per sacri ordinis susceptionem; imò & per votum simplex siue religionis, siue castitatis in sæculo seruandæ, siue ordinis sacri suscipiendi. Diximus *per sacri ordinis*; quia per susceptionem ordinum minorum, qui non pugnant cum matrimonio, sponsalia non dissoluuntur; *vt de clericis coniugatis cap. 1; & 2.* Ratio est. In sponsalibus etiam iuratis intelligitur semper exceptio: *nisi notabilis mutatio ex parte alterius futuris interuenerit*; nam si alterutri superueniret incurabilis morbus, vel insignis deformitas, non tenerent sponsalia; sed sacri ordinis susceptio, & votum simplex mutationem notabilem efficit; transfert enim ad statum cœlibatus, qui specie differt à statu coniugali; ergo per sacri ordinis susceptionem, & per votum simplex sponsalia etiam iurata soluuntur. Nec refert, quòd propositum cœlibatus possit per dispensationem tolli; & ideo non pertinere ad statum cœlibatus, qui immobilis est; atque adeò mutationem status non inducere. Nam contra est; quia de lege ordinaria votum simplex immobile est; per solam enim dispensationem, quæ tantùm fit de lege speciali, aufertur; ergo de lege ordinaria votum simplex transfert ad statum cœlibatus; si enim nulla dispensatio interueniat, tenetur vouens in cœlibatu perpetuo manere. Tum quia id, quod est minus, soluitur per id, quod est maius; vt si quis promittat alicui statuto pretio rem aliquam vendere, hic contractus soluitur per simplicem donationem; quæ semper intelligitur excipi; & si quis vouerit continentiam seruandam in sæculo, soluit votum ingrediendo aliquam religionem; sed votum simplex est maius, quàm sit contractus sponsalium; est enim quid perfectius; quia melius est continere, quàm nubere; vt docet *Apost.* ergo sponsalia per votum simplex soluuntur: Ex hoc à fortiori sequitur, quòd votum castitatis antecedenter ad sponsalia emissum per subsequentia sponsalia non soluitur; quia fortius per debilius non rumpitur, sed è contra. Nulla ergo sunt in hoc casu sponsalia etiam iurata, tanquam promissio rei illicitæ; vt habetur *c. rursus qui clerici, vel vouentes.*

4 Sed

4 Sed *Sanch. & Azor.* dissentientes quoad votum suscipiendi ordines, & seruandi castitatem obijciunt. 1. Papa, *cap. veniens vbi.* cogit eum seruare sponsalia præsertim iurata, post quę votum emisit. 2. Ex nullo iure habetur inesse sponsalibus conditionem: *nisi voluero statum continentia*. 3. Deus non acceptat promissionem rei alteri priùs promissæ; vt si quis donet equum *Titio*, & posteà Ecclesiæ; tenet prima promissio, non secunda.

Resp. ad 1. Papam coegisse implere sponsalia, quia de ipsis constabat, non tamen constabat de voto; tum quia illa fęmina nec sponsalia volebat implere, nec votum seruare; accusabatur enim de fide mentita in sponsalibus, & de voto violato. Ad 2 dicitur iure humano, & Diuino posse quemlibet id, quod est melius, & perfectius, eligere. Ad 3. neg. supp; non enim est promissio eiusdem rei, sed diuersæ, cum qua tamen est incompossibilis altera; nam sponsæ promittit fidem coniugalem; Deo autem promittit virtutem continentiæ, quæ à fide distinguitur; vnde quanuis eadem res vni promissa nequeat alteri denuo promitti; post promissionem tamen vnius rei potest alteri maior promitti, cum qua incompossibilis sit prima promissio.

5 Soluuntur 4. per subsequens matrimonium factum cum alia. Habetur *de sponsa duorum c. duobus; & de sponsalib. c. si inter; & c. sicut*; ubi dicitur sponsalia dirimi per matrimonium factum cum altera, non verò per secunda sponsalia etiam iurata. An autem soluatur obligatio sponsalium simpliciter ita, ut etiam dissoluto matrimonio per mortem, uel per ingressum in religionem ante consummationem matrimonij, remanente in sęculo, qui prima contraxit sponsalia; supposito, quòd contrahens, cui fides primorum sponsalium negata est, noluerit acceptare dissolutionem contractus, in cuius potestate procul dubio erat alteri nubere; *affirmant Sanch; & aly*; quia talis obligatio est prorsus extincta, & ideo nequit reuiuiscere. Sed *Basil; Adrian; Coninch; & aly* negant; quia talis obligatio suspenditur tantùm, non extinguitur; extinctio enim fit tantùm per mutuum dissensum.

6 Collig. priora sponsalia non dissolui per posteriora etiam iurata; quia iuramentum *non est vinculum iniquitatis*; habetur *in 6. de iure iurando c. contingit*; posteriora autem sponsalia sunt iniqua, & iniusta, quia sunt contra fidem promissam in prioribus sponsalibus. An autem secunda sponsalia secuta copula dissoluant priora facta sine copula; nam si etiam prioribus accessit copula, eadem est ratio, ac si utraque fuissent sine copula; & ideo de utrisque est loquendum conformiter; *Sanch.* ait priora non solui; si tamen fęmina uiolata notabile damnum non pateretur. Sed *Basil. cum Maior; Rebell; Coninch; & alijs* ait dissolui. Quia per copulam animo maritali factam fit quædam anticipata corporum traditio, qua præsumptione iuris antiqui matrimonium inducebatur; ideo sponsalia cum copula fortius vinculum important, quod propterea præualet uinculo sponsalium sine copula; ideo est sufficiens ad illa dissoluenda. Tum quia quale damnum maius potest fœmina pati, quàm uiolationis iniuriam? Ergo si priora sponsalia possunt per posteriora dissolui, quando per posteriora infertur notabile damnum; sequitur, quòd posteriora cum copula, quæ fęminæ uiolationem importat, dissoluant priora sine copula, & ideo uiolationis damnum non inferentia. Tandem prob. *ex com. reg. Multa facta tenent, quæ fieri prohibentur*; ut apertè colligitur in alijs contractibus; nam secunda uenditio secuta traditione rei uenditæ dissoluit primam uenditionem factam sine traditione; ut habetur *l. quoties 15. C. de rei vendit.* Quo ostenditur, quòd quanuis secunda sponsalia speculatiuè sint nulla; quia contrahentes promiserunt in prioribus sponsalibus tradere dominium in corpora; adeoque non remanet in eis potestas alteri promittendi; quia tamen practicè non tribuerunt usum actualem huius dominij; ideo per traditionem actualē ualidatur secunda promissio. Hoc tamen non obstante sponsalia cum copula nunquam transierunt in matrimonium nec etiam *ante Trid*; sed tantùm ex copula præsumitur interuenisse consensum præuium de præsenti uel uerbis, uel alijs signis expressum, quo matrimonium inducitur.

7 Soluuntur 5. per discessum sponsi in terram alienam mutato domicilio cum intentione non redeundi; quia per hanc discessionem præsumitur sponsus suo iuri renunciare; ideo fęmina potest hanc renunciationem acceptare, & alteri spondere. Habetur expressè *de sponsalib. c. de illis*. Si tamen sponsus monita sponsa discesserit cum intentione, & promissione reuertendi, sponsalia subsistunt; & sponsa expectare tenetur. Sed si sponsa reuersionis inscia discedat? *Aliqui* respondent, ubi deficit *ius canonicum, ad ius ciuile* recurrendum esse; quod *l. 2. C. de repudio* præcipit; quòd si sponsus ierit extra prouinciam, expectandum est per triennium; si intra prouinciam, per biennium. Nec uerum est, quod ait *Sanch; per ius canonicum in dicto c.* correctum fuisse *ius ciuile*; nam illic agitur solùm de discessione sponsi cum mutatione domicilij, & intentione non reuertendi; ut uidetur supponi. Sed meliùs censemus satagendum esse per literas, ut sciatur, an sponsus sit reuersurus, & impleturus promissum.

8 Soluuntur 6. per elapsum termini ad matrimonium præfixi *de sponsalib. c. sicut*. Terminus autem præfigi potest dupliciter. 1. Vt differatur celebratio matrimonij vsque ad tale tempus, nec ante illud possint cogi ad illud celebrandum; & in

in hoc sensu elapso illo tempore non soluuntur sponsalia; sicut cùm præfigitur alicui tempus ad soluendum debitum, elapso illo tempore non liberatur à debito. 2. Vt finiatur obligatio ita, ut ultra illud tempus nulla obligatio remaneat; & in hoc sensu loquitur Pontifex *vbis.*

9 Soluuntur 7. per superueniens impedimentum affinitatis; vt si sponsus habeat rem cum consanguinea ipsius sponsæ *de eo qui cognouit c. fraternitati; & extra de sponsalib. c. cùm in tua; & 27. q. 2. c. si quis sponsam*; quod impedimentum *à Trid.* limitatur ad secundum gradum; imò etiamsi tantùm rumor huius impedimenti oriatur; vt docent *Basil. hic c. 17. n. 1; Estius, Tolet; & aly.* Idem dicendum de affinitate spirituali, inquit *Estius*.

10 Soluuntur 8. per quamlibet mutationem notabilem, aut impedimentum superueniens alteri ex sponsis; vt diximus de impedimento affinitatis superuenientis sposalibus iam contractis. Item si alter illorum fornicetur, *de iurciurando c. quemadmodum* 25. Soluuntur autem semper in fauorem innocentis, non fornicantis. Item si alter eorum labatur in heresim. Item si quis decidat in grauem morbum, vt in lepram, paralisim, hidropisim, vel morbum contagiosum *ibid.* Vel si oculum, nasum, digitos, vel manus, aut quodcumq; corporis membrum amiserit, ex quo oriatur deformitas, aut impotentia, vel debilitas ad generandum, vel ferendum onus matrimonij, aut copulam impediens, aut quoquo modo illam auertens. Item si oriatur morum asperitas, intolerabilis impatientia *de restit. spoliat. c. literas*. Item grauis discordia, & inimicitia inter parentes; notabilis paupertas, siue dos promissa fuerit, siue non promissa; tunc enim deficit conditio, sine qua matrimonium non fit. Sic de quacunque alia mutatione dicendum, quæ, si fuisset præuisa, fuisset sufficiens, vt non contraherentur sponsalia. Quoties tamen istæ causæ sunt occultæ, auctoritate Ecclesiæ sponsalia sunt dirimenda. Idem dicendum si istæ causæ præcesserint, ignoræ tamen fuerint; præsumitur enim, quòd contrahens, si præcedenter conscius fuisset, sponsalia non contraxisset. Si tamen aliquis eo animo sponsalia contraheret, vt adhuc contraxisset, si istæ causæ illi notæ fuissent, sponsalia valerent. Solet excipi fornicatio ex parte viri, & postea cognita à muliere; nulla enim mulier afficitur iniuria, quòd vir aliam cognouerit, cùm ei coniunctus non erat. Et quanuis non omnes istæ causæ sint sufficientes ad dirimendum contractum matrimonialem, vt docet *Fund. Doct. de Renunc. Papæ c. 8*; quia licèt inde bonum aliquod particulare consurgeret; attamen malum vniuersale oriretur; quia cùm homines magis sequantur concupiscentiam, quàm rationem, possent inde occasionem accipere dimittendi suas vxores; quo contemptibile redderetur matrimonium; sufficiunt tamen ad dirimenda sponsalia, quæ ex sua natura indissolubilia non sunt, sicut indissolubile est matrimonium, vt *sup.* diximus.

11 An autem contrahens teneatur reuelare hos defectus, antequam contrahat? Resp. *Basil*; quòd vel isti defectus reddunt tantùm nuptias minùs appetibiles, vt defectus pulcritudinis, diuitiarum &c; non tamen perniciosas, vt morbus, inhabilitas &c; & tunc non tenetur. Vel reddunt etiam perniciosas, & tenetur.

12 Tandem cùm dissoluuntur sponsalia iuramento firmata, non est necesse petere relaxationem iuramenti; cùm enim super contractum fundetur; ideo eculso fundamento, iuramentum quoque conuellitur.

13 Solent in sponsalibus apponi arrha, pœna, & pactum de non discedendo ab aliquo loco. Arrha est pignus, quod datur matrimonij contrahendi *l. 3; & l. fin. C. de sponsalib.* Si sponsalia soluantur, arrha vtrinque repetitur. At si matrimonium defectu tantùm vnius non est secutum, ab illo arrha amittitur. Si autem defectu illius, qui arrham recepit, duplum, vel etiam quadruplum restituendum est; si ita conuenerint, *ibid.* Hæc lex non est immutata *per ius Pontificium*; vnde tacitè approbata censetur. Arrha tamen est danda proportionaliter ad facultates recipientis, ne nimis illius paupertas grauetur. Pœna etiam iustè statui potest resilienti sine causa; vt habetur *ex nouell. 18. Leonis Imp*; & confirmatur *à iure canonico*; nam *de sponsalib. c. de illis Alex. III.* pœnam statuit mulieribus, si sua causa sponsi longinquas petierint terras, vt sponsalia dirimerent. Tandem pactum de non mutandò loco potest apponi, quod tenere *omnes* docent, quia non est contra bonos mores, nec contra aliquam legem. Hoc pactum autem vel potest esse de commorando in aliqua ciuitate, vel oppido aut perpetuò, aut ad tempus, aut in domo vxoris &c; transgressoribus autem non posse imponi pœnam criminalem, sed tantùm ciuilem ait *Bart. l. si vnus §. pactus n. 26. ff. de pactis*.

14 Ritus celebrandorum sponsalium præscribitur *in Rituali*. Debent fieri coram parocho, qui stola indutus in loco decenti debet contracturos interrogare, an sint præsentes contrahentium parentes, aut alij eorum nomine; an sciant rudimenta fidei, & Ecclesiæ sacramenta, quorum vnum celebrare disponunt; nisi aliàs eorum habeat notitiam; an libera voluntate contrahant; an sciant huic contractui aliquod canonicum impedimentum subesse; quibus, & alijs cognitis *in Rituali* præscriptis promissionem mutuam nomine Ecclesiæ acceptet.

15 Contrahentes autem debent attentè seruari, an hæc sit vocatio Diuina; & quia proprium iudicium proprio amore sæpè obcæcatur, debent parentes, & alios consulere; an sint habiles

biles ad ferendum matrimonij pondus. Deinde debent quærere consortes paris religionis, vt Ecclesiæ præcepto obligantur. Paris quoque conditionis, indolis, & ætatis; quia si sit inferioris conditionis, facilè despicitur; si sit imparis indolis, non amatur, vt decet; si sit minoris ætatis, nimium libido ferueſcit; si autem maioris, ſtricta ſocietate non iunguntur. Deinde matrimonium debet præcedere trina denunciatio, vt si quis ſciat aliquod impedimentum ſubeſſe, denunciet; vt mandat *Trid*; & hæ denunciationes diebus feſtis fieri debent; & ſciens impedimentum notificare tenetur; quia ſubditus obedientiam ſuperiori præcipienti tenetur præſtare. Poteſt tamen Epiſcopus in his denunciationibus iuſtis de cauſis diſpenſare; præſertim cùm certò ſcit nullum impedimentum adeſſe; vel cùm adeſt periculum tumultuum, diſcordiarum, homicidiorum, infamiæ &c.

16 Quæres; an diſſolutio ſponſalium fieri debeat, vel poſſit auctoritate Principis ſæcularis; vel auctoritate Eccleſiæ?

Resp. poſſe quidem Principem ſæcularem, quando ex talibus ſponſalibus oriuntur diſſenſiones grauiſſimæ, quæ turbant publicam pacem, impedire ad tempus, ne matrimonium ſequatur, quouſque per Eccleſiam prouideatur; poteſtas enim ſæcularis verſatur circa tuendam Reipublicæ quietem, tranquillitatem, & pacem; non tamen poſſe directè ſponſalia diſſoluere; quia cùm ſponſalia ſint diſpoſitiones ad matrimonium; cùmque diſpoſitio ſit in eodem ordine cum forma, ad quam diſponit; ideo ſi poteſtas ſæcularis nequit matrimonium, quia eſt ordinis ſacri, diſſoluere, vel in eo diſpenſare; neque etiam poteſt ſponſalia dirimere. Tum quia Princeps habet ſolam poteſtatem ſtatuendi circa acceſſiorium matrimonij, vt circa dotem &c; ſed ſponſalia non ſunt acceſſoria, quia illud præueniunt; ergo idem. *Vid. inf. q. 3. art. 1.*

QVÆST. II.

De inſtitutione, & eſſentia matrimonij.

EXpeditis ijs, quæ eſſentiam matrimonij præcurrunt, ad illam explicandam progredimur. Quoniam tamen *de ſacram. in com. q. 1.* diximus tria matrimonio competere, ſcilicet rationem contractus purè ciuilis, & naturalis; rationem remedij; & rationem ſacramenti; & has tres rationes non ſemper matrimonio congruiſſe; antequam inquiramus, in quo eius eſſentia conſiſtat formaliter; videndum eſt, quando ſecundùm has rationes inſtitutum fuerit; hoc enim pertinet ad quæſtionem, *an eſt*, quæ *ſecundùm Phil.* quæſtionem, *quid eſt*, debet præcedere.

ART. I.

Quando, & à quo fuerit inſtitutum matrimonium in ratione contractus, remedij, & ſacramenti?

1 NOmen *matrimonij*, vt conſtat *ex Val. Max. lib. 7. c. 8*; aliquando *apud veteres* ſignificauit ea bona, quæ filijs ex matre proueniunt, ſicut etiam patrimonium ſignificat bona, quæ ex patre deriuant. 2. Sumitur matrimonium pro coniunctione maſculi cum fœmina, per ordinem ad generandos filios; & in hoc ſenſu ſumitur *in præſenti*. Dicitur autem hæc coniunctio potiùs matrimonium à matre, quàm patrimonium à patre; quia licèt importet vtrumque, ſine quibus filij generari non poſſunt; attamen mater in generatione filiorum plura munera habet, quàm pater; vnde dicitur matrimonium, quaſi *matris munium*, ſeu *munus*; ut habet *S. Iſid. lib. 9. ethimologiar.* mater enim præter munus, quod habet generandi ſimul cum patre, in ſuo ventre locum præſtat puero, ſubminiſtrat alimentum, quo filius nutritur, & creſcit; & alia, quæ non præſtat pater. Præterea matrimonium vocari etiam ſolet *coniugium*, vt conſtat *ex Hebr. 14; & ex S.P. Aug. lib. 5. cont. Iul. c. 9; & ſæpè alibi*; cuius ratio eſt; quia duo ſub eodem iugo perpetuò ferendo iunguntur. Vocatur etiam *connubium* à nubendo eo, quòd coniuges, cùm benedicuntur, velamine, quaſi nube abſcondente, teguntur; vt habetur *q. 5. c. nec illud*. Appellatur etiam nomine *ſponſalium*, ſeu nuptiarum à diſpoſitionibus ad illud præparantibus. *Vid. plura* de hoc nomine *apud Palud. hic diſt. 26. q. 1. art. 1.*

2 Matrimonium, vt eſt contractus merè ciuilis, & naturalis, *ex Fund. Doct. Ægid. Quodl. 5. q. 26.* definiri poteſt *conſenſus mutuus maris, & fœminæ vſque ad mortem indiſſolubilis, quo legitimè traditur dominium corporis alteriuſutrius per ordinem ad generandam prolem, & educandam*. Quæ definitio, ſi ei addatur (inquit *noſter Baſil.*) *gratiæ collatiuus*, explicat naturam matrimonij nedum, vt habet rationem contractus ciuilis merè naturalis, ſed etiam, vt habet rationem ſacramenti; cuius proprium eſt gratiam conferre. Præter has duas rationes, quæ matrimonio competunt, tertiam addidit *S.P. Aug. locis cit. de ſacram. in gen. q. 1*; ſcilicet rationem reme-

remedij naturæ per peccatum sauciatæ ad reprimendam libidinem ex peccato in membris relictam. Hoc ordine autem hæc tria matrimonio conueniunt; vt in statu innocentiæ habuerit veram rationem contractus ciuilis, & naturalis in officium propagandæ naturæ; non autem rationem remedij naturæ sanandæ, quia tunc saucia natura non erat; nec libido, quæ febris animi est *Apost. teste*, ebulliebat in membris: Post *Adæ* peccatum habuit rationem contractus, & remedij. Tandem post Christi Domini institutionem habuit rationem contractus, & remedij, & esse sacramentum nouæ legis incepit.

3 Matrimonium, vt habet rationem contractus merè ciuilis, & naturalis, *aliqui* voluerunt esse *ab Adam* immediatè institutum Deo inspirante, atque adeò esse immediatè tantùm de iure humano, & solùm mediatè de iure Diuino. *Ita Mag. hic*; *Bassol*; *Palud*; *Mayron.* & *aliqui Canonistæ*. *Alij* dixerunt à solo Deo, adeoque iure tantùm Diuino positiuo fuisse institutum. *Ita Syluest*; *Almain*; *Sot*; *Sanch*; *Coninch*; & *alij*; qui tamen differunt inter se; nam *aliqui* asserunt institutum fuisse, cùm Deus dixit: *Non est bonum hominem esse solum*; *alij* verò *in Euæ* creatione; prædicta autem verba esse tantùm declaratoria institutionis faciendæ; *alij*, cùm dixit: *Crescite, & multiplicamini*; *alij* tandem, cùm *Adam* è somno experrectus dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea; propter quod relinquet homo patrem suum, & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna*; his enim verbis exprimitur consensus, & indissolubilitas, quæ sunt necessaria ad matrimonium, vt est contractus. *Ita Scotus apud Mastr. hic disp. 7. q. 1. art. 2*; qui refert *D. Bon*; *Dur*; *Hiqueum*, *Ponc. Scotist*; *Brancat*; *et alios*; & quamuis fateatur matrimonium; vt est contractus naturalis, esse valde conforme legi naturæ, non tamen esse de iure naturæ strictè, & propriè loquendo. *Alij* voluerunt esse iure naturali simul, & Diuino institutum. *Alij* solo iure naturæ, non humana, aut Diuina voluntate. *Ita noster Basil. hic lib. 1. c. 3. n. 4*; vbi refert *Adrian*; *Aureol*; *Petr. Ledesm*; *Vasq*; *Valent*; & asserit distinguendam esse institutionem, & celebrationem, ac vsum; propterea cùm *SS. PP*; & *DD.* asserunt matrimonium in paradiso terrestri instituente Deo exordium sumpsisse, intelligendos esse de celebratione contractus matrimonialis, quatenus scilicet primi parentes Deo inspirante matrimonium contraxerunt. Præterea asserit ius naturæ duplex esse, scilicet iustitiæ, seu necessitatis; & vtilitatis, seu libertatis. Ius necessitatis est, quod ita iubet, vt oppositum facere non liceat; vt non furari, non mœchari &c; & in hoc sensu matrimonium non esse naturæ iure institutum, vt *aliqui* blasphemarunt *hæretici*. Ius vtilitatis est, quod ita non iubet, vt facere oppositum peccatum sit; sed liberam dat facultatem vtendi te aliqua, tanquam vtili, & honesta; & in hoc sensu matrimonium dicitur solo iure naturæ institutum. Nostra tandem sententia est matrimonium institutum quidem fuisse iure naturæ, quod non est, nisi ius Diuinum scriptum in cordibus nostris, vt docet *Apost. Rom. 2*; lex enim naturæ est lex Dei scripta in cordibus nostris eo modo, quo diximus *to. 4. de legib. q. 2. art. 3*; vnde matrimonium, vt contractus, in genere causæ efficientis immediatè est institutum à Deo, qui est immediatus Auctor naturæ; in genere autem causæ formalis institutum est iure naturæ; quia natura est ratio formalis dictans contrahendum esse matrimonium, & talem contractum religiosè seruandum; Diuina autem lex æterna existens in mente Dei, seu ius Diuinum æternum naturale, quo ordinauit creare naturam in suas actiones, & fines ei consentaneos illam dirigendo, & ad illos naturales inclinationes ingenerando, efficienter immediatè illud instituit eo modo, quo diximus *vbi sup. Ita Fund. Doct. Ægid. de Regim. Princ. lib. 2. p. 1. c. 7*; & *seq*; & *locis vbi sup. cit*; *Argent. hic dist. 26. art. 2*; & *plures alij*.

4 Quoad secundam rationem, quæ competit matrimonio, *Marcion*, *Manichæi*, *Priscillianistæ*, *Tatiani*, *Encratitæ*, *Apostolici*, & *Hieracitæ apud Tertull. lib. cont. Marcion*; *apud D. Hier. lib. 1. cont. Iouinian*; *et S. Epiph*; & *S. P. Aug. de hær*; & *in omnibus libris contra Manichæos* dixerunt nuptias, seu matrimonium à Deo malo fuisse institutum, vel à fornicatione non differre, atque adeò simpliciter illicitum esse. Hanc hæresim prorsus extinctam resuscitarunt *Armeni*, & *quidam Almaricus*, quos damnauit *Innoc. III. extra de Summa Trin. c. damnamus*. *Erasmus* verò, *Caluin*; *Beza*, *Luther*; Kemnit; & *eorum asseclæ* dixerunt matrimonium etiam in lege noua non esse sacramentum. *Ex catholicis* autem, qui *ante Flor.* & *Trid.* scripsere, aliqui senserunt esse sacramentum tantùm in quadam lata, & generali significatione, prout est signum alicuius rei spiritualis, scilicet coniunctionis Christi cum Ecclesia; non autem strictè, & propriè, prout sacramentum habet gratiam conferre. *Ita Dur. hic q. 3*; vbi refert *Glos. 32. q. 2. c. honorantur*; *Gaufred*; *Hostien*; & *alios Canonistas* asserentes in hoc sacramento posse interuenire pecuniam, quia per ipsum non confertur gratia Spiritus Sancti. *Mag. hic* docet matrimonium institutum tantùm fuisse in remedium peccati; non autem gratiam adiutricem conferre; quod docuit etiam *Guilelm. Peraldus*; & *Iacob de Vitriaco lib. occidental. hist. c. 36*. Ex opposito verò *Henric. Angliæ Rex in assert. septem sacramentor*; *Pighius controu. 10*; *Alen. p. 4. q. 1. memb. 2. art. 1*; *Alphon. de Castro de hær. v. nuptiæ*; *Petr. Sot. de instit. Sacerdotum lect. 2. de matrim*; *Catharin. de matrim. q. 3*; *4*; & *5.* senserunt matrimonium ante Christi institutionem fuisse verum sacramentum; quam sententiam parum

parum tutam vocat *Basil. vbi sup. c. 5. n. 1.* Catholica autem doctrina est statuta *in Flor. & Trid.* matrimonium esse verum, & proprium sacramentum à Christo Domino institutum, adeoq; gratiam conferre. Quam institutionem factam fuisse *Matth. 19.* tradit *Fund. Doct. Ægid. sup. Salutat. Angelic. fol. 14. col. 2; & ferè omnes alij DD. communiter*; exceptis quibusdam asserentibus factam fuisse *in nuptijs Cana*.

5 Vnica concl. Matrimonium, vt est contractus purè ciuilis, & naturalis, in paradiso terrestri efficienter à Deo est institutum, cùm hominem creando masculum, & fœminam fecit in officium propagandæ naturæ; adeoque hæc institutio est de lege Diuina existente in mente Dei; & de iure naturæ à Deo in cordibus hominum scripto; & per consequens eius vsus est bonus, & licitus; post peccatum verò matrimonium incepit esse remedium libidinis, qua natura remansit sauciata; & tandem in lege euangelica in ratione sacramenti propriè dicti conferentis gratiam ex opere operato à Christo Domino est institutum *Matth. 19;* cùm dixit: *Quod Deus coniunxit, homo non separet*.

Prob. 1. pars *ex Gen. 1. Masculum, & fœminam creauit eos, benedixitque illis Deus, & ait: crescite, & multiplicamini, & replete terram; & c. 2. Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam; cùmque obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea; & ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem, & adduxit eam ad Adam. Dixitque Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea; hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna*. Ex quibus arguitur. Cùm externè determinata est coniunctio maris, & fœminæ per ordinem ad procreationem, & educationem filiorum, tunc institutum est matrimonium, vt contractus merè ciuilis, & naturalis, in officium propagandæ naturæ; institutio enim importat actionem externam; nam interna determinatio est potiùs intétio institutionis, quàm institutio; vt cùm Princeps merè internè decreuit condere aliquã legem, nõ intelligitur lex instituta, nisi determinatio exterior accedat; sed Deus in paradiso terrestri determinauit externè coniunctionem maris, & fœminæ per ordinem ad procreationem, educationemq; filiorũ; quia determinauit multiplicationem hominũ per generationem, vt patet ex illis verbis: *crescite, & multiplicamini*; quod nequit intelligi, nisi de incremento secundùm numerum, quod est multiplicatio numerica, non autem de incremento secundùm corporis molẽ, fuerunt enim creati in ætate perfecta, seu in plenitudine ætatis; quia *opera Dei sunt perfecta*; quod intelligendum est de operibus, quæ à solo Deo absque concursu creaturæ procedunt; multiplicatio autem numerica non habetur, nisi per generationem; vt constat; & generatio sola non sufficit ad multiplicationem hominum; in hoc enim discriminatur homo, & bruta animalia; quòd horum aliqua mox genita parentum cura non egent, sed propter suæ imperfectionem naturæ, quæ ex quolibet terrestri pabulo nutritur, & crescit, ad quærendum alimentum sibi sufficiunt; & aliqua solius fœminæ subsidio indigent; alia verò vtriusque opem requirunt; fœminæ quidem ad fouendum, & masculi ad cibum quærendum; propter quod natura prouidit, vt vterque simul morentur, quousque proles sibi ad viuendum sufficiat. At homo, quoniam est inter omnia animalia perfectior, perfectius quoque alimentum requirit, quod statim natus non posset inquirere, vt constat; prætereà cùm sit mẽte præditus, *& naturaliter scire desideret*, vt docet *Ph. s.* non exigit solùm secundùm corpus nutriri, sed etiam secundùm mentem educari; ideo ad multiplicationem hominum sola generatio non sufficit, sed insuper educatio requiritur; ergo Deus in paradiso terrestri instituit matrimonium, vt est contractus merè ciuilis, & naturalis, in officium propagandæ naturæ. Quod confirmatur ex verbis *ipsius Adam*; qui in illa extasi intellexit nouissima omnia, vt docet *S. P. Aug. lib. 9. de Gen. ad lit. c. 19;* & euigilans promulgauit, tanquam preco, institutionem matrimonij factam à Deo propter filios procreandos, & propter replendam terram dicens: *Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit vxori suæ; & erunt duo in carne vna*; quibus indissolubilem matrimonij nexum descripsit; vnum enim ex duobus vinculum duorum importat. Quod etiam significauit Deus formando *Euam* ex costa de latere ipsius *Adam* excerpta, quod innuit, & commendauit, inquit *S. P. Aug. ibid. c. 13;* maximam vnionem, & coniunctionem viri cum vxore. Hoc idem docuit Christus Dominus *Matth. 19.* dicens: *Qui fecit hominem ab initio, masculum, & fœminam fecit eos; & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna*. Idest creatio masculi, & fœminæ, eorumque vnio insolubilis, ac propterea maior vnione filij cum patre, & matre, quæ solubilis est, est institutio matrimonij, quatenus est contractus, vt diximus; sed Deus in ipsa hominis creatione instituit vnionem insolubilem masculi cum fœmina, quia voluit, vt vnus alteri adhæreret, & ambo essent vnum; vt constat ex allatis verbis; ergo Deus in ipsa hominis creatione instituit matrimonium, vt est contractus duorum, in officium propagandæ naturæ. *Hoc* docuit *Trid. sess. 24.* dicens *Matrimonij perpetuum, indissolubilemque nexum primus humani generis parens Diuino spiritus instinctu pronunciauit, cùm dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis &c.* sed pronunciator legis supponit legem ab ipso Legislatore institutam; ergo *Adam* supposuit matrimonium

à Deo

a Deo institutum; & per consequens Deus in ipso hominis exordio in paradiso matrimonium instituit; & S. P. Augalib. 14. de Ciu. Dei c. 22. super allatos *scripturarum textus* ait intelligendum *esse donum nuptiarum, quas Deus ante peccatum hominis ab initio constituit*; & quanquam hoc possit etiam secundùm sensum spiritalem intelligi, vt nomine masculi pars superior, quæ regit; & nomine fœminæ pars inferior, quæ regitur, intelligatur; attamen sensus literalis de matrimonio carnali nequit negari; quia Dominus interrogatus, an liceat quacunque ex causa dimittere vxorem carnalem, respondit: *Qui fecit hominem ab initio, masculum, & fœminam fecit eos; & ci & adhærebit vxori suæ; & erunt duo in carne vna*; quod tantùm de matrimonio potest intelligi, aliter Christus non respondisset ad rem sibi propositam, nec dubium soluisset; vnde subdit *S. P. ibid.* hoc intelligendum *apertè de vinculo coniugali, quo inuicem sibi vterque sexus obstringitur*; & mox: *Certum est igitur masculum, & fœminam ita primitus institutos, vt nunc homines duos diuersi sexus videmus, & nouimus*. Deinde quærens, quomodò duo vnum dicantur, respondet: *Vnum dici, vel propter coniunctionem, vel propter originem fœminæ, quæ de masculi latere creata est. Nam & Apostolus per hoc primum* (scilicet per coniunctionem) *quod Deo instituente præcessit, exemplum singulos quosque admonet, vt viri vxores suas diligant*, quanuis enim eorum vxores de ipsorum latere formatæ non sint; attamen propter coniunctionem cum eis, quam ait Deum instituisse, sunt diligendæ.

6 Nec dici potest *cum nostro Basilio* intelligendos *hos textus* esse de celebratione matrimonij, non autem de institutione propriè dicta. Nam contra est. 1. Celebratio institutionem supponit, vt patet; sed *prædicti textus* non loquuntur de aliquo, quod institutionē supponat; nam institutio, ut *sup.* diximus, debet esse aliquod externè factū à Deo; nihil autem externū præcedens narrat *scriptura*, cuius posteà celebratio insinuetur; ergo *prædicti textus* nequeunt de celebratione matrimonij explicari. 2. Quoties celebratio non supponit antecedentem determinationem externam rei, quæ celebratur; tunc simul est celebratio, & institutio; vt constat de eucharistia, quæ in cœna Domini communiter dicitur instituta, in qua de fide est fuisse celebratam; quia tamen hæc celebratio non supponit præcedentem determinationem externam materiæ, & formæ eucharistiæ; ideo hæc celebratio rectè dicitur institutio; sed præcedenter *ad hos textus* nihil prorsus habetur *in scriptura* circa matrimonij quiditatem; ergo *prædicti textus* nequeunt intelligi de celebratione præcisa institutione, sed de vtraque simul necessariò accipiendi sunt. Celebratio matrimonij supponit existentiam contrahentium; promissio enim de futuro non sufficit, vt *inf.* sed cùm primò dixit Deus: *Masculum, & fœminam fecit eos*; Eua non erat existens; hæc enim verba narrantur c. 1. & creatio Euæ habetur c. 2. ergo saltem verba recitata c. 1. de celebratione nequeunt intelligi.

7 *Inst. Basil.* 1. Quæ sunt iuris naturæ, non egent institutione aliqua, dispositiua externa; sufficit enim ius naturæ ad illud agendum; sed matrimonium est iuris naturæ, vt habetur *dist. 1. cums naturale*; ergo non eguit aliqua institutione. 2. Emptio actualis rei non est institutio venditionis, vt constat; ergo celebratio actualis matrimonij non est illius institutio; sed allati *textus* loquuntur de celebratione actuali matrimonij, non verò de eius institutione.

Resp. ad 1. dist. ma. Non egent institutione distincta ab institutione, qua institutum est ius naturæ, conc; non egent ea institutione, qua institutum est ius naturæ, neg; non enim ius naturæ à nullo est, sed à Deo instituente, à quo natura est instituta cum tali inclinatione naturali, in qua ius naturale consistit. Matrimonium ergo institutum est, cùm institutum est ius inclinans naturaliter ad coniunctionem viri cū fœmina per ordinem ad procreationem prolis; quod ius, seu inclinatio externè posita est à parte rei; cùm Deus *masculum, & fœminam fecit eos*; & dixit: *Crescite, & multiplicamini*; tunc enim indidit talem inclinationem. Ad 2. neg. conf; emptio enim supponit rationem contractus anteà determinatam; at verò prima celebratio matrimonij non supposuit determinationem illius antecedenter factam, vt diximus de eucharistia; ideo hæc simul est cum institutione, non illa.

8 Tandē hoc probat *Fund. Doct. Æg. de Regim. Princ. vbi s.* ratione ducta *ex Phil. S. Eth.* Quòd homo sit animal sociabile, est de iure naturæ à Deo in prima hominis creatione instituto; sed matrimonium, vt contractus, importat potiorem societatem; ergo est de iure naturæ à Deo in prima hominis creatione instituto. Ma. prob. *ibid. c.* 1. Illud conuenit homini de iure naturæ à Deo in prima hominis creatione instituto, quod ei conuenit ad vitam naturalem seruandam; sicut enim naturaliter appetit viuere; sic conseruare vitam naturaliter appetit; aliter nihil ei proficeret viuere, si viuere statim desineret; appetitus autem naturalis seruandi vitam naturalem est ius naturale inditum à Deo in cordibus nostris, vel ut *Apost.* loquitur *Rom.* 2. est *lex Dei scripta in cordibus nostris*; sed sociabilitas est homini necessaria ad vitam seruandam. 1. Quia cùm homo sit animal perfectius habens perfectiorem tactum, & delicatiorem complexionem, indiget cibo perfectiori, & exquisitiùs præparato, quàm sit cibus, quo indigent, vt viuant, alia animalia, ut constat. 2. Quia cùm nascatur nudus, indiget vestibus, ut à frigoris rigiditate vitam tueatur; non enim nascitur

vestitus plumis, aut pilis, sicut alia animalia; 3. Quia habet hostes insidiantes eius vitæ; ideo indiget armis ad se defendendum. 4. Quia est capax disciplinæ, & scientiæ; ideo indiget instrui, & erudiri; sed hæc nequeunt ab eodem homine sibi præstari; non enim potest sibi cibos quærere, & præparare; lanas, & alia, quæ ad vestimentum pertinent, texere; arma fabricare; & se ipsum edocere, ac instruere; adeòque ab alijs hominibus hæc sunt necessariò præstanda; quæ nequeunt subministrari, nisi habeatur illorum societas; ergo, quòd homo sit animal sociabile, est de iure naturæ à Deo in prima hominis creatione instituto. Prob.mi. *ab eod. ibid. c. 8. ex Phil. 8. Eth. c. 12.* Communitas domus est potior societas, quàm communitas vici, ciuitatis, vel Regni; propter quod *Phil.* ait, quòd *homo magis naturaliter est animal domesticum, quàm politicum*; nam communitas domus ordinatur ad generationem, quæ maximè expedit conseruationi speciei, quæ est bonum commune; & nutritioni, quæ est necessaria ad vitam seruandam; & ad bonum proprium, quod acquiritur actionibus extra domum, quæ sunt propriæ viri; & actionibus intra domum, quæ sunt propriæ vxoris; non enim omnes masculi, & fœminæ eiusdem vici, ciuitatis, vel Regni sunt communes generationi, nec cibos communiter præparant, nec bona habent communia; sicut hæc sunt communia viro, & vxori; & licèt in eadem domo sit societas, & communitas patris cum filio, & domini cum seruo, attamen hæc societas est separabilis, & dissolubilis; societas autem viri, & vxoris inseparabilis, & insolubilis est; & societas inseparabilis est potior, quàm separabilis, quia maiorem vnitatem importat; præterea societas patris, & filij; serui, & domini non est per ordinem ad generationem, vt constat; sed matrimonium, vt contractus, importat communitatem domus per ordinem ad generationem, qua species conseruatur; & ad nutritionem, qua alitur vita; & ad actiones, quibus acquiruntur bona temporalia, quæ sunt necessaria ad transigendam temporalem hanc vitam; ergo matrimonium, vt contractus, societatem potiorem importat. Demum hoc probat *Fund. Doct. ibid.* Id, quod est ex naturali inclinatione, est de iure naturæ ab ipso Deo instituto; non enim est ab homine, quia homo nequit suæ natiuitati cooperari; aliter ageret, antequam esset, agens enim saltem pro priori naturæ est prius effectu; & si non esset à Deo, esset casuale respectu Dei; quod summæ Dei prouidentiæ repugnat; & esset in homine aliquod à Deo independens, quod eius causalitati vniuersalissimæ detrahit; sed matrimonium, vt contractus, est ex inclinatione naturali ipsius hominis; naturaliter enim omne animal inclinatur ad producendum sibi simile in specie eo, quòd naturaliter intendat conseruationem speciei; ut paritate aliorum animalium ostenditur, imò omnium agentium corruptibilium, quæ maximè appetunt conseruationem Vniuersi; quæ ex conseruatione specierum, in quibus armonica illius perfectio consistit, dependet; ergo matrimonium, ut contractus, est de iure naturali à Deo in prima hominis natiuitate instituto.

9 Instat *Mastr. cum Scot.* Quamuis inclinatio ad propagandam naturam sit de lege naturæ; attamen non est de iure naturæ, quòd contractus initus ad talem propagationem sit indissolubilis; quia hoc non est ex terminis notum, nec ex principijs practicis euidenter deductum; aliter hoc cognouissent etiam gentiles; quod est falsum; quia *apud Romanos* repudia adeò erant frequentia, vt docet *S.P. Aug. de fide, & oper. c.7*; vt pro leuissima causa uxores ductas repudiarent, & alias ducerent. Nec sufficienter probatur ex parte prolis educandę, aut conseruandæ Reipublicæ; quia prolis educatio, ac propagatio speciei, ac proptereà conseruatio Reipublicæ posset consistere mediante contractu ad tempus; quandiu scilicet parentes essent apti ad educandum; ergo matrimonium, quatenus contractus indissolubilis, non est de iure naturæ.

Resp. *Fund. Doct. vbi s. c.* 8. indissolubilitatem matrimonij ex duplici principio practico etiam *ipsis Philosophis gentilibus* noto euidenter deduci. Primum est amicitia naturalis perfecta, quæ debent esse inter virum, & uxorem; ut docet *Phil. 8. Eth. c.* 12; nam tunc est amicitia naturalis perfecta inter duos; quando unus est semper amicus, & semper ei fidem seruat; amicitia enim, quæ soluitur, perfecta non est; perfectiùs enim amat, qui indissolubiliter amat, quàm qui amorem deperdit; actus namque perseuerans perfectior est actu faciliter mobili, vt constat; & qui soluit amicitiam, fidem frangit amico de seruanda vnione, quam amicitia inter ipsos statuerat; sed matrimonium perfectam amicitiam naturalem importat, vt lumine naturali nouerunt *Philosophi* importat enim amorem naturalem inter virum, & vxorem, secundùm quem fiunt vnum nedum secundùm affectum, sed etiam secundùm corporis coniunctionem; & sicuti vnio secundùm affectum causat amicitiam merè spiritualem; ita vnio, & coniunctio physica secundùm corpora causat amicitiam naturalem, & physicam; ergo matrimonium etiam *iuxta gentiles Philosophos* importat ex sua ratione formali indissolubilitatem contractus; quæ lumine naturali est per se nota. Quod ipsis quoque gentilibus fuit adeò persuasum, notum, & creditum; vt *Valer. Max. lib. de factis memorabilibus c. de institutis antiquis* dixerit: *Repudium inter uxorem, & virum a tempore, quo Vrbs Roma fuit condita vsque ad vigesimum, & quingentesimum annum nullum intercessit. Primus autem, qui dimisit vxorem sterilitatis causa, fuit Spurius* Car-

Caruilius, qui, quanquam tolerabili ratione motus videretur, reprehenſione tamen non caruit; quia cuncti arbitrabantur cupiditatem liberorum coniugali fidei non debere praponi. Ergo ſolo lumine rationis indiſſolubilitas matrimonij ab ipſis etiam gentilibus auditis terminis viri, & uxoris ſtatim fuit credita; & ideo per ſe nota. Secundum ſumitur ex parte prolis. Nam quamuis matrimonium etiam ſterile indiſſolubile ſit ratione fidei, quam importat perfecta amicitia; attamen ſi ſit fęcundum, indiſſolubilitas eius magis firmatur. Nam proles eſt bonum commune, quod communiter amant vxor, & vir; filius enim, quia filius eſt vtriuſque, ideo ab utroque diligitur; atque adeò eſt nexus amoris vtriuſque vtrumque in amore coniungens, naturaliter enim fit, vt, quoties vnus homo amatur à duobus etiam inter ſe nullam coninnctionem, aut neceſſitudinem habentibus, illi duo ſe inuicem incipiant amare; ideo multò magis reddit amantes amore iam anteà coniunctos; hoc enim eſt de ratione boni communis, quòd teneat vnitos, qui circa illud verſantur; ſic ciuitas, quæ amatur communiter à ciuibus, tenet ciues coniunctos, ne ab illa recedant, & ſeparentur ab inuicem; ut lumine naturę pariter eſt notum; ſed matrimonium ex ſua ratione ordinatur ad prolem; ergo talem coniunctionem importat, vt matrimonio coniuncti nunquam ſeparentur ab inuicem, atque adeò matrimonium inſolubile ratione prolis etiam efficitur. Euidenter ergo deducitur ex principijs ſolo naturali lumine notis matrimonium indiſſolubilitatem importare; & hoc ipſis gentilibus notum fuiſſe. Ad *D.P. Aug.* dicitur nihil aliud referre, quàm quòd *Cato* non ſolùm culpabiliter, ſed etiam laudabiliter alteri ſuam vxorem tradiderit; quod tamen nuptiarum vinculum non licere clamabat; vnde falsò dicitur, quòd referat ob leuiſſimas cauſas fuiſſe repudiatas vxores, cùm de uno tantum *Catone* id narret; quod ob vrgentiſſimam cauſam fortè dirimentē ob celebrationem illegitimam, qua vxorem alteri priùs copulatā aſſumpſit, factum fuit. Vel ſi repudium fuit illicitum; non tamen probat matrimonium iure naturali non eſſe inſolubile, ſicut quia *atheiſta* negant Deum eſſe, non probatur non eſſe lumine naturali per ſe notum Deum eſſe; multi enim ob proprium commodum, vel vtilitatem, vel voluptatem operantur etiam contra dictamen luminis naturalis, ut conſtat; ex quo non ſequitur illud, contra quod operantur, non eſſe iure naturali præſcriptum. Ad aliud dicitur, quòd licèt educatio per ſe non exigat indiſſolubile matrimonium; attamen educatio magis vnit in amore, quæ vnio indiſſolubilitatem importat, vt diximus; & proles ipſa, vtpotè commune bonum vtriuſque, indiſſolubiliter eos coniungit. Conſeruatio etiam ſpeciei id exigit, quia mulier inhabilis facta citò interiret, ſi non regeretur à viro; & ſic vir à muliere. Tandem etiam conſeruatio Reipublicæ id poſtulat; quilibet enim ſeparabile reputans matrimonium, retraheretur ab illo; ſicque impediretur propagatio ſpeciei, & conſeruatio Reipublicæ, & bonum domus, quod ex coniuctione viri, & vxoris maximè augetur, diſſiparetur, quod bonum Reipublicæ tolleret, quod ex bono domorum conſurgit; Reſpublica namque ſeruatur ex facultatibus domorum particularium, à quibus ſubuenitur paupertas, quæ in ea reperitur.

10 Inſtant 2. *haretici*. Si matrimonium eſt de iure naturæ, reprehenſibilis ergo eſt cęlibatus; quia contra naturæ præceptum ſeruatur; operari namque contra præceptum naturæ hominis eſt non viuere, vt homo; quod eſt illicitum homini.

Reſp. *Fund. Doct. vbiſup. c.7.* neg. conſ; & ad prob. inquit, quòd non viuere, vt homo, ſtat dupliciter. 1. Viuere ſupra hominem; quod eſt viuere, vt Angelus, qui eſt ſupra hominem; Angelus autem non nubit, nec fornicatur; & hoc eſt laudabile; eligit enim vitam perfectiorem vita hominis, vt eſt vita Angelica; & hoc, vt liberiùs vacet contemplationi rerum cęleſtium, & rebus Diuinis, quod proprium eſt Angelorum; in quo cęlibatus conſiſtit, qui propterea laudandus eſt, non damnandus. 2. Viuere infra hominem, quod eſt viuere, vt beſtia, quæ non nubit, ſed cum omni fœmina ſuæ ſpeciei coniungitur, nec vni tantùm indiſſolubiliter adhæret. Sic non eligens vitam coniugalem, vt liberè fornicetur cum qualibet fęmina, viuit, vt beſtia, quod eſt reprehenſibile, & malum. Eligens ergo cęlibatum non operatur contra naturam, ſed ſupra; nec operatur contra rationem; licèt enim non operetur iuxta rationem inferiorem, quæ dictat eſſe nubendum; ratio enim inferior circa bona honeſta temporalia verſatur; vt docet *S.P. Aug. lib. 1. de lib. arb*; attamen operatur iuxta rationem ſuperiorem, quæ circa bona æterna, & cęleſtia verſatur; ratio autem inferior rationi ſuperiori obedire tenetur; atque adeò eligens cęlibatum operatur conformiter ad vtramque rationem.

11 Prob. 2. pars concl. ex dictis. Nam operari iuxta legem ſcriptam à Deo in cordibus noſtris non eſt illicitum, & malum, ſed bonum, & licitum; atqui vſus matrimonij eſt operari iuxta legem Dei ſcriptam in cordibus noſtris, quia eſt operari iuxta inclinationem naturalem à Deo nobis inditam, vt diximus; ergo vſus matrimonij non eſt illicitus, & malus, atque adeò nec à Deo malo, aut dęmone inſtitutus, ſed bonus, & licitus, & à Deo præceptus. Hoc manifeſtè docet *Apoſt. 1. Cor. 7. Si acceperis vxorem, non peccaſti. Si nupſerit virgo, non peccauit. Non peccat, ſi nubat. Qui matrimonio iungit virginem ſuam, bene facit*; & *Hebr. 14. Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus*;

tus 7. & Ephes. 5. Viri debent diligere vxores suas, vt corpora sua; & 1. *Cor.* 7. loquens de debito inuicem reddendo: *Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi; & iterum reuertimini in idipsum, ne tentet vos Sathanas propter incontinentiam vestram;* & *sup. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier;* quibus verbis docet non posse mulierem viro petenti copulam negare. Item *Gen.* 1. *præcepit Deus Adæ, & Euæ,* vt crescerent, & multiplicarent homines, qui terram replerent; quod etiam præcepit filijs *Noe* post diluuium, hoc autem non posse fieri sine actu coniugij manifestum est; sicut æquè notum est Deum non posse actum illicitum, & malum præcipere. Item Christus Dominus *Io.* 2. nuptias *Canæ* honorauit; quod non egisset, si fuissent malæ, ne malitiam foueret. Item *Matth.* 5; & 19. præcepit, ne vxor dimittatur excepta fornicationis causa; & *ibid.* ait mulierem fuisse viro à Deo coniunctam; Deus autem nequit in actum malum coniungere. Hoc docent *SS. PP;* præsertim *Tertull. cont. Marcion; S. Epiphan. de hær; S. P. Aug. in omni lib. cont. Manich; Conc. Gangren. sub Leone I; Toletan. I; Braccar. I. sub Io. III. can.* 11; *Lat. sub Innoc. III.* Ratio est. Actus in officium naturæ, perfectioni Vniuersi, & legi Dei conformis est bonus, & licitus; bonitas enim moralis ab his tribus; sicut malitia à difformitate ad hæc tria desumitur; sed actus coniugij est huiusmodi, quia per ipsum propagatur natura hominis, quæ sine ipso interiret; & quæ dempta natura Angelica est potior alijs speciebus, quæ vniuersum perficiunt; cùm aliæ factæ sint propter hominem; & est iuxta legem Dei, quæ præcepit homines multiplicari, & replere terram; quæ multiplicatio nequit haberi, nisi per vsum coniugij; ergo est bonus, & licitus, ac à Deo institutus.

12 Inst. hæretici. 1. Matrimonium 1. *Cor.* 7. conceditur *secundùm indulgentiam,* vel vt *alij* legunt, *secundùm veniam, non secundùm imperium;* sed quod est tale, est saltem venialiter malum, quod solùm veniam meretur; ergo non est bonum, sed malum. 2. Matrimonium impedit *à cœna patrisfamilias; vt Luc.* 14. *Vxorem duxi, & ideo non possum venire.* 3. *Apost.* 1. *Cor.* 7. hortans ad continentiam ait se hortari ad id, quod honestum est; *meliùs est enim nubere, quàm vri;* quia nubere est minùs malum, quàm fornicari, ergo matrimonium non est honestum. 4. *Rom.* 8. *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt;* quod *D. Hier. lib.* 1. *cont. Iouinian.* intelligit de coniugatis. 5. *Euthym; & alij PP. Græci in ps.* 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum;* dixerunt matrimonium ortum esse ex iniquitatibus.

Ad 1. resp. *S. P. Aug. de bono coniug. c.* 10. *Non nuptias secundùm veniam concedit Apostolus &c; sed illum concubitum secundùm veniam concedit, qui fit per incontinentiam, non sola causa procreandi, sed etiam aliquando nulla causa procreandi; vt* solius delectationis capiendæ in vxoribus iam prægnantibus. Idem habet *de nupt. & concupisc. c.* 14. Ad 2. dicitur impedimentum esse, non ipsum coniugium, quod sanctum est; sed malitiam hominis, qui eo moderatè non vtitur. Ad 3. resp. *S. P. Aug. de bono coniug. c.* 8. *Non duo mala sunt connubium, & fornicatio, quorum alterum est peius; sed duo bona sunt connubium, & continentia, quorum alterum est melius.* Comparat ergo *Apost.* continentiam cum matrimonio, tanquam id, quod est melius, & magis honestum, cum eo, quod est minùs bonum, & minùs honestum; propterea subdit: *Qui non iungit virginem suam, meliùs facit.* Cùm autem inquit *meliùs esse nubere, quàm vri;* comparat actum carnalem factum à coniugato, qui non est peccatum, & ideo non ducit ad gehennam, cum actu carnali facto à non coniugato, qui est peccatum gehennæ reatum inducens. Ad 4. dicitur loqui de viuentibus secundùm carnem, qui nunquam orationibus vacant, etiamsi sint coniugati; de quo loquitur 1. *Cor.* 7; vt diximus. Ad 5. *aliqui* dicunt *Græcos* illos errasse, quia putarunt nuptias institutas fuisse solùm post peccatum; quas tamen certum est in paradiso fuisse institutas. Vel dicitur nihil aliud velle, quàm nuptias post peccatum ordinatas fuisse in remedium.

13 Prob. 3. pars *cont. Bassol; Ricard; Palad; Gabr; Almain; Couarruu. p.* 2. *de matr. c.* 1. *§.* 1. *n* 6; *apud quem alij* opinantes duas fuisse institutiones; vnam in officium naturæ; alteram in remedium peccati; prob. autem *ex S. P. Aug. lib.* 9. *de Gen. ad lit. c.* 7. *Quod sanis possit esse officium, sit ægrotis remedium. Neque enim quia continentia malum est, ideo connubium, vel quo incontinentes copulantur, non est bonum; imò verò non propter illud malum culpabile est hoc bonum; sed propter hoc bonum veniale est illud malum; quoniam id, quod bonum habent nuptiæ, peccatum esse nunquam potest.* Quod repetens *Conc. Colon. p.* 7. *c.* 41. statuit: *Nec ratio coniunctionis, seu benedictio post lapsum defecit; sed tamen quod sanis potuit esse officium, id ægrotis etiam factum sit remedium.* Idem habet *Mogunt. sub Paulo III. c.* 36. Ratio est: *Adam, & Eua* post peccatum non contraxerunt iterum matrimonium; ergo non fuit bis institutum; sed illud, quod anteà erat tantùm in officium naturæ, fuit factum in naturæ remedium. 2. Per peccatum non fuit destructum matrimonium, nec polluta eius sanctitas, nec ablata Dei benedictio; ergo non debuit iterum post peccatum institui; in tantùm enim debuisset restitui, in quantùm per peccatum fuisset destructum; vel non habuisset virtutem reddendi inculpabilem vsum coniugij; sed vtrunque falsum est; nam opus à Deo institutum ad perfectionem Vniuersi, sicut est matrimonium, nequit destrui à creatura, quæ nequit ordinem Vniuersi impedire, aut interterere; & benedictio Dei,

quæ

quæ reddebat vſum coniugij in ſtatu innocentiæ inculpabilem, manet etiam poſt peccatum; & per conſequens manet eadem virtus, qua fit, vt vſus coniugij poſt peccatum etiam ſit inculpabilis.

Prob. 4. pars, quæ à pluribus, inter quos *Natal. Alex;* probatur pluribus *ſcripturæ* locis, vt *Epheſ.5.Sacramentum hoc magnum eſt: Ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia; & 1. Tim. 2. Saluabitur mulier per filiorum procreationem, ſi permanſerit in fide, & dilectione, & ſanctificatione cum ſobrietate; & Matth. 19. Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet; & 1. Teſſal. 4. Vt abſtineatis vos à fornicatione; vt ſciat vnuſquiſque veſtrum vas ſuum poſſidere in ſanctificatione;* & alijs huiuſmodi. Sed ex his efficax argumentum non ſumi oſtendunt *Eſtius, & noſter Baſil;* nam primus *textus* explicatur etiam de matrimonio *Adæ, & Euæ,* quod tamen non fuit ſacramentum ſtrictè ſumptum; ſed tantùm latè, prout erat ſignum coniunctionis Chriſti cum Eccleſia. Secundus explicatur de ſanctificatione legali, vt *D.Tho;* vel de caſtitate, vt *alij*. Tertius conuenit etiam matrimonio primorum parentum, qui à Deo quoque coniuncti ſunt; vt *ſup.* diximus. Quartus conuenit principaliùs virginibus, qui vas ſuum ſanctiùs cuſtodiunt; & ſic de reliquis. Ad quæ reſpiciens *Trid.ſeſſ.24. in doctrina de matrimonio* dixit *his textibus* innui quidem *ab Apoſtolo* matrimonium eſſe ſacramentum nouæ legis, ſed *ex vniuerſalis Eccleſiæ traditione* conuincenter oſtendi, quia matrimonium in lege Euangelica eſt præſtantius connubijs veteris legis; & gratiam nobis conferendam per ipſum Chriſtus ſua morte promeruit: *Cùm igitur matrimonium in lege Euangelica veteribus connubijs per Chriſtum gratia præſtet; meritò inter noua legis ſacramenta connumerandum SS.PP.noſtri, Concilia, & vniuerſalis Eccleſiæ traditio ſemper docuerunt;* & immediatè *ſup. Gratiam verò, qua naturalem illum amorem perficeret, & indiſſolubilem vnitatem confirmaret, coniugeſque ſanctificaret, ipſe Chriſtus venerabilium ſacramentorum inſtitutor, atque perfector ſua nobis paſſione promeruit*. Hæc autem traditio manifeſtè monſtratur *ex SS.PP;*nam *Syn. Epheſ. teſte S. Cyrill. Alex. Romanæ Eccleſiæ nomine præſidente lib.2.in Io.c.22.* ait Chriſtum Dominum *in nuptijs Canæ* illo inſigni miraculo conuerſionis aquæ in vinum gratiam nuptijs conferendam ſignificaſſe; quod confirmauit *Conc.Telen.in ep.S.Ambr.*eius nomine ſcriptam *ad Papam Siricium*, in qua habetur tunc à Chriſto ſanctificatum fuiſſe coniugium; quod nequit intelligi de ſanctificatione lato modo; prout ſcilicet ſignum eſſet ſanctitatis Eccleſiæ; iam enim etiam in ſtatu innocentiæ, & lege veteri ſignificabat hanc ſanctitatem. Idem habet *S.Epiphan.hær.* 51; & 67; & *S.P.Aug. tract. 9. in Io.* aſſerens Chriſtum nuptijs intereſſe voluiſſe, vt caſtitatem coniugalem firmaret; quæ firmatio eſſe non potuit niſi per gratiam ſanctificantem propriè dictam; nam quælibet alia ſanctitas antecedenter nuptijs competebat ex benedictione Dei in prima eorum inſtitutione illis collata; & *S. Maxim. ſerm. 1. de Epiphania* docens Chriſtum ſua præſentia nuptias ſanctificaſſe; & *S.Dam.lib.4.de fide orth.c.24; & alij PP. Græci*. Præterea *S. Athan.ep.ad Ammon Monachum* docet per matrimonium talem gratiam conferri, quæ fert fructum triceſimum; *Innoc.I. ep. 9. ad Probum* aſſerens *matrimonium Diuina gratia fundari, dum celebratur*; quibus clarè docet gratiam conferri ex vi celebrationis, quod eſt ex opere operato, quod conuenit ſolis ſacramentis propriè ſumptis; *S.Ambr.lib.1.de Abrahā c.7;*ſed clariùs *S.P. Aug.lib.de nupt;& concup.c.10; de bono coniug.c.24; tract. 10.in Io; de fide, & operib.c.7; de Gen.ad lit.lib.8.c.3; & lib.9.c.7; & lib.5. cont.Iul.c.5; & 12; & de pecc. orig. c. 30*. Nec dici poteſt *cum noſtro Baſil. hic c.7. n. 12.* eum loqui de ſacramento latè ſumpto; nam quanuis aliquando hoc modo loquantur, in *his* tamen *locis* comparat matrimonium cum baptiſmo, & ordine, & ſimul vocat ſacramenta eodem modo, vt conſtat *ex primis duobus locis cit;* baptiſmus autem, & ordo nequeunt dici ſacramenta latè ſumpta. Præterea *Lucius III. extra de hæreticis c.ad abolendam* enumerat eodem modo ſacramentum matrimonij cum ſacramento baptiſmi, euchariſtiæ, pœnitentiæ, & cum alijs ſacramentis; & *30.q.5.c.aliter Euariſtus Papa* aſſerit nanc eſſe traditionem *ex Apoſtolis* deriuatam; *Conc. Conſtant.*damnat *art.8.Io.Huſſ* negantis ſeptem eſſe Eccleſiæ ſacramenta; & *Lat;* vt refertur *de ſimonia c.cùm in Eccleſia* ſtatuit matrimonium in numero ſacramentorum Eccleſiæ concludi; *Flor. in decr. vnion.* aſſerit matrimonium eſſe ſeptimum ſacramentum nouæ legis, ex quibus rectè definit *Trid. vbi ſup.* hanc veritatem *ex perpetua Eccleſiæ traditione* conſtare. Ratio etiam eſſe poteſt. Ad reprimendam maiorem libidinem neceſſaria eſt maior gratia; maior enim libido maior tentatio eſt, quæ non vincitur, niſi per maiorem gratiam; ſed per actum coniugalem excitatur maior libido, & acuitur magis concupiſcentia, vt conſtat; ergo fuit congruum per matrimonium gratiam conferri, qua impetus, & exceſſus libidinis coerceretur honeſtate nuptiarum. Hoc innuit *Apoſt. 1. Cor. 7.* docens, quòd nubentes *tribulationem carnis patientur;* quæ non eſt, niſi magna libido; ad quam vincendam, & edomandam neceſſaria eſt gratia ſanctificans.

14 Obijc. 1. *hæretici.* Matrimonium impedit gratiam Dei; nam 1. *Cor.7.* eſt impedimentum obſecrandi Dominum; ergo gratiam non confert, & ideo non eſt ſacramentum. 2. Copula coniugalis nunquam eſt ſine libidine, & ſine turpitudine peccati; ergo per illam gratia non confertur. 3. Eccleſia nullum repellit à gratia Dei;

Dei ;repellit autem sacras virgines, sacerdotes, & monachos à matrimonio;ergo idem. 4. Christus nullum instituit signum externum de nouo in matrimonio collatiuum gratiæ ; quia quidquid est in matrimonio, erat in lege naturæ, & in statu innocentiæ ; ergo idem.

Resp.ad 1.dist.ant. Impedit gratiam secundùm se,neg; ratione intemperantiæ, qua coniugati vtuntur in matrimonio, conc; & de hac loquitur *Apost*; vt constat *ex textu*. Ad 2. neg. supp; non enim matrimonium formaliter consistit in ipsa copula, cùm sine illa possit haberi, vt *inf*. sed in ipso contractu, in quo nulla est turpitudo, aut peccatum ; ex quo tamen fit, vt copula, quæ aliunde esset peccatum, peccaminosa non sit. Ad 3. dist.ant. Nullum capacem repellit à gratia Dei, conc; incapacem, neg; sacerdotes autem, virgines, & monachi sunt incapaces matrimonij, quia iuramento se obligarunt celibatum seruandi. Ad 4. neg.ant; & ad prob. dist. Erat in lege naturæ, vt figura, conc; vt collatiua gratiæ, neg; sic enim fuit etiam panis, & vinum *Melchisedech*, & posteà fuit determinatum à Christo, vt gratiam in eucharistia conferret; ita fuit coniunctio, vt figuraret sacramentum in noua lege instituendum ; non tamen erat determinata, vt gratiam causaret. *Aliæ obiectiones solutæ sunt n.* 12.

15 Objic.2.*Dur. & Canonistæ*. In matrimonio licet de pecunia pro dote pacisci ; ergo non est sacramentum conferens gratiam, quæ pecunia non emitur. 2. *Ex Flor.* ad rationem sacramenti requiritur materia, forma, & intentio ministri ; sed in matrimonio non requiritur materia distincta à contrahentibus ; neque verba, potest enim fieri per signa ; neque minister saltem *ante Trid*; neque intentio faciendi, quod facit Ecclesia ; multa enim matrimonia *ante Trid*. fuerunt contracta per solam cogitationem carnalem ; ergo idem. 3. Matrimonium potest contrahi inter absentes ; gratia autem non confertur absentibus. 4. Matrimonium *ex Apost.* institutum est ad significandam coniunctionem Christi cum Ecclesia ; non autem ad significandam gratiam. 5. Ecclesia potest mutare materiam matrimonij, dum gradus propinquitatis potest extendere, & restringere ; nequit autem materiam sacramentorum mutare.

Resp. ad 1. dist. ant. In matrimonio, vt est contractus purè ciuilis, potest intercedere pactum, conc; vt est sacramentum,neg. Vnde supposito pacto circa matrimonium, vt est contractus, qui fit propter sustentationem naturalem filiorum, qui ex illo contractu proueniunt, non licet pacisci, vt matrimonium in ratione sacramenti conferatur. Ad 2.neg. mi; nam materia est traditio corporum, forma consensus mutuus, vel in aliorum sententia parochi verba;& minister contrahentes ipsi, vel parochus, vt *alijs* videtur; de quo *inf*. Quòd si matrimonia aliqua contracta fuerunt sine intentione faciendi,quod facit Ecclesia, illa non habuerunt rationem sacramenti, sed tantùm contractus. Ad 3. matrimonium inter absentes, de quo *inf*. confert gratiam, quia consensus, & traditio corporis præsens est. Ad 4. institutum esse ad significandum vtrumque ; nam coniunctionem Christi cum Ecclesia significat matrimonium, quatenus causat prolem, quæ per baptismum inseritur Ecclesiæ, quæ vnitur cum Christo sponso. Ad 5. neg. assumpt; nam declarare personas legitimas non est materiam mutare ; sicut declarare ministrum legitimum baptismi non est mutare essentiam illius, vt constat.

16 Inst. Nullum sacramentum nouæ legis potest suscipi ante baptismum, qui est ianua sacramentorum ; sed matrimonium, etiam vt sacramentum, potest suscipi ante baptismum ; vt habet *Innoc.III. de presbitero non baptizato c. veniens* ; ergo non est sacramentum.

Resp; quòd si quid probaret, nec eucharistia esset sacramentum ; idem enim dicit de matrimonio, & eucharistia. Dicitur ergo Papam respondere ordinatum non baptizatum debere baptizari, & reordinari ; quia baptismus est *ianua sacramentorum*. Contra quam definitionem sibi objicit videri esse sufficiens baptismum flaminis, qui sufficit etiam ad sacramentum coniugij, & eucharistiæ suscipiendum ; quod refert pro sententia contraria, cui tamen respondet ; quòd quia *in Conc.apud Compendium* celebrato statutum erat presbiterum non baptizatum esse baptizandum, & reordinandum ; ideo à definitione hac non debuit recedere ; quo ostendit à pari ante baptismum sacramentum coniugij, & eucharistiæ non recipi.

17 Quòd tandem probabilius sit institutum fuisse *Matth.* 19; prob. Illud, quod celebratur vice Dei est sacramentum, minister enim loquitur ex persona Dei, vt cùm dicitur: *Ego te baptizo: hoc est corpus meum* ; nam creatura in omni sacramento se habet, vt Dei ministra; sed Christus tunc eleuauit matrimonium, vt fieret vice Dei; ait enim: *Deus coniunxit, homo non separet* ; quibus verbis ostendit, quòd creatura coniungit vice Dei, & vt Dei instrumentum; Deus autem est causa principalis coniungens; ergo Christus tunc eleuauit matrimonium, vt esset sacramentum. Tum quia tunc expressit materiam, nempe mutuam corporum traditionem, & formam, idèst coniunctionem; ergo tunc sacramentum instituit ; nam institutio non est, nisi determinatio materiæ, & formæ.

18 Nec obstat *Conc.Ephesi & SS.PP. sup.* allati;nam tunc solùm matrimonio gratiam annectendam promisit. Sicut cùm *Matth.* 18. dixit: *Quæcunque alligaueritis &c*; promisit *Apostolis* potestatem absoluendi à peccatis, quam postea contulit post resurrectionem *Io.*20;& in hoc sensu locutum est *Conc*; & *aly SS. PP.* Nam sicuti

*Io.*20.

Io.20. instituit pœnitentiam; quia nominauit materiam, & formam, quæ sunt remissio peccatorum; & *Matth.18.* illam non instituit; quia gratiam solam absolutiuam promisit; ita *in nuptijs* solam gratiam promisit suæ benedictionis beneficio; non tamen sacramentum instituit, quia nec materiam, nec formam nominauit; quod posteà præstitit *Matth.19.*

§. I.

Inferuntur nonnulla ex dictis.

19 Infertur 1. ex dictis; quòd licèt in ipsis Mundi primordijs matrimonium fuerit præceptum omnibus, & singulis, vt rectè colligitur ex illis verbis: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram;* quidquid dicant *Estius, & Basil.* asserentes hæc verba non habuisse vim præcepti, sicut vim præcepti nō habent verba sequentia: *Et dominamini piscibus &c;* non enim dominium eis fuit præceptum; tum quia dicta sunt etiam bestijs, quæ non sunt præcepti capaces; tum quia post diluuiū dicta sunt eadem verba *ad Noe*, & ad eius filios; & tamen *Noe* nullum deinde genuit filium; quare potiùs dicendum illis verbis significasse fœcunditatem, quam & benedictionis nomine *Scriptura* significat. Ad 1. enim dicitur ex eo, quòd verba sequentia non cadant sub præcepto, non rectè argui idem de præcedentibus; sicut ex eo, quòd illa verba: *Ex omni ligno paradisi comede;* non cadant sub præcepto; non enim peccasset *Adam*, si comedisset tantùm ex aliquibus, non ex omnibus, non infertur; quòd verba sequentia: *De ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas;* non sint verum præceptum; ità à pari est dicendum. Ad aliud dicitur nec etiam rectè argui; si enim bestiæ haberent vsum rationis, illa verba fuissent etiam ipsis præcepta, quia obedientiam præstitissent. Ad aliud dicitur illa verba directa fuisse solùm ad filios *Noe*, non verò ad *Noe*, qui, cùm esset senex, non poterat ampliùs filiorum numerum augere. Tandem falsum est; quòd significarent benedictionem; nulla enim erat necessitas illam significandi, quia iam fuit per se ipsam expressa; aut fœcunditatem in actu primo, per hanc enim actu non repletur terra; sicut repletur per actualem generationem, quæ est fœcunditas in actu secundo. Quanuis, inquam, tunc omnibus, & singulis præceptum fuerit matrimonium; sicut pariter præceptum fuit, quando populus Dei erat in paruo numero; vt ostendit *S.P.Aug. de bono coniug. c.9; et 15;* attamen populo multiplicato, terraque repleta, illud præceptum nec extendebatur, nec extenditur ad singulos; vt constat tempore veteris legis *Iosue, Elias, Eliseus, Ieremias, Ioannes, et alij,* qui cęlibes vixere; quod in lege Euangelica in pluribus est dilatatum iuxta Christi Domini doctrinam *Matth. 19. Beati, qui se castrauerunt propter Regnum Cælorum;* adeòque solùm præceptum est pro communitate, non pro singulis communitatis; ad conseruandam nempe multiplicationem naturæ iam factam; vt docet *S. P. Aug. vbi sup. c. 16;* pro qua aliqua tantùm pars hominum sufficit, vt constat; imò minor, quàm ea, quæ de facto matrimonio coniungitur, propter quod *SS.PP.* virginitatem suadere non desinunt, vt euangelicum consilium euulgent; cùm enim homines magis ad matrimonium, quàm ad cęlibatum inclinent; ideo magis est laborandum ad persuadendum consilium, quàm ad inculcandum præceptum. Nec ex eo, quòd præceptum matrimonij sit de iure naturæ, arguitur, quòd non sit ex Dei præcepto; cùm ius naturæ sit præceptum Dei scriptum in cordibus nostris, vt diximus. Quomodò autem idem Dei præceptum, seu ius naturale penitus inuariatum possit modò omnes, modò tantùm aliquos obligare; respondet *noster Basil.* præcepta naturalia alia esse, quæ obligant absolutè, vt colere Deum &c; & hæc inuariabiliter obligant omnes, & singulos; alia verò obligant tantùm sub aliqua circumstantia; vt reddere depositum, subuenire indigenti &c, obligant enim solùm, quando factum est depositum, & non est redditum; & quando aliquis indiget &c; vnde quanuis semper duret præceptum, cessat tamen obligatio, quando deest necessitas reddendi, & subueniendi; sic præceptum matrimonij obligat sub circumstantia necessitatis propagandi genus humanum, quæ si desit, cessat obligatio in singulis, & tamen durat præceptum. Quid autem, si omnes fierent Religiosi? respondet *S. P. Aug. de bono coniug. c.9;* quòd *multò citiùs Dei Ciuitas impleretur; et acceleraretur terminus sæculi.* Idem dicitur, si omnes sæculares deficerent, & soli Religiosi remanerent; tunc enim esset dicendum instare Mundi finem, non autem Religiosos teneri ad accipiendam vxorem.

20 Collig. 2. Matrimonium infidelium non esse sacramentum propriè dictum; imò nec matrimonium fidelis cum infideli contractum ex dispensatione Pontificis esse sacramentum, nec etiam ex parte solius fidelis docent *noster Basil; Vasq; Sanch; et alij cont. Sot; Echium, et alios.* Primum prob. *ex c. veniens de clerico non baptizato;* vbi dicitur, quòd baptismus est *ianua sacramentorum*, quia per ipsum tantùm ad sacramenta suscipienda ingredimur; vt *suo loco* probauimus. Tum quia matrimonium, prout sacramentum, est indissolubile fide Diuina, quæ infallibilis, & ineluctabilis est; ideo nullo modo potest dissolui; quatenus verò contractus, est vtrique indissolubilis fide humana, non tamen Diuina; fides autem humana, quia solubilis est, reddit etiam matrimonium in aliquo casu solubile; at matrimonium infidelium solubile est; vt docet *Apost.* de infideli ad fidem conuerso altero con-

iuge in infidelitate manente; tunc enim ei liberum est matrimonium dissoluere, & alteri nubere; & habetur etiam *de diuortys c. quantò*; ergo matrimonium infidelium non est sacramentum. Hanc doctrinam sæpissimè inculcat S. P. *Aug.* præsertim *de bono coniug. c.7; et 9. de Gen. ad lit. c.7*; vbi indissolubilitatem simpliciter refert in rationem sacramenti. Ex hoc sequitur discrimen inter fornicationem, quæ nulla fide connectit; & matrimonium, vt est contractus, quod redditur, non fide Diuina, sed fide humana insolubile; & matrimonium, vt sacramentum, quod duplici nexu, fidei nempe humanæ, & Diuinæ insolubile redditur. An autem matrimonium infidelium sit saltem sacramentum latè sumptum; scilicet an significet coniunctionem Christi cum Ecclesia, *Estius, Sot; Adrian; Aureol; et Vasq.* affirmant; quia coniunctionem hanc significabat etiam matrimonium *Adæ, et Euæ*, quod tamen non erat sacramentum; ergo hanc significationem habet tantùm, prout est contractus. Quod prob. etiam *ex S. Leone ep. 90. c.4; et de diuortys c. gaudemus, et c. quantò*; vbi dicitur, quòd sacramentum coniugij reperitur nedum apud fideles, sed etiam apud infideles; quod de sacramento latè sumpto est explicandum. Neque obstat, quòd symbolum Christi Domini maneat etiam apud infideles: etenim etiam in ipsis manet imago Dei, & Trinitatis vestigium; ergo & Incarnationis symbolum sine Christi Domini iniuria potest manere. Contrarium tamen docent *ex nostris Argent; et Basil; apud quem plurimi DD.* asserentes illa matrimonia fuisse tantùm aptitudinaliter significatiua coniunctionis Christi cum Ecclesia; & hæc sententia est communior; de qua *in sup. art. n. 6.* Secundum prob. *Basil.* ex eo, quòd matrimonium sit sacramentum essentialiter duos complectens; adeoque eius materia, & forma debet esse duplex consensus, & duplex corporũ traditio, quæ sit apta sacramento; ergo quando vnus deficit, & vna tantùm persona reperitur capax sacramenti, vt in casu, deficit materia, & forma essentialiter requisita ad rationem sacramenti; & ideo non fit sacramentum. Sicuti enim quia ad materiam confirmationis requiritur oleum, & balsamum, vt diximus *suo loco*; ideo defectu alteriusutrius non fit sacramentum; ita à pari. Nec simile est, quando alter coniugum celebrat matrimonium in peccato mortali; tunc enim verè præstat materiam aptam, quia præbet consensum fide Diuina in baptismo professa munitum; & solùm ponit obicem gratiæ, quæ est effectus sacramenti; ideo recipit sacramentum, non rem sacramenti; at in casu non præstat materiam debitam, vt diximus; ideo nec recipit sacramentum, nec rem sacramenti. An autem matrimonium fidelis *cum hæretico*, qui habet baptismum, sit sacramentum, dicemus *inf. q. 3. n. 13.*

21 Collig 3. effectus huius sacramenti esse. 1. Vt proles per baptismum à peccato originali mundetur, & sanctè educetur. *Ita S. P. Aug. lib. 1. de nupt. et concup. c. 17*; proles enim ex non coniugibus nata, vt plurimùm, relinquitur, quia vt propria non tenetur. 2. Vt coniuges non sequantur libidinis impetum, sed eius excessum, & intemperantiam nuptiarum honestate cohibeant; vt testatur *idem S. P. Aug. de bono coniug; et tract. 9. in Io; & alibi*. 3. Vt inuicem sanctè amore se diligant, vt habet *Apost. Ephes. 5*; & hoc amore coniuncti adulteria fugiant; & in sancta societate vsque ad vitæ finem permaneant. 4. Vt inuicem conuersantes Christi Domini benedictione muniti, si alter sit morum malorum ad bonam frugem reducatur ab altero. 5. Vt onus educandorum filiorum, quod vni tantùm esset graue, fiat leue duobus.

ART. II.

Quænam sit materia, & forma matrimony?

1 HÆc difficultas essentialiter pendet ex alia, in qua quæritur, quinam sit minister huius sacramenti; cùm enim verba ministri sint forma illius sacramenti, quod ministratur: ideo præsens dubium solui adæquatè non potest; nisi aliud priùs statuatur.

§. 1.

Qui sit minister sacramenti matrimony?

2 CErtum est *apud omnes* ministros matrimonii, vt habet rationem contractus purè ciuilis, & naturalis, esse ipsos contrahentes, qui consensu mutuo statuunt, & firmant contractum; vt patet in alijs contractibus naturalibus; vendens enim, & emens sunt illi, qui contractum venditionis, & emptionis efficiunt; nomine autem ministri intelligitur is, à quo contractus efficitur. Dubium ergo est de ministro matrimonij, vt habet rationem sacramenti?

3 *Canus lib. 8. de locis Theolog. cap. 5.* dixit sacerdotem proferentem ea verba, quæ præscribit *Trid. sess. 24. c. 1. Ego vos coniungo in nomine Patris, & Fily, & Spiritus Sancti*; aut similia, esse ministrum matrimonij, vt est sacramentum. Refert autem *plures Auctores*, qui tamen, vt ostendit *Vasq. de Matr. d sp. 3. cap. 3*; exceptis *Gulielm. Parisien; & Theologis prouincialis Concicily Coloniens*; oppositum docent. *Sot*; qui *Trid.* interfuit, hanc sententiam nouitatis, & temeritatis accusat; à qua nota tamen eam *Estius* conatur defendere, quanuis autem probabilem, non alienam à *Patrum* sententia eam esse testetur; non tamen audet eam definitè tenere; sicut posteà fuerunt *aliqui ex Belgio*, quanuis pruden-

dentiores etiam ex ipsis sese in terminis solius dubitationis contineant; vt nouissimè etiam *Nat. Alex. Gallus*.

4 *Cæteri omnes DD. communissimè* docent ministrum huius sacramenti esse ipsos contrahentes, qui sicuti vniuntur ad faciendam vnam materiam sacramenti; sic ad faciendam vnam personam ministri. *Ita Fund. Doct. Æg. Quodl. 2. q. 26; & 28; & de Renunc. Papæ c. 5; & contra Exemptos cap. 23; Argent. dist. 27. q. 1. art. 2; & Basil. lib. 1. cap. 8; ex alys* verò *D. Tho; Thomistæ; & Vasq; vbis;* apud quem *alij, Scot. apud Mastr. hic disp. 7. q. 2. art. 2; & communiter Neoterici*.

5 Not. pro dissolutione eorum, quæ afferuntur *ex SS. PP; ex aliquibus Concilys prouincialibus, & ex Ritualib;* alium esse ministrum benedictionis simplicis, & alium ministrum collationis sacramenti; quanuis enim aliquando benedictio, & collatio pro eodem sumatur; quando scilicet benedictio distincta non requiritur; attamen certum est, quòd quando requiritur distincta benedictio, tunc non semper minister benedictionis est minister sacramenti. Vt minister benedictionis olei infirmorum est solus Episcopus, sicut olei catechumenorum, & chrismatis, quod aquæ baptismali infunditur; & tamen Episcopus proferens has benedictiones non dicitur ministrare hæc sacramenta. Ad matrimonium autem requiri benedictionem ministri Ecclesiæ prob. ex eo, quòd Deus matrimonium *Adæ, & Euæ* benedictione firmauerit; & Christus Dominus *nuptias Canæ Galilæi* benedictione sanctificauerit; & tamen nuptiæ iam erant contractæ; ex quo clarè infertur hanc benedictionē non conficere, sed supponere matrimoniū iā factū, eique tantùm gratias subsequētes adijcere.

6 Vnica concl. Minister matrimonij nedum, vt est contractus, sed etiam, vt est sacramentum, sunt ipsi contrahentes; parochus verò est solùm minister benedictionis, non verò collationis.

Prob. 1. *Ex Diuinis Scripturis* non obscurè colligitur ministrum matrimonij, vt est sacramentum, esse ipsos contrahentes; ergo sententia contraria non est conformis *Diuinis Scripturis*. Prob. ant. In tantùm minister ex officio sacramenti baptismi est sacerdos; & in casu necessitatis est quicunque alius à baptizato, in quantùm *Matth. vlt.* dicitur: *Docete omnes gentes baptizantes eos &c;* ex quibus apertè colligitur neminem posse baptizare se ipsum, sed esse baptizandum ab alio; sic de confirmatione, de qua *in Actis* habetur, quòd *Apostoli imponebant manus super eos*; & de pœnitentia *Io. 20. Quorum remiseritis peccata &c;* & de Eucharistia *in cœna: Hoc facite in meam commemorationem*; & de ordine: *Accipite Spiritum S. &c;* & de extrema Vnctione: *Inducat presbiteros Ecclesiæ &c;* ex his enim apertè colligitur ministros horum sacramentorum debere esse personas distinctas à personis recipientibus hæc sacramenta; sed *ex Diuinis Scripturis* non habetur ministrum sacramenti matrimonij debere esse distinctum à contrahentibus; nam Christus Dominus *Matth. 19.* non assignat causam, nisi Deum: *Quod Deus coniunxit, homo non separet*; vbi alium hominem ab hoc sacramento ministerialiter concurrentem tacitè excludit; quod tamen non fecit in institutione aliorum sacramentorum, vt diximus; & *Apost. 1. Cor. 7.* expresè ait ministrum esse ipsum contrahentem: *Si non se continent, nubant*; sicut autem ex eo, quòd dicatur *baptizare, remittere &c;* designatur minister baptismi, pœnitentiæ &c; ita ex eo, quòd dicatur *nubere*, minister matrimonij destinatur. 2. *S.P. Aug. de bono coniug. c. 5.* inquit: *Solet quæri, cùm masculus, & fœmina, nec ille maritus, nec illa vxor alterius, sibimet, non filiorum procreandorum, sed propter incontinentiam solius concubitus causa copulantur, ea fide media, vt nec ille cum altera, nec illa cum altero id faciat, vtrum nuptiæ sint vocandæ? Et potest quidem fortasse non absurdè hoc appellari connubium, si vsque ad mortem alicuius eorum id inter eos placuerit, & prolis generationem, quanuis non ea causa coniuncti sint, non tamen vitauerint, vt vel nolint sibi nasci filios, vel etiam opere aliquo modo agant, ne nascantur*. Ex quibus sic arguitur. Ille, qui actiuè efficit matrimonium, vt est sacramentum, est minister matrimonij, vt est sacramentum, vt patet; minister enim est causa efficiens ministerialis sacramenti, vt definit *Flor;* & constat de alijs sacramentis; sed soli contrahentes actiuè efficiunt matrimonium, vt est sacramentum; nam matrimonium per indissolubilitatem simpliciter constituitur in ratione sacramenti; vt docet *idem S. P. Aug. ibid. c. 24, & lib. 9. de Gen. ad lit. c. 7; & semper alibi*; consentientes autem perpetuò habitare vsque ad mortem constituunt matrimonium simpliciter indissolubile, si sint baptizati, quia firmatur fide humana, & Diuina; & habetur expresè *de diuort. c. quantò*; vbi dicitur: *Etsi matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum; inter fideles verò & verum, & ratum existit; quia sacramentum fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur; imò ratum efficit coniugy sacramentum; vt ipsum in coniugibus illo durante perduret*. Ex quibus habetur, quòd ad efficiendum matrimonium, vt est sacramentum, nihil aliud requiritur, nisi baptismus; qui solus potest efficere, vt matrimonium sit sacramentum; quia est ianua ad alia sacramenta; & quia firmat illud fide Diuina; per quod constituitur in ratione sacramenti; vt colligit *ex Apost. S. P. Aug. cap. 24. vbis.* asserens: *Ad sacramenti sanctitatem spectat illud; vxorem à viro non discedere; & sup. c. 8.* asserit in hoc distingui matrimonium fidelium à matrimonijs infidelium; quòd hæc sunt in aliquibus causis dissolubilia, quia non sunt fide Diuina firmata; ergo soli contrahentes sunt ministri matrimonij, vt est sacramentum. Habetur hæc

expresse *de Sponsa duorum c. tuas. Consensus sufficit iuxta canonicas sanctiones; & si dolus defuerit, cætera omnia irrita sunt*; *& de sponsalib. cap. cùm locum: Matrimonium autem solo consensu contrahitur*. Ex quo sic. Solùm illud pertinet ad essentiam rei, quo posito ponitur res; & sine quo positis cæteris non ponitur res; sic enim definitur constitutiuum essentiale; sed posito solo consensu ponitur sacramentum matrimonij; vt habetur *in textu*; & sine illo positis cæteris non ponitur; ergo solus consensus importans mutuam traditionem corporum pertinet ad substantiam sacramenti. 3. *Conc. Flor. in decr. vnion.* loquens de ministro septimi sacramenti, quod est matrimonium, inquit: *Causa efficiens matrimonij regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus*. Illud autem aduerbium *regulariter* non cadit supra mutuum consensum, sine quo nunquam fit sacramentum, vt docet *S. P. Aug. c. 5. vbi s. & Innoc. III. de sponsalib. c. tua nos* in fine declarans inualidum sacramentum; *quoniam defuit omnino consensus, sine quo cætera nequeunt fœdus perficere coniugale*. Idem habetur *c. seq. tuæ fraternitati; & 27. q. 2. c. sufficiat; & de raptoribus c. cum causa*. Cadit ergo super *verba*, quæ aliquando alijs signis, vt nutibus, possunt suppleri. Causa igitur efficiens matrimonij, vt est sacramentum, est minister matrimonij, vt est sacramentum; sed consentientes sunt causa efficiens matrimonij, vt est sacramentum *iuxta Flor*; quod procul dubio loquitur de matrimonio, vt est sacramentum; explicat enim essentiam sacramenti; ergo sunt minister matrimonij, vt est sacramentum. 4. Probant *alij ex Trid. sess. 24. c. 1*; vbi ait matrimonia clandestina fuisse vera, & rata; & ideo fuisse sacramenta; nam matrimonium verum, non ratum, habet rationem tantùm contractus naturalis; matrimonium autem verum, & ratum habet rationem contractus, & sacramenti. Sed hæc probatio non vrget; nam matrimonia dicuntur clandestina etiam ex defectu testium, denunciationum, & aliarum solemnitatum, quanuis adsit præsentia parochi; ideo *Trid.* loqui solùm de istis. *Noster Basil.* probat ex illis verbis *ibidem. Qui aliter, quàm præsente parocho, & duobus, vel tribus testibus matrimonium contrahere attentauerint, S. Synodus ad sic contrahendum inhabiles reddit, & eos contractus irritos, & nullos esse decernit.* Sed etiam hæc verba, nisi magis explicentur, obscura sunt. Clariùs ergo prob. 1. ex eo, quòd *Trid. ibid*; postquam decreuit sacramentum matrimonij celebrandum esse in præsentia duorum, vel trium testium, & parochi, qui debet illa verba proferre: *Ego vos in matrimonium coniungo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S*; in fine *capitis* hæc reputat inter ceremonias, & consuetudines, quæ non sunt de substantia sacramenti, sed solùm validum faciunt contractum, qui requiritur ad sacramenti substantiam; concludit enim: *Si quæ prouinciæ alijs vltra prædictas laudabilibus consuetudinibus, & ceremonijs hac in re vtuntur, eas omnino retineri S. Synodus vehementer optat*; sed minister effectiuè pertinet ad substantiam sacramenti; vt docet *Flor.* asserens sacramentum perfici ex tribus, scilicet materia, forma, & ministro; ergo parochus non est minister. 2. Si parochus esset sacramenti minister, verba ab ipso proferenda *iuxta Trid.* essent forma, qua matrimonium conficitur; vt constat in alijs sacramentis; sed consequens est falsum; ait enim *Trid.* parochum posse vti *alijs verbis iuxta receptum vniuscuiusque prouinciæ ritum*; quo expressè conuincitur verba non esse formam, sed ceremoniam, & ritum, qui spectat tantùm ad solemnitatem, non ad substantiam sacramenti; aliter immutabilia essent apud omnes nationes saltem quoad sensum, vt diximus de alijs sacramentis. Imò *S. Congr. Concilij in declaratione*, quam refert *Petrus Ledesma de matrim. q. 42. art. 1. difficult. 4; & Farinac. pag. 268*; declarauit: *Non pertinere ad substantiam matrimonij sacramenti, vt parochus aliqua verba proferat*; sine forma autem sacramentum non fieri compertissimum est. Nec obest quædam declaratio *Clem. VIII.* asserentis declarationibus *Conc. Trid.* in materia sacramentorum fidē non esse adhibendam, nisi fuerint ostensæ cum appenso sigillo &c. Non obest, inquam; nam hoc solùm potest intelligi de declarationibus originalibus manuscriptis, non autem de impressis, quibus sigillum appendi non potest; & ideo sufficit, vt ex originalibus sigillo munitis fuerint transumptæ; vt certum esse debet de hac declaratione, quæ reperitur apud duos adeò fide dignos Auctores; aliter tot declarationes impressæ nullam vim prorsus haberent, quod esset maximum inconueniens, fidem enim illis adimeret; ergo sicut verba à parocho prolata non sunt forma sacramenti; ita nec parochus est sacramenti minister. 5. Idem est minister matrimonij, vt est contractus, & vt est sacramentum; sicut enim eadem est materia, & forma respectu vtriusque rationis; ita idem est omnino minister; nam in tantùm eadem est materia, & forma; quia Christus Dominus eleuauit contractum ad esse sacramenti; contractus autem nedum importat materiam, & formam, sed etiam ministrum, sine quo pariter contractus non fit; sicuti non fit sine materia, & forma; sed contrahentes sunt minister matrimonij, vt habet rationem contractus; ergo sunt minister etiam, vt habet rationem sacramenti. 6. In tantùm ministri ex officio aliorum sacramentorum sunt sacerdotes; in quantùm illæ actiones, quæ assumuntur, vt signa gratiæ, possunt etiam fieri ab alijs, imò aliquando meliùs, & rectiùs fiunt ab alijs, quàm ab ipsis recipientibus sacramenta; quanuis enim ablutio possit fieri à se ipso; attamen non repugnat fieri ab alio, & meliùs; sic dicendum de vn-

vnctione confirmationis, & extremæ Vnctionis, & absolutione, & cibatione, quæ fit in eucharistia; sed repugnat actionem, quæ eleuatur in sacramento matrimonij fieri ab alio, quàm ab ipsis contrahentibus; hoc enim essentialiter exigit natura contractus; ergo soli contrahentes sunt minister matrimonij, vt est sacramentum.

7. *Cum Fund. Doct. Æg. vbi s.* Solus consensus mutuus facit matrimonium verum, & ratum; quia consensus mutuus facit verum matrimonium etiam in infideli, vt dictum est; baptismus autem efficit, vt matrimonium fit ratum; sed matrimonium, vt ratum, est matrimonium, vt sacramentum; quia matrimonium, vt contractus, quomodò est etiam in infideli, est tantùm matrimonium verum, non ratum; ideo matrimonium solùm, vt sacramentum, est ratum; *vt inf. in seq. S. n.* 25; ergo solus consensus mutuus efficit matrimonium, vt sacramentum. Atqui minister sacramenti est ille, cuius actio efficit sacramentum; mutuus autem consensus est actio contrahentium, vt est per se notum; ergo soli contrahentes sunt minister matrimonij, vt est sacramentum.

7 Objic. 1. *Trid.* iubet, vt parochus rogato vtriusque consensu, dicat: *Ego vos coniungo*; ergo est minister; non enim valet communis responsio hæc verba esse tantùm declaratoria; hoc nàque est ab harum vocum significatione prorsus alienum; *& Pastorale Mechlinien.* ait: *Et ego tanquam Dei minister vos in matrimonium coniungo*; quod habent etiam *manualia Attrebaten; Ypren; & Colonien.* 2. *Flor.* docet sacramenta constare ex tribus, scilicet verbis, tanquam forma, quod dum potest, debet propriè intelligi; rebus, tanquam materia; & persona ministri; quibus indicat ministrum debere distingui à materia, quæ sunt contrahentes. 3. *Apost.* nec quidem permittit mulieribus in Ecclesia loqui, quod de ministratione sacramentorum communiter exponitur. 4. *Euarist. epist.* 1. requirit *in coniugijs benedictionem sacerdotalem*; *Tertull. lib. 1. ad vxorem* ait *matrimonium esse Ecclesiæ sacramentum, quod Ecclesia conciliat*; *Innoc. I. epist.* 1. matrimonium *Diuina gratia fundari, quæ a deo celebratur*; celebrari autem est per ministros Ecclesiæ conferri; *S. P. Aug. in psal.* 149. *compedes nuptiarum per Episcoporum manus consolidari*; *S. Ambr. ep.* 70. *sanctificari oportere benedictione sacerdotali*, *& in Lat. sub Innoc. III.* relato extra *de Simonia c. cùm in Ecclesia* prohibetur, ne accipiatur aliquid pro benedictionibus nubentium, seu alijs sacramentis; *& lib.* 5. *Clementin. c. religiosi* ponuntur in eodem ordine ministratio extremæ Vnctionis, eucharistiæ, & matrimonij; *& Martin. V. in Bulla Constant.* solemnitatem matrimonij vocat sacramentum.

Resp ad 1. ex dictis patere *Trid.* non fauere, sed obstare contrariæ sententiæ; verba enim illa sunt benedictionis, & mere ceremonialia, non substantialia, aliter non possent mutari, vt docet *idem Trid.* Eodem modo intelligendum est *pastorale Mechlinien; & alia ritualia*; implicat enim, quod accipiantur difformiter *ad Trid.* Ad 2. dicitur matrimonium constare ex verbis formaliter, vel virtualiter, idèst nutibus, & signis, quæ virtutem habent verborum; sine verbis enim sacerdotis per solam eius præsentiam potest haberi sacramentum matrimonij, vt declarauit *S. Congr. Conc.* Ad aliud dicitur ministrum, & personam recipientem non debere in in omnibus sacramentis distingui; aliter sacerdos non posset Eucharistiam sibimet ministrare; persona autem ministri distinguitur à materia, quæ est potestas tradita alteri in corpus suum. Ad 3. *Apost.* excludere mulieres à concionando, & à ministratione eucharistiæ, & pœnitentiæ, quæ, vt plurimùm fiunt in Ecclesia. Ad 4. *Euarist; SS. PP.* agere contra matrimonia clādestina, ad quę euertenda volūt, vt benedectio sacerdotalis adhibeatur. *Tertull.* vult matrimoniū solùm, quod celebratur intra Ecclesiam, idèst inter fideles, qui componunt Ecclesiam, esse sacramentum, quod verissimum est. *Ad Innoc.* dicitur, quòd celebratio solemnis fit per sacerdotem, qui est minister Ecclesiæ, & in matrimonio est minister benedictionis, non collationis. *Ad S. P. Aug; & S. Ambr.* dicitur consolidari, & sanctificari; quia contractus fit aptus, vt eleuetur ad esse sacramenti, vt dicemus *in seq. S.* Vel dicitur per benedictiones etiam purè ceremoniales sanctificari recipientes sacramenta, non tamen sunt de substantia sacramenti. Aliter benedictiones omnes, quæ fiunt in solemni ministratione baptismi, essent de essentia baptismi, cùm aliquam sanctitatem conferant, quod nemo diceret. *Ad Lat.* quòd pretium non debet accipi pro benedictione nubentium, quia est res sacra, quæ vendi non debet; & quamuis annumeret etiam alia sacramenta, quia sunt res sacræ; non tamen asserit benedictionem esse sacramentum, nisi integraliter, vt conditio reddens validum contractum, & aptum, vt sint sacramentum. *Ad Vienen. in Clementin.* dicitur, quod rectè ponuntur in eodem ordine ministrare extremam Vnctionem, eucharistiam, & solemnizare matrimonium; quia solemnitates, seu ceremoniæ sacræ nequeunt fieri nisi à sacerdote, vt statuit *Trid. Ad Constant.* dicitur vocari sacramentum eo modo, quo impositio manuum, quæ est mera solemnitas confirmationis, dicitur sacramentum.

8 Objicitur 2. Si contrahentes essent ministri matrimonij, non esset vnus minister, sed duo. 2. Minister matrimonij non esset sacer, & ordinatus; sed laicus vir, & mulier. 3. Minister, & suscipiens idem esset. 4. Sacramentum fieret sine verbis. 5. Quòd nulla ceremonia particulari celebraretur; quæ omnia videntur paradoxa. 6. Nullus *ante Trid.* contrahens

in

in statu peccati dubitauit se esse sacrilegum; ergo nullus putauit se esse ministrum, qui sine sacrilegio nequit ministrare in peccato mortali. 7. Forma sacramenti significat effectũ ipsius sacramenti; sed verba contrahentium significant tantùm consensum internum, qui nõ est effectus sacramenti; ergo non sunt forma sacramenti. 8. Contrahentes non contrahunt in nomine Christi; ergo non sunt eius ministri.

Resp. ad 1. esse duos ministros partiales integrantes vnum ministrum totalem; hoc enim exigit natura contractus, qui fuit ad rationem sacramenti eleuatus: Ad 2. nullum esse inconueniens, quòd minister sacramenti sit laicus; imò hoc requiri ex natura contractus, qui à laico fieri debet. Ad 3. dicitur sacerdotem se communicantem esse simul ministrum, & suscipientem, & nullum esse inconueniens; ergo multò magis in matrimonio, quod exigit hoc ex natura contractus. Ad 4. dicitur fieri cum verbis vel formalibus, vel virtualibus exprimentibus mutuum consensum, sicuti quamuis materia pœnitentiæ debeat esse verbis expressa; attamen in aliquo casu sufficiunt nutus, & signa loco verborum; & tamen fit verum sacramentum; ita à pari. Ad 5. dist. Nulla ceremonia, idèst solemnitate celebraretur, conc; idèst actione substantiali, neg. Ad 6. vel neg. ant; quis enim potest hoc scire? Vel dicitur ignorantiam iuris non facere, quòd ius non existat. Ad 7. neg. mi; nam verba exprimentia mutuum consensum vnientem duos insolubiliter significant coniunctionẽ Christi cum Ecclesia; & sanctitatem, quæ illi coniunctioni competit. Ad 8. dist. aut. Non contrahunt explicitè, transeat; implicitè, neg.

9 Inst. Contrahentes non intendunt facere, quod facit Ecclesia; ergo non sunt verus minister, qui essentialiter debet intendere, quod Christus instituit, vel quod facit Ecclesia; aliter sacramentum non efficit; vt diximus *de bapt; & de sacram. in com. q. 5.*

Resp. neg. ant; si enim contrahentes fideles sint, supponuntur sufficienter instructi in rebus fidei, & præcipuè in materia sacramentorum, quæ omnibus obuia est; vel à parochis, vel à parentibus; doctrina autem *Apostoli* est, vt nubentes tantùm in Domino nubant. *Vid. alia in sup. §.*

10 Collig. matrimonium diuidi in legitimum, ratum, & consummatum. Legitimum est illud, quod est celebratum iuxta tenorem legum; & nulla lege est impeditum; & hoc potest esse etiam in infidelibus, qui obseruatis omnibus à lege præscriptis possunt ducere vxorem. Ratum est, quod celebratur post susceptionem baptismi, & ideo dicitur ratum, quia per fidem Diuinam, quæ per baptismum infunditur, ratificatur fides humana, qua matrimonium contrahitur, vt habetur *de diuortys c. quanto*. Consũmatum est, quod carnalis copula iam confirmauit. *Ita Basil. lib. 1. c. 15.*

§. 2.

Expeditur Articulus.

11 Aiunt *haeretici recentes* nullam assignari *à Catholicis* materiam, & formam huius sacramenti; sed falsitas huius statim patebit.

Catherin. voluit verba, & actus contrahentium esse materiam; verbum autem Dei, quo *Gen. 2; & Matth. 19. Relinquet homo patrem suum, & matrem*; esse formam; atque adeò Deum ipsum esse ministrum. Sed refellitur *communiter*; nã licèt Deus sit causa principalis omniũ sacramentorũ, nequit tamen esse causa ministerialis, cùm hæc sit depẽdens, & agat, vt mota, & in virtute alterius; quæ Deo repugnant; forma autẽ sunt verba prolata à causa ministeriali; vt patet in alijs sacramentis; & constat *ex Flor.* id communiter asserente de omnibus sacramentis.

12 *Nauarr; Capreol; Valent; & aliqui canonistæ* volunt materiam esse mutuum consensum, verba verò, seu signa contrahentium esse formam. Sed contra est; nam vel est sermo de consensu purè interno; & hic nequit esse materia, quia hæc debet esse sensibilis; ille autem sic sumptus est purè insensibilis; nam quamuis actus pœnitentis sint insensibiles; attamen non sunt materia pœnitentię, nisi quatenus manifestantur per verba, & fiunt sensibiles; ergo consensus merè internus, prout purè insensibilis, nequit esse materia matrimonij. Vel est sermo de consensu, vt exteriùs manifestato per verba, aut nutus; & sic non contradistinguitur à verbis, & nutibus; & ideo nequit esse materia ita, vt verba, & nutus sint forma. *Maior* autem è cõtra ait consensum esse formam, verba autẽ materiam. Quod eadem ratione reijcitur; nam forma debet esse sensibilis, quia efficit signũ sensibile.

13 *Vig. er.* ait consensum exteriùs expressum esse formam; actus verò legitimarum personarum præcedentes consensum esse materiam. Sed contra est; nam actus præcedentes sunt sponsalia, quæ nequeunt habere rationem materiæ, cùm sint puræ dispositiones.

14 *Ricard; Angel; Victor.* volunt verba priùs ab vno prolata esse materiam; verba verò ab altero posteà prolata esse formam. Sed contra est; quia si vterque contrahens simul proferat verba, verum fit sacramentum; & tunc non posset determinatè assignari, quænam esset forma, & quænam materia.

15 *Sot; Sua; Bell. rm; Sanch; & alij* volunt eadem verba, prout exprimentia consensum, esse materiam; prout verò acceptantia consensum, esse formam. Sed refelluntur; quia illa verba sunt stipulatoria, vt diximus; ergo simul sunt exprimentia consensum loquentis, & acceptantia consensum alterius. Tum quia materia habet

bet rationem determinabilis, & forma determinantis; consensus autem vnius eodem modo prorsus se habet respectu alterius; illum enim determinat, & ad eo determinatur; ergo non esset ratio, cur vnus potiùs haberet rationem formæ, & alter materiæ.

16 *Canus* verò, *& alij* relati *in sup.*§. volunt materiam remotam esse corpora, proximam verò rationem contractus validi, & legitimi; & formam esse verba à parocho prolata. Sed hæc sufficienter reiecta est.

17 Communior sententia docet materiam esse corpora legitima, idèst nulla lege impedita; formam verò esse mutuum consensum perpetuum sensibiliter expressum per verba, aut nutus, & signa. *Ita Fund. Doct. locis cit. in sup.* §; *noster B. Henric. de Vrimaria in annotat. ad Magsent. dist. 26. c.4; Basil;* apud quem *plurimi; & communiteromnes aly Theologi*. Diffident tamen aliqualiter; nam *aliqui, vt noster Basil*, volunt in contractibus non debere assignari materiam duplicem, scilicet circa quam, & ex qua; seu materiam remotam, & proximam; sed materiam cuiusuis contractus esse ipsas res, circa quas versatur contractus, & ex quibus fit contractus; atque adeò in sacramento matrimonij non esse assignandam materiam remotam, & proximam; sicut in omni alio sacramento assignatur. Sed *alij* docent etiam in contractibus assignari materiam remotam, & proximam; seu circa quam, & ex qua; nam ipsa res, quæ commutatur, est materia remota; ipsa autem actualis traditio rei subalterius dominium est materia proxima sic in sacramẽto matrimonij corpora legitima sunt materia remota; ipsa autẽ actualis traditio corporum sub potestatem, & dominium alterius est materia proxima; de qua loquitur *Apost. 1. Cor. 7. Mulier non habet potestatem sui corporis &c.* Vtrumque modum loquendi esse probabilem inquit *Mastr*; & non differre, nisi in modo loquendi. Ceterùm si in hoc potest æquè bene saluari proportio cum alijs sacramentis, vt vitentur dissidia, potiùs secundus modus est admittendus.

18 Vnica concl. Materia remota sacramenti matrimonij sunt corpora legitima; proxima verò actualis traditio corporum, seu translatio actualis dominij, & potestatis in alterutrum; & forma est mutuus consensus sensibiliter expressus per verba de præsenti, vel per nutus, aut signa.

Prob. *ex S.P. Aug. de bono coniug. c. 24*; vbi hæc tria videtur *ex Apost. 1. Cor. 7*, innuere: Nam cùm dicit: *Volo iuniores nubere, & filios procreare*; designatur materia remota; designantur enim corpora mutuò tradenda per ordinem ad gignendos filios; cùm subdit: *Vxor non habet potestatem sui corporis, sed vir; similiter & vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier*; designatur actualis corporum traditio, seu actualis translatio dominij in corpus alteriusutrius. Cùm tandem inquit: *Vxorem à viro non discedere*; designatur forma, qua matrimonium insolubile redditur. Ratio est. In omni contractu res nudè considerata est materia remota; quia secundùm se est indifferẽs ad talem, vel alium contractum specie distinctum; v.g. rei cum nummis, vel rei cum re, vt docet *Fund. Doct. de Regim. Princ. lib. 1. p. 2. c. 11*; sed matrimonium est verus contractus eleuatus à Christo Domino ad causandam gratiam; vt diximus *sup*; ergo eius materia remota sunt corpora mutuò tradenda, quæ secundùm se in indifferentia sunt, vt tradantur, vel non; ipsa autem traditio dominij, seu potestatis in corpora est materia proxima; & consensus mutuus, vt sensibiliter expressus per verba, vel nutus, aut signa est forma.

19 Nec officit; quòd materia, & forma omnium sacramentorum sint de iure Diuino, & per consequens iure humano mutari non possint; *Pontifices* autem, *& Concilia* statuerunt non sufficere traditionem potestatis in corpora, & consensum mutuum expressum per verba; sed vlteriùs requiri præsentiam parochi, & duorum, vel trium testium, sine quibus inualidum est sacramentum; quod dici non potest, si consensus, & traditio potestatis in corpora essent materia, & forma huius sacramenti; constat enim, quòd posita materia, & forma semper est validum sacramentum; quamuis aliquando illicitum sit. Vnde si prædicta essent materia, & forma, non posset nullum, & inualidum declarari matrimonium, sed solummodò illicitum. Non obstat, inquam; nam Christus Dominus eleuauit contractum legitimum matrimonij, vt esset materia, & forma sacramenti; ille autem dicitur contractus legitimus, qui nulla lege est impeditus, aut prohibitus, sed iuxta leges est celebratus. Constat autem, quòd leges validantes, & inualidantes contractus sunt leges humanę, ad quas condendas dedit Deus potestatem hominibus; vt habet *Apost. Rom. 13*; ergo licèt in Ecclesia sit potestas validandi, & inualidandi contractus; & per consequens agendi, vt contractus; qui nunc legitimus est, illegitimus fiat, & è contra: ac propterea qui nunc est materia idonea sacramenti, fiat non idonea materia; attamen immutabile semper est, quòd solus contractus legitimus est materia, & forma sacramenti matrimonij. Quod dici nequit de alijs sacramentis; quorum materia est determinata à natura, & non pendet ab humano Legislatoris arbitrio. Quia tamen res sacræ, vt sunt sacramenta, ad Ecclesiam pertinent; ideo potestas validandi, & inualidandi contractum matrimonialem est tantùm penes Ecclesiam, non penes potestatem laicalem.

20 Obijc. 1. Causa efficiens, & materialis nequeunt coincidere; sed contrahentes sunt minister matrimonij, vt dictum est; ergo nequeunt

queunt esse materia. 2. Matrimonium perficitur per verba de præsenti; vt statuit *Flor*; ergo nutus, aut signa nequeunt esse forma.

Resp. ad 1. dist. ma. Causa efficiens merè productiua, conc; idem namque nequit se ipsum producere; causa efficiens merè translatiua dominij, & potestatis, quam habet in se ipsam, vt est minister matrimonij, neg. Ad 2. dist. ant. Per verba formalia, vel virtualia, vt sunt nutus, & signa, conc; tantùm formalia, neg.

21 Formam autem matrimonij debere esse per verba de præsenti, & non sufficere verba de futuro habetur *extra de sponsalib. c. si inter*; vbi dicitur, quòd si quis contrahat cum vna per verba de futuro, & posteà cum alia per verba de præsenti, tenet secundum matrimonium, non primum. Ratio est; quia futurum actu non est; quod enim actu est, præsens est; sed per id, quod actu non est, nequit actu aliquid fieri; ergo per verba de futuro nequit fieri existens matrimonium. Tum quia verba de futuro promittunt solùm futurum consensum; sed hæc est promissio efficiens sponsalia, non matrimonium, vt diximus *in sup.q*; ergo ad efficiendum matrimonium requiruntur verba de præsenti, & non sufficiunt de futuro. Quod patet de quibusuis alijs contractibus. Hæc autem verba sunt: *Accipio te in meam*; *Accipio te in meum*.

22 Collig. 1; quòd cùm sacramentum matrimonij in vsu tantùm consistat, non in esse permanenti, vt diximus *de Eucharistia*; ideo qui viuente prima vxore aliam ducit, sacrilegus est; vt habet *Situ.cp.1. c.4*; irritum enim facit secundum matrimonium; qui verò adulterè violat vxorem alienam, sacrilegium non committit, quia sacramentum nec facit, nec irritat.

23 Collig. 2. in matrimonio sacramentum tantùm esse ipsos actus exteriores, in quibus materia, & forma consistunt; sacramentum simul, & res sacramenti esse vinculum indissolubile, quod manet; vt docet *S. P. Aug. vbi s.c.7; 15; 16; & 24; & de fide, & operib. c. 7; et lib. de nupt; & concup. c. 10; & Flor. in decr. vnion*; & habetur *de bigamis c. debitum*; significatur enim ab actibus exterioribus, & significat coniunctionem Christi cum Ecclesia; res verò tantùm est gratia, quam confert.

24 Collig. 3. posse dari etiam inter fideles matrimonium in ratione puri contractus, qui non est sacramentum. *Ita Basil; apud quem Scot; Almain; Vasq; Rebell. cont. Ledesm; Sanch; & Coninch.* Ratio est. Ad celebrandum quodlibet sacramentum requiritur intentio faciendi, quod Christus instituit; vt diximus *de sacram. in com*; sed potest quis celebrare matrimonium sine hac intentione, quæ libera est, & ideo sicut liberè fit; ita liberè potest omitti; & aliunde talis contractus esset validus in ratione puri contractus, ad quem sufficit consensus mutuus; habetur enim *extra antiqua Io. XXII*; quòd vbi nullum ius exprimit matrimonium esse inualidum, censendum est validum in vtroque foro; nullum autem ius statuit talem contractum esse inualidum; imò præsumitur ualidus; nam sic contrahentes non coguntur iterum contrahere; ergo potest quis celebrare matrimonium in ratione contractus, non in ratione sacramenti; atque adeò quamuis ratio sacramenti non sit separabilis à ratione contractus; quia sacramentum importat essentialiter contractum; attamen ratio contractus potest separari à ratione sacramenti; quia contractus præsupponitur, & est quid indifferens ad sacramentum, & non sacramentum; ut constat de matrimonio infidelium, quod non est sacramentum. Tum quia abluens sine intentione faciendi, quod facit Ecclesia, uerè actionem naturalem ablutiuam efficit, quanuis ipsam non eleuet ad esse sacramenti, quod consistit in illa actione supposita intentione necessariò requisita; ergo à pari.

25 An autem matrimonium celebratum, vt purus contractus, possit aliquando fieri sacramentum? Negant *ex nostris Argent; & Basil*; quibus adduntur *Dur; Vasq; Coninch; & alij cont. Sanch; Bellarm; Ledesm; & alios*. Nam matrimoni si est sacramentum consistēs in vsu, seu fieri ipsius contractus; sed cōtractus iam factus, quanuis nouo cōsensu ratificetur, attamen reperi nequit super eandem materiam; vt docet *Fund. Doct. Æg. Quodl. 2. q. 28*; quia cùm coniux non habeat ampliùs dominium sui corporis, nequit illud denuo transferre; ergo nequit posteà fieri sacramentum, quod non fit, nisi in fieri ipsius contractus. Quanuis autem baptismus subsequens ad matrimonium reddat illud ratum; quia illud firmat fide Diuina; attamen illud non facit sacramentum, quia tunc non est in fieri. Matrimonium ergo ratum duplex est; aliud, quod quando fit, supponit baptismum, & fit cum intentione faciendi, quod fit in Ecclesia, & hoc est sacramentum, vt diximus *in sup. S. n. 6*; aliud, quod fit ratum per subsequentem baptismum; & hoc non est sacramentum. Probabile tamen est ratione voti fructus sacramenti participare; cùm enim matrimonium, vt sacramentum, nequeat recipere; si illud desideret iam baptizatus, effectus illius consequitur.

26 Collig. 4. tria esse bona matrimonij, vt diximus *ex S. P. Aug*; scilicet *proles, fides, & sacramentum*. Hæc dicuntur excusare matrimonium; non quia matrimonium sit malum, vt blasphemarunt *Manichæi*; sed quia cælibatus est maius bonum; & cùm hominis prudentis sit eligere, quod est melius; ideo si eligat id, quod est minus, & quod deiicit à perfectiori statu, propter illa tria bona, de quibus etiam *de condit. appos. c. fin*; excusatur. Hæc autem tria, quanuis sint effectus matrimonij; attamen etiam fines vocantur; nam in agentibus intellectualibus effectus in

in intentione habet rationem finis. Tres quoq; significationes matrimonio assignãtur. 1. Significat coniunctionẽ Dei cum anima fideli per gratiam; vt habetur *de bigamis c.debitum*. 2. Significat coniunctionem Christi cum Ecclesia; vt diximus *art.1.§.1.n.20;& alibi*; hoc autem significat ratione vinculi perpetui, quod manet etiam transacto sacramento. 3. Significat mysterium Incarnationis, in qua Verbum Diuinum insolubiliter vnitum est naturæ humanæ; vt habetur *de bigamis vbis.* Hoc autem videtur potiùs significare ratione actus coniugalis, quàm ratione vinculi, aut consensus; quia per illum fit vnio seminum per ordinem ad eandem personam.

27 Quæres, an matrimonium contrahi possit etiam inter absentes per procuratores, vel nuncios, vel per epistolas?

Can;Bassol; Caiet;Viguer; vterq; Ledesma, et alij asserunt contrahi posse in ratione cõtractus, non autem in ratione sacramenti. *Basil.* autem, *Paludan;Couar;Valent;omnes alij Thomistæ et Scotistæ cum Scoto apud Mastr.disp.7.q.2.art.3; et omnes alij Theologi* docent contrahi posse secundùm vtranque rationem. Prob. 1. Verus contractus matrimonialis fuit à Christo Domino eleuatus ad esse sacramenti; non enim Christus Dominus immutauit naturam huius contractus, sed quemlibet verum, & legitimum eleuauit, vt sit sacramentum, dummodò adsit intentio faciendi, quod facit Ecclesia; arqui inter absentes potest dari verus, & legitimus contractus matrimonialis, vt concedunt *Aduersarij*; nam potest dari mutuus consensus cum intentione faciendi, quod fit in Ecclesia; ergo inter absentes potest dari matrimonium nedum in ratione contractus, sed etiam in ratione sacramenti. 2. *Cùm prohibitorium sit edictum de matrimonio contrahendo, vt quicumque non prohibentur, per consequentiam admittantur*; vt habetur *de sponsalib. c.cùm apud*; sed matrimonium inter absentes in ratione sacramenti non prohibetur; *Trid.* enim de matrimonio inter absentes, quod tamen fieri solebat inter reges, & Principes, vt habetur *in 6. de procuratorib.c.vlt.procurator*; nihil prohibuit; ergo intelligitur admissum. Nec prohibitio colligi potest ex eo, quòd mandat matrimonia non fieri, nisi præsente parocho; qui debet rogare consensum vtriusque; nam hoc bene potest intelligi de procuratore ita, vt sponsi interrogentur vel per se, vel suos procuratores, hoc enim non exprimit *Trid*; ergo intelligitur admissum matrimonium inter absentes, etiansi parochus non sit illis præsens immediatè, sed tantùm per suos procuratores. 3. In tantùm confessio, inquit *Fund. Doct. Æg. de Renunt. Papæ c. 14*; nequit fieri absenti; in quantùm præceptum Domini est, vt pęnitentes ostendant se sacerdotibus, vt dictum fuit *decem leprosis*; sed contrahentibus nihil tale est præceptum; ergo possunt in absentia contrahere. 4. Si matrimonium contractum inter absentes esset purus cõtractus naturalis, non sacramentum, eius causa posset recognosci à Principe sæculari, cuius potestas extenditur ad omnes res naturales, quæ sacræ non sunt; sed consequens est falsum; omnes enim causę matrimoniales deferuntur ad Ecclesiæ tribunal; ergo falsum est ant. 5. Matrimonium contractum inter absentes habet omnia, quæ ad sacramenti rationem requiruntur; adest enim translatio mutua potestatis in corpora, quæ est materia; adest consensus mutuus, & sensibiliter expressus per verba, vel nutus, aut signa; quòd autem verba exprimantur per se, vel per alium, non interest; vt constat de pęnitente, qui per interpretem loquitur, & absolutionem recipit; & aliunde parochus potest exactè à procuratore explorare vtriusque consensum; & vtrique benedicere, & coniungere; vt præcipit *Trid*; ergo est verum sacramentum. 6. In tantùm alia sacramenta nequeunt fieri in absentia, in quantum interuenit aliqua actio, quæ necessariò importat præsentiam; vt ablutio, unctio & c;& dolor, & rubor in pœnitentia; sed matrimonium nullam pęnitus importat actionem, quæ in absentia fieri nequeat; nam certum est consensum fieri posse etiam in absentia; aliter contractus inter absentes non fierent; item benedictio potest absentibus dari; Pontifex enim mittit morituris benedictionem; item intentio faciendi, quod fit in Ecclesia; ergo nihil deficit, quod matrimonium initum inter absentes non sit uerum sacramentum.

28 Obijc. 1. Alia sacramenta conferri nequeunt absentibus; ergo nec matrimonium. 2. Quanuis sententia possit ferri etiam in absentes; attamen sacramentum pœnitentiæ solis præsentibus potest impendi; ergo quanuis contractus possit etiam fieri inter absentes, attamen sacramentum confertur solis præsentibus. 3. Sequeretur etiam dormientes, uel taliter distractos sacramentum recipere; & si essent in peccato mortali, adhuc dormientes peccarent mortaliter, quia suscipiens sacramentũ in peccato mortali mortaliter peccat; sed hæc sunt absurda; ergo idem.

Resp. ad 1. neg. cons; alia enim sacramenta important actiones, quæ uel simpliciter, uel æquè bene in absentia fieri nequeunt; matrimonium autem importat actionem, quæ simpliciter æquè bene fieri potest etiam in absentia, ut diximus. Ad 2. dicitur præceptum Domini esse, ut pęnitentes ostendant se sacerdotibus, non autem contrahentes; & ulteriùs pęnitentia exigit dolorem, & ruborem, qui magis excitatur in præsentia; contractus autem, & consensus non firmatur magis præsentia, sed potiùs absentia; quia res, quæ non est præsens, magis allicit desiderium. Ad 3. dicitur non repugnare dormientem, aut distractum baptizari, dummodò

modò anteà petierit; & peccare, dummodò anteà aduerterit; ut cùm quis somno se tradit, aut negotijs tempore missæ audiendæ. Contrahentes ergo in absentia debent diem, & horam præfigere, qua matrimonium coram parocho celebratur, & pro eo tunc esse in gratia, & deuotè sacramentum recipere.

29 Inst. Potest procurator habere intentionem contrariam suo principali, quia nollet illud matrimonium fieri; ergo tunc matrimonium impediretur.

Resp. neg. cons. procurator enim tantùm habet significare, & exprimere principalis consensum, non autem consentire illius consensui; vnde se habet, veluti epistola loquens; sicut autem de ratione epistolæ narrantis non est consentire rei, quam narrat, sed tantùm narrare, & referre; ita à pari.

30 Vt autem contractus matrimonij per procuratorem celebrati sit validus, tres conditiones requiruntur; vt habetur *de procuratorib. in 6. c. 9. procurator.* 1. Vt habeat speciale mandatum ad contrahendum cum tali persona in indiuiduo; ideo habens commissionem generalem, seu vagam contrahendi cum aliqua matrimonium non contrahit; quia principalis determinatè in talem personam non consentit; vt ad matrimonium requiritur. 2. Quòd procurator non possit alium substituere, aut deputare, nisi hoc ei fuerit specialiter commissum; quamuis enim id possit agere in alijs negotijs; in hoc tamen, quod magni ponderis est, & magnum mali periculum potest imminere, vetitum est. 3. Vt talis commissio ante contractum ab altero principalium non reuocetur; ad rescindendum enim contractum mutuum sufficit vnius partis dissensus; vnde matrimonium, quod fit post reuocationem mandati iam concessi, etiamsi talis reuocatio sit ignota procuratori, vel alteri parti, dummodò contractum ipsum præcedat, omnino nullum, & irritum est; vt *ibid.* habetur in terminis.

A R T. III.

An, & quomodò matrimonij vinculum sit indissolubile?

1 Diximus *in sup. art. n. 26. cum S. P. Aug.* tria esse bona matrimonij, scilicet *sacramentum, fidem, & prolem*; & cùm de primo iam dictum sit, superest de duobus reliquis dicere. Fides ergo importat vinculum duorum mutuò promittentium coniunctionem, & societatem nunquam dissoluendam. Quæritur autem, vnde hæc indissolubilitas oriatur?

2 Matrimonium arbitrio coniugum posse dissolui *Montanista apud Castro v. nuptia; & aliqui Gentiles, necnon recentes heretici* docuerunt. Hæc hæresis reijcitur ex illo *Gen. 2. Relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit* (quod *septuaginta* vertunt *adglutinabitur*) *vxori suæ*; verbum autem *adglutinabitur* importat talem vnionem, qua duo ita strictè inter se copulantur, vt possint potiùs obtruncari, & in partes scindi, quàm solui; *& ex hoc textu Trid. sess. 24. c. 1.* colligit vinculum indissolubile, quod matrimonium importat. Item *Marc. 10.* ait Christus Dominus: *Quicunque dimiserit vxorem suam, et aliam duxerit, mœchatur; et Ap. st. 1. Cor. 7. His, qui matrimonio iuncti sunt, præcipit, non ego, sed Dominus vxorem à viro non discedere, quòd si discesserit, aut manere innuptam, aut viro suo reconciliari; et Rom. 7. Quæ sub viro est, mulier viuente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro.* Idem habet *canon. 48. Apostolor; S. Ignat. ep. ad Tarsenses, Philadelphien; et Philippen; Tertull. lib. 4. contra Marcion; S. P. Aug. de nupt. et concup; de bono coniug. et lib. 9. de Gen. ad lit. c. 7; nec non omnes SS PP.* Hoc docent *Conc. Illibert. can. 8; 9; et 10; Gangren. can. 14*; & habetur *dist. 30. c. si qua; Mileuit. can. 17*; & habetur *32. q. 7. c. placuit, Aphrican. c. 79. Agathen. can. 29.* & habetur *33. q. 2. c. seculares, Meten. can. 7; Syn. VI. can. 93; et tandem Trid. sess. 24. c. 1.* Remanet ergo inquirendum, à quo oriatur hæc indissolubilitas; quæ difficultas facilè solui potest ex dictis *art. 1.*

3 *Sanch; Coninch; Rubion; Almain, Maior; Zabarella, vterque Sot; et alij* volunt o[illegible] institutione Diuina vel à Deo in M[illegible]dio, vel à Christo Domino sancita [illegible] ex iure naturali. His aliquo modo [illegible] *q. 6. art. 1. Plures Canonistæ* [illegible] ex sola institutione Ecclesiastica. [illegible] *c. 13; Viguer; Bellarm. Auersa, Cafsen;* [illegible] *alij* volunt oriri solùm ex iure naturali. Nostra tandem sententia docet oriri ex iure naturali, & Diuino, vt diximus *art. 1*, siue loquamur de matrimonio rato, & consummato; siue de rato, & non consummato. *Ita Fund. Doct; vt diximus vbi supr. et cont. Exempt. c. 23; et alij ibid. cit.*

4 Non quærimus *hic*, quibus in casibus possit matrimonium dissolui, de hoc enim agemus, cùm de impedimentis dirimentibus erit sermo. Inquirimus ergo, an, & vnde competat matrimonio indissolubilitas ordinariè loquendo, & de lege communi, non de lege speciali in quibusdam particularibus casibus, de quibus tantùm transeunter aliquid dicemus, dicturi *inf.* ex professò.

5 Vnica concl. Matrimonium, vt est purus contractus, indissolubile est iure naturali, & ratione fidei humanæ, & vt est sacramentum, indissolubile est iure Diuino, & ratione fidei Diuinæ.

Prob. 1. pars, quæ intelligenda est eo modo, quo diximus *art. 1*; ex verbis *Gen. 2. sup.* allatis; ex quibus Christus Dominus arguit indissolubilitatem matrimonij, quam *Adam* statim pronunciauit; & sic intellexit *Trid. sess. 24.* asserens:

rens: *Matrimonium perpetuum, indissolubilemque nexum primus humani generis parens Diuini Spiritus instinctu pronunciauit, cùm dixit: Hoc nunc os &c*; quæ verba non sunt intelligenda tantùm de matrimonio consummato, vt vult *Sanch*; sed etiam de non consummato; nam quamuis *S.P. Aug. lib.14. de Ciu. Dei, & Innoc. III. de conuers. coniugator. c. ad apostolicam* exponant de matrimonio consummato; non tamen asserunt intelligenda non esse etiam de matrimonio non consummato; quia asserere vnum non est aliud negare; ait enim *S.P. ibid.* virum, & fœminam effici vnam carnem nedum propter carnalem copulam, sed etiam quia fœmina de viro orta est; & ideo etiam propter vinculum, quo coniunguntur; vt diximus *art.1. n.5.* Tum quia *Adam* nedum dixit esse duos in carne vna; quo carnalem copulam explicat, quæ matrimonium consummat; sed etiam virum adhærere, seu adglutinari vxori propter vinculum matrimoniale, quod conuenit etiam matrimonio non consummato; præsertim cùm *Adam* verba illa protulerit, quando *Euam* carnaliter non cognouerat. Ergo quamuis illa verba: *Erunt duo in carne vna*: possint exponi de matrimonio consummato; attamen non repugnat accipi etiam de matrimonio non consummato per ordinem ad futuram copulam; & quamuis gratis admitteretur sic sumi non posse, & ideo per illas non explicari indissolubilitatem matrimonij non consummati; attamen sufficienter explicatur per verba antecedentia, quibus dicitur virum debere vxori adhærere. Sed quæ competunt homini in exordio suæ conditionis, & sunt intra ordinem naturæ, ei competunt iure naturæ; ergo matrimonium iure naturæ est indissolubile.

2. Prob. ratione ducta ex ratione societatis allata *art.1. à n. 8. ex Fund. Doct. Ægid*; & ex prole, quæ est bonum commune vtriusque *ibid*; vbi *vid*. Imò quamuis tale matrimonium esset sterile; attamen iure naturæ indissolubile esset propter conseruationem vtriusque coniugis; non enim tanto amore conseruari potest vir, quanto ab vxore conseruatur; & è contra; conseruatio autem indiuidui est de iure naturæ; quæ omnia *ex Philosophis gentilibus* solo lumine naturæ præditis, præsertim *Phil. 8. Eth.* colligit *Fund. Doct.*

3. Fidem alteri datam, & promissa seruare est de iure naturæ; continetur enim in illo generalissimo axiomate: *Quod tibi non vis, alteri ne feceris*; quod dictat lumen rationis; nemo autem vellet fidem sibi datam ab aliquo violari; ideo quisquis tenetur fidem alteri datam seruare; sed matrimonium, vt contractus, importat essentialiter mutuam fidem duorum de non se separando, aut soluendo vsque ad mortem; in hoc enim distinguitur matrimonium ab adulterio, & fornicatione, vt docet *S. P. Aug. de bono coniug. c.5*; vbi ex hoc arguit indissolubilitatem matrimonij vsque ad mortem his verbis: *Etenim si aliquam sibi vir ad tempus adhibuerit, donec aliam dignam vel honoribus, vel facultatibus suis inueniat, quam comparem ducat; ipso animo adulter est; nec cum illa, quam cœpit inuenire, sed cum ista, cum qua sic cubat, vt cum ea non habeat maritale consortium. Vnde & ipsa hoc sciens, ac volens impudicè vtique miscetur ei, cum quo non habet fœdus vxorium. Verumtamen si ei fidem thori seruet; & cùm ille vxorem duxerit, mulier ipsa non cogitet, atque à tali prorsus opere continere se præparet, adulteram quidem fortassis facilè appellare non audeam*; & paulò post: *Ad hoc enim nuptæ sunt, vt illa concupiscentia redacta ad legitimum vinculum, non deformis, & dissoluta fluitaret habens de se ipsa irrefrenabilem carnis infirmitatem, de nuptijs autem indissolubilem societatem*; ergo matrimonium, vt contractus, ex natura sua indissolubilitatem importat.

6 Prob. 2. pars concl. ex *Matth. 19. Quod Deus coniunxit, homo non separet*; quod explicans *Apost. 1. Cor. 7.* inquit: *His, qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus vxorem à viro non discedere*; super quod *S. P. Aug. vbi sup. c.24.* ait: *Ad sacramenti sanctitatem pertinet illud vxorem à viro non discedere; & lib.1. de nupt. & concup. c.10. Huius procul dubio sacramenti res est, vt mas, & fœmina connubio copulati, quandiu viuunt, inseparabiliter perseuerent; & lib.9. de Gen. ad lit. c. 7. In sacramento autem est, vt coniugium non separetur; & dimissus, aut dimissa nec causa prolis separetur*; quod sæpissimè *alibi* repetit. Hoc tamen non est ita intelligendum, quasi matrimonium, quod habet solùm rationem contractus, sit naturaliter separabile; huius enim oppositum docet *S. P. Aug*; vt diximus; & ideo hæc intelligentia ei directè repugnat; sed quòd matrimonium, quod in ratione contractus solo iure naturæ, & fide naturali est indissolubile, in ratione sacramenti sit etiam fide Diuina, & iure Diuino insolubile; propter quod duplici titulo, & iure indissolubile est. Quod habetur etiam *de diuortijs c. quantò*. Rationem reddit *lib. 1. de nupt. vbi sup*; quam repetit *Flor. in decr. vnion*; quamuis enim, vt diximus *art. 1. §.1. n.20*; matrimonium, vt contractus, prout reperitur in infidelibus, radicaliter tantùm, & imperfectè significet coniunctionem Christi cum Ecclesia; quia iure naturali tantùm, non supernaturali, est insolubile; coniunctio autem Christi cum Ecclesia simpliciter omni iure est insolubilis; attamen matrimonium, vt sacramentum, quia coniunctionem Christi cum Ecclesia perfectè significat, vtpotè firmatum fide Diuina per baptismum contracta; ideo iure nedum humano, sed etiam Diuino est insolubile.

7 Dices 1. Matrimonium ratum, non consummatum, potest solui per ingressum ad religionem; sed matrimonium ratum est sacramentum; ergo matrimonium, vt sacramentum, non est de iure Diuino insolubile; quod enim est ta-

le, nulla ratione potest dissolui. 2. Matrimonium ratum, & consummatum nequit solui per ingressum ad religionem; ergo insolubilitas habetur potiùs à copula, quàm à ratione sacramenti.

Resp. ad 1; quòd etiam ius Diuinum, sicut ius naturale, habet suas exceptiones speciales factas à Deo; sicut enim de iure naturali est, quòd quilibet reddat, quod suum non est; attamen excipitur casus, quo quis vellet peccare recipiendo rem suam; tunc enim illam tenens non tenetur eam reddere; non tamen ex hoc sequitur, quòd reddere rem alienam non sit de iure naturæ. Ita ex eo, quòd Christus Dominus voluerit matrimonium ratum dissolui per religionis ingressum, vt *inf.* non sequitur, quòd matrimonij indissolubilitas non sit de iure Diuino; sed tantùm, quòd sit de iure Diuino communi, non de iure Diuino exceptiuo speciali. Ad 2. neg. conf; in tantùm enim matrimonium ratum consummatum nequit dissolui; in quantùm copula coniugalis significat coniunctionem Verbi Diuini cum natura humana, vt *sup.* diximus; vnde ratione huius significationis, quæ sacramentum latè dicitur, quia est mysterium, redditur matrimonium magis indissolubile, quia maiorem vnionem significat.

8 Obijc. 1. *Sanch.* cont. 1. partem concl. Repudium ante Christi legem fuit licitum; ergo matrimonium iure naturæ non est insolubile; quod enim est contra ius naturæ, nunquam licet. 2. Vel spectatur matrimonium, vt est in officium naturæ propagandæ; & sic ob sterilitatem solubile est; vel vt est in remedium libidinis frænandæ; & sic ob ægritudinem, vel senectutem potest dissolui; ergo nulla ratione naturali eius indissolubilitas potest probari. 3. *Sapientissimi Philosophi Ethnici* putauerunt esse dissolubile; ergo non est notum lumine naturæ esse insolubile.

Resp. ad 1. omisso ant. neg. conf; & ad prob. dist. Quod est contra ius naturæ secundum exceptionem factam à Legislatore, qui simul cum natura condidit ius naturale, vt diximus, nunquam licet, neg; aliter, conc. Ad 2. neg. conf; est enim ab insufficienti partium enumeratione; nam matrimonium ordinatur etiam ad fouendam perpetuam vitæ societatem; ideo deficientibus alijs duobus finibus, remanet semper hic tertius. Ad 3. neg. ant; nam *Arist*; vt diximus *art. 1. vbi sup. cum Fund. Doct; cum alijs philosophis*, quos ipse secutus est, profectò sapientioribus, quia eorum philosophiam secuti sunt ferè *omnes philosophi catholici*, docuerunt matrimonium esse insolubile, ideo licèt *aliqui alij* oppositum senserint, ex cæcitate potiùs per passiones inducta locuti sunt, quàm ex perspicuitate luminis naturalis.

A R T. IV.

An matrimonium ita dicat bonum prolis, vt importet essentialiter copulam, vel ordinem, & consensum in copulam?

1 IVl. Pelagian; vt refert *S. P. Aug. lib. 5. cont. Iul. c. 9;* dixit matrimonium sine concubitu, seu copula esse non posse. Quem errorem secutus est *Vuicleff teste Vualden. de sacram. c. 130.* asserens matrimonium consistere in copulatione legitima, qua secundùm Dei legem licet filios generare. *Gratian. 27. q. 2. c. quòd autem, & c. institutum* voluit non esse verum matrimonium ante consummationem. *Medina* verò non esse verum matrimonium absque consensu in copulam. Tandem *Bellarm.* dixit matrimonium esse verum sacramentum sine copula, quia hæc est tantùm pars integralis, non essentialis; sicut dicimus de satisfactione in sacramento pœnitentiæ; ideo matrimonium sine copula esse verum sacramentum, sed imperfectum. Consequenter isti vel negant matrimonium *inter Beatiss. Virginem, & S. Ioseph* esse verum matrimonium, vel asserunt esse tantùm imperfectum ex eo, quòd nec copula, nec consensus in copulam intercessit, cùm ante matrimonium votum castitatis emiserint, vt *inf.* Sed *omnes alij DD.* docent matrimonium non importare essentialiter copulam, aut consensum explicitum, aut implicitum in copulam, sed tantùm importare translationem mutui dominij, & potestatis in corpora, vsus tamen huius potestatis potest esse perpetuò impeditus. *Ita Fund. D. Ægid. lib. 2. de Regim. Princ. c. 1; 7; & 8; et communiter omnes alij DD. teste Basil. lib. 1. c. 16; 17; & 18.*

2 Vnica concl. Matrimonium non importat essentialiter copulam, aut consensum explicitum, vel implicitum in copulam, sed tantùm mutuam translationem protestatis in corpora diuersi sexus, cuius potestatis vsus potest esse perpetuò impeditus.

Prob. 1. pars concl. *ex Gen. 2;* vbi *Eua* vocata est vxor, quamuis pro eo tunc *Adam* ei copulatus carnaliter non fuerit; sed vxor non dicitûr, nisi per matrimonium; ergo matrimonium non importat essentialiter copulam. 2. *Ex S. P. Aug. vbi sup.* In senibus, qui copulari non possunt, non cessat vera ratio matrimonij; ergo idem. 3. Ratio formalis constitutiua matrimonij est mutuus consensus, vt diximus *sup. ex Flor;* sed hic potest haberi sine copula; ergo hæc nec est pars essentialis, nec integralis matrimonij. 4. Matrimonium ordinatur ad copulam, tanquam ad finem secundarium, vt *inf.* dicemus; sed finis sacramenti, præsertim secundariùs, nequit esse pars essentialis, aut integralis ipsius; vt patet de restitutione sanitatis corporalis, quæ est finis secundarius extremæ Vnctionis; ergo idem.

idem. 5. Pars essentialis, vel integralis sacramenti causat gratiam ex opere operato, vt constat de satisfactione, quæ causat remissionem pœnæ temporalis; sed copula non est huiusmodi; vt est per se notum; ergo idem. Tandem sequeretur matrimonium *inter Beatiss. Virginem, & S. Ioseph* non esse fuisse verum, aut perfectum matrimonium, quod est aperte falsum; vt *inf.* monstrabitur.

3 Nec obstat 27. *q.* 2. *c. non est dubium*; *cap. cùm societas*; *& seqq.* vbi dicitur mulierem, cum qua commixtio sexus non docetur fuisse, non pertinere ad matrimonium. Nam contra est; primus enim *canon*, falsò inscribitur *S. P. Aug.* vt aduertunt *censores* decreti; secundus, qui est *S. Leonis ep.* 90. *&* 92; nihil aliud probat, quàm, quòd inter Dominum, & ancillam, vtpotè personas illegitimas, nequit esse verum matrimonium; alij verò loquuntur de matrimonio, vt significat vnionem Verbi Diuini cum natura humana; quæ significatio potest abesse absque eo, quòd desit ratio sacramenti, vt diximus.

4 Prob. 2. pars concl. *cont. Vuicleff, & Gratian.* asserentes requiri copulam, & consensum explicitum in copulam; *& cont. Capr; Adrian; Sot; Couarr.* asserentes requiri consensum implicitum absolutè, *& cont. Dur; Ricard; Almain; & alios* putantes requiri saltem sub conditione, idêst si alter copulari petierit. 1. *Ex S. P. Aug. de bono coniug. c.* 1. docente: *Poterat enim esse in vtroque sexu etiam sine tali commixtione alterius obsequentis amicabilis quædam, & germana societas.* Quibus verbis expressè docet ad rationem formalem matrimonij sufficere, vt duo diuersi sexus consentiant tantùm simul viuere vsque ad mortem in amicabili, & germana societate; *& c.* 3. subdit: *Quod mihi non videtur propter solam filiorum procreationem, sed propter ipsam etiam naturalem in diuerso sexu societatem; alioquin non iam diceretur coniugium in senibus præsertim, si vel amisissent filios, vel minimè genuissent. Nunc verò in bono, licèt annoso, coniugio, etsi emarcuit ardor ætatis inter masculum, & fœminam, viget tamen ordo charitatis inter maritum, et vxorem.* Quibus docet duos esse fines contrahendi matrimonium, & vnum sine alio esse posse, scilicet motiuum viuendi in sancta societate, & naturali vnione charitatis, & motiuum procreandi filios; quo cessante adhuc remanet ratio formalis matrimonij; quia remanet primum motiuum, quod est primarium, & principale; vt colligitur ex verbis *Gen;* & Christi Domini: *Adhærebit vxori suæ:* scilicet per amorem, quem præfert amori erga patrem, & matrem; *et lib.* 23. *cont. Faust. c.* 8. fusè ostendit matrimonium verum fuisse *inter Beatiss. Virginem, et Ioseph: Vt et Ioseph Mariæ maritus diceretur habens eam coniugem non concubitu, sed affectu, non permixtione corporum, sed copulatione, quod est charius, animorum; et lib.* 1. *de nupt; et concup. c.* 11. *Absit, vt inter illos vinculum coniugale rumpatur, imò firmius erit, quo magis ea pacta secum inierint, quæ chariùs, concorditisque seruanda sunt, non voluptuarijs corporum nexibus, sed voluntarijs animorum affectibus.* Ex quibus habetur verum matrimonium contrahi posse, etiamsi non solùm non consentiant implicitè in copulam, sed etiam manifestè pari consensu dissentiant, & paciscantur non copulari. Tandem *lib.* 7. *de consensu Euang. c.* 2. *Hoc exemplo magnificè insinuatur fidelibus coniugatis etiam seruato pari consensu posse permanere, vocarique coniugium, non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu.* Ex his arguitur sic. Ad veram, & formalem rationem matrimonij sufficit mutuus consensus duarum personarum diuersi sexus simul viuendi indissolubiliter in societate vsque ad finem vitæ; sed huiusmodi consensus potest esse sine consensu explicito, vel implicito in copulam, imò cum expresso dissensu, & cum pacto non coeundi; ergo ad rationem formalem matrimonij non requiritur consensus explicitus, vel implicitus in copulam. Ma. constat *ex textibus* allatis; & magis prob. *ex* 27. *q.* 1. *c. nuptiarum bonum; et* 33. *q.* 1. *c. requisisti; et de frigidis, et malefic. c. consultationi; et c. laudabilem; et alibi,* vbi statuit Ecclesia verum esse posse matrimonium ad castè viuendum; sed post votum castitatis prohibitum est iure naturali contrahere nuptias per ordinem ad copulam, vel cum periculo copulæ; hoc enim esset peccatum contra votum castitatis; ergo mutuus consensus duarum personarum diuersi sexus indissolubiliter viuendi vsque ad mortem sufficit ad veram, & formalem rationem matrimonij. Tum quia legitur *in festis Ecclesiæ* multas sanctas Virgines post votum virginitatis contraxisse matrimonium, vt *de S. Cecilia*; quæ prima nuptiarum nocte *ad sponsum suum Valerianum* dixit se virginitatem vouisse; & in tutela Angeli esse; & quòd *Beatiss. Virgo* hoc votum ante matrimonium emiserit, docent *omnes SS. PP; et DD;* & tamen verum matrimonium contraxit; ergo idem. 2. *Ex S. P. Aug.* 1. *bis.* Si quid aliud præter consensum mutuum indissolubiliter viuendi vsque ad mortem requireretur, nempe consensus implicitus in copulam, sequeretur, quòd senes, qui se cognoscunt ambos simpliciter impotentes, non essent ampliùs matrimonio coniuncti; deficeret enim aliquid ad essentiam matrimonij necessariò requisitū; sed cons. est absurdum; ergo & ant. 3. Salua ratione contractus saluatur ratio sacramenti, si solùm addatur baptismus, & in contrahentibus intentio faciendi, quidquid facit Ecclesia; vt diximus *sup;* sed per solum consensum mutuum inseparabiliter viuendi vsque ad mortem saluatur ratio contractus; quia potest dari verus contractus circa translationem dominij absque translatione vsus, seu circa translationem dominij proprietatis, seu directum, vt vocant, absque translatione do-

dominij vtilis; hoc enim duplex dominium distinguitur, & realiter separatur, ut constat; quia potest quis transferre dominium proprietatis prædij, & reseruare sibi vsum vsque ad mortem; ergo per solum consensum mutuum inseparabiliter viuendi vsque ad mortem potest saluari ratio sacramenti. 4. Post matrimonium possunt coniuges pari consensu vouere castitatem, & tamen non dirimitur matrimonium; sed consensus explicitus, vel implicitus in copulam etiam conditionatus pugnat cum tali voto; ergo matrimonium potest stare sine tali consensu, & ideo potest etiam contrahi sine tali consensu; quia quæ repugnant contractioni, repugnaut etiam durationi.

5 Ex hoc deducitur posse dari verum matrimonium, cuius vsus sit perpetuò impeditus; quia potest dari verus contractus translationis proprietatis absque translatione vsus; & sicuti possunt coniuges post contractum matrimonium pari consensu perpetuò priuare se vsu; ita idem possunt præstare in ipso actu contrahendi, vel antequam contrahant matrimonium.

6 Collig. 1. ex dictis *cont. Estium* finem primarium matrimonij esse viuere in societate vsque ad mortem, seu mutuam communicationem obsequij, & operum, vt ait *Phil.* 8. *Eth*; procreationem autem filiorum, & remedium concupiscentiæ esse fines secundarios, sine quibus essentia matrimonij potest consistere. Vnde ad essentiam matrimonij spectat, vt contrahens intendat formaliter, vel saltem virtualiter tradere potestatem sui corporis alteri contrahenti; ratione cuius potestatis si alter eo vtatur, non peccat; non tamen propter hoc vsus eius est necessarius, sed ad libitum, dummodò non intercesserit pactum non vtendi pari consensu in voto, vel deuotione. Qui autem sine hoc pacto contrahunt, saltem implicitè consentiunt in copulam. Non est tamen necesse, vt intendat procreationem filiorum, aut copulam in remedium concupiscentiæ; quia hæc ad matrimonij substantiam non pertinet, vt diximus. Ex hoc infertur, quòd habens finem contrarium fini primario matrimonij, siue illum retineat in corde, siue exprimat verbis, irritat matrimonium; tunc enim consensus est fictus, qui ad matrimonium non sufficit. Si autem habeat finem contrarium fini secundario; vt non generandi, nec satiandi libidinem; distinguendum est. Vel enim habet finem contrarium priuatiuè; vt quia vult continere se; tunc non irritat, vt diximus. Vel positiuè, quia vult coire, & tamen vult impedire generationem filiorum; tunc irritat; quia vult habere vxorem, vt fornicariam, quod est contra substantiam matrimonij; vt habetur *de condit. appos. c. si conditiones*; sed *de hoc inf. art. 6. n. 63* vbi *vid.* obiectiones. Si tamen conditiones contra substantiam matrimonij retineantur in corde, irritatur tantùm in foro interno; quia *Ecclesia non iudicat de internis*, nisi promulgentur exteriùs; si verò verbis exprimantur, irritatur etiam externè.

7 Collig. 2. contrahentem matrimonium ad vitandam fornicationem absque eo, quòd intendat procreationem filiorum, illam tamen non impediat; non irritare matrimonium, nec mortaliter peccare; quia vitare fornicationem non est malum; vt docet *S. P. Aug. de bono coniug. c.* 5. Qui tamen contraheret præcisè ad percipiendam delectationem, & voluptatem; saltem venialiter peccaret; delectatio enim voluptuosa non est finis matrimonij, sed medium, quo ad generandos filios allicitur. Idem docet *Basil.* de eo, qui contrahit matrimonium ob diuitias, nobilitatem, vel pulchritudinem; si enim hæc honestè appetantur, non est peccatum nec veniale; quia non sunt per se mala; neque sunt mala ex medio, scilicet ex matrimonio, quo mediante appetuntur; matrimonium enim bonum est. Si autem inhonestè appetantur ita, vt illis vellet iniustè potiri, etiamsi matrimonium non esset, tunc est peccatum etiam mortale, quia est grauis materia.

§. 1.

An inter Beatiss. Virginem, et S. Ioseph fuerit verum matrimonium?

8 Supp. *Beatiss. Virginem* absolutè vouisse Deo perpetuam virginitatem; non autem sub illa conditione: *Nisi Deus aliter iubeat*; vt volunt *Mag. et Magistr. et Gratian* 27. *q.* 2. *c. sufficiat*; qui falsò refert *S. P. Aug.* Colligitur autem hoc ex eo, quòd cùm ei dictum fuisset ab Angelo: *Ecce concipies in vtero, et paries filium*; respondit: *Quomodò fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Si enim sub illa conditione vouisset; non potuisset sic respondere; cognouisset enim ex Dei nuncio, quem optimè noscebat, Deum aliter iubere; per quod suo voto se sciret solutam. Admiratio igitur *B. Virginis* consistebat in hoc; quòd cùm absolutè vouisset nulli viro se commixturam; audiebat se concepturam, filiumque parituram; quod quomodò sine humano comercio fieri posset, mirabatur, & quærebat ab Angelo. Cui admirationi locus non fuisset, si illa conditio fuisset apposita; Angelus autem, vt admirationem tolleret, dixit: *Spiritus S. superueniet in te*; significans ipsam parituram non hominis opere, sed Spiritus Sancti virtute. Tum quia in omni voto etiam absoluto illa conditio virtualiter apposita censetur; si enim Deus votum non acceptet, non tenet: Tum quia votum *Beatiss. Virginis* fuit perfectissimum; quia fuit exemplar voti à virginibus emittendi, vt docent *SS. PP*; à quibus emittitur votum absolutum, non conditionatum; votum autem

autem conditionatum est tantùm secundùm quid, non simpliciter; & ideo minùs perfectum, quàm votum absolutum, quod est votum simpliciter. Hæc tradit *S. P. Aug. lib. de S. Virginit. cap. 4; & serm. 20. de temp; & tract. 10. in Io; & alibi; & cum eo communiter SS. PP.* Hoc autem votum emissum fuisse antè matrimonium apertè docet *S. P. Aug. de S. Virginit. vbi s.* asserens: *Ipsa quoque virginitas eius ideo gratior, & acceptior, quia non eam Christus vira violaturo, quam conseruaret, ipse præcipuit, sed priusquam conciperetur, iam Deo dicatam, de qua nasceretur, elegit. Hoc indicant verba, quæ sibi fœtum annuncianti Angelo Maria reddidit; Quomodò, inquit, fiet istud, quoniam virum non cognosco? Quod profectò non diceret, nisi Deo virginem se ante vouisset; & inf. Exemplo sanctis futura virginibus virginitatem Deo dicauit*; exemplum autem non dedisset, si virginitatem sub conditione vouisset; cùm virgines absolutè, non conditionatè, debeant vouere.

9 Votum autem virginitatis non fuisse in veteri lege prohibitum, aut in opprobrio, & ignominia, vel matrimonio ignobilius; probatur ea, quæ diximus *art. 1. §. 1. n. 19*; quanuis enim matrimonij præceptum obligauerit, quando erat necessitas multiplicandi homines ad replendam terram; attamen cessante hac necessitate cessauit præceptum; & tunc cœlibatus incepit etiam in veteri lege; vt constat *de Elia, Elisæo, Melchisedech, Iesu Naue, Ieremia, & Ioanne Baptistâ*; quos propter virginitatem celebres fuisse etiam in veteri lege ostendit *Diuus Hieron. lib. 1. cont. Iouinian; & S. P. Aug. lib. 14. cont. Faust. c. 13; & S. Epiphan. hær. 30.* ait virginitatem *apud Hebræos* magnificatam fuisse; atque adeò etiam apud ipsos cœlibatum matrimonio quid perfectius, & sublimius fuisse censendum est; vt fusè probant *ex nostris Mendoza, & Basil; & ex alijs Vasq.*

10 Vnica concl. Inter *Beatiss. Virginem, & S. Ioseph* non obstante voto castitatis præcedente fuit uerum matrimonium, imò perfectius, quàm sit matrimonium initum per ordinem ad naturalem generationem filiorum.

Prob. 1. pars *ex Matth. 1. Ioseph fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam*; ex quo *S. P. Aug. lib. 1. de nupt; & concup. c. 11.* arguit veritatem matrimonij; sicut enim vera sponsa non dicitur, nisi post vera sponsalia contracta; ita vera coniux dici non potest, nisi post verum matrimonium contractum; coniux enim dicitur *à coniugio*, quod idem significat, ac matrimonium, ut diximus *art. 1. n. 1.* Idem docet latè *serm. 63. de diuersis à c. 10*; vbi probat *S. Ioseph* verè fuisse Christi patrem non generatione carnali, sed veritate coniugij; propter quod *Beatiss. Virgo* appellauit eum Christi patrem: *Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Idem docet *S. Ambr. lib. de institut. virginis c. 6; S. Bas. filius hom. de humana Christi generatione; S. Hier. in illud Matth. Cùm esset desponsata; S. Bern. serm. 2. de laudibus B. Mariæ; & alij.* Ratio est. Ad veram rationem matrimonij sufficit mutuus consensus viuendi in societate vsque ad mortem; ut diximus *in sup. art*; sed non obstante voto castitatis perpetuæ potuit esse hic mutuus consensus; ergo voto hoc non obstante fuit verum matrimonium. 2. Negari non potest *inter Beatiss. Virginem, & S. Ioseph* fuisse vera sponsalia; appellatur enim *Beatiss. Virgo Matth. 1. desponsata Ioseph*; quod cum proprietate est accipiendum, ut *communiter* accipitur; ergo inter eos fuit verum matrimonium; vera enim sponsalia contrahuntur solùm per ordinem ad verum matrimonium. Nec dici potest ea fuisse mutuo consensu relaxata; habetur enim *in Scripturis S. Ioseph* semper habitum fuisse coniugem *Beatiss. Virginis*. Nec potuerunt sponsalia dissolui, nisi cessante fine, propter quem instituta fuerunt, finis enim fuit. 1. Vt per *Ioseph* genealogiam origo quoque *Mariæ* monstraretur; non enim mos erat *apud Hebræos* genealogias per fœminas texere; sed cùm eiusdem tribus deberent esse uxor, & vir per genealogiam viri genealogia quoque mulieris ostendebatur; vt testatur *Diuus Hieron.* 2. Ne *Beatiss. Virgo* infamaretur, aut lapidaretur, tanquam adultera; vt præceptum erat *Deut. 22*; sic loquitur *D. Ambr.* 3. Vt fugiens *in Ægyptum* ipsa haberet consortis solatium, & filius subsidium paternum. 4. Vt partus celaretur Diabolo; ut inquit *D. Ignat.* 5. Vt testimonio *S. Ioseph* natiuitas Christi ex Virgine abundantiùs comprobaretur; vt iterum ait *D. Ambr.* 6. Vt haberetur perfectior significatio coniunctionis Christi cum Ecclesia, de qua mox dicemus. 7. Vt haberet suæ virginitatis custodem, & Christi nutricium; ut inquit *S. P. Aug. lib. de S. virginit. c. 4. Vid. rationes allatas in sup. art.*

11 Prob. 2. pars concl. Triplex est matrimonij perfectio; scilicet substantiæ, significationis, & finis; sed ratione horum trium sacratissimum hoc matrimonium fuit excellentius; nam perfectio substantiæ sumitur à consensu mutuo in sancta societate, & charitate viuendi; societas autem, & charitas *inter Beatiss. Virginem, & S. Ioseph* fuit perfectior qualibet alia societate, & charitate inter coniuges, quia sanctitas eorum fuit maior; perfectio verò significationis sumitur per ordinem ad coniunctionem Christi cum Ecclesia; & per ordinem ad unionem hipostaticam Verbi Diuini cum natura humana; coniunctio autem Christi cum Ecclesia importat summam puritatem, quia Christus est fons puritatis, & Ecclesia est *sponsa non habens rugam, aut maculam*; solum autem matrimonium hoc est cum plenissima puritate, quæ superat puritatem omnium aliorū matrimoniorum; ideo perfectiùs significat coniunctionem Christi cum Ecclesia. Quanuis autem ratione copulæ non secutæ non signi-

significet naturalem unionem Christi cum natura humana; attamen perfectiori modo illam significat, quia per tale matrimonium fuit exhibita; tandem perfectio finis sumitur à generatione filiorum; & hac etiam ratione hoc matrimonium fuit perfectissimum, inquit *S. P. Aug.* quia incorruptis parentibus natus est Filius excellentissimus inter omnes creaturas; nam Christus Dominus fuit bonum excellentissimum huius coniugij; quamuis ex sola matre sit genitus; non enim hoc coniugium ordinatum fuit ad generationem carnalem, quæ fit ex mixtione seminum, sed ad generationem virtute Spiritus S. ex purissimo sanguine *Beatiss. Virginis* faciendam; ergo hoc matrimonium fuit quolibet alio matrimonio perfectius.

12 Obijc. 1. *B. Virgo Matth.* 1. dicitur *desponsata Ioseph*, non matrimonio ligata; *& Ioseph voluit occultè dimittere eam*; quod tamen ei non licuisset; si ei fuisset matrimonio coniuncta. 2. Si fuisset verum matrimonium, *B. Virgo* peccasset contra fidem maritalem, quia concepit aliunde, quàm ex marito. 3. *Ex DD. Chrisost. & Ambr.* tunc diuortium factum est, cùm Christus matrem *Ioanni* commendauit; diuortium autem fieri non potest, nisi ob fornicationem, quæ non fuit. 4. *S. Epiphan. hær.* 78. negat *Mariam* fuisse *nuptam*; *S. Greg. hom.* 16. *in euangel.* ait, quòd *Ioseph* licèt fuerit desponsatus, *non peruenit ad nuptias*. *S. Chris. hom.* 4. *in* 1. *Matth.* eam vocat *innuptam*. *S. P. Aug. serm.* 17. *de temp.* ait *concepisse, antequam sponsum haberet, & pepetisse, antequam nuberet*; *Rupert.* ait desponsatam fuisse, postquam visitauit *Elisabeth*; & post sextum mensem peperisse; quod colligi videtur ex eo, quod Angelus ei dixit: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu S. est*; *S. Hil.* non audet vocare *S. Ioseph* coniugem verè, & propriè; *Nissen.* matrimonium illud egressum non fuisse sponsalium rationem; *S. Bern. homil.* 2. *de Laud. Mariæ S. Ioseph* virum Mariæ propriè non dici. Quæ probant matrimonium illud non fuisse propriè dictum.

Resp. ad 1. *Luc.* 2. vocari etiam uxorem; dicitur enim ascendisse *in Ierusalem cum Maria desponsata sibi vxore prægnante*. Voluit autem dimittere quoad habitationem, quia indignum se iudicabat habitare cum illa, quam sine homine concepisse mirabatur. Ad 2. dicitur, quòd concipere ex alio per copulam est contra fidem, non autem concipere de Spiritu S. sine copula. Ad 3. nomine diuortij intelligi separationem ab ipso Christo; tunc enim mortuus erat *Ioseph*. *Ad alios SS. PP.* dicitur locutos fuisse de nuptijs, prout dicunt matrimonij consummationem, seu copulam coniugalem; & in hoc sensu non fuit nupta, nec vxor, nec *S. Ioseph* fuit coniux, aut maritus, vel vir, aut sponsus; nec tale matrimonium egressum est sponsalium rationem, quantùm ad copulam. *Ad Rupert.* dicitur deceptum fuisse; illud enim verbum *accipere* significat idem, ac non dimittere, sed retinere; nam priusquam Angelus hoc diceret, constat fuisse iam desponsatam in templo.

A R T. V.

An requiratur verus, & proprius vtriusque consensus externè significatus?

1 Matrimonia *antiquis temporibus* sine parentum consensu contracta irrita fuisse tum iure veteri Ecclesiastico, tum iure ciuili probat *Basil. lib.* 2. *c.* 1. *ex Euaristo* 30. *q.* 5. *c. aliter*; *& ex Conc. Colon. sub Paulo III. p.* 7. *c.* 43; *& ex Tertull. lib.* 2. *ad vxorem c.* 5; *& ex D. Basil. ep. ad Amphiloch. cap.* 38; *& ex D. Ambr.* relato 32. *q.* 2. *c. honorantur*; *& S. Leone ep.* 92. relato *ibid. c. non omnis*; *& ex Hormisda* 31. *q.* 2. *c. tua sanctitas*; *& de desponsat. impuber. c.* 1; *& ex Balsamone in comm. ep. Euaristi ad can.* 38; ex quibus deduci potest non rectè *Bellarm. lib.* 1. *de matrim. c.* 20; *et alios Scholasticos* interpretari *Euaristum*, quòd loquatur tantùm in foro externo, non interno; ait namque *ille canon matrimonia facta sine parentum consensu non esse coniugia, sed adulteria, vel fornicationes, stupra, et contubernia, etiamsi voluntas propria contrahentium accesserit*; quæ non nisi in foro interno talia esse possunt; Obseruat autem *idem Basil. Gratianum* mutasse *illum canonem*; vbi enim *antiquus* habet: *Etiamsi voluntas propria suffragauerit*; ut ex *vetusto codice Antonius Contius* legit; *Gratianus* ablata illa particula *etiamsi* posuit *nisi*; retinendam tamen esse antiquam lectionem constat *ex allatis testimonijs SS. PP.* Addit *S.* 2. *n.* 20. *Basil. textum ex ep. S. P. Aug.* falsò cit. asserentis: *Rogatus sum, vt confirmarem nuptias puellæ. Facerem, inquam; sed mater puellæ non adest; et tu scis ad nuptias contrahendas voluntatem eius necessariam*. Ex iure autem ciuili habetur filium sine patris consensu, aut eius, in cuius potestate est, non posse matrimonium contrahere *l.* 7. *ff. de sponsalib. l.* 2. *de ritu nuptiar; et l.* 2. *C. de nuptijs*. Quòd intelligitur tantùm de filijs, qui erant sub patria potestate; nam de emancipatis constat sine consensu parentum potuisse contrahere *l. filius emancipatus* 25. *ff. de ritu nuptiar.* Attamen *post Trid.* parentum consensus ad validitatem matrimonij non exigitur; habet enim *sess.* 24. *c.* 1. *de reform. S. Synodus anathemate damnat, qui ea vera, et rata esse negant, quique falso affirmant matrimonia à filijs familias sine parentum consensu contracta irrita esse; et parentes rata, vel irrita facere posse*. Quod etiam viguisse ante *Trid.* colligit *Basil. ex Nicol. I. ad consulta Bulgar.* 27. *q.* 2. *c. sufficiat; et de sponsalib. c. tuæ fraternitati; et de raptoribus c. cum causa; et ex Conc. Colon. c.* 43; *ac Magunt. in decretis fidei c.* 36; *et* 37. *contra Duaren.* oppositum sentientem. Quamuis autem matrimonium sine parentum consensu validè contrahi possit;

&con-

& contractum à parentibus dirimi non possit; attamen parochi, & Episcopi debent ex congruentia parentum consensum inquirere, ne oriantur lites, ad quas etiam arcendas præcipit *Trid. vbi s.* denunciationes esse faciendas; & ne videantur filijs contra parentes fauere, quibus debent obsequium præstare. Quòd prob. *ex Gen.* 24; ubi consensus parentum rogatur; ut mox dicemus.

2 Vnica concl. Ad verum matrimonium requiritur verus contrahentium consensus mutuus verbis, vel signis externis sensibiliter expressus; & perpetuò viuendi in societate usque ad mortem.

Prob. 1. pars *ex Gen.* 24; vbi exploratus est consensus *Rebeccæ*, vt matrimonio *Isaac* iungeretur: *Vocemus puellam, & quæramus eius voluntatem; & ex Alex. III. in appendic. Lat. Conc. p. 6. c. 26; & Innoc. de sponsa. lib. c. tua nos*; vbi statuunt pueros ante annos pubertatis per sola verba non contrahere, quia verus consensus censetur deesse. Ratio est; nam vt dicebamus *q. 1. art. 1. n.* 3; vera coniunctio corporum, & animorum requirit verum consensum; consensus enim fictus importat solum consensum externum in ore per verba, & dissensum internum in animo; dissensus autem internus disiungit animos, vt constat; sed ad matrimonium requiritur vera coniunctio corporum, & animorum; est enim vinculum perfecti amoris, qui habet animos vnire, vt colligitur *ex Gen.* 2; ergo ad matrimonium requiritur verus consensus, & non sufficit fictus. Hæc ratio probat de matrimonio, vt habet præcisè rationem contractus; quanuis enim alij contractus non requirant verum consensum, vt diximus *vbi s. & seqq.* hoc tamen speciale est contractui matrimoniali, quod est vinculum mutui amoris, qui nequit esse, nisi cum consensu. Propter quod Respublica, quanuis possit alios contractus merè externos rescindere; contractum tamen matrimonialem nequaquã; quia temporalis potestas ad actus internos nequit extendi. De matrimonio autem, vt est sacramentum, rectè prob. *à nostro Argent. dist.* 27. *q.* 1. *art.* 2. Vera intentio ad efficiendum, & recipiendum aliquod sacramentum exacta, est verus consensus; nam consensus vel est idem, ac intentio; vel intentio semper simul est cum consensu, qui non est, nisi approbatio, seu acceptatio illius, quod intenditur; vt diximus *to.* 3. *de Act. hum. q.* 4. *art.* 4; sed ad matrimonium, ut est sacramentum, requiritur vera intentio; vt diximus *de sacram. in com. q.* 5; *&* 6; ergo requiritur verus consensus.

3 Ex hoc collig. *cont. Vasq.*; *Sanch*; *Coninch*; *& Sot, & alios* non posse Deum matrimonio coniungere sine mutuo consensu salua manente matrimonij ratione. Nam vel illos coniungeret infundendo, & inspirando consensum, vt videtur *Soto* docere; & sic non est sine consensu. Vel illos coniungeret actu dissentientes, & repugnantes; & sic matrimonium non esset; quod essentialiter definitur *perfecta corporum, & animorum coniunctio, ac vinculum mutui amoris*; repugnat enim in terminis dissentientes animis coniungi; dissensus namque formaliter est disiunctio animorum; sicut consensus coniunctio. Nec valet paritas traditionis vasorum factæ *ab Ægyptijs Hebræis*; aut traditionis alicuius in seruum; hæc enim traditio non est essentialiter animorum coniunctio, & vinculum amoris, vt est matrimonium; ideo illa, non istud, potest fieri sine mutuo consensu. Nec obest. 1. consensum esse causam efficientem matrimonij; causa fautem efficiens potest à Deo suppleri. 2. Deum magis habere dominium nostrorum corporum, & animorum, quàm nos. Ad 1. enim dicitur consensum nedum esse causam efficientem, sed etiam actum formalem vitalem; ideo quanuis possit suppleri, vt est causa efficiens, non tamen, vt est actus formalis vitalis. Ad 2. dicitur ex illo tantùm sequi Deum posse facere nos consentire, & velle, non tamen posse facere nos consentientes, & volentes sine volitione & consensu, imò cum nolitione, & dissensu. Potest ergo à nobis tollere nolitionem, & dissensum; sicut nos possumus illam abijcere; & potest infundere in corda nostra volitionem, & consensum; sicut nos possumus elicere volitionem, & consensum; non tamen potest facere, vt velimus, & consentiamus sine volitione, & consensu; hoc enim manifestè repugnat.

4 Quòd autem hic verus consensus mutuus esse debeat, diximus *q.* 1. *art.* 1. *n.* 2; *&* 7; nam matrimonium essentialiter est contractus duorum, qui consensum vtriusque importat; item est vinculum amoris; solus autem amor mutuus, qui duplicis amoris est nexus, vinculum amoris constituit; nec esset coniunctio animorum, si vnus consentiret amando; alter verò dissentiret amori; & habetur expressè *in Flor. in decr. vnion*; vbi statuitur, quòd causa efficiens matrimonij sit mutuus consensus; *& de sponsa. lib. c. si inter*; *& alibi*.

5 Matrimonium fictè contractum non valere in foro animæ esse sententiam indubiam inquit *Basil*; vnde si quis posteà verè contraheret secundum matrimonium, secundum teneret, non primum; in foro tamen interno, non externo. Nec obstat decisio *Innoc. III. de sponsal. c. is, qui fidem*; vbi statuit sponsalia secuta copula in matrimonium transire, quod neque per subsequens matrimonium potest dissolui. Non obstat, inquam; nam ideo sponsalia in matrimonium transeunt; quia per copulam præsumitur consensum accedere; *& contra præsumptionem iuris non admittitur recta probatio*. At in consensu ficto non præsumitur verus consensus. Sed si post fictum consensum aliquando, vel in actu copulæ, vel extra copulam aliqualiter animus

verè consentiret, matrimonium valeret. Ceterùm fictè consentientem teneri verè consentire contra Sanchi & Martin. Ledesma docet *Basil. lib.2.c.5*; vbi refert *Petrum Soto lect.3. de matr. §. Primum*; *Maior.in 4.dist.27.q.1*; *Petr. Gregor. lib.9. Synt.c.5.n.6*; quia natura iustitiæ commutatiuæ exigit, vt verè reddatur æquiualens pro accepto; vnde sicuti peccaret grauiter peccato furti, qui à commutante acciperet rem magni valoris, & ei æquiualentem verè non redderet; ita dicendum in casu. Tum quia mentiri in materia graui, vt est contractus matrimonialis, est peccatum grauissimum. Tum quia magna panderetur via sceleratis hominibus matrimonia fictè contrahendi, & fœminas stuprandi, quod esset magnum malum illatum Ecclesiæ. Tum quia damnum illatum mulieri est inseparabile à dissolutione matrimonij; illa enim mulier dimissa non inueniret, cum quo matrimonium contraheret; ergo si ratione damni illati tenetur verum consensum elicere; cùm semper hoc damnum inferatur, semper tenetur verè consentire; quo euertitur *Sanch.* ratio. Nec etiam disparitas nobilitatis, aut diuitiarum sufficit; hæc enim sunt accidentia, quæ non ingrediuntur substantiam matrimonij, & illud nequeunt euertere. Excipitur tamen, si fictè contrahens dedisset signum deceptionis, vel doli, vel metum incussisset; tunc enim fœmina censeretur voluntariè se prostituisse. Neque verum est fictè contrahentem non esse verè obligatum; nam obligatio nascitur, nedum ex vero consensu; sed etiam ex vera receptione rei alienæ, quæ ex natura sua importat redditionem æquiualentis, vt iubet iustitia. Tandem falsum est; quod subdit *Sanch*; scilicet non teneri eum, qui fictè professus est religionem, eam verè profiteri; hoc enim improbāt *Suar.& Basil.*; imò & ille, qui ordines sacros suscepit sine intentione vouendi, sub mortali tenetur verè votū emittere; obligatur enim ratione fidelitatis, & iustitiæ. An autem teneatur verè consentire coram parocho, *inf.* dicemus.

6 Prob.2. p. concl. *cont. Vuicleff.* asserentem, quòd existente interno consensu, & Deo approbante validum est matrimonium etiam sine verbis, vel signis externis; & contra *Cuiac.* referentem necessitatem verborum, vel signorum ad Diuinam institutionem, qua matrimonium institutum est sacramentum. 1. Contractus non obligat, nisi innotescat contrahentibus; est enim actio facta inter duos expressiua mutuæ obligationis; ideo neuter manet obligatus, nisi illi constet alterum ei esse obligatum; vnde si quis intendat; & internè decernat emere aliquam rem; & alter intendat eam vendere, non habetur ratio contractus, etiamsi vterque simul sentiant internè eam vendere, & emere; ergo matrimonium in ratione contractus essentialiter constat ex mutuo consensu exteriùs expresso. 2. Matrimonium, vt est sacramentum, essentialiter exigit consensum mutuum exteriùs expressum; est enim signum sensibile, quod in externo consistit; internum namque insensibile est; nisi enim externè exprimatur, nullo modo sensu percipi potest; & ideo sensibile non est; ergo matrimonium etiam, vt contractus, essentialiter exigit mutuum consensum exteriùs expressum; nam matrimonium, vt sacramentum, non est, nisi matrimonium, vt contractus, à Christo Domino eleuatum ad esse sacramenti, scilicet ad conferendam gratiam ex opere operato. 3. Nemo licitè uti potest aliqua re, quam certò scit esse sub alterius dominio, & nullo modo scit translatam fuisse sub proprium dominium; in hoc enim consistit furtum, quod non licet, ut constat; sed posito mutuo consensu interno quilibet consentiens certò scit corpus alterius esse sub illius dominio; & nullo modo scit translatum fuisse sub proprium dominium; quamuis enim alter illud transferre internè consenserit; ille tamen consensus translatio actualis non est, sed tantùm intentio, seu determinatio translationis; sicut ex eo, quòd quis consentiat internè, seu in corde sentiat donare prædium alicui; attamen consensus ille non est actualis donatio, sed tantùm propositum donandi; ut consensus comedendi, generandi, studendi &c. non est actualis comestio, generatio, studium &c; ita consensus internus transferendi proprium corpus sub alterius dominium nō est ipsa actualis translatio; atque adeò alter pariter internè consentiens illicitè eo utitur, tanquam fur, & latro rei alienæ; ergo posito interno consensu nemo potest licitè uti corpore alterius consentientis; & ideo non habetur ratio formalis matrimonij, quæ importat usum licitū corporis alterius. Habetur expressè *de sponsalib. c. si inter*; ubi dicitur: *Si inter virum, & mulierem legitimus consensus interueniat de præsenti ita, quòd vnus alterum mutuo consensu verbis consuetis expresso recipiat, vtroq; dicente: Ego te in meā accipio; & ego te in meū accipio; vel alia verba consensū exprimentia de præsenti, siue sit iuramentum interpositum, siue non, non licet alteri ad alia vota transire.* Quod habetur etiam *c. sicut*; *& sæpissime alibi*: Ex quibus redarguitur *Cuiac.* putans *Innoc. III. de sponsalib. c. tua fraternitati* sensisse matrimonium iure naturali per solum consensum internum constitui; quòd colligi uidetur ex ratione, quam Pontifex adducit; *si queritur* enim, *quòd si vir, et mulier eundo per viam desiderarent inuicem, et placerent, vt essent coniuges; quòd inter eos esset matrimonium, quo nihil est periculosius*; ideo statuit uerba necessaria esse *quantùm ad Ecclesiam*; ex quo uidetur uerba consensum exprimentia necessaria esse tantùm de iure Ecclesiastico. Cui fauere uidentur *textus* solo consensu matrimonium contrahi; *vt c. cùm locum ibid. c. tua; et 27. q.2.c. sufficiat; et de sponsa duorum c. fin.* Redarguitur, inquam; nam illa ratio non reperitur *in*

textu

textu, quo utimur; & si admittatur, nihil obtinet; loquitur enim de uerbis, prout comparantur ad nutus; & quia uerba magis exprimunt, quàm nutus; ideo ait Ecclesiam magis requirere uerba, quàm nutus. Non ergo ait omnem expressionem externam fuisse statutam ab Ecclesia; adeoque non asserit solum consensum internum sufficere. Imò *ex eod.* oppositum colligitur *ibid. c. sicut*; ubi ait; quòd si *L. P. desponsauerit per verba de præsenti &c; matrimonium secundo loco contractum legitimum iudices*; irritato primo celebrato per uerba de futuro; ex quibus cōstat *Innoc.* sensisse uerba necessaria esse simpliciter, uel saltem signa; aliter muti non possent contrahere; nec statuit *eod. c. tua fraternitati. Ad alios canones* dicitur non esse necesse semper repetere uerba necessaria esse; sed cùm sufficiat hoc semel, & pluries in alijs expressum fuisse; unde cùm dicitur *solum consensum sufficere*, intelligendum est conformiter *ad alios canones* de consensu uerbis, uel signis expresso; aliter contradictio manifesta haberetur; quod non est dicendum.

7 Ex his patet solutio illius quæstionis, quam de possibili *aliqui* inutiliter mouent; an saltem Diuinitus potuerit matrimonium institui per solum consensum internum Deo internè reuelante alterius vtrius voluntatem; de hoc enim dicendum est iuxta ea, quæ tradidimus *de sacram. in com. q. 2. art. 1. §. 2*; vbi de sacramento merè spirituali locuti sumus. Insuper soluitur difficultas, in qua quæritur; an obligatio oriatur à consensu interno, vel ab externa expressione? Quamuis enim *Maior dist. 28. q. 1. ad 3.* respondeat expressionem externam esse tantùm conditionem, non causam formalem inductiuam obligationis; & ideo si consensus internus miraculosè innotesceret, posset cogi ad contrahendum, nihilominùs *cum nostris Basil. hic, & Aragon. 2. 2. q. 88. art. 4*; vbi referunt *D. Tho. ead. q. art. 1*; contrarium est dicendum; nam vt dicebamus, obligatio non oritur, nisi ex actuali translatione dominij, quæ per verba de præsenti indicatur; non autem per propositum translationis, quod importat translationem de futuro. Ideo falsum est expressionem externam esse tantùm conditionem sine qua non; nam expressio externa determinat consensum internum, vt fit verus contractus, qui priùs non erat; ideo est ratio formalis, de cuius ratione est determinare, vt aiunt *Philosophi*. Qua doctrina reijciuntur etiam *Palacios, vera Crux, & Mol. apud Basil.* asserentes in contractibus non respectiuis, vt est promissio, per merum actum internum iure naturali obligationem induci ita, vt ille, cui facta est promissio mentalis, si ei reuelaretur internè ea promissio, posset occulta compensatione sibi satisfacere; quia sola promittentis voluntas ponit legem, non verò voluntas recipientis; & ideo sola sufficit ad obligationem inducendam. Reijciuntur, inquam; nam promissio merè interna est tantùm propositum promittendi, non promissio; & lex, quandiu est in mente, & voluntate Legislatoris, non obligat, nisi ab ipso promulgetur externè, vt est per se notum. Ex quibus colligitur expressionem non esse tantùm necessariam de iure positiuo, sed etiam de iure naturali.

8 Prob. 3. pars concl. *cum Basil. lib. 2. c. 7*; apud quem *Argent; Gabr; Dur; Palud; Rubion, Scot; Maior; Sot; Vasq; Sanch; Coninch; quos sequitur Mastr. hic disp. 7. q. 3. art. 2. n. 92; & alij communissimè contra Ricard. dist. 27. art. 1. q. 7; & Præposit. in c. tuæ fraternitati* asserentes in his, qui loqui valent, essentialiter verba requiri; quia ab Ecclesia sunt determinata, vt sint forma contractus. *Io. Andreas* autem *in dictum c.* vult tantùm esse necessaria in casibus à iure expressis; & *contra Caiet; Almain; Vigner; & alios* asserentes, quòd licèt verba non sint necessaria ad constituendum matrimonium, vt est contractus; sunt tamen necessaria, vt est sacramentum; putant enim matrimonium inter absentes esse contractum, non sacramentum. Prob. igitur. Quamuis Ecclesia potuerit determinare verba esse necessaria ad rationem contractus, quia in ipsa est potestas legitimandi, & irritandi contractus, vt *pluries* diximus; & per consequens ad rationem sacramenti; quia eadem est forma, & materia contractus, & sacramenti; Christus Dominus enim eleuauit contractum secundùm suam substantiam ad esse sacramenti, & ideo secundùm materiam, & formam; attamen Ecclesia hoc non determinauit, nec aliunde hoc requiritur ex ipsa ratione contractus; ergo neque in potentibus loqui, neque in alijs verba necessariò exiguntur, sed sufficiunt alia signa verbis æquiualentia. Prob. ant. *Flor. in decr. vnion.* asserit verba necessaria esse tantùm *regulariter* ad matrimonium, vt est sacramentum; quod aduerbium indicat posse etiam fieri sine verbis per alia signa verbis æquiualentia; quæ verba virtualia dicuntur; cùm enim *verba sint signa earum, quæ sunt in animo, passionum*, vt ait *Phi*; ideo signa consensus interni sunt verba saltem virtualiter, quia idem significant. In ratione autem contractus constat *ex l. fin. ff. de sponsalib*; vbi dicitur contractum posse fieri per nutus, & signa, per epistolam, nuncium &c; vt diximus *art. 2. §. 2. à n. 27*; ergo matrimonium, vt contractus, & vt sacramentum, potest celebrari vel verbis, vel alijs signis idem significantibus. 2. *De sponsalib. c. veniens 2; & c. is, qui fidem; & c. fin.* statuitur sponsalia secuta copula in matrimonium transire; quia copula est signum externum interioris consensus; sed hoc non est intelligendum tantùm de non potentibus loqui; Pontifex enim vniuersaliter loquitur de omnibus. Idem docet Pōtifex *de desponsat. impub. in 6. c. vnico*; vbi ait sponsalia ante pubertatem contracta in matri-

trimonium transire per copulam, vel per alium modum, quo significatur illum in priori voluntate persistere; & matrimonium valere etiam tacente puella, & respondente patre pro ipsa, matre, procuratore, vel alio curam ipsius habente; ergo ex iure Ecclesiastico matrimonium non debet essentialiter celebrari per verba, sed etiam per alia signa de præsenti indicantia consensum. Sicut enim ideo requiruntur verba de præsenti; quia verba de futuro promittunt tantùm futurum consensum; non tamen illum indicant præsentem; ita dicendum de signis. Nec dici potest *cum Io. Andrea* hos tantùm esse casus à iure expressos; nam contra est; quia *Canones* adducti vniuersaliter loquuntur; ergo ad casus particulares non sunt restringendi. 3. Nulla potest assignari Ecclesiæ definitio, qua statuatur in aliquo casu verba esse de necessitate sacramenti; non est autem credibile, quòd Ecclesia in re tanti momenti præsertim *in Flor; aut Trid.* omisisset, si verba necessaria esse iudicasset; sicuti necessariam esse præsentiam parochi, & testium *in Trid.* declarauit.

9 Dices. *Flor.* decreuit necessaria esse *regulariter* verba; ergo saltem in hoc casu sunt de essentia. Sed contra est; nam illud aduerbium *regulariter* esse sumendum disiunctiuè tantùm, non limitatiuè constat ex dictis; idèst necessaria esse verba, quibus ordinariè celebratur; sed tamen quoties alia signa dantur, toties matrimonium valere.

10 Verba autem de præsenti sunt: *Accipio te in vxorem*; vt habetur *de sponsal.c.penult;habeo te in vxorem, teneo, duco &c. Vel trado me tibi in Coniugem; do, consigno nec tibi &c.* Vel quando verbum est futurum, & limitatur ab aliqua particula ad præsens; *vt ex nunc te habebo in vxorem; ab hoc tempore prouidebo tibi, vt vxori; seruabo tibi fidem iam datam; vel placet, consentio, contentus sum te habere vxorem; vel volo, decerno, eligo te vxorem &c.* Quando verò verba ambigua sunt, tunc attendenda est intentio loquentis, & modus loquendi illius regionis; & cùm his attentis adhuc dubia sunt; in fauorem matrimonij accipienda sunt; vt habet *Io. Andreas in c.ex parte de sponsal.*

11 Dubium est; an hæc verba valeant: *Habebo te in vxorem; prouidebo tibi, vt vxori*; absque eo, quòd addatur particula *ex nunc*. Resp. *Sanch; Palud; & Couar.* negatiuè; exprimunt enim consensum de futuro. At *Basil;* qui refert pro se *Innoc. III. de sponsal. c. ex pacto; Card.ibid; Abbat; Turrecremat; Petr. Greg; & alios*, resp. affirmatiuè. 1. Quia 30.q.5. *c.si quis Diuinis* expressè dicitur valere matrimonium illius, qui dixit se habiturum in vxorem; nec obstat, quòd *ex Nouell.Constit.74.c.5.* hic canon fuerit *à Gratiano* desumptus; decretum enim fuit à Pontifice benedictum, & confirmatum; nec *omnes Canones* qui sunt in decretalibus, sunt facti à Pontificibus, sed desumpti *ex SS.PP; & DD;* & tamen vim habent in iure Ecclesiastico. 2. Quia verbum *habebo* propriè significat obligationem contractus, si non destinetur dies contractus. *l.in omnibus ff. de reg. iuris*. Imò significat continuationem, non initium contractus; aliud est enim habere, aliud contrahere; nam de illo, qui iam matrimonium contraxit, verificatur, quòd habebit vxorem etiam pro tempore futuro; cum quo tamen stat, quòd illam etiam habeat de præsenti; non tamen verificatur, quòd contrahet matrimonium, quod iam contraxit. Idem docet *Basil. cont.Sanch.* de illis: *Volo te habere, tenere, accipere, ducere vxorem, contrahere &c.* quanuis enim consensus purè internus non sufficiat, cùm sit potiùs propositum actionis externæ, quàm actio; attamen coniunctus cum verbo externè significante actionem externam significat ipsam actionem externam. Ratio est; nam licèt quando executio externa est aliqua actio corporalis ex sua specie diuersa ab actione interna; tunc non est idem dicere, *volo*; ergo *facio*; vt *volo comedere*; ergo *comedo*; comestio enim est actio genere diuersa à volitione; attamen quando actio externa idem est, ac interna externè manifestata, vt in casu; idem enim est *consentio te habere vxorem* prolatum in mente, & in ore; tunc idem est dicere *volo consentire*, ac *consentio*; *volo te habere*, ac *te habeo vxorem*.

12 Dubitatur 2. de particula exclusiua: *Nolo vxorem, nisi te; vel non duco vxorem, præter te*? Resp. *Basil.* per hæc verba matrimonium contrahi *cont.Couar; & Sanch.* existimantes illam particulam exclusiuam facere tantùm sensum conditionalem, & nihil affirmare; idèst *si ducam vxorem, nullam aliam ducam, præter te*; non tamen significare *duco te*; sicut asserens *non ingrediar religionem, nisi Augustinianam*; non tenetur religionem ingredi. Docet ergo *Basil;* quòd particula exclusiua *nisi* in propositione de præsenti significat negationem illorum, quæ excludit; & affirmationem illius, quod excipit; vt cùm dicitur: *Non video, nisi te*; sensus est. *Video te, & nullum alium*; aliter si non viderem te; falsa esset exceptio; vera enim absolutè esset: *Neminem video, nec te, nec alios*. At in propositione de futuro particula exclusiua *nisi* solùm negat, & nihil de præsenti affirmat; *vt non videbo, nisi te*; non enim facit sensum: quod die crastino nullum videbo, & actu die crastino te video; visus enim est solùm de obiecto *hic, & nunc*; ergo istæ propositiones: *Nullam volo, nullam duco, præter, vel nisi te*; matrimonium efficiunt; istæ verò: *Nullam ducam, nisi te*; & similes nec matrimonium, nec sponsalia conficiunt.

13 De signis autem, quæ stant loco verborum, hæc est regula generalis. Quotiescumque aliqua actio vel iuxta communem modum intelligendi, vel iuxta consuetudinem loci significat

ficit consensum, & amorem, efficit matrimonium, si ex parte alterius præcessit consensus de præsenti; vel sponsalia, si de futuro. Quoniam autem hæc signa conueniunt puberibus, & impuberibus, & diuersum causant effectum; ideo cum distinctione est loquendum. Signa autem puberum hæc assignantur. 1. Donatio anuli, seu subarrhatio iuxta tamen consuetudinem loci; vt si postquam vir dixit: *Accipio te in meam*; fœmina erubescens voce respondere; donat anulum viro, vel è contra; intelligitur matrimonium contractum. 2. Porrectio manus sponte facta; tunc enim tacitè consentire non est dubium; cùm illo actu respondeat verbis viri coram parocho, & testibus. Imò etiansi vir apprehendat manum, & hæc manum non retrahat, nec tamen stringat, matrimonium contrahi inquit *Basil. cont. Sanch.* iuxta commune proloquium *ex D. Ambr.* relatum *à Fund. Doct. Æg. in 2. d. st. 25. p. 2. q. 2. art. 2; & dubit. 2: lit. Qui tacet, consentit*. 3. Solet afferri etiam traductio sponsæ in domum sponsi. *Ita Io. Andr. & aly*, quos refert *Couar. p. 1. de sponsal. c. 4. §. 2.* Sed communis sententia, inquit *Basil.* hoc negat; quia etiansi præcedant sponsalia; attamen in matrimonium non transeunt, nisi per copulam. Sed hæc signa, quæ *ante Trid.* matrimonium efficiebant; nunc non efficiunt, nisi coram parocho, & testibus. Vnde si quis coram parocho, & testibus audiret fœminam dicentem: *Accipio te in meum*; ipse verò eam duceret in propriam domum, signum daret consensus; aliter si non intenderet matrimonium celebrare; eam secum ad cohabitandum non duceret; & in hoc sensu vera esse potest sententia *Io. Andreæ*. In illis autem locis, in quibus non fuit acceptatum *Concilium*; si fœmina post contracta sponsalia consentiat de præsenti, & vir eam ducat in propriam domum, & cum illa cohabitet, consentire censetur. 4. Sponsalia contracta secuta copula transeunt in matrimonium in illis quidem locis, in quibus *Trid.* non viget. Quod multis modis esse potest. 1. Si nullo existente matrimonio à principio propter aliquod impedimentum obtenta dispensatione perseuerant in copula scienter. 2. Si præcesserunt sponsalia. *De sponsal. c. veniens; c. is, qui fidem; & c. fin.* Si tamen protestetur accedens ad copulam se non accedere animo coniugali, sed adulterandi, quia hoc est contra substantiam matrimonij, non valere inquit *Basil.* 3. Si præcesserit tractatus matrimonij. Si tamen post contracta sponsalia cum vna contrahat cum secunda renuente prima, & copuletur cum secunda; secunda sponsalia transeunt in matrimoniũ; quia per secunda sponsalia cẽsetur recedere à primis. Si autem cum vtraque copuletur, prima sponsalia transeunt in matrimonium; quia secũda censentur inualida. Si tandem post secunda sponsalia copuletur primæ, censetur prima ratificare; ideo fauendum est matrimonio. Nisus tamen in copulam non inducere matrimonium præsumptum habetur *de sponsal. c. fin.* Quod multò magis dicendum de osculis, amplexibus &c. Verum tamen est, quòd si ex parte vnius esset consensus de præsenti, & præcessisset matrimonij tractatus; tunc conatus in copulam, oscula, amplexus &c. ex parte alterius matrimonium inducerent, essent enim signum sufficiens consensus. Quæ maximè verificantur de surdis, & mutis; & de puberibus solùm, non de impuberibus; vt colligitur *ex c. fin. ibid*; & in illis partibus, in quibus non viget *Conc*; si accipiantur hæc signa, prout facta sine præsentia parochi, & testium; si autem in præsentia parochi, & testium, valent etiam, vbi viget *Conc.* Sponsalia impuberum contracta post septennium, vel ante, si malitia suppleat ætatem, secuta copula post pubertatem transeunt in matrimonium, quia præsumitur tunc consensus accedere.

14 Matrimonia contracta à parentibus præsentibus, & tacentibus filijs, vel ab eis, qui curam eorum gerunt, vel procuratoris locum tenentibus valere communior sententia est, quia *qui tacet, consentit*. Nam si matrimonia contracta per alios in absentia sunt valida; multò magis valida erunt contracta in præsentia; quæ fortiùs censetur in l quentem, dum non dissentit, influere; agens enim propinquiùs agit fortiùs, quàm remotiùs.

15 Quoad moram, quæ intercedere debet inter vnius, & alterius consensum, *Sot.* voluit esse septennium, *Henriq.* biennium; *Ledesma* vnum annum; *aly* maiorem, *aly* minorem. Sed sine vlla prorsus firma ratione. Dicendum igitur est tantam moram posse intercedere; quantam ille, qui stipulatur, iudicat esse necessariam ad obtinendum responsum, & cum responsione consensum; habita enim responsione, & cum responsione dissensu stipulans consensum, quem priùs elicuerat, abijcit; sicuti habito cum responsione consensu matrimonium perficitur. Hoc est, quòd communiter dicitur; scilicet non esse verisimile, quòd qui consentit alteri matrimonio coniungi, velit perpetuò manere suspensus circa matrimonij executionem; & ideo vult aliquando consensum abijcere; quo reijcitur illorum sententia, qui asserunt nullam temporis concomitantiam requiri; vt *Maior, & Nauar. in Sum. c. 22. n. 80*; sicut verisimile non est, quòd nolit expectare, & conseruare consensum, quousque responsum de consensu alterius recipiat; quo reijciuntur *aly* asserentes consensum vtriusque actualem debere esse simul tempore; sufficit enim; quòd naturaliter duret vel virtualiter, vel habitualiter. Tum quia in memoria semper seruatur, quousque per dissensum tollatur; vt constat. Nec obstat *l. continuus ff. de verbor. obligat*; vbi dicitur, quòd *continuus actus stipulantis, & promittentis esse debet*; quo videtur de-

decerni contractum exigere simultaneum consensum; nec obstat *Trid.* statuens vtrumq; debere consentire coram parocho; non officit, inquam; nam *in dicta l.* agitur solùm de stipulatione, quæ requirit præsentiam, vt diximus; non autem de quolibet contractu, quem constat non exigere actu simul vtrinsque consensum, sed vnum post alium; vt constat *ex l. 1. §. 1. ff. de verbor. obligat; & l. 1. §. sed verior de contrahenda emptione*; *Trid.* autem solùm exigit consensum exprimi coram parocho, non autem simul elici, sed vel iam elicitum notificari; vt euidenter constat de matrimonio inter absentes contracto; vel actu elici, si anteà non fuit elicitus.

16 Dubium quoque illud, quomodò sit renouandus contractus matrimonij, quando ex defectu legitimi, & veri consensus est nullum, facilè soluitur. Nam vel consensus fuit fictus ex parte vtriusque; & tunc vterque debet verum consensum elicere, qui ad matrimonium requiritur. Vel fuit fictus ex parte vnius tantùm; & tunc ille, qui fictè consensit, tenetur verum consensum elicere. An autem etiam is, qui verè consensit, teneatur nouum consensum elicere; negant *Sanch; Henriquez, Coninch. Nauarr. Bonac; Diana, & Auersa*; affirmant *Basil; Felin; Hurt; Caspen; & alij* innixi cuidam responso *Clem. VIII*; de quo *inf. art. 7. n. 21; & 22.*

17 Tandem quòd consensus debeat esse perpetuò viuendi in societate vsque ad mortem, prob. In hoc distinguitur consensus matrimonialis à consensu fornicatorio, adulterino, & concubinario; quòd ille essentialiter debet esse viuendi perpetuò in societate vsque ad mortem: importat enim fidem, quæ nunquam potest infringi; iste verò est tantùm ad tempus, quo satietur libido; vt docet *S. P. Aug. de bono coniug. c. 5*; ergo consensus matrimonialis debet esse perpetuò viuendi in societate vsque ad mortem; distinctiuum enim essentiale idem est, ac specificatiuum, sine quo essentia rei nequit habere.

18 Ex hoc colligitur matrimonia *Luthero-Caluinistarum* consentientium tantùm vsque ad primam rixam, vel vsque ad molestam cohabitationem, aut ad affectatam alterius coniugis absentiam, quibus adhæret *Erasmus*, vt refert *Estius dist. 35. §. 10*; contra quos editus est *can. 5. sess. 24. Trid*; esse potiùs fornicationes, aut adulteria, quàm veros consensus matrimoniales ob defectum consensus necessariò exacti; quapropter eorum *Consistoriales*, seu *Prædicantes* ob rixas, & alia motiua super adducta soluunt matrimonia; & licentiam vtrique concedunt nubendi alteri; atque adeò contrahentes iuxta eorum doctrinam consentiunt ad tempus; & per consequens fornicatoriè, non matrimonialiter.

19 Dices 1. Paganus intendens facere, quòd facit Ecclesia, licèt credat baptismum esse figmentum, verè baptizat; ergo à pari. 2. Contrahens infra dimidium verum contractum efficit iure naturæ, quia talis error est contra qualitatem, non contra substantiam contractus; ergo licèt contrahens matrimonium credat illud esse solubile; attamen verum matrimonium contrahit. 3. Est contra communem Ecclesiæ praxim, quæ non est sollicita, vt *Luthero-Caluinistæ* venientes ad fidem contrahant de nouo coram parocho: ergo idem. 4. Sufficit, quòd contrahentes habeant intentionem contrahendi verum matrimonium. 5. Matrimonium ratum, non consummatum, est solubile per ingressum in Religionem, & tamen est verum matrimonium; ergo quamuis contrahens credat matrimonium esse solubile, attamen contrahit matrimonium.

Resp. ad 1. quòd paganus verè baptizat, quia adest vera materia, forma, & intentio, fides autem ministri non requiritur essentialiter. At contrahens matrimonium ad tempus non habet consensum perpetuò viuendi in societate, in quo consistit essentia matrimonij. Ad 2. eodem modo neg. conf; nam alij contractus non exigunt consensum perpetuum, atque adeò integrum, sicut exigit matrimonium, aliter non distingueretur à concubinatu. Vel dicitur, quòd si quis in contractu essentialiter perpetuo contraheret ad tempus, talis contractus non esset validus; ita à pari. Ad 3. neg. ant; Ecclesia enim est sollicita, vt hæretici venientes ad fidem instruantur in omnibus sacramentis, & consentiant doctrinæ sacramentorum, & ideo etiam, vt consentiant matrimonio perpetuò, & matrimonium ratificent. Ad 4. neg. assumptum; sicut enim intendens verè baptizare, & non vtens aqua naturali verè non baptizat, quia veram baptismi materiam non adhibet, ita intendens contrahere verum matrimonium, & non ponens consensum perpetuò viuendi in societate, in quo consistit essentia matrimonij, verum matrimonium non contrahit. Ad 5. neg. conf; nam contrahens matrimonium cum intentione illud soluendi per ingressum in Religionem verum contrahit matrimonium, quia consentit solubilitet ex dispensatione Diuina, & sic est verè solubile, & ideo ponit consensum necessariò requisitum, quia sufficit talem consensum esse insolubilem de potentia ordinaria naturali, at consentiens solubiliter de potentia ordinaria naturali non ponit consensum matrimonialem, sed fornicatium, vt dictum est; & ideo non contrahit verum matrimonium. Idem dicitur de *Hebræis*, qui contrahebant verum matrimonium, etiamsi scirent esse solubile per libellum repudij; talis enim solubilitas erat ex permissione Diuina tolerata in matrimonio; nunc autem quia Christus Dominus reduxit matrimonium ad institutionem primæuam *Matth. 16. Quod Deus coniunxit, homo*

homo non separet; ideo solubiliter consentiens matrimonium non contrahit.

20 Matrimonia ergo *Gentilium*, *Hebræorum*, & *Hæreticorum* ritè celebrata per consensum mutuum viuendi in societate vsque ad mortem sunt veri contractus matrimoniales; at sine huiusmodi consensu sunt fornicationes, aut adulteria.

21 Verùm si quis intenderet contrahere, sicut contrahit Ecclesia catholica, & sicut contrahi debet matrimonium; quamuis crederet matrimonium esse solubile, matrimonium validum esset; quia hic error esset tantùm materialiter, & ex consequenti; ideo matrimonium non inficeret; non enim ita illud contraheret, vt intenderet illud soluere prima exorta discordia, rixa &c. *Vid. inf. q. 3. art. 8. n. 14.*

ART. VI.

An, & qui consensus conditionatus ad validitatem matrimonij sufficiat?

1 DE consensu absoluto diximus *in sup. art*; sequitur discurrendum de conditionato; conditio autem, prout *hic* sumitur, est *adiectio alicuius actionis extrinsecæ, ex cuius existentia incipit obligare consensus*; explicatur autem per illas particulas *si*, vel *dummodò*. Conditio diuidi solet in necessariam, & intrinsecam; quæ inest contractui vel ex natura rei; ut *contraho tecum, si fœmina es; si potero; si Deus voluerit; si non moriar*; vel ex potestate legis; *vt contraho tecum, si soror mea non es*; & hæc non reddit contractum conditionatum; quia etiansi non poneretur, adhuc subintelligeretur; pertinet enim ad substantiam consensus cuiuslibet; conditio autem debet esse aliquid extrinsecum rei, à quo eius existentia dependeat; aliter nullus consensus esset absolutus; cùm omnis ab his conditionibus dependeat. Alia est extrinseca, & non necessariò, sed contingenter coniuncta, sine qua consensus potest haberi; ut *contraho tecum, si pater tuus consentiat*; absque enim patris consensu contractus matrimonialis potest validè fieri, vt diximus, & hæc alia est de præsenti, vel de præterito; ut *contraho tecum, si sana es, vel si corrupta non fuisti*; alia de futuro; *ut si pater meus consentiet*. De futuro alia est de impossibili, quæ irrisoria censetur; *vt si Solem ad terram deducas*; alia est de possibili; *si dotem sufficientem mihi dederis*. De possibili alia est, quæ pendet à sola voluntate illius, cui imponitur; ut *contraho tecum, si consentias ad aliam ciuitatem te transferri*; alia, quæ non pendet ab illius voluntate; ut *si hæreditatem ab alio recipiam*; & hæc tandem alia est honesta, & licita; vt *si eleemosinã facies*; alia turpis, & inhonesta; ut *si prolem impedies*. Tandem turpis alia est contra substantiam matrimonij; ut *si alijs te prostitues*; alia, quæ non est contra matrimonij substantiam; ut *si furtum commiseris*. De omnibus his est discurrendum.

2 Conditio honesta de præsenti, vel de præterito apposita consensui non suspendit matrimonium, sed statim efficit, si existat conditio; vel non efficit, si non existat; ut *contraho tecum, si pater tuus consensit, vel consentit. Ita communiter omnes DD.* Ratio est; nam res, cuius existentia dependet à conditione, non ponitur sub esse actuali, nisi posita conditione; sicut enim quoties essentia vnius rei pendet ab alterius essentia; tunc nisi ista ponatur, illa non ponitur; ut constat de essentia vnius accidentis connexa cum alio accidente; ut sunt intellectus, & voluntas; ita quoties existentia vnius rei pendet ab alterius existentia; tunc non ponitur illa, nisi ista ponatur; aliter non esset connexa, & per consequens non penderet in esse; sed consensus sub conditione pendet ab existentia conditionis; ergo ponitur, cùm existit conditio; & non ponitur, cùm non existit conditio. At conditio de præsenti vel existit, vel nõ existit actualiter; & de præterito vel extitit, uel non extitit; ergo conditio de præsenti, & de præterito non suspendit consensum, quo matrimonium efficitur, sed vel actu efficit, si existat; vel non efficit, si non existat. Nec suspenditur, quousque notitia conditionis habeatur; ut putat *Coninch*; non enim notitia conditionem ingreditur; sed existentia conditionis absolutè, & præcisè ponitur; ingrederetur autem, si exprimeretur; ut *contraho tecum, si pater tuus consensit, vel consentit; & hoc ad meam notitiã deuenerit; vel contraho tecum, si ad meam notitiam peruenerit patrem tuum consentire, vel consensisse*; tunc non esset conditio merè de præsenti, vel de præterito; sed esset duplex conditio; vna de preseñti, vel de preterito; altera de futuro; & licèt matrimoniũ non suspenderetur ex conditione de præsenti, uel de præterito; suspenderetur tamen à conditione de futuro. Hoc constat etiam ex paritate aliorum sacramentorum; vt cùm dicitur; *ego te baptizo, si non es baptizatus*; non suspenditur baptismus, quousque habeatur notitia conditionis appositæ; sed eo ipso valet baptismus, si existit conditio; & non ualet, si conditio non existit.

3 Conditio de futuro necessariò euentura, ut *contraho tecum, si Sol orietur*; seriò prolata non suspendit matrimonium; dummodo contrahentes non intendant consensum suspendere vsque ad ortum Solis; si verò proferatur iocosè, matrimonium inualidat. Ratio primi est; quia illa conditio verè non est conditio, sed potiùs certificatio consensus; reddere enim hunc sensum videtur; *Ita certum est, quòd ego contraho tecum; sicut certum est, quòd Sol orietur*; natura enim conditionis est facere, quòd res ponatur ad sui positionem; & quòd ad sui non positionem non ponatur; ideo contingentiam necessariò im-

importat; & per consequens conditio de re necessaria non est propriè conditio. Ratio secundi est; quia verba iocosè prolata indicant non esse uerum consensum in mente, imò non esse; aliter essent seriò, non iocosè prolata. Si tamen contrahentes nescirent illam conditionem esse necessariò euenturam, sed contingentem reputarent; consensum suspenderent, ut dicemus de conditione contingente, quia tunc in esse apprehenso, licèt non in esse reali, esset contingens,

4 Conditio impossibilis de futuro, quæ adiungitur, tanquam causa consensus, irritat consensum, & matrimonium; quia quasi per iocum assumitur, tanquam signum dissensus; & consentiens sub tali couditione verè non consentit. *l. non solùm ff. de action; & obligat;* & contractus talitet facti sunt nulli *l. impossibilis 7. ff. de verbor. obligat.* Ratio est; quia ablata causa aufertur effectus; impossibile enim est haberi effectum sine causa. Conditio uerò, quæ adiungitur consensui, ut effectus, seu ut quid consequens, & adiectum consensui, reputatur pro non adiecta, & apposita; adeòque consensum non suspendit, nec tollit, nec matrimonium infringit. Habetur *ex Greg. IX. de condit appos. c. fin.* statuente: *Aliæ conditiones appositæ in matrimonio, si turpes, & impossibiles fuerint, propter fauorem eius debent pro non adiectis haberi.* Ratio est; quia prius non pendet in esse à posteriori; nec tollitur per illud, sed è contra: Ex hoc habetur facilis & uera expositio *dicti textus Greg;* quem *Sanch; & alij communiùs* asserunt intelligendum esse tantùm in foro externo, nõ interno. Quæ explicatio reijcitur; quia *in illo textu* agitur de ualiditate in foro externo, & interno; dicitur enim cõditiones cõtrarias substantiæ matrimonij irritũ matrimonium reddere; quod uerum est nedũ in foro externo, sed etiam interno. *Palud; & Mastr.* aiunt nihil aliud uoluisse Pontificem, quàm illum, qui conditionem impossibilem apposuit, teneri ad eliciendum uerum consensum, quo matrimonium ualidatur. Sed hæc etiam reijcitur; nam eo ipso, quòd tales conditiones intelligantur pro non appositis, intelligitur consensus absolutus; & ideo non est necessarius nouus consensus. Ait ergo *Basil. c. 4. n. 9. ex Rebell.* aliquas conditiones apponi consensui per modum pacti, & modi; non per modum conditionis suspendentis consensum; & has inquit Pontifex esse pro non adiectis habendas. Quia contrahentes intendunt absolutè inire contractum, cui tamen adijciunt certa pacta, & obligationes, quæ supponunt consensum iam præstitum; adijcere autem, & apponere est ad aliud iacere, & ponere; & ideo est illud supponere, vt constat. Ergo Pontifex loquens de conditionibus appositis loquitur tantùm de illis, quæ absolutum supponunt consensum.

5 Conditio turpis, quæ non est contra matrimonij substantiam, intelligitur pro non apposita; vt habetur *in dicto c;* quòd intelligendum est eodem prorsus modo, quo diximus de conditione impossibili; nam si tales conditiones assumantur, vt causę consensus, contractus nullus est; vt *si tu mihi promittis furari, contraho tecum; nec alio modo consentio tecum contrahere.* Si autem adiungantur consensui iam elicito, censentur pro non appositis; nullam enim obligationem Inducunt. At conditio turpis, quæ est contra substantiam matrimonij, ipsum inualidat; vt dicitur *ibid.* Tria autem sunt bona, quæ importat matrimonij substantia, ut *ex S. P. Aug.* asserit Pontifex; scilicet *fides, proles, & sacramentum,* seu indissolubilitas simpliciter, vt diximus *art. 3;* ideo conditio, quæ vni ex his tribus aduersatur, est contra matrimonij substantiam, & illud vitiat, ac tollit. Quare si quis contrahat cum ea conditione, ut fœmina se alijs prostituat, quod est contra fidem coniugalem; vel vt prolem natam occidat, vel ne nascatur, impediat; vel ut post tale tempus matrimonium soluatur, matrimonium est nullum.

6 Sed circa secundum oritur difficultas ex dictis *art. 4;* vbi ostendimus consensum explicitum, vel implicitum in copulam non esse de matrimonij substantia; adeoque posse cum voto virginitatis antecedenter emisso consistere; ex quo videtur inferri conditionem necandi filios, vel impediendi, ne nascantur, non esse contra substantiam matrimonij, nec illud irritare.

Resp. 1; quòd licèt carere filijs merè priuatiuè non sit contra substantiam matrimonij; quia actus substantiæ non est de essentia ipsius substantiæ; potest enim esse substantia sine suo effectu; attamen carere filijs contrariè est contra substantiam matrimonij; quia ponit actum contrariè oppositum substantiæ matrimonij; matrimonium enim dicit ordinem radicalem ad seruandam prolem; & quanuis sine prole actuali saluetur substantia matrimonij; attamen si ponatur ordo ad interemptionẽ filiorum, destruitur matrimonium, quia destruitur ordo radicalis ad illos seruandos; ordo enim ad seruandum pugnat cũ ordine ad destruendũ, & per illum formaliter tollitur; v. g. quanuis essentia caloris possit esse sine actuali calefactione, quia nullum potest admoueri subiectum calefactibile; attamen nequit esse cum ordine ad frigefaciendum; quia frigefacere est actus positiuè contrariè oppositus calefactioni. Ergo licèt obligatio seruandi filios radicalis, & habitualis, quam importat matrimonium, possit esse priuatiuè sine filijs, vt in matrimonio à virginibus contracto; attamen nequit esse cum obligatione illos necandi; quia hæc illi contrariè opponitur.

2. Dicitur, quòd matrimonium contractum post uotum seruandæ virginitatis specie differt à matrimonio contracto per ordinem ad generandam

randam

randam prolem, vt regulariter contrahitur; ideo quamuis illud præscindat ab obligatione formali proxima seruandi prolem; hoc tamen illam formaliter importat. 3. Neg. seq; alius est enim ordo ad copulam, & alius ordo ad seruandos filios; si enim Diuinitus Deus crearet in vtero uxoris filium sine copula, quod posse Deum facere nemo ambiget; sicut sine copula incarnatus est Dei Filius; adhuc tenerentur parentes seruare filios ex veritate coniugij, quod essentialiter ordinatur ad seruandos, non necandos filios; sicut tenebantur *Beatiss. Virgo, & S. Ioseph* Christum Dominum seruare. Ergo cùm arguitur: *Matrimonium non dicit essentialiter consensum implicitum, vel explicitum in copulam; ergo nec in filios, qui ex copula nascuntur; & ideo obligare se ad filios necandos non est contra essentiam matrimonij*; neganda est conf; alius est enim ordo ad seruandos filios, alius ad copulam; & ille est essentialis; iste accidentalis.

7 Quæres 1; an hæc: *Contraho tecum, si mecum concubueris*; sit turpis; licèt non contra substantiam matrimonij? Resp. *Basil.* vel esse sermonem de concubitu licito, & hic matrimonium supponit, & ideo illud non irritat, aut suspendit. Vel de concubitu illicito; & hæc turpis est. Idem dicendum de illa: *Si te virginem inuenero*? Nam vel est sermo de inuentione per copulam licitam, & hæc supponit matrimonium contractum; vel per copulam illicitam; & hæc turpis est; vel per obstetrices; & hæc potest esse honesta; ad vitandam scilicet irregularitatem, quæ contrahitur ex matrimonio cum vidua. Idem dicendum de illa: *Si mibi placuerit in primo concubitu*. Illa autem: *Contraho tecum, si decem mibi dederis*; est honesta, & licita; ut habetur *de condit. appos. c. de illis*; solet enim apponi quoque in sponsalibus etiam iuratis; *iuramentum* autem *nequit esse vinculum iniquitatis*.

8 Quæres 2; quomodò explicandæ sint tres conditiones contrariæ substantiæ matrimonij?

Resp. 1. inualidum esse matrimonium, si sic contrahatur: *Contraho tecum ita, vt si generationem prolis non euites, nullum sit matrimonium*; hæc enim conditio est contra perpetuitatem, quæ est de essentia matrimonij. 2. Si contrahatur sub conditione enecandi prolem, ut diximus. 3. Si contrahatur sub conditione sumendi potionem ad inducendam sterilitatem. 4. Si sub conditione nunquam emittendi semen intra vas. Non irritatur tamen matrimonium. 1. Si contrahatur sub conditione exponendi prolem; hæc enim expositio non opponitur susceptioni, aut vitæ, sed tantùm educationi, & nutritioni prolis ab ipsis faciendæ. *Ita Basil*; apud quem *Ledesma, et Lopez*. Additur tamen, quòd si conditio exponendi prolem esset ita concepta, vt proles sine dubio interiret; v.g. exponendi prolem in saltu, vel loco abscondito, ubi citò non inueniretur; tunc esset idem, ac prolem occidere; & ideo esset contra matrimonij substantiam. At si esset conditio exponendi prolem in loco, ubi statim potest inueniri, & seruari, ac educari; tunc non esset contra substantiã matrimonij simpliciter, idèst contra prolẽ à nullo seruandã, sed tantùm secũdùm quid, idèst à parentibus immediatè seruandam. 2. Non irritatur, si ponatur conditio vouendi castitatem, non coeundi, & non reddendi debitum, ut diximus *art.4*. Si tamen apponeretur conditio non coeundi ita, ut si coeant, sit fornicatio; tunc est contra substantiam matrimonij, quod essentialiter distinguitur à fornicatione. 3. Non irritatur, si ponatur conditio non exigendi debitum; quia actus coniugalis non est de essentia matrimonij, ut diximus *vbi s.* Tum quia voto impeditus nequit debitum petere, quamuis teneatur reddere, ut *inf.* & tamen non obstante hoc impedimento, verum est matrimonium; quo euertitur *Sanch.* oppositum sentiens. 4. Non irritatur per hanc conditionem: *Si ego non tenear debitum reddere, quoties tibi non licet petere*; hoc namq; inest cuilibet matrimonio; nunquam enim quis obligatur cooperari peccato; reddere autem debitum illicitè, & peccaminosè petenti est cooperari peccato, vt constat; ergo nunquam hoc licet. Quidquid dicat *Couar.* oppositum docens; & *Sanch.* inutiliter distinguens. 5. Non irritatur, si apponatur conditio nunquam cohabitandi ad seruandam pari consensu castitatem; quamuis enim matrimonium definiatur *indiuidua vitæ societas*; hoc tamen principaliùs intelligitur quoad animos, cùm sit *animorum coniunctio*, quæ non tollitur per diuisionem locorum; imò etiamsi non cohabitatio in eadem domo fiat sine consensu seruandi castitatem, adhuc non dirimitur matrimonium; quia possunt copulari, etiamsi in diuersis domibus habitent; quoties enim insurgit pruritus coeundi, potest vnus ad alium accedere; quidquid dicat *noster Basil. 6.* Non irritatur, si apponatur conditio abstinendi à copula sextis ferijs, vel diebus ab Ecclesia prohibitis; si enim non est contra matrimonij substantiam matrimonium contrahere ea conditione, vt alteruter religionem ingrediatur, & ideo semper à copula abstineat; multò minùs erit contra substantiam matrimonij, si ponatur conditio abstinendi solùm quibusdam diebus.

9 Circa secundam conditionem positam à Pontifice contra matrimonij substantiam, scilicet *si corpus tuum adulterandum tradideris*; ait *Angel. in sum. v. matrimonium*; non esse contra matrimonij substantiam, nisi addatur; *ita, vt mibi reddere non tenearis*; ad fidem enim matrimonij sufficit, quòd uxor viro debitum reddat, quoties petit. Sed *communiter* reijcitur; nam matrimonium essentialiter importat translationem dominij proprij corporis in vsum solius alterius; in hoc enim distinguitur ab adulterio,

quod importat commixtionem pluribus vitis; ergo non ſaluatur matrimonij ſubſtantia, quæ per adulterium deſtruitur. Fides ergo coniugalis importat debitum reddendi, & alteri ſe non commiſcendi. Ex quo ſequitur non ſaluari nunc matrimonij ſubſtantia in polygamis; quia cùm nunc fuerit polygamia à Chriſto Domino ſublata, vt *inf.* dicemus; in ipſa nequit modò matrimonij ratio conſiſtere. Quoad tertiam conditionem: *Donec aliam inuenero*; nulla eſt difficultas *inter DD.* Ex hoc colligitur contractum ſub conditione dandi libellum repudij nullum eſſe; quia libellus repudij à Chriſto Domino fuit ſublatus.

10 An verò validum ſit matrimonium, ſi ab vno tantùm aliqua ex his conditionibus contra matrimonij ſubſtantiam ponatur, altero neque contradicente, neque conſentiente? Reſp. *communiter contra paucos quoſdam Iuriſtas* inualidum eſſe. Nam matrimonium eſſentialiter fit ex duplici conſenſu debito, & ad veram matrimonij rationem requiſito; ergo dum conſenſus vnius non eſt huiuſmodi, matrimonium eſt nullum; *bonum* enim *ex integra cauſa*; *& malum ex quocunque defectu*. Nec officit *textus 32. q. 2. c. aliquando*; quo nituntur *Aduerſarij*; nam dicitur, quòd ſi ambo ab initio *tales fuerint*; idèſt ſi contraxerint ſub conditione necandi filios, ſtuprum, non matrimonium, contraxerunt; ſi tamen ab initio tales non fuerint, *coniuges non ſunt*; idèſt non operantur, vt coniuges, ſed vt adulteri, quia contra matrimonij iura operantur. Si tamen ambo non ſunt tales; *Audeo dicere: Aut illa quodammodò eſt mariti meretrix; aut ille adulter vxoris*. Ex quibus verbis colligitur, quòd ille ſit verus maritus, & iſta vera uxor; quanuis quodammodò ſi ille ſolus filios occidat, mariti nomem non mereatur; ſi autem iſta; uxor dici quodammodò non debeat. Conſtat igitur *S.P. Aug. in illo textu* loqui de alterutro occidente prolem poſt matrimonium ritè contractum *ab initio*; & ideo eo non probatur conſenſum vnius ſub conditione irritante ab initio non ſufficere ad illud irritandum.

11 Sed quid, ſi poſt talem conditionem, copulentur? Reſpondent *aliqui* valere; quia per copulam intelliguntur à conditione recedere; vt habetur *de condit. appoſ. c. per tuas*. Sed contra eſt; nam ideo ſponſalia *c. per tuas* valent ſecuta copula; quia validus, & licitus contractus fuit ab initio, cuius executio à conditione licita expectabatur; atque adeò per copulam, quæ firmat ſponſalia, abſolutè poſitam intelliguntur à conditione recedere. At matrimonium ſub conditione irritante ab initio eſt nullum; ideo per copulam nequit firmari; implicat enim firmari, quod non eſt.

§. 1.

An matrimonium conditionatè contractum adueniente conditione indigeat nouo conſenſu?

12 POſtquam egimus de matrimonio contracto ſub conditione impoſſibili, aut turpi; agendum ſequitur de matrimonio contracto per verba de præſenti ſub conditione de futuro adimplenda. Quæritur ergo; an ſi quis ita contrahat: *Contraho tecum; ſi pater tuus ſuum præſtabit aſſenſum*; adueniente patris aſſenſu abſque nouo contrahentium conſenſu matrimonium ſit validum?

13 *Caniſ. in rubric. de condit. appoſ. & alij canoniſtæ*, quos ſequuntur *Sylu. v. matrimonium*; *Nauar. in ſum. c. 22*; *Palud. hic diſt. 29. q. 2*; *Petr. Sot. lect. 3. de matrim*; *Sanch. lib. 5. diſp. 8. n. 5*; *& Coninch*, cenſent contractum matrimonialem factum ſub conditione de futuro poſita conditione ſine alio conſenſu validari. Oppoſitum docet *Baſil. lib. 3. c. 14. n. 2*; vbi refert *D. Tho. hic q. 47. art. 5. in fine*; *Adrian. hic q. 3*; *Sot. diſt. 29. qu. 2. art. 1*; *Petr. Ledeſma qu. 47. art. 5. dub. 1*; *Valent. q. 2. punct. 3. dubit. 2*; & ait hanc eſſe communem *inter Theologos*. Accedit *Maſtr. hic diſp. 7. q. 5. art. 3*; vbi refert *D. Bon*; *Dur*; *Ricard*; *Maior*, *Henriquez*, *Becan*; *Dianam*, *Barboſ*; *& alios*; reſtringit tamen ſuam ſententiam ad contractum matrimonialem in ratione ſacramenti tantùm ſimul cum *Hiqueo hic diſt. 30. q. 1. in commentar. n. 58.*

14 Deciſio huius difficultatis pendet ex ea; an contractui matrimoniali poſſit apponi conditio ſuſpendens ipſum contractum vſque ad euentum conditionis; quam affirmatiuè tenent *DD.* pro prima ſententia citati, excepto *Sanch*; quem inconſequenter loqui inquit *Baſil. Auctores* verò 2. ſententiæ negant; quibus additur *Cuiac. c. 1. de condit. appoſ.* aſſerentes conditionem de futuro appoſitam contractui matrimoniali tranſire in contractum ſponſalium, non in contractum matrimonialem, & ideo talem contractum habere vim tantùm ſponſalium, non matrimonij.

15 Vnica concl. Contractus matrimonialis ſub conditione de futuro celebratus non perficitur per ſolum conditionis euentum, ſed purificata conditione eget nouo conſenſu; quapropter contractus ſub conditione de futuro eſt contractus ſponſalium, non autem matrimonialis, cuius rationi formali repugnat apponi conditionem de futuro ſuſpenſiuam conſenſus, qui ad illum requiritur.

Prob. 1. Ad rationem formalem contractus matrimonialis requiritur conſenſus de præſenti; in hoc enim eſſentialiter differt à contractu ſponſalium, qui eſt de conſenſu matrimonia-

niali futuro; & ideo si contractus matrimonialis non est de præsenti, non habet, per quid distinguatur à contractu sponsalium; sed consensus in matrimonium sub conditione de futuro non est de præsenti; vt expressè colligitur *de condit. appos. c. super eo*; vbi requisitus Pontifex, an qui consentit in mulierem, si pater suum præstaret assensum, esset ad matrimonium cogendus; respondit negatiuè; quia *cùm huiusmodi consensus non sit de præsenti habendus, licèt per verba de præsenti euidentiùs exprimatur, qui in alieno arbitrio non habito, sed habendo consistit*; nam quoties assumitur conditio, tanquam causa alicuius rei, nunquam existit illa res, nisi existat conditio; implicat namque non existente causa effectum existere; aliter causa esset posterior effectu; ideo quamuis de præsenti consentiat in futurum consensum patris; non tamen consentit in matrimonium de præsenti, sed tantùm de futuro, quia consentit in illud sub conditione futura, à cuius existentia matrimonij existentia dependet; & per consensus ille consensus non est de præsenti matrimonio, sed futuro; ergo consensus in matrimonium sub conditione de futuro non est contractus matrimonialis, sed contractus sponsalium. Atqui contractus sponsalium eget nouo consensu, vt fiat contractus matrimonialis; ergo consensus matrimonij sub conditione de futuro adueniente conditione eget nouo consensu.

16 Dices *hunc canonem* non fauere; quia loquitur de eo, qui non solùm posuit conditionem de futuro, sed suum consensum reiecit in consensum patris; sicuti qui suum consensum reijcit in procuratorem; vnde sicuti non est præsens consensus patris, ita neque est præsens consensus illius, qui suum consensum in consensum patris reiecit; fit enim tunc ex consensu patris, & filij moraliter quasi vnus consensus. 2. Dicitur illum consensum non esse de præsenti perfecto, & absoluto, sed tantùm conditionali; cùm autem dicit Pontifex non esse cogendum ad contrahendum matrimonium, intelligendus est non esse cogendum ad consummandum matrimonium.

Sed contra instat *Basil.* Si consensus filij esset reiectus in consensum patris, tanquam in procuratorem; filius post consensum patris non esset cogendus *ad contrahendum matrimonium*; vt statuit Pontifex; nam post consensum procuratoris non debet à committente matrimonium contrahi, vt constat. Tum quia procurator nequit pro suo arbitrio per suum consensum impedire consensum contrahentis; neque consensus contrahentis pendet à consensu procuratoris ita, vt etiamsi altera pars consentiat, per dissensum procuratoris nullus efficiatur consensus committentis; sed dependet tantùm à procuratore, vt ab instrumento exprimente consensum principalis petentis; ergo falsum est, quòd filius reijciat in patrem suum consensum, vt in procuratorem. Quo conuincitur ex consensu patris, & filij non fieri vnum consensum, sed esse duos consensus, quorum vnus pendet ab alio in existendo; in tantùm enim consensus procuratoris, & principalis committentis est vnus consensus; in quantùm procurator se habet, vt merum instrumentum viuum exprimens consensum committentis, & nequit suo dissensu illum pro arbitrio impedire; vt pater potest illum impedire; ergo non est vnus consensus. Præterea sic redarguitur. Ex consensu patris, & filij fit vnus consensus; sed consensus patris est futurus, non præsens; consensus autem futurus non sufficit ad matrimonialem contractum; ergo neque sufficit filij consensus. Ad 2. dicitur, quòd licèt consensus in patris assensum sit de præsenti; consensus tamen in matrimonium est de futuro; quia dependet à patris assensu, tanquam à causa suæ existentiæ; ideo sicut assensus patris est futurus, ita & consensus filij in matrimonium; futuritio enim causæ importat essentialiter futuritionem effectus; sumitur autem *hic* causa pro eo, à quo essentialiter aliud dependet. Quòd autem Pontifex intelligi nequeat de coactione ad consumandum; quis vnquam de hoc dubitauit, vt interrogaret Papam; an qui consentit conditionatè in mulierem, sit cogendus ad copulam cum illa; cùm non possit cogi, nec qui absolutè consensit? *Consumm re* ergo, quod ponitur in interrogatione facta Pontifici, sumitur, prout idem est, ac *perficere*; propter quod Pontifex, vt illius vocis ambiguitatem auertat, respondet *contrahere*.

17 Insuper colligitur *ibid. cap. per tuas*; vbi *Innoc. III.* contractum per verba de præsenti sub conditione, *si pater eius, & patruus consenserint*, vocat non semel sponsalia, prout contradistinguuntur à matrimonio. Ratio est 1. Actus indifferens ad matrimonium non sufficit ad actum matrimonialem; indifferens enim nec est consensus, nec dissensus; constat autem, quòd matrimonium est formalissimè consensus affirmatiuus in societatem; sed contractus sub conditione: *Si pater voluerit*; est actus indifferens ad assensum, vel dissensum matrimonij; est enim determinabilis per assensum, vel dissensum patris; determinabile autem, & indifferens idem est; ergo contractus sub conditione de futuro non sufficit ad rationem matrimonij. 2. Si esset verus contractus matrimonialis, esset indissolubilis; quia esset verum matrimonium ratum, quod non posset dissolui, nisi per ingressum ad religionem, vt diximus sæpe, & *inf.* magis explicabitur; sed conf. est falsum; nam si ante impletionem conditionis ambo pari consensu dissentiant, nullum est matrimonium; quo euidenter conuincitur esse merum contractum sponsalium, qui solus ita potest dissolui. Tum quia si pendente conditione contrahat absolutè cum alia,

alia, valet secundus contractus; & si contrahat sub conditione, & conditio secundi contractus priùs impleatur, valet secundus contractus, & primus dissoluitur; sicut si post secundum contractum sequatur copula cum secunda, tenet secundus; per copulam enim intelligitur recessisse à conditione, vt habetur *ibid*; ergo falsum est ant. 3. Vel conditio apponitur per modum causæ inferentis consensum, seu per modum illatiui, à quo essentialiter dependet existentia consensus, quia non ponitur, nisi posita conditione; vel solùm per modum pacti, seu modi adiecti, & appositi ipsi consensui supponentis ipsum consensum? Si primum; ergo pro illo tunc non habetur consensus; quia non habetur causa, seu id, ad quod sequitur consensus; implicat enim effectum antecedenter ad causam existere, seu id, quod est posterius, esse prius eo, quod est prius; & ideo non habetur consensus de præsenti, qui essentialiter requiritur ad contractum matrimonialem; sed solùm de futuro, qui sponsalia constituit. Tum quia quando ponitur conditio, seu consensus patris, non ponitur, nisi moraliter consensus filij; cùm enim consensus filij physicè sit actus immanens, qui non potest physicè elici, nisi à voluntate filij; ideo posito consensu patris non ponitur, nisi moraliter consensus filij, consensus autem moralis non sufficit ad constituendum sacramentum, quod est constitutum ex rebus physicis, quia ex sensibilibus constat; ergo posito consensu patris requiritur nouus consensus filij, vt contractus matrimonialis habeatur. Et quamuis tunc habeatur contractus moralis, non tamen habetur ille contractus, qui à Christo Domino fuit eleuatus ad esse sacramenti, qui est solus contractus physicus; ideo necessarius est nouus consensus nedum in ratione sacramenti, sed etiam in ratione talis contractus, qui fuit eleuatus ad esse sacramenti. Si secundum; ergo adhuc dissentiente patre per consensum filij esset perfectus contractus matrimonialis; quia consensus patris iam supponeret consensum filij absolutum; pro eo enim tunc, quo clicerctur, nulla esset conditio; adeoque supponeret contractum matrimonialem, cui tantùm ex congruentia, & accidentaliter adijceretur. 4. Quamuis aliqui contractus, qui in sua ratione formali non includunt actualem traditionem, vt emptio, & venditio, possunt enim fieri statuto pretio pro tali die, purificentur per solum euentum conditionis sine nouo consensu; vt habetur *l. hac venditio ff. de contrahenda emptione*; attamen contractus, qui essentialiter importat actualem traditionem, vt est mutuatio; vt habetur *in tit. quibus modis re contrahitur obligatio*; imò vniuersaliter omnis contractus, vt est omnino perfectus, & simpliciter irreuocabilis, tria essentialiter importat, scilicet mutuum consensum, determinatum pretium, & actualem traditionem; nam si quis consentiat cum vno, & non determinet pretium, sed relinquat determinandum ad arbitrium alterius; & postea contrahat cum alio, & determinet pretium, secundus contractus valet irritato priore; & si contrahat cum alio determinato pretio, & tradita re; valet tertius, non secundus, aut primus; quia solus tertius est perfectus, per ipsum enim transfertur nedum dominium quasi habituale, sed etiam actuale; & ideo nullum omnino ius habet in rem alteri tradendam; sed contractus matrimonialis est omnino perfectus, quia est simpliciter irreuocabilis, & indissolubilis; ergo essentialiter importat actualem traditionem. Sed contractus importans actualem traditionem non purificatur per solum euentum conditionis; vt patet in mutuo; quamuis enim purificata conditione oriatur obligatio tradendi rem mutuam; attamen necessaria est actualis traditio; ergo ad matrimonium vltra purificationem conditionis requiritur actualis traditio mutua, quæ consistit in mutuo consensu; & ideo nouus consensus exigitur; atque adeò primus consensus conditionatus est merus contractus sponsalium.

18 Obijc. 1. Omnes alij contractus purificantur impleta conditione sine nouo consensu; potest enim quis transferre dominium suarum rerum sub tali conditione; ergo & matrimonium. 2. Potest quis habere verum consensum de præsenti in id, quod faciet voluntas alterius; vt cùm quis inquit: *Volo absolutè facere, quid iudicauerit pater meus esse faciendum*; ergo idem. 3. Impleta conditione oritur noua obligatio implendi; sed hæc obligatio non est obligatio sponsalium; quia hæc præsupponitur, cùm præsupponantur sponsalia; ergo est obligatio contractus matrimonialis, qui propterea sine nouo consensu perficitur eueniente conditione. 4. Consensus nihil efficit vltra intentionem contrahentium *l. non omnes ff. si certum petitur*; sed intentio contrahentium sub conditione non est conficere sponsalia; iam enim supponuntur contracta; ergo efficit matrimonium de præsenti. 5. Si quis ita contrahat: *Contraho tecum, si consenseris*; matrimonium pendet ex futuro consensu, & tamen illo habito statim perficitur sine nouo consensu; ergo idem.

Resp. ad 1. vel dist. antec. Contractus, qui non includunt essentialiter traditionem actualem, quia ex sua natura sunt rescindibiles, conc; qui illam includunt, quia irrescindibiles sunt, vt patet in mutuo; & matrimonio, neg. Vel dist. Purificantur quoad obligationem exequendi, conc, quoad perfectionem, & complementum contractus, quod consistit in ipsa actuali traditione, per quam redduntur indissolubiles, neg. Ad 2. dist. ant. Potest habere verum consensum indifferentem, & determinabilem per voluntatem alterius, qui non sufficit ad matrimonium, vt diximus, conc; determinatum ad hanc partem, & non ad aliam, neg; cùm enim non

co-

cognoscat, quid pater sit iudicaturus determinatè, ideo nequit in iudicium patris determinatè sumptum consentire; sed tantùm in illud indeterminatè consentit. Ad 3. neg. ma; firmatur enim antiqua obligatio, non oritur noua; sicut cùm quis religiosus promouetur ad ordinem sacrum, vouet castitatem, ex quo non oritur noua, & diuersa obligatio illam seruandi, sed tantùm firmatur antiqua. Ad 4. dicitur, quòd licèt verum sit in consensu nihil effici vltra intentionem contrahentium, quia illud, quod effieeretur, esset inuolunrarium; nam esset præter intentionem, contractus autem debet esse voluntarius; attamen non sequitur, quòd efficiatur, quod intenditur, si desint necessaria illi contractui, vt in casu; deficit enim consensus determinatus de præsenti, qui ad contractum matrimonialem necessariò requiritur. Sicut enim qui intenderet contrahere cum persona illegitima, puta cum sorore, non efficeretur, quidem, quòd contraheret cum alia, quia hoc non intendit; nec tamen efficeretur, quòd contraheret cum sorore, etiamsi hoc intenderet. Ita quanuis intenderet contrahere matrimonium, non sponsalia; non contraheret quidem sponsalia, sed tantùm firmaret; nec tamen contraheret matrimonium; quia non haberet consensum de præsenti. Ad 5. neg. cons; nam contrahens cum aliqua, si ipsa consenserit, non ponit conditionem, sed exigit alterius consensum, qui ad matrimonium, quod est contractus mutuus, essentialiter requiritur; aliter omne matrimonium esset conditionatum; cùm exigat consensum alterius, quo perficitur, & vltimatur; & quantùm est ex se, absolutè consentit; & si accedat consensus alterius, matrimonium completur; at verò consentiens sub conditione, quòd pater consentiat; quantùm est ex se, non consentit absolutè, sed conditionatè; nam etiansi alterius consensus accedat, non intelligitur perfectum matrimonium, pendet enim à voluntate futura patris; propterea hoc est conditionatum, illud absolutum.

19 Dices. Consensus futurus patris est determinatus à Deo ab æterno; ergo consensus filij reiectus in consensum patris est præsens, non futurus; quia consentiens sub conditione de præsenti, aut de præterito habet consensum de præsenti, non de futuro.

Resp. quòd licèt consensus patris sit determinatus à Deo, non est tamen determinatus à patre, sed indifferens; filius autem reijcit suum consensum in consensum patris, prout à patre determinandum; & ideo prout est indifferens; & si reijceret in Deum; vel prout determinatum à Deo; attamen quia ei nou constaret; an esset affirmatiuè determinatus, vel negatiuè, reijceret in indifferens in esse apprehenso, quanuis esset determinatum in esse reali; voluntas autem mouetur à re in esse apprehenso, uon in esse reali; cùm sit potentia cæca tendens in id, quod sibi repræsentatur ab intellectu, & prout ab intellectu repræsentatur; non prout habet esse in re, vt est manifestum.

20 Collig. 1. nouum consensum, qui exigitur post impletam conditionem de futuro, celebrari debere coram parocho, & testibus *iuxta Trid*; iste enim solus habet rationem contractus matrimonialis; quia primus elicitus sub conditione habet rationem sponsalium, vt diximus; contractus autem matrimonialis coram parocho, & testibus esse debet.

21 Collig. 2. exigi nouum consensum ex natura rei, non tantùm ex dispositione iuris; cùm enim matrimonium sit contractus perfectus, & irrescindibilis, ideo ex sua ratione formali exigit actualem traditionem dominij in corpus alteriusutrius, quæ non fit, nisi per nouum consensum, vt diximus.

22 Collig. 3. contractui matrimoniali apponi non posse conditionem de futuro suspendentem affirmationem consensus; hoc enim destruit naturam ipsius contractus, qui importat consensum affirmatiuum de præsenti, vt diximus; licèt possit apponi pactum, aut modus, qui cùm est honestus, & licitus, obligat; cùm verò inhonestus, & illicitus est, pro non adiecto intelligitur.

23 Collig. 4; quòd si quis subsequenter contrahat cum duabus sub conditione, si purificetur conditio, secundi contractus, tenet secundus contractus, quia euadit absolutus, & accedente nouo consensu fit verus contractus matrimonialis, qui præualet primo contractui, qui est tantùm contractus sponsalium; in quo sensu non loquitur *Basil*; cùm oppositum scripsit; sensit enim de consensu, qui non firmatur per nouum consensum, & ideo est paris efficaciæ cum illo; cùm autem *prior in tempore sit potior in iure*; si prius, & posterius paria sint; ideo prior consensus præualet secundo. Ex quo etiam infertur primum tenere, non secundùm, si conditio vtriusque simul purificetur; non enim per secundùm tollitur obligatio orta ex primo; cùm ad tollendam obligationem non sufficiat dissensus vnius; sed requiratur mutuus dissensus, sicut ad illam inducendam mutuus consensus requiritur.

24 Sed quæres 1; an conditio: *Si Papa, vel Princeps dispensauerit*; sit reputanda inter possibiles?

Resp. tunc esse possibilem, quando solet dispensari, vt inter affines excepto primo gradu; tunc verò impossibilem, cùm Papa dispensare non solet; vt inter fratrem, & sororem. Ratio est; quia primus contractus sub ea conditione non est contra leges; ideo est licitus; debet tamen conditio exprimi *l. conditiones extrinsecus ff. de condit; & demonst*; at contractus sub conditione, quam Papa non dispensat, est contra leges

leges; ideo est inter personas illegitimas; & consequenter non valet; nec vim habet sponsalium. Quamuis tamen soleat dispensari, & iusta causa non adsit, ob quam solùm dispensatio potest concedi; intelligitur conditio impossibilis; quia Pontifex dispensationem sine causa non concedit. Ex quo sequitur consanguineos sub hac conditione contrahentes non incurrere excommunicationem latam *in Clement. vnica de consanguinitate*; quia illa excommunicatio fertur tantùm in eos, qui absolutè contrahunt. Sequitur pariter, quòd si quis contrahat cum filia adoptiua, ea postmodum emancipata, & facta non adoptiua, non manere obligationem eam ducendi; quia ille contractus ab initio, cùm fuit factus, fuit contra leges, & bonos mores. Sic dicendum de re sacra, quæ posteà facta est prophana.

24 Quæres 2; quomodò, & quando impleri debeat conditio; & quando conditio non impleta censenda sit pro impleta?

Resp. quoad modum implendæ conditioni attendendam esse intentionem contrahentium; & quando intentio non constat, standum est coniecturis. Quoad tempus, si illud designatum sit, expectandum est, vt decurrat. Si verò non fuerit designatum à contrahentibus, expectandum est, donec moraliter censeatur potuisse conditionem existere, vt diximus *art. 5. n. 15*. Si autem pater decesserit, antequam contractus celebretur, purus est contractus; ea enim conditio impossibilis est; & ideo pro non apposita habetur. Si verò pater moriatur post contractum, & antequam exquiratur eius consensus; tunc conditio non est impleta, & licet vtrique à contractu recedere. At si nolit consentire, nec dissentire, sed differat ad multum tempus; tunc censetur contractus dissolui; quia censetur, quòd contrahentes nolint suum consensum perpetuò suspendere, vt diximus *vbi sup.* Si tandem postquam dissensit, consentiat; non tenentur contrahentes exequi; quia per dissensum patris fuit solutus contractus, nisi iterum renouetur eorum consensus. Quæ omnia intelligenda sunt etiam de alijs contractibus; vt doctè ostendit *Basil. lib. 3. c. 16. & 17.* Hæ tamen conditiones à nullo alio apponi possunt, quàm à contrahentibus; & si ab alio apponantur; ab ipsis contrahentibus debent approbari; aliter nullius sunt roboris.

ART. VII.

An consensus ex metu ad matrimonium sufficiat?

1 Certum est consensum ad matrimonium debere esse liberum tum in ratione contractus, qui, vtpotè actus humanus, essentialiter liber esse debet; tum in ratione sacramenti, quia est meritorius. Deducitur etiam ex iure ciuili, & canonico præsertim *de desponsat. impuber;* vbi statuitur matrimonium contractum ante vsum rationis; & ideo ante libertatem, quæ essentialiter exigit vsum rationis indifferentem, debere in pubertate nouo consensu firmari. Quæritur modo, qualis libertas requiratur? Quamuis autem *noster Basil. hic lib. 4. c. 1.* cum communi sententia asserat eam libertatem requiri, quæ requiritur ad peccatum mortale; attamen hæc sententia necessariò est limitanda ita, vt non quælibet libertas, quæ sufficit ad peccatum mortale, sufficiat ad consensum matrimonialem; nam si quis metu cadente in constantissimum virum fornicetur, certè non excusatur à peccato mortali; quia debet potiùs mortem subire, quàm Deum offendere; vt habetur *de ijs, quæ vi, metusue causa fiunt c. sacris;* sic enim in baptismo promittitur; attamen si quis metu cadente in virum constantem matrimonium contrahat, communis sententia est consensum illum inualidum esse; ideo licèt ad consensum matrimonialem requiratur ad minùs libertas, quæ requiritur ad peccandum; attamen illa aliquando non sufficit.

2 Ex hoc infertur. 1. furiosum, vel iracundia percitum ita, vt ratio prorsus absorpta sit, non posse matrimonium, aut sponsalia contrahere; in illo enim omnino ligata est libertas, & priuata suo actu, qui essentialiter requirit vsum rationis indifferentis. Habetur etiam *32. q. 7. c. neque furiosus; & de sponsal. c. dilectus*. Si tamen iracundiæ feruor non obruat rationem, matrimonium est validum; quia, inquit *Basil.* simul cum feruore iracundiæ datur talis deliberatio, quæ sufficit ad peccatum mortale; & ideo etiam sufficit ad matrimonium. Sed hæc ratio non probat, vt diximus; quia etiam cum metu graui datur talis deliberatio, quæ sufficit ad peccatum mortale, non tamen sufficit ad matrimonium, vt etiam ipse fatetur, igitur hæc ratio non probat; quæ propterea aliunde petenda est; scilicet eo, quòd iracundia erga vnam personam extinguitur, vel minuitur per amorem superuenientem erga aliam personam; ergo non impedit matrimonium, quod celebratur amore, quod probant etiam aliæ rationes de metu *inf.* adducendæ.

3 *Aliqui DD*; quos refert *Sanch*; asserentes matrimonium in iracundia contractum ratum non esse, nisi posteà pleno iudicio firmetur, opponunt. 1. *De pœnit. dist. 1. c. diuertium; & l. quidquid 49. ff. de reg. iuris: Quidquid calore iracundiæ fit, vel dicitur, non priùs ratum esse, quàm si perseuerantia apparuerit iudicium animi fuisse.* 2. Iuramentum, & votum in iracundia factum non habet vim voti, & iuramenti; vt habetur *ex l. 2. ff. ad l. Iuliam Maiestatis; & de conuers. coniugat. c. dudum; & de iureiurando in 6. c. si quis ex litteris*; ergo idem à fortiori dicendum de matrimonio,

monio, quod maiorem libertatem requirit.

Resp. ad 1. illos *textus* intelligi, quando dubium est, an ratio fuerit prorsus sopita; asserunt enim expectandum esse, quousque appareat *animi iudicium*, idest vsum rationis fuisse; quod iudicium à nobis supponitur. Ad 2. dicitur sermonem esse de iuramento illicito contra bonos mores facto, quod non tenere certum est.

4 Si tamen furiosus, vel iratus, aut frænetieus habeat aliqua interualla rationis, & in illis contrahat, validum est matrimonium; vt habetur 7. *q.* 1. *c. quanuis*; nihil enim deficit ad matrimonij substantiam exactum. Idem dicitur de amentibus, pueris, & alijs vsu rationis carentibus.

5 Infertur 2. ebrium in ebrietate, & dormientem in somno non contrahere matrimonium, quanuis ante ebrietatem, & somnum aduerterit, & consenserit. Idem dicendum de eo, qui, antequam in amentiam, vel furorem incideret, aduertit se consensurum in amentia, vel furore. Ratio eadem adducitur *à Basil*; sed eiusdem inefficaciæ arguitur. Prob. ergo; quia ad matrimonium requiritur consensus liber de præsenti, & non sufficit de præterito; vt diximus; ergo quanuis in ebrietate, somno, & amentia reperiatur libertas ratione actus præteriti; attamen non sufficit, quia non est de præsenti. Ex hoc soluitur difficultas, quæ fit de baptismo, & peccato; si quis enim ante ebrietatem, somnum, & amentiam intenderit baptismum suscipere; vel præuiderit homicidium se commissurum; baptismus est validus, & homicidium imputatur ad culpam; ergo idem videtur dicendum de matrimonio. Nec si respondeatur *cum Sanch; & alys* discrimen esse; quòd in baptismo est tantùm suscipiens, non minister; in matrimonio autem est minister, & suscipiens; susceptio autem non est actus humanus; ideo non requirit libertatem formalem, aut virtualem; sed sufficit habitualis, quæ tantùm in ebrio, dormiente &c. reperitur; in eo enim non est intentio virtualis, quia per ebrietatem, somnum &c. interrumpitur; nam intentio dicitur virtualis, in quantùm censetur durare ratione effectus, vel medij ordinati ad finem, qui intenditur; vt patet de intendente consecrare, & propter hoc eunte ad Ecclesiam, induente se vestibus sacris &c; at somnus, ebrietas &c. nec sunt effectus, nec media ordinata ad matrimonium; ideo in illis non censetur virtualiter manere intentio consentiendi; hæc responsio, quanuis difficultatem euacuet apud illos, qui censent contrahentes esse matrimonij ministros; attamen non concludit in sententia eorum, qui tenent ministrum esse parochum, & contrahentes esse purè suscipientes. Ideo generaliùs reijcitur obiectio ex allata ratione; quòd scilicet matrimonium ex sua speciali ratione exigit consensum de præsenti; ideo non sufficit intentio præterita; quę sufficit in baptismo, & peccato. Et hæc de libertate à necessitate dicta sufficiant. Remanet autem inquirendum de libertate à coactione, qua quis ab alio non cogitur per vim, & metum.

6 Videnda sunt ea, quæ diximus *to.* 3. *q.* 2. *de inuol. art.* 4; vbi diximus metum grauem cadentem in constantem virum esse illum, quem vir prudens, & fortis ab vrgentia motiua rationabiliter concipit; metum leuem autem esse, quem vir timidus, & imprudens concipit ob leuia, & inania motiua, de quo dicitur *ps.* 13. *Trepidauerunt timore, vbi non erat timor*. Ad metum grauem requiritur. 1. Vt metuens non possit faciliter imminens malum, quod timet, auertere; cognitio enim auersinnis metum diminuit, & leuem reddit. 2. Vt cognitio mali sit prudens, & digna viro prudente, & constante. 3. Vt is, qui minatur, velit, possit, & soleat minas exequi. 4. Vt malum, quod metuitur, sit magnum, & graue; & apprehendatur, vt tale. Nam quanuis aliquod malum apprehendatur à viro constante, vt leue; potest tamen apprehendi à fœmina, quæ est imbecillioris animi, vt graue; adeòque ad metum grauem in fœmina non requiritur metus grauis cadens in virum constantem, sed sufficit metus cadens in constantem fœminam. Hoc autem malum, quod metuitur, vel debet esse in propria persona, vel in filijs, qui sunt pars patris; vel in coniuge, quæ est vna caro cum viro; vel in affinibus, & consanguineis vsque ad quartum gradum, qui censentur commembra eiusdem corporis; vel in amico, qui reputatur *alter ego*. Non autem in seruis, nisi quatenus ex illis redundet magnum malum in Dominum vel rei, vel famæ. Mala autem, quorum metus cadit in virum constantem, sunt mors, captiuitas, carcer, vincula, amissio status, infamia, excommunicatio iniustè ferenda, amissio omnium bonorum, etiamsi exigua sint, vt in paupere; metus autem amittendi lucrum, hæreditatem, aut beneficium, quod quis speret, non cadit in constantem virum; vt doctè discurrit *Basil. lib.* 4. *c.* 4.

7 Sed dubium est: an metus reuerentialis, & preces importunæ cadant iu virum constantem?

Resp. *Basil.* affirmatiuè. Primum probat *cont. Sanch; Sot; Less; Coninch; & Mastr, apud quem aly* distinguendo priùs reuerentiam debitam à subditis suis maioribus, vt sunt clerici respectu Episcopi, filij respectu patris, orphani respectu tutoris, & communiter minores respectu maiorum, quibus subsunt, & à quibus reguntur. Potest namque subditus operari ex debita reuerentia, & tamen sine metu; quia operatur amore reuerentiali, non timore; quod non adeerterunt *Sanch; & Mastr. cum alys* confundentes

tes reuerentiam cum metu reuerentiali; vt patet ex *Mastr. hic disp. 7. q. 4. art. 1. n. 123*; qui tamen scripsit *post Basil*; arguitur autem sic. Metus grauis cadens in virum constantem est ille, qui concipitur ob euitandum magnum malum rationabiliter imminens; sed metus reuerentialis est huiusmodi, indignatio enim patris rationabiliter putatur malum magnum, quia est est priuatio dilectionis paternæ, quæ filio est magnum bonum; quæ indignatio debet esse permanens, & perseuerans; nam si citò patris ira sedetur, non est magnum, sed leue malum; at si continuò perseueret, causat magnam afflictionem in filio prudente ex eo, quòd continuò priuetur suauissima patris familiaritate, quam super alia amat; ergo metus reuerentialis est grauis cadens in constantem virum. Secundum sic probat. Importunitas precum continua causat adeò grauem animi molestiam, vt prudens moueatur ad illam euitandam consentire; vt habetur *Luc. 22. Propter improbitatem tamen eius surget &c*; sed animi molestia continua est maius malum, quàm malum corporale; ergo importunitas precum continua, etiamsi illis non sint minæ adiunctæ, causat metum cadentem in virum constantem. Tum quia importunitas precum extorquet consensum, vt habetur *extra com. in 6. execrabilis de præbendis*; *& l. 1. C. de petit. bonor*; sed extorsio consensus est violentia, quæ causat metum grauem cadentem in virum constantem; ergo idem. Hoc tamen intelligendum non est, quando preces solùm ansam, occasionem, & initium dederunt; & posteà voluntas ex sua complacentia sine vlla vi operatur; quod dicendum pariter de metu reuerentiali, minis &c; tunc enim quamuis ab initio fiat opus ex metu; attamen sine metu, & ideo omnino voluntariè perficitur; adeoque validum est in vtroque foro. Idem dicendum de blanditijs.

8 Metus grauis alius est iustè incussus; vt cùm quis dat causam incutiendi talem metum, & hunc non inualidare matrimonium, aut alium contractum, vel promissionem certum est *apud omnes*; quia dans causam metus grauis sibi inferendi censetur velle illum metum, qui propterea non minuit voluntarium; ob hoc distingui solet metus grauis in eum, qui est omnino ab extrinseco; quia metuens nullo modo concurrit, vt causa illius metus; & in eum, qui est ab intrinseco; vel quia metuens dedit causam, vel quia ob aliquod motiuum intrinsecum grauiter metuit; vt cùm quis fornicator ob metum gehennæ contrahit matrimonium, ne denuò fornicetur; & cùm quis copulatur cum virgine, & cogitur ad ineundum matrimonium cum illa; vt habetur *Exod. 22*; *& Deut. 22*; vterque enim hic metus est iustè incussus, & ideo plenè liber censetur; & matrimonij, vel contractus religionis validitati non obstare. Alter est iniustè incussus ab extrinseco; vt cùm quis nullam prorsus dat causam inferendi talem metum; sed ab alio extrinsecùs contra iustitiam infertur; & de hoc præsens difficultas procedit.

9 Matrimonium metu leui contractum valere tenent *omnes DD*; quia *parum pro nihilo reputatur*; ideo quia sicut metus leuis faciliter concipitur; ita facilè abijcitur, ac propterea nullus esse censetur; & nullam vim contra matrimonij validitatem habere. Difficilium tamen est; an metus leuis iure naturæ non inualidet matrimonium; concordant enim non inualidare iure Ecclesiastico. Respondent autem *Basil*; *& Sanch*; apud quem *plurimi alij*, matrimonium metu leui contractum validum esse iure nedum Ecclesiastico, sed etiam naturali. 1. Quia ius Ecclesiasticum declarans matrimonium graui metu contractum irritum esse non condit nouum ius, sed tantùm declarat ius naturale; vt diximus *cum Fund. Doct. Ægid. in 4. q. 2. de leg. art. 2*; ergo non declarans matrimonium contractum leui metu esse inualidum, sed validum asserit esse validum iure naturæ. 2. Metus leuis reputatur pro non metu; vt diximus; sed matrimonium contractum sine metu est validum iure naturæ; ergo matrimonium contractum metu leui iure naturæ validum est. 3. Metus leuis faciliter abijci potest; ergo si non abijcitur, intelligitur consentiri illi metui; ergo matrimonium metu leui contractum est omnino liberum; atqui matrimonium omnino liberum iure naturali est validum; ergo idem.

10 Dices 1. Alij contractus ex leui metu sunt inualidi in foro conscientiæ; ergo multò magis matrimonium. 2. In tantùm matrimonium graui metu contractum est inualidum, in quantùm præsumitur non affuisse consensum; sed ius innitens præsumptioni non habet locum in foro conscientiæ; si veritas in contrarium stet; vt habetur *de sponsal. c. tua*; *& c. is, qui fidem*; ergo idem. 3. Metus leuis in fœmina est grauis; ergo eadem ratione in viro inconstanti est grauis.

Resp. ad 1. neg. ant; omnis enim contractus ex leui metu est validus in vtroque foro; quia censetur factus sine metu, vt diximus. Ad 2. neg. ma; nam inualiditas innititur iuri naturæ, non præsumptioni. Ad 3. neg. cons; sicut enim metus grauis in fœmina est, qui cadit, non in inconstantem, sed in constantem fœminam; ita metus grauis in viro est, qui cadit in virum constantem, non in inconstantem.. Tum quia, si metus est grauis in viro inconstante, sumus extra quæstionem de metu leui. *His supp.*

11 *Omnes DD*; excepto *Cardinali in c. 2. de his, quæ vi q. 1.* asserente matrimonium metu graui contractum non esse irritum ipso facto, sed rescindendum; *& quibusdam alijs* sentientibus esse nullum in foro externo, sed ratum in foro animæ;

omnes

omnes inquam, fatentur nullum esse in vtroque foro iure Ecclesiastico. Diffident autem de iure naturali. *Aliqui* volunt esse nullum tantùm iure Ecclesiastico, non iure naturali; vt *Dur; Palud; Maior; Gabr; Azor; Valent; Sanch; Coninch*; quos refert *Basil; Laym; Bonac; Aversa; & aly apud Mastr.* *Aly* verò *communiter* volunt esse nullum vtroque iure. *Ita Fund. Doct. Ægid. de Regim. Princip. lib. 2. p. 1. à c. 7. ad 17; Basil. lib. 4. c. 14; vbi refert D. Tho; Altisiod; Scot; Bassol; Turrecrem; Rebell;* quibus adduntur *Almain; Hiquens, Brancat; & Mastr. vbi sup. art. 3; & communiter aly.*

12 Vnica concl. Matrimonium graui metu iniustè incusso contractum iure naturali, & Ecclesiastico est nullum.

Prob. 1. *De sponsal. c. cùm locum; & c. veniens 2; & de eo, qui duxit &c. c. significauit* declaratur nullum esse matrimonium metu graui contractum ob eam rationem; quia *matrimonium consensu perficitur*; supponit autem Pontifex in matrimonio metu graui contracto deesse consensum, quo perficitur, adeòque esse nullum; nequit autem intelligi deesse consensum mixtum ex voluntario, & inuoluntario, qui necessariò reperitur in omni contractu ex metu graui facto; ideo intelligi debet de consensu plenè libero, qui ad matrimonium ex natura rei requiritur; sed matrimonium consensu perfici est de iure naturæ; est enim contractus, qui essentialiter consensu perficitur; & quia est contractus perfectissimus, essentialiter exigit consensum perfectissimum, seu perfectissimè liberum; qui quia non adest in matrimonio ex metu graui facto; ideo ius Ecclesiasticum illud nullum esse declarat; ergo ex ipso iure Ecclesiastico habetur nullum esse iure naturæ. 2. Ius positiuum siue ciuile, siue Ecclesiasticum nequit destruere id, quod statuit ius naturale; cùm enim ius naturale sit ius Diuinum, siue lex æterna scripta ab Auctore naturæ in cordibus hominum, & ius positiuum sit lex temporalis; æternum autem per temporale destrui nequeat, aliter æternum non esset; tum quia lex temporalis nequit derogare legi æternæ; aliter homo, qui fert leges temporales, esset supra Deum, qui tulit legem æternam; ille namque potest derogare legi alicuius legislatoris, qui est eo superior, vt constat; ideo ius positiuum siue ciuile, siue Ecclesiasticum nequit destruere id, quod statuit ius naturale; ergo matrimonium, quod est validum iure naturali, nequit esse nullum iure Ecclesiastico; sed è contra quod est nullum iure Ecclesiastico, à fortiori nullum est iure naturali. 3. Matrimonium iure naturali importat vnionem duorum perfectissimam summo amore firmatam; vt habetur *Gen. 2*; sed contractus duorum factus ex graui metu non importat vnionem duorum summo amore firmatam; nullus enim per amorem perfectè vnitur ei, cui inuitus adhæret; ergo matrimonium iure naturali excludit metum grauem cadentem in virum constantem. 4. Illud, quod est solubile iure Ecclesiastico, non est insolubile simpliciter; sed matrimonium factum est metu graui est solubile iure Ecclesiastico; ergo non est insolubile simpliciter; atqui matrimonium, quod non est simpliciter insolubile, est nullum iure naturali; quia matrimoniū iure naturali importat vinculum perpetuum simpliciter, & omnino insolubile, vt diximus *art. 3*; ergo matrimonium factum ex metu graui iure naturæ est nullum. 5. Si matrimonium factum ex metu graui esset validum iure naturali, tale matrimonium apud infideles esset insolubile; non enim obligantur iure Ecclesiastico; & ideo *apud illos* non solueretur vinculum iuris naturæ; sed cons. est falsum; ergo & ant. *Vid. alias rationes art. 1.*

13 Objic. 1. Quod metu geritur, est simpliciter voluntarium; actio enim facta ex metu est tantùm secundùm quid inuoluntaria; sed uoluntarium simpliciter sufficit ad validitatem matrimonij iure naturæ; ergo matrimonium factum ex metu iure naturæ est validum. 2. Alij contractus facti ex metu sunt tantùm irriti iure Ecclesiastico; ergo idem dicendum de matrimonio. 3. Quamuis metus leuis minuat voluntarium; attamen non inualidat matrimonium, quia non tollit voluntarium simpliciter; sed etiam metus grauis est huiusmodi; ergo idem. 4. Baptismus coactè susceptus est validus; vt habetur *de baptis. maiores*; & iuramentum extortum coactè validum est; vt *de iureiurando c. verùm, & c. si verò*; ergo à pari. 5. Etiam metus leuis tollit perfectissimam vnionem coniugum; perfectior est enim vnio etiam sine metu leui; & tamen non inualidat iure naturæ; ergo idem.

Resp. ad 1. dist. ma. Est voluntarium simpliciter, idest magis voluntarium, quàm inuoluntarium, conc; hoc tamen non sufficit ad matrimonium, ideo neg mi. Idest. putum voluntarium sine inuoluntario, neg. Ad 2. omisso ant. neg. conf; alij enim contractus non sunt ita perfectè voluntarij, sicut matrimonium, vt diximus. Vel neg. ant; contractus enim lucratiui, & promissorij ex metu graui non valent; vt docet *Basil. c. 6. cum communiori sententia*; licèt contractus onerosi, in quibus datur res pro re, validi sint; quia, vt docet *idem c. 7*; ad hos non requiritur, nisi iustus titulus, & voluntarium simpliciter; ad illos autem, qui sunt putæ liberalitatis, vt donationis, & promissionis, requiritur plena libertas, quia qui donat, vult rem in nullo casu, ad se non reuerti, vt habetur *l. donationes de donat*; qui autem donat coactus, vellet rem ad se reuerti; ideo non donat. At verò in contractu rei pro re, seu oneroso, cùm non requiratur perfecta vnio animorum; sicut requiritur ad matrimonium; ideo sufficit voluntarium,

& iustus titulus. Quę verificari nedum iure naturali, sed etiam positiuo docet *Basil.* Ad 3. neg. causalitas ma; non enim metus leuis validat, quia non tollit voluntariũ simpliciter; sed quia cùm paruus sit, pro nihilo reputatur; vel quia censetur voluntarius, quia de facili abijci potest. Ad 4. neg. cons; nam matrimonium hoc habet specialiter ex sua ratione formali, vt exigat consensum plenè, & perfectè liberum; baptismus autem, & iuramentum exigunt tantùm, vt voluntariè suscipiantur. Ad 5. neg. ant; nam leuis metus censetur voluntarius, vt dictum est; ideo consensus sine metu leui non est magis voluntarius.

14 Iust. Matrimonium filij cogente patre fuit validum *iure ciuili, & canonico*; ergo idem.

Resp. neg. ant; aliud enim est matrimonium consentiente patre valere, vt diximus *art. 5. n. 1*; & aliud patre cogente; illud verum fuit, hoc nunquam.

15 Idem dicendum de matrimonio ex metu graui, etiamsi ex metu pariter consummaretur; illa enim copula esset fornicaria, non coniugalis. An autem excusso metu, & accedente consensu maritali, non fornicario, se copulantes efficerent matrimonium; dicendum, quòd in partibus, vbi viget *Trid*; non efficeretur, necessaria est enim pręsentia parochi, & testium; in partibus verò, vbi non viget, efficeretur. Idem dicitur de cohabitatione etiam sine copula, quæ si esset ex metu, non esset signum perfecti consensus; secus si metus cessasset. Idem tandẽ dicitur de matrimonio per procuratorem contracto; si enim commissio esset ex metu graui, nulla esset, & nullum matrimonium.

16 Replic. Si matrimonium exigeret plenissimam libertatem, sequeretur etiam metum iustè illatum illud irritum reddere; cùm non modicùm officiat libertati.

Resp. neg seq; nã metus iustè inflictus censetur liberè volitus, vt diximus. *Aliqui* tamen, inter quos *Brancati* asserunt solùm metum iustè illatum à iudice, matrimonium validum efficere; irritare tamen, si inferatur à persona priuata; vnde pater inueniens filiam, vel consanguineus consanguineam in copula, si minitetur mortem, mutilationem, vel aliquod graue damnum ei, qui se illi copulauit; irritum est matrimonium; vt colligitur *de sponsal. c. veniens.*

17 Sed hæc doctrina vniuersaliter falsa est; nam quęlibet persona priuata ex metu iusto internè concepto validum efficit matrimonium; vt si quis reus existens in carcere, vt mortem effugiat, eligat ducere filiam iudicis, vel alterius, vt placuerit iudici, validum est matrimonium. Doctè ergo inquit. 1. *Basil. c. 19*; quòd iudex cogens aliquem, qui fidem dedit, ad contrahendum minis, & pęnis non inualidat matrimonium; vt habetur *ex d. c. veniens.* 2. Si quis fidem non dedit, ob aliquod delictum trudatur in carcerem, vel obsideatur, vt morti tradatur; si ille, vt mortem euadat, matrimonium exhibeat, vt mortem effugiat, validum est matrimonium; quia iudex, vel Princeps non minatur mortem eo fine, vt contrahat matrimonium; adeoque non cogit ad matrimonium, nec violentiam infert consensui, sed tantùm mortem minatur, vt puniat delictum. 3. Si pater, aut consanguineus minetur mortem, aut mutilationem ei, quem reperit cum filia, aut consanguinea, nisi matrimonium cum ea contrahat; matrimonium inualidum est; quia talis metus est iniustè inflictus; non enim priuata persona potest mortem inferre, mutilare &c; ex quo apparet *Brancatum* extra casum loqui, scilicet de metu iniustè, non iustè, illato, de quo sermo est in præsenti; & *dictum c.* loqui pariter de metu iniustè illato; ideo eo nihil probari. At si pater, aut consanguineus minetur apud iudicem eum accusare, quod iustè facere potest; tunc si consentiat contrahere, validum est matrimonium; quia tunc metus est iustè incussus; iustè enim exigitur iniuriæ acceptæ compensatio. 4. Si iudex reo iustè ad mortem damnato matrimoniũ exhibeat, quo à morte se liberet; vel alicui in stupro apprehenso mortem minetur, nisi eam ducat vxorem, cui tamen fidem non dedit; inualidum est matrimonium, quia talis metus infertur iniustè; cùm ex iustitia ille non teneatur, nisi vel ducere, vel dotare. Idem docet de medico, qui ex iustitia curare tenetur, minante se deserturum fœminam infirmam, nisi secum contrahat; iniustus enim est talis metus; sicut iniustus est metus, qui est contra bonos mores. Ex quibus colligitur, quomodò possit Princeps matrimonia suorum subditorum impedire, vel cogere.

18 Quæres 1; an is, qui liber est à metu, possit resilire à matrimonio?

Resp. *Basil. c. 15*; quòd si ille, qui sine metu consensit, non fuit conscius metus alteri illati, potest liberè resilire, etiamsi ille, qui fuit coactus, nolit resilire; nullam enim huic irrogauit iniuriam, quia metum ei non incussit; & aliunde matrimonium ex vtráque parte est nullum; cùm non possit claudicare, & ex vna parte tantùm valere, est enim mutuũ vinculum duorum. At si illę, qui fuit sine metu, fuit conscius, vel causa metus alteri illati, volente illo contrahere, resilirę in conscientia non potest. Est *cont. Sanch*; est tamen *omnium aliorum DD. communiter*. Nam is, qui intulit vim; vel conscius, & consentiens fuit illi vi, tenetur resarcire iniuriam per vim ei illatam iniustè, etiam ante iudicis sententiam; hoc enim exigit ipsa iustitia; nec declaratione iudicis indiget; sed is, qui sine metu contraxit, fuit conscius, & consentiens metui alteri illato, vt supponimus; ergo tenetur iniuriam resarcire. Atqui nequit resarcire iniuriam, nisi stando contractui, si illę resilire

detre-

detrectet; æqualis enim compensatio consensus coacti est liberum posteà consensum præbere; ergo conscius, & consentiens metui alteri illato tenetur non resilire, si ille, qui fuit coactus, resilire detrectet. Facit etiam *de eo, qui duxit &c. c.1;* vbi dicitur, quòd cùm coniugatus secundam vxorem duxisset adhuc prima vxore uiuente; mortua deinde prima vxore non esse separandum à secunda vxore, nisi ista separari voluerit; quod habet etiam *lex finalis tit. 2. partit. 4;* vbi optionem reliquit decepto, & obligationem decipienti; ergo à fortiori dicendum est optionem relinquendam esse coacto, & obligationem cogenti, seu conscio, & consentienti coactioni; agens enim, & consentiens pari pœna puniendi sunt, ut compertum est.

19 Nec valet, quòd ait *Sanch;* scilicet in hac coactione leuem iniuriam fieri; atque adeò reparatione opus non esse. Nam contra est; quæ enim maior iniuria potest alicui irrogari, quàm facere, vt tradat se ipsum sub perpetuum alterius dominium, quod in matrimonio fieri necesse est? Vnde licèt is, qui sine metu consensit, non teneatur ratione delicti, aut ratione matrimonij, quod nullum est, vt inquit *Sanch;* tenetur tamen ratione iniuriæ illatæ, quæ in eodem genere est compensanda, cùm potest. Alia, quæ inutiliter coaceruat *Sanch;* ex dictis soluuntur faciliter.

20 Quæres 2; quomodò is, qui ex metu contrahit matrimonium, à peccato excusetur, cùm irritum reddat sacramentum?

Resp. excusari; quia in eo casu non intendit facere sacramentum, cùm non intendat efficere contractum legitimum, qui sine coactione esse debet, & qui solus eleuatus fuit ad esse sacramenti, vnde sicuti si quis adhiberet vinum, & diceret: *Ego te baptizo &c.* non intendens conficere sacramentum baptismi, non esset sacrilegus; ita quia ille intenderet facere contractum coactum, non intenderet facere sacramentum; cùm contractus coactus non possit esse sacramentum, non esset sacrilegus.

21 Quæres 3; an quando matrimonium fuit à principio nullum ratione alicuius defectus, debeat renouari vtriusque consensus; & hæc nullitas debeat notificari ei, qui ignarus est?

Resp. quòd si matrimonium est nullum defectu consensus vtriusque, ab vtroque procul dubio debet elici consensus; non enim fit, nisi ex consensu mutuo. Si verò sit nullum solùm defectu consensus alteriusutrius; hoc dupliciter esse potest, nam vel talis defectus est aliquod impedimentum dirimens, v. g. consanguinitatis, etiamsi vni tantùm notus sit hic defectus; tunc renouari debet ex parte vtriusque, & per consequens alter, qui est ignarus, debet conscius fieri, vt renouet consensum; & in hoc conueniunt *omnes DD.* Vel ille defectus ex parte vnius est fictio, vel metus, vel error; & eodem modo renouari debet vtriusque consensus, & notificari alteri, qui est ignarus. Ita docent *Basil. lib. 4. c. 25; Comitol; Hurt; Brancat; & Mastr. vbi s. n. 146. cont. Sanch; Nauar; Coninch; Rodriquez, Henriquez, Auersam, Bonac; & alios.* Prob. 1. ex declaratione *Clem. VIII;* quam refert *Comitol;* cùm enim quædam fœmina consensu ficto nupsisset, & filios suscepisset ex nuptijs, mota conscientiæ remorsu consulerit Papam, qui respondit *necessarium esse nouum consensum vtriusq; coram parocho, & testibus admonito priùs marito de matrimonij nullitate. Sed ad euitandum scandalum Sanctitas dispensauit, vt secretò inter se contrahant renouato consensu;* & ratio est. Nam consensus legitimus vtriusque essentialiter ad matrimonium requiritur; sed ab initio neuter consensus fuit legitimus; non quidem fictus, vt constat; nec verus, quia ille est legitimus, qui refertur ad consensum verum alterius; ille enim solus est legitimus, cui correspondet ex altera parte verus consensus; leges namque volunt, ut sit mutuus adhoc, vt sit legitimus; ex alia autem parte non correspondet uerus consensus, sed fictus; ideo nec consensus, quauis uerus, fuit legitimus; ergo uterque consensus debet renouari, ut matrimonium sit ualidum. 2. Nulla potest unquam assignari uera disparitas, cur ad ualidandum matrimonium nullum ob aliquod impedimentum dirimens debeat renouari utriusque consensus, & debeat coniugi ignaro nullitas reuelari; & non quando est nullum defectu consensus; sed primum concedunt *Aduersary;* ergo & secundum tenentur concedere.

22 Nec sufficit notificatio, quam afferunt Aduersarij: scilicet: *Ego ita te diligo, vt quamuis matrimonium esset nullum, adhuc illud contraherem; seu quamuis sit nullum, ego de nouo illud contraho;* non sufficit, inquam; nam hoc est solùm ad exprimendum amorem, non autem ad notificandam fictionem; nec hoc inducit coniugem ad eliciendum nouum consensum, sed tantùm ad augendum amorem; tum quia hoc à principio non sufficeret; ergo nec posteà sufficit; cùm enim illud matrimonium ab initio sit nullum, taliter contrahi debet, ac si nullo modo fuisset vnquam ficte contractum. Ex quo euertitur etiam *Aduersariorum* doctrina asserentium sufficere elicere consensum interiùs, non exteriùs; à principio enim consensus internus non fuit sufficiens, ergo nec post fictum contractum. Tum quia Papa mandat, vt fiat coram parocho, & testibus; quod nequit esse, nisi exteriùs. *Vid.* quæ diximus *art. 5.* Nec obstat; quòd consensus illius, qui uerè consensit, sit uerus, & censeatur uirtualiter manere in actibus matrimonij; ut dicitur de baptismo fictè suscepto. Non obstat, inquam; nam hoc potest etiam dici de eo, qui uerè consensit ignorans aliquod impedimentum dirimens, u. g. consanguinitatis; & tamen admonitus de tali impedimento, & obtenta dis-

dispensatione tenetur iterum consentire; ut fatentur etiam *Aduersary*; nam licèt primus consensus fuerit uerus, non fictus, non tamen fuit legitimus, quia non fuit mutuus, ut diximus; consensus autem in baptismum fuit uerus, & legitimus, quia uerè intendit baptismum suscipere, & nihil ampliùs requiritur; ideo iste censetur durare in suis actibus, quia actu fuit; ille uerò non censetur durare, quia non fuit; impossibile enim est, quòd aliquod, quod non est, nec fuit, dicatur durare; quia durare est permanere in esse; implicat autem; quòd illud, quod non habet, uel non habuit esse, in esse permaneat.

§. 1.

An consensus ex dolo, seu ex errore sufficiat?

23 Error in contrahentem potest induci vel ex ignorantia ipsius contrahentis; vel ex dolo alterius contrahentis, aut alterius tertiæ personæ. Quæritur *hic*, an, & quinam error, quomodocumque inductus sit, matrimonium inualidet? Quadruplex autem error, vt colligitur *ex Fund. Doct. Æg. de Renanc. Papæ c.8*; solet distingui. 1. Circa personam; vt cùm intendenti contrahere *cum Berta* supponitur *Beia*. 2. Circa conditionem; vt cùm quis intendit contrahere cum libera, contrahit cum serua. 3. Circa qualitatem intrinsecam; vt cùm quis intendit contrahere cum pulcra, nobili, vel virgine, contrahit cum deformi, ignobili, vel deflorata. 4. Circa qualitatem extrinsecam, seu circa bona fortunæ, vt sunt diuitiæ; cùm quis intendit contrahere cum diuite, contrahit cum paupere. Hæc erroris diuisio quadrimembris ad bimembrem reduci solet; vel enim error est circa substantiam matrimonij; & sic est circa personam; persona enim est de substantia matrimonij, quod essentialiter importat duas personas inuicè contrahentes; vel est circa accidentia, quæ accidunt ipsis personis, vt sunt ingenuitas, & seruilitas, pulcritudo, nobilitas, virginitas, & deformitas, ignobilitas, & corruptio; & tandem diuitiæ, & paupertas; ideo error circa accidentalia in tria vltima membra subdistinguitur. Aliquando tamen error circa accidentalia dicitur transire in errorem personæ, vt docet *D. Tho. in suppl. q. 91. art. 2. ad 5; & ex illo Basil. lib. 4. c. 22. cum Sanch; Coninch; & alijs communiter*; quod licèt ægrè, & obscurè explicetur à pluribus; explicatur tamen faciliter. Tunc error qualitatis censetur transire in errorem personæ, cùm qualitas assumitur pro obiecto formali consensus; vt *contraho cum filia pulcra, non cum deformi; contraho cum nobili, vel diuite; non cum ignobili, aut paupere*; tunc enim isti contractus virtualiter sunt condionati; sensus naque est: *Contraho cum filia Sortis, si pulcra, nobilis, & diues sit*; vnde licèt pulcritudo, nobilitas, & diuitiæ non sint essentialia personæ, cum qua contrahit; sunt tamen essentialia consensui, quo contrahit; quia ab illis essentialiter dependet; sicut quanuis assensus patris non sit quid intrinsecum essentiale filio, vel filiæ; attamen quando assumitur, vt conditio, dicitur essentialis consensui, qui ab illo essentialiter dependet; ita à pari. Dicitur autem transire in personam, quia est ratio, seu causa consentiendi in personam. Tunc error qualitatis tantùm accidit personæ, & concomitanter, aut consequenter ad personam se habet; quando contrahens non cogitat de qualitate personæ, scilicet de ingenuitate, nobilitate, virginitate &c; aut de seruilitate, corruptione &c; & si cogitet, adhuc cum ipsa contraheret; vel actu non intendit annectere suum consensum illi qualitati ita, vt si non existat illa qualitas, intendat non consentire. Nec sufficit, quòd hoc virtualiter interpretatiuè intendat; quia ad matrimonium non sufficit voluntarium virtuale, interpretatiuum, & implicitum, siue imputatiuum; sicut sufficit ad peccatum; sed requiritur voluntarium formale, expressum, & explicitum; quia non sufficit consensus interpretatiuus, virtualis, implicitus, sed requiritur verus formalis, realis, & expressus consensus. Sic intelligitur illa diuisio *à DD; & iuris interpretibus* sæpe vsurpata; scilicet dolum, & errorem quandoque dare causam contractui; & tunc est, quando qualitas assumitur, vt causa formalis, vel conditio contractus; tunc enim consensus, quo fit contractus, ab illo, tanquam à causa, ad quam sequitur, essentialiter dependet; quandoque verò incidere, seu accidere, aduenire, concomitari, vel consequi ad contractum; & tunc merè accidentaliter se habet.

24 Vnica concl. Consensus ex errore ex dolo, vel ex ignorantia inducto, si error sit circa personam, ad validitatem matrimonij non sufficit; si verò sit circa qualitatem personæ omnino materialiter, concomitanter, aut consequenter; & ideo non transeat in errorem personæ, non irritat matrimonium; at si sit circa qualitatem formaliter assumptam, vt causam, vel conditionem antecedētem, à qua essentialiter dependet consensus, matrimonium inualidat; & hæc intelligenda sunt etiam de iure naturæ.

Prob. 1. pars. Ad validitatem matrimonij iure naturæ essentialiter requiritur consensus determinatus in talem numero personam; nam iure naturæ requiritur mutuus consensus; vt diximus *art. 3*; sed error circa personam non importat mutuum consensum; nam si *Titius* consentiat *in Beiam*; & *Seia*, non *Beia*, consentiat *in Titium*, est error circa personam; & non est mutuus consensus; nam tunc solùm est mutuus, cùm vnus consentiēs dirigit suum consensum

sum in talem numero personam, à qua in eundem consentientem proprius consensus dirigitur; in casu autem persona, in quam *Titius* consentit, non consentit *in Titium*; ideo non est mutuus consensus, sicut etiam notum est in alijs contractibus; vt si *Caius* consentiat emere *à Sempronio* aliquam rem; *& Iulius* consentiat vendere *Sempronio* non eandem, sed consimilem rem, non est mutuus consensus, & ideo nullus est contractus; ita à pari; ergo error circa personam iure naturæ matrimonium inualidat. Constat etiam iure positiuo; habetur enim *29.q.1.c.unico; & de sponsal.c.tua nos; & pluribus alijs in locis*, vbi statuitur mutuum consensum ad matrimonij validitatem necessariò requiri. Ex quo deducitur inualiditatem matrimonij ortam ex errore circa personam non posse ab Ecclesia suppleri; quia nequit facere, vt validum sit matrimonium, quod est irritum defectu consensus exacti, qui debet esse essentialiter mutuus; hoc enim exigit natura ipsa contractus. Hoc autem probat nedum de errore antecedente, qui dedit causam contractui; sed etiam de concomitante; nam si quis errans circa personam ita esset dispositus, vt etiamsi non erraret, adhuc contraheret, adhuc irritum esset matrimonium; quia matrimonium essentialiter constat ex mutuo consensu vero formali, reali, & expresso, non ex virtuali, interpretatiuo, & implicito; vt diximus.

25 Prob.2.pars, quæ pariter communis est, sicut prima. Siue ijs, quæ accidentaliter se habent ad essentiam matrimonij positis essentialibus validum est matrimonium; vt patet de alijs sacramentis; quæ sine ceremonialibus accidentaliter adhibitis valent; sed error circa qualitatem personæ concommitanter se habens est huiusmodi; non enim ex eo, quòd quis non contraheret, si sciret illam qualitatem, argui potest illam qualitatem esse de substantia matrimonij; aliter putans fœminam nunquam esse infirmandam, aut nunquam amissuram pulcritudinem, vel diuitias, & cetera huiusmodi, validè non contraheret; quod esset matrimonia ferè omnia inualidare; ergo error circa qualitatem personæ non inualidat matrimonium. Habetur *39.q.1.c. vnico.*

26 Prob. 3.pars. Sine consensu inualidum est matrimonium; sed error circa qualitatem assumptam, vt rationem formalem, vel vt causam, & conditionem, à qua dependet consensus, est sine consensu; implicat enim dari effectum sine causa; ergo error circa qualitatem assumptam, vt rationem formalē, seu vt causam, vel conditionē, reddit matrimonium inualidum. Tū quia error circa personā inualidat matrimonium; sed error circa qualitatē, quæ transit in personam, est circa personam, vt diximus; tunc enim assumitur, vt specificatiua talis personæ; ergo reddit matrimonium inualidum. Adde, quòd quando qualitas in vna tantùm persona reperitur, tunc transit in personam, quia illam determinat, & distinguit ab omni alia persona; & ideo error circa illam qualitatem est error circa personam.

27 Tandem error circa conditionem personæ matrimonium irritat; ut cum quis putans accipere liberam accipit seruam *29. q. 2.c.si quis; extra de coniug.seruorum c. ad nostram.* Qui tamen scit esse seruam, & contrahit; ratum est matrimonium. *29.vbi s. & c.Si fœmina, & de coniug.seruorum c. proposuit; & c.ad nostram.* Si tamen post matrimonium contractum fiat serua, non dirimitur *29.q.2.c.perlatum est.* Et si seruus cum serua contrahat etiam inuito Domino, validum est. *de coniug. seruor.c.dignum.* Sed de hoc *in seq. q.*

28 Collig.1.ex dictis; si quis promitteret primogenitā, & daret secundogenitā, vel è contra; vel promitteret *Beiam*, & daret *Seiam*; nullū esset matrimonium, quia error esset circa personam. Sicuti si promitteret primogenitam, & ostenderet secundogenitam, irritum esset, quia ille consentiret in eam, quæ ostenditur. Si tamen traderet eam, quam ostendit asserens esse suam filiam, & tamen eius filia non esset, validum esset; quia consentiret in eam, quæ ostenditur; & aliunde contrahens non intenderet assumere, vt conditionem, filiationem, cui essentialiter annecteret suum consensum; in hoc enim casu qualitas transiret in personam. Sic qui promitteret diuitem, nobilem, pulcram &c; & daret pauperem, ignobilem, deformem &c. In quo notandum est errorem circa personam esse propriè, cùm non tribuitur, vel accipitur ea, quæ fuit promissa, & ostensa, cùm autem tribuitur ea, quę fuit promissa, & ostensa, quanuis asseratur eā esse suam filiam, nobilem &c; non est error circa personam, sed circa qualitatem personæ; ideo tenet matrimonium in hoc secundo casu, non in primo.

29 Quæres; an, qui putant se teneri aliquo vinculo dirimente, quo re vera non tenentur, si contrahant, validum sit matrimonium?

Resp. *Basil.* affirmatiuè; in tantùm enim putantes se teneri aliquo impedimēto contrahunt; in quantùm adhuc supposita scientia iuris prohibētis cogitāt posse aliquo modo matrimoniū tenere, vel ex dispensatione, vel ex facto &c; aliter nullo modo contraherent; implicat enim, quòd voluntas feratur in id, quod iudicatur impossibile ab intellectu; sed in tali casu est consensus conditionatus de præsenti, qui statim impletur, ergo matrimonium est validum.

30 Denique si duo per errorem inualidè contrahant, & postcà illud ratum habeant, validum non est; quia nihil est magis contrarium consensui, quàm error. *l.si per errorem ff. de iurisdict. omnium iudicum*; & ratificatio suppo-

nit

nit veritatem; nullitas autem ratificari non potest.

ART. VIII.

De consensu clandestino.

1 NOn est facile explicatu, quinam fuerit *apud antiquos* consensus clandestinus, seu matrimonium, quod clandestinum dicitur, quia consensu clandestino celebratur. Quamuis enim hæc vox *clandestinum* significet aliquod quod occultè fit, & in nullius præsentia; attamen hoc modo non sumitur in præsenti; licèt namque matrimonium nunc celebretur in præsentia parentum, & plurium testium; si tamen non celebretur in præsentia parochi & duorum, vel trium testium, clandestinum dicitur. Igitur *post Trid.* notum est matrimonium clandestinum esse, quod celebratur sine præsentia parochi, & testium. Sed *ante Trid.* quodnam fuerit, non ita manifestum est. *Aliqui cum Castro* asserunt clandestinum dictum fuisse tribus modis. 1. Quia celebratum sine vllis testibus. 2. Quia sine parentum cognitione. 3. Quia sine Ecclesiasticis declamationibus. Sed quamuis primus modus generaliter sumptus non determinando, quinam fuerint testes, sit verus; non enim eodem modo fuerunt semper testes adhibiti; attamen duo vltimi modi claudicant; nam parentum consensus *iure ciuili, & Ecclesiastico antiquitus* fuit exactus, vt diximus *art.* 5. *n.* 1; attamen *post Trid.* non est necessarius; ac propterea sine illo clandestinum non est. Sic quamuis denunciationes præscriberentur etiam *à Trid;* attamen in aliquo casu etiam sine illis, vt ait *Trid;* validum est; & ideo non est clandestinum; quod *post Trid.* nunquam validum est. Non est autem verisimile, quòd *Trid.* declarare voluerit clandestinum non esse, quod clandestinum erat antiquitus. *Basil. lib.* 5. *c.* 1. *n.* 1. ait clandestinum dici duobus modis vel quia fit sine solemnitate requisita in iure; vel quia fit sine denunciationibus. Sed quantùm ad denunciationes iam dictum est non efficere, vt matrimonium non sit clandestinum; quia adhuc sine illis clandestinum non est. *Aly* asserunt clandestinum dictum fuisse, quia celebratum sine parocho, & testibus; sed hoc etiam non videtur verum; nam vt constat *ex Euaristo, Conc. Carthag. IV; & alijs inf.* adducendis, sponsi antiquitùs benedicebantur publicè ab Episcopo, vel sacerdote; benedictio autem supponebat matrimonium iam contractum; vt etiam nunc ipsum supponit; vnde ex hoc non colligitur necessariam fuisse parochi præsentiam. *Aly* volunt, quod præsente parocho, absque tamen testibus; sed hoc ex nullo iure clarè potest probari. *Aly cum Hostien.* plures alios modos afferunt, qui reijciuntur ex dictis. Veriùs ergo dicendum *cum Io. Andrea, & Abbat. in cap. fin. de clandestina desponsat.* clandestinum dictum fuisse, quod celebratum fuit contra præceptum Ecclesiæ; & quoniam non eodem modo semper fuit hoc præceptum; ideo non eodem modo clandestinum dici debet. Vt autem hæc diuersitas explicetur.

2 Not. aliud esse aliquod esse prohibitum; & aliud esse inualidum, & irritum; vt prohibitum est ab Ecclesia, ne baptismus extra necessitatem conferatur sine solemnitatibus præscriptis ita, vt qui sic illum conferunt, & peccent, & punitioni sint subiecti; non tamen baptismus sic collatus est inualidus, & irritus. Ita matrimonia clandestina *ante Trid.* potuerunt esse prohibita, non inualida, & irrita; propter quod rectè docet *Trid. sess.* 24. *de reform. c.* 1. *matrimonia clandestina libero contrahentium consensu facta rata, & vera esse matrimonia; quandiu Ecclesia ea irrita non fecit.* Post *Trid.* autem sunt irrita prorsus, & inualida.

3 Itaque matrimonia clandestina *ante Trid.* fuisse prohibita probari solet *ex Euarist;* qui fuit anno salutis 112; & habetur 30. *q.* 5. *cap. aliter;* attestante consuetudinem Ecclesiasticam celebrandi matrimonia coram, non clam, fuisse *ab Apostolis* traditione deductam. Quod confirmatur *Conc. Arelat. III;* quod habetur *apud Gratian. ibid. c. nullum; Hormisd;* & habetur *ibid. c. nullus; Conc. in palatio Vernis sub Steph. III. can.* 13; *Conc. Foroiulien. sub Adrian. I. can.* 8; *Leo IV. ep. de cura pastorali; Nicol. I. ad Consulta Bulgar. cap.* 3; & habetur *in cit. qu.* 5. *c. nostrates; Concil. Londinen. sub Paschal. II. apud Baron. anno* 1102. *num.* 13; *Lat. sub Alex. III. in append. p.* 6. *c.* 8; *Lat. sub Innoc. III. c.* 31; & habetur *de clandestina desponsat. cap.* 3; *Rauenaten. II. sub Clem. V. c.* 19; *Turonen. sub Nicol. V. c.* 12; *Senonen. sub Clem. VIII. c.* 3; *Colon. sub Paul. III. p.* 7. *c.* 43; 44; *&* 45. *Syn. Augusten. sub eodem c.* 21; *Colonien. II. sub eodem c.* 31; *&* 32, *Mogunt. sub eodem c.* 38; & tandem *Trid. vbis.*

4 Rata tamen, & valida fuisse matrimonia clandestina sine vllis testibus celebrata per solum voluntarium vtriusque consensum est communis sententia. Sed an semper *ante Trid.* fuerint valida; difficilium est; nam *Petr. Ledesm; & Sanch.* affirmant; *Basil.* autem *c.* 3. *n.* 2. probabiliùs ait primis Ecclesiæ temporibus fuisse inualida; quod probat *cum Ferdinando Mendoza de confirmando Conc. Illiberit. lib.* 3. *à c.* 32; *Gentiano Herueto in er. ad Trid; ex Euarist. vbis.* asserente *aliter præsumpta coniugia esse adulteria; & cum Iurisperitis* asserentibus coniugia filiorum sine parentum consensu fuisse inualida, & irrita. Cæterùm temporum decursu eas leges in desuetudinem abijsse, & matrimonia clandestina fuisse valida; vt colligitur nedum *ex Trid. vbis.* sed etiam *de clandestina desponsat. cap. quod nobis.* Sicut autem ex decreto explicito ab initio fuerunt inualida; ita ex tacito consensu validitatem sumpserunt,

5 In

5 In Ecclesia autem esse potestatem validandi, & inualidandi matrimonia, quidquid dicant *heretici*; prob. ex eo, quòd Christus Dominus eleuauit matrimonium ad esse sacramenti, vt est contractus legitimus; potestas autem instituendi contractum legitimum tam ex parte materiæ, quàm ex parte formæ Principis determinationi competit; quia tamen contractus matrimonij eleuatus fuit ad ordinem sacrum; ideo potestas decernendi ea, quæ spectant ad validitatem, & inualiditatem matrimonij, vt est contractus, est in Ecclesia. Hoc autem non obstante semper immutabilis manet materia, & forma matrimonij, vt est sacramentum; quia Ecclesia nequit facere, quòd contractus legitimus inter duas personas circa mutuam corporum traditionem non sit sacramentum.

6 Ex hoc soluitur dubium; an matrimonium clandestinum vim habeat in foro conscientiæ, quando vero vtriusque consensu celebratum est sine vllo prorsus incommodo? Omissa enim sententia *Sot; & Io. à Pegna apud Basil.* asserentium leges humanas non attendere, vt contractus à personis legitimis celebratus irritus sit,sed tantùm, vt iudicetur, vt irritus; quod quamuis valeat in aliquo casu, in quo lex non statuit nullitatem ipso facto; in præsenti tamen locum non habet, cùm *Trid.* hanc nullitatem iure ipso, & ipso facto declaret. Item reiecta sententia *Panormit. in cap. quia plerique de immunitate Eccl. n. 42; & c. 1. in integrum de restitut; Adrian; & Sylu. v. hæreditas* asserentium validum esse in conscientia; quia fine legis cessante cessat etiam ipsa lex; finis enim istarum legum est euitare fraudes,quæ præsumuntur in contractibus; ideo cùm nulla est fraus, validus est contractus in conscientia. Dicitur ergo *cum Basil. c. 55* apud quem *Innoc. de immunit. Eccl. c. quia plerique, Bald. in l. 1. C. de sacrosanctis Eccl; Couar. in cap. cùm esset de testamentis, Mol; Vniuersitas Salmatic; noster Solon.* inualidum esse etiam in foro conscientiæ. Ratio est; quia quod ipso iure est nullum,non obligat in conscientia; quomodò enim quod nullum est, obligare potest? Imò lex ipsa in præsumptione fundata obligat etiam, quando nulla est præsumptionis materia in aliquo casu particulari, dummodò adsit in plurimùm; quia *non deficit lex non cessante causa legis*; sed causa legis est præsumptio in plurimùm, non in vno tantùm casu particulari; in hoc enim distinguitur præsumptio iuris; & de iure, quæ præsumit in vnoquoque casu particulari, à præsumptione in plurimùm; quòd illa non existente in aliquo particulari casu lex non obligat; vt lex lata *de sponsal. c. veniens, & c. is, qui fidem*; quæ mandat sponsalia secuta copula in matrimonium transire; casu, quo copula non sequatur, lex non obligat, vt sponsalia in matrimonium transeant; lex enim illa statuta est pro quolibet casu in particulari; vnde quando non præsumitur aliquis casus particularis, lex illa, quæ in præsumptione fundatur, non obligat. At præsumptio, vt in plurimùm, adhuc aliquo casu particulari non existente obligat, non enim statuta fuit ob casum in particulari, sed vniuersim pro omni casu; vt lex prohibens matrimonia ad euitandos dolos, & incommoda in vniuersum, dato, quòd in aliquo casu particulari non sit dolus, aut incommodum vllum, adhuc obligat; ergo matrimonium in casu etiam, in quo non est dolus, non obligat, quia nulla est lex obligationem inducens. Hinc infertur; quòd innocens secundùm allegata, & approbata probatus nocens, non obligatur in conscientia ad parendum, si absit scandalum; quia hæc præsumptio est iuris, & de iure obligans in vnoquoque casu particulari, non in plurimùm; idem dicitur de iniustè excommunicato.

7 Ex his infertur *cont. Sot. dist. 22. q. 1. art. 2; & Graffium lib. 2. decision. c. 86.* asserentes etiam *post Trid.* matrimonium clandestinum in aliquibus casibus validum esse. 1. Si fœmina sit sub tutela iniqui tutoris, & clandestinè contrahat, ne tutor eam viro ignobili tradat. 2. Si mortaliter vulneratus deficientibus parocho, & testibus contrahat cum concubina, vt filios ex illa susceptos legitimet. 3. Si concubinarij iter facientes periculum mortis incurrerent, ad quod vitandum matrimonium sufficeret. 4. Si aliquibus maximè expediret nubere,& prudenter metuerent, ne impedirentur contrahere, secretò consentirent animo deinde publicandi. Reijciuntur autem allata ratione. Præsumptio, vt in plurimùm, semper & in omni casu particulati obligat, nullo prorsus excepto; sed lex *Trid.* circa matrimonium clandestinum nititur præsumptioni, vt in plurimùm, vt dictum est; ergo in omni casu, nullo prorsus excepto, obligat. 2. Præsentia parochi, & testium assignata est pro forma contractus; vel saltem pro conditione necessaria ad validitatem contractus, sine qua contractus irritus est, & inualidus; sed matrimonium nequit esse validum, nisi sit valida in ipso ratio contractus; ergo in nullo casu post *Trid.* in locis, in quibus viget, sine præsentia parochi, & testium potest matrimonium validum esse; & per consequens licèt aliæ leges Ecclesiasticæ possint epicheiam recipere;ista tamen non potest, quia tolleretur essentia contractus.

8 Infertur 2. decisio alterius duplicis dubij. 1. An si quis contraheret sine interno consensu coram parocho, & testibus, volens posteà verè contrahere, sufficeret clandestinè consentire, idèst sine præsentia parochi, & testium. 2. An, qui verè contraxit præcedentibus denunciationibus debitis,ex quibus nullum impedimentum innotuit, contracto posteà matrimonio, & filijs ex eo susceptis, si aliquod impedimentum canonicum innotescat; & dispensatione à Pontifice obtenta, teneatur iterum coram parocho, & te-

& testibus, vel sufficiat clandestinè contrahere?

Resp. teneri in vtroque casu contrahere coram parocho, & testibus. *Ita Basil;* apud quem *aly lib. 5. cap. 6. n. 6;* quibus adde *Mastr. q. 8. art. 1. n. 235; Auersam, Brancat; & alios communiter contra Nauar; Sot; Petr. Ledesma, Sanch; & Rebell.* asserentes non teneri, quando impedimentum est occultum, & scandalum sequeretur, si renouaretur consensus coram parocho, & testibus. Prob. tamen ijsdem rationibus; quia præsumptio in plurimùm nullum casum excipit; & sine vera contractus ratione nunquam potest haberi contractus. Tum quia matrimonium primò contractum fuit nullum; ergo perinde se habet, ac si celebratum non fuisset; at si celebratum non fuisset, deberet coram parocho, & testibus celebrari; ergo & postea. Item *Clem. VIII;* vt diximus *in sup. art. à n. 20;* mandauit celebrandum esse coram parocho, & testibus, se tamen ob scandalum dispensare in solemnitatibus; ex quo consequitur illud impedimentum fuisse occultum; aliter nulla dispensatione à solemnitatibus publicis opus fuisset ad vitandum scandalum; *& Seraphin. decis. 9?0.* refert se consuluisse *Card. Caraffam,* qui respondit, quòd quando impedimentum est occultum, Papa dispensare solet in solemnitatibus *à Trid.* requisitis; si verò sit manifestum, repetendas esse omnes solemnitates; ergo consensus clandestinus per se non sufficit, nisi dispensetur à Papa. Idem respondit *Rota apud Farinac. tom. 2. decis. 165;* vbi sententia *Sanch.* expresso eius nomine reijcitur, tanquam contraria declarationi *Sacr. Congr. Concily* mandanti omnia renouanda esse, quæ *a Trid.* statuuntur. Nec officit, quòd *Petr. Ledesma* referat *Pium V.* declarasse clandestinum consensum sufficere; fallitur enim *Ledesma;* nam *Pius V.* dispensauit, vt dispensauit *Clem. VIII;* non autem declarauit sufficere. Super hoc tamen nequit Episcopus dispensare, sed solus Papa, vt *inf.*

9 Quæres; an duo infideles venientes ad fidem debeant renouare coram parocho, & testibus consensum legitimè præstitum in infidelitate; vt matrimonium eleuetur ad esse sacramenti; vel sufficiat clandestinè consentire?

Resp. *Basil.* matrimonium legitimè contractum inter infideles nunquam posse fieri sacramentum, vt diximus *art. 2. §. 2. n. 25;* fieri autem ex legitimo ratum per solam susceptionem baptismi; vt habetur *de diuortys c. quantò.*

10 Diximus autem; *vbi viget Concilium;* non quòd ad hoc, vt obliget *Concilium,* pendeat à populi acceptatione; acceptationem enim non requiri ad hoc, vt lex obliget, ostendimus *to. 4. q. 2. de leg. art. 2. §. 2. n. 44; & de fide q. 4. de hier. Eccles. art. 5. n. 12;* sed quia in illis regionibus, etiamsi Catholicorum sint, dignatur Pontifex ex tolerantia dispensare, vt seruetur ritus *ante Trid.* statutus; siue *Concilium* nullo modo sit receptum, siue non sit receptum tantùm quoad hanc partem, seu *sessionem 24;* in qua matrimonij formam præscribit; in illis autem regionibus matrimonia clandestina, seu sine parocho, & testibus contracta valent.

11 Quoad peregrinos dicendum, quòd incolæ illius loci, vbi *Trid.* non viget, si peregrinentur in terris, vbi viget, tenentur formam *Tridentini* seruare. *Ita Basil. hic c. 9;* vbi refert *Sanch; Ledesm; & Salas.* Sic incolæ regionum illarum, in quibus viget *Trid;* si migrent ad terras, vbi non viget; etiamsi domicilium non figant, nec multò tempore commorentur; possunt validè matrimonia clandestina contrahere seruatis antiquis Ecclesiæ statutis; quòd scilicet ita fiant, vt possint probari. *Ita ydem,* quibus additur *Rebell.* Ratio est; nam peregrini, & vagantes tenentur legibus, statutis, & consuetudinibus eorum locorum, per quæ transeunt, si iuster obseruantiæ præceptum; vt docet communior sententia, quam tenent *Sua. t. 1. de relig. tract. 2. lib. 2. de diebus festis c. 14. à n. 8; Salas de Leg. disp. 16. sect. 4. concl. 4; Vasq. to. 3. in 3. p. disp. 184. c. 7. n. 28; Basil. c. 7. §. 1; & aly;* & prob. ex verbis *D. Ambr;* quæ refert *S. P. Aug. epist. 118;* cùm enim eius mater vidisset, quòd *Romæ* sabbato ieiunaretur, non autem *Mediolani,* dubitare cœperat, quid ei esset faciendum? Super quod *S. P. Aug. S. Ambrosium Episcopum* consuluit; qui sic ei respondit: *Cùm Romam venio, ieiuno sabbato; cùm hic sum, non ieiuno;* quod habetur *dist. 12. c. illa;* ex quo deducitur solas leges, & consuetudines, quæ vim legis habent, communiter receptas esse communiter seruandas; eas verò, quæ non sunt communiter receptæ, seruandas esse in illis regionibus, in quibus eas transgredi peccatum est. Idem docet *S. P. Aug. lib. 3. de Doctr. Christ. c. 22, & refertur dist. 41. c. quisquis; & lib. 3. confess. cap. 9;* quod refertur *dist. 8. c. quæ contra: Pactum inter se gentis, aut ciuitatis consuetudine, vel lege firmatum nulla ciuis, aut peregrini libidine violetur; turpis est enim omnis pars vniuerso suo non congruens. & epist. 89. ad Casulan.* Nec dici potest *S. P. Aug.* loqui, cùm scandalum oritur; vel loqui de consilio, non de præcepto; vel loqui de illis, qui sunt in aliquo loco intentione manendi; vel saltem pro maiori parte anni, vel notabili mora; vt solent respondere *Sanch; Azor; & aly.* Contra enim est; nam *S. P.* non sumit rationem ex scandalo, sed ex congruentia, & conformitate, quam pars debet habere cum toto; vt patet ex *3. lib. confess. vbi sup.* peregrinus autem transiens per aliquem locum pars est pro illo tunc illius loci; quia societatem habet cum illis hominibus. Item ait flagitiosum, vel superstitiosum esse eum, qui non seruat consuetudines eorum, inter quos versatur; vt *de doctr. Christ. vbi sup.* &

turpem vocat *lib. 3. confess*; non agens autem aliquod de consilio nec flagitiosus, nec superstitiosus, nec turpis dici potest. Insuper *S. Ambr.* non ibat *Romam* animo manendi, erat enim *Mediolani Episcopus*; nec notabili tempore, nec maiori anni parte; & ratio adducta ex non congruitate probat siue de multo, siue de breui tempore; ideo *ex allatis textibus* apertè deducitur peregrinos etiam transeuntes teneri legibus eorum locorum, per quæ transeunt. Quod prob. nedum ex allata ratione, scilicet quia pars iure naturali debet conformari cum toto; sed etiam quia scandalum vix potest abesse, aut saltem prauum exemplum ijs, qui morantur. Tum quia peregrinus, licèt non sit subditus Principi illius loci, per quem transit, quoad sua bona, est tamen subditus quoad personam; nam si aliquod delictum in eius ditione committat, ab eo iustè punitur; vt habetur *in Clement. pastoralis de sent; & re iudic; & de foro compet. c. fin; & c. postulasti; & 2. q. 1. c. si peccauerit; & 6. q. 3. can. placuit; Farinac, & alij communiter*. Tum quia peregrini existentes extra suas terras non tenentur legibus sui territorij; vt docent *communiter omnes DD. apud Basil. lib. 5. cap. 8*; nam illæ leges affixæ sunt loco, non personis; & colligitur *ex ijsdem textibus*; aliter S. Ambr. Romæ potuisset non ieiunare &c; ergo debent teneri legibus locorum, per quæ transeunt, vel in quibus ad breue, vel longum tempus morantur; aliter nulla lege tenerentur, & essent exleges. Tum quia sicuti ex eo, quòd aliquis semper commoretur in aliquo loco, infertur, quòd semper teneatur legibus illius loci; ita ex eo, quòd per aliquod tempus moretur in alio loco, rectè infertur teneri legibus illius loci; sicut enim se habet simpliciter ad simpliciter; ita secundùm quid ad secundùm quid; ergo peregrini, quamuis orti in regionibus, vbi viget *Trid*; peragrantes terras, vbi non viget, possunt licitè, & validè matrimonia clandestina contrahere, seruatis tamen antiquis Ecclesiæ statutis. Tandem christianis captiuis existentibus in terris, vbi non sunt parochi, esset interdictum matrimonium, & per consequens remedium contra libidinem; quod tamen etiam ipsis infidelibus iure naturæ conceditur; sed hoc non est dicendum; ergo tenendum est matrimonia clandestina, vbi *Trid.* non viget, valere.

12 Obije. *Sanch.* 1. *Leo VIII; vulgò IX. ep. aduersus Michael. Imp c. 29.* statuit, vt unusquisq; sacerdos celebret iuxta ritum suæ Ecclesiæ, etiamsi in alienis terris existat. 2. *S. P. Aug. ep. cit.* habet *liberas esse obseruationes* consuetudinum particularium. 3. Viatores ratione loci, per quem transeunt, non sortiuntur forum *l. hæres absens 19. §. proinde ff. de iudicijs*; & transeuntes non censentur in eo moraliter esse *l. quæsitum 76. §. fin. ff. de legibus*. 4. Infideles transeuntes per terras fidelium non tenentur eorum leges seruare. 4. Nouitij degentes cum professis non tenentur eorum vota, & leges seruare.

Resp. ad 1. *Leonem* agere de ritu sacerdotum *Græcorum*, *& Latinorum*, qui ex speciali priuilegio Papæ possunt suos ritus seruare; priuilegium autem speciale nequit esse regula aliorum; aliter non esset speciale, sed commune. Ad 2. dicitur *S. P. Aug.* docere eas obseruationes esse liberas respectu eorum, qui degent in alijs terris, in quibus non vigent illæ consuetudines. Ad 3. dicitur peregrinos non sortiri forum; quia bona quæ possident, non subiacent loco, per quem transeunt; subiacent tamen personæ, vt diximus. Ad aliam *l.* dicitur loqui per ordinem ad res legatas, quæ in fundo sunt; quarum iudicium nequit pertinere ad Principem loci, per quem transeunt viatores, vel ad quem pro breui tempore accedunt. Ad 4. dicitur infideles esse extra totam Ecclesiam, & ideo nec ligari Ecclesiæ particularis statutis. Ad 5. dicitur nouitios non ligari, sicut professos; quia professi non ligantur, nisi votis, quæ non emittunt nouitij; ligari tamen consuetudinibus nouitiorum, vt constat *ex Constitut. proprijs cuiusuis religionis*.

13 Præcipit *Trid.* coniuges benedicendos esse à proprio parocho, vel ordinario, vel ab alio sacerdote de licentia proprij parochi, vel ordinarij. Quinam sit proprius ordinarius, iam dictum est *de pænit. q. 1. art. 5. §. 2. à n. 3; & art. 7. § 1. n. 18*; est enim Papa in tota Ecclesia; Episcopus in sua diœcesi, & parochus in sua parochia. Addit *Basil.* Capitulum vacante Sede posse assistere, & licentiam assistendi matrimonio alicui sacerdoti concedere; habet enim potestatem ordinariã, cùm succedat in Episcopali audientia, vt habetur *de maiorit; & obed. c. his, quæ; & c. cùm olim*; item Abbates Ecclesiæ exemptæ habentes iurisdictionem quasi Episcopalem; Cardinales in Ecclesijs sui tituli; in quibus pariter habent iurisdictionem quasi Episcopalem *cap. his, quæ vbi sup.* Legati Apostolici in prouincijs suæ legationis *de offic. legat. in 6. c. legatos*; & Vicarius generalis Episcopi; vt docent *Innoc; Hostien; & Abbas in c. tua nobis de officio Vicarij; Conarr. lib. 3. variar. c. fin. n. 4; Sanch; Azor; & omnes alij DD.* Nec obstat, quòd Vicarius nomine Episcopi exerceat; nam etiam Episcopus nomine Papæ, cùm sit electus in partem sollicitudinis, exercet, & tamen habet potestatem ordinariam; sic prior in Religione nomine Generalis exercet; ergo quamuis Vicarius nomine Episcopi exerceat; attamen habet potestatem ordinariam, non delegatam, ab Episcopo ei communicatam.

14 Parochus autem proprius est ille, in cuius parochia habet domicilium; non autem ille, in cuius parochia natus est; vnde dicitur parochus domicilij, non originis; & hoc intelligendum est, etiamsi à paruo tempore domicilium

lium habeat. Si quis autem haberet duplex domicilium in duplici parochia, & in vtroque alternatim habitaret, coram alterutrò posse contrahere docent *Basil; Sanch; & alij*. Imò si rus secederet, vel ad aliquem locum se transferret negotij, vel recreationis causa, & aliquot mensibus moraretur, posset *ibid.* contrahere; vt tenet *Basil. cont. Sanch;* & probat *ex declaratione Cardinalium Concily*; quæ extat *apud Farinac. in nouiss. ad sess.* 24. *Conc. Trid. c.* 1. *n.* 2; *& ex Emanuele Sà v. parochus n.* 7; & ratio est; quia pro illo tempore est verus illius parochus. Quod intelligendum est; etiamsi contrahens studiosè *alibi* habitaret ad tempus, vt illic matrimonium contraheret; dummodò nullum impedimentum, aut scandalum esset. Parochus vagorum, qui distinguuntur à peregrinis, quòd isti alicubi fixum habeut domicilium; illi verò nullibi, habent enim sedes incertas, vt loquitur *Trid. sess.* 24. c. 7; potest esse quilibet parochus electus ab illis; vt colligitur *ex declaratione Sac. Congr. apud Farinac. vbi sup.* Parochus tamen non debet matrimonio istorum interesse, nisi priùs diligentiam omnem adhibuerit; & re ad ordinarium delata ab ipso specialem licentiam obtinuerit; vt mandat *Trid. vbi sup.* Sufficit autem ad hoc, vt alter contrahentium tantùm sit vagus. Præterea hoc munus parochi competit etiam vicarijs parochorum ad tempus deputatis ab Episcopis ad nutum mobilibus; imò & Capellanis destinatis à parochis, vt coadiutoribus; vt constat *ex declaratione Sac. Congr. apud Farinac. pag.* 168. Si contrahentes sint ex diuersa parochia, ille parochus solus debet assistere, in cuius parochia fit matrimonium. Ita declarauit *Sac. Congr*, vt refert *Basil*; rescribens *ad Episcopum Burgnaten; & ad Episcopum Iconien.* Ratio est; quia in alterius ditione nequit iurisdictio exerceri.

15 Etiamsi parochus sacerdos non sit; attamen matrimonium in eius præsentia celebratum validum est. *Ita Basil; apud quem Emanuel Sà v. matrimonium; Sua. de excom disp.* 11. *sect.* 2. *n.* 18; *Sanch; Henriq; Farinac. decis.* 70; qui refert *hanc declarationem Congr. Concilij Abulen.* 1. *Decembr.* 1593. *Congregatio Concily censuit matrimonium celebratum coram parocho non sacerdote valere;* vnde matrimonium celebratum coram Vicario Episcopi, qui *ex decr. Clem. VIII.* potest esse non sacerdos, dummodò aliquo sacro ordine sit insignitus, validum est. Nec officit, quòd *Trid.* asserat: *Qui aliter, quàm præsente parocho, vel alio sacerdote de licentia parochi &c.* particula autem *alius* est repetitiua similium *l. si fugitini C. de seruis fugitinis v. alia pœna*. Contrà enim est; nam *Matth.* 20. *& Marc.* 15. *dicitur: Crucifixi sunt cum eo alij duo latrones;* vbi particula *alius* non repetit Christum Dominum latronem fuisse; *& 7. q. 1. c. Nouatianus* dicitur *alios pseudoepiscopos*, quę verba coniunguntur cum Episcopis catholicis, qui non sunt pseudoepiscopi. Tum quia quis potest esse parochus, etiamsi non sit sacerdos, sicut potest quis eligi in Episcopum, vel in Papam, etiamsi non sit sacerdos; in quo casu habet iurisdictionis potestatem, non potestatem ordinis; vt ait *Fund. Doct. Ægid. de Renunc. Papæ c.* 24; ergo in eo casu esset verum matrimonium, quia veri parochi haberetur præsentia, vt præcipit *Trid.* Parochus excommunicatus, suspensus, vel irregularis potest validè assistere matrimonio; dummodò per talem censuram parochi officio non sit priuatus. *Ita Basil.* qui refert *Sanch; Sà, Vasq; & alios.* Sicut enim matrimonium celebratum à coniugibus excommunicatis est validum; nullum enim ius statuens contrarium potest adduci; ita à fortiori dicendum de parocho. Nec officit quòd matrimonium sit sacramentū; nam etiam baptismus est sacramentum; & tamen administratus ab excommunicato est validus. Aliud ergo est, quòd excommunicatus non possit licitè sacramenta administrare; & aliud, quòd validè non administret; peccat tamen mortaliter; quia *sancta sanctè tractanda sunt;* & contrahētes petentes à parocho notoriè excommunicato, vt assistat matrimonio, peccant, quia est communicare in sacris cum illo. Sed petere, vt licentiam det alteri sacerdoti, vt assistat, quando ab ordinario peti non potest, peccatum non est; quia sic petere non est communicare in sacris cum illo; nec illum inducere ad peccatum, seu in sacrilegium, aut in ruinam animæ; nam alteri facultatem concedere non est sacramentum ministrare; & ideo non peccat illam concedens. Item validè ministratur matrimonium ab eo, qui à legitimo superiore habet iustum titulum, quāuis inualidum, communi tamen errore validum existimatum, vt si non sacerdos communi errore existimatus sacerdos destinetur parochus à legitimo Episcopo; vel si aliquis non sacerdos putatus tamen communiter sacerdos, destinetur à parocho legitimo, vt assistat, validum est matrimonium; nam quoties impedimentum est ortum ex iure humano, vt quoties gesta ex communi errore *l. Barbarius Philippus ff. de offic. prætoris;* vbi dicitur, quòd omnia gesta à seruo, quandiu latuit, prætoria dignitate functo, sunt valida; tunc enim ius humanum censetur supplere. At si impedimentum ortum sit ex iure Diuino, tunc ius humanum nequit supplere; vt si non sacerdos putatus communi errore sacerdos absoluat, & consecret; sed parochum, vel sacerdotem delegatum à parocho assistere matrimonio est de iure humano, est enim de iure Ecclesiastico; ergo quamuis titulum habeat inualidè, quia scilicet sacerdos, licèt communi errore putetur, non est, matrimonium est validùm. Imò valet matrimonium coram parocho intruso etiam non instituto à superiore legitimo, atque sine titulo sibi collato, sed tantùm sibi quæsito, & arrogato. Ita *Basil. c.* 20. *cont. Sanch;* & prob. 1. Iurisdictio etiam per solam

solam præscriptionem acquiritur; vt habetur *de off. iud. ord. c. duo simul; & ibi Panormit; & 6. de præscrip.; & Rota decis. 2. in nouiss. de præscrip.* ergo sacerdos sine titulo parochi à legitimo superiore accepto exercens per multum tempus ad præscriptionem sufficiens validè sacramenta ministrat. 2. Iurisdictio etiam consuetudine acquiritur. *de foro competen. c. cùm contingat;* vbi *Gloss. & Panormit; & de offic. ordin. in 6. c. Romana; & de sent. excom. in 6. c. Romana;* vbi *Glos.* Item consuetudine acquiritur ius præsentãdi. *de elect. c. querelam; & de iure patronatus c. consultationibus;* ergo ex eo, quòd sacerdos ex sola consuetudine sine titulo legitimè accepto sacramẽta ministret, validè ministrat. 3. Instrumẽta confecta à Notario, qui Notarius non est, communi tamen opinione Notarius creditur, valida sunt, *d. l. Barbarius n. 54. limit. 3; & n. 55; & Bartol. in d. l. n 6.* ait valere, si sit quasi in possessione; *& in authent. de tabellionibus, siue nouella 44. c. 1.* in fine; vbi dicitur, quòd quanuis tabellioni interdictum sit delegare, si tamen deleget, etiansi sit priuatus iusto titulo delegandi, gesta per delegatum valent cõmunis vtilitatis causa; quanuis delegatus iusto titulo careat; ergo à pari. Ratio est, quàm supra tradidimus; nam quanuis ea, quæ sunt iuris Diuini, si sine titulo fiant, inualida, & irrita sint, quia ius humanum nequit ea supplere, vt diximus de non sacerdote consecrante, & absoluente; attamen ea, quæ sunt de iure humano, etiansi sine titulo fiant, valida sunt; quia ius humanum communis vtilitatis causa censetur illa supplere.

16 Si contrahentes clarè explicent mutuum consensum absque eo, quòd interrogentur à parocho, non tenetur parochus eos interrogare; cùm enim *Trid.* iubet parochum interrogare debere, intelligendum est; si contrahentes mutuum consensum non explicent; nam si explicent, frustranea est interrogatio; & ad id, quod est frustra, *Conc.* non obligat. 2. Parochus debet esse adhibitus, & vocatus; adhibitus enim dicitur, qui vocatur, & rogatur. *l. heredes §. in testamentis ff. qui testam;* vnde si parochus casu transiret, & duo contraherent absque eo, quòd ipsum vocarent, & illi indicarent se matrimonium contrahere, matrimonium esset nullum. *Vid. apud Farinac. pag. 268. declarationem S. Cong. Conc.* 3. Si parochus dolo vocatus sit, vel inadductus, aut detentus, valet matrimonium, etiam parocho inuito non consentiente, sed repugnante. *Farinac. vbi sup; & Basil. c. 21. n. 5; & 6;* nam parochi præsentia, & testium necessaria est *per Trid;* vt certam reddant Ecclesiam de matrimonio iam contracto; vnde si parochus, & testes audirent per interpetrem, vel per alium, vel aures occluderent, ne audirent, matrimonium esset nullum; quia debent esse testes de visu, & auditu immediato, non mediato. 4. Si parochus, & testes sint tantùm præsentes matrimonio conditionato, non autem quando postea renouatur absolutè consensus, matrimonium est nullum; nam vt *sup.* diximus, matrimonium sub conditione non excedit rationem sponsalium?

17 Delegatus, cui commissa est ab ordinario, vel parocho licentia assistendi matrimonio, morte delegantis intercedente inualidè assistit, *de offic. & pot. iud. deleg. c. gratum; & c. licèt vndique; & in 6. eod. tit. c. si delegatus;* nec enim est discrimen inter iurisdictionem ordinariam, & delegatam; quòd illa non expirat per mortem concedentis; ista autem expirat; vt habetur *in 6. de offi. io deleg. c. 2.* Not. tamen, quòd delegatio alia est per legem, & à lege; & sicuti lex nunquam cessat, ita delegatio nunquam expirat; alia est à superiore, quo expirante expirat. Si tamen mors delegantis ignoretur à delegato, matrimonium gestum per delegatum ex quadam æquitate valere, non ex iure, inquit *Basil. c. 24. n. 2;* quod extendendum est ad omnia alia gesta per quancumque potestatem delegatam. Delegatus non potest alteri licentiam concedere, seu subdelegare alterum, vt assistat matrimonio, nisi facultatem subdelegandi à delegante acceperit. Delegato, cui commissa est licentia generalis ministrandi omnia sacramenta, & exercendi omnia parochi munera, intelligitur posse matrimonio etiam assistere; quanuis enim non sit propriè minister sacramenti, vt diximus *art. 2. §. 1;* attamen est minister benedictionis, quæ *ex Trid.* requiritur ad matrimonium; nam concessio potestatis administrandi sacramenta importat etiam potestatem exercendi omnia ceremonialia, quæ requiruntur ad sacramenta. Non sufficit tamen tacita, sed requiritur expressa. Ita declarauit *Congr. Conc. apud Farinac. pag. 275.*

18 Denunciationes non esse de essentia matrimonij clarè constat *ex Trid;* quod docet posse omitti ob aliquam causam; & ita etiam declarauit *Congr. Conc. apud Farinac.* Illas tamen omittere, vel aliquam ex illis sine graui causa peccatum mortale est; quia est in materia graui. Quando contrahentes sunt ex diuersa parochia, tunc denunciationes ab vtroque parocho fieri debent; quod colligitur *ex Trid.* præcipiente, vt *à proprio contrahentium parocho* fiant; si autem fierent ab vno tantùm, non fierent *à parocho contrahentium;* sed à parocho vnius contrahentis tantùm. Ita declarauit *Congr. Conc. apud Farinac.* dicens: *Quando matrimonium contrahitur inter duos de diuersis parochijs, debent in ambabus fieri denunciationes.* An autem parochi debeant esse illi, sub quibus de præsenti viuunt contrahentes, quanuis ad modicum tempus; an verò illi, sub quibus diutiùs commorati sunt, *Sanch; & Coninch.* volunt debere fieri in illis parochijs, in quibus diu habitarunt; quia in illis faciliùs sciri possunt impedimenta. At *Basil.* oppo-

positum tenet; quia denunciationes fieri debent à proprio parocho, qui non est, nisi ille, in cuius parochia actualiter habitant. Accedunt *Conc. Bononien. sub Card. Paleoto p.3. de sacram. matrimony pag.158; & Mediolanen. lib.4. de sponsal. c.10;* quæ *Concilia* fuerunt celebrata post *Trid;* & approbata. Debent fieri in Ecclesia, vt ex dictis *Concilijs* constat. Item tribus diebus festiuis disiunctis, non continuis; vt declaratum est *in Conc. Colonien. sub Adulpho c. 32; & Mogunt. sub Sebastiano c.38.* Non tamen sunt nimis procrastinandæ, *vt Mediolanen. vbi sup. c. 13; & Bononien. vbi sup. pag. 168;* & post ipsas non est differendum matrimonium ad multum tempus; *vt Mediolanen. c.22.* statuit post duos menses à denunciationibus non posse contrahi matrimonium, nisi præmissis alijs denunciationibus; & *Rauennaten. II.* statuit post quatuor menses non posse contrahi matrimonium, nisi repetitis denunciationibus; nam tam lungo tempore potuisset superuenire impedimentum affinitatis. Denunciationes fieri debent petentibus contrahentibus, non ad arbitrium parochi; vt habet *Constit. Mediolanen. c.4. 10; & 18;* non tamen est necesse, quòd fiant immediatè per parochum, sed fieri etiam possunt per æditum. Parochus verò, qui debet matrimonium perficere, non nisi relatione habita ab altero parocho debet illud celebrare. Ex graui causa possunt omitti, vt habet *Trid;* non tamen possunt omitti auctoritate parochi, aut Vicarij Episcopi, sed solius Episcopi; vt declarauit *Congr. Conc. apud Farinac. pag.269;* quæ declarauit nomine *ordinarij à Trid.* intelligi solum Episcopum; quo excluduntur Abbates, & alij iurisdictionem quasi Episcopalem habentes. Episcopum tamen posse facultatem concedere suo Vicario docet *Basil.* Quando autem contrahentes sunt ex diuersis diœcesibus, vnus Episcopus dispensans à denunciationibus in sua diœcesi faciendis non dispensat ab alijs in alia diœcesi celebrandis. *Ita Basil. cont. Sanch; & Coninch;* quia sæpè causa dispensandi, quæ est in vno loco, non est in alio; & impedimentum, quod non est notum in vno loco, potest esse notum in alio; & licèt possit sine alio Episcopo eos copulare in matrimonio; nam qui potest vnum copulare cum alio, potest & aliud copulare cum illo; attamen quia faciens denunciationes in vno loco non facit denunciationes in alio; neque facere denunciationes in aliena diœcesi spectare potest ad illius iurisdictionem; ideo in illis dispensare non dicitur. Causæ autem, ob quas potest Episcopus dispensare, sunt. 1. Quando Magnates contrahunt; quia cùm hi magna deliberatione contrahant, cessat omne periculum. 2. Quando obstat contrahentium pudor ob inæqualitatem conditionis, & aliunde constat nullum esse impedimentum; vt cùm nobilis ignobilem, senex puellam ducit. 3. Quando tale matrimonium posset iniustè impediri; vt per maleficium, vel vim; non autem si iustè; vt cùm parentes quærunt impedire matrimonium filij cum fœmina indigna; tunc enim Episcopus dispensare non debet. 4. Quando oritur contrahentium infamia; vt cùm duo concubinarij, qui semper coniugati habiti sunt, volunt contrahere; vel cùm comprehensi sunt in delicto; vel quando detectum fuit aliquod impedimentum, quod multo tempore fuit occultum. 5. Quando est necessarium ad aliquod magnum malum vitandum; vt ad seditionem, & inimicitiam magnam vitandam. 6. In causa mortis ad vitandam fornicationem, & legitimandam prolem. Teneri autem Episcopum exceptis primis duabus, & quinta causa, dispensare aiunt *Basil; & Sanch.* Sed regula generalis est; quòd quando præuidet notabile malum, dispensare tenetur; quia Prælatus suorum subditorum saluti, & tranquillitati tenetur consulere. In casibus autem, in quibus tenetur Episcopus dispensare, si sit difficilis copia Episcopi, potest sine denunciationibus contrahi. *Ita Basil; Sanch; & Abbas.* Si tamen Episcopus nolit; ab eo potest appellari; nec obstat *Glos. in c. statutum §. insuper v. relinquitur de rescriptis in 6.* docens in ijs, quæ sunt commissæ alicuius conscientiæ, appellari non posse; inquit enim *Felin. Glos.* intelligendam esse ex parte iudicis, qui non tenetur appellationi deferre; non ex parte grauati, qui potest ad superiorem, vt relenetur, adire.

19 Qui nouit aliquod impedimentum ex auditu, nec recordatur, à quo audierit, non tenetur manifestare; quia testis de auditu alieno non deponens, à quo audierit, nihil probat, ait *Farinac. 2. p. praxis de testibus q.69. à n.75.* Idem dicendum, si recordetur, & persona, à qua audiuit, non est fide digna *c. licèt, & quadam de testibus.* Item si timet magnum periculum, aut scandalum. Tenetur tamen, quando impedimentum est publicum; etiamsi illud sciat in occulto. Non tamen tenetur, cùm est omnino occultum, & ipse solus nouit ita, vt probare non possit, cùm ad illud probandum *ex Trid.* duo testes requirantur. *Ita Basil. cont. Sanch;* nam quando non speratur denunciationem profuturam, sicut & correctionem, cessat obligatio denunciationis, & correctionis. Ordinarius, qui nouit in confessione aliquod impedimentum, tenetur in eadem confessione, non extra, monere, ne contrahat; si autem nouit ex vtroque, nequit admonere, ne frangatur sigillum. Non potest tamen publicè petenti negare sacramentum matrimonij. Si quis manifestet aliquod impedimentum, nequit parochus vlterius procedere, neque in matrimonio, neque in denunciationibus. *c. fin. de clandest. desponsat; & Conc. Mediol. de sponsal. c.10.* Si tamen vnus sit tantùm testis, nequit matrimonium interdici. Tandem si ipsis contrahentibus notum sit impedimen-

dimentum; tenentur à matrimonio desistere; quanuis nulli alteri sit notum.

20 Pœna clandestinè contrahentium est, vt eius proles illegitima censeatur; si ambo contrahentes impedimenti sint conscij; & si omittantur denunciationes, & contrahant in gradu prohibito; secus si vnus tantùm sit conscius; & non contrahat in gradu prohibito *c. fin. de clandest. desponsat. ex Lat.* Item *ex Trid. c. 5.* alia pœna statuitur; idèst vt non possint ampliùs inter se contrahere; non tamen quòd non possint contrahere cum alijs. Parochus assistens matrimonio clandestino incurrit suspensionem per triennium inferendam per iudicem *c. fin. ibid.* Item parochus, & testes *iuxta Trid.* p unienda sunt pœna arbitraria. Tandem contrahentes puniuntur pœna exhæredationis 49. *Tauri*, quæ pœna *per ius canonicum* non fuit correcta.

QVÆST. III.

De impedimentis matrimonij.

IMpedimenta, quæ reddunt personas ad contrahendum matrimonium inhabiles, alia sunt tantùm impedientia, non dirimentia, quia illis non obstantibus contrahitur validè, quanuis illicitè; sunt autem in duplici etiam differentia; alia enim ortum habent ex crimine; & sunt septem, scilicet incestus, raptus, vxoricidium, præsbitericidium, pœnitentia publica, susceptio propriæ sobolis in baptismo, & contractus scienter cum moniali; alia verò ortum non habent ex crimine; & sunt quinque, scilicet interdictum, tempus feriatum, catechismus, sponsalia, & votum simplex. Omnia autem continentur in his versibus:

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum;
Atque catechismus, sponsalia, iungito votum;
Incestus, raptus sponsata, mors mulieris;
Susceptus propriæ sobolis, mors præsbiteralis;
Vel si pæniteat solemniter, aut monialem
Accipiat, prohibent hæc coniugium sociandum.

Alia verò sunt dirimentia matrimonium iam contractum, quia efficiunt, vt contrahatur inualidè; continentur autem in his versibus:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen;
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas;
Si sit affinis, si fortè coire nequibit;
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

ARTI. I.

An, & in quo detur potestas statuendi impedimenta prohibentia non dirimentia, & dirimentia matrimonium?

1 DE matrimonio, quod in infidelibus habet puram rationem contractus ciuilis; & in fidelibus habet rationem contractus eleuati ad ordinem sacrum, scilicet ad esse sacramenti, quæritur, an, & in quo detur potestas statuendi aliqua impedimenta prohibentia, ne contrahatur; & dirimentia, ac irritantia ipsum iam contractum. Ratio dubitandi est; nam si matrimonium consideretur, vt purus contractus ciuilis; cùm sit iure naturali statutus, videtur, quòd nulla detur potestas illud impediens, aut dirimens; nulla enim datur potestas, quæ ius naturæ possit euertere, impedire, aut dirimere. Si consideretur, vt sacramentum; multò magis videtur hæc potestas neganda, sacramenta enim sunt Diuinitus instituta, & nulla potestas humana potest præualere potestati Diuinæ; quia potestas inferior nequit superiorem impedire, cùm potiùs è contra superior inferiorem impediat; ideo videtur, quòd nullo modo hæc potestas sit admittenda. Propter hæc non defuerunt *hæretici* asserentes, quòd licèt detur potestas statuendi impedimenta prohibentia matrimonium contrahendum; sicut datur potestas prohibendi aliorum sacramentorum celebrationem; attamen nulla datur potestas statuendi impedimenta dirimentia matrimonium iam contractum, & efficientia, vt matrimonium nullum sit, & inualidum. Sicut quanuis detur potestas prohibendi, ne baptismus conferatur, & accipiatur à schismaticis; hæc tamen nequit efficere, vt baptismus à schismatico collatus non sit validus. *Omnes* tamen *Catholici* oppositum docent.

2 Vnica concl. De facto in solo Summo Põtifice, vel in Concilijs ab eo congregatis, est potestas statuendi impedimenta prohibentia, ne fiat matrimonium inter fideles; & ditimentia, seu irritantia illud iam factum; in Principe verò sæculari est tantùm potestas conficiendi statuta circa dotem, lucrum dotis, hæreditatem, dona-

nationem inter coniuges, largitatem sponsalium, & similia. Respectu verò matrimonij infidelium habitantium in suis terris, vel peregrinantium, quos teneri legibus locorum diximus *in sup.q.art.2 lit*; potest Papa, non quatenus Caput Ecclesiæ, sed quatenus Princeps temporalis; & quilibet alius Princeps sæcularis statuere impedimenta prohibentia, & dirimentia. Tandem quamuis hæc impedimenta tum in Ecclesia, tum extra Ecclesiam ex rationabili consuetudine possint insurgere; attamen vim habent à tacito, vel expresso Papæ, vel Principis consensu.

Prob.1.pars conc. Quamuis antiquitus Episcopi, & *concilia nationalia, ac prouincialia* habuerint potestatē statuendi impedimēta prohibentia tātum, & irritantia matrimonij; quorū aliqua ab ipsis statuta postea fuerunt à tota Ecclesia recepta, vt *infra* dicemus; attamē hęc potestas nunc reseruata est Summo Pontifici vel *in Concilio generali*, uel *extra Concilium* ex consuetudine antiquissima, vt docent *omnes communiter*; ergo de facto in solo summo Pontifice est hæc potestas. Quòd autem extendatur ad statuenda impedimenta nedum simpliciter prohibentia; sed etiā dirimentia, prob. *ex Trid.sess.24.can.4. Si quis dixerit Ecclesiam non posse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit*; quod prius definierat *Conc. Senonen. sub Clem. VII. c.15*; & ratio innititur à *Trid. can.12; & de ordine cognitionum c. tuam*; vbi decernitur causas matrimoniales, prout respiciunt rationem contractus, ad forum Ecclesiasticum pertinere; arguitur autem sic *cum Fund. Doct. Æg. lib.3. de Regim. Princ. p.2.c.24.* Circa ea, quæ sunt iuris naturalis, & pertinent ad ordinē rerum Deo sacrarum, debet dari in Ecclesia potestas positiua, quæ præscribat modum, quo fieri debent, & sine quo etiam facta, ad sufficientiam non valent; quoniam enim iure naturali præcipitur *Deum esse colendum*; & pertinet ad ordinem sacrum, datur in Ecclesia potestas positiua præscribens modum, quo Deus est colendus; scilicet quòd diebus festis audiatur missa, Diuinis vacetur, à seruilibus abstineatur &c; sine quibus cultus Dei alijs diebus factis non sufficit, nec valet ad vitam æternam consequendam; cuius ratio est, inquit *Fund Doct*; quia *vbi terminat lex naturalis, ibi incipit lex positiua*; cùm enim lex naturalis præcipiat tantùm rem agendam, vel non agendam, nec præscribat modum, quo res illa agenda est, vel non agenda; ideo necessaria fuit lex positiua, quæ modum præscriberet; sine quo res illa nec licitè, nec validè fit; sed matrimonium, vt contractus inter fideles, est de iure naturæ; & pertinet ad ordinem sacrum, quia eleuatum fuit ad esse sacramenti; ergo in Ecclesia datur potestas præscribens modum, quo fieri debet; & ideo statuens impedimenta simpliciter prohibentia; & sine quo validè non fit; & ideo statuens impedimenta illud dirimentia. Atqui potestas Ecclesiæ est in Summo Pontifice; claues enim potestatis datæ sunt *Petro*, & *à Petro* relictæ sunt suis successoribus, qui sunt Summi Pontifices; vt diximus *to. 4. de Hier. Eccl. q.4*; ergo in solo Summo Pontifice est potestas statuendi impedimenta purè prohibentia, & simpliciter dirimentia matrimonij contractum. 2. Ad forum Ecclesiæ spectare causas matrimoniales, sicut ciuiles ad forum ciuile, est de iure naturæ; quia *ius naturæ tribuit cuique, quod suum est*; sicut autem causæ ciuiles sunt fori ciuilis, quod ciuile dicitur per ordinem ad causas ciuiles; sic causæ matrimoniales inter fideles, quia sacræ sunt, matrimonium enim inter fideles eleuatum est ad ordinem Diuinū, spectant ad forum Ecclesiæ; sed in foro ciuili est potestas statuendi impedimenta prohibentia, & irritantia alios contractus ciuiles; quia est potestas sufficiens ad tollendas fraudes, mala, damna, & scandala omnia, quæ maximè ex contractibus oriuntur, & impediunt publicam quietem, quæ est publicum bonum, circa quod versatur Principis potestas, ergo & in foro Ecclesiæ est talis potestas in contractu matrimonij ad seruandam sanctam societatem, & vnionem in suis membris, quæ maximè turbatur fraudibus, malis & damnis, quæ oriuntur à contractu matrimoniali, nisi præscribantur ea, sine quibus fieri nequit. Atqui suprema Ecclesiastici fori potestas est in solo Summo Pontifice; ergo idem.

3 Prob. 2. pars concl. *cum Felino in c.1. de sponsal. & de nuptijs, & de diuort; & l. de dot*; quas non abrogarunt Pontifices. Ratio eadem est; nam Principi sæculari competit potestas statuendi ea, quæ spectant ad dirimendas lites, & dissensiones, quæ turbant publicam quietem; sed circa accessorium matrimonij oriuntur plurimæ lites, & dissensiones; ergo circa matrimonij accessoria potest Princeps sæcularis statuere leges prohibentes, & irritantes. Nec per hoc se immiscet spiritualibus rebus, quia illa accessoria sunt sæcularia, & merè temporalia; quæ matrimonio merè extrinsecùs accidunt. Quòd autem nequeat hæc impedimenta statuere, quando ex illis matrimonium inter fideles euertitur, habetur *de secundis nuptijs c. cùm secundùm Apostolum*; vbi *lex Cæsarum* prohibens uiduis, ne nubant infra annum luctus, ab Ecclesia fuit abrogata; & lex *Honorij, & Iustiniani Impp.* concedens nuptias inter consobrinos *à Greg I.* fuit reuocata *35.q.2.c.quadam lex*; & ratio est: quia laicalis potestas spiritualibus rebus se immiscere non potest.

4 Ex hac doctrina euertitur sententia *Sanch.* asserentis posse quidem Principem sæcularem ex vi suæ potestatis validè ferre leges circa matrimonia fidelium; sed à Pontifice hoc fuisse ei interdictum; ait enim *Fund. Doct. Æg. lib. de potestate*

testate Pontificia p.1.c.3;& seq; potestas sæcularis ex sua ratione formali habet respicere solas res temporales, quibus spiritualitas annexa non est; quod sæpissimè probat lib. de Regim. Princ; in hoc enim distinguitur gladius spiritualis à gladio materiali; sed matrimonium inter fideles fuit eleuatum ad ordinem spiritualem, quia fuit eleuatum ad ordinem sacrum; sicut enim cùm res temporalis consecratur, eleuatur ad ordinem sacrum, in quo non est laicalis potestas; ita à pari; ergo potestas sæcularis ex sua ratione formali nequit condere leges circa matrimonium fidelium; aliter potestas inferior posset in obiectum potestatis superioris, quod nihil magis rationi est contrarium. Ex quo soluuntur San hy argumenta; quanuis enim possit potestas sæcularis condere leges circa ea, quæ merè spectant ad bonum publicum temporale; & possit circa alios contractus impedimenta statuere; attamen non potest circa matrimonium fidelium, quod, cùm sit eleuatum ad ordinem Diuinum, ad quem sæcularis potestas nequit se eleuare; ideo nequit circa matrimonium fidelium versari; quanuis possit se extendere ad res merè temporales, quæ conducunt ad publicum bonum, inter quas sunt etiam contractus merè ciuiles; matrimonium autem sic eleuatum non est res merè temporalis, & ciuilis, vt constat.

5 Prob. 3. pars concl. eadem ratione. Nam matrimonia infidelium sunt puri contractus ciuiles, qui non pertinent ad forum Ecclesiæ; inquit enim Apost. 1. Cor. 7. Quid mihi de ijs, qui foris sunt, iudicare? Sed Princeps sæcularis habet potestatem statuendi leges circa contractus merè ciuiles, qui ad ad forum laicale tantummodò pertinent, reddendo personas inhabiles ad contrahendum, vt patet de pupillis sub tutore existentibus; & filijs sub patria potestate viuentibus, uel præcipiendo solemnitates, quibus fieri debent contractus; habet enim potestatem dirimendi omnia ea, quæ fouent dissidia, ex quibus pax, & tranquillitas Regni turbatur; dummodò hæc non sint eleuata ad forum Ecclesiæ; ergo potest impedimenta statuere prohibentia, & dirimentia matrimonia infidelium. Insuper cùm infideles peregrinantes per terras Principis fidelis teneatur legibus illius ditionis, ut diximus; cùm illius corporis moralis sint membra; ideo eodem modo de eorum matrimonijs est discurrendum, quo diximus de domicilium habentibus. Ita cùm Papa ultra gladium spiritualem, quem habet in tota Ecclesia, habeat etiam gladium materialem ad vsum in suis ditionibus temporalibus, quarum est Princeps temporalis; ideo de eius potestate temporali idem est asserendum.

6 Prob. 4. pars concl. Per consuetudinem rationabilem consensu tacito, uel expresso ipsius Principis potest abrogari lex iam statuta, & lex noua introduci; ut fert communis sententia; consuetudo enim est altera lex; & sicuti per legem posteriorem abrogatur lex prior, & noua introducitur; ita per consuetudinem, quæ habet uim legis, abrogatur lex priùs lata. Debet autem de consensu tacito, uel expresso Principis; ut habetur de cognat. spirit. c. super eo; & l. de quibus ff. de legibus; eiusdem enim potestatis est legem condere, & abrogare; nam quandiu Princeps consentire non præsumitur, censetur semper resistere; & Principe resistente consuetudo locum non habet; ideo non solùm est necessarium, ut Princeps permittat impunes agentes contra legem, sed requiritur, quòd aliquo modo prestet assensum; sed contra leges statuentes impedimenta matrimonij potest oriri aliqua consuetudo de consensu tacito, vel expresso Pontificis longo tempore permissa, quod ad veræ consuetudinis rationem requiritur, vt diximus to. 4. de legib. q. 2. art. 8; ergo ex consuetudine rationabili de consensu tacito, vel expresso Pontificis possunt noua impedimenta consurgere. Quænam autem consuetudo rationabilis dicenda sit; laborant DD. apud. Menoch. consil. 52. n. 131. Sed dicendum consuetudinem non dici rationabilem ex eo, quòd non est contra aliquam legem; sic enim nulla esset consuetudo, quæ contra legem inducitur; sed dicitur, quia semota ea lege, quam euertit, nullam turpitudinem continet; neque est contra legem Diuinam, aut naturalem, aut contra æquitatem; qua omnes leges valent, etiam vigente consuetudine, & abrogata lege, quam euertit consuetudo.

7 Ad rationem dubitandi patet responsio ex dictis; nam statuta impedimentorum non sunt contra legem naturalem, aut Diuinam; sed sunt explicationes, seu sanctiones modorum, quibus debet lex Diuina, & naturalis impleri; & ideo non euertunt, sed perficiunt.

8 Sed quærũt. 1. DD; an possit Pontifex reddere vnam tantùm personam inhabilem nedum ad contrahendum cum tali, sed etiam ad contrahendum cum qualibet?

Resp; quòd cùm de ratione legis sit vniuersaliter omnes afficere, ideo potest quidem Pontifex occasione sumpta ab vna persona particulari illam inhabilem reddere ita tamen, vt si aliæ personæ eodem casu teneantur, reddantur inhabiles; posita enim eadē causa producitur semper idem effectus, si causa sit necessaria, vt est lex, quæ naturaliter obligat. Quòd autem possit quis inhabilis reddi ad quodcumque matrimonium contrahendum, habetur ex multis antiquis canonibus; in quibus dicitur: Sine spe coniugy maneat; quæ pæna solet infligi ob iniuriam sacramento matrimonij illatam.

9 Quærunt 2; an ad inducendam consuetudinem, vel statuendum aliquod impedimentum requiratur iusta causa? Sed facilis est responsio; nam lex, quæ iusta non est, non est lex, sed in iusti-

iustitia tyrannica; lex enim est ius, & ius dicitur *à iusto*; ideo cùm deficit iusta causa, & rationem legis deficere necesse est.

§. 1.

Explicantur singula impedimenta non dirimentia.

10 Primum impedimentum ex ijs, quæ non oriuntur ex crimine, est interdictum; quod significat prohibitionem; quæ, si generaliter accipiatur pro quocunque præcepto, ne matrimonium contrahatur, comprehendit omnia impedimenta, quibus existentibus præcipitur, ne matrimonium ineatur. Specialiter tamen *hic* accipitur interdictum pro prohibitione facta ab Ecclesia; quæ duplex est; alia ab homine facta ob aliquam temporalem causam, scilicet ad impediendum aliquod graue scandalum, arcendas rixas, vel ob venerationem alicuius festi; vel ad discutiendam veritatem in dubio alicuius impedimenti; & hæc prohibitio fieri potest nedum à Pontifice, sed etiam ab Episcopo, & parocho; significatur autem hæc prohibitio facta ab homine illis primis verbis: *Ecclesiæ vetitum*. Alia est à iure, qua prohibitum est lata lege ab Ecclesia, ne certis anni temporibus nuptiæ fiant; quæ significatur ijs verbis: *Tempus feriatum*. Varia autem fuit hæc prohibitio *ante Trid*; vt colligitur *ex 33. q. 4. ex Laodiceno c. 52. sub Syluest. anno 320*; vbi solùm in quadragesima nuptias non esse celebrandas habetur; & *Nicol. I. ad consulta Bulgaror. c.* 48. idem habet; & *ex 33. q. 4. c. 2. non oportet ex Conc. Ilerden*; vbi statuitur *à septuagesima vsque in octauam Paschæ, & tribus hebdomadibus ante festi itatem S. Io. Baptistæ, & ab Aduentu Domini vsque post Epiphaniam nuptias non esse celebrandas. Quòd si factum fuerit, separentur*. Quod habetur etiam *in Conc. Rauenaten. sub Clem. V. c.* 13; *& Conc Salezustadien. sub Benedicto VIII. can.* 3. restringit tempus ad duas hebdomadas *ante festum S. Io. Baptistæ*; de quo fit mentio *de ferijs c. capellanus*; *vbi Clem. III; seu Cælestin.* explicat, quomodò intelligendi sint hi dies *ante festum S. Io. Baptistæ*. Tandem *Trid. sess. 24. de reform. c.* 10. statuit ab aduentu Domini vsque ad Epiphaniam, & à feria quarta Cinerum vsque in octauam Paschatis inclusiuè non esse solemniter celebrandas; *alys verò temporibus permittit solemniter celebrari, quas tamen Episcopi, vt ea, qua decet modestia, & honestate fiant, curabunt*. Tandem interdictum accipi potest pro prohibitione ab ingressu Ecclesiæ facta vel personis particularibus contrahere volentibus; vel generaliter omnibus, qui in illo loco existunt.

11 Certum est. 1. Matrimonium solemniter celebratum tempore interdicti siue lati ab homine, siue lati à iure validum esse; nisi apponatur clausula irritans; vnde si interdictum latum ab homine fit à parocho, vel Episcopo, matrimonium semper est validum; quia parochus, & Episcopus *post Trid.* non potest impedimentum irritans, & dirimens statuere. Si autem fit à Papa, qui potest impedimentum dirimens apponere, matrimonium est nullum; vt habetur *de desponsat. impuber. c. ad dissoluendum; & de sponsa duorum c. tua fraternitas*. Si tamen nulla clausula irritans apponatur, matrimonium est validum; vt habetur *in Conc. Lat. sub Alex. III. p.* 8. *c.* 28. in fine. Quanuis tamen matrimonium sit validum; attamen in pœnam ad tempus separandi sunt coniuges *de matrimonio contra interdictum Ecclesiæ c.* 1; non tamen dissoluendum est matrimonium *ibid. c.* 2. Peccant autem mortaliter contrahentes contra interdictum; quia est grauis materia. Multò magis peccant, qui tempore interdicti lati à iure, vt tempore aduentus, vel quadragesimæ matrimonium solemniter celebrant; faciunt enim contra præceptum, & derogant venerationi illorum dierum, qui debent celebrari cum luctu, ieiunijs, orationibus, & pœnitentijs, non cantibus, conuiuijs, & lætitijs, quæ in solemnitatibus nuptiarum fieri solent.

Circa tempus à iure prohibitum, dubitatur. 1. An dies Epiphaniæ includatur? Resp. *Basil.* affirmatiuè; quod colligit ex eo, quòd dies octauæ Paschatis includatur; additur enim particula *inclusiuè*. Additur festum Epiphaniæ esse solemnissimum, & ideo non debet alia solemnitate impediri. 2. An sabbatum præcedens Dominicam primam Aduentus includatur, sicut & dies præcedens diem cinerum? Resp. *idem* negatiuè; dies enim incipit à media nocte ad aliam mediam noctem. 3. An prohibeantur solæ solemnitates; vel etiam matrimonium contrahere? Resp. prohiberi solas solemnitates; vt colligitur *ex Trid. vbi s.* prohibente solas solemnitates, non contractum. Ex quo deducitur, quòd consummare matrimonium anteá solemniter contractum est licitum, non enim consummatio inter solemnitates numeratur. 4. An possit Episcopus dispensare, vt intra tempus prohibitum matrimonia solemniter celebrentur? Resp. iure ordinario non posse; prohibitio enim lata est *in Conc. gen.* à Pontifice; extraordinario tamen iure, si aliquis casus grauis vrgeat, vt belli sedandi &c. & sit difficilis ad Pontificem recursus; vel non possit debito tempore haberi responsum, posse dispensare *communiter*. docent *DD*. 5. An etiam vidui transeuntes ad secundas nuptias, quibus non est necessaria benedictio nuptialis, hac prohibitione ligentur? Resp. *Basil.* affirmatiuè; non solùm enim prohibetur benedictio solemnis, sed quæcunque aliæ solemnitates, quæ ad viduorum matrimonium etiam requiruntur. 6. An matrimonio contracto ante dominicam primam Aduentus quędam la-

lætitiæ ſigna, vt conuiuia, choreæ &c. poſſint fieri die dominico? Reſp. negatiuè; hæc enim numerantur inter ſolemnitates.

12 Certum eſt 2. matrimonium contractum tempore interdicti, & in loco interdicto ab ingreſſu Eccleſiæ, ſicut & ſponſalia, ac denunciationes, ſiue interdictum ſit generale, ſiue particulare, validum eſſe; nullo enim iure irritum redditur *de ferys c. capellanus*. Non tamen contrahitur licitè. Eſt *cont. Sanch; & alios apud eundem*. Ratio eſt; quia tempore interdicti vetitum eſt miniſtrari ſacramenta præter Baptiſmum, Confirmationem, pœnitentiam, & Euchariſtiam *de ſent. excomm. in 6. c. alma mater; & c. quoniam; & de ſponſal. c. non eſt vobis; & de pœnit; & remiſſ. c. quod in te*. Nec *c. capellanus* quidquam habet, niſi quòd validè celebratur matrimonium; non autem quòd licitè. Benedictio tamen in Eccleſia interdicta fieri nequit *c. alma mater*. Multò minùs fieri poteſt tempore ceſſationis à Diuinis; tunc enim prohibitæ ſunt omnes actiones ſacræ. Idem prorſus dicendum de excommunicatis; eorum enim matrimonium eſt validum; quia omnia eſſentialiter requiſita concurrunt; peccant tamen, quia in peccato ſacramentum miniſtrant, atque recipiunt. Quòd ſi alter tantùm illorum ſit excommunicatus excommunicatione reſeruata; tunc petere ab illo, vt contrahat, peccatum eſt; quia inducit eum ad peccatum. At ſi poſſit abſolui, tunc non eſſe peccatum docet *Baſil*; quia petit actum, quem poteſt facere ſine peccato, cùm poſſit abſolui.

13 Impedimentum catechiſmi ſumitur ex eo, quòd patrinus inſtruens baptizandum ante ianuam Eccleſiæ contrahat aliquam cognationem ſpiritualem imperfectam cum baptizando; ſicut enim patrinus tenens in baptiſmo, quia contrahit cognationem ſpiritualem perfectam, incurrit impedimentum dirimens, vt *inf*; ita inſtruens in fide incurrit cognationem imperfectam, quæ eſt tantùm impediens, non dirimens; vt habetur *de cognat. ſpirit. c. contracto; & in 6. eod. tit. c. 2*. At hanc cognationem ſpiritualem ſublatam fuiſſe *per Trid.* ait *Baſil. c.* 11. illis verbis: *Omnibus inter alias perſonas huius ſpiritualis cognationis impedimentis omnino ſublatis*; quibus oſtendit cognationem contrahi ſolùm inter patrinos, & puerum, & parentes pueri; & inter parochum, & puerum, ac parentes pueri. Extat etiam declaratio *S. Congr. apud Farinac. in ſeſſ. 24. c. 2; & apud Rebell. in idem cap. num.* 88. Quare modò hoc impedimentum ſublatum eſt; quidquid dicant *Nauarr; Veg; Palac; & alij*.

14 Votum ſimplex, non ſolemne, eſt impedimentum prohibens, non dirimens *qui clerici, vel vouentes c. conſuluit; & c. rurſus; & in 6. de voto c. vnico; & 27. q. 1. c. ſi quis votum*. Nam votum ex ſua ratione formali habet incompoſſibilitatem cum matrimonio, votum enim de abſtinendo à copula eſt incompoſſibile cum copula; & ideo ex ſua ratione impedit matrimonium, quod ordinatur ad copulam; quia tamen Eccleſia non reddit vouentem non ſolemniter inhabilem ſimpliciter ad contrahendum matrimonium; ſicut reddit ſimpliciter inhabilem vouentem ſolemniter; ideo votum ſimplex impedit tantùm, non dirimit matrimonium. Excipiuntur vota ſimplicia *PP. Societatis*, quæ dirimunt matrimonium, quia veram religionem conſtituunt; vt *inf.* Ex hoc ſequitur, quòd contrahens matrimonium poſt votum ſimplex caſtitatis, vel religionis grauiter peccat; & niſi diſpenſationem, vel commutationem voti obtineat, non poteſt licitè petere debitum; quamuis teneatur reddere; & qui contrahit ſcienter cum eo, qui eſt voto caſtitatis ligatus, peccat mortaliter, quia ipſum ad actionem peccaminoſam inducit.

15 Si tamen vterque voto adſtringatur, & contrahant cum intentione non conſummandi, ſed ſeruandæ pari conſenſu caſtitatis, neuter peccat; vt diximus *in ſup. q. art.* 4. Si quis tamen voto adſtrictus non contrahendi matrimonium deflorat virginem fide data matrimonij; matrimonium eſt nullum, quia talis promiſſio eſt iniqua; tenetur tamen ratione damni illati petere diſpenſationem, vel commutationem voti. Ita *Baſil. cum alys*; ſicut tenetur petere diſpenſationem, vel commutationem voti, ſi verè contrahat matrimonium cum omnibus ſolemnitatibus. Et ſi illud votum ſit religionis, tenetur matrimonium contrahere poſt fidem datam, & ante conſummationem matrimonij religionem ingredi; ſic enim vtrique voto ſatisfacit.

16 Sponſalia contracta cum vna perſona impediunt matrimonium cum alia, non tamen illud dirimunt iam contractum. Ratio primi eſt; quia contractus ſponſalium inducit obligationem contrahendi matrimonium; eſt enim promiſſio de matrimonio contrahendo; obligatio autem cum vna perſona impedit, ne poſſit obligari cum alia. Ratio ſecundi eſt; quia fortius eſt vinculum matrimonij, in quo traditur dominium actuale in corpus, quàm vinculum ſponſalium, in quo tantùm promittitur; ſicuti tenet ſecunda venditio, in qua traditur rei actualis poſſeſſio; non prima, in qua tantùm promittitur; ergo matrimonium contractum poſt ſponſalia eſt validum; & ideo contractus ſponſalium non eſt impedimentum dirimens, ſed tantùm prohibens ſub peccato.

17 Inceſtus eſt primum impedimentum inter illa, quæ contrahuntur ex crimine; quanuis autem inceſtus ſit copula viri, vel vxoris cum affine vſque ad quartum gradum; attamen non eſt impedimentum, niſi ſit in primo, & ſecundo gradu; vt docet *Baſil*; qui hoc colligit. 1. Quia *ex omnibus canonibus*, in quibus ſermo eſt de in-

inceſtu, non ponitur aliud exemplum, niſi *filiaſtra, conſobrina, nurus, ſororis, patris, fratris, ac filij*. 2. Quia hoc expreſsè docet *Alex. III. in append. Conc. Lat. p. 6. c. 15; & p. 12. c. 1*; quapropter decepti ſunt *Sanch; & Maſtr*; ille quidem aſſerens *iure antiquo* committentem inceſtum cum conſanguinea intra quartum gradum hoc impedimento teneri; per *Trid.* verò reſtrictum fuiſſe ad primum, & ſecundum gradum tantùm; iſte verò abſolutè dicens teneri, quod *ex Trid. ſeſſ. 28, c. 4.* reijcitur.

Dices *Lat; & Trident.* loqui de impedimento dirimente, non de tantùm prohibente; nam *Trid. ibid.* ait: *Impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractum inducitur, & matrimonium poſteà factum dirimit, ad eos tantùm, qui in primo, & ſecundo gradu coniunguntur, reſtringit; in ulterioribus verò gradibus ſtatuit huiuſmodi affinitatem matrimonium poſteà factum non dirimere. Lat.* verò *p. 6. vbi ſ. Si prima mulier, vel ſecunda ſe vel prima, vel ſecunda linea contingunt; tu virum facias vtraque omni contradictione, & appellatione ceſſante carere, & ſine ſpe coniugij perpetuò manere*; ergo licèt impedimentum dirimens oriatur tantùm ex inceſtu in primo, & ſecundo gradu; attamen impedimentum non dirimens ex inceſtu oritur in tertio, & quarto gradu.

Reſp; quòd licèt *locis cit.* hæc *duo Concilia* loquantur de inceſtu, prout eſt impedimentum dirimens; attamen intelligenda ſunt etiam de inceſtu, prout eſt impedimentum tantùm prohibens. Nam *Lat. p. 12. vbi ſ.* inquit: *Si aliquam vxoris ſuæ conſanguineam, quæ illi in tertio gradu, vel deinceps contingat, carnali commixtione cognouerit, non eſt propter id diuortium inter eos celebrandum; ſed delinquenti eſt ſecundùm qualitatem perſonæ, & criminis pænitentia imponenda.* Impedimentum autem ex inceſtu tantùm prohibens importare diuortium *mox* dicemus; in hoc enim diſtinguitur ab alijs impedimentis, quæ oriuntur ex alijs cauſis. *Trid.* autem loquitur generaliter de inceſtu, prout eſt impedimentum dirimens, & tantùm prohibens, licèt poſteà ſe determinet ad impedimentum dirimens.

18 Pœna, quæ inceſtuoſo ſtatuitur (omiſſis pœnis *antiqui iuris* excommunicationis, & reiectionis inter catechumenos; vt habetur *in Conc. Ilerden. can. 4; & 33. quæſt. 2. c. de his; & Agathen. ſub Symacho c. 61. relato c. 35. q. 2; & 3. c. de inceſtis; & S. Greg. lib. 12. ep. 32; & Mogunt. ſub Carolo Magno can. 39; & Vernis ſub Pipino c. 9; altero Mogunt. ſub Rabbano cap. 28; Rhemens. ſub Leone VIII. c. 11; Vuormatien. can. 73; Narbonen. can. 6*; vbi iubet inceſtuoſum excommunicandum eſſe ſingulis Dominicis publicè in Eccleſia; quod confirmauit *Colonien. can. 6*; & priùs ſtatuerat *Ilerden.*) pœna, inquam, firmiter ſtatuta eſt interdictio matrimonij ita, vt ab ab vxore debeat ſepararí; & mortua prima vxore ſit perpetuò inhabilis ad ducendam quancunque aliam vxorem. *Ita Agathen. c. 6. S. Greg. vbi ſ. 32. q. 7. c. concubuiſti; & c. quadam cum fratre viri; & c. ſi quis viduam; & c. qui dormierit; & c. ſi quis cum nouerca; & ex Triburien. ibid; & 27. q. 2. c. ſi quis ſponſam; et 34. q. 1. c. in lectum; et c. ſi quis cum duabus; et c. ſi quis cum matre; et cop. quidam fornicatus; et de eo, qui cognouit etc. c. 1; et 2; et c. tranſmiſſæ; et in append. Lat. apud Binium p. 6. c. 15; et p. 12. c. 1; 3; 4; 5; et 7; et p. 50. c. 4; 5; et 49; et Trid. c. 4; et 5.* Hæc autem pœna incurritur tam conſtante, quàm non conſtante matrimonio; vt ſi quis cognoſcat conſanguineam adhuc viuentis, vel mortuæ vxoris, inhabilis redditur ad contrahendum *c. tranſmiſſæ*. Item ſi eam fornicariè cognouit, quàm pariter fornicariè cognouit pater, vel filius, vel frater. *Triburien. can. 43; et 44.* Item ſi quis ante matrimonium cognouit conſanguineam vxoris. *Lat. p. 12. c. 15.* Item ſi cognouit nedum conſanguineam vxoris, ſed etiam conſanguineam propriam hanc pœnam incurrere docet *Baſil. cont. Sanch; Maſtr; et alios*. 1. Quia *Agathen; et alia Conc; ac canones* loquuntur de inceſtuoſo generaliter. 2. Quia *S. Gregor. vbi ſ.* expreſsè id ſtatuit: *Nec eam, quam aliquis ex propria conſanguinitate habuit coniugem, vel aliqua illicita pollutione maculauit, in coniugium ducere vlli profectò liceat Chriſtianorum, vel licebit.* Non incurritur tamen, niſi crimen ſit publicum, & poſſit in iudicio probari; quamuis de eo nulla extet accuſatio; quidquid dicat *Sanch*; habetur enim *in Append. Lat. p. 12. c. 4*; & refertur *de eo, qui cognouit etc. c. 2. Si occultum eſt huius delictum, non poſſet reſcindere matrimonium, quod publicè contraxiſſet.* Neque incurritur, quando fornicator ignorat eam mulierem eſſe conſanguineam *de eo, qui cognouit etc. c. 1.* Neque fœmina incurrit hanc pœnam, quando vi opprimitur *ibid. c. diſcretionem*.

19 Dices 1. *Concil. Meten; et Aquiſgranen. ſub Nicol. I. Lotharium Galliarum Regem* à matrimonio *cum Theutperga* iam contracto liberum declararunt, vt nuberet, cui vellet; quia *Theutperga* ſe commiſcuerat fratri *ipſius Lotharij*; ergo inceſtus non importat pœnam perpetuæ ſeparationis. 2. *Ex Alex. III. in Append. Later. p. 12. c. 4*; & refertur *de eo, qui cognouit c. 2*; habetur quendam contraxiſſe matrimonium cum filia ſuæ nouercæ; & antequam illi copularetur, commiſcuiſſe ſe matri nouercæ; de quo interrogatus Pontifex reſpondit: *Si occultum eſſet huius delictum, non poſſet reſcindere matrimonium. At ſi publicum; imponenda eſt pænitentia maior, quàm de adulterio; et poſteà vterque nubat alteri, cui vult*; ergo idem.

Reſp. ad 1. *Lotharium* ſeparationem tentaſſe, & ideo illud crimen finxiſſe. At illa duo *conciliabula* fuerunt reprobata *ſub eod. Nicol. in Conc. Rom. III.* Ad 2. dicitur *Alex.* locutum

fuiſſe

fuisse in ea sententia, quæ docet Papam posse rescindere matrimonium ratum fidelium, non consummatum; propterea subdit: *Cæterùm si sponsam cognoverit, antequam matrem, vel post; nunquam poterit eam, vel aliam in vxorem ducere.*

20 Collig. ex dictis incestum ante matrimonium commissum aliquando non dirimere, & aliquando dirimere matrimonium; & ideo affinitatem poni inter impedimenta non dirimentia, & dirimentia. Primum constat *de eo, qui cognouit c. transmissa*; vbi dicitur, quòd quidam mortua sua vxore incestum commisit cum filia eius priuigna; posteà duxit aliam in vxorem; super quod requisitus *Cælestinus III.* respondit: *Quòd legitimæ vxori cohabitans, et necessaria subministrans non cognoscat eam, quandiu vixerit, nisi ab ea fuerit requisitus; et tunc ad eam non sine graui cordis dolore accedat etc. Postmodum si superuixerit ei, perpetuò sine spe coniugij permanebit*; ergo matrimonium contractum post incestum aliquando est validum; nam quando est inualidum, non potest licitè petere, nec reddere, vt constat; & ideo Pontifex non potuisset præcipere, vt redderet. Secundum habetur *ibid. c. super eo*; qui cognouerat consanguineam vxoris suæ, antequam contraheret matrimonium cum sua vxore; respondit autem *idem Cælestin.* quòd si *rationabiles, et fide dignæ probationes accedant, possit bene contractum matrimonium irritari.* Quod clarè statuit *Trid. vbi s. c. 4.* Ratio autem discriminis est. Quando incestus commissus fuit cum consanguinea primæ vxoris defunctæ, ob quod etmen prohibitus fuit sumere secundam vxorem, tunc est impedimentum tantùm prohibens secundum matrimonium; quod si contrahatur, non dirimitur; quanuis non possit petere. At quando incestus præcessit matrimonium, in quo assumitur in vxorem consanguinea incestuosæ, tunc est impedimentum dirimens. Quando autem incestus ad matrimonium subsequitur, diuortium efficit; vt habetur *in Append. Lat. p. 12. vbi s.* at si coniux innocens nolit se suo iure priuare; incestuosus tenetur reddere, sed nequit debitum petere.

21 At si ignoranter præmissis denunciationibus, alijsque adhibitis solemnitatibus non potuit impedimentum affinitatis ex incestu priùs commisso cognoscere, tunc ignorantia facti, vtpotè inuincibilis, sicut excusat à culpa; ita excusat à pœna; & si posteà deueniat in affinitatis notitiam, faciliùs, & gratis potest dispensari. Quòd si denunciationes, & aliæ solemnitates præmissæ non fuerint, dispensari non debet, sed manere in pœna. *Ita Trid. vbi s. c. 5.* Quod intelligendum est nedum de copula illicita, sed etiam licita; vt cùm quis mortua vxore ad secundas nuptias cùm eius consanguinea vult transire.

22 Quæres; an hoc impedimentum sit extendendum etiam ad eum, qui cognouit aliquam fœminam, cum qua est tantùm impedimentum publicæ honestatis?

Resp. *Basil.* quòd, si illud impedimentum publicæ honestatis ortum sit ex matrimonio rato, non consummato, extenditur; quanuis ex tali matrimonio nulla affinitas orta sit, quia copula secuta non est; & habetur *ibid. c. veniens.* Si autem ortum sit ex sponsalibus validis, non extenditur; quidquid dicat *Sanch*; qui contrarium docuit, quia putauit *in dicto c.* sermonem esse de sponsalibus, in quo fuit deceptus; clarè enim constat sermonem esse de matrimonio iam contracto.

23 Alia impedimenta prohibentia orta ex crimine, quæ censentur iuisse in desuetudinem, sunt parricidium, & matricidium; vt habetur *in Mogunt. sub Rabbano c. 20; et Vuormatien. c. 30.* addit fratricidium; *et in Append. Lat. p. 50. c. 12.* extenditur ad filijcidium; vbi matres interfectrices filiorum prohibentur nubere. Item vxoricidium *33. q. 2. c. interfectores; c. admonere; et c. quicumque.* Quanuis vxorem in adulterio deprehensam auctoritate priuata interficiat. Quod etiam dicendum esse de vxore occidente maritum docet *Basil. cum Rebell. cont. Sanch*; eadem enim prorsus est ratio. Item præsbitericidium *de pœnit; et remiss. c. qui præsbiterum.* Item publica pœnitentia non peracta *33. q. 2. c. audiuimus; c. si quis, et Conc. Arelaten. II. cap. 21; et Toletan. VI. c. 7. et Leo I. ep. 92.* Item qui suscipit proprium filium in baptismo eo animo, vt eximat se à petendo debito propter cognationem spiritualem contractam, prohibetur post mortem vxoris transire ad secundas nuptias *30. q. 1. cap. de eo.* Quod extendunt *DD.* etiam ad suscipientem proprium filium in Confirmatione. Item contrahere scienter cum moniali, seu virgine Deo sacra iam professa *27. q. 1. c. ÿ ergo; et c. si quis.* Item raptus alienæ sponsæ *ibid. q. 2. c. statutum*; quod intelligendum esse de raptu sponsæ post contractum matrimonium, non tantùm post sponsalia docet *Basil; Sanch; et alij cont. Rebell; Auersam, Mastr; et alios*; quia in odiosis lex non est amplianda, & nimis grauis pœna videtur delicto constitui.

24 Quòd autem hæc impedimenta orta ex crimine excepto incestu in desuetudinem abierint; probat *Basil.* ex eo, quòd Prælati non sint solliciti, vt dispensatio petatur. *Aliqui* tamen restringunt, cùm non sunt ad publicum iudicium delata, tunc dispensationem non esse petendam.

25 An autem contrahere cum his impedimentis sit peccatum?

Resp. *Basil.* contrahere cum impedimentis, quæ in desuetudinem abierunt, non esse peccatum; quia consuetudo inducta est altera lex per consensum tacitum Principis abrogans priorem legem; operari autem contra legem,

quæ fuit abrogata, peccatum non eſt. At contrahere cum impedimentis, quæ uigent, eſt peccatum mortale, quia eſt materia grauis.

26 Tandem poſſe Epiſcopum diſpenſare ſuper impedimenta prohibentia, excepto uoto caſtitatis, & Religionis, docent *Bonacina, Nauar; & alij plerique*. Sed hoc falſum eſſe patet ex dictis; nam ut diximus *n.11.* hæc impedimenta ſunt ſtatuta à Pontifice *in Conc. gen*; ideo nequeunt diſpenſari ab Epiſcopo de iure ordinario, ſed tantùm de iure extraordinario urgente aliqua neceſſitate; ut diximus de ſolemnitate nuptiarum temporibus à iure prohibitis. Hoc conſtat etiam de inceſtu; & ſic de reliquis, quæ *in Concilijs*, aut à Summo Pontifice fuerunt ſtatuta; inferior enim nequit diſpenſare in lege ſuperioris.

ART. II.

De impedimento voti Religionis, & ordinis.

1 REligio *eſt ſtatus perfectionis per tria vota perpetuò adipiſcendæ*; iuquit *S.Tho. 2.2. q.186. art.1. ad 4; & art.3; & 4*; Votum autem *promiſſio facta Deo de meliori bono*; ideo debet eſſe de re poſſibili, liberè eligibili, honeſta, & quæ melior ſit, quàm eius omiſſio. Nihil intereſt autem, quòd hæc promiſſio fiat internè, uel externè per uerba; Deus enim æquè omnia ſcrutatur. Poteſt autem uoueri etiam res præcepta, ut magis ſe obliget ad illam faciendam. Cùm autem uotum fit ſancto, tunc uocatur ſanctus in teſtem; & uotum fit Deo. Ex hoc colligitur religionem immobilitatem importare; ſtatus enim opponitur motui ex diametro; in hoc namque diſtinguitur uia, & terminus, ut docet *Fund. Doct. Ægid. in 2. diſt. 7. q. 1. art. 2. §. ſunt autem*; quòd uiæ conuenit motus; termino autem ſtatus, ſeu quies; quæ priuationem motus importat. Hanc autem immobilitatem, ſeu ſtatum non conuenire religioni ratione uoti, ſed ratione donationis, qua religionem ingrediens donat ſe religioni, & ex acceptatione religionis, quæ talem donationem recipit, probat *Baſil. lib. 7. c. 5; & 6. cont. Vaſq*; negantem interuenire talem donationem, ſed totam iuriſdictionem in religioſos prouenire à iure humano poſitiuo. Prob. autem *ex Conc. Tolet. IV. can. 49; & 20. q. 1. c. monachum; & Append. Lat. p. 50. c. 10; & D. Bern. ep. 1*; & ratio eſt. Quia ingrediens liberè tradit ſe ipſum irreuocabiliter, & omnino gratis; in quo ratio donationis conſiſtit.

2 Vota religionis primis Eccleſiæ temporibus fuiſſe ſimplicia, non ſolemnia; & ideo Prælatos relaxaſſe vota eorum, quos è religione expellebant; quia non erat ex parte religionis acceptatio perpetua, & ſimpliciter irreuocabilis; propterea potuiſſe religionis Prælatos illos eijcere; ipſos tamen, quia uouerant, non potuiſſe liberè exire, probat *Baſil. c. 12; & ſeqq.* tum *ex regulis* præcipuè *S.P. Aug. A veſtra ſocietate proijciatur; S.Baſil; S.Benedicti*; tum *ex Conc. Illiberit. can. 13; ex Siric. Papa ep. 1. can. 6; ex Arelaten. II. ſub Siricio can. 32; Tolet. I. can. 26; Leo I. ep. 90. ad Ruſtic; S.Cypr. ep. 60*; quæ habetur *27. q. 1. c. nec aliqua; & c. quòd ſi; Innoc. I. ep. 2. ad Vincent. can. 10; & S.P. Aug. de bono viduit. c. 9*; et religioſos expulſos à religionibus illicitè quidem, ſed validè contraxiſſe matrimonia; propter quod puniti fuerunt ab Eccleſia, non ſeparati. Ex quo ſumitur argumentum euidens, quòd eorum vota erant ſimplicia, & ideo tantùm prohibentia, non dirimentia. Vota autem ſimplicia ad religionem ſufficere probat *c. 22. extra aſcendente Domino Greg. XIII*; quibus declarat *Societatem Ieſu* eſſe veram religionem; & tamen in ea fiunt tria vota ſimplicia. Item appobationem, quæ eſt neceſſaria ad religionem, olim fuiſſe factam ab Epiſcopis; vt colligitur *ex Conc. Carthag. c. vlt*; & ſolùm *in Lat. ſub Innoc. III.* occaſione *Vnaldenſium, ſiue pauperum de Lugduno* S. Sedi fuiſſe reſeruatam; quod *habetur de religioſis domib. c. omnia*, tradit *c. 11.* Concludit ergo *c. 22. n. 2.* primis quatuor ſæculis Eccleſiæ religioſos emiſiſſe tantùm vota ſimplicia, non ſolemnia; atque adeò ſolemnitatem votorum iure Eccleſiaſtico, non Diuino, fuiſſe introductam. Imò eos religioſos retinuiſſe dominium ſuorum bonorum, & teſtamento illa reliquiſſe oſtendit *c. 13.* Quanuis Chriſtus Dominus nedum cogitauerit inſtituere religionem, vt ait *Vaſq*; ſed etiam verè inſtituerit, erexerit, & ad praxim deduxerit; quia *Apoſtoli*, & aliqui eorum Diſcipuli verè religioſi fuerunt; vt oſtendit *c. 1; & 2*; adeòque religionem eſſe de iure Diuino, vt probat *c. 3*; attamen non emiſerunt, niſi vota ſimplicia; quæ *in regula ex Actis Apoſtolorum* deſumpta ſuis religioſis tradidit *inter alios S.P. Aug*; ſic enim ait propè initium: *Non dicatis aliquod proprium: ſed ſint vobis omnia communia; ſic enim legimus in Actibus Apoſtolorum, quòd illis erant omnia communia, & diſtribuebatur, ſicut cuique opus erat.* Solemnitatem ergo votorum iure humano fuiſſe introductam; eorumque immobilitatem, non ex natura voti, ſed ex vi donationis factæ ab eo, qui religionem ingreditur; & illegitimatione contrahendi matrimonium facta à Pontifice, quem propterea poſſe diſpenſare in voto religionis mutando ſtatum religionis, docet *à c. 6. ad* 10.

3 Sed in explicanda differentia, quæ eſt inter votum ſimplex, & ſolemne, diſſident *DD*; nam *aliqui* dicunt, quòd votum ſimplex importat eſſentialiter nudam promiſſionem factam Deo caſtitatis ſeruandæ; ſolemne verò vltra promiſſionem importat etiam actualem traditionem ſui in Dei dominium, ſeu conſecrationem actualem ſui ipſius Deo factam ad obedientiam, paupertatem, & caſtitatem; in his enim

tribus

tribus consistit essentialiter votum Religionis; atque adeò ita se habent votum simplex, & solemne; sicut sponsalia, & matrimonium; nam sponsalia important nudam promissionem sui sine actuali traditione; & ita se habet votum simplex; matrimonium verò importat etiam actualem traditionem sui in dominium alterius. Hinc deducunt votum solemne irritare matrimonium nedum iure Ecclesiastico, sed etiam iure naturali Diuino; quia res semel tradita vni, & ab illo actu possessa nequit tradi alteri; hoc enim naturæ ius exigit; propter quod votum solemne irritat; quia professus per votum tradidit se ipsum Religioni, & ab ea possidetur; & ideo nequit tradere se ipsum per matrimonium vxori; votum autem simplex tantùm impedit, non dirimit; quia rem tantùm promittit, non tradit; res autem promissa vni potest validè tradi alteri, quanuis illicitè. *D. Tho. 2. 2. q. 88. art. 11; Alen., D. Bon., Ricard., Syluest., Sot., Estius, Turrecrem; & alij.*

4 Sed hic modus explicandi reijci solet *communiter*; nam vouens voto simplici actualiter tradit se ipsum Deo, & sui dominium transfert in Deum immediatè, quanuis non mediante homine; promittit enim per verba de præsenti, non de futuro seruare castitatem; non enim vouet, aut promittit se votum emissurum seruandi castitatem; hoc namq; esset votum voti faciendi, non votum seruandi castitatem, vt constat. Sicut autem consentiens per verba de præsenti in matrimonium actualiter tradit se ipsum vxori spiritualiter; quanuis corporaliter non tradat; corporalis enim, & externa traditio fit tantùm per copulam; vt cùm dicit: *Duco te in matrimonium*; & consentiens per verba de futuro, sicut fit in sponsalibus; vt cùm dicit: *Promitto, quòd ducam te in matrimonium*; tunc non tradit actualiter dominium sui, sed tantùm promittit illud traditurum; ita cùm quis dicit per verba de præsenti: *Voueo Deo seruare castitatem*; tradit actualiter Deo dominium sui; non autem simpliciter promittit per verba de futuro se traditurum dominium; & ideo votum simplex non se habet, vt sponsalia, sed vt matrimonium; & sic ex hac ratione sequeretur, quòd votum simplex non minùs dirimeret, quàm solemne. Potiùs ergo votum simplex, & solemne ita se habent, sicut matrimonium immediatè contractum ab vno cum altero contrahente; & matrimonium contractum ab vno mediante procuratore alterius contrahentis; sicut enim vtrunque matrimonium est per verbum de præsenti: *Duco in vxorem &c*; ita vtrunque votum est per verbum de præsenti: *Voueo &c*; & sicut matrimonium immediatè contractum ab vno cum altero contrahente dirigit immediatè consensum vnius ad alterum, qui per se ipsum immediatè illum acceptat; non per alium; ita votum simplex est illud, quo homo immediatè se tradit, & consecrat Deo, & immediatè dirigit promissionem ad Deum, qui per se ipsum illam acceptat; & sicut vnus contrahens cum procuratore alterius mediante procuratore dirigit suum consensum ad alterum contrahentem; suum enim consensum significat procuratori, quo se tradit alteri contrahenti; sic votum solemne est illud, quo quis Deo actualiter se tradit, & consecrat mediante homine Dei Vicario, scilicet Prælato Religionis, vel Ordinationis, qui illam promissionem nomine Dei acceptat. Nec dici potest Deum noluisse hanc promissionem immediatè per se ipsum acceptare, sed tantùm mediante Prælato. Nam contra est; quia sequeretur votum simplex, quod sit immediatè ipsi Deo, non obligare; obligatio namque ex acceptatione dependet; consentiens enim matrimonio, nisi acceptetur consensus, non obligatur contrahere; vt diximus *in sup. q.* Tum quia nullus est *Scripturæ textus*, quo asseratur votum non obligare, nisi per hominem acceptetur à Deo; sed potiùs expressè habetur votum factum Deo esse reddendum, quia Deus illud requirit, idest acceptat; habetur enim *Deut. 23. Cùm votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere; quia requiret illud Dominus Deus tuus; & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum*; non posset autem Deus requirere, vt fiat, nisi illud acceptasset; nam quod non acceptat, vt fiat, non vult fieri; quod autem requirit, vt fiat, vult fieri, & ideo illud acceptat.

5 *Vasq. 1. 2. disp. 165.* ait solemnitatem voti consistere in perpetuitate. Sed omnino insufficiens est hæc explicatio. Nam vel hæc perpetuitas sumitur ex intentione vouentis, qui intendit se perpetuò obligare; & sic etiam votum simplex esset solemne; quia intentio se perpetuò obligandi est etiam in voto simplici. Vel desumitur ab aliquo externo; & hoc quæritur, quodnam sit? Ideo inutilis, & vana omnino est hæc explicatio.

6 Communior ergo sententia docet solemnitatem voti religionis, quod emittitur coram Prælato regulari, & solemnitatem voti castitatis, quod emittitur in ordinatione sacra coram Episcopo, formaliter consistere in perpetuitate extrinseca proueniente à iure Ecclesiastico; quod ademit Prælato Regulari potestatem dimittendi à religione eum, qui vota illius religionis emisit; & in illegitimatione facta ab eodem iure, qua religiosos post vota perpetuò inhabiles, & illegitimos reddidit ad contrahendum matrimonium, & ad dominium rerum acquirendum, vel retinendum; & sic dicendum de Episcopo. Atque adeò posse Summum Pontificem dispensare in voto solemni religionis, & ordinationis sacræ, licèt rarissimè ob grauissimas, & maximas causas. Quod tamen ita intelligendum est; vt possit Papa tollere votum so-

solemne religionis in sensu composito ita, vt ille, qui absolutus est à voto, non sit ampliùs religiosus; non autem sit simul religiosus, & absolutus à voto; hæc enim pugnant inter se, cùm religio essentialiter tria vota importet. *Ita Fund. Doct. Ægid. de Renunc. Papæ c.* 13; *& 15; Basil. hic c.* 9; *& 10; D. Tho. in 4. dist. 38. art. 4. quæstiunc. 1. ad 3; Palud. q. 4; Herueus Quodl. 11. q. 25; D. Antonin. tit. 11. c. 2; Caiet. 2. 2. q. 88. art. 7; Petr. Sot. lect. 5. de Matrim; vterque Ledesma; Scot. apud Mastr. hic disp. 7. q. 16. art. 3; Aureol; Basiol; Tataret; & alij Scotistæ communiter; Sanch; Coninch; Auersa; Gaspen; Beccan; Dur; Maior, Gabr; Val; Nauar; Med; Tolet; & ferè omnes Iuristæ apud Fagnan. in 2. p. lib. III. Decretal. de statu Monach. c. cùm ad Monasterium à n.* 61; vbi refert *Innoc. III; Hostien; Io. Andr; Card; Anchar; Abbat; Archidiac; Præposit; Turrecr; & alios.*

7 Vnica concl. Votum solemne religionis, & ordo sacer sunt impedimentum dirimens matrimonium iure Ecclesiastico, non iure naturali, aut Diuino; atque adeò potest Papa in vtroque in sensu diuiso dispensare ob grauissimas causas, & rarissimè.

Prob. 1. pars concl. *Ex Conc. Vien. Clementin. vnica de consanguinit; Trid. sess.* 24. *can.* 9. statuente: *Si quis dixerit clericos in sacris ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse non obstante lege Ecclesiastica, vel voto &c. anathema sit*; & collig. *ex multis canonibus* 17. *q.* 1. *per totam, & de voto, & voti redemptione c. vnico; & qui clerici, vel vouentes. Et de conuers. coniugat. c. consuluit.* Ratio est. Per votum solemne religionis, & ordinis quis redditur illegitimus, & inhabilis simpliciter ad contrahendum matrimonium; per tale etenim votum desponsatur Deo coniugio spirituali, quod importat vinculum fortius, quàm matrimonium carnale, vt docet *Fund. Doct. Ægid. de Renunc. Papæ c.* 8; ergo matrimonium contractum post votum solemne religionis, & ordinis est nullum; sicut enim matrimonium carnale est impedimentum dirimens secundum matrimonium factum viuente prima vxore; ita matrimonium spirituale, quod importat vinculum fortius, contractum per votum solemne religionis, & ordinis, est impedimentum dirimens matrimonium carnale contractum post voti emissionem.

8 Prob. 2. pars concl. *ex Bonif. VIII. de voto, & voti redempt. c. vnico in* 6. statuente: *Voti solemnitas ex sola Ecclesiæ institutione est inuenta*, quæ verba repetit *Greg. XIII. in Bulla Ascendente Domino*: contra aliquos asserentes *PP. Societatis* non esse verè religiosos, quia non emittunt vota solemnia; & solemnitatem de iure Diuino requiri essentialiter ad votum Religionis, inquit autem Pontifex. *Non considerantes solemnitatem voti sola Ecclesiæ constitutione inuentam esse; & Cælestin. III. qui sint clerici, vel vouentes c. versus* *Arbitramur, quòd cùm simplex votum non minùs obliget apud Deum, quàm solemne &c.* Ergo quòd votum solemne irritet matrimonium posteà cõtractum, est de iure Ecclesiastico, non Diuino; nam votum simplex non irritat, sed tantùm impedit; *& Innoc. III. apud Hostien.* referente *Fagnano de statu Monachor. c. cùm ad Monasterium n.* 63. hoc probat *ex Matth.* 16; vbi Papæ dicitur: *Quodcunque ligaueris super terram &c*; ex quo habetur Papę fuisse communicatam à Christo Domino plenam potestatem soluendi quæcunque vincula animarum, & ideo soluendi quæcunque vota, quæ obligant ad illa seruanda. Hoc etiam videtur innui *à Trid. vbi sup. Si quis &c*; vbi inualiditatem matrimonij contracti post professionem solemnem, vel post ordinationem in sacris deducit *ex lege Ecclesiastica, vel voto* nulla prorsus facta mentione iuris Diuini; quod certè non omisisset; sic enim magis *canonem illum* firmasset. Item colligitur ex praxi Ecclesiæ, quæ pluries dispensauit, vt monachus sacerdos matrimonium contraheret; vt *apud Petrum de palud. in 4. dist. 38. q. 4. art.* 4. dispensauit, vt *Ramirus* relicta religione, & Episcopatu acciperet vxorem, & Regnum *Aragoniæ; & Cælestinus III. apud Caiet. 2. 2. q. 8. art.* 11. dispensauit, vt *Constantia filia Rogerij Regis*, quæ erat sancti monialis, nuberet *Henrico VI*, quæ, licèt quinquagenaria esset, genuit *Fridericum II*; cuius dispensationis *plures Iuristæ* faciunt mentionem, vt testatur *Fagnan. vbi sup. num.* 69; *& Alex. III. apud Barthol. à S. Fausto de thesaur. Religios. lib. 3. q. 36. n.* 5; *& Pineda de Monarch. Eccles. p. 4. lib. 25. c.* 7. §. 1. ad instantiam *Venetorum Ducis* dispensauit *Nicolaum Iustinianum Monachum Sacerdotem*, vt vxorem duceret; quod factum fuisse etiam cum fratre *Card. Ioyosæ Gallo sacerdote* professo Prouinciali *Ordinis Capuccinorum* refert *idem Barthol. à n.* 8. Item *Sixtus V.* anno 1588. 15. *Kal. Iunij* Pontificatus anno 4. ad instantiam *Henrici Galliarum Regis, & Cardinalis de Ioiosa Regni Galliarum apud S. Sedem Protectoris* dispensauit *Antonium Scipionem de Ioiosa Equitem Hospitalis S. Io. Hierosolymitani Priorem Tolosani Prioratus* à tribus votis in solemni professione emissis perinde, ac si professionem huiusmodi non emisisset, neque habitum prædictum suscepisset declarans his verbis *verè, & propriè laicum, & sæcularem personam in omnibus, & per omnia esse, & censeri, & reputari debere, & cum quacumque muliere sibi à iure non prohibita matrimonium aliàs ritè, & seruata forma Conc. Trid. contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare, & in eo postmodum, quoad vixerit, remanere, liberè, & licitè valeat; prolemque ex inde susceptam legitimam fore*, vt constat *ex Breui* nobis exhibito dato *ad Carolum S. Chrisogoni Præsbiterum Card. Borbonium, & ad Io. Franc. Episcop. Brixien. in Regno Franciæ Sedis Apostolicæ Nuncium.* Tandem *Paul. V. die* 18. *Augusti anno* 1605. *per Nuncium Apostolicum apud* Casa-

Cæsaream Maiestatem dispensauit *Brunonem ex nobilissima Comitum de Mansfeldt familia in Saxonia Equitem* solemniter professum *eiusdem Hospitalis S.Io.ex Lutherana hæresi* ad fidē catholicam conuersum; vt habitu dimisso, & professione non obstante *matrimonium cum quacunque muliere catholica, dummodò nullo sit iure prohibita, aliàs legitimè, & ritè seruata forma Conc. Trid.contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare,& in eodem postmodum remanere posset; non obstantibus quibuscumque &c.* Ex quibus sic arguitur. 1. Quod potest à Papa dispensari, est tantùm de iure Ecclesiastico; quia Papa nequit dispensare id, quod est de iure naturali, & Diuino; inferior enim nequit dispensare ius superioris; & Papa est inferior Deo, cuius est Vicarius; & ideo nequit dispensare ius naturale, & Diuinum, quod est conditum à Deo; sed tantùm potest dispensare ius Ecclesiasticum, quod est conditum à se ipso; sed uotum solemne professionis, & ordinis matrimonium non dirimat, potest à Papa dispensari, ut constat ex dictis; potest enim dispensari, ut matrimonium validè contrahatur post votum solemne professionis, & ordinis; ergo votum solemne professionis,& ordinis matrimonium dirimere est tantùm de iure Ecclesiastico,non naturali, aut Diuino. 2. Quod accidentaliter aduenit voto religionis, & ordinis, est tantùm de iure Ecclesiastico; sed matrimonium dirimere tantū accidentaliter aduenit uoto religionis, & ordinis;quia primis Ecclesiæ temporibus fiebat uerū uotū religionis, & ordinis;& tamen tunc matrimoniū non dirimebat;ut diximus;ergo dirimere matrimonium est tantùm de iure Ecclesiastico. 3. In hoc distinguitur votum solemne à voto simplici; quòd illud fit Deo mediante homine in religione approbata à Pontifice prohibente Prælato ad religionem recipienti, ne receptum expellat; & illegitimante, seu inhabilitante receptum ad matrimonium contrahendum; & sic dicitur de ordinato; hoc autem immediatè fit ipsi Deo; ex quo sequitur votum solemne in hoc distingui à voto simplici, quòd illud irritat, hoc tantùm impedit matrimonium, non enim constat *ex scripturis*, quòd Deus acceptans votum illegitimet, & inhabilitet vouentes ad matrimonium; sicut constat de Pontifice acceptante per suos Prælatos ad religionem, & ordinem; sed tantùm de iure Ecclesiastico est prohibitio, & illegitimatio facta à Pontifice, vt claret; est enim lex lata à Pontifice; ergo tantùm de iure Ecclesiastico est votum solemne religionis, & ordinis matrimonium dirimere. 4. Votum simplex non est vinculum dirimens matrimonium; vt diximus *in sup.art*;sed votum solemne à iure Diuino habet tantùm,ut sit vinculum eodem modo obligans, ac votum simplex; vt inquit *Innoc*; quia ut dicebamus eodem modo obligatur alicui, qui se illi immediatè obligat, ac qui se obligat mediante illius vices, & personam gerente; & ideo qui vouet immediatè Deo, eodem modo obligatur Deo iure Diuino, ac qui se obligat mediante homine vices Dei gerente; ergo votum solemne non habet à iure Diuino, vt matrimonium dirimat; & ideo hoc ei competit tantùm ex iure Ecclesiastico, super quod Papa potest dispensare. 5. Euertitur ratio contraria, Ratio, cur votum solemne matrimonium dirimit,est, quia per votum solemne traditur deo actuale dominium ipsius vouentis; & per votum simplex tantùm promittitur; sed hæc ratio falsa est; nam tota differentia est; quòd per votum solemne traditur dominium mediante Dei ministro; & per votum simplex traditur immediatè Deo, vt dictum est; vnde sicuti nō minùs interuenit actualis traditio dominij in matrimonio,quando quis immediatè tradit sui dominium alteri coniugi; & quando illud tradit mediante procuratore illius vices gerente; ita à pari. Tum quia si per votum simplex non traderetur dominium actuale, sed tantùm promitteretur, sicut in sponsalibus, votum simplex esset tantùm promissio voti, non votum; sicut sponsalia sunt tantùm promissio matrimonij, non matrimonium. Idem dicitur de promissione venditionis, & actuali traditione; ergo hæc ratio falsa est. Tum quia si votum simplex se haberet, sicut sponsalia, sequeretur, quòd eodem modo posset dissolui, sicut dissoluuntur sponsalia; sed hoc nemo diceret; ergo neque illud.

9 Obijc. 1. cont. 2. part. concl. *Conc. Tribunien.sub Formoso* referens *Conc.Chalced.IV; Siric; & Gelas.can.23.* statuit; vt mulieres, quæ post religionis vota matrimonium contrahunt, separentur nedum quoad tectum, sed etiam quoad bona temporalia ita,vt vnusquisque sua propria possideat. Idem priùs sanxerat *Aurelianen.sub Vigilio can.19;& Turonen.sub Io.III. can. 16; & Matisconen.sub Pelagio II. anno 582; & D.Greg. lib.1.ex Regest.ep.40.* iubet, vt monachi post professionem nubentes cogantur ad monasterium redire; *& D.Basil.* ante omnes *ep. ad Amphyloch. can.6.* copulam à monachis coniugatis commissam vocat adulterium; quod etiam habet *Chalcedonen c.vlt;* ex quo deducitur matrimonium à religiosis post vota contractum semper fuisse nullum. *Vid. 27. q.1.ex Innoc.II.c.ij ergo; & c. peruenit ad nos; & si quis sacro; & c.si custos; & c. si homo; & c.si qua monacharum; & c. si quis rapuerit; & c.omnes fœmina; & c. & quia.* Ergo ex continua Ecclesiæ praxi potiùs deducitur votum solemne religionis esse impedimentum irritans iure Diuino.

Resp. *Basil.c.19;& 20.* dupliciter. 1. Quòd quia statuere impedimenta dirimentia, & prohibentia tunc temporis erat in potestate Episcopi, ut diximus *sup*; potuit apud aliquos votum religionis esse impedimentum dirimens; non tamen

tamen apud totam Ecclesiam, vt constat *ex locis allatis*; quod sufficit ad ostendendum non esse de iure Diuino; quod totam Ecclesiam obligare necesse est. Apud istos itaque copula adulterium rectè vocatur. 2. Intelligendos esse *hos textus* de separatione quoad thorum, non quoad vinculum; nam eodem modo loquuntur *Concilia* de ijs, qui votum simplex castitatis emiserant nullo benedicente; aut consecrante sacerdote, & per consequens religiosi non erant; sed tantùm simplex votum emiserant; & quanuis votum simplex matrimonium non irritet, attamen cogebantur castè viuere, & separabantur. *Vid. Conc. Vernis sub Stephano III; & Tolet. can. 5; & Parisien. III. p. 2. canonis; & Barcinonen. sub Greg. I. can. 4; & Foriuilien. sub Adriano I. can. 11; & Triburien. sub Formoso can. 25. ex Gelas. c. 21; & Leo I. ep. 92. c. 14;* 15. Imò eodem modo loquuntur *canones, & Concilia* de viduis, quæ fuerunt vxores Episcoporum, præsbiterorum, diaconorum, acolythorum, & exorcistarum, si enim post mortem Episcopi, præsbiteri &c. nubebant, præcipiebatur, ut separarentur, quanuis validum esset matrimonium. Sic præcepit *Aurelianen. I. sub Symacho can. 15. Epaunen. con. 32; Matisconen. II. sub Pelagio II. c. 16; & S. Greg. lib. 11. ep. vlt.* Ergo ista separatio quoad thorum, non quoad vinculum est accipienda.

10 Obijc. 2. *S. Matthæus Apostolus*, ut refert *Abdias Babylonius in eius vita*, elegit potiùs mori, quàm dispensare *Iphygeniam Virginem* Deo dicatam, ut contraheret matrimonium cum Rege, quanuis Rex promitteret conuersionem dimidij Regni ad fidem; ergo nec ex grauissima causa votum religionis est dispensabile, & ideo de iure naturæ matrimonium irritat. 2. *Innoc. III. de statu Monachor. c. cùm in monasterium* statuit: *Abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeò est annexa regulæ monachali; vt contra eam nec Summus Pontif. possit licentiam indulgere.* 3. *S. Tho. q. 2. 2. vbi s.* docet Papam non posse dispensare etiam propter bonum multitudinis; quia *Leuit. vlt.* illud, quod semel consecratum est Deo, nequit in alios vsus commutari. 4. *Trid. vbi s.* damnat asserentes matrimonium post votum solemne ualidum esse; ergo statuit esse simpliciter indispensabile; & ideo iure naturali, aut Diuino matrimonium dirimere.

Resp. ad 1; quòd in exordio nascentis Ecclesiæ virginitas erat commendanda, & prædicanda, ideo dispensari non debuit, vt summo haberetur in pretio; & aliunde conuersio gentium non dispensationibus, sed miraculis erat implenda. Nunc autem, quia cessauit miraculorum necessitas, necessaria est dispensatio. *De Abdia* autem *Bellarm. de script. Eccl.* scribit: *Abdias Babylonius vnus ex Discipulis Domini fuisse dicitur; sed vita Apostolorum, quæ sub nomine eius circumferuntur, fabulis similiores sunt, quàm vera narrationi.* Ad 2. dicitur *Innoc.* contrarium docuisse, vt constat ex dictis; *hoc* autem *textu* nihil aliud vult, quàm quòd Papa nequeat dispensare religiosum, vt manendo religiosus simul ducat vxorem; cum quo stat, quòd possit eum absoluere à voto religionis, vt vxorem ducat; & ideo nequit absoluere in sensu composito componendo simul religionem, & matrimonium; sed tantùm in sensu diuiso, scilicet annullando religionem, & matrimonij impartiendo licentiam. Sic explicat *Fagnan. n. 61; et cum eo Iurista communiter*. Ad 3. dicitur eodem modo *cum Basil. c. 10. n. 3; et Azor. ibid. D. Thomam* intelligendum esse in sensu composito; essentia enim religionis in tribus votis consistit; & ideo sicut illa tria vota sunt incompossibilia cum matrimonio; ita & religio. Quòd autem *D. Tho.* in hoc sensu loquatur, colligitur ex eo, quòd ait non posse Papam dispensare in voto religionis, sicut dispensat in voto castitatis clerici; constat autē clericum etiā ablato voto castitatis manere in statu clericatus. Tum quia asserit oppositam sententiā esse tantùm aliquorū *Iuristarum* ignorantium; constat autem nostram sententiam doceri nedum *à Iuristis ferè communiter*, sed etiam *à plurimis Theologis etiam sui temporis*; ideo loquitur solùm de quibusdam paucis, qui fortè docuerunt posse Papam dispensare, vt religiosus in sensu composito sit coniugatus carnaliter. Sic exemplum de calice consecrato probat; nam quandiu est consecratus, nequit verti in vsum prophanum. At si liquefiat, & formam amittat, potest in alium vsum conuerti. Nec aliter illud *Leuit.* accipitur. Ad 4. dicitur *Trid.* loqui supposita *lege Ecclesiastica*, vt *ibid.* dicitur; à qua tamen posse Papam dispensare compertissimum est; ideo etiam *ex Trid.* nostra sententia deducitur, vt diximus.

11 Obijc. 3. Sequeretur, quòd quis post matrimonium ratum ingrediens religionem accepta dispensatione à Pontifice adhuc viuente prima vxore posset accipere aliam vxorem; & sic haberet duas vxores. 2. Vouens per votum solemne consecratur Deo; sed Papa nequit facere, quòd qui Deo est consecratus, non sit consecratus; ergo nequit eum absoluere à voto.

Resp. ad 1. *cum Basil. vbi s. n. 10*; quòd per ingressum religionis dissoluitur matrimonium quoad thorum, & quoad vinculum, quia moritur mundo; vt docent *Palud; Azor; & Less.* Sicut autem qui moritur carnaliter miraculosè resurgens non teneretur primam vxorem, sed posset aliam accipere; quia *mortuo viro vxor soluta est à lege viri; cui vult, nubat; vt cum Apost.* docet *Fund. Doct. Quodl. 5. q. 26*, ita dicendum à pari de morte morali. Ad 2. iam dictum est non manere consecratum voto castitatis, quia ab illo absoluitur; licèt maneret consecratus caractere sacerdotali, qui est indelebilis, si esset sacerdos; hæc tamen consecratio non pugnat cum matrimonio; ut *in seq. §.* Addimus hoc etiam probare de

de voto ſimplici, quo vouens Deo conſecratur, vt diximus; & tamen Papa poteſt diſpenſare; ergo & à voto ſolemni.

12 Ad illud autem pſ. 75. *Vouete, & reddite;* ſuper quod *Innoc. vbi ſ. apud Hoſtien.* ait: *Vouere non eſt neceſſitatis, ſed reddere eſt neceſſitatis;* reſpondet *idem Innoc;* quòd bene intelligitur Deo reddere, qui facit eius volnutatem, quæ per Papam eius Vicarium ei innoteſcit.

13 Quæres; an vota ſimplicia *PP. Societatis* dirimant; & quid dicendum ſit de votis *mantellatarum, & Equitum militarium?*

Reſp. *Baſil. lib. 9. c. 6.* vota ſimplicia *PP. Societatis* eſſe impedimentum dirimens; quia conſtituunt verè profeſſum in vera religione approbata; vt ſtatuit *Greg. XIII. extra aſcendente;* ſed ſolemnis profeſſio dirimit *ex Trid. ſeſſ. 24. can. 6; & in 6. extra antiqua de voto, & de conuerſ. coniug. c. ex parte; & c. ex publico; & in append. Lat. p. 50. c. 41;* ergo dirimunt matrimonium ratum non conſummatum, ſicut dirimunt vota ſolemnia. Item vota emiſſa *à Mantellatis, ſiue Tertiarijs S. Franciſci, & S. Dominici, ac S. P. Auguſtini* ſiue collegialiter, ſiue in proprijs domibus viuentibus eſſe impedimentum dirimens; vt declarauit *de Tertiarijs S. Franciſci, et S. Dominici Paul. III; et Sixt. IV. apud Emanuel Rodriquez to. 3. qq. Regular. q. 72. art. 1; et 2; et Bonifac. VIII; Martin; Eugen; et Sixt. IV.* declararunt *mantellatas ord. S. P. Aug.* eodem modo recipiendas eſſe ad habitum, ſicut recipiuntur aliæ *ad ordinem Minorum;* & eodem modo profeſſionem emittere. *De Equitibus S. Io.* iam diximus dirimere; de alijs autem ordinibus dicitur non dirimere, quia eorum vota non ſunt ſolemnia; poſſunt enim teſtari, vxorem ducere, cùm non voueant, niſi caſtitatem coniugalem.

§. 1.

An ordo ratione ſui irritet matrimonium.

14 ORdinem eſſe impedimentum dirimẽs iam diximus, & habetur *diſt. 27. c. diaconus; et c. præsbiteris; c. qui clerici, vel vouentes c. 1; et 2; et in 6. de vot. c. vnico; et Trid. ſeſſ. 24. can. 9.* Vt autem magis explicetur, præſens difficultas inſtituta fuit, quæ non procedit de ordinibus minoribus, aut prima tonſura, quibus matrimonium non dirimitur, ut conſtat *ex can. 25.* ex ijs, qui dicuntur *Apoſtolor; Carthag. III. c. 19; Vaſen. II. c. 19; Tolet. II. c. 1; Aurelianen. III. c. 1; Vuormat. can. 67; et Mogunt. c. 19;* ſed tantùm de ordinibus ſacris, de quibus eſt diſſidium *inter DD.*

15 Docet *Baſil. hìc c. 23.* in exordio naſcentis Eccleſiæ viros coniugatos electos fuiſſe ad ſacros ordines, quod probat ex illo *ad Tit. 1. Si quis ſine crimine eſt, vnius vxoris vir, filios habens fideles;* difficile enim erat tunc temporis reperire adultos cælibes; partim namque ex conſuetudine, partim ex legibus cogebantur à pueritia matrimonium inire. Sed omnibus coniugatis electis ad maiores ordines, ſiue *ex Græcis,* ſiue *ex Latinis* indictam fuiſſe continentiam à propria vxore colligitur *ex can. 25. Apoſtolor; et ex D. Clem. ep. 2;* cuius verba referuntur *à Luc. III. apud Gratian. diſt. 81. c. miniſtri.* Sed decurſu temporis lex conti[n]entiæ non æqualiter ſeruata eſt *à Latinis, et Græcis.* Quoad *Græcos* diſſenſio eſt *inter DD; aliqui* enim, vt *Turrian. ad can. 3. Conc. Nicæn; et Baron. anno 58. à n. 20;* putarunt *Græcis* poſt ordinationem nec licuiſſe vti vxoribus anteà ſuſceptis, nec matrimonium poſtmodùm ducere. Sed reiciiuntur *communiter tum ex Paphnutij propoſitione in Nic. Syn;* quæ refertur *diſt. 31. c. Nic. Synodus; tum ex Conc. Ancyr. can. 10;* quod confirmatum fuiſſe *à Conc. Nic.* colligitur *ex Flor. ſeſſ. 7;* & ex ipſa praxi *Eccleſiæ Romanæ,* quæ tolerat præsbiteros *Græcos* coniugatos vti coniuge ante ordinationem accepta. Quod etiam permittit *Armenis in quodam canone Syn. Leopolien. de ſacram. ordinis: Sacerdotes vxorati, qui ſaltem in poſterùm ordinabuntur, triduo ante, et triduo poſt abſtinere debent ab vxoris conſortio iuxta laudabilem Eccleſiæ orientalis conſuetudinem, vt puriores mente, et corpore ad ſumendum miſſæ ſacrificium accedant.* At *Alphon. Piſan. ad finem. lib. 3. Conc. Ni. 3 Azor, Sanchi et alij* dixerũt potuiſſe licitè vti vxoribus anteà ductis, non potuiſſe tamen tamen noua matrimonia contrahere. Quod tamen reſtringunt ad ſolos præsbiteros *Caiet. opuſc. 1. de matrim. & ſponſat. q. 1; Sot. hìc diſt. 38. q. 1. art. 1; et Vaſq. l. ſo 249. c. 2.* volentes diaconos, & alijs inferioribus ordinibus initiatos poſſe matrimonium contrahere. Tandem *Baſil. vbi ſ.* docet, quòd cùm aliquis ſiue non coniugatus, ſiue coniugatus ordinabatur *à Græcis,* interrogabatur, an vellet ſeruare continentiam; & dabatur ei optio eligendi vitam cælibem à die ordinationis. Si reſpondebat ſe velle continentiam ſeruare; tunc ei non licebat matrimonium contrahere, ſi coniugatus non erat; nec vti vxore, ſi erat coniugatus. Si verò reſpondebat ſe non poſſe continentiam ſeruare; ordinabatur, ſi placebat Epiſcopo; & tunc ei licebat vti coniuge anteà ductą, ſi erat coniugatus; & vxorem ducere, ſi coniugatus non erat. Epiſcopis tamen non permittebatur poſt ordinationem Epiſcopalem vxorem ducere; ſed tantùm vti vxore anteà ducta. Hoc probat *ex Paphnutio vbi ſ. et ex Niceph. lib. 12. c. 34; et ex Conc. Ancyr. ſub Sylueſt. I. can. 10;* qui habetur *diſt. 28. c. Diaconi quicunque, et Neoceſarien. can. 1; et Conſtantinop. ſub Anaſtaſio,* vt refert *Palladius in vita S. Io. Chriſoſt; et ex ep. Baſil. ad Greg. præsbit.*

16 Sublata tamen fuit licentia nubendi poſt ordinationem etiam *apud Græcos;* vt paret *ex can. 6. Trull;* & remanſit ſola facultas vtendi propria vxore ante ordinationem ducta; vt do-

cent *noster Argent. dist. 38. q. 1. ad 4. cont. 2. concl; Basil. hic n. 15; Vasq; et omnes alij Theologi communiter.*

17 *Latinis* verò fuisse semper iniunctam cōtinentiam seruandam post ordinationem; quod tantùm ad diaconos, præsbiteros, & Episcopos est restringendum; subdiaconis enim aliquando vsus coniugij est permissus; qui tandem etiam eis fuit prohibitus. Primum prob. *ex Clem; et Lucio III. vbi s. & Conc. Illiberit. c. 33; et Rom. sub Sylnest. I. c. 29. et Siric. Papa ep. 1. n. 7;* et 9; & refertur *dist. 77. c. quicumque, et ep. 4. eiusdem n. 9; et Innoc. I. ep. 2. c. 9; et ep. 3; et ep. 5;* quæ refertur *dist. 81. c. Maximianus; et Arelaten. II. can. 2; Carthag. II. can. 2; Taurinen. sub Siricio can. 17; Carthag. V. sub Anastasio can. 3;* & habetur *dist. 84. c. cùm de quorundam; Carthag. VI. can. 28; Tolet. II. can. 1; Telen. sub Zosimo can. 37; Arauxic. an. I. sub Leone can. 22; et 23; Turonen. c. 1; et 2; Agathen. can. 9; Aurelianen. III. can. 1; Gerunden. in Hispania can. 6; et pluribus alijs,* quæ videri possunt *apud Basil. c. 24. n. 1; et 2.* Secundū verò, quòd scilicet subdiaconi aliquando etiam *apud Latinos* vxoribus vsi sint, habetur *ex Tolet. I. c. 1; et Tolet. III. can. 5;* vbi tantùm diaconis, & præsbiteris prohibetur vsus vxorum, *et ex ep. Siric. j,* quæ refertur *dist. 77. c. quicunque; et ex Turonen. I. c. 1; Agathen. c. 9; et 16; Lugdunen. II. c. 1; Telen. c. 9; et ex Greg. I. lib. 1. ep. 42;* quæ habetur *dist. 31. c. ante triennium;* vbi S. Pontifex ait durum sibi videri, quòd subdiaconis *Siciliæ* iuxta morem *Ecclesiæ Romanæ* prohibitus fuerit vsus uxorum; *ut qui vsum continentiæ non inuenit, nec castitatem promisit, compellatur à sua vxore separari.* Ex quibus clarè deducitur non fuisse solitum in omnibus Ecclesijs, quòd subdiaconi promitterent continentiam, & ideo nec quòd abstinerent à suis uxoribus. Quòd si ostendatur hoc fuisse in praxi in aliqua Ecclesia particulari, nihil obtinebit; *hic* enim sermo est non fuisse uniuersaliter prohibitum semper subdiaconis utendi proprijs uxoribus.

18 Vxor autem separata ab Episcopo dicebatur *Episcopa;* & uxor præsbiteri *præsbitera;* & uxor diaconi *diaconissa;* & uxor subdiaconi *subdiaconissa;* ut collig. *ex Conc. Turonen. sub Innoc. III. c. 14.* Istæ autem uxores, cùm eorum coniuges ordinabantur in Episcopos, aut religionem ingrediebantur, religionem profiteri debebant; cùm uerò ordinabantur in præsbiteros, tantùm continentiam seruare cogebantur. *27. q. 2. c. Agathosa, & seqq; & 33. q. 5. c. qui uxorem; & dist. 77. c. Episcopus; & dist. 22. c. seriatim; & de conuers. coniugator. c. coniugatus; & c. sanè; & c. uxoratus.* Fiebant autem religiosæ imponendo sibi capiti uelum, & deferendo uestem religiosam. Si tamen moriebatur Episcopus, uel præsbiter &c; poterant quidem ualidè, sed illicitè matrimonia contrahere; constat enim ex dictis tunc uota religionis fuisse simplicia. Tandem *ex canone 5. Apostolor.* cautum fuit, ne quis in Episcopum, uel præsbiterum, uel diaconum ordinatus curam uxoris abijceret; ne illius ruinæ esset occasio; sed eam domi teneret separata tamen habitatione, & illius gereret curam; ut legitur *de S. Therasia* uxore *S. Paulini, & alijs.*

19 Ex dictis infertur *cont. Sot. lect. 5. de matrim.* ordinem ab initio Ecclesiæ non fuisse impedimentum dirimens, sed tantùm prohibens matrimonium; aliquando enim fuit licitus usus cum uxore anteà ducta, ut *de Græcis* diximus; & quando fuit inhibitus usus, ut *apud Latinos*, inter quos fuit facta separatio; attamen hæc separatio fuit quoad thorum, non quoad uinculum; *& canones omnes*, quibus initiatorum matrimonia inhibentur, nunquam exprimunt fuisse irrita, sed tantùm illicita, & ideo separanda. *Ab Innoc. II. in d. c. ut lex* cepit ordo, inquit *Basil. c. 27. n. 1; & 2;* esse impedimentum irritans; quod posteà confirmatum est *in Conc. Rhemen. sub Eugen. II. can. 3; & 7; & ab Alex. III. in append. Lat. p. 18. c. 2; & tandem à Trid. sess. 24. can. 9.* Hæc tamen *Basilij* doctrina generaliter est intelligenda ita, ut ordo in tota Ecclesia non fuerit impedimentum dirimens ante legem latam à summo Pontifice, qui solus præ cæteris Episcopis habet potestatem supremam in totam Ecclesiam; non autem specialiter in hac, uel illa Ecclesia; cùm enim ponere impedimenta prohibentia, & dirimentia esset tunc in potestate Episcopi, ut *sup.* diximus, probabile est, quòd in aliqua particulari Ecclesia, ex statuto synodali esset impedimentum dirimens, non tantùm prohibens. His statutis facilis est solutio difficultatis propositę.

20 *Turrian. apud Basil. vbi s. & Maior dist. 24. q. 2.* asserunt ordinem ratione sui, non ratione uoti annexi, dirimere matrimonium. Sed hæc sententia ex dictis dirimitur; nam in Ecclesia orientali sunt præsbyteri, & sunt uerè ordinati, & suis uxoribus licitè utuntur; aliter eos non permitteret *Ecclesia Romana*, ut diximus; ergo ordo ratione sui matrimonium non irritat.

21 *Scot. hic dist. 37. q. 1; Palud. q. 1. art. 1. concl. 2; & art. 2; noster Argent. ibid. q. 1. art. 1; Bassol. q. 1. art. 1; Dur. q. 1; Rebell. 2. p. de oblig. iustitia lib. 3. q. 12. n. 2; Auersa, & Mastr. q. 16. art. 2. n. 403.* asserunt ordinem etiam sine uoto, adiuncto tantùm Ecclesiæ statuto; quod inhabilem reddit ordinatum, matrimonium dirimere. Sed hæc sententia nititur rationibus satis debilibus, *ut videbis*, ideo reijcitur *à nostro Basilio*.

22 Vnica concl. Ordo ratione sui non est impedimentum dirimens, sed tantùm ratione uoti, cui est adiuncta solemnitas, quæ reddit personam ad contrahendum matrimonium prorsus inhabilem, & illegitimam. *Ita D. Tho. in 4. dist. 37. q. 1. art. 1, Capr. ibid. q. 2; uterque Sot; Basil. vbi s. apud quem Bellarm. lib. 1. de matr. c. 2; Valent; & Vasq;*

Prob.

Prob. 1. pars concl. Quia ordo, & uotum simplex componi possunt cum matrimonio, ut diximus; ergo non dirimunt matrimonium.

23 Prob. 2. pars. Votum castitatis in ordinatione ante statutum irritans matrimonium erat impedimentum prohibens, ut diximus; ergo posito statuto irritante factum fuit impedimentum dirimens; nam sicut clandestinitas *ante Trid.* erat impedimentum prohibens, posito autem *per Trid.* Ecclesiæ statuto irritante matrimonium, & inhabiles reddente personas ad contrahendum facta est impedimentum dirimens, ita à pari; nam non minùs erant matrimonia illicita, contra uotum castitatis ante solemnitatem ordinis; quàm essent illicita matrimonia clandestina contra publicam solemnitatem; & ideo tam uotum castitatis, quàm clandestinitas ante statutum irritans erant impedimenta prohibentia; & per statutum facta sunt dirimentia. 2. In ordinatione non conferebatur ordo, nisi ordinandus promitteret Ecclesiæ statutum seruare; ergo semper interuenit votum, quod nihil aliud est, quàm promissio de meliori bono, sicut est cælibatus.

24 Obijc. 1. *Scot. in sacris canonibus* reperitur præceptum seruandi castitatem, & non emittendi votum, imò in ipsa ordinatione non imponitur ordinandis, vt voueant; ergo votum non est impedimentum dirimens. 2. Sequeretur votum, & ordinem non esse duo impedimenta, sed vnum tantum. 3. Qui non habet animum se obligandi, manet ordinatus, & obligatus ad seruandam castitatem; & si matrimonium contraheret, irritum esset; ergo idem.

Resp ad 1. neg. conse; *canones* enim supponunt votum in ordinatione emissum; & Ecclesia etiam antiquitus interrogare solebat, an vellent seruare castitatem, quod est vouere, vt diximus. Sic etiam *canones*, quando loquuntur de religiosis apostatis reducendis ad Monasteriũ, multoties non loquuntur de voto, quod tamen supponunt. Prætereà falsum est, quòd *canones* non loquantur de voto; vt videri potest *ex S. Gregor. can. ante triennium vbi s.* præcipiente *Episcopis Siciliæ; vt nullum facere subdiaconum præsumant, nisi qui se victurum castè promiserit*; licèt semper voti mentionem non faciant, vt diximus de religiosis. Ad 2. neg. seq; uotum enim religionis, & ordinationis sunt duo vota distincta, vt constat. Ad 3. dicitur idem argumentum posse fieri de ingrediente religionem sine animo se obligandi; Ecclesia enim, quæ iudicat de externis, cogeret illum in religione manere. Sic suscipiens ordinem sine intentione se obligandi, si haberet veram intentionem suscipiendi ordinem, esset verè ordinatus; & ab Ecclesia cogeretur continentiam seruare. Si verò non haberet intentionem suscipiendi ordinem, non esset ordinatus, nec obligatus in foro interno; in externo tamen posset puniri.

25 Penæ ordinatis in sacris contrahentibus matrimonium sunt interdictio à suscipiendis, & ministrantibus ordinibus; vt habetur 27. *q. 1. c. quotquot; & seqq;* & excommunicatio. *Clementin. de consanguinitate et affinit.*

26 Quæres; an ordo ex metu cadente in constante virum susceptus dirimat matrimonium?

Resp. *Basil.* negatiuè *cont. Sanch. et plures Canonistas*. Nam sicut vota facta ex metu similiter tenent, vt docent *omnes DD*; ita dicendum de voto facto in ordinatione. 2. In tantùm votum religionis, & consensus in Matrimonium factus ex metu non tenent; quia sunt *plures Canones* inhabilitantes personas ad sic vouendum, & contrahendum, at nullus assignatur *canon* irritans votum in ordinatione; ergo dicendum quòd teneat. 3. Hoc docet *Conc. Tolet. I. c. 7. Vid. Basil.*

ART. III.

De impedimento ligaminis, seu matrimonij.

1 NOmine *ligaminis* significatur matrimonij vinculum, quo vir, & fœmina ita vniuntur ad inuicem, vt eorum alter alteri ligari non queat. Cùm enim impossibile sit, quòd quoties duo insolubiliter colligantur, possit vnũ illorum ligari cum tertio, quin ligetur & aliud, vt ratio, & experientia conuincunt; & cùm fœmina non possit alteri fœminæ matrimonialiter ligari; matrimonialis enim vnio essentialiter est solius viri cùm fœmina; ita impossibile est, quòd vir matrimonialiter ligatus cum fœmina ligetur cum altera. Ex quo consequitur matrimonium contractum cum prima vxore esse impedimentum dirimens matrimonium posteà contractum cum altera vxore. Verùm quia contra hoc videtur pugnare poligamia, idèst vxorum pluralitas *antiquis PP. in veteri lege* concessa; & libellus repudij *à Moyse* concessus; in hoc enim distinguitur repudium à diuortio; quòd illud dissoluebat matrimonium, quoad thorum, & vinculum ita, vt soluti per repudium alteri nubere possent; diuortium autem soluit solùm quoad thorum, non quoad vinculum ita, vt sic soluti non possint aliud matrimonium contrahere; ideo hæc priùs sunt explicanda.

§. I.

De poligamia, et libello repudij.

2 QVoad 1. dicendum poligamiam, idèst pluralitatem vxorum cum vno viro, sicut poliuiriam, seu pluralitatem virorum cum vna fœmina fuisse semper illicitam iure naturali, & Diuino positiuo, atque adeò in lege ueteri ex sola dispensatione Diuina licuisse

cuisse; & in lege euangelica à Papa dispensari non posse. *Ita Fund. Doct. Æg. de Regim. Princip. lib. 2. p. 1. c. 9; et 10; Argent. hic d. st. 33. art. 2; Basil. lib. 7. c. 49; et omnes alij exteri communiter.*

Prob. 1. pars rationibus allatis *in sup. q. art. 1;* quibus addit *Fund. Doct. vbi s. 1.* Ex parte uiri: Adhibere remedium ad morbum augendum est contra ius naturæ; natura enim inclinat ad sui conseruationem, non ad destructionem, augere autem morbum est uergere in destructionem; sed assumere plures uxores est adhibere matrimonium, quod est in remedium libidinis, ut habetur 27. q. 1. c. *nuptiarum*, ad augendam ipsam libidinem, quæ est morbus ex peccato originali relictus; ex nimia enim frequentatione venereorum augetur libido, ut constat; ergo assumere plures uxores est contra ius naturæ. 2. Ex parte uxoris. Vxorem excellenti amore non amari à uiro est contra ius naturæ, nam *ex Gen. 2.* uir ita debet uxori adhærere, ut cum ea fiat una caro, & plusquam patrem, & matrem debet illam amare: & *ex Phil. 8. Eth. c. 7.* inter uirum, & fœminam debet esse amor excellens; sed ad plures uxores nequit esse amor excellens; ut habet *Phil. 9. Eth. c. 5;* & notum est luminæ naturæ; nam *pluribus intentus minor est ad singula sensus*; tum quia pluralitas uxorum rixas causaret, quæ amorem minuerent; ergo habere plures uxores est contra ius naturæ. 3. Ex parte filiorũ. Quoties ad nutritionem, & educationem prolis est necessarius masculus, & fœmina, tunc quòd mas coniũgatur pluribus fœminis est contra ius naturæ, ut patet in columbis, & alijs auibus, quę alternatim fouent oua; sed ad nutritionem, & educationem filiorum necessarius est maritus, & uxor; ut diximus *q. 2. vbi s.* ergo quòd maritus assumat plures uxores, est contra ius naturæ. Tum quia ad procreandos filios matrimonium iure naturæ est institutum; ut constat; sed pluralitas uxorem impedit procreationem filiorum, ut habetur *Iob. 24;* & constat *de Salomone*, qui ex tot uxoribus non habuit, nisi unicum filium *Roboam*, & duas filias; & ratio etiam id suadet; quia frequens coitus non concedit tempus, vt semen perfectè coquatur, & fiat habile ad generationem; ergo uxorum pluralitas est contra ius naturæ. Tandem pluralitas uxorum est contra naturam matrimonij etiam, ut est sacramentum; quod est ordinatum ad significandam unionem Christi cum sua sponsa, quæ est Ecclesia; unde *S. P. Aug.* docet, quòd matrimonium bigami deficit à ratione sacramenti; ergo idem.

3 Prob. 2. pars *ex Gen. 2. Erunt duo in carne una*; ex quo probant monogamiam, seu coniunctionem vnius viri cum vna vxore *S. Hieron. ibid; S. Chrisost; & S. Anselm. in Matth. 19; & fusè Nicol. I. ad consulta Bulgar. c. 51; & Innoc. III. de diuortijs c. gaudemus: Non dixit tres, vel plures, sed duo; nec dixit: Adhærbit vxoribus, sed vxori*. Idem docuit *Conc. Nic. can. 24. Nemo debet duas vxores habere etc; sicut Deus ordinauit*; & tandem *Trid. sess. 24. can. 2. Si quis dixerit licere Christiano plures simul habere vxores, et hoc nulla Diuina lege esse probibitum, anathema sit.* Ergo poligamia fuit semper illicita, quia prohibita etiam iure Diuino.

4 In hoc iure tamen fuisse dispensatum à Deo constat *ex Gen. 21;* vbi Dominus dixit *ad Abraham: Omnia, quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius*; ex quo clarè colligitur, quòd etiam, quando *Sara* dixit ei, vt assumeret *Agar* in vxorem ad excitandum sibi semen in filijs, fuit ex Dei reuelatione dispensantis in lege naturæ, vt assumeret plures vxores; cuius vna ratio fuit multiplicatio seminis ipsius, vt ei Deus promiserat: *Multiplicabo semen tuum, sicut stellas Cæli &c;* altera verò est significatio mysterij, quod explicat *Apost. ad Gal. 4;* vt inquit *Fund. Doct. vbi s. c. 10.* Hoc docet *Innoc. III. de diuortijs cap. gaudemus: Nec ulli vnquam licuit insimul plures vxores habere, nisi cui fuit Diuina reuelatione concessum. Vid. S. Hieron. ep. ad Ocean; S. P. August. lib. 3. de Doctr. Christ. c. 12; & lib 22. cont. Faust. c. 47;* & habetur *32. q. 4. c. obijciuntur*; vbi dicitur; quòd *Patriarchæ* habuerunt plures vxores non lasciuiendi, sed procreandi causa, vt multiplicaretur populus Dei. Nec obstat, quod obijcit *Mastr. cum quibusdam alijs*, hanc rationem non fuisse sufficientem ad dispensandum; quia maior erat necessitas multiplicandi filios in principio creationis, & post diluuium; & tamen tunc non fuit dispensatum. Non obstat, inquam; nam tunc non erat necessitas ad se defendendum ab inimicis; sicut erat necessitas tempore *Patriarcharum*; tunc enim inimici non erant; vnde licèt esset necessitas ad replendam terram, non tamen erat necessitas, ne destruerentur ab inimicis, cum quibus debebat *Abraham* confligere. Cùm igitur dicitur dispensatum fuisse ad multiplicandum populum Dei, intelligendum est in secundo, non in primo sensu. Nec pariter obstat, quòd aliquando *in Scriptura* dicatur eas fuisse concubinas; nam contra est. 1. Quia multocies sic vocantur etiam vxores; vt *Deut. 17; & 2. Par. 11.* 2. Quia vxor vocatur etiam concubina, quando est disparis conditionis, & sine solemnitate conducta; vt *inf.* dicemus. Hæc autem reuelatio non est ita intelligenda, vt debuerit omnibus particulariter fieri; sed sufficiens fuit, vt fuerit facta maioribus, vt intelligeretur etiam inferioribus poligamia concessa; vnde *Deut. 21.* sermo est de omni populo, cùm de vxorum pluralitate tractatur. Hanc autem dispensationem extensam fuisse etiam ad gentiles asserit *Basil. vbi s. n. 4. in fine cum Bellarm; Valent; & alijs*; quod colligit *ex S. P. Aug. cont. Faust. vbi s;* vbi ait, quòd *Iacob* in terra gentilium duxit quatuor vxores inculpabiliter, quia illic mos erat ducendi plures vxo-

vxores. Nec obſtat, quod obijcit *Eſtius diſt.33. §.4*; quòd ſi diſpenſatum fuiſſet gentilibus ducendi plures vxores, non poſſent eorum coniugia modo à Papa irritari. Nam contra eſt; quia talis diſpenſatio fuit ad tempus, nempe vſquedum à Chriſto Domino tolleretur propter rationem mox adducendam. Nec minùs debilis eſt obiectio *Maſtrij cum Scot*; quòd ſcilicet nulla eſſet ratio pro populi fideli aſſignata; ſic enim æquè multiplicatus fuiſſet populus fidelis, & infidelis; ſi autem fuiſſet ad multiplicationem generis humani, maior fuiſſet neceſſitas in principio creationis, & poſt diluuium. Contra enim eſt;quia etſi illa ratio non verificaretur pro eo tunc *de gentilibus*, ſed de ſolis *Iudæis*; ſicuti pro eo tunc non verificabatur illa promiſſio: *Conſtitui te Patrem multarum*, idèſt *omnium*, vt gloſat *S. P. Aug. gentium*; attamen verificanda erat in plenitudine temporum; in qua debebat naſci Chriſtus Dominus ex ſemine *Abrahæ ſecundùm carnem*, qui debebat fidem ad omnes gentes extendere. Multiplicandi itaque erant infideles, vt poſt Chriſti Domini aduentum conuerterentur, fierentque fideles. Reuocata tandem fuit hæc diſpenſatio à Chriſto Domino *Matth. 19*; vbi ad ius primarium Monogamiæ matrimonium reduxit. *Ita Concil. Nic; Nicol. I; Innoc. III. vbiſ. & S. Athan. qu. 97. ad Antioch; & priùs Siric. ep. 1; Innoc. I. ep. 9; S.P. Aug. lib. de adulter. coniug. c.8; & 9; et Trid. vbiſ. et communiter omnes Catholici*. Ratio eſt; nam in lege euangelica eſt verum Sacramentum perfectum, quod perfectè ſignificat coniunctionem Chriſti cum Eccleſia;ergo vnius vxoris tantùm vir eſſe debet; ſicut Chriſtus Dominus eſt Caput vnius Eccleſiæ, & Paſtor vnius Ouilis.

5 Dices 1. Ius naturale non capit diſpenſationem; ergo ſi poligamia eſt illicita iure naturæ, non potuit diſpenſari, vt licita eſſet. 2. *D. Ambr. lib. 1. de Abraham Patriarcha c. 4.* inquit adulterium *Abrahæ cum Agar* tunc temporis non fuiſſe prohibitum; ergo *Agar* non fuit ei vxor; aliter cum ea adulterium non commiſiſſet. Idem docet *S. P. Aug. lib. 22. cont. Fauſt. c. 3; et lib. 16. de Ciu. Dei c. 25; et S. Leo ep. 92. ad Ruſtic.* ait *Agar* fuiſſe *Abrahæ concubinam*; quam aſſerit *ibid.* non eſſe vxorem.

Reſp. ad 1. diſt. ant. Ius naturale, quod eſt contra præceptum primæ tabulæ, conc; eius enim diſpenſatio, cùm ſit contra Deum, eſt eſſentialiter mala; contra præcepta ſecundæ tabulæ, quæ ſunt circa creaturas, neg. Ad 2. dicitur, quod *S. Ambr. in Apologia* plures affert rationes; & tandem concludit copulam *cum Agar* non fuiſſe peccatum, ſed myſterium, quia Deus id fieri voluit ad ſignificandum aliquod myſterium; Deum autem velle fieri, & diſpenſare, vt fiat, idem eſt. Ad *S. P. Aug.* dicitur nunquam vocaſſe adulterium copulam *Abrahæ cum Agar*; ſed vocaſſe eam illius vxorem *eod. lib. cont. Fauſt. c. 47; et eod. lib. de Ciuit. cap. 38.* Ad *S. Leonem* dicitur non aſſerere *Agar* non fuiſſe vxorem, ſed tantùm fuiſſe ancillam; ancilla autem, niſi eleuetur ad eſſe liberum, non eſſe vxorem; non tamen ait *Agar* non fuiſſe factam liberam, & ideo non negat fuiſſe vxorem.

6 Obijc. *Dur. cum quibuſdam alijs* putantibus Poligamiam non eſſe illicitam iure naturæ, ſed tantùm eſſe poſtponendam monogamiæ, vt imperfectum perfecto. 1. Poligamia non eſt contra finem principalem matrimonij, ſed tantùm contra ſecundarium, quod eſt cohabitare, & concupiſcentiam frenare; licèt ſimpliciter nec ſit contra hos fines; nam *Patriarchæ* habuerunt plures vxores; & tamen cohabitarunt concordes, & libidinis æſtum paſſi non ſunt; ergo quanuis ſit melior monogamia; attamen poligamia non eſt iure naturæ illicita, ſed eſt minùs bonum, quàm monogamia. 2. *S. P. Aug. 22. cont. Fauſt. cap. 47.* ait *de Iacob*: *Peccata alia ſunt contra naturam, alia contra mores, alia contra præcepta etc. Si naturam conſideras; non laſciuiendi, ſed generandi cauſa illis mulieribus vtebatur. Si morem; illo tempore, atque in illis terris hoc factitabatur; ſi præceptum; nulla lege prohibebantur*; ex quibus apertè deducitur poligamiam non eſſe contra legem naturæ. 3. *Greg. III. epiſt. ad Boniſac. 32. q. 7. can. quod propoſuiſti* ei concedit ſecundam vxorem ob ægritudinem primæ. 4. *S. P. Aug. de bono coniug. c. 18.* docet plures vxores ſignificaſſe plures particulares Eccleſias ſubditas vni Chriſto; ergo etiam poligamia ſignificabat coniunctionem Chriſti cum Eccleſia.

Reſp. ad 1. neg. conſeq; nedum enim eſt contra legem naturæ, quod eſt contra finem primarium, ſed etiam quod eſt contra finem ſecundarium; nam ignis *Babylonicus* contra naturam egit, quando tres pueros non deſiccauit; quanuis deſiccare ſit ſecundarius effectus ignis, vt docent *Philoſophi*. Quòd autem *Patriarchæ* accenſi non fuerint libidinis æſtu, hoc fuit ex gratia Dei ſpeciali, quæ illos caſtitate muniuit; & quia hæc continentia videtur in paucis, ideo in pluribus habere plures vxores eſſet contra naturam; & per hoc ſoluitur 2; non enim erat contra naturam actualiter *in Patriarchis*, ſed tantùm radicaliter; quia niſi fuiſſent gratia muniti, naturam peruertiſſet. Ad 3. dicunt *aliqui Greg.* locutum fuiſſe de infidelibus conuerſis ad fidem; *alij* illum *textum* fuiſſe falſificatum; *alij* locutum fuiſſe de infirmitate contracta ante matrimonium, quæ erat impotentia dirimens; ait autem vxori dimiſſę non eſſe negandum ſubſidium, non quia fuerit verè vxor, ſed quia illam dimiſerat ex infirmitate, non ex aliquo peccato; & hæc eſt veriſimilior reſponſio, quàm illa, qua vtitur *Gratian.* aſſerens *hunc canonem* non eſſe recipiendum, vtpotè contrarium euangelicæ veritati; inueriſimile enim eſt, quòd hæc veritas Papam latuerit. Ad 4. dicitur matri-

trimonium, vt sacramentum, primariò significasse coniunctionem Christi cum Ecclesia, vt docet *Apostol*; & hæc est perfecta significatio, quam debet habere in lege perfecta; quamuis in lege imperfecta,& perficienda aliqualem etiam, & imperfectam significationem habuerit,vt docet *S. P. Aug.*

7 Quoad 2. dicimus, quòd repudium definitur *dimissio vxoris ob aliquam grauem causam, ob quam matrimonium, seu bonum prolis impediebatur*; vt adulterium, veneficij suspicio, lepra, vel notabilis morum corruptio, aut grauis alia incommoditas. Fiebat autem accersito à viro *aliquo publico Scriba*, à quo libellus conscribebatur, qui vocabatur *libellus repudij*, & consignabatur vxori, quo ostenderet se à priori viro fuisse dimissam; quod *à Moyse* ordinatum fuisse inquit *S. P. Aug. lib.* 19. *cont. Faust. c.* 26; vt hac mora interposita viri ira mitesceret, & accedente *Scribæ* monitione à repudij proposito reuocaretur. Diffident *DD*; an vxor repudiata licitè posset nubere alteri viro, vel tantùm permissiuè, & illicitè; de viris enim nulla ratio dubitandi est; quia, cùm ipsi ex dispensatione possent plures accipere vxores, nec vxorum numerus esset eis definitus, quo non priuabantur per repudium; ideo aliam, & aliam ducere poterant licitè. *Estius* referens *Mag. vbi f.* §. 9. vult repudium nunquam licitum fuisse *Iudæis*, sed tantùm impunè permissum, non vt, excusarentur à culpa, sed vt liberarentur à pœna, idest ne damnarentur supplicio, cui damnabantur adulteri, si alias nuptias contrahebant. 1. Quia Christus Dominus *Matth.* 19. inquit: *Quoniam Moyses ad duritiem cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras, Ab initio autem non fuit sic*. Permissio autem est de re illicita; sicut fuit permissio vsuræ *Deut.* 24; concessio verò est rei licitæ. Quem locum explicans *S. P. Aug. lib.* 1. *de serm. Domini in monte c.* 25. ait: *Non præcepit, vt vxor dimittatur; sed vt dimittere volens det libellum repudij*. 2. *Deut.* 24; vbi permittitur libellus repudij, præcipitur, quòd si qua mulier dimissa alterum duxerit, & ab illo quoque dimittatur per repudium, vel per mortem, non possit assumi à priori marito, à quo fuit dimissa, *quia polluta est, & abominabilis facta coram Domino*; scilicet ob adulterium cum secundo viro commissum. 3. Quia dispensatio non fuit facta nisi ob honestum finem, & ad religionem pertinentem; qui non est in repudio, vt constat.

8 At *Basil. c.* 50. *n.* 1; apud quem *D. Thom. Scot; Dur; Palud; Med; Abul; Maldonat. in Matth.* 18; *Echius, Bellarm; Rebell; Azor*; oppositum docet. 1. Quia *Deut.* 24. expressè dicitur, quòd repudiata posset ducere alium maritum. 2. Quia sic nuptas nusquam legitur fuisse punitas. 3. Quia non est credibile, quod adulteria continua, & publica permitterentur. 4. Quia non est verisimile, quòd *Agar* perpetuò dimissa celibem vitam seruauerit. Additur; quòd Christus Dominus prohibens repudium dixit: *Qui dimiserit vxorem suam, facit eam mœchari*; ergo priùs non mœchabatur, quando lex repudij abrogata non erat; super quòd *S. P. Aug. vbi s.* inquit: *Cùm vir cogitaret dato libello repudij iam sine periculo eam posse nubere alteri, facilè placaretur*. Quod intelligi nequit sine periculo simpliciter; si intelligatur de solo periculo corporis, cùm periculum animæ, quod est in re illicita, magis sit formidandum. Tandem quia in foro externo solùm permittitur minùs malum ad maius vitandum; vt permittitur fornicatio ad vitandum adulterium. At adulterium est maius malum, quàm toleratio vxoris iracundæ, leprosæ &c; ergo non fuit permissio, sed concessio.

9 Ad 1. in contrarium dicitur, quòd licèt permissio, vt plurimùm, dicatur de re illicita; aliquando tamen dicitur etiam de re licita; vt habetur 1. *Cor.* 16. *Spero enim me aliquantulum temporis manere apud vos, si Dominus permiserit*; *Paulum* autem manere *apud Corinthios* non erat illicitum. Dicitur ergo permissio nedum de re illicita, sed etiam de re minùs bona, vt erat repudium. Ad *D. P. Aug.* dicitur nihil aliud docere, quàm quòd non præcepit, sed tantùm permisit repudium; sicut non præcipit, sed tantùm permittit, vt nubamus; non tamen ex hoc sequitur nuptias esse illicitas. Ad 2. dicitur, quod non omnis pollutio, & abominabilitas legalis in lege veteri erat propter peccatum; nam etiam mulier post partum erat polluta, & tamen parere non erat peccatum, sicut nec concipere ex matrimonio. Dicitur ergo abominabilis, & polluta; quia non mansit sine viro; vel quia dedit causam viro, vt dimitteretur; non propter adulterium. Ad 3. dicitur, quòd finis honestus fuit, ne vxor occidatur à viro, quod pertinet ad præceptum *decalogi*; & ideo ad religionem.

10 Collig. ex dictis hoc nomen *Concubina* ambiguum esse; aliquando enim significat turpem concubitum *à sacris canonibus* vetitum; aliquando verò significat vxorem maritali coniugio coniunctam, sed cum minori solemnitatem ob disparem natalium conditionem fœminæ, & viri. *Ita fusè noster Basil. c.* 54. *cont. Ferdinand. Mendoz. lib.* 2. *de confirm. Conc. Illiberit.* Quod prob. primò ex veteri lege, in qua vxores concubinæ sæpè vocantur; vel simul cum vxoribus habebantur etiam concubinæ; vt habetur *de diuortijs c. gaudemus*. Hæc autem differentia erat inter vxores, & concubinas; quòd vxores erant mulieres paris conditionis, & ducebantur cum magna solemnitate; & eorum filijs debebatur hæreditas; concubinæ verò erant quidem matrimonio copulatæ, sed inferioris ordinis, & sine solemnitate, vel saltem minori ductæ; & eorum filijs non debebatur hæreditas, sed tantùm lega-

legata relinquebantur; vt constat *ex Gen. 21. 25*. Hic mos inualuerat etiam apud alias nationes; imò postquam Christus Dominus poligamiam prohibuit, inualnit etiam apud Christianos; quorum aliqui, quoties matrimonium occurrebat contrahere cum aliqua fœmina inferioris ordinis, non vxorem, sed concubinam vocabant; quanuis esset in matrimonium verè, & ritè copulata. Hoc docent *Gratia in c. omnibus dist. 34; Archidiac. in c. is, qui; & c. christiano ead. dist. Turrecrem. ibid; Petr. Greg. in Synthagmate iuris lib. 10. c. 1. n. 6; Bellarm. lib. 12. de Concilijs c. 8; Thomas Bocius de signis Ecclesiæ Dei; Turrian. pro canonibus Apostolicis lib. 1. c. 13; Gabriel Paleot. lib. de nothis, spurijsque filijs c. 12. n. 13; & alij.* Habetur *ex Tolet. I. can.* 17; & habetur *dist. 34. c. is, qui: Si quis habens vxorem fidelem, si concubinam habuerit, non communicet. Cæterùm, qui non habet vxorem, & pro vxore concubinam habet, à communione non repellatur; sic vt vnius mulieris, aut vxoris, aut concubinæ, vt ei placuerit, sit communione contentus*. Vbi procul dubio nomen *concubina* nequit intelligi de fornicaria, aut adultera; quæ à communione repellitur; vt paulò ante statutum erat *in Hispania à Conc. Illiberit. c. 3; & 8; & ibid. c. Christiano ex S. Isidoro: Christiano non dicam plurimas, sed nec duas simul habere licitum est, nisi vnam tantùm, aut certè vxoris loco concubinam, si deest coniux*. Nec obstat *textus S. Leonis* adductus *n. 5*; nomine enim *concubina* intelligit ancillam, quam quis ducit in vxorem ea intentione, vt maneat ancilla; hoc enim est contrà matrimonij rationem; quod ex sua natura tollit statum seruitutis, & ponit in eodem ordine cum viro; vt habetur *ex eod. S. Leone 32. q. 2. c. ancillam*; & nihil aliud intendit *S. Leo*.

§. 2.

Expeditur articulus.

11 VNica concl. Ligamen, seu matrimonium præcedens dirimit matrimonium subsequens.

Prob. 1. ex can. *Apost. 48. Si quis laicus sua vxore reiecta aliam acceperit, vel ab alio solutam, segregetur; & Euarist. ep. 2; & Conc. Illiberit. can. 8; & Nic. I. gen. can. 24; & 76; et Innoc. I. ep. c. 6; Siric. ep. 1. n. 4*; & habetur *27. q. 2. c. de coniugali violatione, et 35. q. 6. c. videtur, et Tolet. I. can. 17.* relato *27. q. 2. c. duobus modis; et ex Nicol. I. ad consulta Bulgar. in d. q. c. 21; et 34. q. 1; et 2. c. 2. cùm per bellicum, et quatuor seqq; et ex Alex. III. in append. Lat. p. 6. c. 15; et 25; et de diuortijs c. gaudemus; et Flor. in decr. vnion; et Colon. sub Paulo III. p. 1. c. 41; et Mogunt. sub eod. in decretis fidei c. 36*; & tandem *Trid. sess. 24. can. 7*; & prob. *ex Matth. 19. Qui aliam duxerit, mœchatur*; quibus verbis declarat secundum matrimonium esse mæchiam, seu adulterium; *et 1. Corinth. 7. Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius viuit; quòd si dormierit vir eius, liberata est; cui vult, nubat.* Ratio est; quia contrahens matrimonium consentit viuere insolubiliter vsque ad mortem cum altero contrahente; ergo est inhabilis ad contrahendum cum altero; & ideo matrimonium contractum cum altero per primum dirimitur.

12 Obijc. 1. *S. Ambr.* vt refertur *32. q. 7. c. vxor à viro*, ait; quòd licèt mulier ob fornicationem dimissa non possit alteri nubere, sed aut manere debet innupta, aut viro suo reconciliari; attamen *non subdit de viro, quod de vxore præmisit; quia viro licet ducere aliam*. Idem habet *Lactant. lib. 6. c. 23; et S. Basil. ep. 1. ad Amphiloch. can. 9*. Idem traditur *27. q. 2. c. Si quis sponsam; et c. quidam desponsauit; et 31. q. 1. c. si qua mulier; et 32. q. 7. c. quadam cum fratre; c. qui dormiuit; c. concubuisti; et c. si quis cum nouerca; et Arelaten. I. sub Syluest. can. 10. De his, qui coniuges suas in adulterio deprehendunt etc; consilium eis detur, ne viuentibus vxoribus suis licèt adulteris alias accipiant*. Ex quibus verbis patet non esse de præcepto; *et Laodic. c. 1. his*, qui secundò nubunt, statuit, vt cùm ieiunijs, & orationibus vacauerint, secundùm indulgentiam reddatur communio.

Resp. *ad D. Ambr.* loqui secundùm legis ciuiles, non Diuinam; ita explicat *S. P. Aug. lib. 1. de nupt; et concup. c. 10. Nec sterilem coniugem fas sit relinquere, vt fœcunda ducatur. Quòd si quisquam fecerit, lege huius sæculi, vbi interueniente repudio sine crimine conceditur etc. Sed lege euangelica reus est adulterij; sicut etiam illa, si alteri nupserit*. Eodem modo loquuuntur *Lactant; et Basil*. Ad *canones* dicitur loqui de illis, qui viuente prima vxore aliam duxerunt; quibus posteà mortuis nullam aliam ducere possunt; concesso tamen, vt illa, quæ innocens erat, liberè nubere posset; vt rectè docet *Basil*. Ad *Arelaten.* dicitur consilium iniungi, quia monitionibus etiam res præcepta est insinuanda; quid enim agunt quotidie concionatores, nisi monitionibus suadere, & consulere fidelibus, vt impleant Dei mandata? Ad *Laodic.* omissis *Cataphrygum Catharorum, seu Montanistarum, et Nouatianorum* delirijs damnantium secundas nuptias, quas de fide est esse licitas; vt diximus *ex 1. Cor. 7. Quòd si dormierit vir eius, liberata est à lege viri; cui vult, nubat, et Rom. 7. Si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est à lege viri, vt non sit adultera, si fuerit cum alio viro*; & habetur *in Nic. can. 8; et Flor. decr. vnion*. Resp. ergo *Bellarm. eo Canone* pœnitentiam imponi, quia secundæ nuptiæ solemniter celebratæ fuerint; cùm semel tantùm liceat celebrari. Addit *Basil.* pœnitentiam imponi, quia tales nuptiæ clam celebratæ sint contra statutum *Neocæsarien. Conc.* præceden-

dentis vetantis nuptias clandestinas; quod verisimilius est.

13 Quæres; quænam certitudo mortis requiratur in absentia coniugis; vt mulier possit ad secundas nuptias validè transire?

Resp. *Basil.* non sufficere dubium; vt habetur *de sponsal. c. in præsentia*; nec famam publicam; quia vt habet *Barthol. in l. de minore ff. de quæstionibus, fama est communis opinio ex suspicione proueniens*; & plerumque oritur ex incerto auctore. Requiritur ergo certus nuncius, ut habetur *ex Clem. III. in d. c. in præsentia*: *Donec certum nuncium recipiant de morte vxorum*. Ex quo sequitur *cont. Mastr. et alios*; quòd qui sine hac certitudine contrahit, etiamsi vir verè sit mortuus, inualidè contrahit; quia Pontifex inhabilitat ad sic contrahendum. Sed si quis supposita tali certitudine contraheret; & vir non esset mortuus; quanuis filij nati ex secundis nuptijs essent legitimi, vt statuit *Alex. III. qui filij sint legitimi c. perlatum*; attamen essent inualidæ; & vxor ad primum coniugium esset coganda.

ART. IV.

De impedimento cognationis consanguinitatis.

1 Cognatio *à Iuristis, et Canonistis* diuersimodè sumitur; nam ab illis sumitur, prout distinguitur ab agnatione; & sic agnatio dicit consanguinitatem eorum, qui per patrem, cognati verò, qui per matrem ab eodem parente descendunt. *A Canonistis* verò sumitur generaliter, prout significat omnem coniunctionem, quæ triplex est; scilicet carnalis, spiritualis, & legalis. Carnalis oritur vel ex coniunctione sanguinis facta in generatione, & dicitur consanguinitas, quæ est inter eos, qui sunt eiusdem sanguinis, siue ex parte patris, siue ex parte matris; vel oritur ex copula, seu coniunctione carnali ex parte quoque vtriusque, & dicitur affinitas, quæ est inter eos, qui non sunt eiusdem sanguinis; sed tamen duo diuersi sanguinis copulati sunt ad procreãdos filios vnius, & eiusdem sanguinis; vt inter maritum, & sorores, ac fratres germanos, siue consanguineos vxoris; & hæc duplex est; alia enim oritur ex copula licita, quæ est coniugalis; alia ex copula illicita, seu fornicaria, aut adultera. Spiritualis est, quæ oritur ex susceptione alicuius filij in baptismo, & in confirmatione. Legalis verò, quæ oritur ex adoptione alicuius extranei in filium iuxta leges effecta. Hic agimus de consanguinitate acturi *in seqq.* de alijs.

2 Consanguinitas, seu cognatio ex sanguine definitur *vinculum ab eodem stipite descendentium generatione contractum*. Quia ramen descendentes alij magis, alij minùs distant à stipite, ideo in diuerso gradu iunguntur. Diuersitas autem graduum lineam constituit, quæ duplex est; scilicet recta, & transuersalis, seu collateralis Recta est, qua vnus descendit ab altero per generationem; vt filius à patre, pater ab auo, auus ab abauo, abauus ab atauo, & sic de reliquis; & hæc dicitur *ascendentium*; quia semper ascendit ad generantem; ordine autem inuerso dicitur *descendentium*, vt pater respectu filij, nepotis, pronepotis, & abnepotis. Regula autem cognoscendi, quot gradibus isti distent inter se, hæc communiter traditur. Tot sunt gradus, quot sunt personæ ablato stipite; v.g. pater, filius, nepos, & pronepos sunt quatuor personæ; & ablata vna sunt tres gradus; vnde pronepos cum patre est in tertio gradu; nepos in secundo; & filius in primo; & ratio est; quia tot sunt gradus, quot sunt generationes; sed in casu tantùm tres sunt generationes; ergo tres tantùm sunt gradus. Stipes autem dicitur illa persona, à qua sumitur generationis initium. Linea transuersa est, qua plures ab eodem stipite descendunt; vnus tamen illorum non descendit ab altero; vt duo fratres, duæ sorores, duo patrueles, seu consobrini. In hac linea aliquando personæ collaterales, seu transuersæ æqualiter distant à stipite, vt duo fratres; aliquando inæqualiter; vt frater, & consobrinus. Quando distant æqualiter; tunc tot gradibus distant inter se, quot gradibus distant à stipite; vt frater, & soror sunt in primo gradu, quia vno gradu, seu generatione distant à patre. Quando verò inæqualiter distant; tunc gradus sumendi sunt ab eo, qui est remotior; vt frater, & sororis filius; quia filius sororis distat à patre sororis duobus gradibus; ideo frater duobus gradibus distat à filio sororis. Sed etiam regula præcedens videtur sufficere; quot enim sunt generationes, tot sunt gradus; vnde ablato stipite quot sunt personæ inter remotiorem, tot sunt gradus inter ipsum, & alterum collateralem. Hæc regula habetur *ex Zachar. 35. q. 5. c. parentelæ*.

3 Ab initio mundi licitum fuit, quia necessarium, fratres cum sororibus copulari; quia necesse fuit ad propagandum genus humanum filios *Adam* accipere in vxores proprias sorores; cùm nullæ aliæ fœminæ essent in mundo. At cessante tali necessitate, nefas semper fuit habitum copulari sororibus teste *S. P. Aug. lib. 15. de Ciu. Dei c. 16. Quod profectò quantò est antiquius compellente necessitate, tamen postea factum est damnabilius religione prohibente*. Ceperunt ergo matrimonia fieri inter consobrinas maximè, si patres eorum non habuissent parentes communes; sed essent ex eodem patre, non ex eadem matre, uel ex eadem matre, non ex eodem patre, ut constat *de Abraham*, qui fuit multò post mundi principium, & tamen duxit *Saram* sororem suam patruelem, seu consobrinam, quæ erat filia *Aram*; *Aram* autem, *et Abraham* erant

ex

ex eodem patre, nempe *ex Thare*, non autem ex eadem matre, ut habetur *Gen.* 20. Sic *Gen.* 24. *Iacob* accepit *Rebeccam* ab eo in tertio gradu distantem. At *Num.* 27. fuit prohibitum matrimonium inter gradus magis propinquos, *et Leuit.* 18. *et* 20. fuit uetitũ matrimonium matertetæ cum filio fratris, uel sororis, & *iuxta D. Hier.* etiam patrui, uel auunculi cum filia sororis, aut fratris. Mos autem contrahendi matrimonia in alijs gradibus non fuit sublatus, sicut præceptum sumendi uxorem fratris defuncti ad suscitandum semen ipsius, si decessisset sine filijs, in lege ueteri semper durauit. Ex quibus reijciuntur *Sectarij* asserentes omnes gradus lege naturæ esse prohibitos, adeoque à Papa dispensari non posse. Tandem in lege euangelica, in qua matrimonium eleuatum fuit ad esse sacramenti, maiori obseruantia debuit celebrari; quapropter primò fuit prohibitum vsque ad septimum gradum inclusiuè; vt constat *ex Greg. l. lib.* 12. *ep.* 31; *& Nicol. l.* 35. *q.* 3. *c. de consanguinitate*; *& c. nulli*; *& seqq.* Postremò *ab Alex. III. in Lat. c.* 50. fuit moderata talis prohibitio, & ad quartum gradum reducta; & habetur *de consanguinitate c. non debet*; quod fuit confirmatum *à Greg. IX. ibid. c. s. q.* ita, vt si quis contra præfatum decretum matrimonium ducere tentasset, nedum illicitũ, sed etiam nullum matrimonium debeat haberi. Quam legem vsque in hodiernam diem seruat Ecclesia. Ex quo deducitur consanguinitatem vsque ad quartum gradum inclusiuè esse impedimentum dirimens matrimonium contractum. Quæritur autem, quo iure sit irritum matrimonium contractum in his gradibus?

4 Circa lineam rectam *Sot. d. d.* 40. *art.* 3. ait primos duos gradus esse iure naturali prohibitos. *Angel. v. matrimonium* ad quatuor gradus extendit vsque ad vigesimum. *Conar.* vsque ad decem; *Basil.* docet extendi solùm ad primum gradum, eum sequitur *Aversa sect.* 13. *q.* 1; vbi alios refert. Ceteri *omnes DD.* docent in recta linea iure naturæ prohiberi matrimonium in infinitum ita, ut si hodie resurgeret *Adam*, nullam ex fœminis viuentibus, quæ ab illo descendunt, posset ducere in vxorem. *Vulpian. l. quiq;* 4. *de in ius vocando*; *Dur*; *Ricard*; *Bellarm*; *Scot*; *& alij apud Mostr. q.* 15. *art.* 1. Quibus adde *Estium dist.* 40. §. 5. Hoc docet etiam *Fund. Doct. de Regim. Princip. lib.* 2. *p.* 1. *c.* 11. Quoad lineam transuersalem *omnes* docent præter primum gradum omnes alios esse prohibitos tantùm iure Ecclesiastico. Quoad primum verò etiam id censent *nostr. Basil. hic c.* 32; vbi refert *D. Tho*; *Alen*; *Caiet*; *Ricard*; *Dur*; *& alios*. Quibus additur *Mastr. vbi s.* apud quem *Hurtad*; *Coninch*; *Diana*, *& Caspens*; *alij* tamen communiùs docent oppositum; inter quos *Fund. Doct. vbi s.* vbi docet in alijs à primo gradu posse dispensari ob aliquam grauissimam causam. Sequuntur *Valent*; *Henriquez*, *Sanch*; *Vasq*; *Rebell*; *Bonac*; *Card. de Laurea*, *Abulen*; *Martin. Ledesma*, *& ferè omnes alij* asserentes Papam super hoc dispensare non posse.

5 Vnica concl. Consanguinitas vsque ad quartum gradum inclusiuè est impedimentum dirimens matrimonium contractum; & de iure naturæ dirimit in omni gradu lineæ rectæ in infinitum; in linea verò transuersa dirimit tantùm in primo gradu; in alijs verò tantùm de iure Ecclesiastico; quapropter in his posterioribus excepto primo potest Papa dispensare; quanuis in secundo rarissimè, & solùm ob grauissimas causas debeat dispensationem concedere.

Prima pars concl. constat ex dictis. Ratio affertur *à Fund. Doct. vbi s.* quia viris consanguineis à fœminis reuerentia debetur, sunt enim illis maiores; & si decedat eorum pater, sunt eis loco patris; vnde sicuti matrimonium patris cum filia iure naturali dirimitur; ita matrimonium cum consanguinea iure Ecclesiastico dirimi fuit conueniens. Id probant etiam rationes mox afferendæ.

6 Prob. 2. pars concl. *ex eod. Fund. Doct. ibid.* Ius naturæ exigit, vt filius sit subditus matri, & patri; ergo ius naturæ exigit, vt filius non sit matris maritus; cui debet subdi vxor; sic enim mater subderetur filio. Sed in infinitum descendentes sunt veri filij, quanuis non immediati; à parentibus enim tanquam à primo principio causantur virtualiter per vi rtutem seminis propagatam ab ipsis in filios immediatè productos; & mediantibus ipsis in alios; ergo iure naturæ matrimonium in quocunque gradu rectæ lineæ est prohibitum. Colligi potest etiam *ex scriptura*; cùm enim dicitur; *Relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ*; apertè monstratur neque patrem in maritum, neque matrem ducendam esse in vxorem; hoc enim non esset relinquere patrem, & matrem, sed eos assumere, vt constat. Atqui si in recta linea quis posset assumere sibi vxorem; illa vxor assumeret sibi patrem in maritum; & è contra si assumeret sibi virum, vir assumeret matrem; pater enim, & mater, quanuis non propinqui, verè vocantur patres *in Scripturis*, *vt Thren.* 19. *Patres nostri peccauerunt*, *& non sunt*; *& Exod.* 20. *Reddam peccata patrum in filios vsq; in tertiam, & quartam generationem*; & *Gen.* 4. *Lamech* dixit uxoribus suis, quòd *Cain* punietur usque ad septimam generationem, ipse uerò usque ad septuagesimam septimam; quod uerificari non posset, si illorum uerè pater non esset; tandem *Adam* uerè pater omnium uiuentium dicitur. Neque obstat, quòd auus *à Phil.* uocetur causa per accidens; hoc namque dicitur per comparationem ad causam essentialiter per se subordinatam, quæ ita dicitur causa per se, ut sine illo effectus esse non possit; at sine causa in eadem specie esse potest, quatenus absque eo, quòd illa actu existat, potest effectus pro-

produci; non tamen absq eo, quòd illa extiterit; si enim illa non extitisset, non existeret eius causa proxima, sine qua nec esset effectus; ideo in hoc sensu etiam causa remota est causa per se; & ideo nequit in matrimonium assumi; aliter non relinqueretur pater, & mater; ut Dominus præcepit.

7. Prob.3.pars *ex Fund. Doct. Æg.* Natura ordinat matrimonium ad generationem, & conseruationem filiorum; inter eos enim, qui sunt in primo gradu, est summus amor, qui ex coniunctione carnali angeretur; sũmus autẽ amor carnalis est causa summæ libidinis, quæ impedit generationẽ, quia coitum frequentissimũ causat, & coitus frequẽs impedit generationẽ, uel fœtũ iã conceptũ interimit, ut patet in meretricibus; ergo natura abhorret matrimonium fratris cum sorore, & aliorum in primo gradu. Quod deducitur etiam *ex Leuit. vbi s.* vbi matrimonium cum fæmina nimis propinqua uocatur *turpitudo*; sed hæc iure naturæ est prohibita; ergo & illud. Tum quia gentiles solo naturæ dictamine ducti, ut constat *ex Phil.2.Polit.c.2.* & ipsa experientia docet in omnibus, à coniugio cum sororibus, & cum alijs in primo gradu propinquis abstinuerunt. Tandem quia conuersatio sororis cum fratre redderetur suspecta, sicut lenonis cum meretrice, quo nihil magis abhorret natura. Quod clarè probat *S.P. Aug. vbi s.* quanuis *à Basil.* in contrarium adductus; nam si matrimonium cessante illa prima necessitate, in qua non erant, nisi sorores ducendæ, *tantò posteà factum est damnabilius religione prohibente*; compertè sequitur, quòd etiam antequam religio, idest ius Ecclesiasticum, ut explicat *Basil.* illud prohiberet, iam erat damnabile; quod esse non poterat, nisi iure naturæ (non enim ante ius Ecclesiasticum aliud ius præter ius naturæ, & Diuinum esse poterant) nihil namque fieri potest damnabilius, nisi quod est iam damnabile, ut naturæ lumine notum est. Et conf. ex uerbis sequentibus, quæ etiam pro se adducit *Basil.* sed potiùs contra se: *Quod humano genere crescente, et multiplicato etiam inter impios Deorum multorum, falsorumque cultores sic obseruari cernimus; vt etiamsi peruersis legibus permitterentur fraterna coniugia; melior tamẽ consuetudo ipsam velit exhorrere licentiam. Et cùm sorores accipere in matrimonium primis humani generis temporibus omnino licuerit; sic auersetur, quasi nunquam licere potuerit.* Ex quibus sic. 1. Peruersa est lex dispensans extra primam necessitatem matrimonium fratris cum sorore; sed implicat dicere, quòd lex Ecclesiastica sit peruersa; ergo implicat dicere, quòd lex Ecclesiastica possit dispensare matrimonium fratris cum sorore. 2. Gentiles solo naturæ lumine prædicti abhorrent, tanquam illicita, matrimonia fratrum cum sororibus; & ita illicita existimant, ut nunquam licuisse, aut licere potuisse opinentur; ergo solo iure naturæ sunt illicita; non enim illi potuerunt cognoscere ius Ecclesiasticum; & si cognouissent, illud despexissent, sicut modò despiciunt simul *cum hæreticis*; ergo solo naturæ iure deterrentur à coniugijs fraternis, tanquam illicitis eodem iure, & non alio, quod sicut illos obligare non potest; ius enim Ecclesiasticum illos non obligat; ita eos nequit deterrere. Idem dicendum de priuigno cum nouerca, quod pariter nec inter gentiles celebratum fuisse testatur *Apost.1.Cor.5.* & uitrici cum priuigna, & soceri cum nuru; quanuis hęc duo sint affinium, non consanguineorum. Ex quibus colligitur Papam cum his dispensare non posse; solus enim Deus, qui est naturæ Conditor, super ius naturæ potest dispensare; sicut dispẽsauit in filijs *Adam.* Nec vlla modo est dispensandi necessitas; ideo non fuit necesse, vt hanc dispensandi facultatem suo Vicario relinqueret. Quod manifestè colligitur tum *ex Trid. vbi s.* tum *ex c.gaudemus de diuortijs*; vbi cum agitur de dispensatione, primus gradus non nominatur; & dicitur rarissimè esse dispensandum in secundo; quod certè probat in primo dispensari non posse. Quod etiam declarauit *B. Pius V. declarat*; quæ incipit: *Attendens*; vbi ait nunquam Summum Pontificem intendere in primo gradu dispensare; quod si esset vetitum solo iure Ecclesiastico, & si potuisset, aliquando dispensasset; non enim est credibile; quòd non extiterint vrgentissimi casus, in quibus dispensari expedijsset.

8 Obijc. 1. *Basil. Abraham, Gen.20.* accepit *Saram*, quæ erat ei soror; non enim probatur, quòd ei esset soror tantùm consobrina, non germana; tunc autem non erat necessitas sumendi sorores, cùm essent aliæ fæminæ. 2. *Thamar* soror *Ammon* inquit; quòd pater *David* ei non negasset in vxorem; ergo signum est, quòd tunc temporis matrimonium cum sorore non erat prohibitum. 3. *Conc. Agathen. c.61*; inquit: *Si quis fratrem germanam sororem acceperit*; soror autem germana est ex eodem patre, vt constat; & posteà subdit se non dissoluere matrimonia iam facta, sed tantùm facienda; ergo matrimonia fratrum cum sororibus non sunt iure naturæ inualida.

Resp. ad 1; quòd *Sara* erat filia *Aran*, qui erat frater *Abraham*; & ideo erat eius consobrina; vt *sup.* diximus, & colligitur *ex D. Hier. & alijs*. Sed dato, quòd esset soror germana, dicendum fuisse ex speciali Dei dispensatione, quæ nondum erat sublata, vt inquit *idem S.Hier. ibid*; sed prior responsio verior est. Ad 2. dicitur, quòd *Thamar* dixit: *Neque enim hoc fas est in Israel*; quibus verbis ostendit esse hoc iure prohibitum; fas enim, & ius idem est; atque adeò ex eo, quòd dixit: *Pater non me negabit tibi*, non arguitur, quòd licitum matrimonium cum eo confessa sit; aliter sibi duobus verbis contradixisset;

xisset; sed potiùs hæc ad euadendum dixisse probatur. Nec ex alijs verbis, quæ subdidit; *Maius est hoc malum, quod nunc agis aduersum me expellens me*; colligitur, postquam violata esset, velle matrimonium existere; sed solùm odium reprehendit, non autem factum probauit. Ad 3. dicitur; quòd *Conc.* post omnia illa subijcit, & Caput cõcludit: *Sanè quibus coniunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris coniugij libertatem*. Quibus declarat se non dissoluere ea matrimonia, quæ non sunt interdicta à iure naturali; quæ verò sunt interdicta, esse soluenda; non enim melioris coniugij ineundi libertatem habere potuissent.

9 Instat *Mastr.* Non est credibile, quòd Deus naturæ Auctor statim, ac naturam condidit, naturæ iura violare voluerit; ergo quòd filij *Adam* contraxerint fraterna coniugia, non fuit contra ius naturale.

Sed malè loquitur *Mastr.* asserens dispensare legem esse violare legem; sic enim Pontifices violatores legum dicerentur; imò & ipse Deus, quando patrat miracula, violator legis naturæ diceretur. Dispensare ergo fine iusta causa, & iusto titulo est legem violare; at dispensare iusta causa alicuius magni boni est ipsam altiori lege honorare; & non ligari pro eo tunc ea lege; quod Deus in ipso naturæ initio debuit præstare, vt effectum suum à se solo productum ab eo, qui cum causa secunda ab eo simul producitur, aliquo speciali priuilegio distingueret.

10 Contrahentes autem in his gradibus prohibitis excommunicantur; & simul ipsi, ac eorum filij habentur infames *ex Clementin. 1. de consanguinitate, & ex multis alijs canonibus*.

ART. V.

De impedimento affinitatis, cognationis spiritualis, legalis, & publicæ honestatis.

1 Affinitas est *propinquitas orta ex copula siue coniugali, siue fornicaria*. Hæc propinquitas contrahitur à marito cum consanguineis vxoris, vel mulieris, quam cognoscit illicitè; vel ab vxore cum consanguineis mariti, vel mœchi. Hoc etiam impedimentum vsque ad septimum gradum fuit extensum; vt constat *ex 35. q. 2. 3; & 5. pluribus canonibus*. Sed *per Conc. Lat.* restrictum est etiam ad quartum gradum, sicut consanguinitas; quod sustulit etiam quosdam gradus affinitatis *in aliquibus antiquis canonibus* constitutos, qui proueniebant ex secundo, & tertio matrimonio; vt si vxor vnius mariti, quæ est affinis fratri ipsius mariti, mortuo marito nupsisset alteri viro; & deinde ipsa mortua, ille vir accepisset aliam, illa alia fiebat affinis fratri, qui erat affinis primæ vxoris defunctæ; hæc enim affinitas, quæ propriè non est affinitas, fuit sublata. *Vid. de consanguinitate c. non debet*; vbi assignantur tria genera affinitatis; *& 35. q. 2. c. de propinquis; & c. contradimus; vt q. 5. c. porrò; & q. 10. per totam*. Tandem *Trid.* affinitatem ortam ex copula illicita restrinxit solùm ad secundum gradum ita, ut nunc affinitas orta ex copula matrimoniali vsq; ad quartum gradum; & affinitas orta ex copula illicita vsque ad secundum gradum sit impedimentum dirimens matrimonium. Ratio autem, cur ex copula contrahatur hoc impedimentum, est; quia per copulam siue licitam, siue illicitam vir, & fœmina fiunt una caro; quod de copula licita habetur *Gen. 2. Erunt duo in carne vna*; & de illicita *1. Cor. 6. Qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur*; ergo in eodem gradu propinquitatis est cum consanguineis mulieris, in quo est ipsa mulier. Atqui iste gradus nequit esse consanguinitatis, quia non fit ex eodem sanguine, licèt illi sanguini uniatur; ergo est gradus affinitatis. Computantur autem gradus affinitatis ab ijs, qui copulantur; qui propterea habent rationem stipitis, et radicis illius. Oritur autem affinitas, etiamsi secuta sit copula fœmina inuita, *de eo, qui cognouit &c. c. discretionem*. Imò etiam si sit dormiens. *Ita Basil.* Quod etiam dicendum est eadem ratione de amente, & frenetica. Necesse tamen est, ut uir coniungatur fœminæ, & sequatur effusio seminis intra vas naturale in uterum fœmineum; quidquid dicat *Sanch.* Quapropter eunuchi affinitatem nõ cõtrahunt. Non obstat tamen, quòd fœmina non seminet, quidquid dicat *Mastr*; cùm semen mulieris non sit necessarium ad generationem; ut cum probabiliori sententia diximus *to. 5*; ubi obiectiones reiecimus.

2 Colligit *Basil.* ex dictis *contra Comitol*; quòd si vir illicitè cognoscat consanguineam uxoris in tertio, uel quarto gradu, non impeditur à petendo debito; nam *Trid.* uult affinitatem ortam ex copula illicita solùm dirimere usque ad secundum gradum; ergo si fiat in tertio, uel quarto gradu, non priuat maritum iure petendi debitum; sicut nec dispensationem requirit.

3 Quæres; an matrimonium in aliquo gradu affinitatis iure naturæ sit irritum?

Resp. omnes gradus lineæ rectæ irritare matrimonium iure naturæ, ut diximus *in sup. art. cont. Basil; Caiet; Rebell; Abulen; Bonac; Mastr. q. 18. art. 2*; ubi *alios* refert. In omnibus uerò gradibus lineæ transuersæ irritare tantùm iure Ecclesiastico; atque adeò posse Papam dispensare; sicut dispensauit *Alex. VI. cum Emanuele Lusitaniæ Rege*, qui *Elisabetham, & Mariam* filias *Ferdinandi Hispaniarum Regis* succesiuè duxit; *& Iulius II. cum Henrico VIII. Angliæ Rege*, qui duxit *Catharinam filiam eiusdem Ferdinan-*

dinandi relictam *à suo fratre Arturo*; *& Clem. VII.cum Petro Aluarado Indiæ occidentalis Gubernatore*, qui duxit sororem suæ vxoris demortuæ. Nec obstat factum *Herodis*, quem obiurgauit *S.Io.Baptista* dicens ei non licere ducere vxorem fratris sui. Non obstat, inquam; nam *Herodes* eam duxit adhuc suo fratre viuente; & si mortuus fuisset, non ei licuisset; quia ex vi legis veteris non licebat accipere vxorem fratris defuncti, nisi mortuus fuisset sine filijs, frater autem eius *Herodiadem* filiam reliquerat.

4 Instat adhuc *Basil.* cont.1.partem afferendo *Conc.Aurelian.III.can.10.* statuens matrimonia incestuosè contracta non esse dissoluenda; deinceps tamen relictam patris, vel filiam uxoris non esse ducendam; ergo & in linea recta matrimonium fuit dispensatum.

Resp. quòd, vt diximus *in sup. art. n.8. de Conc.Agath;Conc.* prius statuit matrimonia prius contracta non esse dissoluenda; inter ea tamen non dicit fuisse matrimonia priuigni cum nouerca, aut vitrici cum priuigna, adeoque nihil concluditur. Deinde affert prohibitiones generaliter omnium matrimoniorũ contrahendorum inter affines, inter quas ponit etiam ea, quæ supponuntur non fuisse; fuerunt enim etiam à gentilibus detestata; & ideo à fortiori supponitur non fuisse inter catholicos contracta.

5 Cognatio spiritualis est *quædam propinquitas personarum proueniens ex collatione baptismi, vel confirmationis; aut ex eo, quòd aliquis aliquem suscepit in sacramento baptismi, & confirmationis*. Ratio huius est; quia sicuti vita naturalis, per quam contrahitur cognatio naturalis, est duplex; scilicet natiuitas in vtero, per quam fœtus vitam acquirit; & natiuitas ex vtero, per quam exit in lucem; ita cognatio spiritualis duplex est; vna est in baptismo, per quã anima regeneratur ad vitam spiritualem; alia in confirmatione, per quam anima exit in campum dimicatura contra fidei hostes; & quamuis *30.q.1. c.omnes cum duobus seqq.* indicari videatur etiam in sacramento pœnitentiæ oriri quandam cognationem spiritualem; attamen *Bonif.c.VIII. de cognatione spirituali c.fin.* declarat nullam aliã cognationem spiritualem oriri, nisi in baptismo, & confirmatione. Quod statuit etiam *Trid.sess.24.de reform.c.2*; ubi solùm in baptismo, & confirmatione cognationem spiritualẽ agnoscit inter baptizantem & baptizatum, ac illius patrem, & matrem; & sic inter patrinos, & puerum, ac illius parentes; sublatis omnibus alijs speciebus cognationis spiritualis; scilicet compaternitate, & confraternitate; de quibus est sermo *de cognat.spirit.in 6.c. nedum*; *& 30.q.1. c.peruenit*; *& q.4.c. sciscitatur*; *& c. si pater.*; *& c. si quis*; *& q.3.per totam*. Esse impedimentum dirimens habetur *ex conc. Nic.can.21*; *& canonibus sup.* relatis; *& in VI.Syn. in Trullo can.53*; & fertur *ex traditione Apostolorum* manasse; & tandem *Trid.vbi sup.* ponit ipsam inter impedimenta dirimentia. Tandem est sententia cõmunis *omnium DD.* Non transit vltra primum gradum, ut ait *Trid.*

6 Collig.1. Si quis per procuratorem suscipiat aliquem in baptismo, ipse, non procurator, contrahit cognationem. *Ita Panormitan.in c. veniens de cognat. spirit.*; *Nauar*; *Farinac*; *& Basil*; qui refert declarationem *S.Congr.* Nam sicuti contrahens matrimonium per procuratorem, non procurator, sed principalis contrahit cognationem; ita à pari. 2. Patrinus nequit esse, nisi vnus, vel ad summum duo; vnus masculus, & altera fœmina; & debent designari; quòd si si quis præter illos tangat infantem, illi soli, non iste, cognationem contrahunt. *Ita Trid. vbi sup.* Si non fuerint designati, vnum solum præsumendum esse susceptorẽ in iure docet *Basil.hic c.39. n.10.* Si verò nullus sit designatus, & plures, quàm duo, tangat infantem, omnes contrahere docet *idem Basil.cum Farinac*; *& Rebell*; qui referunt *declarationem* huius *S.Congr.* quidquid dicãt *Sanch. Coninch*; *& Mastr.* Ratio est; quia hic casus omissus est *à Trid*, ideo standum est *antiquis canonibus*, qui concedebant plures, quàm duos. Si tamen successiuè tangerent, primus uir, & prima mulier tantum contraherent. Ita declarauit *S.Congr.apud Rebell*; *et Basil*; tunc enim *Trid.* potest locum habere. 3. Si quis susciperet puerum infidelis, non contraheret cum parentibus pueri cognationem; quia Ecclesiasticis legibus non ligantur, qui sunt extra Ecclesiam; vt habetur *de diuortijs c. gaudemus*. 4. Cognatio spiritualis oritur ex baptismo nedum solemni, sed etiam priuato; quia etiam in hoc est spiritualis regeneratio; & sicuti qui baptizat, contrahit; ita & qui tenet. 5. Si alter parentum in casu necessitatis suscipiat proprium filium, nulla oritur cognatio. 30.*q.1.c.ad limina*; *& de cognat.spirit. c.si vir.* Si verò extra casum necessitatis, non potest debitum petere, sed tenetur reddere; quia innocens nequit iure suo priuari. Si tandem ambo susceperint scienter, neuter potest petere, aut reddere, sed tenentur dispensationem quærere. Si autem ex ignorantia inuincibili; sicut hæc excusat à culpa; ita excusat à pœna. Nec obstat difficilis *textus ex 30.q.1.c.peruenit*; ubi dicitur, quòd viri, & mulieres, qui proprios filios susceperunt, debent separari; & post illa, quæ habentur *in canone*, illa *decretalis*, quæ *ex Bibliotheca Vaticana* fuit excussa, inquit; quòd *post annum expletum mulieres recipiant alium virum*; *similiter & vir vxorem*; resp. enim *Basil. c. 40.n.8*; quòd plura *in illa decretali* resoluit Pontifex; cùm enim illi propositum fuisset, quòd plures viri, & mulieres suscepissent suos filios in Sabbatho Sancto; & inter illos essent coniugati, & non coniugati; tantùm cõiugatis præcipit vt separentur ad tempus pœnitentiæ causa; non coniugatis verò, qui matrimonium contraxerunt

runt post susceptionem suorum filiorum in baptismo, qui illis nati erant ex concubitu illicito, separarentur, & dos redderetur mulieri, & matrimonij contracti vinculum dissolueretur.

7 Cognatio legalis oritur ex adoptione personæ extraneæ in filium, vel nepotem &c. Dicitur *extraneæ*; non quia persona adoptata debeat esse aliena à genere ipsius adoptantis; *Esther* enim, quæ erat filia fratris *Mardochei*, fuit à *Mardochæo* adoptata; sed quia sub illius potestate non est; quoniam ab ipso per generationem non descendit. Adoptio, siue sit perfecta, quæ *arrogatio* dicitur, & fit auctoritate Principis supremi; siue imperfecta, quæ *adoptio* tantùm dicitur, & inducta est *à l. adoptiuus ff. de ritu nuptiarum; & instit. de adoptato*; & recepta est *à iure Canonico 30. q. 3. c. ita diligere; & cap. per adoptionem; & extra de cognatione legali canonico*; est impedimentum dirimens matrimonium; quidquid dicant *Sanch; Merat; Reginald; Auersa, Caspen; & alij* asserentes solam adoptionem perfectam matrimonium dirimere; vbi namque lex non distinguit; nec nos debemus distinguere, nisi aliqua turpitudo sequatur; vt rectè ait *Basil*; cùm autem *in allatis canonibus* sermo sit de adoptione in communi; ideo dicendum est vtranque matrimonium dirimere. Adoptio autem triplicem lineam constituit. Prima est inter adoptantem, & adoptatum, ac eius filios. Secunda inter vxorem adoptantis, & ipsum adoptatum, ac eius filios; & cognatio, quæ ex hac duplici linea oritur, durat perpetuò; quamuis enim *aliqui* asserant durare solùm vsque ad quartum gradum; attamen censenda est perpetua; impossibile enim est secundùm ordinem, quem videmus, adoptantem viuere vsque ad quintum gradum. Tertia est inter adoptatum, & filios naturales, ac etiam illegitimos adoptantis, vt docet *Basil*; hæc autem non causat cognationem perpetuam; sed tantùm, usquedum filius emancipetur à patre; vel vsquedum pater moriatur; tunc enim inter adoptatum, & filiam naturalem adoptantis matrimonium contrahi potest; vt habetur *ex dictis ca.* Quæ tamen intelligenda sunt, nisi rescindatur adoptio. Excommunicationem autem, & alias pœnas, quas incurrunt consanguinei contrahentes, non incurrere eos, qui cognitione legali ligantur; quia in pœnis non habet locum extensio ad similem easum, docet *Basil. cap. 41.* Tandem si infidelis, qui non tenetur his legibus, matrimonium contrahat, & fiat posteà christianus, matrimonium non dirimitur.

8 Iustitia publicæ honestatis, seu publica honestas oritur tum ex sponsalibus validè contractis; tum ex matrimonio rato, non consummato. Illa, quæ oritur ex sponsalibus, extenditur solùm ad primum gradum; vt statuit *Trid. vbi s. c. 3.* Illa verò, quæ oritur ex matrimonio rato, non consummato, extenditur ad quartum gradum; vt declarauit *B. Pius V. Romanum.* Vnde si alicui post contracta sponsalia moreretur sponsa, non posset contrahere cum eius sorore, matre, & alijs, quæ sunt in primo gradu; benè tamen cum alijs, quæ sunt in secundo; & si matrimonium contraxisset, non consumasset, non posset contrahere vsque ad quartum consanguinitatis, ad quam solam extenditur, non ad affinitatem; cùm enim per sponsalia, & matrimonium ratum non contrahatur affinitas, quæ non contrahitur, nisi per copulam; ideo hoc impedimentum ad affines non trahitur. Quòd autem sponsalia debeant esse validè contracta, habetur expresse *ex Trid. vbi s.* Ex matrimonio autem conditionali, sicut ex sponsalibus conditionatis hoc impedimentum non oritur; nisi purificata conditione; vt declarauit *S. Congr. apud Farinac. ad c. 3. sess. 24.* Hinc fit, quòd ex sponsalibus contractis ante septennium non ratificatis post vsum rationis non oritur hoc impedimentum; quia non sunt vera sponsalia, alter enim potest resilire. Item ex sponsalibus, quæ mutuò consensu soluuntur, nullum pariter oritur impedimentum, quidquid dicant *Sanch; Mastr; Brancat; & alij.* Ex eo namque, quòd sponsalia mutuo consensu soluuntur, fiunt nulla, & ex sponsalibus nullis nullum oritur impedimentum; sic etiam declarauit *S. Congr;* vt refert *Basil. hic cap. 36. n. 9. apud Farinac. vbi s.* Quòd si quis etiam animo se non obligandi sponsalia contraheret, oriri hoc impedimentum docet *Basil. ibid. n. 10.* Nam hoc impedimentum positum est solo iure Ecclesiastico, quod iudicat de externis; & quando dicitur sponsalia debere esse validè contracta, sermo est de validitate in foro externo probata; quousque enim non probentur; inualida reputantur. In foro tamen interno nullum oriri impedimentũ videtur certũ *ex Trid.* quod statuit *ex sponsalibus quacunque ratione inualidis* nullum oriri impedimentum; scilicet siue sint inualida defectu consensus, aut alterius defectus intrinseci contractui; siue defectu alicuius extrinseci. Si autem matrimonium ratum, non consummatum, sit nullum defectu consensus, vel alicuius defectus intrinseci, nullum oritur impedimentum; vt constat *ex Alex. III. in append. p. 6. c. 4; et 10.* Si tamen fuerit nullum defectu solemnitatis, aut ratione alterius impedimenti extrinseci, oritur impedimentum; vt declarauit *Sacra Congr. apud Farinac. vbi s. et apud Rebell. n. 103.* Tandem hoc impedimentum dirimere matrimonium habetur *27. q. 2. c. si quis desponsauerit 3; et c. qui desponsatam; et c. si quis; et in append. Lat. vbi s; et de sponsalib. c. ad audientiam; et de desponsf. impub. c. duo; et ex Trid;* quod reponit hoc inter alia impedimenta dirimentia.

ART. VI.

A R T. VI.

De impedimento impotentiæ.

1 IMpotentia alia dicitur ad generandum; quæ est in illis, qui steriles sunt; & de hac non loquimur in præsenti; constat enim ex multis *Scripturarum* exemplis matrimonium initum inter steriles esse validum, & legitimum. Alia est ad coeundum, quę est in illis, qui ita sunt debiles, vt non possint intra vas fœmineum semen emittere. Et hæc duplex est; alia ad tempus, quæ temporis decursu tollitur, vt in puberibus; alia perpetua, quæ nullo artis licito remedio, aut naturæ subsidio vnquam tolli potest. Hæc pariter duplex est; alia, quæ oritur ex defectu membrorum, quæ sunt naturalia instrumenta generationis, vt membri genitalis, & testiculorum; vt in spadonibus, & eunuchis; alia, quæ prouenit ex nimia frigiditate, & debilitate complexionis, vt patet in frigidis; vel vel ex aliquo maleficio Dęmonis opera effecto. Tandem alia est absoluta, qua quis nequit coire cum nulla fęmina; alia respectiua, qua licèt non possit coire cum tali ob nimiam angustiam vasis naturalis; potest tamen copulari cum alia capacitatis grandioris.

2 Insuper vel est sermo de matrimonio contracto per ordinem ad copulam, vel per ordinem ad castè viuendum in sancta societate; vt diximus *in sup. q. art.* 4; & §. 1.

3 Certum est *apud omnes*, quòd si loquamur de impotentia generandi, dummodò coniuncta sit cum potentia coeundi, matrimonium non dirimit, vt diximus. Item certum est, quòd si loquamur de impotentia coeundi ad tẽpus, vt in pueris, vel puberibus, matrimonium non dirimit; nam *canones* assignant tempus triennij ad experiendum, an possint aliquando coire; vt habetur *de frigidis c. laudabilem*, ad hoc, vt probetur, an talis impotentia sit perpetua; agitur enim de causa grauissima, vt est dissolutio matrimonij, quod ex lege Diuina indissolubile est; adeoque si aliquando huiusmodi impotentia cesset, dissolui non debet. Quod est intelligendum, siue hæc impotentia ad tempus orta sit ex ætate iuuenili, quæ tollitur successione ætatis perfectæ, vt constat; siue ex aliquo morbo, aut maleficio ad tempus tantùm duraturo. Certum tandem est, quòd si loquamur de matrimonio contracto per ordinem ad copulam, impotentia simpliciter, & absolutè, vt est in spadonibus, & eunuchis, qui licèt possint coniungi, non tamen possunt semen effundere, vel nullo modo possunt coniungi, vt sunt secti, seu abscissi, vel attriti, matrimonium dirimere; habetur enim *de frigid; & malefic. c.* 1; & est doctrina communis. Dubium ergo est de matrimonio contracto sine ordine ad copulam ad castè viuendum in sancta societate, an sit validum non obstantibus his impedimentis perpetuis, & de matrimonio respectiuo contracto per ordinem ad copulam; etiam si talis impotentia nullo remedio licito tolli possit.

4 *Aliqui* asserunt verum matrimonium contrahi non posse sine ordine ad copulam, & per consequens impotentiam perpetuam coeundi esse impedimentum dirimens, atque adeò matrimonium contractum ad castè viuendum esse meram chimęram. *Ita Mastr. q.* 15. *art.* 1; *apud quem Scot; Vasq; Hurt; Sanch; Auersa, & alij* asserentes matrimonium secundùm suam rationem formalem institutum fuisse per ordinem ad copulam, & in remedium libidinis. At sententia opposita traditur *à Fund. Doct. Æg; D. Tho; Palud; Pet. Sot, Med; Mag. sent; & alijs*, quos refert *Basil. c.* 56; vbi asserit solos tardiores, & in doctrina *SS. PP, ac iuris canonici* minùs versatos contrarium tenere. Et profectò quoad secundum assertum *à Mastr*; scilicet matrimonium ex sua ratione formali institutum fuisse in remedium libidinis manifestissimè falsum esse conuincitur, ipsis etiam theologiæ tironibus faciliter persuasum ex eo, quòd in statu innocentiæ, in quo verum institutum fuit matrimonium, nulla erat libido; & si durasset ille status, quod possibile fuisse nemo potest negare, quia nemo potest asserere impossibile fuisse innocentiam seruare, nulla insurrexisset libido, & sic nullo opus fuisset remedio; vt expressè docet *S. P. Aug. serm.* 9. *de verb. Apost. Tolle vulnera, tolle morbos, & nulla est causa medicinæ*. Ex quibus deducitur, quòd esse in remedium peccati tantùm occasionaliter accidit matrimonio, & ideo posse verum matrimonium haberi absque eo, quòd sit in peccati remedium.

5 *Aliqui* etiam senserunt de impotentia respectiua asserentes mulierem teneri permittere incisionem vasis, vt fiat latius, & capax membri genitalis, vel aliud remedium consimile. *Ita Mastr. vbis. n.* 42; *apud quem Sanch; Hurt; Auersa, & alij*. Sed hæc sententia *à Basil; & alijs* tanquam naturæ conseruationi contraria reijcitur; aliud est enim posse iuuari impotentiam remedijs non læsiuis, vt asserunt *canones*; aliud esse iuuandam remedijs læsiuis, vt est incisio vasis naturalis, quæ vtpotè facta in parte delicatiori, vt plurimùm cum periculo vitæ, vel inhabilitatis simpliciter perpetuæ est coniuncta, quæ tollit ordinem ad prolem, & ideo contrariè opposita est effectui matrimonij à natura intenti; vt diximus *in sup. q. vbis.*

6 Vnica concl. Impotentia simpliciter, & absolutè antecedens matrimonium contractum per ordinem ad copulam dirimit; non tamen dirimit matrimonium contractum per ordinem ad castè viuendum; quanuis inter eunuchos, qui possunt coire, speciali lege ecclesiastica dirimat; impotentia verò respectiua dirimit præcisa etiam in-

incisione, alioque remedio violento, & læsiuo.

Prob. 1. pars *ex Gen. 2.* vbi dicitur de viro: *& adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna*; ex quibus constat matrimonium ordinatum fuisse à Deo ad societatẽ, quam significat *adhærere*; nam adhærere alteri est illi associari, vt patet ex terminis; & ad copulam; vt colligitur ex illis verbis: *erunt duo in carne vna*; & hæc duo ita se habent, vt viuere in societate priùs intentum sit à Deo in matrimonio, quàm copulari; quod colligitur ex illis verbis, quæ dixit Deus, postquam creauit Adam: *Non est bonum esse hominem solum; faciamus ei adiutorium simile sibi*; vbi mentio fit de sola societate mulieris, quæ erat necessaria ad conuersandum *cum Adam*, & ipsum adiuuandum in ijs, quæ spectant ad vitæ conseruationem, quæ pariter habentur *ibid. Posuit eum in paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum*; ibi autem nulla fit mentio copulæ, quam tantùm *Adam* Spiritu sancto edoctus insinuauit dicens: *Erunt duo in carne vna*; ergo *ex Scriptura* finis principalis, & primarius, propter quem à Deo institutum est matrimonium, est societas fœminæ, sine qua bene non fuisset viro, qui solitudinis mæstitia continuò confectus fuisset; vel saltem societate, quæ proculdubiò est magnum bonum, cùm socius bonus est, caruisset; & sine qua adiutus non fuisset in operationibus, quæ ad conseruandam vitam sunt necessariæ; copula autem fuit finis secundarius matrimonij; & ideo matrimonium sine ordine ad copulam est verum, & validum, cùm copula sit quid consequens ad illud. Quod magis prob. Priùs est naturam conseruari, quàm propagari; quia priùs est esse, & conseruari in esse, quàm operari; *operatio* nanque *sequitur ad esse* conseruatum, non destructum; esse enim destructi nulla potest esse operatio, vt constat *ex Phil.* docente: *Res in tantùm actu agit, in quantùm actu est*; & naturæ lumine notum est; sed *ex Scriptura* matrimonium fuit à Deo ordinatum ad seruandam vitam hominis, & posteà ad propagandam naturam; ergo finis primarius matrimonij fuit societas fœminæ cum viro; copula autem, quæ ad propagationem naturæ ordinata fuit, est finis posterior; atque adeò sententia ordinans matrimonium ad castè viuendum in sancta societate, habetur expressè *in Scriptura*, ad quam quia non attendit *Mastr*; vocat eam *chimæricam* quidem, sed chimæricè. Tum quia negari non potest, quòd matrimonium importat *vinculum animorum*, quod est spirituale; vt colligitur ex illis verbis: *Relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit vxori suæ*, scilicet per affectum; vinculum enim sanguinis, quod habet homo cum patre, & matre, homo non potest relinquere, nisi relinquat seipsum; ideo ea verba intelligenda sunt de vinculo spirituali, seu per affectum; ex quo deducitur vinculum amoris viri erga mulierem debere esse fortius vinculo amoris erga patrem, & matrem; & importat *vinculum carnale*, quod explicatur illis verbis: *Erunt duo in carne vna*; sed vinculum spirituale est potius, & principalius vinculo carnali; spiritus enim præstat carni; ergo matrimonium principaliùs importat vinculum spirituale, quod consistit in societate, quàm vinculum carnale, quod consistit in copula; atqui illud, quod se habet, vt principale, in aliqua re, est forma ipsius rei, qua habita habetur vera essentia illius rei; illud autem, quod minùs principaliter importatur, est quid accessorium, vel materialiter præsuppositum, vel consecutiuè appositum, vt constat; ergo matrimonium contractum purè per ordinem ad societatem cum proposito castè viuendi, habet veram formam matrimonij; & ideo est verè, & propriè matrimonium magis, quàm carnale; ergo hæc sententia spiritaliter asserens veram rationem matrimonij saluari etiam in vinculo spirituali animorum stabilior, & verior est, quàm sententia carnaliter sentiens consistere tantùm in vinculo carnali, quod est copula; ex quo deducitur matrimonium contractum sine ordine ad copulam inter impotentes simpliciter, & absolutè carentes etiam instrumentis generationis esse validū iure Diuino, & naturali.

7 Prob. etiam ex iure Ecclesiastico. *De frigid. & malefic. c. consultationi Luc. III.* interrogatus, an impotentes possint validè contrahere matrimonium, respondet, quòd licèt aliquibus (vt sunt *Aduersarij*) videatur incredibile, quòd possit matrimonium contrahi, Romana tamen Ecclesia ex consuetudine semper iudicauit, vt quas tanquam vxores habere non possunt, habeant vt sorores, idèst, vt non separentur, quanuis non copulentur; sicut cum sororibus copulari non possunt. Verba canonis sunt hæc: *Licèt incredibile videatur, quòd aliquis cum talibus contrahat matrimonium, Romana tamen Ecclesia consueuit in consimilibus iudicare, vt quas tanquam vxores habere non possunt, habeant, vt sorores.* Quod repetit *Cælestinus III.* referens *Greg. 33. q. 1. c. quòd autem.* Nec illa verba: *Habeant, vt sorores*; torqueri possunt ad dissolutionem vinculi matrimonialis, vt *quidam mi-dam minùs periti* (inquit *Basil.*) *in iure Pontificio, & SS. PP.* existimarunt. 1. Quia si sic essent intelligenda, Ecclesia sentiret, sicut sentiunt illi, qui sentiunt cum impotentibus non posse contrahi matrimonium validè, atque adeò esse dissoluendum; sed hoc negant *Pontifices*; ergo manifestè hanc responsionem excludunt. 2. Quia *Pontifices* locuti sunt phrasi desumpta *à SS. PP*; quorum doctrinam secuti sunt, & sequuntur, vt statuerunt *in Concilijs*; sed *SS. PP.* per illa verba *habere vxorem, vt sororem*; non intelligunt dissolutionem vinculi matrimonialis, sed tantùm abstinentiam à copula, vt constat *ex Clem. Alex. lib. 6. Stromat. c. 5. Vxor autem ei soror post liberorum susceptionem iudicatur &c. tunc solùm viri* re-

recordans, quando filios aspexerit; subijciens in his manere tantùm vinculum spirituale; *& S. Hier. ep. ad Rustic. Narrauit mihi uxor quondam tua, nunc soror, atque conserua; quòd iuxta praeceptum Apostoli abstinueritis vos ex consensu ab opere nuptiarum, ut vacaretis orationi*; *& S. P. Aug. lib. de vera relig. c. 41.* loquens de dono continentiæ inquit esse in multis viduis, & virginibus Dei, in multis etiam maritatis, sed iam fraternè coniugalia iura seruantibus; constat autem, quòd habere sic uxorem, ut sororem, non est dissoluere matrimonium quoad vinculum, quia vinculum matrimonij ex mutuo consensu dissolui non potest, ut orationi vacetur, nec eo dissoluto seruantur matrimonialia iura. Idem habet *S. Greg.* relatus *dist. 32. c. præsbiter*; ubi ait præsbiterum post ordinationem diligens uxorem, ut sororem, bene agere; constat autem ex dictis matrimonium non dirimi quoad vinculum per ordinationem subsequentem ad ipsum matrimonium iam contractum, sed solùm dirimi per ordinationem antecedenter ad matrimonium susceptam. Eodem modo loquuntur *Conc. Auernen. sub Vigilio anno 541. c. 12*; *Turonen. II. sub Io. III. anno 570. can. 13; & 20*; *Matiscouen. I. sub Pelagio II. anno 582. can. 11*; quæ latè refert *Basil*; *& Sixtus V. inf.* afferendus. Aliæ rationes allatæ sunt *q. 2. vbi s.*

8 Prob. tandem *ex S. P. August. lib. de bono coniugali cap. 3.* ratione, quæ sic efformatur; & euertitur principale *Aduersariorum* motiuum. In tantùm *per Aduersarios* matrimoninm contractum inter simpliciter impotentes iure naturæ est nullum; in quantùm materia apta matrimonio est corpus aptum ad generandum; corpus autem simpliciter impotens generare est substantialiter inhabile matrimonio; sed hæc ratio nulla est; nam si post matrimonium superueniat, ut in senibus, ineptitudo simpliciter ad generandum, non dissoluitur matrimonium, quanuis corpus reddatur ineptum simpliciter ad generandum; ergo quanuis impotentia simpliciter dirimat matrimonium contractum per ordinem ad copulam, non tamen dirimit omnem rationem matrimonij propriè dicti, scilicet matrimonium contractum ad castè viuendum. Prob. ampliùs min. Quoties mutatur substantialiter materia matrimonij, tunc dissoluitur ipso facto matrimonium, ut si mulier euadat masculus, quemadmodum suo tempore contigisse *Compluti* refert *Basil*; *& in Vrbe Sancti Sepulchri Etruriæ* contigisse *in quadam moniali*, quæ statim è monasterio fuit extracta, & habitu clericali induta, nos vidimus, & alij fide digni id pluries accidisse narrant; tunc statim dissoluitur matrimonium, etiamsi hoc impedimentum superueniat matrimonio iam contracto non ob aliam rationem, nisi quia materia matrimonij substantialiter mutatur; ideo enim per affinitatem subsequentem ad matrimonium non dirimitur, sicut dirimitur, si antecedat, quia affinitas non mutat materiam substantialiter, sed tantùm accidentaliter, & sic dicendum de alijs impedimentis; etenim accidentalis mutatio secundùm iuris dispositionem inualidat, si antecedat; non verò, si subsequatur; at substantialis mutatio siue antecedat, siue subsequatur, semper dirimit; vt si masculus fiat fœmina, vel fœmina masculus, quemadmodum de omni alio sacramento dicitur; sed impotentia simpliciter superueniens matrimonio validè contracto illud non dirimit, vt diximus; ergo impotentia simpliciter non mutat substantialiter matrimonij materiam; quo euertitur eufugium *Mastrij*, *& aliorum*, quos non percepisse vim huius rationis inquit *Basil.*

9 Quòd autem matrimonia eunuchorum etiam ad castè viuendum celebrata, loquendo de eunuchis, qui possunt coire, sint nulla speciali iure Ecclesiastico, patet ex *Breui Sixti V.* dato *ad Nuncium Hispaniarum*, quo irritat matrimonia quomodocumque ab eunuchis contracta, & affert rationem, quia scilicet non assumunt vxores, vt habeant illas, tanquam sorores, sed ad turpiter lasciuiendum; ergo matrimonia eunuchorum videntur hoc iure speciali interdicta.

10 Prob. 2. p. concl. *de frigid; & malefic. c. fraternitatis*; ubi dicitur de fœmina ita arcta, quæ viro suo copulari non poterat, copulata est alteri, à quo fuit violata; Pontifex autem non irritat hoc secundum matrimonium, vt habet *Glos.* sed tacitè approbat; sed in eo casu nulla facta narratur incisio; ergo impotentia respectiua perpetua etiam sine incisione dirimit matrimonium. Tum quia ideo per *Sanch.* debet præmitti incisio, in quantùm vxor transtulit dominium sui corporis in virum; sed hæc ratio perperam torquetur ad hoc; non enim ex eo, quòd tradidit dominium sui corporis, dedit illi facultatem ad illud vulnerandum, ad sæuiendum &c; sed tantùm ad eo licitè vtendum; in hoc enim distinguitur dominium herile, sub quod se tradunt serui, à dominio uxorio, sub quod se tradunt fœminæ, vt philosophatur *B. Doct. Æg. de Regim. Princ. lib. 2. p. 1. c. 15*; ergo etiam non præmissa incisione impotentia respectiua dirimit matrimonium. Tandem licèt incisio existimetur sine vitæ periculo, vel sine turpi sectione; attamen potest esse periculosa; multa enim pericula non præuidentur, improuisò tamen eueniunt. Tum quia obstat crudelitas, quæ non permittitur, nisi in euidenti periculo infantis, & certitudine mortis ipsius matris; ergo idem.

11 Obijc. 1. *Mastr. C. consultationi*, *& can. laudabilem vb. s.* habetur impotentiam irritare matrimonium absque vlla limitatione; ergo etiam ad castè viuendum. 2. Matrimonium est contractus, quo traditur potestas corporum ad copulam; sed simpliciter impotens non potest reddere, nec obligari ad impossibile; ergo idem. 3. Matrimonium ex sui institutione ordinatur ad

copu-

copulam, & in remedium libidinis; ergo idem. 4. Sequeretur non esse perpetuum; perpetuitas enim sumitur tantùm per ordinem ad bonum prolis. 5. Sequeretur, quòd contrahentes cum voro castiratis, si copularentur, peccarent peccato fornicationis, non adulterij, neque si coniungerentur cum alijs. 6. Sequeretur posset contrahi inter patrem, & filiam; fratrem, & sororem; in his enim sola copula esse non potest.

Resp. hæc valere de matrimonio respectu ad copulam, non verò per ordinem ad castè viuendum in sancta societate. Ad 1. dicitur *in illis canonibus* expressè sermonem esse de matrimonio contracto per ordinem ad copulam; *in alijs* autem à nobis adductis sermonem esse de matrimonio per ordinem ad castè viuendum. Ad 2. dist. ma. de matrimonio contracto per ordinem ad copulam, conc; de matrimonio per ordinem ad castè viuendum, neg; in ipso enim traditur solùm dominium corporum per ordinem ad ea, quæ faciunt ad communem, & socialem vtriusque sustentationem; ex eo autem, quòd dicatur: *Erunt duo in carne vna*, colligitur tantùm coniunctionem carnalem esse necessariam ad rationem matrimonij ordinati ad copulam, non autem ordinati ad castè viuendum; vt *sup.* diximus *ex scriptura*. Ad 3. neg. ant; vt *sup.* dictum est. Vel dist. Prout est vinculum carnale, conc; spirituale, neg. Ad 4. neg. seq; perpetuitas enim nedum sumitur à prole, sed etiam ex natura ipsa matrimonij; aliter matrimonium sterilium, qui prolem nequeunt habere, esset dissolubile. Ad 5. neg. seq; quamuis enim contractum non sit matrimonium per ordinem ad copulam; attamen per dominium traditum per ordinem ad castè viuendum obligatur vterque coniux ad non tradendum corpus suum alteri; & ideo traditio est contra rationem matrimonij; atque adeò adulterium. Ad 6. neg. seq; iure namque naturæ prohibentur huiusmodi matrimonia ob rationes allatas *art.* 4; cùm enim dominium, quod traditur in matrimonio, sit radix iuris ad copulam; sequitur, quòd vbi nequit esse copula, ibi nequeat esse ratio dominij.

11 Collig. 1; quòd frigidus simpliciter impotens nequit in conscientia aliud inire matrimonium ad copulam; & si ineat, inualidum est; bene tamen potest inire ad castè viuendum absque eo, quòd exerceat actus carnales. 2. Si alter sit impotens respectiuè, si coniungatur cum altero, cum quo possit coire, validum est matrimonium secundum. 3. Tempus ad matrimonium contrahendum esse decimum quartum annum expletum in viro, & duodecimum in fœmina; vt habetur *de desponsat. impuber. c. continebatur; c. attestationes; c. ex literis; & c. puberes.* Idem habetur etiam iure ciuili. Si tamen malitia non suppleret ætatem; idèst cognoscat onus portandum in matrimonio. Quod tamen cognoscendum est à iudice Ecclesiastico. 4. Morti proximum non esse inhabilem ad contrahendum cum concubina, vel alia, vt prolem legitimet, vel fœminam dotet; non enim necessaria est copula. 5. *Hermophroditum* æqualiter pollentem vtroque sexu posse contrahere in quolibet, præstito tamen iuramento ante parochum de non vtendo alio sexu. Si tamen secundùm vnum sexum non possit coire, nullum est matrimonium contractum; quod validum est, etiansi nubat secundum sexum imbecilliorem, aptum tamen coire. 6. Maleficium censetur perpetuum, quando operibus licitis, vt sunt ieiunia, eleemosina, confessio peccatorum &c; tolli nequit triennij spatio; non tamen potest alteri nubere, vsquedum manet maleficiatus; & si miraculosè sanaretur, ad coniugium primum est cogendus. Maleficos autem non licet consulere ad releuandum maleficium; vt habetur *Deut.* 18; *Isaia* 8; & *Apost.* 1. *Cor.* 10. *Nolo vos socios fieri Dæmonum*; sic enim est associari, & immisceri Diabolo.

ART. VII.

De impedimento erroris, seruitutis, criminis, & raptus.

1 Error vel potest contingere ex ignorantia personæ; vt cùm quis ducit *Beiam* iudicans esse *Seiam*; vel ex dolo alterius, qui loco *Seiæ Beiam* supponit; vt frequentiùs contingere solet, cùm matrimonium per procuratorem contrahitur; nam cùm fit in præsentia, cùm intentio feratur semper in personam præsentem, quæ offertur; nullus error est circa personam, sed tantùm circa qualitatem personæ; vt quia putatur libera, & serua est; legitima, & est spuria; filia *Titij*, & est filia *Caij*; diues, & est pauper &c. Qui error (excepta seruitute, de qua *Canones* statuunt inualidate matrimonium) nunquam inualidat; est enim circa qualitatem personæ merè consequenter. Itaque error circa personam, vel circa qualitatem personæ, qui transit in errorem personæ; vel circa qualitatem assumptam, vt conditionem, seu vt dantem causam contractui, matrimonium dirimit. Totum hoc satis probatum fuit *q.2.art.7.§.1.*

2 *Mastr. q.14. art.1. n. 392.* ait esse communem sententiam sustinentem errorem antecedentem, quando dat causam contractui, & fertur in personam, vt tali qualitate indutam, dummodò talis qualitas non assumatur, vt conditio, aut transeat in errorem personæ, matrimonium non irritare. Sed certè *iste* ipsos terminos implicat; quando enim quis tendit in personam indutam tali qualitate; tunc tendit in illam qualitatem tantùm materialiter; & illa qualitas non dat causam contractui; tunc nam-

que dat causam, quando sine illa contractus non existit, cùm sine causa effectus esse non possit. Igitur quando assumitur causa, dependenter à qua solùm quis vult esse consensum; necessario sequitur consensum non existere, nisi existat illa causa. Distinguendum est ergo inter ferri in personam indutam tali qualitate; vt cùm quis putat accipere *Betam* diuitem, pulcram &c; tunc enim diuitiæ, pulcritudo &c. solùm materialiter, concomitanter, seu consecutiuè se habent, & ideo non irritant; & inter ferri in personam, vt indutam tali qualitate; vt cùm quis intendit accipere *Betam*, quatenus diues, & pulcra sit; tunc enim diuitiæ, & pulcritudo sunt ratio formalis consensus, sine qua nequit esse consensus, vt constat; & sic dicitur transire in errorem personæ, vt diximus *vbisup*; vel cùm quis intendit eam accipere, si diues, aut pulcra sit; tunc enim assumitur, vt conditio, & per consequens, vt causa formalis, siue qua consensus esse non potest; vnde assumere qualitatem, vt dantem causam contractui, est idem, ac assumere qualitatem, vt est conditio, à qua contractus in esse dependet; adeoque non sunt distinguenda. *Vid.*alia *vbisup.*

3 Seruitutem antecedentem, non consequentem ad matrimonium, ignoratam, non aliquo modo cognitam, esse impedimentum dirimens diximus *vbisup.n.*27. quibus additur eadem 29. *q.*2. *c.si quis ancillam; c.si quis ingenuus; c.si fœmina; & c.cuius rei*. An verò dirimat iure naturali, vel Ecclesiastico; dicendum formaliter dirimere de iure Ecclesiastico, quod constituit, ne fiat iniuria homini ingenuo, seu libero; reductiuè autem dirimere iure naturæ; quia reducitur ad errorem, qui dirimit iure naturæ. Diximus *ignoratam*, quia si adsit notitia, vel opinio, vel dubium, vel ignorantia affectata seruitutis, vel aliquod indicium, matrimonium est validum; ignorantia enim affectata æquiparatur scientiæ; tum quia hoc impedimentum inductum est in fauorem ingenui, ideo ingenuus ex sua iniquitate, aut incuria nequit commodum reportare. Hoc intelligendum est de seruitute præsenti, non de anteacta; sufficit enim, quòd fœmina ingenua contrahat matrimonium cum viro tunc libero, quamuis priùs fuerit seruus, vt sunt libertini, vt validè contrahat.

Diximus etiam, quòd si seruus contrahat cum serua, etiam inuito domino, validum est matrimonium. Quamuis enim, vt serui religionem, vel matrimonium eligerent, necessarius esset consensus domini, attamen quoad statum religionis sine consensu domini professio est nulla, vt habetur *ex Gelas. ep.*9. *ad Episcopos Lucaniæ; & ex D.Greg.lib.*2. *ep.*29.*q.*2.*c.omnibus; & Conc. Aurelianen.IV.c.*24; *& Cabilonen.*2.*can.*30; *& de coniug.seruorum c.*1;*& ex D. Greg. lib.* 3. *ep.* 32. Etenim contractus matrimonij est de iure naturæ, seruitus autem de iure gentium; ius verò naturale præualere iuri gentium, vt potè fundamentum illius, compertum est. Tum quia nullus Christianus prohiberi potest ad sumenda sacramenta instituta in remedium peccati. Quapropter grauiter peccant domini impedientes coniugia seruorum, uel uendentes seruum coniugatum habitanti in loco distante, & retinentes apud se seruam uxorem; sic enim matrimonium separant, quod eis non licet.

4 Serua in matrimonium ducta à domino libertatem acquirit; uxor enim eodem honore gaudet, ac uir. *authent. de consulib.* §. *si autem; & l.mulieres C.de dignitatibus; & ex* 32. *q.* 2. *c.non omnis*; & ratio est, quia in matrimonio traditur dominium mutuum, quod nequit componi cum seruitute. Nec obstat, quòd fœmina sit serua, cui uidetur non posse dominium competere; distinguendum enim est, vt optimè obseruat *Fund. Doct.Æg.de regim.Princ.c.*15; dominium herile à dominio vxorio; & ideo quamuis habeat dominium herile in seruam, non tamen habet dominium uxorium; quod propterea potest ab ipsa serua in dominum transferri. *Vid. to.*4.*de iustit;& iure q.*2. *art.* 1. *n.*8; *& q.* 1. *art.* 4. *num.*6.

5 Crimen, quod est impedimentum dirimens, quadruplex est. Primum est adulterium vna cum fide data de contrahendo matrimonio defuncto altero coniuge: *De eo qui duxit &c. c.propositum;& c.super hoc;& c.significasti; et c.veniens; et c.fin; et* 31.*q.* 1. *c. relatum.* Requiritur autem, ut promissio simul cum adulterio fiat uiuente eodem coniuge; nam si promissio fiat uiuente uno coniuge, & adulterium viuente alio coniuge, non oritur impedimentum, ut docet *Basil.cum Panormit.c.*44. Per adulterium autem tantùm sine promissione non oriri impedimentum *habetur* 31.*q.*1.*c.illud; & c significasti vbisup;* quomodo intelligendus est 1; *&* 2. *c.eiusdem q.* sic nec sola promissio sine adulterio inducit impedimentum; & hæc promissio debet esse ex parte vtriusque saltem interpetratiuè ita, vt vnus promittat & alter taceat *c.relatum; & c. significasti vbisup;* si autem alter non acceptet promissionem, non oritur impedimentum; sicut non oritur, si alter eorum existimet primum coniugem obijsse. Idem dicendum, si quis contraheret cum dubio de morte prioris viri *de secundis nupt.c.dominus*. Si tamen primum matrimonium esset inualidum, impedimentum non oritur *de eo, qui duxit &c.c. significasti.* Secundum est matrimonium contractum cum alia fœmina viuente prima vxore, & superstite, seu præsente *ibid; & c.ex literarum; & c.cùm haberet; & c.veniens; & in append. Lat. p.* 26.*c.*13. Tertium si animo contrahendi matrimonium, etiam sine adulterio committatur homicidium alterius coniugis *de conuers.infidel.c.laudabilem; & 31.q.*1.*c. si quis viuente; & in Conc. Melden.c.*69; *& Meten. c.*7. Requiti-

quiritur autem 1. Vt vterque conspiret ad homicidium, si enim vnus tantùm occideret altero inscio, & non consentiente, nullum oriretur impedimentum. 2. Vt sequatur homicidium ex intentione contrahendi. 3. Vt occisio fiat ab ipsis, vel de mandato ipsorum; nam si occisio casu eueniret, impedimentum non oritur; vt si occideretur à medico, vel ab aliquo inimico &c. 4. Si post adulterium vir occidat vxorem suam, & adultera occidat virum suum intentione contrahendi cum viro vxoricida *de eo, qui duxit, c. propositum; & c. significasti; & c. si quis viuente vbi sup*; si tamen fiat homicidium vnius ante adulterium inscio altero contrahente, nullum est impedimentum; quia *nullus Canon* hoc statuit.

6 Raptus definitur *violenta extractio faminae ex domo parentum*; vnde qui vim non infert, sed vel precibus tantùm, vel quia ipsa suadet, vt extrahatur, vel consensit in matrimonium, propriè raptor non dicitur. *Ita Basil. c. 59. ex Conc. Rom. sub Zachar. c. 4; & Luc. III. ad Episcop. Burgen; & ex Aurelianen. I. can. I*; vbi indicatur matrimonium, valere si puella raptori consenserit; *& Melden. c. 64; & 65; et Nicol. I. ep. 30; et de raptoribus c. fin.* At *Trid. sess. 14. c. 6.* declarauit irritum matrimonium, *quandiu rapta in potestate raptoris fuerit; secùs tamen si ab eo separata, et in loco tuto, ac libero constituta ei nubere voluerit.* Vbi autem *Trid.* non viget, standum est iuri antiquo *de raptoribus c. fin.* allato; quod extendendum esse etiam ad fœminas raptrices docet *Basil*; quem sequitur *Mastr. cum alijs*; tunc enim censeretur coacta voluntas viri. Quanuis difficile sit fœminam posse viro violentiam inferre.

7 Raptores excommunicantur *can. 66. Apost; Chalcedonen. act.* 11 *can.* 27. cum consentientibus, & adiuuantibus, & si clerici sint, deponuntur *VI. Syn. c. 92; Rom. I. sub Greg. II. c. 10; et 11. Rom. sub Zachar. c. 7; et append. Lat. p. 6. c. 4; et Trid. vbi sup Item ex Aurelianen. I. c. 4.* iubetur vendendum esse raptorem in seruum patris puellæ, nisi pretio se redimat. Item *ex Melden. c. 64.* iubetur filios susceptos ex raptu esse inhabiles ad Ecclesiasticas dignitates, & raptores sine spe coniugij perpetuo remanere; *et Trid.* addit alias pœnas in raptores, & consulentes, auxiliantes, & fauentes, & decernit eos perpetuo infames, & omnium dignitatum incapaces, & clericos de proprio gradu decidere, & raptores teneri decenter dotare iudicis arbitrio raptam, siue eam duxerit, siue non duxerit. Quæ pœna non habet locum, nisi post iudicis sententiam, vt constat ex decreto *Trid.*

ART. VIII.

De impedimento disparis cultus.

1 NON est sermo de ijs, qui profitentur duas religiones, quarum vtraque falsa est; quanuis enim inter hos nequeat contrahi matrimonium, vt est sacramentum; quia carent baptismo, qui est ianua omnium sacramentorum; attamen inter eos potest dari verum, & validum matrimonium in ratione contractus; illa enim verba: *Crescite, et multiplicamini, et replete terram*; dicta sunt vniuersaliter omnibus gentibus; nec Deus, quando dedit legem scriptam *populo Hebraico*, prohibuit gentilibus, ne matrimonia contraherent; sed illis in remedium peccati matrimonium, quod procul dubio erat in lege naturæ, aliter hominis propagatio cessasset, concessit. Vnde gentiles se copulando in matrimonio legitimo peccato fornicationis non peccant. Quod fusè prob. 28. q. 1; et 2. præcipuè *c. si quis*; vbi dicitur in infidelium *baptismo crimina solui, non coniugia*; quod habetur etiam *de diuortijs c. quanto: Etsi inter infideles verum matrimonium existat; non tamen est ratum*; ex quibus clarè arguitur coniugia inter infideles contracta esse vera, & valida matrimonia; aliter cùm duo infideles coniugati veniunt ad fidem, deberent iterum contrahere, quod nemo dixit. Quod tandem ostenditur *ex ijs scripturæ locis*, vbi nominantur vxores gentilium, non enim fornicariæ appellantur, sed vxores; vt *Esther* 1; 3; *et* 6; *et Deut.* 5; *et* 14. Nec sermo est de fideli ad fidem conuerso, qui contraxit matrimonium cum infideli, dum erat in infidelitate; certum enim est coniugem conuersum ad fidem posse cohabitare cum vxore infideli, & ea matrimonialiter vti; dummodò *sit sine iniuria Creatoris*; imò sententia communior est non posse coniugem conuersum ad fidem dimittere vxorem infidelem, quoties illa sine iniuria Creatoris cohabitare consentit; sed solùm posse dimittere, & aliam ducere, quando illa non consentit cohabitare; quod colligitur *ex* 1. *Cor.* 7. *Si quis fratrem vxorem habet infidelem, et hæc consentit habitare cum illo; non dimittat illam etc. Quòd si infidelis discedit, discedat*: Quæ verba esse prohibentia, non consulentia asserunt *Tertull. lib. 2. ad vxorem; S. Hier. lib. 2. cont. Iouinian; et comm. ep. ad Ephes. in c. 6; S. Ambr; vel Auctor apud S. Ambr. in* 1. *Cor.* 7; *et alij*, & habetur etiam *de diuortijs c. quantò; et c. gaudemus.* Habitare autem cum iniuria Creatoris non est intelligendum solummodò de eo, qui Christum blasphemat, & ab eius lege coniugem studet eximere, sed etiam quando vult, vt flagitiosè viuat; tunc enim vult, vt viuat contra legis scriptæ præcepta, quod est maximè Creatori iniuriosum; vt docet *S. P. Aug. de fide, et operib. c.* 16.

c.16. Tunc ergo coniux fidelis potest matrimonium dissoluere, quod fieri censetur, quando aliud matrimonium cum fideli contrahitur. Quæritur ergo de eo, qui est fidelis, antequam matrimonium contrahat; an possit cum infideli contrahere? Infidelis autem duplex est; alius, qui vnquam fidem non habuit, vt gentilis, & *Hebræus*; alter, qui fidem habuit, & deseruit; vt est hæreticus; & de vtroque quæstio procedit.

2 Vnica concl. Matrimonium fidelis cum infideli non baptizato, & cum hæretico ritè baptizato ratione periculi est illicitum iure naturali, Diuino, & Ecclesiastico; at matrimonium fidelis cum infideli non baptizato est irritum tantùm iure Ecclesiastico, non iure naturali; matrimonium verò fidelis cum hæretico neutro iure irritum est, & aliquando licet.

Prob. 1. pars concl. Illud, quod est prohibitum lege naturali, Diuina, & Ecclesiastica, est illicitum iure naturali, Diuino, & Ecclesiastico; sed matrimonium fidelis cum infideli non baptizato, & hæretico prohibetur lege naturali, Diuina, & Ecclesiastica; ergo est illicitum iure naturali, Diuino, & Ecclesiastico. Ma patet; nam operari contra legis prohibitionem non licet; & quod non licet, illicitum est. Prob. 1. de iure naturali. Ius naturæ prohibet, ne amentur, & quærantur pericula salutis corporis, & animæ; vt habetur *Eccl. 3. Qui amat periculum, in illo peribit*, natura enim inclinat ad conseruationem esse, & illam præcipit; quapropter prohibet omnia illa, quæ possunt esse destruere; cùm autem periculum sit huiusmodi, ideo prohibet quodlibet periculum, in quo esse potest amitti, & si prohibet ea pericula, in quibus salus corporis potest deperdi; multò magis prohibet illa, in quibus salus animæ periclitatur; anima enim est corpore longè præstantior; sed matrimonium fidelis cum infideli importat periculum animæ, quia importat periculum subuersionis ipsius fidelis ex praua conuersatione infidelis; vt habetur *Eccl. 13. Qui tangit picem, inquinabitur ab ea; et 1. Cor. 15. Corrumpunt bonos mores colloquia praua*; ergo matrimonium fidelis cum infideli est prohibitum iure naturæ. Tum quia quanuis nullum esset periculum subuersionis coniugis fidelis, attamen periculum esset malæ educationis prolis, quam malè educari prohibet natura; malum enim exemplum patris subuerteret filios, qui ad exemplum patris solent componi; ergo idem. Prob. de iure Diuino. *Exod. 34; et Deut. 7.* prohibuit Deus populo suo, ne connubia misceret cum gentibus; *et 3. Reg. 11.* eandem prohibitionem repetens inquit Deus: *Certissimè auertent corda vestra, vt sequamini Deos alienos; et 1. Esdræ 9.* prohibiti sunt *Iudæi*, ne ducerent vxores *Chananæas*; quę prohibitio extendenda est etiam ad alias nationes idololatras; eadem enim est ratio peruersionis; dummodò tamen mulier infidelis non promitteret religionem *Iudæorum* suscipere; in hoc enim casu licitum erat matrimonium cum illa. In lege pariter noua est præceptum Diuinum *2. Cor. 6. Nolite iugum ducere cum infidelis* quod *D. Hier.* explicat de coniugio, quod dicitur à iugo ferendo à duobus; & *2. Cor. 7. Si dormierit vir eius, nubat tantùm in Domino*; idèst cum Christiano; vt exponunt *D. Hier. lib. 1. cont. Iouinian; S. Ambr. in hunc locum; et S. P. Aug. lib. de adulterinis coniugijs.* Ratio etiam est; nam ea, quæ pertinent ad mores, non censentur mutata per Christum Dominum, nisi aliqua certa lege sint reuocata. sed hoc pertinet ad mores, & nulla lege Diuina est reuocatum; ergo non fuit mutatum, sed adhuc perseuerat. Prob. de iure Ecclesiastico *ex 28. q. 1. per totam*; vbi prohibentur coniugia fidelis *cum paganis, Iudæis, et hæreticis, ex Conc. Illiberit. can. 15; et ex Arelaten. I. can. 11; et ex Nicæn. c. 53; 67. et 69; et ex Carthag. III. can. 12; et Chalcedon. art. 15. can. 14; et ex Tolet. III. can. 14; et IV. can. 61; et Tertull. lib. 2. ad vxorem, S. Cypr. serm. de lapsis, S. Ambr. ep. 70. ad Vigilium, S. Hier. lib. 1. cont. Iouinian; et S. P. Aug. de fide, et operib. c. 19.*

3 Dices. Tam in veteri, quàm in noua lege multa leguntur matrimonia fidelium cum infidelibus; nàm *Iacob* duxit *Rebeccam* filiam *Laban* ex populo idolorum cultore; *Ioseph Ægyptiam; Moyses Æthiopissam, Salmon Chananæam, Booz Ruth Moabitidem Salamon Ægyptiam* filiam *Pharaonis, Esther Assuerum; et sic Timotheus*, vt habetur *2. Tim. 1*; habuit matrem *Hebręam*, & patrem *gentilem*; *Sancta Mater Monica* accepit *Patricium* infidelem, quem conuertit ad fidem *teste S. P. Aug. lib. 9. confess. c. 9. Clotildis christiana* nupsit *Clodouæo ethnico*, quem pariter conuertit; imò *S. Hier. vbi sup; et S. P. Aug. de fide, et operib. vbi sup.* asserunt matrimonia fidelium cum infidelibus suo tempore fuisse frequentissima; sed hæc coniugia nequeunt dici iure naturæ illicita; aliter non fuissent permissa, sed punita; ergo matrimonium fidelis cum infideli non est illicitum iure naturæ, aut Diuino, à quibus iuribus dispensare nequit Ecclesia; ergo tantùm iure Ecclesiastico.

Resp. illicitum dupliciter dici. 1. Quod ita est essentialiter malum, vt nulla ratione possit fieri licitum, vt Deum blasphemare. 2. Quod aliqua ratione potest fieri licitum. potest enim vestiri aliqua circumstantia, qua licitum fiat, vt quanuis furari sit illicitum iure naturæ, attamen in extrema necessitate licitum est. Quando diximus hæc matrimonia esse illicita iure naturæ, locuti sumus in secundo sensu, non in primo. Prima ergo circumstantia, qua matrimonium potest fieri licitum, est, quòd coniux infidelis conuertatur ad fidem, vel sit spes conuersionis illius, vt factum est *in exemplis allatis*; tunc enim cessat periculum, quod cauere iubet natura.

Alte-

Altera circunstantia est extrema necessitas coniugum, vt fuit primis Ecclesiæ temporibus, quibus magna pars fidelium castitatem vouebant, & hoc etiam licitum reddebat tale coniugium. Dist. igitur mi. Hæc coniugia non fuerunt iure naturæ illicita ratione circunstantiæ excludentis periculum, conc; cum periculo coniuncta, neg.

4 Prob. 2. pars concl. *ab omnibus* ex consuetudine, & praxi totius Ecclesiæ, quæ, quanuis ab initio dispensauerit matrimonia fidelium cum infidelibus ob rationabiles causas, vt diximus, attamen modò illa reijcit, vt prorsus inualida, & hoc non *ex aliquo vniuersali statuto, aut canone*, quanuis enim plures referantur 28. *q.* 1; attamen illi eodem modo loquuntur de infidelibus non baptizatis, ac *de hereticis*; constat autem matrimonium fidelis *cum heretico* validum esse, vt mox dicemus, quanuis illicitum, ideo ex illis nequit deduci matrimonium fidelis cum infideli non baptizato inualidum esse. Itaque ex consuetudine Ecclesiæ sensim inducta asserunt *DD.* irritum esse matrimonium fidelis cum infideli. Verùm *Basil. c.* 47. *n.* 5; quem sequitur *Hiqueus*, docet legem Ecclesiasticam expresse contineri *can.* 67. *Conc. Nicen*; vbi mulierem, qui virum infidelem susceperat, ait debere pœnitentiam agere; *debetque ipsa infidelem relinquere*. In tantùm autem *Canones de hereticis* intelliguntur de separatione quoad thorum, non quoad vinculum; in quantùm *alij* hanc separationem tantùm declarant; nullus autem *Canon* insinuat fidelem ab infideli non baptizato esse solùm quoad thorum separandum; ideo non est eadem ratio. Tum quia sic esse intelligendum hanc canonem probat lex ciuilis *Theodosij, & Arcady l.* 5. *C. Theodosiano ad l. Iuliam de adulterijs*: *Neque christianam mulierem Iudeus accipiat; neque Iudea christiano in coniugium societur. Nam si quis aliquid huiusmodi admiserit, adulterij vicem commissi huius crimen obtinebit*. Quæ pœna statuta non fuisset, si matrimonium validum esset; nec copula inter eos *adulterium* vocari potuisset. Addi potest, quòd, cùm *alij canones* loquuntur de matrimonio *cum hereticis*, ferè semper asserunt eos esse separandos; *hic* autem *canon* statuit mulierem *fidelem debere infidelem relinquere*; mulier autem separata tantùm quoad thorum non relinquit virum, quia adhuc cum illo quoad vinculum vnitur. Relinquere namque importat propriè separationem omnimodam; sic enim anima dicitur relinquere corpus, cùm ei nullo modo vnitur; atque adeò *illo Canone* intelligitur irritari matrimonium. Neque obstat, quòd post *Conc. Nicen.* multæ sanctissimæ fœminæ copulatæ sint cum gentilibus, vt diximus *ex SS. Ecclesiæ DD. Aug; & Hier*; de quibus impium est dicere, quòd in fornicatione continua vitam egerint. Non obstat, inquam; nam cùm tunc temporis facultas dispensandi ab his legibus Ecclesiasticis esset penes Episcopos, vt *sup.* diximus; certò credendum est dispensationem petijsse, atque obtinuisse. Præterea certum est *illos Canones* non innotuisse *S. P. Aug*; nisi *in Aphricam* reuerso, vt diximus *to.* 4; & per consequens postquam eius mater iam erat defuncta. Legem autem inuincibiliter ignoratam non obligare compertissimum est. Sed consuetudinem vniuersalem, quæ est lex moribus introducta, sufficere ad irritandum nemo ambigit; sicut de alijs legibus constat.

5 Quòd autem matrimonium fidelis cum infideli non baptizato irritum non sit iure naturę, prob. Nam non est idem esse illicitum, vt diximus; baptismus enim ab hæretico collatus illicitus est, & tamen validus iuxta illud axioma: *Multa facta tenent, que fieri prohibentur*. Vbi non dicitur: *Cuncta facta tenent*, seu *valent*, quod idem est; sed *multa*; quibus innuitur multa illicita, quia prohibita, si fiant, valida esse; adeoque esse simul illicita, & valida; multa verò esse simul illicita, & inualida. Regula autem, quæ potest afferri ad cognoscenda illicita, & irrita; nec non illicita, & inualida, est. Quoties illa actio prohibita, seu factio destruit rationem primariam, & essentialem illius rei, quæ fit, vel illam mutat, tunc si fiat illicita est, ac inualida; quoties autem non destruit, nec mutat essentialiter rem, quæ fit, sed tantùm modum illam rectè faciendi, aut tollit aliquem effectum secundarium illius; tunc illicita, & valida est, v.g. Si quis baptizaret vino, ille baptismus esset illicitus, & inualidus; sed si baptizaret aqua sine ritu ab Ecclesia præscripto, esset illicitus, & validus. Sic qui cōtrahit matrimonium per ordinem ad copulam pacto occidendi filios illicitè, & inualidè contrahit; quia occidere filios destruit procreationem illorum, quæ est finis, ad quem ordinatur essentialiter, & primariò matrimonium contractum per ordinem ad copulam. Ita qui contraheret matrimonium ad castè viuendum animo non viuendi in societate coniugali; illicitè, & inualidè contraheret; in hoc enim consistit essentia matrimonij, quam propterea non intenderet, sed intenderet fornicationem. At si quis non intenderet bene educare filios; illicitum, & validum esset matrimonium; quia eius intentio non destrueret rationem essentialem, & primariam, sed tantùm secundariam matrimonij. Sed fidelis contrahens cum infideli non mutaret, aut destrueret rationem formalem, & primariam matrimonij; quia intenderet viuere in societate, procreare filios, & eos educare, quantùm est ex se; tantùm enim secundùm quid destrueret effectum secundarium, qui est sanctè educare ex parte coniugis infidelis; ergo tale matrimonium iure naturæ est quidem illicitum, sed validum; inualidum tamen iure Ecclesiastico.

6 Prob.

6 Prob. 4. pars; quòd *cum hæretico* matrimonium sit validum iure naturæ, & iure Ecclesiastico. Et quidem iure naturæ eadem ratio est, ac de infideli non baptizato; natura enim æqualiter respicit omnes eam habentes. Prob. de iure Ecclesiastico. 1. *De diuortijs c. quantò* dicitur, quòd inter fidelem, *& hæreticum* ratione baptismi est matrimonium ratum; sed matrimonium ratum est magis validum, quàm matrimonium legitimum, quod est inter infideles; ergo matrimonium fidelis *cum hæretico* est validum iure Ecclesiastico. 2. *De hæreticis in 6. c. decreuit*; vbi mulier catholica, quæ *hæretico* nupserat, in pœnam priuatur dote, non tamen separari præcipitur. 3. Accedit Ecclesiæ praxis, quam testantur *communiter DD.* 4. Si esset inualidum, colligeretur *ex illis canonibus*, quibus prohibetur; non enim est verisimile, quòd Ecclesia hoc omisisset. Nec obstat *canon 72. VI. Syn. in Trullo* statuens talia matrimonia esse irrita. Non obstat, inquam; nam *ex ep. Adriani Papæ ad Tharasium Archiep. Constantinop.* constat eum non approbasse, nisi ea, quæ spectant ad sacras imagines; vnde deceptus est *Gratian. dist. 17. c. sexta Syn.* asserens decretum illud esse *Adriani Papæ; cùm sit Tharasij*; vt docet *Basil.* Præterea obseruat *idem Basil.* posse concedi matrimonia fidelium *cum hæreticis* aliquando fuisse irrita, & in aliquibus Ecclesijs; cùm enim tunc potestas statuendi impedimenta esset pœnes Episcopos; credibile est, quòd aliqui ea irritauerint; quæ lex successu temporis in desuetudinem venit; & inceperunt valida esse. Addit *Conar. in illo canone* agi de catechumeno, qui à fide defecerat, & ideo quamuis aliqua ratione dici posset *hæreticus*; attamen quia non erat baptizatus, computandus est inter infideles non baptizatos.

7 Prob. tandem 5. pars ex dictis; nam multæ sanctæ fœminæ duxerunt infideles licitè, de quibus *sup.*; ergo aliquando licet à fortiori nubere *hæretico*; magis enim distat infidelis non baptizatus, quàm baptizatus; & sicut licitè potest contrahi aliquando cum illo; ita & cum isto. 2. *Conc. Carthag. III. can. 22.* statuit; *ne filij, vel filiæ Episcoporum, vel Clericorum matrimonio iungantur gentilibus, vel hæreticis, vel schismaticis; & Chalcedon. art. 15. can. 14.*; ne illi, qui deputati sunt clero, nubant *cum hæreticis*; ex quibus infert *Donellus apud Basil.* alios, qui nec filij sunt Episcoporum, aut clericorum, nec deputati sunt clero, potuisse licitè *cum hæreticis* matrimonia contrahere. 3. Vniuersalis praxis Ecclesiæ matrimonia *cum hæreticis* ducta pro validis haber, vt testantur *DD. communiter.*

8 Obijc. 1. *Gen. 24; 26; & 27.* prohibentur matrimonia *Hebræis* cum filiabus *Chanaam*, cum fœminis *Hethæis*; & *Gen. 34.* cùm *Sichem* postulasset *Dinam* in vxorem, responderunt fratres *Dinæ* non posse dare sororem incircuncifo; hoc enim *illicitum, & nefarium est*. Quòd præceptum habetur *Exod. 34; et Deut. 7; et 3. Reg. 11.* narratur, quòd *Salomon* peruersus est; quia duxit vxores alienigenas, de quibus dictum erat filijs *Israel*: *Certissimè auertent corda vestra, vt sequamini Deos eorum*. Quapropter 1. *Esdræ 9.* repetitur præceptum non contrahendi matrimonium cum illis; *et 2. Esdræ c. vlt. Nehemias* maledixit *Iudæis*, eosque morte puniuit; quia acceperunt vxores *Azotidas, Ammonitidas, et Moabitidas* propter periculum subuersionis; sed in matrimonijs *hæreticorum* est huiusmodi periculum; ergo non licent. 2. In lege noua 2. *Cor. 6.* præcipitur: *Nolite iugum ducere cum infidelibus*; quod *sup.* diximus intelligi de matrimonio; & quatuor rationes affert *Apost.* 1. *Quæ societas luci ad tenebras?* Ergo sicut lux, & tenebræ nequeunt in idem subiectum conuenire; ita fidelis, & infidelis nequeunt effici vna caro. 2. *Nulla est conuentio Christi ad Belial*; sed fidelis pertinet ad Christum, & infidelis *ad Belial*; ergo nequeunt conuenire inter se. 3. Fidelis cum infideli nullam habet partem, aut communicationem; quia cùm illo, vtporè excommunicato, non potest communicare; ergo non licet matrimonio coniungi; matrimonio enim coniuncti non communicare non possunt. 4. Templum Dei, vt est fidelis, nequit associari idolis, & templis Dæmonum, vt sunt *hæretici*. Tandem *Apost. 1. Cor. 7.* inquit: *Cui vult, nubat tantùm in Domino*; quod communiter explicatur cum christiano, vt *sup.* diximus.

Resp. ad 1. ea matrimonia illicita fuisse ob peruersos mores fœminarum, non ob infidelitatem; quamuis enim *Abraham, Isaac, & Rebecca* matrimonia cum filiabus *Heth* à suis filijs iniri noluerint; quia illæ moribus deprauatissimis erant; attamen quæsierunt fœminas *in finibus Mesopotamiæ* ex sua gente, quæ pariter erant idolorum cultrices; vt probat *Salian. to. 1. Annal. anno Mundi 2176. n. 7*; sed tamen earum mores ita deprauati non erant; vnde potiùs mali mores, quàm infidelitas, auerterunt ab illis coniugijs. Quamuis itaque aliqua matrimonia cum infidelibus illicita sint, quando nimis sunt plena periculis; non sequitur tamen, quòd cùm periculis sunt minùs obnoxia, licitè celebrari non queant. Ad filios *Iacob* dicitur eos dolosè locutos fuisse, vt in circuncisione occiderent *Sichem, & Hemor sauientes ob stuprum sororis*, vt *scriptura* testatur. Vel dicitur coniugia cum ipsis, qui perditissimi erant, fuisse prorsus illicita; quod nihil probat contra nos, qui asserimus coniugia *cum hæreticis* non semper, nec cum omnibus etiam perditissimis, sed tantùm aliquando licere. Ad 2. dicitur, quòd *Apost.* eodem modo loquitur de matrimonijs periculo obnoxijs, vt patet ex rationibus, quas subijcit. Quòd autem aliquando liceat cum infidelibus matrimonium contrahere, apertè docuerat

cuerat

cuerat 1.*Cor.*7. *Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam; et si qua mulier habet virum infidelem; et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum; sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem*. Quibus verbis ostendit, quòd cùm nullum adest periculum subuersionis, sed potiùs est spes conuersionis infidelis, licitum est matrimonium. Ad 3. dicitur loqui extra casum necessitatis; nam in casu necessitatis satis dixerat *in eod. c.* licitum esse fideles coniungi cum infidelibus. Eodem modo intelligendi sunt *SS. PP.* docentes matrimonia cum infidelibus esse cauenda ob pericula illis annexa; quanuis plurima licita fuisse, & suis temporibus contracta asseuerent, vt diximus *de SS. PP. Aug; et Hier.*

9 Obijc. 2. Matrimonia cum infidelibus contracta infelicissimum exitum habuerunt; vt constat *de Achab*, qui duxit *Iezabelem*; *de Ioram, et Ochozia* 4. *Reg.* 8, qui filias *Achab* duxerunt; & de pluribus alijs tempore euangelicæ legis; ergo signum est ea semper illicita fuisse. 2. Matrimonium *cum hæretico* sine peccato à fideli celebrari non potest; quia *hæreticus* matrimonium in peccato ministrat; & fidelis illius peccato cooperatur; tum quia *hæreticus* credit non esse sacramentum, adeoque illius effectu frustratur; & fidelis illi cooperatur; tum quia *hæreticus* putans matrimonium esse per repudium solubile nullum facit matrimonium; & fidelis exponit se periculo nullitatis; ergo contrahere matrimonium *cum hæretico* nunquam licet, nunquam enim licet peccatum.

Resp. ad 1; quòd licèt aliqua matrimonia infelicissimum exitum habuerint; alia tamen felicissimum fuerunt sortita; vt constat de matrimonio *S. Matris Monicæ*, *S. Clotildis*, *et aliarum SS. fœminarum*; vt *S. Ceciliæ etc*; quæ viros suos conuerterunt; vnde ab vno, aut pluribus casibus particularibus ad vniuersale non licet arguere. Ad 2. neg. ant; licèt enim *hæreticus* in peccato ministret; attamen non peccat fidelis actui cooperando; quoties ille potest illum actum sine peccato efficere, & solùm sua culpa, & malitia illum efficit peccaminosè; vt cùm quis in casu necessitatis petit sacramentum ab excommunicato, mutuum ab vsurario &c. Sufficit ergo, vt non peccet; quòd rectâ intentione contrahat; & putet etiam *hæreticum* contrahere cum intentione faciendi, quidquid facit vera Ecclesia; quanuis dubitet *hæreticus*, an hæc, vel illa sit vera Ecclesia.

10 Collig. 1. ex dictis causas, quibus aliquando licitum est matrimonium fidelis cum hæretico, esse. 1. Si hæreticus conuertatur ad fidem; habet *Nicæn. I. can.* 53; *Laodicen. can.* 31; *Chalcedon. art.* 15. *c.* 14; *et Agathen. sub Symacho can.* 67; *et S. P. Aug. ep.* 70. laudat *Bonifacium*, quòd vxorem duxit, quam voluit priùs catholicam fieri. 2. Quando est spes, aut promissio conuersionis; vt *ex Apost. vbi sup.* colligitur. 3. Quando nullum est periculum peruersionis; quod posse contingere asserunt *omnes DD. Azor; Sanch; Coninch; Basil; Nauar; Reginald; et alij*; *hæretici* enim intendunt præcipuè rerum temporalium administrationem, & parum curant de religione coniugis. Securitas autem, quam debet habere fidelis, ne in rebus religionis turbetur à marito infideli, sufficit, quæ ex promissione oritur iuramento firmata; iuramentum enim apud catholicos, *et hæreticos* in magna religione est; cùm nulla sit circa illud dissensio.

11 Sed petes, qualis cura prolis sufficiat, vt licitè matrimonium fiat fidelis *cum hæretico*?

Resp. curam filiorum habendam esse à parentibus colligi *ex Apost.* 1. *ad Tim.* 5. *Si quis suorum, et maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, et est infideli deterior*; nihil autem parentibus est magis suum, quàm filij, qui pars eorum sunt. Satisfacit ergo coniux fidelis, si paciscatur *cum hæretico*, vt permittat filios, & filias educari ab ipsa vsque ad pubertatis annos; imò etiansi hoc pactum non intercedat, si faciat, quòd potest, suasionibus, instructionibus, monitionibus, vt filij fidem catholicam suscipiant. Quòd si post pubertatem peruertantur, coniugi fideli non imputabitur. Reijcienda autem est ea doctrina, qua dicitur coniugem fidelem satisfacere; si pactum ineat, quòd filij apud patrem, & filiæ apud matrem remaneant. Quam doctrinam reijciunt *Basil; Azor, et alij*. Ratio est; nam tunc habent curam solùm aliquorum, non omnium filiorum. Quanuis ergo hoc pactum intercessisset; attamen nihil debent omittere, quod ad fidem etiam filios, qui sunt apud patrem, possit inducere.

12 Collig. 2. Papam posse dispensare, vt fidelis *cum hæretico* contrahat; & hanc dispensationem necessariò esse petendam; quæ tamen, nisi ob aliquam causam non debet concedi. Primum arguitur ex dictis; cùm enim matrimonium fidelis *cum hæretico* sit vetitum solo iure Ecclesiastico, in quo Papa dispensare potest; ideo potest etiam in hoc dispensare. Secundum etiam colligitur; nam quod prohibetur à lege, nunquam licitum est; nisi legislator dispenset. Tertium probabitur *in seq. art*; dispensatio enim causam requirit. Hæc autem causa *in præsenti* potest esse vel commune bonum, pax, & tranquillitas reipublicæ. Imò etiam commodum, & bonum priuatum alicuius familiæ (inquit *Basil. in append. c.* 8. *n.* 4.) si enim ad dispensandum in gradibus consanguinitatis, & affinitatis sufficit causa particularis, aut commodum priuatæ personæ; quare non

non etiam in casu? An autem petita dispensatione, & non obtenta, liceat matrimonium inire; *inf.* dicemus.

13 Collig. 3. formam celebrandi matrimonium fidelis *cum heretico* in ijs partibus, in quibus viget *Trid*; esse consensum coram parocho, & duobus, vel tribus testibus; vbi verò non viget, valere mutuum consensum etiam sine parocho, & testibus. Vt autem hoc matrimonium sit sacramentum, debere *hereticum* habere intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, quanuis de Ecclesia sentiat peruersè; vt diximus de baptismo collato *ab hereticis*, vel gentilibus; tunc enim matrimonium est verum sacramentum; & fidelis solus recipit gratiam, quia *hereticus* ei obicem ponit. At si *hereticus*, hoc non intendat; est verum matrimonium solùm in ratione contractus, non in ratione sacramenti. Nec audiendi sunt illi, qui aiunt esse sacramentum tantùm ex parte vnius; nam matrimonium hoc habet speciale inter sacramenta; quòd cùm sit contractus, essentialiter exigit fieri à duobus. Debet tamen fieri sine benedictionibus, seu *velationibus*, vt vocant; vt sine missa, & alijs, quæ *coram heretico* celebrari non possunt.

14 Collig. 4. *hereticum* putantem matrimonium esse solubile quoad vinculum ob fornicationem, vel ob aliam causam displicentiæ, vt dixerunt *Luther*; *& Bucer*; si contrahat cum hac intentione illud soluendi, matrimonium non efficere; ad rationem enim matrimonij requiritur intentio perpetuò viuendi cum coniuge; vt *cum Beatif. P. Aug. diximus q. 2. art. 5. à n. 17.* Si tamen intendat contrahere, sicut contrahi debet; idest iuxta intentionem Ecclesiæ Catholicæ, non iuxta suæ sectæ doctrinam, quanuis cogitet esse solubile, validum est; hic enim error est tantùm materialiter, & ex consequenti; ideo matrimonium non inficit.

Collig. 5. parochum assistentem matrimonio fidelis *cum heretico* non peccare. *Est cont. Serrar*; qui censet parochum cooperari peccato. Redarguitur tamen. 1. Quia parochus se habet tantùm, vt testis; ergo sicuti alij testes præsentes non peccant; ita nec parochus. 2. Etiamsi parochus celebraret sacramentum; adhuc tamen non peccaret; vt diximus de coniuge fideli; quia efficeret actum bonum, quem bene, & licitè potest facere etiam *hereticus*; ideo si licitè non facit, sua culpa, & malitia non facit; eique solùm imputatur peccatum. Idem dicendum de Episcopo, imò & de Papa concedente licentiam contrahendi *cum heretico*.

16 Quæres; an parochus saltem peccet communicando *cum heretico*, qui est excommunicatus?

Resp. *Basil.* negatiuè; quia parochus non ministrat sacramentum; & *heretici* non sunt denunciati, qui solùm sunt vitandi *extra Martini V. ad euitanda scandala*. Et quanuis denunciati sint, vtilitas, & necessitas excusat, vt diximus de coniugibus.

ART. IX.

An Papa possit in impedimentis dispensare?

1 Declarandum priùs, quid sit dispensatio, à quibus, & in quibus iuribus fieri possit; ex his enim clariùs resoluetur hæc difficultas, quæ procedit de impedimentis dirimentibus, & non dirimentibus.

§. 1.

De dispensationibus.

2 Dispensatio *est iuris relaxatio*, siue sit commune, siue municipale. Differt ab interpretatione legis, & à permissione. Primum patet ex eo, quòd Pontifex potest interpetrari legem naturalem, non autem in ea dispensare; secundum quia permissio non aufert peccatum, neque tollit obligationem; dispensatio autem tollit peccatum, & obligationem exequendi illam legem, in qua dispensat.

3 Pontifex nequit dispensare in præceptis iuris naturalis, & Diuini positiui, quorum obligatio nascitur independenter ab humano consensu, sed tantùm in illis, quæ obligant dependenter à consensu voluntatis humanæ, aut quæ habent fundamentum in iure naturali, licèt enim ab eo non præcipiantur, dicuntur tamen ad æquitatem naturalem accedere. Primum prob; nam illa, quæ obligant independenter ab humano consensu, vt non esse blasphemandum, mentiendum &c; absolutè præcipiuntur à Deo qui est supremus legislator; ergo in illis nequit dispensare Pontifex, qui est inferior Deo; inferior enim nequit dispensare in lege superioris; vt habetur *dist. 21. c. inferior; & Clementin. de electione ne Romani*. Tum quia communis consensus est præcepta naturalia esse simpliciter immutabilia. Secundum prob; nam illa, quæ obligant dependenter ab humano consensu, vt votum, iuramentum, matrimonium, & alij contractus, non obligant præcisè ex vi iuris Diuini, vel naturalis, sed etiam ex vi voluntatis humanæ consentientis, remoto autem consensu voluntatis humanæ tollitur obligatio; si enim voluntas humana non se obliget in voto, iuramento, vel contractu, nulla est obligatio exequendi votum, iuramentum, & contractum; sed Pontifex potest soluere obligationem prouenientem à voluntate humana, cùm ei sit data potestas soluendi, & ligandi quæcumque facta ab homine; vt habetur *Matth. 16*; ergo Pontifex potest in illis dispensare. Hoc tamen non est dispensare in iure naturali, sed tantùm relaxare obligationem, qua voluntas humana se obli-

obligauit. Ex quo sequitur Pontificem in illis impedimentis matrimonij, quæ iure naturali matrimonium dirimunt, ut est impedimentum impotentiæ in matrimonio contracto per ordinem ad copulam, dispensare non posse. Nec obstat *l. manumissionis, & l. ius ciuile ff. de iustitia, & iure*; vbi dicitur per ius gentium, & ius ciuile detractum fuisse iuri naturali; nam vt diximus *cum Fund. Doct. Æg. to. 4. de iustit. & iure*; ideo necessaria fuit lex positiua, quia lex naturalis præcipit rem faciendam, sed non præscribit modum, quo fieri debet; quapropter necessaria fuit lex positiua, quæ modum præscriberet, ideoque rectè dicitur: *Vbi terminat lex naturalis, ibi incipit ius positiuum*; & in hoc sensu intelligendæ sunt dictæ leges. Ex hoc etiam sequitur, quomodò Pontifex possit dispensare in residentia Episcopi, vel in translatione illius ab vna ad aliam Ecclesiam; quanuis enim residentia sit de iure Diuino, vt docet *Trid. sess. 23. c. 1*; attamen quia inter Episcopum, & Ecclesiam est spirituale coniugium; vt habetur *de translatione Episcop. c. inter corporalia*; *& 7. q. 1. c. sicut alterius vxor*, quod contractum est consensu Episcopi accedente, potest Papa tollere obligationem ortam ex tali consensu. Et quanuis in matrimonio carnali rato, & consummato dispensare non possit, quia illud Christus Dominus simpliciter indissolubile reddidit, eùm *Matth. 16.* declarauit potestatem dissoluendi matrimonium non esse in homine illis verbis: *Quod Deus coniunxit, homo non separet*; attamen hoc non est dicendum de matrimonio spirituali, de quo non est tale præceptum, imò ratio conuincit oppositum; vt enim arguit *Fund. Doct. Æg. de Renunc. Papæ c. 8. in fine*; in tantùm matrimonium carnale nequit dissolui, quia licèt ex ea dissolutione oriretur bonum priuatum, quatenus homo posset meliùs nubere, attamen enasceretur malum publicum; quia cùm homines sequantur potiùs concupiscentiam, quàm rationem, quærerent suas vxores sine causa dimittere, quod esset malum commune, & publicum; cùm autem ratio naturalis dictet tolerandum esse potiùs malum priuatum, quàm commune, ideo matrimonium carnale nunquam potest dissolui loquendo de matrimonio consummato, nam de rato non consũmato dicemus *inf.* At in matrimonio spirituali ex dissolutione oritur bonum publicum, & commune; nam ex eo, quòd Episcopus esset ineptus ad regendam suam Ecclesiam, si non posset ab illa dissolui, oriretur malum commune, scilicet perditio animarum; & sic si non posset transferri, quoties necessitas publica postulat, impediretur publicum bonum, & sequeretur malum commune. Idem dicendum de ijs, quæ accedunt ad naturalem æquitatem; dispensatio enim tantùm potest cadere in modo, qui à lege positiua præcipitur, non autem in lege naturali, quæ à Deo condita est. Eadem ratione prob. Papam non posse dispensare in lege Diuina positiua, quia est Deo inferior; ut habetur *25. q. 1. c. sunt quidam*; *c. contra statuta PP*; *& cap. omne quod*; *& dist. 14. c. fin*; ubi dicitur aliqua statuta *PP.* esse immutabilia, quia condita sunt à Christo Domino, & ex traditione accepta. Tum quia nulla esset ratio, cur Papa non posset mutare materiam, & formam sacramentorum, & omnia alia, quæ spectant ad fidem euangelicam, & quæ statuta sunt lege Diuina positiua, quod est fidem prorsus inuertere.

4 Remanet ergo esse in Ecclesia potestatem dispensandi in votis, & iuramentis, ut constat etiam ex Ecclesiæ usu perpetuo, quæ potestas fuit à Deo communicata, quia multùm expediebat saluti animarum, quæ ita aliquando voluntariè se ligant, ut durante ligamine salus periclitetur, ideo necesse fuit in Ecclesia esse potestatem illas soluendi. Multò magis est in Ecclesia potestas dispensandi in iure ecclesiastico; eius enim est relaxare leges, cuius est condere; vt habetur *d. st. 21. c. inferior*; & sicuti Princeps sæcularis potest in suis legibus dispensare, ita dicendum de Prælato Ecclesiastico. Hanc autem potestatem distingui à potestate ordinis arguit *Fund. Doct. vbi s. c. 24*; *& cont. Exempt. c. 25*; ex eo, quòd si eligeretur Papa, qui non esset Episcopus, haberet potestatem iurisdictionis, non ordinis, propterea deberet ab Episcopis ordinari. Potestatem dispensandi impediri, quando impeditur potestas iurisdictionis; vt excommunicatione publica, tradunt *DD. communiter*, & posse ferri tantùm in subditum; habetur *de maiorit; & obed. c. cum inferior.* Nomine autem *subditi* intelligitur nedum, qui habet fixum domicilium, sed etiam ille, qui pro notabili tempore commoratur in ditione dispensantis, imò etiam eum, qui peregrinatur; ut diximus *q. 2. art. 8. n. 11*; non tamen semper requiritur, quòd subditus sit à dispensante distinctus; vnde sicut Papa in legibus à se ipso latis potest cum se ipso dispensare; ita dicendum de Episcopo, ex quo fit Papam posse dispensare *in toto iure canonico*, & in legibus *cuiuscunque Concilij generalis*; est enim superior *Concilio*, & si *Concilium* Papam includat, potest dispensare, quia Princeps potest dispensare in legibus latis ab habente æqualem auctoritatem in eadem sede. Sic Episcopus in legibus synodi diecœsanæ, & Capitulum vacante sede, quod succedit Episcopo in iurisdictione; & Archiepiscopum in synodo prouinciali, non autem in legibus latis à suffraganeis, quia in eorum causis est iudex solùm per appellationem; vt habetur *de offic. iud. ordin. c. pastoralis*; *& de pœnit; & remiss. c. nostro.* Quantùm autem ad dispensationem in pœnis potest Episcopus dispensare in pœnis inflictis clerico propter adulterium, & alia crimina minora post pœnitentiam peractam, & per consequens post latam sententiam; nnn enim sine causa potest iudex

iudex ante sententiam minuere pœnas statutas à lege; ita habetur *de iudicijs c. at si clerici*.

5 Vota reseruata Summo Pontifici *ex const. Sixt. IV. & si Dominici* sunt quinque, scilicet *votum castitatis, religionis, peregrinationis ad Terram Sanctam, ad S. Iacobum Compostellæ, ad SS. Apostolos Petrum, & Paulum in Vrbe*, in quibus nequit Episcopus dispensare; in alijs tamen potest. At in illis, in quibus interuenit aliqua promissio facta alicui tertio, à quo talis promissio fuit acceptata, neque Episcopus, neque Papa potest dispensare; quia interuenit damnum tertij, qui priuatur dominio rei promissæ; ideo non ratione voti, sed ratione promissionis, ex qua consurgit obligatio iustitiæ, dispensare non potest. Tres casus assignantur *à DD*; in quibus potest Episcopus dispensare in votis Papæ reseruatis. 1. Quando est difficilis aditus ad Papam; & imminet periculum ingens salutis spiritualis; quæ duo debent simul concurrere; nam si sit difficilis aditus, & periculum non immineat, tunc nequit dispensare; quidquid dicant *aliqui de Episcopis Belgij*, nisi tamen consuetudo inualuerit, quæ censetur virtualis concessio Pontificis. 2. Quando huiusmodi vota fuerint conditionalia; vt *ingrediar religionem, si ab hac infirmitate conualuero*. Ita docent *Couar; Med; noster Aragon, Sanch; & alij. Basil.* tamen *in hoc lib. 8. c. 9. n. 7. cum Nauar; Sua; & Azor.* ait oppositam sententiam esse veriorem; quia conditionata impleta conditione transeunt in absoluta; vt docet *communis sententia*. 3. Quando est dubium morale de validitate voti; aut quando est dubium, an illud votum sit reseruatum, vel non; nam cùm reseruatio sit odiosa, est tantùm ad casus certos restringenda. Quando autem delegatur potestas dispensandi in votis absolutè, & simpliciter, non intelligitur concessa potestas dispensandi in votis reseruatis, sed debent specialiter exprimi *de pœnit. & remiss. in 6. c. si Episcopus*, vbi dicitur, quòd sub generali concessione non veniunt sine expressione casus reseruati, *& de reg. iuris in 6. regul. 81; & extra com. de pœnitent; & remiss. etsi Dominici 2.* Si tamen excipiatur aliquod votum reseruatum v. g. religionis, intelligitur concessa potestas dispensandi in alijs reseruatis, *quia exceptio firmat regulam in contrarium*; vt habetur *de coniugio leprosorum c. 2. Ita Basil. c. 10*; apud quem *Sua; & Sanch*; qui addunt talem potestatem se extendere ad vota ante, & post talem concessionem emissa. Ex quo sequitur, quòd habens potestatem dispensandi in votis, potest etiam illa commutare in minùs bonum; quidquid dicant *Nauarr; & Sanch*; nam vt arguunt *Basil; Sua; & Les.* qui potest omnino tollere obligationem, potest etiam relaxare partem obligationis. Idem dicitur de dispensatione in iuramentis; nam quidquid dicat *Tabienna*; quoties votum est reseruatum Papæ, etiam iuramentum, quo firmatur tale votum, est Papæ reseruatum; vt docent *Caiet; Sot; Sua; & Basil. c. 11*; iuramentum enim tolli non potest, nisi tollatur votum, supra quod fundatur, & cuius naturam sequitur; sed votum nequit tolli, nisi à Papa; ergo nec iuramentum.

6 Dispensatio duplex est; alia expressa, quæ fit per verba *dispenso, indulgeo &c*; vbi nota quòd si dispensatio sit particularis, exprimenda est persona, ad quam dirigitur, vel à concedente, vel à petente dispensationem; alia est tacita, quæ quibusdam exterioribus signis significatur, vt cùm quis vidente, sciente, & tacente Prælato efficit aliquem actum, quem sine dispensatione nequit efficere; sicut enim tacitè censetur concedi iurisdictio, & potestas administrandi sacramentum pœnitentiæ ei, qui in præsentia Prælati videntis, & tacentis illud administrat; ita à pari. Neque obstat, quòd obijcit *Sua.* oppositum tenens, scilicet actionem ministrandi sacramentum pœnitentiæ non esse simpliciter prohibitam, sed solùm dependere à voluntate superioris, vt fiat. Non obstat inquam; falsum namque est non esse simpliciter prohibitum ministrare sacramentum pœnitentiæ sine iurisdictione; eodem enim modo prohibitum est vnum, & aliud, vt constat. Aliud signum est, cùm Prælatus conscius impedimenti præcipit actum, qui sine dispensatione fieri non potest.

7 Ad dispensationem requiritur iusta causa; vt habetur *1. q. 7. c. quod pro remedio; & c. necessaria; & Trid. sess. 23. de reform. cap. 18; & sess. 24. c. 5; & l. relegati de pœnis §. nisi Imperatori*. Valida tamen est, etiamsi sine causa detur; quia Princeps legem constituit, & ideo potest in ea merè arbitrariè dispensare. Causa autem iusta vel est utilitas publica, vel priuata; vt necessitas, pietas, scandalum; & alia, quæ referuntur *1. q. 7. c. necessaria; & c. requisitis; & dist. 34. c. fraternitatis*; & valde respicienda est dignitas personæ; vt ait *Trid. sess. 24. c. 5.* Nulla autem redditur dispensatio, quando causa exprimitur falsa, vel causa exprimenda tacetur defectu consensus dispensantis; qui non dispensaret, si vera causa exprimeretur, vel si non supponeretur falsa pro vera *c. super literis de rescriptis*; & hoc verificatur, siue rescriptum sit gratiæ, siue iustitiæ; ut patet *ibid. c. 2*; tunc enim dispensatio dicitur subreptitia, & obreptitia. Quando autem petitur secunda dispensatio super eandem rem, mentio facienda est primæ dispensationis iam obtentæ, quando casus est à iure expressus *de præscriptionib. c. penult*; & quando mentio prioris dispensationis necessaria est, vt dispensans sciat impedimentum, quod tollit; & gratiæ qualitatem, quam concedit. Quando autem plura concurrunt impedimenta impedientia vnum, & eundem effectum; tunc si petatur dispensatio tantùm ab vno, dispensatio est nulla. Secus si illa impedimenta respiciant diuer-

uersos effectus; tunc enim potest peti dispensatio ab vno, non ab alio. *Ita communiter omnes DD.* Ideo in dispensatione matrimonij explicanda sunt omnia impedimenta, quæ illud impediunt; vt si quis pluribus gradibus consanguinitatis, vel affinitatis aliquam fœminam contingit, v. g. cùm quis cognouit duas consanguineas vel illicitè, vel licitè ex dispensatione, illos duos gradus debet explicare; sunt enim duo vincula; & ablato vno remanet aliud, quod sufficit ad irritandum matrimonium. Non tamen explicandus est numerus actuum, quibus ille copulatus fuit; quia illi non contrahunt, neque augent gradum affinitatis. Si tamen post dispensationem iterum coiret; contraheretur nouum vinculum, quia primum per dispensationem fuerat sublatum. Item *iuxta constitutionem Pij V.* explicandus est gradus remotior, & propinquior; cùm gradus sunt inæquales; vt in secundo, & tertio; aliter dispensatio non tenet. Si autem concurrant publica honestas orta ex matrimonio rato, & affinitas ex matrimonio consummato, sufficit explicare affinitatem, quia in ista illa concluditur, ut docent *Basil. & Sanch.* At si petens dispensationem errat in gradu, distinguendum est; nam uel errat ponendo gradum superiorem, u. g. si petat in secundo, & sit tantùm in tertio; dispensatio ualet per regulam: *Si de quo magis, & de quo minùs*; non autem è contra. An autem explicanda sit copula carnalis, affirmat *Sanch*; sed negat *Basil. in hoc cap.* 17. §. 6; quia explicatio copulæ faciliorem redderet dispensationem; ideo illam tacere non dat causam dispensationi; & per consequens non est necessariò explicanda. Si causa sit falsa, dispensatio est subreptitia, & nulla; si verò causa sit vera, quanuis probetur testibus falsis, dispensatio est valida, & si plures causæ adducantur, quarum una est vera, & ex consuetudine sufficit ad impetrandam dispensationem, licèt alia sit falsa; valet dispensatio; adducitur enim causa vera sufficiens. Quanuis facultas personalis dispensandi facta alicui tantùm personæ determinatæ expiret intercedente morte personæ, cui talis facultas est concessa; attamen facultas realis non expirat; vnde quanuis dispensatio impedimenti dirigatur ad Episcopum, & ille sit mortuus, Capitulum tamen, quod in iurisdictione illi succedit, vt diximus, potest dispensare. Si tamen quis renunciet expresse, vel tacitè facultati dispensandi, cessat dispensatio; at recipiens dispensationem, & ea non vtens est actu dispensatus; vt cùm quis dispensatur, vt matrimonium contrahat cum affine, quanuis matrimonium non contrahat, est dispensatus. Non tamen cessat intercedente morte concedentis; etiansi sit facta per ordinem ad particularem personam; hoc enim discrimen est inter literas iustitiæ, & gratiæ; quòd illæ, non istæ, expirant intercedente morte concedentis; vt habetur *de offici. & potest. iud. deleg. c. gratum, & cap. relatum, & alijs.* At nulli dubium est dispensationem cessare; si concedens eam reuocet, antequam executioni mandetur. Item si cesset causa, ob quam fuit concessa; vt cùm petijt aliqua fœmina defectu dotis dispensationem contrahendi matrimoniū cum consanguineo; & Pontifex facultatem dispensandi ordinario concessit; ordinarius verò nondum dispensauit; si interim ei dos assignetur, tunc cessat dispensatio; *ablata* enim *causa aufertur effectus.* At si Ordinarius dispensauit; & ille, cum quo est dispensatum, adhuc executioni dispensationem non mandauit, si tunc tollatur causa, dispensationem valere censet *Basil. cum Glos. in reg. argumentum de regul. iuris in 6. cont. Sanch*; tunc enim censetur dispensatio suum effectum habuisse; aliter sequeretur, quòd dispensatus in voto castitatis, vt uxorem ducat; si postcà nolit nubere, maneret iterum voto castitatis ligatus; quod est *communiter* falsum. Item cessat dispensatio per eius vsum; nisi materia, supra quam cadit dispensatio, sit ex sua natura iterabilis; & expressè non restringatur à concedente tantùm ad illum casum; vt si quis dispensetur ab affinitate ad contrahendum matrimonium; si antequam nubat, aliam affinitatem contrahat cum fœmina, quam ducere debet, noua indiget dispensatione. At si quis dispensetur absolutè in voto castitatis, vt possit matrimonium contrahere; tunc mortua prima vxore potest aliam ducere sine noua dispensatione, quia per primam dispensationem ablatum fuit pœnitus impedimentum. Si tamen dispensatio concedatur per ordinem ad primum matrimonium tantùm; alia dispensatio necessaria est ad contrahendum secundum matrimonium. Item dicitur, cùm quis dispensatur per ordinem ad habendam prolem; quòd habita prole, & mortua prima vxore sine noua dispensatione nequit alteram ducere. Quanuis potestas dispensandi generaliter alicui delegata sine expressione personarum fauorabilis sit, & latè interpretanda; vt docent *Iurista communiter de iudicijs c. at si clerici §. de adulterijs; & de simonia c. vlt; & l. Gallia §. & quòd sit tantùm ff. de liber; & posthumis; et l. 2. ff. de verbor obligationib*; & tunc tantùm censeatur odiosa, & restringenda, quando conceditur supplicanti ad eligendam personam, quæ cum ipso dispenset; attamen ipsa actualis dispensatio est strictè interpretanda; est enim odiosa, cùm sit *relaxatio iuris*; vt *de filijs præsbiteror. in 6. c. 1.* Nisi tamen Princeps proprio motu dispenset ex gratia, & libertate; tunc enim est latè interpretanda. *de prebendis in 6. c. si motu proprio.* Non est tamen ita strictè interpretanda, vt propria verborum significatio non seruetur; & ad ea, quæ sunt necessariò connexa, non extendatur; aliter dispensatio ipsa tolleretur. Ex eo, quòd dispensatio committa-

tur: *Discreto viro confessori Theologiæ Magistro, vel decretorum Doctori*; arguitur, quòd dispensandus non possit eligere Doctorem in iure ciuili tantùm, aut lectorem in Theologia non Magistrum, quamuis idoneum; *ita de rescript. in 6. c. statutum*. Ex eo autem, quòd addatur: *Ab ordinario approbato*; arguitur, quòd absolutio conferenda sit in sacramento pœnitentiæ, non in foro externo; alitet non esset necessaria ordinarij approbatio; vt docet *Basil. cont. Sanch; et Salas*. Ex eo, quòd addatur: *Ob periculum incontinentiæ; quia continenter viuere non sperat*; debet dispensans examinare, non quidem, an stimulis carnis qualitercunque vexetur; sed an talibus oppugnetur, vt probabile sit, quòd sit frequenter lapsurus; & præstito ab ipso dispensando iuramento, quòd res ita se habeat, vt vult *Basil*. Deinde ex eo, quod additur: *Iniuncta ei pœnitentia salutari*; colligitur, quòd pœnitentia debet esse discreta; & debet esse vltra pœnitentiã, quæ peccatis imponitur; adeoque debent imponi opera supererogationis. Item ex eo, quod additur: *dummodò impedimentum occultum sit*; est intelligendum eo modo, quo intelligit *Trid. sess. 24. c. 6*; scilicet quod ad forum contentiosum deductum non est. Tandem quod additur: *Hæ literæ dilanientur facta dispensatione; et si oratori traditæ fuerint, nihil ei prosint*; intelligitur in foro externo; vt optimè notat *Basil*. De legitimatione autem prolis in foro conscientiæ, *inf.* dicemus. Causæ autem, quibus solet dispensatio in matrimonijs concedi, sunt. 1. Extinctio magnæ litis. 2. Augustia loci, ob quam inter æquales matrimonium contrahi nequit. 3. Defectus dotis, seu fœminæ paupertas, ob quam alium virum non inueniret. 4. Conseruatio diuitiarum in eadem familia. 5. Conseruatio familiæ. 6. Sanguinis qualitas &c.

§. 2.

An solus Papa possit, in impedimentis matrimonij, & in matrimonio rato non consummato dispensare?

8 De impedimentis tantùm prohibentibus iam diximus solum Papam posse dispensare in voto; & in sponsalibus, exceptis casibus necessitatis: de alijs autem impedimentis prohibentibus cessasse consuetudinem dispensationem petendi. Difficultas igitur ad sola impedimenta dirimentia reducitur.

9 Vnica concl. Solus Papa dispensare potest in impedimentis, exceptis quibusdam casibus necessitatis, in quibus dispensare possunt etiam Episcopi. Probabilius tamen est Papam dispensare non posse in matrimonio rato, & non consummato; quamuis illud possit ob defectum alicuius circunstantiæ nullum declarare.

Prob. 1. pars, quæ communis est. In ijs, quæ sunt statuta *in Concilijs generalibus*; vel vniuersali consuetudine seruantur in tota Ecclesia, solus Papa potest dispensare; nisi *Concilia* ea explicitè referuent Episcopis; nam solus Papa est super *Concilia*, & supra totam Ecclesiã; sed impedimenta matrimonium dirimentia sunt huiusmodi, vt constat *ex Trid. vbi s. c. 5; & canonibus sup.* allatis; ergo in impedimentis matrimonium dirimentibus solus Papa potest dispensare. Excipiuntur tamen casus, de quibus diximus *n. 5; & alibi*; vt si sit difficilis aditus ad Papam; qui casus intelligendus est, dummodò impedimentum sit occultum; aliter eos separare nullum esset scandalum; & matrimonium debet esse bona fide contractum; cùm enim Episcopus dispenset ex præsumpta licentia consensus Papæ; & cùm Papa nullo modo esset dispensaturus, si tale matrimonium esset mala fide contractũ; vt habet *Trid. sess. 24. c. 5*; vbi ait spe dispensationis debere tales carere; ideo nec Episcopus potest dispensare. Item si contrahens sit proximus morti; vel debet restaurare honorem, vel auertere magnum malum discordiæ, inimicitiæ &c; quod malum moram non admittit. De impedimentis autem, quæ veniunt post matrimonium validè contractum; vt affinitas ex copula fornicaria, quæ impedit petitionem debiti; docet *Basil. hic c. 13.* standum esse consuetudini Ecclesiarum; ideo si in aliqua diecæsi est consuetudo, quòd Episcopus dispenset ab impedimento petendi debitum, potest dispensare; quia per talem consuetudinem acquisiuit ius dispensandi; si autem non adsit talis consuetudo, recurrendum est ad Papam. Idem docet omnino de dispensatione in cognatione spirituali.

10 Quoad 2. partem est magna dissensio *inter DD*; quamuis enim *omnes* conueniant Papam dispensare non posse potestate humana, qua dispensat in alijs impedimentis; attamen *aliqui* asserunt id posse facere potestate Diuina à Christo Domino ei relicta. *Ita D. Antonin; & ferè omnes Canonistæ, Caiet; Bellarm; Henriq; Nauar; Hurt; Rebell; Bonac; Auersa, Caspen; Layman, Sanch; & Mastr. q. 6. art. 3*; vbi trahit *Scotum* in hanc sententiam. *Alij* verò tutiùs negant. *Ita D. Bon; Scot*; vt refert *Card. de Laurea*, qui testatur hanc esse communem *omnium Scotistarum* sententiam excepto *Mastr*; qui posteriùs scripsit; *Maior, Paludan; Almain; Victoria, vterque Sot; Martin. de Ledesma, Vera Crux, Corduba, Valent; Lopes, Alex. de Neuo; Panormit. in c. ex parte de conuers. coniugat*; licèt oppositum aliàs docuerit: *Turrecrem. in c. sunt, qui dicunt 27. q. 2. art. 3. n. 5; Tabienna, Couar; & alij apud Basil. lib. 9. n. 3; & apud Sanch. lib. 6. disp. 14. n. 2.* In hanc sententiam propendet *Fund. Doct. Æg. lib. cont. Exemptos c. 23.* afferens illud *1. Cor. 7. Qui matrimonio iuncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus vxorem à viro non discedere*; quibus verbis ostendit matrimonium ratum esse iure Diuino indissolubile; *& c. seq.*

ait

ait Papam dispensare non posse in ijs, quæ sunt iuris naturalis, & Diuini. Sequuntur *nostri Basil. vbi s.* qui solidissimè, & subtilissimè suo more probat; *Petr. de Aragon. 2.2.q. 18. art. 11; & omnes alij ex nostra schola; ac alij Theologi communissimè*; quibus potiùs standum est, quàm *Canonistis*, in hac materia, quæ ad forū animę spectare videtur. Itaque.

11 Nota quòd aliud est posse Pontificem ob defectum alicuius circunstantiæ antecedenter ad matrimonium exactæ declarare nullum primum matrimonium, quod dicitur ratum, & non consummatum; & sic efficere, vt secundum matrimonium validum existat, non primum; aliud verò, quòd valido iudicato primo matrimonio possit dispensare, vt contrahatur secundum. De primo nulla est difficultas; & credendum est, quòd Pontifices qui declararunt secundum matrimonium valere, & dispensarunt in primo, id fecisse; quia irritum primum putarunt. In secundo sensu procedit difficultas.

12 Et prob. 1. *ex Alex. III. in append. Lat. p. 6. c. 8; & c. 17; & c. 18; & c. 22;* vbi statuitur, quòd ille, qui matrimonium contraxerat, sed non consummauerat, contrahens secundum matrimonium etiam secuta copula est separandus à secunda vxore, & cogendus ad primum; *& ex Innoc. III. de conuers. coniugat. c. ex parte* habetur, quòd matrimonium ratum *nisi ex Diuina reuelatione* in nullo casu potest dissolui; quo conuictus *Panormit.* ait Papam non posse matrimoniū ratum dissoluere. *His textibus* arguit *Basil.* Sed addamus alium *ex eod. Innoc. de diuortijs c. quantò*; vbi assignans rationem, cur inter infideles sit verum, non tamen ratum matrimonium; inter fideles autem sit verum, & ratum inquit; *Inter fideles verum, & ratum existit; quia sacramentum fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur; imo ratum efficit coniugij sacramentum, vt ipsum in coniugibus illo durante perduret.* Ex quo sic. Quoties vnum est ratio formalis, ob quam aliud durat in esse; tunc nisi ablato primo nequit tolli secundum; vel saltem nisi impediatur primum, ne efficiat secundum in esse durare; vt per se notum est; sed baptismus est ratio formalis, ob quam matrimonium ratum efficitur, & durat in esse; vt habetur *in textu*; ergo nisi ablato baptismo tolli nequit matrimonium; vel saltem baptismo impedito, ne ratum, & durans in esse efficiat matrimonium. Atqui Pontifex nequit tollere à baptizato baptismum; quia character est simpliciter indelebilis; neque potest impedire effectus baptismi, sicut nequit impedire effectus aliorum sacramentorum, ergo Pontifex nequit efficere, vt matrimonium ratum non duret; sed illo durante non valet secundum; esset enim proligamia; ergo nequit dispensare in matrimonio rato non consummato. 2. Vel hæc potestas dispensandi in matrimonio rato à Christo Domino Papæ relicta fuit concessa cuilibet Papæ; vel solùm aliquibus? Non primum; quia aliqui Papæ protestati sunt se eam non habere; sed necessariam esse *reuelationem specialem*, quæ fit alicui Papæ, non omnibus; reuelatio enim, quæ fit omnibus, est vniuersalis, non specialis, vt constat; ideo si omnes Papæ hanc potestatem haberent, reuelata esset vniuersaliter omnibus; aliter ea vti non possent; & ideo ad nihil inseruiret; si autem omnibus esset reuelata, malè diceret *Innoc.* necessariam esse reuelationem specialem, sine qua Papa in matrimonio rato dispensare non potest. Si secundum; ergo absolutè verùm est dicere, quòd Papæ præcisa reuelatione speciali non fuit à Christo Domino concessa potestas dispensandi in matrimonio rato; quod nos tantùm contendimus. 3. Si Papæ concessa fuisset hæc potestas, vel haberetur *ex scriptura*, vel ex traditione, vel ex consuetudine? Secundum, & tertium dici non possunt; nam *Alex. Innoc. & alij* non potuissent illam negare; tum quia *à SS. PP. & DD. antiquis* scripta fuisset; ex illis enim, vt plurimùm, colliguntur traditiones, & consuetudines Ecclesiæ. Non primum; nam *ex scriptura* potiùs oppositum colligitur; habetur enim *Matth. 16. Quod Deus coniunxit, homo non separet; & 1. Cor. 7. Præcipio, non ego, sed Dominus vxorem à viro non discedere*; vnde *ex scriptura* constat matrimonium ratum non esse dispensandum, & hoc esse ex præcepto Domini. Ex his duplex sumitur ratio. Prima. Quoties aliquod prohibitum est à Deo cuilibet homini; tunc in eo nequit Papa dispensare; quia non constat illum habere hanc potestatem; & in subiecta materia ideo matrimoniu m ratum per ingressum religionis dissoluitur, quia constat ex traditione; vt *sup.* diximus; sed dispensare in matrimonio rato est à Deo prohibitū cuilibet; illa enim propositio indefinita: *Quod Deus coniunxit, homo non separet*; æquiualet huic *nullus homo separet*; est enim in materia necessaria; & aliunde non habetur *ex scriptura* posse Papam dispensare; nec ex traditione; maior enim pars *Theologorum* illam negat; ergo idem. Secunda. Est axioma receptum communiter; quòd Papa nequit dispensare in Diuinis præceptis; quia Papa est Deo inferior, cùm sit Vicarius illius; vt arguit *Fund. Doct. Æg. vbi s.* sed matrimonium ratum esse indissolubile est præceptum Diuinum; ergo est doctrina communiter admissa, quòd Papa nequit dispensare in matrimonio rato non consummato. 3. Si hæc potestas fuisset Papæ concessa, fuisset *ab Apost.* scripta; nulla enim est ratio, cur *Apost.* scripserit potestatem dissoluēdi matrimoniū infideliū, quādo alter venit ad fidē: *Si discedit, discedat*; & nō debuerit describere potestatē dissoluendi matrimoniū ratū fideliū; vel saltem esset tradita, sicut diximus de ingressu in religionem; ergo idem. 4. Si Papa posset matrimonium ratum dirimere, vt aliud contrahatur; posset à fortiori illud dirimere,

vt

vt vir ad sacerdotium, & episcopatum ascendat; hic enim est status perfectior statu coniugali; sed Papam non habere hanc potestatem est communis doctrina *omnium Canonistarum, & Theologorum*; ergo neque istam coguntur concedere. 5. Si Papa posset dissoluere matrimoniū ratum, posset etiam dirimere consummatum; copula enim non spectat ad essentiam matrimonij, vt diximus, sed est effectus illius, & quid consequens ad illud, qui autē potest in causam, potest etiam in effectum, vt patet; sed nequit dissoluere matrimonium consummatum; ergo neque ratum. 6. Si propter aliquam grauissimam causam debuisset Christus Dominus relinquere Papæ potestatem dissoluendi matrimonium ratum; vt propter magnas discordias, bella, Regnorum subuersiones, & rebelliones à fide catholica; aliter non prouidisset sufficienter Ecclesiæ, quia non dedisset ei potestatem ad hæc euitauda; vt arguunt *Aduersarij*; sed hæc ratio militat etiam in matrimonio consummato; vt constat *de Regno Angliæ*; quod causa dissolutionis matrimonij consummati *inter Henricum VIII; & Catharinam* fidem amisit; ergo hæc ratio nulla est. 7. Papæ non est relicta potestas irritandi sacramenta validè celebrata, vt constat de alijs sacramentis; & quanuis habeat potestatem statuendi aliquam circunstantiam circa contractū matrimonialem, sine qua in futurum matrimonia contrahenda sint irrita; attamen non habet potestatem declarandi matrimonia antecedenter contracta iuxta leges illius temporis irrita, & nulla; quapropter *Trid.* statuens matrimonia contrahenda esse coram parocho, & testibus, sine quibus illa irrita declarat; declarat tamen matrimonia anteà contracta sine hac circunstantia non fuisse irrita, & nulla; sed matrimonium ratum est verum sacramentum validè celebratum; aliter non esset verum, & ratum; ergo Papæ non est relicta potestas illud irritandi.

13 Aliæ autem causæ, quæ adducuntur à *Sanch*; vt conditionis disparitas; quia matrimonia debent esse suauia, & inter æquales; & grauis timor scandali, rixarum, & occisionum; & timor fornicationis; odium viri implacabile, lepra, impotentia superueniens; & mutuus coniugum consensus; & cetera huiusmodi reijciuntur *à Canonistis*, vt constat *ex Fagnano de conuersione coniugat. in c. ex parte; & à Basil. ex Innoc. vbis.* & si essent sufficientes ad dissoluendum matrimonium ratum, etiam ad dirimendum consummatum sufficerent.

14 Obijc. Multi Pontifices præter casum religionis dissoluerunt matrimonia rata; vt *de Martino IV; & Eug. IV. refert. D. Antonin; & Caiet.* id testatur *de Paulo III; Nauar. de Pio V; & Henriq. de Greg. XIII*; ergo hæc potestas non est deneganda; magnum enim scandalum esset in Ecclesia.

Resp. vel illos Summos Pontifices ex speciali reuelatione dispensasse; nam Spiritus Sanctus eis assistit etiam in particularibus casibus; vt testatur *idem Greg. XIII. in quodam Breui* circa declarationem Conceptionis immaculatæ; & etiam innuit *Innoc. III. vbis.* Vel illos declarasse nullum primum matrimonium defectu alicuius conditionis antecedenter exactę; credibile enim est; quòd qui petierunt irritari, etiam causas nullitatis adduxerint. Cum his stat Papæ iure ordinario non competere hanc potestatem, sed solùm ex dispensatione Dei illi specialiter reuelata.

15 Quæres; an Papa saltem habeat potestatem dissoluendi matrimonia consummata infidelium?

Resp. *Basil. lib. 9. c. 2.* negatiuè *cont. Nauarr; & Sanch*; nam vel vterque manet in statu infidelitatis, & sic ad eos, quia sunt extra Ecclesiam, non extenditur Papæ potestas. Vel vterque conuertitur ad fidem; & sic per baptismum matrimonium ante consummatum fit ratum, & indissolubile; vt habetur *c. quanto.* Vel alter tantùm conuertitur; & infidelis vult cohabitare sine Creatoris iniuria; & tunc nequeunt separari; vt *Cor. 7. Si consentit habitare cum eo, non discedat, & 28. q. 2. c. si quis; & Tribur. c. 39.* referens *Syn. Roman.* inquit: *In baptismo soluuntur crimina, non tamen legitima coniugia.* Ratio est. Quia coniugium de iure naturæ est indissolubile; ergo nequit dissolui à Papa, qui non est super ius naturæ. Si autem infidelis nolit cohabitare, solutum est matrimonium potestate Diuina.

A R T. X.

De diuortio.

1 QVoniam omnia, quæ de diuortio occurrunt dicenda, *in scripturis, & sacris canonibus* sunt definita; ideo nulla grauis *inter Catholicos* est controuersia; solùm *contra hæreticos* est duplex quæstio; & vtraque facilis solutionis; propter quod omnia in vno articulo restringere duximus.

2 Diuortium, vt à repudio distinguitur, definitur *coniugum separatio saluo vinculo coniugali facta.* Hæc autem separatio alia est quoad thorum, seu concubitum tantùm; alia quoad thorum, & habitationem; & vtraque alia est quoad tempus, vt in ijs; qui reconciliantur, & denuo vniuntur; alia perpetua, vt cùm religionem ingrediuntur.

3 Prima controuersia *cum hæreticis* est de causis diuortij; quanuis enim *cum Catholicis* conueniant fornicationem, seu adulterium esse causam diuortij; vt habetur *Matth. 5; & 19;* attamen negant propter alias causas fieri posse. *Catholici* autem *cum Trid. sess. 24. can. 8.* fatentur etiam ob alias causas fieri posse; quæ generatim reducuntur ad duas; scilicet continentia perpetua;

petua; vt cùm pari consensu vterque religionem ingreditur; vel votum castitatis emittit; & hæc causa habetur *Matth.* 19. *Qui reliquerit domum, aut matrem, aut vxorem &c. propter nomen meum, centuplum accipiet &c*; vbi expressè sermo est de dimissione vxoris, non propter fornicationem, sed propter nomen Dei; quod fit, vt Deo seruiatur liberiùs, vt docet *Apost. & omnes SS. PP. communiter locis cit. art.* 2; ex quo conuincuntur falsitatis *heretici* asserentes nullam aliam omnino esse causam diuortij præter fornicationem. Alia causa est crimen; quod diuiditur in fornicationem, qua frangitur fides coniugi iurata; ob quod coniux potest ei debitum licitè negare; & in crimen, quod opponitur cohabitationi, vel animæ saluti, vel sanctæ filiorum educationi, vt sunt impietas viri, crudelitas, apostasia, hæresis, latrocinium, sacrilegium, & similia; vt habetur *extra de diuortijs c.* 2; *& alijs; & 28. q. 1. c. idolatria; & de restitut. spoliator. c. literas; & c. ex transmissa, & S. P. Aug. lib. de fide, & operib. c.* 16. Nomine autem fornicationis significatur quicunque coitus illicitus etiã contra naturam, & bestialis; vt habetur 32. *q.* 4. *c. meretrices ex S. P. Aug; & q.* 7. *c. non solùm ex S. Isidoro; & S. Hier. ep.* 147. *ad Amandum*; & est *sententia communis*. Not. tamen, quòd ob crimina, quæ non sunt contra salutem corporis, & animæ alterius coniugis, diuortium fieri nequit; vnde nisi coniux velit vxorem, vel filios cooperari latrocinijs, sacrilegijs &c; fieri nequit diuortium. Hoc autem discrimen est inter has duas causas; quòd diuortium factum ob fornicationem potest esse perpetuum; vnde quanuis adulter vellet coniugi innocenti reconciliari, potest innocens exceptis quibusdam casibus, de quibus *infra* renuere. At in alijs criminibus coniuge correcto tenetur vniri; vt habetur *extra de diuortijs c. de illa*. Excipitur tamen hæresis *ibid.* propter versutiam, quæ *hereticis* propria est. Si tamen esset verè conuersus teneri in conscientiæ foro illam recipere docet *Estius dist.* 35. §. 4. Ratio autem, cur Christus Dominus assignauerit solam fornicationem esse causam diuortij, duplex est. Prima; quia sola fornicatio est causa perpetua diuortij; alia autem crimina sunt causa tantùm ad tempus, vt diximus. Secunda; quia sola fornicatio est causa propria dissoluens matrimonium quoad thorum; alia autem crimina dissoluunt etiam alias societates, quæ non sunt matrimoniales.

4 Separatio autem debet fieri per iudicis sententiam, vt statuit *Con. Nic. c.* 51; quod tamen intelligendum esse, quando adulterium non est publicum, vt probat *Basil. c.* 18. *ex c. significasti de diuortijs*; vbi dicitur eum, qui non expectato Ecclesiæ iudicio ob adulterium notorium vxorem dimisit, non esse cogendum ad eam recipiendam. At si adulterium non est notorium, vxor nequit dimitti. *Ita idem Basil.* referens *S. Thos. S. Bon; Ricard; Turrecrem. in c. saeculares* 33. *q.* 2. *ex Conc. Carthag; & Agathen. c.* 2; vbi excommunicantur, qui dimittunt vxores, antequam in iudicio adulterium examinetur, & probetur; quidquid dicant *Sot; Paludan. Panormit; & Sanch.* Ex hoc sequitur coniugem innocentem non posse religionem intrare absque consensu nocentis ante iudicis sententiam, quia pro eo tunc non est factum diuortium; posse tamen post sententiam etiam inuito, & inconsulto coniuge nocente; quia tunc remanet liber ad illam recipiendam. Coniux tamen nocens hoc non potest inuito, & inconsulto innocente etiam post iudicis sententiam; quia sententia lata est in fauorem innocentis; vt si velit cohabitare, sit in eius arbitrio; vnde si nocens velit religionem ingredi, tenetur licentiam petere ab innocente. Idem dicendum de voto seruandi castitatem in sęculo; tenet enim, si fiat ab innocente inuito, & inconsulto nocente; non autem si fiat à nocente.

5 Quanuis innocens non sit cogendus ad faciendum diuortium, aliquando tamen tenetur; & aliquando non tenetur illud facere, sed potiùs obligatur illud non facere vel ex iustitia, vel ex charitate. Ratio primi est; quia quando ex eo, quòd non fit diuortium, oritur scandalum publicum, quòd cęnseatur virum consentire adulterio, & vxorem prostituere, tunc tenetur scandalum adimere, & vxorem perseuerare volentẽ in adulterio dimittere. Ita habetur 32. *q.* 1. *c. apud misericordẽ; & c. sicut; & c. dixit Dominus; & c. in coniugio; & c. si quis* 1; *&* 2; *& de adult; & stupro c. si vir sciens.* Ratio secundi est. 1. Si vir innocens velit transire ad ordines sacros, vel ad religionem, tunc nequit ampliùs cum vxore copulari, & ideo tenetur illam dimittere. 2. Si sit conscius, quòd non poterit continere, & aliunde potest vxorem ab adulterio impedire. 3. Si etiam ipse adulterium commisit. 4. Si ipse vir vxorem prostituit. 5. Si vxor sine sua culpa adulterium commisit; vt cùm putans cum marito coire copulata est cum altero; ut habetur 34. *q.* 2. *c. in lectum* 6; tunc enim non est adulterium formale, sed tantùm materiale. 6. Si post adulterium se reconciliauit, vel illam post adulterium cognouit; censetur enim illi pepercisse, & reconciliatum fuisse. 7. Si sit periculum, quòd mulier incidat in desperationem, & in laqueum Diaboli, vel quòd se prostituat; tunc enim lege charitatis tenetur animæ eius subuenire; vt docet *S. P. Aug. lib. de adulter. coniug. c.* 6; *&* 9; *& lib.* 1. *Retract. c.* 19. Tandem si occultum sit crimen, & non possit in iudicio probari.

6 Secunda controuersia *cum hereticis* est de dissolutione vinculi; putarunt enim facto diuortio saltem innocenti licere aliam vxorem ducere; cui fauere visi sunt *Caiet. in Matth.* 19; *& Cathar. in lib.* 5. *annot. in Comment. Caiet; & Erasmus sup.*

*sup.*1.*Cor.*7.*Heretici* tamen *recentes*, quibus adhærit *Erasmus* teste *Estio dist.*35. §.1o. laxiùs senfere; dixerunt enim nedum innocenti hoc licere, sed etiam nocenti; imò nedum ob fornicationem, & alias causas assignatas, sed etiam propter molestam cohabitationem, & affectatam coniugis absentiam licere diuortium facere, & aliud matrimonium inire. Quod ex peruersa interpretatione, ut semper solent, *illius textus Matt.* 19. *Quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mæchatur*, conantur deducere; inquiunt enim illum mæchari, qui aliam ducit ob aliud motiuum, quod non est fornicatio; ergo qui aliam ducir ob fornicationem, non mæchatur; hæc enim est natura exceptionis, ut diuersa sit ratio illius, quod excipitur, ab eo, à quo excipitur; vt cùm dicitur: *Qui peccauerit, & pænitentiam non egerit, damnabitur*; rectè infertur; quòd *qui peccauerit, & pænitentiam egerit, non damnabitur*.

7 Sed contra est. 1.Quia *SS. PP. communiter, & Concilia* allatam expositionem reijciunt; vt *Iustin. Martyr*; *Clem. Alex. lib.* 2. *Stromat*; *Tertull. lib.*4.*cont. Marcion*; *Orig. hom.*7.*in Matth.*19; *S.Basil. regul. morali* 75.*c.* 2; *S.Ambr. in Luc.*16; *S.Hier. in epitaph. Fabiolæ ad Oceani & ep. ad Amandum*; *S.Io.Chrisost. hom.*17. *in Matth.*5; *S.P.Aug. lib. de adulterin. coniug. ferè per totum*; & *præcipuè c.*1; 5; 9; & 24; & *de bono coniug. c.*7; 21; & 22; & *de nupt. & concup. c.*10; & *lib.*1. *de serm. Domini in monte c.*26; *et hom.*47. *inter* 50, *et de fide, et operib. c.*19; *et de S.Virginit. c.*25; *et tract.*9. *in Io; et sæpissime alibi*; *et Innoc.I. ep.*3. *ad Exuper. c.* 6, *et Alex. III. extra de spons. et matrimonijs c. ex parte*; *et Innoc. III. extra de diuortijs c. gaudemus; et c. quanto*; *vbi Alex. III. c. quasiuit; c significasti*; *et c. ex literis. Conc. Elibertin. can.* 9; *Mileuit. can.* 17; *Syn. Anglicana sub Theodoro can.* 10. *apud Bedam lib.*4. *hist. Anglor. c.*5; *Foroiulien. can.* 10; *Flor. in decr. vnion*; *et Trid. sess.*24. *can.* 7. asserunt mæchari quemcunque dimittentem vxorem suam, quacunque ex causa illam dimittat, & ducentem aliam uxorem; ergo allata *Hæreticorum* expositio tãquam opposita communi sensui totius Ecclesiæ, vt hæretica, & peruersa, est habenda. Sensus igitur *illius textus*, inquit *S.P.Aug. de adulterin. coniug. c.*9; est; *Quicunque dimiserit uxorem suam*; quod non licet, nisi ob fornicationem; & aliam duxerit, *Mæchatur*; *& qui dimissam duxerit, mæchatur*, quod intelligendum est de dimissione perpetua, ut sup. diximus; & ratio est; quia Christus Dominus tunc voluit repudium auferre; vt constat ex illis verbis: *Erunt duo in carne vna*; *et ab initio non fuit sic*; idest non fuit datus libellus repudij, quod fecit *Moyses* tantùm *ad duritiem cordis Iudæorum*; quapropter subdit: *Dico autem vobis etc.* Quibus verbis manifestè significar se abstulisse repudium, & reduxisse matrimonium ad eum modũ, in quo primitus fuit, antequam repudium institueretur *à Moyse*; ergo necessariò intelligendus est *ille textus* de mæchia etiam respectu illius, qui mæcham ducit, & illius, qui mæcha dimissa aliam ducit; & consequenter illa verba: *Nisi ob fornicationem*; referenda esse ad dimissionem perpetuam, quæ non licet, nisi ob fornicationem. Consonant huic explicationi alij Euangelistæ; nam *Marc.* 10. habetur generaliter: *Quicumque dimiserit vxorem suam, et aliam duxerit, adulterium cõmittit super eam; et Luc.*16. *Qui dimittit vxorem suam, et aliam ducit, mæchatur; et qui dimissam à viro ducit, mæchatur*; vbi nulla exceptio fornicationis fit; *et Rom.* 7; *ac* 1. *Cor.* 7. habetur mulierem non liberari à lege viri, nisi per mortem ipsius viri; si autem dimissa per fornicationem posset alteri nubere, liberaretur à viro etiam viro viuente, quod expressè contradicit *Apostolo*. Idem habetur *Cor. ibid. Quòd si discesserit, manere innuptam. Aliæ rationes allatæ sunt q.*2.*art.*3.

8 Instant *Hæretici* hæc esse expendenda *iuxta Matth.*19, vbi habetur fornicationis exceptio. Sed resp. *S.P.Aug. de adulterin. coniug. c.*9. Euangelium uniuersaliter loqui: *Omnis, qui dimittit Luc.*16., ergo non est eius locutio restringenda; implicat enim in terminis vniuersale, vt tale, restringi. Item est exponenda iuxta expositionem totius Ecclesię, quæ, ut vidimus, vniuersaliter exponit de omnibus. *Cur autem*, inquit *S.P.Aug. ibid. interposuit Dominus causam fornicationis, et non potiùs generaliter ait: Quicunque dimiserit vxorem suam, et aliam duxerit, mæchatur etc. Credo, quia illud, quod maius est, hoc Dominus commemorare voluit*; non autem quòd aliæ non sint causæ diuortij.

9 Objiciunt *vlteriùs. D. Ambr. in Com.* 1. *Cor.* 7. ait, quòd licet viro dimissa vxore aliam ducere; non autem licet mulieri. 2. *S. Leo ep.* 87. *ad Episc. Aphrica c.*1. sacerdotem, qui uxore dimissa alteram duxerat, tantùm ab ordine remouet, tanquam bigamum, non autem ait nullum esse secundum matrimonium. 3. *Apud Gratian.*32.*q.*7. *c. quædam* habetur: *Quædam cum fratre viri sui dormiuit, decretum est, vt adulteri nunquam coniugio copulentur; illi verò, cuius vxor stuprata est, licita coniugia non negentur*. 4. Lex Christi neminem cogit esse cælibem; ergo diuortio seiuncti possunt aliud matrimonium contrahere.

Resp. ad 1. illud *comm. in ep. D.Pauli* non esse *D.Ambr.*; sed *cuiusdam Hilarij Diaconi Luciferiani*, cuius meminit *D.Hier. in dialogo*; *nam D.Ambr. vbi*, oppositum docet; & styli diuersitas hoc apertè conuincit; ut optimè notat *Estius*, qui testatur hunc esse communem sensum *omnium eruditorum*. Ad 2. dicitur *S. Leonem* loqui de vxore dimissa, & mortua, quem tanquam bigamum remouet ab ordine. Ad 3. dicitur incestuosis prohiberi coniugium mortua vxore; vt *sup.* diximus; innocenti verò mor-

mortua vxore non prohiberi secundum coniugium. Ad 4. dicitur legem Dei neminem cogere absolutè ad cœlibatum seruandum; sed supposito, quòd promiserit aliam vxorem vsque ad mortem primæ non tangere, cogere ad seruanda promissa.

10 Replic. *Nemo sine culpa potest iure suo priuari*; ergo innocens nequit priuari iure, quod habet se copulandi.

Resp. *Innoc. III. de diuortijs c. gaudemus*; quòd nemo potest priuari sine culpa absolutè, conc; casualiter, neg; vt cùm vir morbo abscinditur, ipse, & eius vxor priuantur vsu coniugij sine culpa. Vel dicitur, quòd nemo potest suo iure priuari, nisi aliter promiserit; in casu autem vir promisit se non habiturum aliam vxorem usque ad mortem primæ; ideo ipse sua se promissione priuauit.

QVÆST. IV.

De effectibus matrimonij.

Effectus matrimonij præcipuus est potestas, seu dominium mutuum, quod habet vnus coniux in alterum; Extenditur autem hæc potestas nedum ad corpus, sed etiam ad voluntatem. Actus primarius, quo extenditur ad corpus, est vsus coniugij, seu copula coniugalis, quæ importat ius petendi, & debitum reddendi. Actus autem, quo extenditur ad voluntatem, est, quo potest alterius vota irritare. Alter effectus est legitimatio prolis; & alter communio bonorum, honoris, & fori. De his tandem superest agendum.

ART. I.

An, & quomodò actus coniugalis sit licitus?

1 Hæresis fuit *Manichæorum* nuptias esse malas, & omnem concubitum coniugalem esse fornicationem; vt refert *S.P. Aug. lib. 1. cont. Felic. Manichæum c. 7. & 12, & omnibus alijs in libris*, quos scripsit contra hos hæreticos, quorum hæresim euulsit radicitus.

2 Dogma ergo fidei est vsum coniugij secundùm se esse moraliter bonum, honestum, & licitum, vt potè institutum, & præceptum à Deo non semel *in scripturis* ad propagandum genus humanum. Solùm dissensio est *inter Catholicos*; an, & quomodò aliquando vitietur? Conueniunt omnes. 1. esse licitum, quando fit ex intentione generandi; per ordinem enim ad hunc finem institutum est à Deo matrimonium. 2. Quando debitum redditur; tenetur enim ex iustitia reddere; vt habet *Apost. 1. Cor. 7. Vxori vir debitum reddat; similiter, & vxor viro*. 3. Nunquam esse peccatum mortale, quando coniuges copulantur ad inuicem naturaliter, siue id fiat ad euitandam fornicationem, siue voluptatis gratia. Dubium tantummodò est de peccato veniali; quando coeunt ob finem solius fornicationis vitandæ, aut voluptatis capiendæ absque vlla intentione generandi, vt cùm mulieri iam prægnanti vir copulatur. Negant esse peccatum veniale *Almain; Nauar; Rebell; Coninch; Hurt; Auersa, Caspens; Mastr; & noster Basil. c. 8.* qui id sentiunt etiam de vsu coniugij per ordinem ad recuperandam, vel conseruandam corporis sanitatem. Affirmant tamen *Mag., D. Tho. in suppl. q. 49. art. 1; Petr. Sot; Mair; Estius dist. 31. §. 7; & Basil. lib. 1. c. 21. n. 7.* fatetur rarò esse talem actum sine peccato veniali propter vehementiã voluptatis, quæ rationem absorbet; quod etiam asserit *Brancat.* Hanc sententiam sequuntur aliqualiter *Sanch; Azor; & alij Theolog. ac Summistæ quàmplures.* præcipuè post definitionem *Innoc. XI.*; *vt inf.*

3 Vnica concl. Vsus coniugij secundùm se, vt ordinatus ad procreationem filiorum, est simpliciter licitus, honestus, & bonus moraliter; ratione tamen finis præcisè voluptatis capiendæ, fornicationis vitandæ, & sanitatis seruandæ, vel recuperandæ est venialiter illicitus, & malus moraliter.

Prob. 1. pars. Quod est præceptum à Deo, est licitum, honestum, & bonum; sicut enim Deus, quia summè iustus est, nequit, nisi iusta præcipere; ita quia summè bonus est, non potest, nisi bona iubere; aliter nec esset summè iustus, nec summè bonus; quia magis iustus, & bonus esset, qui nedum iniusta, & mala facere non posset, sed nec mala præcipere; sed vsus coniugij præceptus est à Deo nedum in statu innocentiæ, cùm matrimonium instituit, sed etiam post diluuium, cùm dixit: *Crescite, & multiplicamini*; quod nequit esse, nisi per vsum coniugij, ut constat; ergo vsus coniugij est licitus, honestus, & bonus moraliter. Idem argumentum ducitur ex iure naturæ, quæ nequit malum morale indicere, & tamen in coniugij vsum inclinat. 2. Euertitur præcipuum *Aduersariorum* motiuum. Si vsus coniugij esset venialiter malus, maximè, quia cum eo coniungitur libido, & voluptas carnalis expletur; sed hæc ratio nul-

ia est; ergo nec id, quod ex ea deducitur. Prob. mi. Elicere actum à natura præceptum, cui annexa est libido, non consentiendo libidini, sed intendendo actum præcisè, vt à Deo præceptum, non est malum moraliter; malum enim non est, nisi voluntarium, & per consensum liberum, vt constat; tunc namque eliciens talem actum obsequitur Deo præcipienti, non libidini impellenti, cui resistit, illam patiendo, vt pœnam originalis peccati; non illa fruendo, vt bono delectabili à se concupito; hoc autem peccatum non esse docet *Trid. sess. 5. in decr. de pecc. originali ex S. P. Aug. in suppl. cont. Iul. lib. 4. c. 69; & seqq; & lib. 4. cont. eundem Iul. c. 2; & lib. 5. c. 10; & pluries alibi*; in hoc enim distinguitur actio à Deo præcepta, cui coniunctum est malum, quod est pœna peccati, non peccatum; ab actione non præcepta, cui coniunctum est malum; quòd illa ita fit, vt si non esset præcepta, non fieret; hæc autem fit, etiamsi præcepta non sit; atque adeò in hanc consentimus vel formaliter, cùm illud malum intendimus; vel saltem virtualiter, cùm possimus ab illa abstinere, nullum enim vrget præceptum. At illam faciendo nec formaliter, nec virtualiter intendimus malum, aut consentimus; quia si præceptum non esset, quod præcisè exequi intendimus, nullo modo illam eliceremus, nec malum ei coniunctum exequeremur; sed parentes se copulando præcisè, vt generent, Dei præceptum adimplent; nec consentiunt libidini adiunctæ, quam potiùs patiuntur, vt pœnam; & illam non exequerentur, si non esset generandi præceptum; ergo parentes tunc nec venialiter peccant, sed à libidinis peccato excusantur, tanquam à malo necessario, quod vellent, & nequeunt auertere. 3. *Apost. Hebr. 13.* inquit: *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus.* Illud est immaculatum, quod est sine omni peccato, vt patet; sed vsus coniugij, qui in thoro exercetur, est immaculatus *ex Apost.*; ergo est sine omni peccato.

4 Dices. 1. *Siric. ep. ad Himenum Ep̃i. Tarraconen.* afferens illud *Apost. Qui in carne sunt, Deo placere non possunt*; illud accommodat nuptijs; & deinde matrimonium vocat *pollutionem*. 2. *Et Orig. hom. 6. in Numer*; & refertur *32. q. 2. c. connubia*, ait in actu coniugali non adesse præsentiam Spiritus Sancti. 3. *S. Hier. lib. 1. cont. Iouinian.* vsum coniugij vocat *turpitudinem, & immunditiam*. 4. *S. Greg. ep. ad Augustinum Anglor. Episc*; *& habetur 33. q. 4. c. vir cum propria*, asserit virum, qui cum propria vxore dormierit, aquæ lauacro purificari debere, & ab ingressu Ecclesiæ paululum debere abstinere. 5. *Ps. 50. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*; quod de vsu coniugij dictum esse nemo potest ambigere. 6. *Apost. 1. Cor. 7.* loquens de actu coniugij inquit: *Hoc autem dico secundum veniam*; venia autem est solùm de malo.

Resp. hæc omnia procedere de actu coniugij ex intentione satiandæ libidinis, & capiendæ voluptatis; non autem ex pura intentione procreandæ prolis cum resistentia ad libidinem facto. Ad 1. dicitur *Siricium* loqui de matrimonijs prohibitis, & illicitis; loquitur enim de matrimonijs pœnitentium, quibus erant matrimonia prohibita; & ideo ab illis contracta solius explendæ libidinis causa. Ad 2. dicitur *Orig. ibid.* expressè docere, quòd *connubia legitima carent quidem peccatis*; sed tantùm negare non adesse præsentiam Spiritus S. per ordinem ad prophetiam, etiamsi coniux propheta sit; sed non negare per ordinem ad gratiam actualem. Ad 3. dicitur vocari turpitudinem ob libidinem annexam; sine illa tamen esse honestum. Ad 4. eodem modo loquitur *S. Greg*; præcipit tamen aqua purificari, quia vt plurimùm libidine deturpantur. Ad 5. sermonem esse de peccato originali, in quo paruuli concipiuntur; non de peccato parentum, qui innocentes, si ob solum finem generandi, copulantur. Ad 6. dicitur *Apost.* loqui de ijs, qui copulantur ob frenandam libidinem, vt statim dicemus.

5 Prob. 2. pars 1. *Ex Tob. 8. Tu scis, quia non luxuriæ causa, sed sola posteritatis dilectione &c.* Illud, quod in actu per se honesto reprobatur in judicio Diuino, est illicitum, & damnabile venialiter; non enim Deus damnat, nisi malum moraliter; sed coire luxuriæ causæ reprobatur in judicio Diuino; aliter frustra illud *Tobias* adduceret; ergo coire luxuriæ causa est illicitum, & damnabile venialiter. Ideo adducit solam copulam factam ob amorem posteritatis, scilicet ob finem filios gignendi; quia hæc sola, vtpotè innocua, à Deo nequit reprobari, puniri, aut damnari. 2. *Apost. vbi s. Reuertimini in idipsum, ne tentet vos Sathanas, propter incontinentiam vestram: Hoc autem dico secundùm indulgentiam* (vel vt *alij* legunt) *secundùm veniam*. Hoc *textu* nil clariùs potest inquiri; arguitur enim sic. Illud, quod conceditur secundùm indulgentiam, seu secundùm veniam, est venialiter illicitum; vt docet *S. P. Aug. lib. de pecc. orig. c. 38.* asserens: *Euidenter dum tribuit veniam, denotat culpam*; nec audiendi sunt *Aduersarij* dicentes *veniam dare*, seu *indulgere hic* significare idem, ac concedere tanquam minus bonum omisso maiori bono; si namque hæc inepta expositio locum posset habere, *Apostolus* etiam ipsas nuptias, quæ sunt minus bonum, quàm virginitas, secundùm veniam concederet; quas tamen bonas esse, & sine peccato declarat; ideo venia, seu indulgentia *hic* necessariò est accipienda, vt illam accipit *S. P. Aug*; quem secuti sunt *S. Greg. lib. 32. mor. c. 17*; *& in respons. ad Aug. Anglor. Episc. interrogat. 10; & curæ pastoralis p. 3. admonit. 28*; *S. Fulgent. ep. 1. c. 3; & 4; & de fide ad Petr. c. 2.* Idem docuerant *S. Chrisost. hom. 22. in Gen*; *S. Hier. lib. 1.*

cant.

cont. Iouinian; et in apolog. contra eundem relata *32. q. 4. c. origo; et alij SS. PP;* ex quibus conuincitur expositionem *Aduersariorum*, tanquam alienam à *SS. PP.* doctrina, esse explodendam. Sed actus coniugalis factus ex libidine ad euitandam fornicationem *ab Apost.* conceditur secundùm indulgentiam, seu secundùm veniam; vt constat *ex textu*; ergo est venialiter illicitus. Idem docet *S. P. Aug. lib. de bono coniug. c. 6; 7; et 17; et hom. 50. c. 7; serm. 63. de diuersis c. 13; lib. 9. de Gen. ad lit. c. 7; 8; et 10; et lib. 2. de consensu Euangelist. c. 2; et lib. 1. de nupt; et concupisc. c. 4; 8; 12; et 14; et lib. de bono viduit. c. 4; et lib. 5. cont. Iul. c. 7; et 8; et in suppl. cont. eundem Iul. lib. 1. c. 68; et 70; et in seqq. sæpissimè, et continuò. 3. Innoc. XI inter 65. proposit.* damnauit hanc, quæ in ordine est 9. *Opus coniugij ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, ac defectu veniali*. Arguitur autem. Obsequi voluptati inordinatæ etiam in actu licito est peccatum veniale; est enim opus bonum malè factum, vt docet continuò *S. P. Aug;* seu aliquod ordinatum inordinatè actum; peccatum autem veniale nihil aliud est, quàm quædam inordinatio modi, quo fit actus bonus, vt constat; sed vtens copula coniugali ad frenandam libidinem, vel ad capiendam voluptatem carnalem obsequitur voluptati inordinatæ in actu coniugij, qui est licitus; quia illam satiat ponendo effectum, ad quem ipsa inclinat; ergo est venialiter malus. Tum quia primariò intendere finem secundarium est inordinatè agere; ordo enim postulat, vt primarium præponatur secundario; & priùs intendatur, quàm secundarius; & secundarius non intendatur, nisi ratione primarij; ergo quamuis intendens procreationem filiorum, quæ est finis primarius matrimonij instituti per ordinem ad copulam, & ratione ipsius intendens voluptatem consequentem subordinatè ad ipsam intentionem prolis generandæ non peccet; quia seruat ordinem à Deo in natura statutum, & ideo ordinatè agit; attamen qui solam voluptatem intendit ad euitandam fornicationem; quia agit contra ordinem in natura à Deo descriptum, inordinatè agit, & venialiter peccat; ille enim actus caret ordinatione ad finem primarium, ad quem à Deo est institutus; & ideo est inordinatus, & malus venialiter. Ex quo sequitur etiam eum, qui intendit procreationem filiorum, & simul voluptatem carnalem, si principaliùs intendat voluptatem, & illa magis delectetur, quàm intendat, & delectetur de procreatione filiorum, inordinatè agit, & venialiter peccat; quia finem primarium postponit secundario; & tunc dicitur, quòd voluptas absorbeat rationem, quia sic delectatur de voluptate, vt etiamsi finis primarius non esset intentus; adhuc ob solam voluptatem talem actum eliceret; voluptas autem sic intenta, illicita est, quia inordinata. Voluptas ergo licita, & honesta est, quæ non intenditur ratione sui primariò, & formaliter; sed tantùm virtualiter ratione finis primarij, cui annexa est carnalis voluptas. Vnde distinguenda est concupiscentia naturalis, quæ à Deo producta est, & bona est; & habet ordinatè delectari de obiecto carnali; & huius actus non est peccatum, nec veniale; & concupiscentia carnis, de qua loquitur *Apost;* seu libido, quæ ad malum morale inclinat, & pugnat aduersus spiritum, & hæc non à Deo, sed *ex patre Diabolo est;* quia orta est ex peccato *Adæ* commisso hortante Diabolo, & hæc nihil aliud est, quàm motus inordinatus insurgens in membris repugnans rationi, vt docet *Apost;* & huic si resistatur, mala non est; si autem ad actum deducatur, malus eius actus est; vt fusè docet *S. P. Aug. in Suppl. cont. Iul. lib. 4. c. 67; 69; et seqq.* Idem dicendum de actu coniugij per ordinem ad seruandam, vel recuperandam salutem, hic enim finis non est statutus à Deo, & ideo priuat illum actum suo fine à Deo constituto, quæ priuatio est moralis deformitas.

6 Obijc. 1. illud *Prou. 5. Lętare cum muliere adolescentię tuę; vbera eius inebrient te in omni tempore; in amore eius delectare iugiter*; ergo delectatio carnalis cum propria vxore est licita. 2. *Apost. vbi sup. Vnusquisque vxorem suam habeat; et reuertimini in idipsum, ne tentet vos Sathanas propter incontinentiam vestram*. Nec cùm dicit: *Hoc dico secundùm indulgentiam*; significat culpam, sicut cùm dicit: *Et si nupserit virgo, non peccabit, ego autem vobis parco;* significat culpam esse in nuptijs, quas dicit esse sine peccato. 3. Voluptas adiuncta est actui coniugali à Deo, sicut adiuncta est potui, & cibo, vt videmus in alijs animalibus; *et S. P. Aug. de bono coniug. c. 16;* inquit delectationem carnalem modificatam, & temperantia refrænante in vsum naturalem redactam libidinem esse non posse; *et lib. 2. Retract. c. 12.* docet, quòd illa voluptas Deum habet Auctorem; ergo mala esse non potest. 4. Matrimonium est institutum in remedium naturæ; ergo vti coniuge ad euitandum peccatum fornicationis est licitum, nam vitatio fornicationis non est mala, sed bona. 5. Reddere debitum ad euitandam in petente fornicationem non est malum; ergo neque ad illam euitandam in seipso, magis enim tenetur quisquis auertere proprium peccatum, quàm alienum. 6. Nulla est lex præcipiens semper intendendum esse finem principalem; aliter senes, & steriles non possent vti matrimonio; nec teneretur quis alteri debitum reddere, quando talis finis intendi non potest. [illegible]

Resp. ad 1; &c. *Sapientem, et Apost.* hortari ad vitandas fornicationes, quæ sunt peccata grauia; & vt euitentur, permittitur minus malum, quod est veniale; ideo indulgentia, quæ nisi culpæ non datur, subijcitur. Cum autem

dicit *Mastr.* illa verba; *Vobis parco*; non denotare peccatum in nuptijs, verum est; non enim referuntur ad nuptias; sed denotant tamen peccatum in incontinentia, ad quam referuntur; cùm asserat: *Qui non potest continere, nubat*. Sic loquuntur *SS. PP; et DD;* remouent enim rationem peccati mortalis ab actu coniugij, qui esset mortaliter malus, nisi coniugalis esset. Ad 3. dist. Voluptas, quæ consequitur ad actum concupiscentiæ naturalis, est insita à Deo actui coniugij, conc; quæ consequitur ad actum concupiscentiæ carnis, seu libidinis, neg; hæc enim orta est ex peccato, vt docet *Trid; et SS. PP. communiter*. Hæc autem est differentia inter has concupiscentias, quòd naturalis intendit primariò obiectum, quod respicit; secundariò verò delectationem, quæ de illo percipitur; ideo ordinata, & bona est; concupiscentia verò carnis intendit primariò delectationem, quæ est quid secundarium, & annexum; ideo peruersa, inordinata, & mala est; quia ad malum inclinat contra rationem, seu legem mentis, vt loquitur *Apost;* dictantem debere creaturam operari iuxta fines à Deo præstitutos. Ad 4. neg. ant; matrimonium enim est institutum in procreationem filiorum; quanuis post peccatum naturæ remedium euaserit; vt pluries diximus *cum S. P. Aug;* & quãuis vitatio fornicationis non sit mala, est tamen mala impletio libidinis, quæ assumitur, vt medium, ad illam vitandam. Ad 5. neg conf, nam ad euitandam fornicationem in se potest aliud adhibere remedium; non autem ad illam euitandam in alio constanter coniungi petente. Ad 6. neg. ant; lex enim naturæ præcipit priora præferenda esse posterioribus; & peccatum generaliter sumptum, inquit *S. P. Aug. lib. 1. de lib. arb. c. 16;* est posteriora præferre prioribus; quia inordinatio est. Ad senes, & steriles dicitur sufficere, vt intendant generare, quanuis non generent; visum enim est pluries senes generare; & steriles ad tempus fuisse, & posteà euasisse fœcundos, quia fuit eis impedimentum sublatum. Tenetur autem debitum reddere; quia tenetur peccatum mortale in alio euitare.

7 Quæres; an aliquando vsus coniugij sit peccatum mortale?

Resp. esse peccatum mortale. 1. Cùm impedit tempus orandi; vt habetur 1. *Petr. 3. Vt non impediantur orationes vestræ;* de quo vid. *S. P. Aug. de bono coniug. c. 10;* vt si ita frequens, & nimius esset, vt nunquam tempus orandi relinqueret; impediret enim præceptum orandi, quod est peccatum. 2. Si maiori amore coniungatur vxori, quàm Deo iuxta illud: *Qui amat vxorem suam plusquàm me, non est me dignus*. 3. Cùm quis vxorem prægnantem cognoscit cum periculo perdendi fetum, quanuis adhuc non animatum; vt habet *D. Hier. lib. 1. cont. Iouinian. c. vlt.* 4. Cùm quis præiudicat propriæ, vel vxoris saluti. 5. Cùm copulatur mulieri menstruatæ; *Leuit.* enim 15; 18; 20; *et Ezechiel. 18.* prohibetur tunc vsus coniugij; & rationem reddunt *S. P. Aug. lib. 3. de pecc. merit. et remiss. c. 12; et S. Hier. in Ezechiel. vbis;* quia talis coitus est valde noxius proli concipiendæ; ex fędo enim semine nascitur leprosa, & elephantiaca, vel notabiliter deformis.

8 Collig. ex dictis vxorem, & virum esse pares in potestate petendi, & reddendi debitum; & rationem reddit *Apost. vbis. Vxori vir debitum reddat, similiter autem et vxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier*. Per contractum enim matrimonialem æquè in alterutrum est translata potestas. In ijs verò, quæ spectant ad regimen domus pares non sunt; sed vir est caput mulieris, & mulier subdita viro; vt habetur 1. *Cor. 11. Ephes. 5; Coloss. 3; et 1. Petr. 3;* vbi *Saræ* obedientia commendatur, quæ *Gen. 18.* virum suum dominum vocabat; non correlatiuè ad seruam, sed ad subditam.

A R T. I I.

Quando sit illicitum petere, & reddere debitum?

1 B*Asil. lib. 10. c. 3. n. 3.* statuit generalem hanc regulam: *Quoties petens debitum peccat in petitione ratione circumstantiæ siue se tenente ex parte actus, siue ex parte personæ petentis, à qua petens nequit se liberare; tunc reddere debitum est illicitum. Quoties verò petens potest se liberare ab illa circumstantia manente petitione, tunc reddere est licitum*. Ratio est; quia primo modo reddere est cooperari peccato infallibiliter ponendo; at secundo modo est cooperari actui, quem operans potest sine peccato, & licitè elicere; sed vt pluries diximus, tantùm primo, non secundo modo est peccatum; ergo tantùm primo, non secundo modo est illicitum.

2 Illicitum est petere, & reddere, quando denunciationes omittuntur, ne matrimonium malitiosè impediatur; & contrahentes dubij sunt, aut incerti, an aliquod impedimentum intersit. *Ita omnes communiter*. 2. Etiam quando contrahentes sunt certi, quòd nullum subest impedimentum; peccatum est petere, & reddere, antequam denunciationes ab Ordinario remittantur, aut aliqua fiat; quia *Trid. sess. 24. c. 1. de reform.* præcipit denunciationes esse faciendas, nisi vel omnes, vel ex parte remittantur Ordinarij iudicio; ergo peccatum est petere, & reddere nedum in prima consummatione, sed etiam in alijs, quousque fiant denunciationes; vel illas Ordinarius remittat; nam manente præcepto toties est peccatum, quoties contra illud operatur. At petere, & reddere ante benedictiones Ecclesiæ

non

non esse peccatum nec etiam veniale docet *Basil*; quia benedictiones Ecclesiæ sunt tantùm de consilio, non de præcepto; *Trid.* enim *vbis.* ait: *Hortatur S. Synodus*; non autem: *Præcipit S. Synodus*; operari autem contra consilium nec veniale peccatum est, vt constat. Nec obstat illud 30. *q. 5. c. aliter*; vbi dicitur non esse coniugium, nisi benedictio sacerdotis accedat. Non obstat, inquam; nam tunc temporis matrimonium sine benedictione erat clandestinum; quod *per Trid.* fuit sublatum; fuit enim statutum sufficere ad euitandam clandestinitatem explicare consensum coram parocho, & duobus, vel tribus testibus; vt diximus *q. 2.* Idem dicitur *ad c. nullus ibid. et ad can. Conc. Carthag. IV*; *& Tarraconen. c. 4.*

3 Qui post votum simplex religionis matrimonium contrahit, quamuis ante consummationem teneatur religionem ingredi, & sic votum implere; si tamen consummet, in primo actu coniugali tantùm peccat, non in subsequentibus; quia expressè fecit tantùm votum religionis, non castitatis; ideo post primam consummationem licitè potest petere, & reddere. Soluto tamen per mortem coniugis matrimonio tenetur ingredi religionem. *Ita Basil. c. 4*; qui ait esse sententiam communem. Qui autem emisit votum castitatis, & posteà vxorem duxit, & consummauit, debet reddere *de conuers. coniugat. c. quidam, & c. placet*; sed nequit petere; quia quantùm est ex se, tenetur castitatem seruare; quod votum mortua vxore tenetur implere. Si verò non consummauit, *Sot; Sanch; Less; Coninch; & alij* dicunt teneri religionem intrare; quia nullum aliud est medium seruandi votum; quod tenetur implere; si tamen vterque coniux pari consensu nolint seruare castitatem. At *Basil.* opponit *extra antiqua de voto*; in qua decernitur *quendam* sacris initiatum, qui matrimonium contraxerat, non teneri religionem ingredi, sed vel ingredi, aut consummare; vbi ingressus in religionem non præcipitur, sed consulitur. Idem dicitur de eo, qui votum emisit suscipiendi ordines sacros. Ex quo sequitur non posse petere, sed tenetur reddere; quia vxor nequit suo iure priuari. Si tamen votum emittat post matrimonium sine licentia vxoris, votum est nullum, vt *inf.* At si vouerit religionem ingredi non determinando tempus, mortua vxore tenetur votum implere. Quod si quis voueat non contrahere matrimonium, contrahendo peccat; & etiam peccare consummando substinent *aliqui contra Sanch*; quia votum non contrahendi continet animum non consummandi. *Vid. Basil.*

4 Coniux leuans de sacro fonte filium alterius coniugis susceptum ex alio matrimonio, vel ex concubina in fraudem, vt neget debitum, non priuatur iure petendi, & debito reddendi. *Ita Basil; & Coninch*; nam 30. *q. 1. c. 3. nosse desideras; & c. 4. dictum est; & c. 5. de eo, & seqq.* statuitur solùm, vt reus agat pœnitentiam, & nihil dicitur de separatione thori. Ratio est; quia fraus nequit suffragari reo. Sicuti non priuatur iure petendi, & debito reddendi, qui in necessitate proprium filium baptizat. Item qui baptizat ignoranter inuincibiliter; sicut enim ignorantia inuincibilis excusat à culpa; ita excusat à pœna. Si tamen extra necessitatem baptizet, vel leuet de fonte, aut in confirmatione suscipiat, non quidem animo fraudandi debitum, sed ex alio motiuo, priuatur iure petendi; & si fiat ex scientia vtriusque, & consensu, priuatur vterque. *Vid. Basil. c. 6.*

5 Vir cognoscens consanguineam vxoris priuatur iure petendi, non reddendi. *de eo, qui cognouit &c. c. 1; et c. discretionem; & c. penult; & vlt.* Non tamen cognoscens consanguineam propriam; quia ex eo concubitu nulla oritur affinitas cum altero coniuge; & idem dicendum de affinibus vxoris, quare solùm ad consanguineos vxoris extendi debet impedimentum petendi debitum. *Ita Basil. c. 7. n. 2.* Igitur si vterque coiuerit cum consanguineis alterius, vterque priuatur iure petendi; & reddendi *ead. tit. c. 3.* Per copulam metu, vel vi extortam, non priuatur iure petendi, *ibid. c. discretionem.*

6 Quamuis *ex antiquis canonibus, & SS. PP.* habeatur coniugem aliquot diebus ante sumptionem eucharistiæ obligatum fuisse abstinere ab actu coniugali, vt habetur *de consecr. dist. 4. c. omnis homo*; imò in omnibus Ecclesiæ solemnitatibus, vt docet *S. P. Aug. serm. 226. de temp*; & diebus pœnitentiæ, vt *Nicol. I. ad Consulta Bulgar. c. 10*; attamen hoc præceptum cessasse docent *DD*; & solùm mansisse obligationem sub veniali ob reuerentiam tanto debitam sacramento. Cum viro excommunicato posse vxorem excommunicare, & ideò petere, & reddere debitum diximus, cùm de excommunicatione ageremus, & habetur 11. *q. 3. c. quoniam multos.*

7 Actum coniugalem illicitum esse ratione loci tradunt *DD*; vt si fiat in loco publico propter scandalum. An autem etiamsi fiat in loco sacro, dissensio est. Nomine *loci Sacri* intelligitur Ecclesia, vel Oratorium deputatum Diuinis officijs ita, vt illa tantùm pars, quæ clauditur intra, non illa, quæ foris adiacet, intelligatur. *D. Antonin; Palud; Caiet; Armilla, Valent; Toletus, & alij* asserunt actum matrimonialem in loco sacro esse peccatum ex circunstantia loci. *Azor; Sair; Suar; Coninch; Sanch; & alij* volunt, quòd si fiat vitandæ fornicationis causa, non sit peccatum. *Alex. & alij*, quos refert, & sequitur *Basil. hic c. 10*; docent non esse peccatum absolutè; quia nullus est *canon*, qui illum prohibeat; omnes enim loquuntur de copula illicita, vt est ille, qui solet adduci *de adulterijs c. significasti*; & *de consecr. Ecclesia c. fin.* Solùm igitur

per

per copulam illicitam polluitur Ecclesia, & sola copula illicita habet rationem sacrilegij, quia lædit loci sanctitatem, & publica esse debet, quia cùm violatio sit quædam irreuerentia, qua in existimatione hominum polluitur, & prophanatur consecratio, & benedictio loci sacri; & cùm nulla existimatio sit, nisi habeatur notitia facti existimandi; ideo cùm est occulta, nulla habetur pollutio. Tum quia Ecclesiæ pollutio habetur tantùm ex iure Ecclesiastico, vt docent *Basil. Vasq. & Coninch*; quod loquitur tantùm de delicto publico, non occulto, vt sentiunt *ferè omnes DD.*

8 Quoad modum coeundi dicendum tunc esse peccatum mortale, quando impedit generationem, vt cùm totum semen effunditur ita, vt nihil intra matricem recipiatur, non autem si tantùm gutta à vase diffluat, quia non totum semen generationi est necessarium. Vnde coniux non tenetur debitum reddere, si alter petat coire modo, quo nequit fieri generatio, quia non habet potestatem corporis, nisi per ordinem ad generationem. Ex quo sequitur fœminam teneri ad retinendum semen, & ad generationi prospiciendum. Vnde neque ante animationem fœtus potest licitè abortum procurare. An autem possit medicamenta sumere, quæ ad causandam illius sanitatem ordinantur, & si inde sequatur abortus, *aliqui* respondent licere, quia fœmina magis obligatur ad tuendam propriam vitam, quàm alterius. At *Basil.* hoc limitat; nam hoc remedium est vel effusio sanguinis, & tunc ait licere, quia licèt sanguis sit alimentum fœtus, est tamen etiam alimentum matris, & ideo mater vtitur iure suo, & non facit alteri iniuriam. Vel est aliquod medicamentum, quod eijcit fœtum, & tunc non licet, quia est formaliter homicidium saltem initialiter, & inchoatè. In hac re dicimus tali prudentia vtendum esse, vt illi medeatur absque totali nocumento alterius, & respiciendum esse nedum corporis, sed etiam animæ saluti, si fœtus sit animatus, cùm hæc illi in infinitum præponderet. Sic non tenetur coniux debitum reddere, aut potest petere, quando præuidetur fœtus euersio, & eiectio.

9 Insuper nequit petere, aut reddere, quando vita in discrimen adducitur, iure namque naturæ ad vitam seruandam vnusquisque obligatur, imò neque in detrimento salutis, quam pariter custodire obligatur, vnde febri laborans, aut quouis alio morbo absoluitur à debito reddendi, & priuatur iure petendi. Hinc si coniux sit leprosus, alter reddere non tenetur, quod à fortiori dicendum, si aliquo morbo contagioso laboret. At si Medicorum consilio non est periculum infectionis, tunc reddere potest, & debet, quomodò intelligendum est, quod dicitur *de leprosorum coniugio c. 2.* Nec valet, quòd *aliqui* dicunt hoc esse intelligendum, quando lepra superuenit post matrimonium contractum; non autem quando coniux ante matrimonium fuit cognitus leprosus; tunc enim censetur se obligasse ad coeundum cum illo, etiam si sit leprosus. Non valet, inquam; nemo enim potest se obligare ad id, quod est contra ius naturæ, & talis obligatio ipso facto est nulla. Quia tamen cum vxore prægnante nullum tale est periculum; sicut est cum febriente; ideo potest reddere; dummodò non sit periculum euersionis fœtus, vt diximus. Sic cum mulier est menstruata, vel ante purificationem ex sanguine, nullum est periculum salutis; sed totum periculum est respectu prolis, quæ potest ex illo actu generari, & deformiter infici, vt diximus; in quo casu solùm peccatum veniale agnoscunt *Basil. & Azor.* asserentes præceptum *Leuitici* iã cessasse; de quo *in sup. art. n. 7.* diximus ratione prolis esse peccatum; vnde sicut non cessauit periculum prolis, sic nec cessauit præceptum, quod propter illud positum est. At si vxor pauperrima sit, & tempore, quo lactatur infans, præuidet se concepturam, si coeat; & priuaturam alimẽto infantem, qui ex tali priuatione sit moriturus, tenetur debitum negare, ne sit homicida. Item si vir habeat vxorem amentem, quam præuidet suffocaturam prolem, debet abstinere; sicut etiam si ex tali actu præuideat deteriorandam esse eius salutem.

10 Cùm in dubijs iuris, & facti (de vtroque enim iure eadem militat ratio) tutior pars sit eligenda; vt habetur *de homicidio c. ad audientiam; & c. significasti 15 & 27 & de sponsal. c. iuuenis*; quando alter coniux dubitat de morte prioris coniugis suæ vxoris, vel consanguinitatis, aut affinitatis, aut alterius impedimenti, tenetur reddere, sed nequit petere. Si tamen vterque dubitet, nemo potest petere, aut reddere; *de sententia excommunicat. c. inquisitionis; & de secundis nuptijs c. dominus*. Si tamen dubium esset de impedimento impotentiæ, aut frigiditatis, vterque potest petere, & reddere; quia Ecclesia præscribit tempus triennij ad de hoc impedimento inquirendum. Si autem dubium incidat post matrimonium ratum, non consummatum, tempore duorum mensium non tenetur reddere; & interim debet satagere, vt dubium examinetur, & discutiatur.

ART. III.

De potestate in voluntatem coniugis quoad irritationem votorum.

1 Egimus de potestate mutua in corpus alterius coniugis quoad vsum coniugij, nunc breuiter agendum de potestate in voluntatem; ex vno namque principio facilis erit solutio eorum, quæ possunt occurrere.

2 Vnica concl. Coniuges non habent potestatem in voluntatem alterius, nisi circa ea, quæ ordinantur ad generationem, & educationem

pro-

prolis; & indiuiduam societatem; ac bonorum communium administrationem; propterea possunt irritare vota, quæ his aduersantur; non tamen, quæ nullo modo his opponuntur. Prob. In contractu matrimoniali transfertur dominium solùm circa ea, quæ spectant ad generationem, & educationem filiorum, & indiuiduam vitæ societatem, & communium bonorum administrationem, quæ àd alendam vitam sunt ordinata; hi enim sunt fines matrimonij, vt diximus; sed coniuges nullum aliud dominium acquirunt, quàm illud, quod in contractu matrimoniali transfertur, vt constat; ergo habent tantùm dominium eorum, quæ spectant ad generationem, educationem &c. Ex hoc sequitur vxorem in bonis extradotalibus, quæ post contractum ei superueniunt, habere proprium dominium, & de illis posse dispensare sine mariti licentia.

3 Sequitur 1. virum non posse irritare votum de non petendo; hanc enim potestatem non transtulit in virum, sed à viro translata est in vxorem, quæ propterea suo iuri cedere potest; quidquid dicant *Sot; noster Aragon; & Sanch.* 2. Non posse irritare votum implendum post mortem viri; vt seruandi castitatem vidualem, vel ingrediendi religionem; cùm enim transtulit potestatem in virum, illam transtulit solùm vsque ad viri mortem; vt habet *Apost. Rom. 7. Mulier viuente viro alligata est legi; si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege viri*; quo reijcitur *idem Sanch.* oppositum sentiens. 3. Non posse irritare vota emissa ante matrimonium, quæ illi non aduersantur; vt diximus. 4. Posse irritare votum de non reddendo debitum; hoc enim votum ipso iure est nullum; cùm vxor hanc potestatem non habeat, transtulit enim illam in virum; & omnia vota vniuersaliter, quæ actum coniugalem possunt impedire, vel educationem prolis, vt continuum ieiunium, & abstinentia, largitio omnium bonorum &c; & sic etiam vota, quæ de licentia primi mariti emisit; si sint contra prædicta.

4 Si tamen vxor voueat de consensu mariti, potest esse dupliciter. 1. Vt vxor voueat ad tempus, & reseruet sibi potestatem irritandi tale votum; vt cùm licentiam concedit vxori, vt voueat continentiam pro mense, hebdomada &c. 2. Vt voueat in perpetuum, & irreuocabiliter. Si vxor voueat primo modo, potest vir tale votum irritare; non tamen si voueat secundo modo; quia iuri suo totaliter cessit. Hoc patet *ex 33. q. 5. c. manifestum; & c. fin;* vbi dicitur *ex S. P. Aug; & S. Ambr;* quòd vir, qui obligatur ex permissione, & ex fidelitate; non autem ex iustitia, & ex cessione sui iuris, potest quidem votum irritare, sed peccat contra fidelitatem. Idem dicitur de potestate vxoris respectu votorum à marito emissorum. Excipitur tamen votum de non petendo; hoc enim est contra pudorem mulieris; quæ retraheretur à petere ob verecundiam; & ideo indirectè suo iure priuaretur.

5 Quamuis autem votum vnius coniugis irritetur ab altero durante matrimonio; attamen mortuo coniuge ille, qui vouit, tenetur votum implere; vt *de conuers. coniug. c. quidam, & c. placet.*

6 Ad irritationem voti requiri causam, sicut ad dispensationem, quidquid in contrarium dicat *Basil;* colligi potest ex eo, quòd bonum sine causa impedire non liceat. Tandem votum esse manifestandum viro, vel superiori, quando ab ipso potest irritari, constat ex dictis.

ART. IV.

De confirmatione originis, seu legitimatione prolis, et communione bonorum, sedis, et fori.

1 Filij illegitimi legitimantur per subsequens matrimonium; si tamen sint nati ex parentibus habilibus ad contrahendum matrimonium, vt *inf.* Habetur *qui fily sint legitimi c. tanta; et c. conquestus, 1. et c. transmissæ 3; et c. causam; et l. cum quis C. de natural. liber.* Antiquitus tamen illegitimi non habebantur pro filijs; erant enim sine patre, & ciuitate; vt refert *Anton. Faber. Constantin. Imp.* primò legem tulit *l. Diui Constantini*; vt illegitimi nati ex concubinis ingenuis, non ex alijs fœminis, deficientibus filijs legitimis per subsequens matrimonium legitimi fierent. *Anastas. l. iubemus C. de natur. liber.* extendit ad filios cuiuscunque concubinæ etiam non ingenuæ. *Iustinian. nouella 12.* explicans *l. cum quis* illam extendit, etiamsi adsint filij legitimi; & quando non sunt filij legitimi, etiam ad filios ex ancilla susceptos. Tandem *ius Pontificium c. tanta* extendit ad omnes illegitimos natos ex personis habilibus ad contrahendum matrimonium. Ex his infert *Basil. lib. 11. c. 1.* confirmationem originis, seu legitimationem per subsequens matrimonium non esse de iure naturæ, sed positiuo.

2 Collig. 1. illegitimos legitimari etiam per matrimonium contractum in fine vitæ, dummodò tamen coniuges sint sanæ mentis, & omnia requisita ad matrimonium habeant. *c. tanta vbi;* nam fictio iuris retrotrahit matrimonium ad tempus ante prolem susceptam. Vel quòd satiùs dicitur, cùm legitimare sit de iure positiuo, hoc statuit filios natos ex personis solutis per subsequens matrimonium fieri legitimos. 2. Etiam per matrimonium ratum, non consummatum; quia matrimonium ratum est verum matrimonium, vt diximus. 3. Etiamsi sint alij filij iusti, seu legitimi ex alio matrimonio susce-

suscepti; imò etiamsi sint nati ex ancilla, vel libera, siue ex quacunque alia fœmina soluta in matrimonium posteà ducta; & etiamsi non sit ducta immediatè, sed mediatè; vt cùm quis suscipit filios ex concubina, & cùm alia fœmina ducit matrimonium; & hac mortua ducit concubinam, ex qua filios illegitimos susceperat, illi filij illegitimi per illud matrimonium legitimantur; sufficit enim, quòd eo tempore, quo suscepit eos filios illegitimos, potuerit matrimonium cum ea concubina contrahere, vt colligunt *ex c. tanta Abbas, Canis, Basil, apud quem aly*. 4. Legitimantur etiam per matrimonium putatiuum existimatum, & præsumptum; si etenim quando cum bona fide vtriusque, vel vnius tantùm contrahitur matrimonium; & posteà superueniente aliquo impedimento dirimitur, filij ex illo matrimonio suscepti sunt legitimi; vt habetur *qui fily sint legitimi c. cùm inter, c. perlatum, c. quod nobis, & c. ex tenore* iuncta *Glos.* nulla est ratio, cur non reddat legitimos etiam filios anteà susceptos. Tum quia titulus putatiuus in iure operatur effectum veri tituli; vt habetur *3. q. 7. c. infamis §. verumtamen & l. Barbarius Philippus ff. de off. Prætoris, et l. 2. C. de sent. et interloc.* Imò etiamsi filij sint præsumptiuè naturales, re vera tamen adulterini sint, vel incestuosi; vt cùm quis copulatur cum fœmina, cuius virum putat mortuum; vel quam putat non esse consanguineam; re vera tamen vir eius non est mortuus, ac est consanguinea; si posteà vir eius moriatur, aut dispensationem obtineat, & illam ducat, filij anteà suscepti legitimantur; quia sufficit bona fides etiam vnius. *Ita Basil. c. 2. §. 1. cont. Abbat, Conar, et alios*. 5. Legitimaris etiamsi fiat coniugium sine dotalibus instrumentis; sufficit enim, quòd inter contrahentes possit esse verum coniugium; vt patet *ex toto tit. qui fily sint legitimi*, constat autem, quòd sine instrumentis dotalibus potest esse verum matrimonium, cùm non sint de eius essentia. Imò etiam non consentientibus, sed reluctantibus parentibus; hic enim est effectus matrimonio concessus, & affixus: *Sair, Azor, Basil, & Conar*. Nec obstat *nouella 89. c. 11. §. verò 11*, vbi consensus parentum requiritur; hic enim sermo est de legitimatione, quæ fit rescripto, & priuilegio Principis; non de ea, quæ fit per subsequens matrimonium. Præterea non requiritur consensus ipsorum filiorum, qui etiam inuiti legitimantur; matrimonium enim sufficit præciso quocunque alio ad ipsos legitimandos, vt diximus. 6. Legitimari etiam nepotes, seu filios filiorum illegitimorum, quamuis mortui sint filij. *Ita Basil. c. 1. §. 3. n. 23*; vbi refert *Azor, Conar, et alios cont. Canis, Deci et alios apud Conar*; nam si fictione iuris retrotrahitur matrimonium ad tempus, quo suscepti sunt filij illegitimi; consequens est, vt filij filiorum illegitimorum legitimi fiant; quia si eo tempore contractum fuisset matrimonium, nati fuissent legitimi.

2. Diximus *filios illegitimos natos ex personis habilibus ad contrahendum matrimonium per subsequens matrimonium legitimari*; idest natos ex soluta, & soluto; inter quos potest iuxta leges fieri validum matrimonium; vnde hanc regulam rectè statuit *Basil. c. 2. Quoties inter duos ex aliquo impedimento dirimente nequit fieri validum matrimonium iure Pontificio vel ciuili, etiamsi illud impedimentum sit dispensabile vel temporale; tunc fily illegitimi non legitimantur per subsequens matrimonium. Quoties autem nullum tale impedimentum reperitur; tunc legitimantur*.

Sequitur 1. *in iure Ciuili antiquo* filium susceptum ex indigna non legitimari; vt constat de filijs Senatorum ex ancilla susceptis *nouella 89. & alys*. 2. Filios ex adulterio susceptos etiam cum promissione matrimonij post mortem alterius coniugis; aut ex consanguinea, aut publica intercedente honestate, & quouis alio impedimento dirimente, etiamsi vterque sit solutus, non legitimari per subsequens matrimonium obtenta dispensatione; quia pro eo tunc, quando fuerunt coniuncti, non poterat esse validum matrimonium; & ideo nequit retrotrahi ad illud tempus, in quo validum esse non poterat. 3. Filios susceptos à clerico in minoribus constituto; vel à simplici voto castitatis ligato cum fœmina soluta, etiamsi alteri de futuro desponsata; aut quouis alio impedimento non dirimente, legitimari per subsequens matrimonium; quia tunc validum matrimonium esse potuerat.

4. Circa tempus, quo parentes debent esse habiles, *ferè omnes DD.* censent, quòd sufficit esse habiles tempore natiuitatis pueri; quamuis tempore conceptionis fuerint inhabiles; vt cùm vir prægnantem reddidit consanguineam, si prægnationis tempore obtineat dispensationem à Pontifice, & nascatur puer, legitimus est: *Ita Basil. c. 3*; vbi refert *Io. Andr, Hostien, Cardinal, Conar, & alios plurimos in can. tanta*; & habetur *ex l. nuper C. de natur. liberi & l. Et si contra C. de nuptijs*. Imò nascitur etiam legitimus, si tempore conceptionis poterat esse validum matrimonium; quod superueniente impedimento tempore natiuitatis validum esse non potuit. Quod etiam dicitur, si tempore tantùm intermedio potuit esse validum, non autem tempore conceptionis, aut natiuitatis; nam fictione iuris retrahitur matrimonium ad illud tempus, in quo validum esse potuit; & colligitur etiam à pari de libertate; nam quouis tempore contigerit matrem liberam esse, filius nascitur liber *in Institut. de ingenuis*.

5. Legitimatio etiam fieri potest per rescriptum Principis, quæ propereà etiam dispensatio appellari solet *qui fily sint legitimi c. per venera-*

nerabilem. Quamuis in eo differat, quòd legitimatio est illa, qua persona fit generaliter habilis; dispensatio verò est, qua legitimatio restringitur ad aliquem effectum, quia suppletur defectus natalium per ordinem ad aliquem casum specialem v. g. nobilitatem, successionem &c. Potestas legitimandi competit solùm Principibus supremis, qui in temporalibus superiores non habent; ideo est actus iurisdictionis, vt habetur *c. per venerabilem vbis;* & reseruatur Principi. *Bald. l. 1. in principio C. de iure anul. aur;* & esse unum ex regalibus docent *Abbas in c. per venerabilem, & Decius Cons. 150. ex l. 1. §. ait Prætor ff. de posthum.*

5 Sequitur 1. potestatem supremam legitimandi esse in Summo Pontifice per ordinem quidem ad spiritualia quoad vsum in tota Ecclesia; per ordinem verò ad temporalia in terris suæ ditioni subiectis; in illis verò, quæ subijciuntur sæcularibus Principibus, esse quoad nutum; eamque posse exercere in certis casibus, in quibus potest exercere potestatem in temporalia Regum; vt diximus *to. 4. de fide q. 4. de Hier. Eccl. art. 6. cum Fund. Doct. Æg.* Item potest legitimare dispensando in radice matrimonij, quod est nullum iure Ecclesiastico, vt consanguinitatis impedimento &c; potest enim Papa tale ius abrogare, & talem abrogationem retrotrahere ad illud tempus, quo fuit contractum; ac si pro illo tempore tale ius editum non fuisset; vt *Clementin. vnica de immunit. Eccles.* Imò posse etiam dispensare, quando ius quæsitum est; & deuolutum ad tertium, docent *Basil; Sanch; Sair; & alij*, quia Papam dispensare in radice matrimonij nihil aliud est, quàm retrotrahere illam abrogationem ad tempus, quo hæreditas ad alios est deuoluta; & sicut tunc potuisset hæreditatem adire, si illud impedimentum non fuisset absque alterius præiudicio; ita in casu. Regulam autem, quam tradit *Sanch;* cognoscendi, quando Papa matrimonium in radice dispenset; scilicet *debere explicare se legitimum declarare matrimonium ex tunc*; nec sufficere, vt asserat *prolem susceptam, si qua sit, & suscipiendam legitimam decernendo*; falsam declarauit Rota anno 1573. 19. *Octobris coram Clem. VIII. tunc Auditore in Causa Syracusana legitimitatis* asserens: *Sicut Papa constitutione vniuersali decreuit prolem susceptam legitimam esse per subsequens matrimonium, non intelligendo de suscepta ex coitu incestuoso; ita nihil prohibet, quo minùs ex iusta causa possit etiam prolem ex illo coitu susceptam legitimam decernere, & ius Canonicum extendere, & maiorem vim tribuere matrimonio, quàm habeat de iure. Vid. Basil. c. 5. §. 1.* referentem tres decisiones conformes extensas super hanc causam.

6 Sequitur 2. Imperatorem præcipuè, deinde Reges, & quoscunque alios Principes sæculares supremos suos subditos posse legitimare per ordinem ad temporalia, vt successiones ex testamento, & ab intestato, honores, dignitates, officia &c; non vero per ordinem ad beneficia Ecclesiastica; hoc enim spectant solùm ad Papam, ut diximus. Excipitur tamen iuspatronatus, licèt sit aliquid spirituale obiectiuè; formaliter enim, & inchoatiuè pertinet ad bona temporalia; ex eo namque, quòd aliquis sit habilis ad illa, consequitur habilitas ad istud. *Ita Couar; Basil. c. 5. §. 2. n. 14;* apud quem *alij*. Legitimatio autem potest fieri vel immediatè ab ipsis iure ordinario, vel à suis ministris potestate delegata; quod etiam dicitur de Summo Pontifice. *Vid. Basil. vbi s.*

7 Sequitur 3. non posse legitimare, nisi proprium subditum, cùm legitimatio sit actus iurisdictionis, qui ad non subditum nequit extendi *l. Præses prouinciæ 2. ff. de interdicto, l. vlt. de iurisdict; & C. si à non compet. iud.* Imò nec per ordinem ad ea bona, quæ sunt in alterius ditione. *Anchar. cons. 12; Abbas, Couar; Basil. c. 6. n. 2; & prob. ex c. per venerabilem;* vbi Papa negat dispensationem ei, qui subditus erat alteri in temporalibus. Hinc Princeps sæcularis nequit legitimare clericum gaudentem priuilegio fori; quia eius subditus non est *de foro compet. c. 2; & de iudicijs c. cùm non ab homine; & 11. q. 1. c. nullus*; neque valet consuetudo *de iudicijs can. clerici*. Item nequit legitimari inuitus, qui sui iuris est *l. vlt. ff. de his, qui sunt sui, vel alieni iuris.* Sufficit tamen, quòd sit inuitus priuatiuè, idèst non contradicat *argumento textus in l. in ad p...nibus 5. ff. de eodem*. Hinc infantes rectè legitimari dicuntur, imò existentes in vtero matrum; vt patet *per canones allatos*. De iure ordinario legitimantur solùm ij; quorum parentes erant soluti, & poterant matrimonium contrahere. At de plenitudine potestatis potest Princeps legitimare etiam spurios ex adulterio natos; cùm enim lex legitimitatis per hominem lata sit, per hominem potest auferri.

8 Forma, qua peti debet rescriptum, debet causam continere; vt docent *Abbas in c. per venerabilem, & Basil. c. 7.* Debet exprimere, an parentes potuerint matrimonium contrahere; an sint alij filij legitimandi, & legitimi; an viuat pater; tunc enim non esse citandos agnatos, & cognatos docet *Basil. cum Bart;* nam tunc potest pater de suis rebus disponere sine agnatis, & cognatis. Item explicanda est species defectus, scilicet an sit adulterium, consanguinitas &c. Non est autem necesse explicare, an sit adulterium ex parte utriusque, quia hoc non variat speciem, licèt aggrauet. *Ita Basil.* Dummodò tamen Princeps generaliter non declaret se in omnibus, & quibusuis defectibus dispensare.

9 Diximus filios natos ex matrimonio putatiuo bona fide contracto esse legitimos; ex quo sequitur, quòd filij nati ex muliere, quæ accepto nuncio certo de morte prioris, matri-

monium contraxit, & illos genuit; etiamsi reduci priori marito restituatur mulier; attamen filij ex secundo matrimonio sunt legitimi. Quod dicendum est de filijs natis ex matrimonio susceptis etiam lite pendente circa nullitatem matrimonij; quia parentes sunt quasi in possessione. Imò etiamsi per iudicem facta esset separatio thori, & furtim coijssent; talis enim separatio nequit filijs præiudicare. Idem dicendum de filijs, qui nati sunt domi, quanuis ex adulterio concepti, reputantur enim legitimi; quod restringendum videtur ad forum externum. Idem sentiendum esse de filijs expositis, vt *qui fily sint legitimi c. ex tenore* deducitur; vnde hos non esse irregulares, neque teneri ad petendam dispensationem docent *Sair; & Basil;* qui latè hæc omnia prosequitur.

10 Tandem legitimantur filij oblatione Curiæ Ciuitatis, vel vici, in quo nati sunt, vt colligitur *ex nouella 89. §. primus itaque*; in qua *Theodosius* voluit allicere ad ea munera libenter obeunda.

11 Effectus legitimationis per subsequens matrimonium sunt. 1. Esse æquales filijs ex legitimo matrimonio natis; & esse capaces omnium eorum, quorum sunt capaces filij legitimi. 2. Esse capaces beneficiorum Ecclesiasticorum, etiam Episcopatus sine vlla dispensatione. 3. Omnium hæreditatum patris, feudorum &c. 4. Legitimatos verò per rescriptum Principis non posse in maioratu succedere, nisi deficiant filij legitimi, & nisi Princeps de plenitudine potestatis declaret eum posse succedere, neque posse à parentibus meliorari, si habeant alios filios legitimos; & ideo non posse in primogenitos institui; quia non possunt parentes eis relinquere, nisi quantùm vni ex filijs legitimis; & quanuis in sæculo sint capaces honoris, dignitatis patris &c; attamen si religionem ingrediantur, præclusus est eis aditus ad honores, & dignitates Ecclesiasticas *ex Constit. II. Pij V. de illegitimis. Vid. Basil. lib. 11. c. 11.*

12 Vltimus matrimonij effectus, scilicet communio bonorum, honoris, sedis, & fori, colligitur *ex Gen. 2. Erunt duo in carne vna*; si enim sunt vna caro, consequens est, vt etiam sit vnum bonum commune, quod ad illam carnem alendam, seruandamque ordinatur; bona enim temporalia ordinata sunt ad sustentandam temporalem hanc vitam; ideo si vxoris, & viri vna est quodammodò vita; quia sunt vna caro, & vnus spiritus secundùm affectum; ideo illorum bona communia esse debent. Et quanuis uxor habeat proprium dominium bonorum paraphernorum, seu paraphernalium, quæ supra dotem ei conferuntur; & extradotalium, quæ post dotem acceptam ei adueniunt; attamen etiam ista per ordinem ad filios communitatem habent, quatenus filijs legitima ex omnibus his debet concedi; de quibus *in iure ciuili* fusè tractatur. Quoad honorem, sedem, & forum eadem ratio est; quotiescumque enim duo sunt unum; tunc quod debetur uni, debetur & alteri; ergo si uxor, & vir sunt unum secundùm carnem, & secundùm affectum, utrique idem honor, eadem sedes, & forum debetur. Tum quia inconueniientia est, quod spectans ad gradum minoris honoris, sedis, & fori habeat dominium super eum, qui spectat ad ordinem maioris honoris, sedis, & fori; maior enim, & altior subijceretur inferiori, & minori, quod rectæ repugnat dispositioni, & ordini; sed uxor, & vir habent mutuum dominium ad inuicem; ergo debent spectare ad eundem gradum honoris, dignitatis, sedis, & fori. Rectè igitur statuit *authent. de consulib. §. si autem; et l. mulieris C. de dignitatibus*; ut eodem honore gaudeant uxor, & vir. Vid; quæ diximus *q. 2. art. 7. S. 1. n. 27; et q. 3. art. 7. n. 2; 3; et 4. Item vid. dist. de donationibus inter virum, et vxorem.*

Omnia, quæ scripsimus in his sex libris, in quibus uniuersa fidei catholicæ mysteria continentur, infallibili S. Matris Ecclesiæ iudicio subijcimus; & si quid forsitan minùs veraciter diximus, ex nunc reijcimus, & emendamus; sin minùs explicatè; ad illam referimus explicandum, tanquam ad Magistram fidei, & Regulam veritatis. *Ad hanc regulam fidei* (*cum S. P. Aug. lib. 15. de Trin.* in fine, à quo incepimus, concludimus) *dirigens intentionem meam, quantùm potui, quantùm me posse fecisti, quæsiui te, et desideraui intellectu videre, quod credidi; et multùm disputaui, & multùm laboraui, Domine Deus meus, vna spes mea; exaudi me, ne fatigatus nolim te quærere, sed quæram faciem tuam semper ardenter. Tu da quærendi vires, qui inuenire te fecisti; et magis, magisque inueniendi te spem dedisti. Coram te est firmitas, et infirmitas mea; illam serua, istam sana. Coram te est scientia, et ignorantia mea; vbi mihi aperuisti, suscipe intrantem; vbi clausisti, aperi pulsanti. Meminerim tui, intelligam te, diligam te. Auge in me ista, donec reformes ad integrum.* Amen.

BEA-

BEATITVDINIS, ET GRATIÆ ANGELORVM IN VIA EXPLICATIO.

In quibus sunt quædam difficilia intellectu. 2. Pet. 3.



Omo 3. *quæst.* 8. *de Angelis* explicantes beatitudinem, & gratiam, cum qua fuerunt Angeli à Deo creati, duo diximus, quorum primum *ab Aliquibus* minùs rectè fuit perceptum, alterum à nobis non omnino congruè explicatum, ideo vtrumque breuiter exponere decreuimus, vt alienum, & nostrum emendemus defectum: *Ne propter ipsarum rerum* (inquit *S. P. August. lib. 6. de Gen. ad lit. cap. 6.*) *aliquantò difficilem perceptionem, quam tardiores assequi non possunt, putemur aliquid sentire, aut dicere, quod scimus nos nec sentire, nec dicere.*

ART. I.

An Angeli fuerint à Deo creati beati?

1 COmmunis sententia docet Angelos, & *Adam* in primo instanti creationis fuisse à Deo donatos fœlicitate naturali, quæ consistit in clara rerum omnium naturalium cognitione, rectoque actionum naturalium regimine, pacatissimo sensuum, & membrorum dominio, nec non bonorum temporalium vsu; fuerunt namque creati cum omnibus dotibus, ac donis naturalibus, quæ ad tranquillitatem vitæ naturalis sunt necessaria; nihil enim inordinatum, imperfectumue potuit in eorum creatione intercidere, cùm solius Dei opus fuerit; cuius *perfecta sunt opera Eccli.* 10. Inquiritur vlteriùs; an vltra hanc felicitatem naturalem, quam nemo negat, beatitudinem quoque supernaturalem, non quidem perfectam, & consummatam, qua Sancti fruuntur in patria, sed imperfectam, & inchoatam, quæ habetur à iustis in via per fidem in spe, simul receperint?

2 Concl. Angeli, *et Adam* fuerunt creati beati beatitudine etiam supernaturali imperfecta, & inchoata, qualis habetur à iustis in via per fidem in spe; non autem beatitudine perfecta, & consummata, quæ possidetur à Sanctis in patria per visionem beatam in re.

3 Hæc beatitudo supernaturalis imperfecta, quæ causatur à Dei gratia, qua iusti misericorditer à Deo donantur in via, saluis *Diuinis Scripturis*, à nemine potest negari. Legimus *ps.* 1. *Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit*; *ps.* 118. *Beati immaculati in via, qui ambulant in vijs eius*; *ps.* 127. *Beati omnes, qui timent Dominum; qui ambulant in vijs eius*; *Prouer.* 8. *Beati, qui custodiunt vias meas*; & 29. *Qui verò custodit legem, beatus est.* Iterum *ps.* 111. *Beatus vir, qui timet Dominum*; *Eccli.* 34. *Timentis Dominum beata est anima eius*; *ps.* 33. *Beatus vir, qui sperat in ea*; *ps.* 83. *Beatus homo, qui sperat in te*; & *inf. Beatus vir, cuius est auxilium abs te*; *ps.* 31. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates; & quorum tecta sunt peccata*; *Iac.* 5. *Beatus vir, qui suffert tentationem*; *Matth.* 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*; & sic de alijs beatitudinibus, quæ recensentur *ibidem*. Sed hæc beatitudo, de qua in his, alijsque quamplurimis locis est sermo, per gratiam à iustis participatur in via; dicitur enim: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini; qui timent, & sperant in Domino*; qui *recipiunt auxilium à Domino*; qui *sufferunt tentationes*; quibus *remittuntur peccata*; & *qui Deum in* futuro *videbunt*; quæ omnia nequeunt Beatis iam existentibus in patria congruere; eis enim non conuenit esse ampliùs in via, ambulare in lege Domini; timere amissionem vitæ æternæ, cuius habent securitatem; sperare in Domino, cùm spes in patria non maneat; recipere auxilia à Deo ad sufferendas, & vincendas tentationes, quæ locum non habent in patria; videre Deum in futuro, quem actualiter vident; & hæc beatitudo non nisi supernaturalis esse potest; non enim solis naturæ viribus possunt homines vitare peccata, maculis peccatorum carere, legem seruare, vincere tentationes; ut sancitum fuit *in tot Concilijs contra Pelagium, & Pelagianos*; nec peccata delere; timere vitæ æternæ amissionem, & sperare, vt oportet; aut Deum videre, ut *Anomæi* asserebant; cùm hæc omnia per Dei gratiam, quæ supernaturalis est, fieri de fide sit. Ergo *ex Diuinis Scripturis* compertissimè edocemur posse homini adhuc mortaliter in via peregrinanti beatitudinem supernaturalem per

per Dei gratiam competere. Quemadmodum enim beatitudo, quæ a dotibus naturalibus nobis præstatur, naturalis est; sic beatitudo, quæ à gratia, & auxilijs supernaturalibus nobis tribuitur, supernaturalis est appellanda.

4 De beatitudine supernaturali *allatos textus* explicant SS. PP. *Aug. lib. 11. de Gen. ad lit. c. 18*; innumerisque alijs in locis præter illos, qui afferentur. *S. Ambr. lib. 2. de Offic. c. 3.* asserens: *Nihil bonum Scriptura, nisi quod honestum, asserit, virtutemque in omni rerum statu beatam iudicat &c. Nihilque beatum, nisi quod à peccato alienum sit, plenum innocentia, plenum gratię Dei, scriptum est enim: Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum &c; Beati immaculati in via; Sanctus Athan. de Incarn. Verbi* circa initium de primis parentibus loquens: *Introduxit eos in suum ipsius Paradisum, edictumque præscripsit; vt si gratiam illam conseruarent, probique permanerent, fruerentur in Paradiso sine mœrore, sine dolore, sine anxietate hilarissima vita præter etiam id, quòd ipsis in Cælo destinata erat. Sic omnes alij communiter*, quos singulatim referre nimis operosum esset legenti.

5 Atqui Angeli, *& Adam* fuerunt à Deo creati cum gratia originalis iustitiæ; fuerunt namque creati valde boni; vt habetur *Genes. 1. Viditque Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*; non fuissent autem Angeli, *& Adam* valde boni, nisi bona fuisset eorum voluntas, quæ bona non est, nisi sit conuersa per amorem in Deum, vt in summum bonum, & nisi supponat quoque intellectum tendentem in Deum, vt summum verum, per fidem; cùm utpotè cęcus, solùm illuc, quo tendit intellectus, ducatur. Creati igitur fuerunt Angeli, *& Adam* simul cum actu amoris Dei, qui non potuit non esse, nisi amor perfectus, ut diximus *ex Eccli. 10*; tum quia non potuit esse coniunctus cum timore gehennæ per peccatum commissum incurrendæ, fuerunt enim creati sine peccato; ideo ille actus amoris non habuit, à quo redderetur imperfectus, ut diximus *in de Pœnit. q. 1. art. 4. §. 2. à n. 62*; amor autem Dei perfectus sicut in statu naturę corruptę est actus elicitus ab habitu charitatis, qui est proprietas gratię sãctificantis, quę nobis ex meritis Christi Domini datur; ita in statu innocentiæ erat elicitus ab habitu charitatis, qui erat proprietas gratiæ originalis iustitiæ, in cuius locum suffecta est gratia sanctificans, quæ per Christum nobis donatur, ut dicemus *in seq. art*; ideo nequit negari Augelos, *& Adam* fuisse creatos in gratia originalis iustitiæ. Quod de Angelis expressè habetur *Ezech. 28. Tu Cherub extentus, & protegens, et posui te in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti. Perfectus in vijs tuis à die conditionis tuæ, donec inuenta est iniquitas in te.* Quæ verba nequeunt intelligi, nisi de gratia originalis iustitiæ, de charitate, alijsque supernaturalibus donis, quæ Deus contulit Angelis in instanti creationis eorum; ea namque dona significant, quæ Angeli receperunt à Deo, retinueruntque, usquedum peccauerunt, & per peccatum amiserunt; huiusmodi autem sunt supernaturalia dona, naturalia namque integra in illis manserunt etiam, postquam iniquitas peccati in illis fuit inuenta. Tum quia *poni in monte sancto Dei* est ad ordinem Sanctitatis Diuinæ eleuari, quod non fit, nisi per gratiam, *qua consortes efficimur Diuinæ naturæ*, vt dicitur 1. *Petri 1.* Sicut *ambulare in medio lapidum ignitorum* est collocari inter eos, qui charitate Diuina exardescunt; *et perfectum esse in vijs suis à die conditionis suæ* est fuisse creatum perfectum in statu viæ, quæ non dicitur, nisi per ordinem ad patriam, seu ad gloriam, quæ sola est terminus viæ; creatura autem non perficitur per ordinem ad gloriam acquirendam, nisi per gratiam, quia viribus naturæ nequit acquiri, vt definitum fuit *contra Pelagium*; ideo Angeli creati fuerunt cum gratia originalis iustitiæ, per quam ordinati fuerunt ad gloriam, quam *aliqui* tentationem vincendo adepti sunt; alij verò peccando amisere. Tum quia creatura quælibet, vt arguit *S. P. Aug. lib. de corr. et grat. c. 11*; sine gratia illico in peccatum decideret; quia natura creata ex nihilo tendit in nihilum, idèst in peccatum, quod nihil est, vt dicitur *Io. 1.* adeoque sine sua culpa, quia sine viribus, quibus posset peccatum vitare, peccasset; imò ipsum peccatum posset in Deum reijcere, vt in Auctorem, qui ad illud vitandum vires illiberaliter ei negasset; ex quibus apertè colligitur Angelos fuisse à Deo creatos cum gratia originalis iustitiæ, quod *in seq. art.* magis monstrabitur.

6 Rectissimè igitur infertur ex his Angelos, *et Adam* fuisse à Deo creatos beatos beatitudine supernaturali, quam iusti per gratiam in via à misericordia, & bonitate Dei Creatoris accipiunt.

7 Præterea sicut peccatum est summa miseria, quam creatura in hac vita possit incurrere; ita gratia, quæ tollit peccatum, cui opponitur, est summa fęlicitas, quam creatura in via possit habere; *oppositorum enim opposita sunt rationes, secundùm quas opponuntur*; sed Angeli fuerunt creati in gratia, & sine peccato; ergo fuerunt creati cum ea fœlicitate, quæ iustis non habentibus peccati miseriam conceditur; & quæ à gratia deriuat; quæ felicitas nequit non esse supernaturalis, sicut supernaturalis est gratia, à qua oritur.

8 Hæc tamen supernaturalis beatitudo, quę iustis in via pro æterna vita pugnantibus à Deo donatur, in hoc à beatitudine supernaturali, quæ Sanctis in patria cum Deo regnantibus datur, distinguitur; quod beatitudo iustorum in via amissibilis est; sicut amissibilis est gratia, à qua oritur; quia possunt iusti peccando vtraque

pri-

priuari. At beatitudo Sanctorum in patria simpliciter inamissibilis est; sicut inamissibilis est gratia consummata, à qua dimanat; quoniam beati nullo modo possunt peccare, & peccando illam deperdere. Equidem immaculati, & mundicordes sunt iusti in via, & Sancti in patria; secus iusti, & sancti non essent; propter quod vtrique beati rectè appellantur. At diuersimodè vtrisque competit immaculata mundicies, & consequenter beatitudo ex illa deriuans; docet enim fides posse iustos in via mundiciem cordis per peccatum deperdere; neutiquam tamen Sanctos in patria; ergo & de beatitudine ex cordis mundicie exorta idem dicendum.

9 Hoc fusè docuit S.P. *Aug. de corr. & grat. c.* 10. inquiens: *Diabolus verò, & Angeli eius, etsi beati erant, antequam caderent, & se in miseriam casuros nesciebant; erat tamen, quod eorum adderetur beatitudini; si per liberum arbitrium in veritate stetissent; donec istam summæ beatitudinis plenitudinem, tanquam præmium ipsius permansionis acciperent; idest vt magna per Spiritum S. data abundantia charitatis Dei cadere vlteriùs omnino non possent; & hoc de se certissimè nossent. Hanc plenitudinem beatitudinis non habebant; sed quia nesciebant suam futuram miseriam, minore quidem, sed tamen beatitudine sine vllo vitio fruebantur.* Et postquam idem dixit de *Adam*, reponit: *Quia verò per liberum arbitrium Deum deseruit, iustum iudicium expertus est; vt cum tota sua stirpe, quæ in illo adhuc posita tota cum illo peccauerat, damnaretur.* Quibus verbis clarissimè ostendit sententiam asserentem *Adam* fuisse creatum cum beatitudine supernaturali imperfecta, quæ per gratiam datur iustis in via, non euertere originale, aut personale peccatum, vt perperam *quidam* putarunt; quoniam illa beatitudo dabat tantùm posse non mori, non peccare, & non miserum fieri; non tamen dabat non posse mori, non posse peccare, & non posse miserum fieri; sicut dat beatitudo perfecta, & consummata, qua Sancti fruuntur in patria. Sancti ergo in patria sunt plenè, perfectèque beati; quia nunquam se per peccatum casuros à gratia certissimè sciunt; at Angeli, & *Adam* erant inchoatè, imperfectèque beati, quia suam futuram miseriam, æternumque supplicium per peccatum incurrendum nesciebant; non enim beati esse potuissent; *quos huius tanti mali metus ex tunc miseros esse compelleret*; quamuis scirent se posse mori, peccare, & damnari; quia posse non mori, non peccare, & non damnari in eorum relictum erat arbitrio; quod verum non esset, si per idem liberum arbitrium non potuissent peccare; & hoc sciebant certissimè.

10 Hoc ergo discrimen inter beatitudinem viæ, & patriæ sic describit S.P. *Aug. ibidem c.* 12. *Quapropter bina ista quid inter se differant, diligenter, & vigilanter intuendum est: Posse non peccare, & non posse peccare: Posse non mori, & non posse mori: Bonum posse non deserere, & bonum non posse deserere. Potuit enim non peccare primus homo, potuit non mori, potuit bonum non deserere. Nunquid dicturi sumus: Non potuit non peccare, qui tale habebat liberum arbitrium? Aut non potuit mori, cui dictum est: Si peccaueris, morte morieris? Aut non potuit bonum deserere, cùm hoc peccando deseruerit, & ideo mortuus sit? Prima ergo libertas erat posse non peccare; nouissima erit multò maior non posse peccare. Prima immortalitas erat posse non mori; nouissima erit multò maior non posse mori. Prima erat perseuerantiæ potestas bonum posse non deserere; nouissima erit felicitas bonum non posse deserere.* Itaque beatitudini patriæ, quæ dicit non posse peccare, repugnat posse peccare; quia posse, & non posse peccare contradictoriè opponuntur. At beatitudini supernaturali, quæ habetur à iustis in via per gratiam, quæ *semen gloriæ* dicitur, quia illam inchoat, & imperfectè participat; quoniam importat solùm posse non peccare, non repugnat posse peccare; quia posse non peccare, & posse peccare non pugnant inter se; eadem namque voluntas, quæ per Dei gratiam adiuta potest non peccare, potest etiam per liberum arbitrium peccare, cùm gratia ad peccandum libertatem non adimat; ergo beatitudo illius innocentissimi status, in quo fuerunt Angeli, & *Adam* per Dei gratiam creati, quia importabat solùm posse non peccare, non autem non posse peccare; importabat enim adiutorium, per quod poterant vitare peccatum, non tollebat posse peccare; adeoque sicut Angeli mali per liberum ceciderunt arbitrium, Angelis bonis per Dei gratiam in bonitate, in qua conditi fuerant à Deo, manentibus; sic *Adam* per liberum peccauit arbitrium; & in illo tota illius posteritas in eius lumbis contenta peccauit, & contraxit originale peccatum, quod via generationis descendit in omnes. Eodem prorsus modo, quo iusti per Christi gratiam in via dicuntur *in Diuinis Scripturis* beati, quia possunt non peccare; & tamen possunt per liberum arbitrium peccare, & beatitudinem viæ per peccatum amittere. Ex his conuincitur, quàm hallucinanter criminari quis posset hanc sententiam euertere peccatum personale, ob quod Angeli desertores damnati sunt; & originale, quo *Adam* totam infecit naturam.

11 Si autem opponatur perpetuitatem ad rationem beatitudinis supernaturalis pertinere; obuia est responsio ex dictis verum esse de beatitudine patriæ, quam metitur æternitas, cui cōpetit perpetua stabilitas; non de beatitudine viæ, quæ temporis mensuratur decursu, cui fluxus, & mobilitas congruit. Secus immaculati in via, timentes Deū, sperantes, sufferentes tentationē, mundicordes &c. nō essent beati in via, cùm possint mundiciē cordis per peccatū amittere, tentationibus vinci, in desperationē decidere, timorē abijcere &c; cuius oppositū docent *Scripturæ*.

ART. II.

ART. II.

An Angeli, & Adam fuerint creati in gratia?

1 Concl. Angeli, & *Adam* fuerint creati cum gratia originalis iustitiæ, quæ fuit ex bonitate Dei Creatoris; non cum gratia sanctificante, quæ datur ex meritis Christi Redemptoris.

2 Prob. *Ex S. P. Aug. de corr. & grat. c. 11.* *Quid ergo? Adam non habuit Dei gratiam? Imò verò habuit magnam, sed disparem. Ille in bonis erat, quæ bonitate sui Conditoris acceperat &c. Sancti verò in hac vita, ad quos pertinet liberationis hæc gratia, in malis sunt, ex quibus clamant ad Deum: Libera nos à malo.* Gratia igitur sanctificans, quæ nobis datur ex meritis Christi, quam implorant Sancti *in oratione Dominica*, est gratia liberans, & sanans à malis peccatorum; sed Angeli, & *Adam* non fuerunt creati in peccatis, aut in malis peccatorum; ergo non fuerunt creati cum gratia sanctificante, quæ nobis datur ex meritis Christi. Quia tamen *natura creata* (subdit S. P. Aug.) *non talis erat, vt sine Diuino adiutorio posset permanere, si vellet;* ideo eguit gratia originalis iustitiæ, quæ ex bonitate Dei Creatoris eis fuit collata; aliter sine sua culpa cecidissent; adiutorium quippe defuisset, sine quo stare non potuissent.

3 Sequitur *S. P. ibidem. Ille* (supple *Adam*) *in illis bonis Christi morte non eguit; istos à reatu hæreditario, & proprio illius Agni sanguis absoluit.* Itaque gratia, quæ nobis datur ex meritis Christi, absoluit à peccato originali, cuius sunt hæredes omnes posteri *Adæ*, & à peccatis personalibus, quæ vnusquisque in se ipso propria iniquitate committit; sed Angeli, & *Adam* non fuerunt creati cum peccato originali, aut cum peccatis personalibus; ergo non habuerunt gratiam, quam Christus nobis sua passione promeruit.

4 Deinde: *Ille non opus habebat illo adiutorio, quod implorant isti, cum dicunt: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum &c; atque in tali certamine laborantes, ac periclitantes dari sibi pugnandi, vincendique virtutem per Christi gratiam poscunt. Ille verò nulla tali rixa à se ipso aduersus seipsum tentatus, atque turbatus in illo beatitudinis loco sua secum pace fruebatur.* Igitur gratia *ex Apost. Rom. 7;* quæ nobis datur ex meritis Christi, sedat internos passionum tumultus, rebelliones sensuum aduersus spiritum, contumaces carnis conflictus aduersus legem mentis, & liberat à captiuitate, & morte peccati; sed Angeli, & *Adam* non fuerunt creati cum tentationibus internis ortis ex peccato, nec sub captiuitate, & in morte peccati; ergo non habuerunt gratiam, quæ nobis datur ex Christi meritis.

5 Præterea: *Tale quippe erat adiutorium, quod desereret, cùm vellet; & in quo permaneret, si vellet; non quo fieret, vt vellet. Hæc est prima gratia, quæ data est primo Adam. Sed hac potentior est in secundo Adam. Prima est enim, qua fit, vt habeat homo iustitiam, si velit. Secunda ergo plus potest, qua etiam fit, vt velit; & tantùm velit, tantoque ardore diligat, vt carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate Spiritus vincat. Nec illa quidem parua erat, qua demonstrata est etiam potentia liberi arbitrij; quoniam sic adiuuabatur, vt sine hoc adiutorio in bono non maneret, sed hoc adiutorium, si vellet, desereret. Hæc autem tantò maior est, vt parum sit homini per illam reparare perditam libertatem, vel apprehendere bonum, vel permanere in bono, si velit; nisi etiam efficiatur, vt velit. Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem; in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum. Dederat & adiutorium, sine quo in ea non posset permanere, si vellet; vt autem vellet, in eius reliquit arbitrio.* Igitur gratia Christi est, qua voluntate spiritus vincitur contrarietas carnis, qua libertas per peccatum amissa reparatur, qua nedum apprehendimus bonum, & in bono possumus permanere, si volumus, verumetiam, qua volumus permanere; vnde importat nedum potentiam ad velle perseuerare, sed etiam actualem perseuerantiæ volitionem; atqui Angeli, & *Adam*, licèt in primo instanti habuerint iustitiam originalem, quæ illos rectos, iustos, Deo gratos, & charos reddebat; non tamen carnis contrarietatem vincebat, quia nulla talis contrarietas erat; nec libertatem reparabat deperditam, quia amissa non erat, nec actualem perseuerantiam donabat, quia actu perseuerassent; ergo Angeli, & *Adam* non habuerunt gratiam, quæ ex Christi meritis datur.

6 Vlterius *c. 12. seq.* docet: *Non solùm dat adiutorium quale primo homini dedit, sine quo non possint permanere, si velint; sed in eis etiam operatur, vt velint; vt quoniam non perseuerabunt, nisi & possint, & velint, perseuerandi eis possibilitas, et voluntas Diuinæ gratiæ largitate donetur. Tantùm quippe Spiritu S. accenditur voluntas eorum, vt ideo possint, quia sic volunt; ideo sic velint, quia Deus operatur, vt velint. Nam si in tanta infirmitate huius vitæ etc. Deus in eis non operaretur, vt vellent; inter tot, et tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet.* Itaque gratia sanctificans ex meritis Christi collata importat nedum potentiam ad perseuerandum, sed etiam actualem volitionem perseuerantiæ in sanctitate tentatione contra ipsos pugnante; ait enim *Apost. Operatur et velle, et perficere;* perficere autem perseuerantiam actionis significat, secus si volitionem perseuerantiæ in voluntatis arbitrio

trio relinqueret, ficut illam reliquit in ftatu innocentiæ; voluntas hominis per peccatum fauciata inter tot, & tam vehementes paffionum conflictus nunquam poffet victoriam referre; cùm voluntas Angelorum, & hominum fana, & robufta victa deciderit; fed Angeli, *& Adam* tentatione urgente non habuerunt actum perfeuerantiæ, nam fi illam habuiffent, perfeueraffent; ergo non habuerunt gratiam, quæ confertur ex meritis Chrifti.

7 Ex diuerfo etiam loquendi modo *Diuinarum Scripturarum* deducitur; nam *Gen.* 1. habetur: *Spiritus Domini ferebatur fuper aquas*; quod de Spiritu S. fua dona elargiente in prima creatione voluntatibus creatis, quę aquis comparantur; quia nutabant aquarum ad inftar inter bonum, & malum, exponit *S.P. Aug. de Gen. ad litt. lib.* 1. *c.* 5. At *Io.* 14. Chriftus Dominus loquens de cohabitatione Spiritus Sancti, qui infundit gratiam, quam nobis promeruit, inquit: *Ad eum veniemus, et manfionem apud eum faciemus*. Ferri autem fuper aliquod eft habitare mobiliter in illo; manere verò eft perfeueranter manere, vt conftat; atque adeò fi per gratiam, quam in inftanti fuæ creationis receperunt Angeli, *et Adam*, Spiritus S. tantùm ferebatur fuper illos, idèft mobiliter habitabat in illis; per gratiam verò, quæ nobis datur ex meritis Chrifti, Spiritus S. permanenter habitat in nobis etiam vehementiffimis urgentibus tentationum conflictibus, manifeftè deducitur Angelos, *et Adam* non habuiffe gratiam, quę ex Chrifti Domini meritis datur.

8 *Apoftoli* doctrina ineluctabilis eft tradita *Rom.* 5; vbi docet gratiam Chrifti poft *Adæ* peccatum fuperabundaffe; ergo uberior, & potentior eft gratia, quæ habetur ex meritis Chrifti, quàm illa, quam habuerunt Angeli, *& Adam* in principio creationis ex beneficentia Dei Conditoris; aliter gratia Chrifti illi non fuperabundaffet; atque adeò non fuerunt creati cum gratia fanctificante, quæ datur ex meritis Chrifti.

9 Prætereà gratia, quam receperunt Angeli, & *Adam* in eorum creatione, rationem inferiorem, quæ circa bona temporalia verfatur, rationi fuperiori, quæ refpicit bona fempiterna, perfectè in utrifque fubdebat; & *in Adam* ulteriùs fenfus menti, & carnem fpiritui pacifi cè obedientem tenebat; fed gratia Chrifti fanat quidem peccata, conflictum tamen fenfuum cum mente, & carnis cum fpiritu non tollit *tefte Apoft. Rom.* 7; fed ad agonem relinquit, vt fidei meritum, mercefque augeatur, inquit *S.P. Aug. in Suppl. cont. Iul. lib.* 1. *c.* 71. *Peccati reatus regeneratione folutus eft; conflictus eius ad agonem relictus eft*; ergo gratia primitus data non fuit ex meritis Chrifti, fed ex bonitate Dei Conditoris collata.

10 Vrgent *fcripturarum* teftimonia, *SS. PP.* auctoritates, & rationes, quibus oftendimus *tr.* 5. *q.* 3. *art.* 1. Verbum Diuinum *Adamo* non peccante ex vi præfentis decreti carnem non fuiffe affumpturum; *& q.* 7. *art.* §. 2. Chriftum quantum ad gratiam effentialem non effe Caput Angelorum naturale, fed tantùm morale; quæ non debent calamo, cùm poffint oculis, repeti.

11 Afferimus itaque originalem iuftitiam, cum qua Angeli, & *Adam* fuerunt creati, illos reddidiffe habitualiter iuftos, fanctos, gratos, & cafto Dei amore fragrantes. Itèm fuiffe meram Dei gratiam fupernaturalem fimpliciter, qua ordinati funt ad gloriam confequendam, fi tentationem viciffent, ut fecerunt Angeli Sancti; nequit enim homo, vel Angelus iuftus, & fanctus effe per naturam; fic enim folus Deus eft fanctus. Hanc tamen gratiam collatam fuiffe ex mera Dei Creatoris bonitate, non ex meritis Chrifti Redemptoris; non enim per illam redempti funt à peccato, quia peccatum, antequam crearentur, aut in inftanti creationis non habuerunt. Vnde duplex gratia fanctificans, feu iuftificans diftinguenda eft. Prima, quæ fimpliciter iuftos, & fanctos reddebat, & hanc habuerunt Angeli, *& Adam*; quam peccando amiferunt. Secunda verò, quæ ex iniuftis efficit iuftos, & fanctitatem per primum peccatum amiffam reftituit, fanat, redimit, &c; & hæc nobis fuit collata per Chriftum, non Angelis, & *Adæ* in inftanti creationis, vt diximus.

12 Dices. 1. Ex allatis rationibus videtur inferri dari duas gratias habituales fpecie diuerfas, quod eft contra communem fententiam Theologorum unam tantùm gratiam habitualem admittentium.

Refp. neg. illationem; ex allatis enim doctrinis tantùm fequitur gratiam, quæ datur ex meritis Chrifti, feu intuitu meritorum Chrifti, effe potentiorem, & perfectiorem gratia primitus data, quod à nemine poteft negari; eft enim clara *Apoftoli* doctrina *Rom.* 5; ut diximus, quæ præponderat fententiæ *omnium aliorum*; & ideo ab omnibus eft fequenda. Vna ergo fpecie eft gratia habitualis, & fecundùm effentiam; quia vna eft participatio Diuinæ naturæ; ficut vna eft natura Diuina, quæ participatur; attamen fufcipit magis, & minus, cùm fit de prædicamento qualitatis, cuius proprietas eft magis, & minus fufcipere. Gratia ergo, quæ datur ex meritis Chrifti, eft magis perfecta, & potentior; ideo producit effectus, quos non produxit gratia primitus data; ut fanare à peccatis, redimere à captiuitate, vincere tentationes externas, & internas; quos effectus non caufabat gratia primitus data; magis autem, & minùs perfectum non variare fpeciem receptiffimum axioma eft *apud Philofophos*; calor enim intenfus eft magis perfectus, & potentior, quàm calor remiffus; & producit effectus, quos non producit calor remiffus, quia introducit formam

ignis

ignis in lignum, qua comburit &c; quod non præstat calor remissus; & tamen certum est vnum esse calorem specie, non duos calores specie diuersos. Ita à pari.

13 Dices 2. *Beatissima Virgo* habuit gratiã ex meritis Christi, aliter ad Christum non pertineret; & tamen in ipsa non fuit peccatum originale, vel personale sanandum; ergo falsum est, quòd gratia Christi sit essentialiter sanatiua à peccato; & ideo in hoc à gratia primitus data non rectè distinguitur.

Resp. hoc fuisse fusè solutum *to.5.q.4. art.2. §.2*; ubi dictum est *Beatissimam Virginem* non habuisse peccatum personale, nec originale; attamen fuisse præseruatiuè redemptam; quia peccatum originale contrahere debuisset, nisi per Christi gratiam præseruata fuisset; adeoque fuisse sanatam in suis parentibus per Christi gratiam. At verò Angeli, & *Adam* non debuerunt peccatum via generationis contrahere, nec in suis causis sanari; ideo gratia illis collata nullo modo fuit redemptiua, aut sanatiua; atque adeò non fuit ex meritis Christi. *Vid. vbi s.*

14 Dices 3. Per gratiam habitualem semper habetur præsentia Spiritus Sancti; ergo discrimen assignatum est nullum.

Resp. dist. ant. Habetur semper præsentia Spiritus S. vel per modum permanentis, & perseuerantis etiam urgentibus grauissimis tentationibus externis, & internis, quales in paradiso non fuerunt; vel per modum transeuntis, & mobiliter habitantis urgentibus tentationibus, conc; semper per modum permanentis, & perseuerantis, neg; aliter Angeli, *&* *Adam* non cecidissent, si in eis urgente tentatione mãsisset, & perseuerasset Spiritus S; qui nequit cum peccato habitare. Gratia igitur, quæ habetur ex meritis Christi in hoc distinguitur à gratia primitus data; quòd per illam non habitabat Spiritus S. permanenter, & perseueranter vrgente tentatione; & licèt in Angelis, qui steterunt, habitauerit permanenter, quia fuit ampliùs aucta, *fuerunt* enim *ampliùs adiuti*; adhuc tamen distinguitur à gratia Christi; quia per illam non habitauit Spiritus S. vrgentibus grauissimis tentationibus internis, quæ non fuerunt in paradiso; per istam verò Spiritus S. habitat permanenter etiam vrgentibus grauissimis tentationibus internis, vt docet *Apost. Rom. 8. Quis me separabit a charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames &c*; crescentibus enim tentationibus, & suborta infirmitate naturæ necessaria fuit gratia potentior, ut habitet in nobis permanenter Spiritus S; *& aduersus tot, & tantas tentationes, quales in paradiso non fuerunt, cum omnibus amoribus, terroribus, & erroribus suis vincatur hic mundus*; docet *S.P. Aug. de corr. & grat. c. 12.* Item distinguitur, quia per illam dabatur solùm Spiritus S. permanenter, si permanere, & perseuerare voluissent; & ideò in Angelis Sanctis permansit Spiritus S; quia perseuerare voluerunt; per istam verò datur etiam, ut permanere, & perseuerare velimus; ut diximus *ex eodem S.P. Aug.* Sic concordari possunt *Fund. Doct. Æg; & Tho. Arg. cum S. P. Aug.* asserentes per gratiam originalem non habitasse Spiritum S; atque adeò Angelos, *&* *Adam* non fuisse creatos cum gratia sanctificante importante habitationem Spiritus Sancti; loquuntur enim de habitatione permanenter, & quiescenter, non autem per modum se mouentis, & transeuntis. Eodem modo concordatur *Auctor. qq. veteris & noui testam. q. 126. apud S. P. Aug.* asserens *Adam* in sui creatione non accepisse Spiritum *S.*

15 Inst Ex meritis Christi habemus in statu peccati nedum gratiam, quæ dat actu velle, sed etiam, quæ dat solum posse; vt definitum fuit *contra Iansenium*; ergo ex eo, quòd gratia primitus data dederit solum posse, non arguitur, quòd non fuerit ex meritis Christi.

Resp neg. consi ex eo namque, quòd ex meritis Christi habeatur gratia, quæ non solùm dat posse, sed etiam dat actu velle; & in statu innocentiæ collata fuerit gratia, quæ dabat tantùm posse, non actu velle permanere, optimè arguitur illam non fuisse ex meritis Christi; aliter simul dedisset & posse, & actu uelle. Gratia igitur Christi potentior est, quia dat posse; & si ea bene vtamur, intenditur, & dat actu uelle; & hoc etiam urgentibus tentationibus grauissimis internis, & externis, & naturę infirmitate supposita; quod non præstabat gratia Angelis, *et Adæ* primitus data.

INDEX RERVM.

Mag. Frider. Nic. Gauardi Tom. 6.

Eras-

tur

Matri-

Votum

Me-

Quo-

San-

Circa

FINIS.



monium

a. 647.

7.24.
effeq.

amenta
uficam
s & 19.
; & 31
& 13
Circa a



